SYNODICON
S. BENEVENTANENSIS
ECCLESIÆ,

Continens Concilia XXI.

SUMMORUM PONTIFICUM SEX,
ARCHIEPISCOPORUM QUINDECIM,

COLLECTA,

Summariis, notiſque adaucta,
Claro, diſtinctoque Indice locupletata

CURA, LABORE, ET STUDIO

FR. VINCENTII MARIÆ
Ordinis Prædicatorum Cardinalis URSINI
ARCHIEPISCOPI,

NUNC

BENEDICTI XIII.
PONTIFICIS MAXIMI.

EDITIO SECUNDA

Duobus Conciliis cumulatior, quam prima.



ROMÆ,
Ex Typographia Rochi Bernabò, Anno Domini MDCCXXIV.
Sumptibus Franciſci Gjannini, SUÆ SANCTITATIS Bibliopolæ.

SUPERIORUM PERMISSU.



Eminent.mo ac Reverend.mo Principi

LUDOVICO

Tit. Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ
S. R. E. Presbytero

CARDINALI BELLUGA,

Epiſcopo Carthaginienſi, Regis Catholici
Conſiliario.

FRANCISCUS GJANNINI F.

DIU mihi deliberandum non fuit, cuinam potiſſimum Opus hoc, ſive Auctoris, ſive Argumenti dignitatem ſpectes, ſane graviſſimum, nuncuparem. Unus ſtatim occurriſti, PRINCEPS EMINENTISSIME, *cui illud non tam inſcriberem, quam acceptum referrem. Cum enim illud longa Sanctiſſimi Patris opera in Sacro Beneventanæ Provinciæ regimine elucubratum, vix lucem aſpexiſſet, diſtractis ſtatim omnibus exemplaribus excitaverat potius in Chriſtiana litteratorum Republica deſiderium ſui, quam expleverat. Tu unus tandem invictis precibus, eaque maxima, qua apud Auctorem polles gratia, exo-*

raſti, ut publici iterum juris fieret, quo eruditiſſimi laboris fructus latius pertineret. Cum ſiquidem proprio experimento edoctus probe didiciſſes quantum utilitatis Eccleſiæ univerſæ voluminis hujus ſaluberrimis legibus, & præceptis refertiſſimi lectio eſſet allatura, totus in eam curam incubuiſti, ut cumulatius in omnium manibus verſaretur. Vides igitur quanto jure munus hoc maximum ad te revertatur, a quo illud accepimus. Ut enim flumina quodam veluti famulatus obſequio, ne dicam grati animi officio, eo redeunt, unde fluxere, ſic & beneficia ad eos redire fas eſt, quibus illa accepta debentur.

Verum non una hæc me ratio impulit, ut Operis hujus frontem tuo nomine exornarem. Cum enim illud totum in eo ſit, ut Chriſtianam diſciplinam, aut jacentem erigat, aut nutantem ſuſtentet, aut ſtantem confirmet, utque Chriſtiani Populi mores aut regat, aut corrigat; cuinam illud opportunius inſcriberetur, quam tibi, cui nihil unquam fuit antiquius, quam utrique neceſſitati toto animi niſu proſpicere? Nemo enim eſt, qui ignoret, quantus ſemper, ac qualis fueris non in privatæ modo vitæ ratione, ſed multo maxime in ampliſſimo Carthaginis Epiſcopatu gerendo, quem licet repugnanter ſuſceperas, viginti jam annorum ſpatio ea cum laude adminiſtras, ut eorum, quibus te Antiſtitem habere contigit, felicitati nihil addi poſſe videatur. Norunt ſinguli vel ab ipſo tuæ inaugurationis exordio curas tuas omnes eo collimaſſe, ut conſilio, cohortatione, legibus, & quo nihil eſt ad perſuadendum efficacius, exemplo, ad optimam Chriſtianæ vitæ inſtitutionem creditos tibi Populos converteres: Adeo ut mirum nemini fuerit, ſi incredibili omnium conſenſione ad Paſtoris egregii mores ſtatim ſeſe grex totus effinxerit. Prædicabant omnes rediiſſe feliciſſima illa tempora, quibus Chriſtiana res ſub Sanctiſſimis Præſulibus Leandro, Iſidoro, ac Prædeceſſore olim tuo Fulgentio, quos germanos Fratres dare meruit in lucem Carthago tua, tota Hiſpania longe, lateque florebat. Humanitatem nimirum omnes mirabantur tuam, in

com-

componendis diſcordantium animorum diſſidiis æquitatem, in excipiendis, ſublevandisque quotquot ad te confugerent, benignitatem, paternam demum in omnes benevolentiam, in ſingulos charitatem. Non is tamen propterea fuiſti, ut quo mirifice polles, Sacerdotalis animi robur, aut lenitas enervaret, aut gratia corrumperet, aut timor labefactaret. Eccleſiaſtica jura ne quid detrimenti caperent, ne quid Pontificiæ auctoritati, ac dignitati a ſæculi Poteſtatibus detraheretur, non monitis modo, & privatis conſiliis, ſed publicis etiam, impreſſiſque documentis interritus obſtitiſti. Verum quanto divinæ gloriæ zelo æſtuares, nullibi luculentius emicuit, quam in Conſtitutione Apoſtolici Miniſterii, *quam te hortatore, ad preces Catholici Regis edidit, quem nuper amiſimus,* INNOCENTIUS XIII. *Ex ea, ut cetera deeſſent hujus rei argumenta, conjectari licet, quanto animi dolore afficerere ex collapſa Cleri diſciplina, quamque ardenti ſtudio eam ſuprema auctoritate reſtitutam exoptares. Incredibili propterea animi firmitate nullum lapidem non moviſti, donec poſthabitis humanæ prudentiæ rationibus, ac contranitentium machinationibus diſſipatis, ſaluberrimæ leges executioni mandarentur, & Eccleſiaſtico miniſterio primævus decor, ac ſplendor accederet.*

Non vacat hic intrepidi pectoris robur latius expendere, quo te quoties occaſio ſeſe obtulit; (obtulit autem ſeſe non raro), non modo invictum Præſulem, ſed & fortiſſimum Ducem exhibuiſti. Unum ſit inſtar omnium Catholici Regis PHILIPPI *æquiſſimi rerum æſtimatoris teſtimonium, qui te Valentino Regno Proregem præfecit. Quod quidem ampliſſimum dignitatis decus eo a te animo exceptum fuit, ea moderatione tractatum, ut Orthodoxæ fidei incolumitati, atque incremento unice inſerviret.*

De liberalitate tua quid attinet dicere? Tot extant non munificentiæ modo, ſed & magnificentiæ tuæ inclyta monumenta, ut tametſi modeſtiæ parcere velim tuæ, ſilentio tamen locus eſſe non poſſit. Ut enim ego taceam, at certe non tacebunt piiſſima ſodalitia,

qui-

quibus tum Cordubæ, dum Canonicus lectoralis Divi Philippi Nerii *diſciplinam miro profitebaris exemplo, tum Murciæ, dum Epiſcopus, in filialis animi monumentum, obſequentiſque gratitudinis teſſeram erga Magnum Parentem, & in paterni amoris ſymbolum, ſuſpiriique tui pignus erga ſtrictiſsimo nodo tibi ſociatos filios, peramplas ædes, addito ad vitæ commodum, ac ſuſtentationem lauto patrimonio, a fundamentis erexiſti. Loquentur miſerrimæ illæ, rerumque omnium egenæ Virorum, & Mulierum catervæ, quas depulſa fame, ſqualore deterſo publici Hoſpitii jure donaſti, uberrimiſque prædiis, annuoque cenſu ad operis perennitatem attributis, pluſquam centenorum millium ſcutorum Romanorum impendio locupletaſti. Quæ ego omnia cum mecum ipſe reputo, gratulari poſſum, mirari ſane non poſsum, quod eum tibi contigerit habere laudatorem, in quem non aſsentationis modo, ſed nec amplificationis ſuſpicio cadere unquam poſsit. Meminit Roma, meminit Chriſtianus Orbis univerſus perhonorifici illius præconii, quo ſapientiſſimus idem, ac Sanctiſsimus Pontifex* Clemens XI. *in confertiſsimo Purpuratorum Patrum Senatu ornavit purpuram tuam, cum te non modo nil tale affectantem, ſed nec cogitantem quidem, ſed nolentem, ſed lacrimis, & objecta voti, & juramenti religione, quamdiu licuit, reluctantem, & ſolo demum ſupremæ auctoritatis imperio, atque præcepto adactum purpura ornavit, cum te, inquam, appellavit* Orthodoxæ veritatis zelatorem maximum, Pontificiæ auctoritatis intrepidum defenſorem, Eccleſiaſticæ libertatis aſſertorem fortiſſimum, magnumque religioſiſſimæ Nationis Hiſpanicæ lumen, & ornamentum.

Hæc enim vero cum ita ſint, videri nemini poterit confidentiæ plenum, ne dicam audaciæ conſilium hoc meum, quod in veſtibulo hujus voluminis ſub auguſtiſſimo BENEDICTI XIII. *nomine* Ludovici Cardinalis Belluga *nomen collocarim. Quidni enim eos, quos longo quantumvis potentiæ, & dignitatis intervallo diſſitos, tamen recte, egregieque*

facto-

factorum ſimilitudo, ac quædam veluti neceſſitudo proximos facit, non liceat modo, ſed & deceat una conjungere? Porro undenam ea, quæ nuper recenſui, virtutum ornamenta te hauſiſſe gloriaris, quam ex abſolutiſſimi illius Prototypi norma, quem in te deinde imitatione, veluti quadam inſitione feliciter traduxiſti? Audieras ſcilicet, fama vulgante, neminem unquam VINCENTIO MARIA CARDINALI URSINO, *dum Beneventanam Eccleſiam Archiepiſcopus procuraret, vigilantiſſimi Præſulis partes, aut uberius, aut illuſtrius impleviſſe. Audieras quanto religionis in Deum, in pauperes charitatis, in ſubditos humanitatis exemplo omnibus præluceret. Nec te latebat quam ſplendida, ac vere Principe digna munificentia Divinæ Domus nitorem, & ſanctitatem reſtituiſſet, Templa, ac Religioſa Cœnobia, ſive egeſtate ſqualentia; ſive terræmotus impetu ſolo dejecta, aut inſtauraſſet, aut, ut verius dicam, a fundamentis extruxiſſet. Mirabaris in illo indefeſſam in Divini Verbi pabulo ſuis ovibus miniſtrando ſedulitatem, robuſtamque facundiam; æquiſſimam in coercenda perditorum hominum audacia ſeveritatem, paremque erga eos, quos ad meliorem frugem pœnitentia revocaverat, benignitatem; adeo ut liquido conſtaret eum una cum nobiliſſimo Romano ſanguine illud clementis ſimul, & generoſæ indolis ingenium hauſiſſe, quo docebatur*

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Simulque difficillimum illud prudentiæ, ac fortitudinis temperamentum, quo tam feliciter Sacerdotii ſimul, & Imperii jura compoſuit. Coaluiſſe dicebas in uno, eodemque Sanctiſſimi Antiſtitis pectore CAROLI BORROMAEI *zelum, atque conſtantiam, cum* FRANCISCI SALESII *dulciſſima lenitate,* AMBROSII *doctrinam, & eloquentiam, cum* THOMAE VILLANOVANI *liberaliſſima charitate, uno verbo, eorum, quotquot eum Epiſcopatu præceſſerant, illum veluti compendium commendabas.*

Hæc tu virtutum exempla ita tibi in te ipſo exprimenda propoſuiſti, ut quantum in te erat, toti etiam

Eccle-

Eccleſiæ imitanda proponerentur. Quamobrem paucis ab hinc menſibus, cum in ſolemnibus ampliſſimorum Patrum Comitiis de Supremo Paſtore deligendo ageretur, quæ tuæ fuerint partes, ut BENEDICTUM XIII. *haberemus, nemo ignorat. Id æterno Divinæ Providentiæ conſilio conſtitutum ſentiebas: nec alio ſpectaſſe ſingulare Dei patrocinium, & præſentiſſimam Divi* PHILIPPI NERII *opem, quibus ille a diruti Epiſcopii ruderibus incolumis evaſit, quam ut Apoſtolicæ Sedi reſervaretur. Idipſum diſertiſſimis verbis prænunciatum aſſerebas in ea, quæ Dominici Viva e Societate Jeſu opuſculo de Jubileo anni Sancti præfigitur Epiſtola, in qua non adulatorio placendi ſtudio, ſed recto quodam Numinis afflatu* VINCENTIUM MARIAM CARDINALEM URSINUM *poſt quinque luſtra, Pontificia auctoritate, Diploma de anno Sancto indicendo promulgaturum prædicebatur; quod quam veritati conſonum fuerit, fortunatiſſimus Eccleſiæ Univerſæ probavit eventus.*

Sed longior ſim; ac fortaſſe etiam modeſtiæ tuæ permoleſtus, ſi per ſingula excurram rerum momenta, quæ te mihi Mæcenatem præ ceteris adoptarunt. Mitto proinde eam, qua præditus es, ſcientiarum, & doctrinæ affluentiam. Mitto vetuſtiſſimæ Gentis tuæ numeris omnibus abſolutam nobilitatem; quæ, quamvis ſit undequaque clariſſima, virtutis tamen luce obruitur tuæ. Mitto Regiam in te benevolentiam, ſeu potius reverentiam, qua te maximus idem, ac piiſſimus Monarcha amat, & colit. Id unum liceat mihi gratulari Hiſpaniæ Tuæ, quod cum tot inclytis bello Ducibus, tot doctiſſimis Viris, ſanctiſſimis Paſtoribus, ampliſſimiſque S. R. E. Cardinalibus nullo non tempore abundarit, tamen in univerſo hoc laudis, & gloriæ genere nemini ſecundum LUDOVICUM CARDINALEM BELLUGAM *Chriſtiano Orbi dediſſe, gloriari merito poterit. Perge igitur* PRINCEPS EMINENTISSIME *Romam conſiliis tuis, virtutumque tuarum exemplo, atque incitamento meliorem facere, & ut tandem optimam facias, diu vive, & vale.*

Romæ pridie Kalendas Auguſti 1724.

CAROLO II.
REGI CATHOLICO.

CUM multa, magna, atque præclara Provinciæ, Regna, & non unus Orbis Sereniſſimis Hiſpaniarum Regibus debeant, nihil tamen præſtantius, atque illuſtrius, quinimo & ſalubrius eis accidere potuit, quam ut ſingulari, atque eximia pietate, qua ipſi perpetuo floruerunt, glorioſam, ac ſedulam Religioni operam navarent. Cumque Majeſtas Tua præcipue curet, ac cogitet gloriam hanc poſteris ſuis inſigni acceſſione cumulatam tradere, cujus gratia, quanto ceteris hominibus Regia dignitas præfertur, tanto ceterarum gentium regna Regnorum tuorum fulgor excellat: æqui, bonique eamdem conſulturam exiſtimavi, ſi Eccleſiæ meæ Synodicon, quod non exiguo labore ex tot, tantiſque ruderibus collegi, quodque ſuccſivis horis illuſtravi, Auguſtiſſimo Nomini Tuo ſacrum, prodiret in lucem. Beneventana ſiquidem Provincia impræſentiarum duodeviginti Pontificalibus thronis, olim duobus & triginta, qua nulla numeroſior Latinas inter, Catholicaſque Provincias recenſetur, ornata, in tuo florentiſſimo, ampliſſimoque Neapolitano Regno exiſtit, licet Metropolitana Civitas Romanæ Apoſtolicæ Sedi in temporalibus quoque ſubjaceat. Nihil autem antiquius Sereniſſimis Majoribus Tuis fuiſſe complurium ſæculorum tradunt hiſtoriæ, quam vel Paſtores ipſos ad Provinciales Synodos pro religionis integritate, morumque reformatione cogendas excitare, vel in eiſdem Conciliis ſancita populis exequenda demandare.

Maxima exempla, omnium ſæculorum memoria, & cognitione digniſſima, licet ſuo ſplendore, ac magnitudine nota, in medium

An. Dñi 589.

proferam. Occurrit primo Tertium Toleti Provinciale Concilium duorum, & ſexaginta Epiſcoporum, Rege Reccaredo inſtante, ad Arianam hæreſim, quæ totum pene pervaſerat Orbem, e Regno Hiſpanico extirpandam, Eccleſiaſticamque diſciplinam reſtituendam convocatum: en Regem ipſum loquentem: *Non incognitum reor eſſe vobis, Reverendiſſimi Sacerdotes, quod propter reſtaurandam diſciplinæ Eccleſiaſticæ formam, ad noſtræ vos ſerenitatis præſentiam devocaverim; & quia diverſis retro temporibus hæreſis imminens in tota Eccleſia Catholica, agere Synodica negotia denegavit; Deus, cui placuit, per Nos ejuſdem hæreſis obicem depellere, admonuit, inſtituta de more Eccleſiaſtica reparare.* Expleto deinde Concilio, Canonum in ipſo editorum executioni ſtudens, promulgavit Edictum, in quo hæc præſertim habentur: *Præcedente diligenti, & cauta deliberatione, ſive quæ ad fidem conveniunt, ſive quæ ad morum correctionem reſpiciunt, cum omni ſenſus maturitate, & intelligentiæ gravitate conſtent eſſe digeſta; noſtra proinde auctoritas id omnibus hominibus, ad Regnum noſtrum pertinentibus jubet, ut ſi quæ definita ſunt in hoc Sancto Concilio &c. nulli contemnere liceat, nullus præterire præſumat.*

An. Dñi 610.

Extat adhuc Gundemari Regis Edictum anni 610. quo Toletani Concilii, tunc habiti, decretum integræ executioni demandandum præcipit in hæc verba: *Licet Regni noſtri cura in diſponendis, atque gubernandis humani generis rebus promptiſſima eſſe videatur: tunc tamen Majeſtas noſtra maxime glorioſiori decoratur fama virtutum, quum ea, quæ ad divinitatis, & religionis ordinem pertinent, æquitate rectiſſimi tramitis diſponuntur, ſcientes ob hoc pietatem noſtram, non ſolum diuturnum temporalis imperii conſequi titulum, ſed etiam æternorum adipiſci gloriam meritorum &c.*

An. Dñi 633.

Siſenandi Regis gloriam nulla unquam delebit vetuſtas, nulla ſecum involvet oblivio, qui in Toletano Concilio quarto: *Coram Sacerdotibus Dei* (ut Concilii Acta teſtantur) *humi proſtratus cum lacrimis, & gemitibus pro ſe interveniendum Domino poſtulavit; deinde religioſa proſecutione Synodum exhortatus eſt, ut paternorum decretorum memores, ad conſervanda in nobis jura Eccleſiaſtica ſtudium præberemus, & illa corrigere, quæ dum per negligentiam in uſum venerunt contra Eccleſiaſticos mores, licentiam ſibi de uſurpatione fecerunt.*

An. Dñi 636.
An. Dñi 638.

Tanto ſe prædeceſſore dignum præſtitit Rex Cinthila, & ipſe Toletanorum Conciliorum V. & VI. decretis, ut ex eorum Actis liquet, obſervantiſſimus.

An. Dñi 675.

Vocant me ad ſe Patres Toletani Concilii XI. neque me diutius tacere patiuntur de Rege Vvamba, cujus pietate, undeviginti annorum poſtliminio Provincialis Concilii coactionem receperunt; illum itaque his verbis commendant: *Poſt hæc religioſo Domino &c.* §. I.
Vvambano Regi gratiarum actiones perſolvimus, cujus ordinatione collecti, cujus etiam ſtudio aggregati ſumus, qui Eccleſiaſticæ diſciplinæ his noſtris ſæculis novus reparator occurrens, omiſſos Conciliorum ordines non ſolum reſtaurare intendit, ſed etiam annuis recurſibus celebrandos inſtituit.

Ervi-

Ervigii autem Regis pientiſſimas leges tacitus præterire non
poſſum, qui pro Concilii Toletani XII. decretis adamuſſim exe-
quendis, eam tulit, quæ incipit: *Magna ſalus populi, gentiſque no-* An. Dñi 681.
*ſtræ Regno conquiritur, ſi hæc Synodalium decreta geſtorum, ſicut pio
devotionis noſtræ ſtudio acta ſunt, ita inconvulſibilis noſtræ legis vali-
do oraculo confirmentur &c.* & alteram quoque pro Concilio Tole-
tano XIII. cujus eſt initium: *Eximia Synodalis auctoritas, & vene-* An. Dñi 683.
randa eſt pariter, & tremenda &c.

Egicam item Regem, prædeceſſoribus ſuis, perquam ſimilli-
mum Acta XVI. & XVII. Toletanorum Conciliorum commemo-
rant, in quorum altero lex refertur, cujus hoc eſt exordium: *Con-* An. Dñi 693.
gruum ſatis genti, ac patriæ noſtræ, atque expedibile perpenditur omni An. Dñi 694.
*Eccleſiæ, ſi ea, quæ Synodali definiuntur conventu, principali confir-
mentur ſtilo &c.*

Alphonſus VI. qui Urracam Reginam præceſſit, tanto ſtudio
Conciliares conventus eſt proſecutus, ut a SS. Gregorio VII. pe-
tierit, Legatum in Hiſpaniam mitti ad celebranda Concilia, qui-
bus Eccleſiaſtica diſciplina firmaretur.

Alphonſus hoc nomine VII. Reginæ Urracæ filius, pietate
majoribus non impar, tantum Concilii Ovetenſis conſtitutioni de-
tulit, ut de eo in Concilii calce hæc habeantur: *Adelphonſus Rex* An.Dñi 1115.
*poſtquam præſcriptam conſtitutionem audivit, & in Regno Hiſpaniæ
poſt mortem Matris ſuæ regnare cœpiſſet, confirmavit, & juravit eam,
& fecit eam confirmare, & jurare, & ſtabilire omnibus hominibus ha-
bitantibus in omni Regno ejus, ut ſervetur, & cuſtodiatur, uſque
mundus iſte finiatur.*

De Philippo autem ſecundo quid primum, quid poſtremum
eloquar? quæ in hoc genere ipſe geſſit, aliorum geſta numero, &
magnitudine obruerent, ſi referrem ſingula. Cum Sacri Tridentini
Concilii decreto ſancitum eſſet, ut tertio quoque anno Provin-
ciales Synodi a quolibet Metropolita haberentur, Decretum hoc
omnimodæ executioni Sereniſſimus, & Invictiſſimus Rex deman-
dandum curavit. Ideoque anno 1565. celebratum fuit Provinciale
Concilium Toletanum: *Curante* (ut Actorum habet exordium) An.Dñi 1565.
*invictiſſimo, & religioſiſſimo Principe, & Domino noſtro Philippo Hi-
ſpaniarum Rege Catholico, cui tantus ardor conſervandæ rectæ Fidei,
tantus amor reſtituendi Eccleſiaſticas leges inſedit, ut merito cum San-
ctiſſimis illis Imperatoribus Conſtantino, & Theodoſio, Deo dilectis,
conferri poſſit, & debeat.*

Eodem ejuſdem Catholici Regis conſenſu habitæ fuerunt in
Hiſpania Provinciales Synodi Valentina, Granatenſis, Bracharen-
ſis, Eborenſis, Cæſarauguſtana, & Salmaticenſis, in quarum po-
ſtremæ initio ejuſdem Regis referuntur litteræ, quibus Epiſcopos
ad Toletani Provincialis Synodi decretum exequendum hortatur,
planamque, ac liberam executionem eorum decretis ſe præſtitu-
rum promiſit.

Limanum quoque primum Provinciale Concilium a novo novi

Orbis ſidere B. Turibio Alphonſo Magrovejo celebratum, hæc
An.Dñi 1583. habet in exordio: *Sancta Synodus in Urbis Regiæ Provinciæ Peruviana &c. SS. D. N. Gregorii XIII. Romani, ac Summi Pontificis voluntate, etiam cupiente Catholico, atque Invictiſſimo Rege Noſtro Philippo II. Hiſpaniarum, & novi Orbis Domino &c.* Concilium deinde completum, & a Sancta Sede Apoſtolica probatum, Edicto, quod executoriale appellatur, idem Rex proſecutus eſt die 18. Septembris 1591. quod inter cetera hæc habet: *Mi Prorex, Præſidentes, & Auditores mearum Audientiarum in Provinciis Peruviæ &c. & quandoquidem dictum Concilium, & ejus decreta, tam prudenti examine facta, & ordinata ſint, & Sua Sanctitas jubeat, quod compleantur, & executioni mandentur. Ego vobis omnibus, & veſtrum ſingulis mando, ut dictum eſt, quod, ut ſic fiat, detis, ac dari faciatis omnem favorem, & auxilium, quæ conveniant, & neceſſaria ſint, & quod contra id, nec ullam ejus partem modo ullo eatis, vel tranſgrediamini &c.*

Singulare hoc, eximiumque beneficium a Neapolitanis Regibus, præſtantibuſque Majeſtatis Tuæ Miniſtris, huic noſtræ Provinciæ, quæ Synodalibus habendis conventibus, præ aliis Italicis Provinciis, ſucceſſivis quibuſque temporibus religioſiſſime inſtetit, collatum, Synodicum hoc pleniſſime teſtatur, in quo præter ſex a Summis Romanis Pontificibus habita Concilia, duodecim, quæ reperta ſunt, Provincialia continentur, necnon decimum tertium a noſtra mediocritate una cum quatuordecim Epiſcopis, aliiſque Prælatis ordinariis celebratum, cui Excellentiſſimus Comes S. Stephani Tuas vices in hoc Regno præclare admodum gerens, pro dignitate, & amplitudine favit. Quemadmodum a Majeſtate Tua, quæ hujus præcipuæ laudis, a Majoribus Tuis hæreditariæ, Principatum tenet, adjutum, atque ornatum iri ſpem habeo.

Grato igitur animo, Optime Rex, quod humillime offero, Synodicum excipe: ambabus, quod dicitur, ulnis Eccleſiaſtici Status munimen, quod e Sacris pendet Conciliis, Tu veræ Fidei Aſſertor, Pontificiæque dignitatis Vindex, ac Propugnator, dignanter amplectere. Sic quamdiutiſſimam, & quamfeliciſſimam vitam Eccleſiæ, quæ ſub umbra potentiſſimi patrocinii tui invaleſcit, & floret: Regnis tuis, quorum ſalus a tua pendet ſalute, neceſſariam, & utilem vivas: ſic ea communibus votis expetita, generoſa prole augearis, ut ſtirps, ac Regnum tuum perennent. Expeditionibus, bellis, victoriis tuis uterque Orbis nobilitetur, donec religioſiſſimi animi tui magnitudini illud pateat Capitolium, in quo triumphi æternitati ſunt pares. Hæc a Deo precatur immortali

M. T.

Dat. Beneventi die 25. Januarii 1695.

Humillimus, obſequentiſs., ac fideliſs. Servus
Fr. Vincentius Maria Card. Archiepiſcopus.

DIPTYCHON
S. BENEVENTANÆ ECCLESIÆ PONTIFICUM.

1 SPHOTINUS ab Apoſtolorum Principe ordinatus,& Beneventum miſſus A.40.
12 Undecim ſubſequentium Epiſcoporum nomina uſque ad annum 300. deſiderantur, quia anno 302. in decima perſecutione, per Imperatoris Diocletiani litteras, *ut refert Euſeb.* indictum fuit, ut ſcripturæ Chriſtianorum abſumerentur igni.
13 S.JANUARIUS Martyr obiit A.305. Hunc eſſe XIII. patet ex ſepulcrali inſcriptione S.Joannis XXI.
14 THEOPHILUS flor. A. 313.
15 S.DORUS flor. A. 320.
16 S.APPOLLONIUS floruit A.326.
17 S.CASSIANUS flor. A.340.
18 S.JANUARIUS II. floruit A.347.
19 LINIANUS flor. A.369.
20 S.ÆMILIUS flor. A.404.
21 S.JOANNES electus ann. 415. obiit 448. ſedit A.33.
22 DORUS II. elect. ann. 448. memoratur A. 450.
23 S.TAMMARUS floruit A.465.
24 S.SOPHUS, dictus CADOCUS, Monachus, & Abbas S.Sophiæ, Martyr, occubuit A.490.
25 EPIPHANIUS flor. A.494. & 499.
26 FELIX flor. A.520.
27 S.MARCIANUS flor. A.533.
28 S.ZENO, ſeu ZOSIMUS flor. A.543.
29 FELIX II. flor. A.585.
30 LINIANUS II. elect. A.591.
31 DAVID flor. A.600.
32 BARBARUS flor. A.603.
33 ALPHANUS flor. A.615.
34 ILDEBRANDUS flor. A.622.
35 S. BARBATUS el. A. 663. obiit ann. 682. ſedit A.18.M.11.
36 ALDERIGUS flor. A.700.
37 TOTO flor. A.733.
38 CÆSARIUS flor. A.743.
39 JOANNES II. flor. A.748.
40 DAVID II. flor. A.787.
41 GUTTUS el. an.825. ob.833. Sedit circa A.8.
42 URSUS el. an.833. obiit 845. Sedit circa A. 12.
43 JOANNES III. el.an. 845. obiit 852. Sedit circa A.7.
44 CAROLUS el. an. 852. ob. 868. Sedit circa A.16.
45 JOANNES IV. el. an. 868. obiit 875. ſedit circa A.7.
46 AYO memoratur A.875. 877.
47 CONSERVATUS elect. an.886.obiit 894. Sedit circa A.8.
48 PETRUS electus an.894.
49 WALDEBRIDUS elect.an.908.obiit 911. ſedit circa A.3.
50 JOANNES V. el.an.911. obiit 953. ſedit A. 42.
51 VINCENTIUS el. an.954. ob. 957. ſedit A. 3.
52 LANDULPHUS elect. an. 958. *Archiepiſcopatus inſtituitur a Joanne XIII. Papa Anno 969.* Idem LANDULPHUS ob.983. ſedit A.26.
53 ALO, ſeu ALIX el. an.984.
54 ALPHANUS II. el. an.998,
55 MUNDUS flor. an.1009.
56 ALPHANUS III.el.an.1011. obiit 1053. ſedit A.42.
57 VALDERICUS el. an. 1053. obiit 1071. ſedit A.18.
58 AURELIUS el. an. 1072. obiit circa 1075. ſedit A. fere 3.
59 S.MILO el.an.1075. obiit 1076.
60 ROFFRIDUS el. an.1076. ob.1107. ſedit A.31. Menſ.2.Dies 20.
61 LANDULPHUS II.el.an.1108.obiit 1119. ſedit A.11.
62 ROFFRIDUS II. el. an.1119.obiit 1130. ſedit A.11.
63 GREGORIUS elect. an. 1132. obiit 1145. ſedit A. 13.
64 PETRUS II. elect. an. 1147. obiit 1156. ſedit circ.A.9.
65 HENRICUS el.an. 1157. obiit 1170. ſedit circa A.13.
66 LOMBARDUS S.R.E. primus Card. el.an.1171. obiit 1179. ſedit A.8.
67 ROGERIUS S. R. E. II. Cardinalis Monachus Caſinas el. an.1179. obiit 1221. ſedit A.42.
68 UGOLINUS DE COMITE el. ann. 1221. obiit 1254. ſedit A.33.
69 ROMANUS DE CAPOFERRIS el. an. 1254. obiit 1280. ſedit A.26.
70 JOANNES VI. Card.III. de CASTROCÆLI Monachus Caſinas elect. an. 1282. obiit 1295. ſedit A.13.
71 JOANNES VII. DE CAPUA el. an. 1295. translatus Capuam 1300. ſedit A.5.
72 ADENULPHUS elect. an. 1300. dimiſit 1302. ſedit A.2.
73 B.JACOBUS CAPOCIUS Ord.Eremit. S. Auguſtini elect. an. 1302. transl. Neapolim 1303. ſedit A. 1. Menſes 3. Dies 9.
74 FR.MONALDUS DE MONALDESCHIS Ordinis Minorum elect. ann. 1304. obiit 1331. ſedit circa A.27.
75 B. MONALDUS JUSTINOPOLITANUS Ord. Minorum elect. an.1331. Martyrio coronatur 1332. ſedit An.1.
76 FR.ARNALDUS DE BRUSACCO Ordinis Mino-

Minorum elect.an.1333. obiit 1344. ſedit A.11.
77 Fr. Guillelmus Ord. Min. elect. an. 1344. obiit 1346. ſedit A.2.
78 Stephanus Patriarcha Conſtantinopolitanus el.an. 1346. obiit 1350.ſedit A. 4.
79 Petrus III. de Pino el.an.1350. obiit 1360. ſedit A.10.
80 Fr. Guillelmus Lemovicensis Ord. Prædicatorum el. an.1360. ob.1363.
81 Fr. Hugo de Bruxeo Ordinis Prædicatorum elect.ann.1363. obiit 1365. ſedit A.2.
82 Hugo II. Guidardi el. an.1365. obiit 1383. ſed. A.18.
83 Nicolaus Zanasius elect. an. 1384. transl. eodem anno . Neapolim .
84 Franciscus Gallus el.an.1384.translat. eodem anno Burdigalam.
85 Donatus de Aquino elect. an. 1385. obiit 1426. ſedit A.41.
86 Paulus Capranica elect. ann. 1427. obiit 1429. ſedit A.2.M.6.D.15.
87 Gaspar Columna el. an. 1430. obiit 1435. ſedit A.5.M.5.D.29.
88 *ASTORGIUS* Card.IV.Agnesius el. an.1436.obiit 1451.ſedit A.15. M.7. D. 19.
89 Jacobus II. de Ratta elect. an. 1451. depoſitus 1460. ſedit A.9.
90 Alexius de Cæsareis elect.an.1460. obiit 1464. ſedit A.circa 4.
91 Nicolaus II. Piccolomineus elect. an.1464. obiit 1467. ſedit A.circa 3.
92 Conradus Capycius elect. an. 1469. obiit 1482. ſedit A.13.
93 Leonardus Griphus elect. an. 1482. obiit 1485. ſedit A.3.
94 *LAURENTIUS* Card. V. Cybo el. an.1486. obiit 1502. ſedit A. 16. M. 10. D.15.
95 *LUDOVICUS* Cardin. VI. Podochaterius el. an. 1503. obiit eod. anno, ſedit M.6.D.5.
96 *GALEOTTUS* Cardin. VII. Franciottus elect. an. 1504. obiit 1508. ſedit A.4.D.11.
97 *SIXTUS* Card. VIII. Gararoboreus elect. an. 1508. dimiſit 1514. ſedit A. 5. M. 5. D. 21.
98 *ALEXANDER* Cardin. IX. Farnesius, PAULUS deinde PP.III. elect. an.1514. reſignavit cum regr. 1521. ſedit A.7.M.1. D.2.
99 Alphonsus Sfortia elect. an. 1521. *per ejus obitum rediit* Farnesius .
100 Franciscus II. Roboreus el.an.1530. abdicavit 1544. ſedit A.14.D.19.
101 Joannes VIII. Casa elect. an. 1544. obiit 1556. ſedit A.11.M.7.D.7.
102 *ALEXANDER II.* Cardinalis X. Farnesius elect. ann. 1556. reſignavit 1560. ſedit A.3.M.1.D.25.
103 *JACOBUS III.* Card. XI. Sabellus elect.an.1560. reſignavit 1574.ſedit A.14. M.3..D.27.
104 Maximilianus Palumbaria el. ann. 1574.ob.1607.ſedit A.32.M.7.D.28.
105 *POMPEJUS* Card.XII. Arigonius elect. an.1607. obiit 1616.ſedit A.8. M.11. D.24.
106 Alexander III. de Sangro Patriarcha Alexandrinus elect. ann. 1616. obiit 1633. ſedit A.16.M.9.D.15.
107 *AUGUSTINUS* Card.XIII.Oregius elect.an.1633. obiit 1635. ſedit A.1. M.7.D.25. *Vacat Sedes Ann.6. M.6.* D. 1.
108 *FR.VINCENTIUS II.* Card.XIV. Maculanus Ordinis Prædicatorum elect. an. 1642. dimiſiit 1643. ſedit A.1.M.4 D.5.
109 Joannes Baptista Foppa elect. ann. 1643. obiit 1673. ſedit A.30.M.7.
110 Joseph de Bononia el. 1674. dimiſit 1680. ſedit A.5. M.11. D. 7. Deinde ann.1691. Capuam . Vivit hoc anno 1695.
111 *HIERONYMUS* Card. XV. Gastaldus elect.1680. obiit 1685. ſedit A.5. M.1. D.19.
112 *FR.VINCENTIUS MARIA* Cardin.XVI.Ursinus, Ordinis Prædicatorum, electus 1686. Vivit, & hoc anno 1724. die 29. Maii creatus Pontifex Maximus , ſub nomine BENEDICTI XIII., univerſam regit Eccleſiam , nec tamen Beneventanam dimiſit: *VIVAT DEO* .

113 Sinibaldus da Auria Tituli S. R. Presbiter Cardinalis sedit obiit vita functo Benedicto XIII ob impedimenta canonica novo: gata Coadiutoria Nicolai Cardinalis Coscia subrogatus fuit Sinibaldus de quo mentio

114 Seraphinus S. R. E. tit. Presbiter Cardinalis Cincius sedit obiit

115 Franciscus S. R. E. tituli Presbiter Cardinalis Landus sedit dimisit obiit [illegible]

116 Franciscus Pacca sedit obiit 15 Julii 1763

117

ELEN-

ELENCHUS

CONCILIORUM,

Quæ in hoc Synodico continentur, tum ab ipſis Pontificibus Beneventi celebratorum, tum a propriis Metropolitis, quorum Acta hactenus ſunt comperta.

Concilia I. Generis.

I. A Nicolao II. celebratum anno 1059. Uldarico VI. Archiepiſcopo pag. 1.

II. A Victore III. celebratum anno 1087. Roffrido IX. Archiepiſcopo pag. 3.

III. Ab Urbano II. celebratum anno 1091. eodem Roffrido Archiepiſcopo pag. 6.

IV. A Paſchali II. celebratum anno 1108. Landulpho II. Archiepiſcopo pag. 9.

V. Ab eodem Paſchali celebratum 1113. eod. Landulpho Archiepiſc. pag. 11.

VI. Ab eodem Paſchali celebratum anno 1117. eod. Landulpho Archiepiſc. pag. 12.

Concilia II. Generis.

I. Ab Uldarico VI. Archiepiſcopo celebratum anno 1061. pag. 13.

II. Ab eodem Uldarico celebratum anno 1062. pag. 15.

III. A S. Milone VIII. Archiepiſcopo celebratum anno 1075. pag. 19.

IV. A Landulpho II. Archiepiſcopo X. celebratum anno 1119. pag. 28.

V. A Fr. Monaldo Monaldeſco Ord. Min. XXIII. Archiep. celebr. ann. 1331. p. 28.

VI. Ab Hugone II. Guidardo XXXI. Archiepiſcopo celebr. ann. 1374. pag. 66.

VII. Ab eodem Hugone celebr. anno 1378. pag. 245.

VIII. A Corrado Capycio XLI. Archiepiſcopo celebratum anno 1470. pag. 260.

IX. A Joanne VIII. Caſa L. Archiepiſcopo celebrat. ann. 1545. pag. 264.

X. A Jacobo III. Card. Sabello LII. Archiepiſcopo celebrat. ann. 1567. pag. 272.

XI. Ab eodem Jacobo Card. Archiepiſcopo celebrat. ann. 1571. pag. 324.

XII. A Maximiliano de Palumbaria LIII. Archiep. celebr. ann. 1599. pag. 333.

XIII. A Joanne Baptiſta Foppa LVIII. Archiepiſcopo celebr. ann. 1656. pag. 397.

XIV. A Fr. Vincentio Maria Ord. Præd. Cardin. Urſino LXI. Archiepiſc. celebrat. anno 1693. pag. 514.

XV. Ab eodem Fr. Vincentio Maria celebr. anno 1698. pag. 604.

REIM-

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Baccarius Epiſc. Bojanenſis Vicesgerens.

REIMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

CONCILIA BENEVENTANA,

Quibus Romani Pontifices præſedere.

NICOLAUS II. PONTIFEX MAXIMUS.

Nicolaus II. ante Gerardus dictus, natione Allobrox, Florentinus Epiſcopus, Romam a Godefrido Marchione ductus, pulſo invaſore Benedicto, menſe Januario ann. MLIX. conſecratus eſt. Sedit annos II. menſes VI. uſque ad diem III. Julii, vel, ut alii malunt, ad diem VI. Obiit Kal. Auguſti ann. MLXI. imperante Conſtantino Duca, regnantibus in Germania Henrico IV. in Gallia Philippo I. Henrici I. filio. Habuit Beneventi Concilium ann. Chriſti MLIX. in quo avulſum Monaſteriolum S. Mariæ in Caſtanieto a principali Monaſterio S. Vincentii de Vulturno, eidem Monaſterio reintegratur, pœnaque anathematis in perturbatores decernitur, Beneventanam Provinciam moderante eodem ann. MLIX. Uldarico, ſive Vualderico Archiepiſcopo VI. qui electus eſt A.D.MLIII. Obiit A.D. MLXXI. cum ſediſſet ann. XVIII.

CONCILIUM PRIMUM,

Beneventi habitum a Nicolao II. P.P.

Anno Christi 1059.

In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Anno Dominicæ Incarnationis MLIX. Menſe Auguſto initiante, Indict. 12. currente, Domino quoque Venerabili, ac Reverendiſſimo Papa Nicolao II. in ſacroſancta Beati Apoſtolorum Principis Petri Sede, Anno I. Pontificatus ſui, præſidente.

Acta Concilii.

I. CUm prædictus Dominus Nicolaus Papa apud Beneventum extra ipſam Civitatem, intra Eccleſiam S. Petri [a] juxta fluvium Sabbati Synodum celebraret, & cum eo nonnulli Arhiepiſcoporum, Abbatum, Monachorum, ac totius Eccleſiaſtici Ordinis, atque Laicalis non pauca multitudo reſideret.

Nomina eorum, qui Concilio interfuere.

In primis Dominus Humbertus, [b] Bonifacius, [c] Joannes [d] Cardinales Epiſcopi, Deſiderius Abbas, & Presbyter, Ildebrandus [e] Subdiaconus Cardinales, Uldaricus Beneventanus, Petrus Amalphitanus, Alphanus Salernitanus, Sergius Neapolitanus, Joannes Surrentinus Archiepiſcopi; Hieronymus, Albertus, aliique quamplurimi Epiſcopi; Landulphus Beneventanus Princeps, Robertus, Petrus, Gerardus Comites, & alii quamplures.

II. Aſſurgens Joannes Monaſterii (*Sancti Vincentii ſuper Vulturni fluminis fonte ſiti*) Abbas, conqueſtus eſt ſuper Albertum Monachum, dicens: Obſecro, Domini, miſericordiam veſtram, & omnium, qui huic Sanctæ Synodo interſunt, ut faciatis mihi juſtitiam de Alberto Monacho, qui cellam [f] S. Vincentii, S. Mariæ in Caſtanieto Monaſterio noſtro ſubripuit, ibique ſibi nomen, & ſpecimen officii Abbatis uſurpatum, & in præſentia Papæ Leonis [g] refutatum, ac ſub interpoſitione perpetua Anathematis contradictum; teſtantibus Venerabilibus Viris Humberto Cardinali, Petro Amalphitano, Uldarico Beneventano Archiepiſcopis; nunc iterum temerario auſu uſurpavit, & ipſam cellam jam dicto Monaſterio violenter contendit.

Querela Abbatis S.Vincentii de Vulturno adverſus Albertum Monachum uſurpatorem cellæ S. Mariæ de Caſtanieto.

III. Ipſo verò Abbate aſſurgente, & ſe per Comitem, [h] cujus conceſſione hoc egerat, defendere nitente, dum *multa* * pars juſtitiæ ſibi faveret, litteris diſtinctionis, & conſtitutionis ſæpe dicti (Imperii dicendi) Domini Papæ Leonis recitatis, & ſacro ſigillo munitis, atque teſtimonio prædictorum Vene-

Alberti Monachi defenſio nulla, & inanis.

Forraſſe legi debet * *tota*.

Condemnatio Synodalis Alberti Monachi. Privatur nomine, & officio Abbatis male arrepto.

nerabilium Archiepiſcoporum confirmatis, judicio totius Synodi eſt diffinitum, præfatum Albertum debere nomine, & officio male arrepto privari, & Monaſterium Beati Vincentii perpetualiter inveſtiri de jam dicta cella, omnibuſque ſuis pertinentiis, quod & factum eſt. Ipſe namque Albertus Monachus dictus Abbas, nomen, & officium Abbatis, atque cellam per virgam [i] in manu Papæ refutavit. [k] Et quia erat Anathematicus [l] ab omni Altaris miniſterio depoſitus, in poteſtate Abbatis eſt ad regulandum, & corrigendum datus.

Traditur corrigendus in poteſtatem Abbatis.

Condemnatio Roffredi Comitis, ſibi cellæ jus vindicantis.

IV. Roffredus Comes, dum vellet ſibi jus ſupradictæ cellæ vendicare, relatis litteris Domini Papæ Leonis anno .... Nuntiorum Imperatoris Otthonis teſtimon..... prædictorum Archiepiſcoporum, Humberti videlicet, Petri, atque Uldarici convictus, necnon & Anathematis [m] mille aureorum nummulorum adjudicatus, præfatam cellam in manu Papæ refutavit, ſeque, ſuoſque hæredes, quòd per ea nunquam contra Monaſterium Beati Vincentii aliquo modo agerent, perpetualiter ſupra prædicta pœna obligavit.

Inveſtitur eadem S. Mariæ cella Jo: S. Vincentii de Vulturno Abbas.

V. His itaque geſtis Reverendiſs. Papa Joannem Abbatem S. Vincentii ex eadem Sanctæ Mariæ cella in perpetuum inveſtivit, omnes hujus inveſtitionis, aut conſtitutionis violatores cum prænominata pœna perpetuo Anathemate [n] obligavit: quod, ut verius videatur, huic paginæ manu propria ſubſcripſit, ſuaBulla inſigniri juſſit.

Violatores in poſterum perpetuo Anathemate innodantur.

Ego Nicolaus Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis Præſul confirmavi.

Ego Humbertus dictus Epiſcopus S. Eccleſiæ Silvæ Candidæ interfui, & ſubſcripſi.

Ego Alphanus gratia Dei Salernitanus Archiepiſcopus interfui, & ſubſcripſi.

Sergius Archiepiſcop. Neapolitanus.

Ego Jo. Archiepiſcopus Surrentinus.

Ego Bonifacius dictus Epiſcopus S. Eccleſiæ Albanenſis interfui.

Ego Waldericus Dei gratia Beneventanus Archiepiſcopus interfui.

Ego Petrus gratia Dei Amalphitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus interfui.

NOTÆ.

Hoc Concilium deſumptum eſt ex corpore Concil. General. Philippi Labbei tom. IX. pag. 1105. & Ughell. tom. VIII. col. 121. ex Chronico Sancti Vincentii de Vulturno.

Eccleſia S. Petri extra Portam Rufinam, olim Monialium Aſceterium.

a. S. Petri) *Hæc Eccleſia eſt extra portam Rufinam Civitatis Beneventanæ, olim Monaſterii Monialium Ordinis S. Benedicti, nunc diruta.*

Humberti Cardinalis Silvæ Candidæ laudes.

b. Humbertus) *Cardinalis Silvæ Candidæ, vir inſignis, & Hebraicæ, Græcæ, Latinæque linguæ doctiſſimus, cujus opera in arduis, difficillimiſque negociis Romani Pontifices uſi fuere.*

c. Bonifacius) *de Comitibus Cardinalis Albanenſis.*

d. Joannes) *Cardinalis Portuenſis.*

De hiſce Cardinalibus vide Ciacconium Editione noviſſima cum Oldoino.

Ildebrandus hic idem, qui poſtea Gregorius VII.

e. Ildebrandus) *Cardinalis, iſte reperitur ſubſcriptus in diplomate Victoris II. anno 1055. ut ex Ughell. in Epiſcopis Ferrarien. tom. 2. col. 567. Pro certo habeo Ildebrandum hunc fuiſſe illum, qui poſtea in Pontificem aſſumptus, Gregorii VII. nomen accepit, & inclytus in Eccleſiæ regimine evaſit. Vide Chronica Caſſinen. Monaſterii num. 185.*

Cella idem eſt, ac Monaſteriolum.

f. Cella) *In hac voce eruditiſſimus Du-Gange notat in ſuo magno gloſſario, quod crebro pro Monaſteriolis, ſeu, ut olim vocabant, Abbatiolis, vel Obedientiis, quæ majoribus ſuberant, uſurpabatur: nam cum Monachi prædia variis in pagis poſſiderent, eo aliquot e ſuis mittebant, qui & fruges colligerent, procurarent reditus, & ad Monaſterium deferrent. Plura exempla apud eumdem Auctorem legi poſſunt.*

g. Papæ Leonis) *ſcilicet IX. qui Beneventi præſens fuit die prima Julii anno 1053. ut ex data Pontificii Privilegii conceſſi Epiſcopis Aſculanis, relati ab Ughell. tom. I. pag. 504. ibidem ex alio Privilegio inter Beneventanos Archiepiſcopos relato ab eodem Ughell. tom. VIII. ſub dat. 12. Julii. Anno 1054. pag. 120.*

Comes quandoque idem, quod Eccleſiæ advocatus. Virga idem, quod Baculus Paſtoralis. Refutare idem quod dimittere. Anathematicus idē, quod Anathemate innodatus. Anathema quid hic ſignificet primo, quid ſecundo loco.

h. Comitem) *Hoc nomine quandoque Eccleſiarum Advocati appellabantur.*

i. Virgam) *Ideſt Baculum Paſtoralem. Vide Chriſtianum Lupum part. 3. Synodorum generalium, differt. 4. de laica Antiſtitum auctoritate, ac Bail in notis poſt Canones Concilii primi Lateranenſis.*

k. Refutavit) *ſcilicet dimiſit.*

l. Anathematicus) *ſcilicet Anathematizatus, ideſt a fidelium communione ſejunctus, & a ſacrorum ordinum adminiſtratione ſuſpenſus.*

m. Anathematis) *Vox hoc loco pro pœna accipienda.*

n. Perpetuo Anathemate) *Hic eadem vox accipienda eſt pro perpetua ſegregatione a Fidelium communione, & pro inhibitione ab ingreſſu Eccleſiæ.*

VI.

VICTOR III. PONTIFEX MAXIMUS.

Victor III. Beneventanus, Deſiderius antea dictus, ex Abbate Caſſinenſi Romanus Pontifex electus eſt invitus die Pentecoſtes XXIV. Maji ann. MLXXXVI. tum Capuæ ann. ſequenti die XXI. Martii Dominica Palmarum electione firmata, poſt ſeptem fere menſes obiit die XVI. Septembris in Caſſinenſi Cœnobio, in ipſa Capituli abſide ſepultus. In Epitaphio apud Leonem Oſtienſem dicitur deceſſiſſe bis ſex luſtra gerens, & a conſecratione

Quatuor, & ſemis vix menſibus inde peractis;

nimirum ab eo tempore numerat, quo aſſiſtentibus plurimis, Eccleſiaſtico ritu conſecratus, & in Apoſtolica Sede locatus eſt die IX. Maji.

Concilium Beneventi celebravit A. D. MLXXXVII. quo Guibertus Antipapa cum ſuis adhærentibus Epiſcopis ſchiſmaticis excommunicatus eſt, Eccleſiam Beneventanam regente Roffrido ex Sereniſs. Longobardorum Principibus Archiepiſcopo IX. qui electus A. D. MLXXVI. obiit A. D. MCVII. cum ſediſſet ann. XXXI. menſes duos, & dies viginti.

CONCILIUM SECUNDUM,

Beneventi habitum à Victore III. P.P.

PRÆFATIO.

1 HUjus Concilii acta laudatus Labbe *tom. X. Conciliorum*, *pag.* 418. ſe deſumpſiſſe fatetur ex Leone Oſtienſe *lib.3. cap.71.* At cum claræ memoriæ Angelus de Nuce Confrater noſter, olim Archiepiſcopus Roſſanenſis, Leonis Oſtienſis hiſtoriam, ſub titulo, *Chronica Sacri Monaſterii Caſſinenſis*, ediderit, illamque eruditis notis illuſtraverit: cumque Nos facta collatione cum relatis a Labbe, multa inter ſe diſcrepantia invenerimus, cenſuimus propterea potius ab eodem Archiepiſcopo allata referre, quàm illa Labbei; quoniam putavimus, puriorem aquam a proximiori, quàm remotiori fonte bibere, cum idem Angelus fuerit Caſſinenſis Abbas, & in incly̆ta Caſſinenſi Bibliotheca, antiquorum manuſcriptorum Codicum refertiſſima, admodum verſatus; propterea emendatiori Codice Angelum fuiſſe uſum, exiſtimamus. Ulterius iſte ſacris in hiſtoriis etiam valdè erat inſtructus, ut ipſius ſcripta, & colloquia nobiſcum habita demonſtrant, atque demonſtrarunt; En quæ laudatus Angelus *cap.72. & 73. lib.3. Chronicorum* refert.

Angeli de Nuce Archiepiſc. Roſſanenſis laudes.

2 Præfatus autem Victor Papa III. Urbe egrediens venit ad hoc Monaſterium, ſociatiſque ſibi Epiſcopis, & Cardinalibus Eccleſiam S. Nicolai in Pica ſolemniter dedicavit.

Anno Chriſti 1087.

Eccleſiæ S. Nicolai de Pica dedicatio.

3 Menſe autem Auguſto Synodum celebrare cum Epiſcopis Apuliæ, & Calabriæ, necnon Principatuum ſtatuens, Beneventum perrexit, in qua videlicet idem Apoſtolicus Præſidens ait.

CAPUT I.

De Guiberti Antipapæ ſceleribus, ejuſque iterata damnatione.

1 NOvit dilectio veſtra, cariſſimi fratres, & Coëpiſcopi, omni etiam orbi non latuit, Sancta Romana, & Apoſtolica Sedes, cui, Deo Auctore deſervio, quot adverſa pertulerit, quot denique per ſimoniacæ hæreſeos trapezitas malleis, crebriſque tunſionibus ſubjacuerit, adeo ut columna Dei viventis videretur pene concuſſa nutare, & ſagena Summi Piſcatoris, procellis intumeſcentibus, cogeretur in naufragii profunda ſubmergi. Guibertus enim hæreſiarcha, qui vivente ſan.mem. Prædeceſſore meo Papa Gregorio Romanam invaſit Eccleſiam, Præcurſor Antichriſti, ac Signifer Sathanæ effectus, non ceſſat oves Chriſti conculcare, occidere, & dilaniare.

Simoniacæ hæreſeos trapezitæ columnā Dei viventis pene concutiunt.

Guiberto Antipapæ, Romanam Eccleſiā invadenti hæreſiarchæ nomen inuritur.

Idem appellatur Præcurſor Antichriſti, ac Sathanæ ſignifer.

2. Irri-

Gregorium Papam urbe fugat, & contra eum Imperatorem acceſſit.

2 Irritator enim, Perſecutor, Exaggerator, & Accenſor injuriarum Papæ Gregorii factus, quantas calamitates, quantas tribulationes, & quantas perſecutiones ei intulerit, referre quis valeat? Conſpirationes, & conjurationes adverſus eum excitavit, Urbe fugavit, Sacerdotio perjurus, ac ſimoniacus, quantum ad ſe fuit, privavit, atque contra eum Romanum Imperium, gentes, & Regna commovit, &, quod a ſæculo non eſt auditum, ipſe excommunicatus, & damnatus eumdem Sanctum Pontificem excommunicare præſumpſit, & Romanam Urbem hactenus ſacrilegiis, homicidiis, perjuriis, conſpirationibus, flagitiis, & omnibus vitiorum, & criminum ludibriis deturpare non deſiſtit, & Simonis Magi munitus perfidia, ipſiuſque officina factus, nequitiarum ſuarum complices ad tam impiiſſimum, & execrabile facinus evocans, Imperatoriſque exercitum congregans, Apoſtolicæ Sedis invaſor eſt factus contra præcepta Evangelica, contra Prophetarum, & Apoſtolorum decreta, contra Canonum, & Romanorum Pontificum jura, nullo Cardinalium, Epiſcoporum præcedente judicio, nullo Romani Cleri approbante ſuffragio, nullo devoti Populi fervore adhibito, in Sancta Romana Eccleſia omnis malitiæ, nequitiæ, & perditionis Caput factus eſt.

Auſus eſt eumdem S. Pontificem excommunicare, quod a ſæculo non eſt auditum.

3 Sed Omnipotentis Dei clementia prædictum Gregorium Pontificem poſt labores, & certamina ad æternam requiem evocante, cum jam unanimi concordia Epiſcoporum, & Cardinalium, & Comprovincialium Epiſcoporum, & Cleri, ac Populi Romani noſtram parvitatem omnibus modis contradicentem, & renitentem Apoſtolicæ Sedi præfeciſſent, non timens æterni Imperatoris judicium, uſque nunc Chriſtum, & oves, pro quibus ſuum ſanguinem fudit, perſequi non omiſit; Iccirco auctoritate Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum omni Sacerdotali officio, honore privamus, & a liminibus illum Eccleſiæ ſeparantes Anathematis vinculo innodamus.

Guibertus Antipapa privatur omni Sacerdotali officio, & honore, atque Anathemate innodatur.

CAPUT II.

De recentibus Schiſmaticis vitandis, & præcipue de Ugone Lugdunenſe Archiepiſcop. & Richardo Maſſilienſi Abbate.

Ugonis Archiepiſcopi Lugdunenſis, & Richardi Maſſilienſis Abbatis ambitio latens prius, in ſcenam deinde, perſona depoſita, aperte proſiliens.

NOſtis præterea, & bene noſtis, quantos dolos, quantaſque perſecutiones mihi intulerint Ugo Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Richardus Maſſilienſis Abbas, qui pro faſtu, & ambitione Sedis Apoſtolicæ, quam hactenus latenter habuerant, poſtquam ſe non poſſe adipiſci perviderunt, in Sancta Eccleſia Schiſmatici facti ſunt, & Richardus quidem electionem noſtram Romæ cum Epiſcopis, & Cardinalibus fecerat. Ugo autem poſt modicum ad nos veniens, pedum effuſus veſtigiis, dum obſequium nobis Summi Pontificis invitis, ac retractantibus exhiberet, Legationem a Nobis in partibus Galliarum poſtulaverat, & acceperat: quod itaque parvitatis noſtræ infirmitatem factæ, & collaudatæ a ſeipſis electioni conſpexerant repugnare, omnibus ipſi Nobis modis inſiſtebant, ne onus abjicerem, pro Eccleſiæ neceſſitate impoſitum. Sed ubi nos ad id deflexos contemplati ſunt, conceptam diu ambitionis flammam clibanus exturatus evomit. Quapropter omnium ſibi Fratrum videntes unanimitatem pertinacius in eo ſcandalorum ſcelere reluctari, ab eorum, & noſtra continuo ſunt communione ſejuncti. Unde vobis Apoſtolica auctoritate præcipimus, ut ab eis abſtinere curetis, nec illis omnino communicetis, quia Romanæ Eccleſiæ communione ſua ſponte ſejuncti ſunt; quoniam, ut Beatus ſcribit Ambroſius, qui ſe a Romana Eccleſia ſegregat, vere eſt hæreticus æſtimandus.

Qui ſe a Romana Eccleſia ſegregat, vere eſt hæreticus æſtimandus.

CAP. III.

DE INVESTITURIS.

Can. I. *Ne Epiſcopatus, vel Abbatia de manu Laicorum ſuſcipiatur.*

1 COnſtituimus etiam, ut ſi quis deinceps Epiſcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos, vel Abbates habeatur, nec ulla ei Epiſcopo, ſeu Abbati audientia concedatur.

Neque pro Epiſcopis, neque pro Abbatibus habendi, Epiſcopatum, vel Abbatiam de laicorum manu ſuſcipientes.

2 Inſuper ei gratiam Beati Petri, & introitum Eccleſiæ interdicimus, quouſque locum, quem ſub crimine, tam ambitionis, quam inobedientiæ, quod eſt ſcelus idololatriæ, cepit, reſipiſcendo non deſerit. Similiter etiam de inferioribus Eccleſiaſticis Dignitatibus conſtituimus.

Excommunicantur ſic inveſtiti, & introitu Eccleſiæ interdicuntur.

Idem de inferioribus dignitatibus decernitur.

Can. II. *Imperator, Rex, aut quivis ſæcularis poteſtatis Epiſcopatuum inveſtituras ne deferant.*

3 Item ſi quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſæcularium poteſtatum,

Extenditur conſtitutio ad Imperatores, Reges, Duces, &c. & ſæculares pote-

teſtates. inveſtituram Eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumentes.

tum, aut perſonarum Inveſtituram Epiſcopatuum, vel alicujus Eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumpſerit, ejuſdem ſententiæ vinculo ſe aſtrictum eſſe ſciat; nec mirum, cum omnes vendentes, & ementes, trecenti decem & octo Patres in Nicæno Concilio congregati excommunicaverint, dicentes, & qui dat, & qui recipit Anathema ſit. Quando ergo tales Epiſcopos, vel Abbates, vel reliquos Clericos non devitatis, ſi eorum Miſſas auditis, vel cum eis oratis, cum illis excommunicationem ſubitis. Quos quidem Sacerdotes eſſe, ſaltem credere, omnino errare eſt.

Sacerdotes inveſtituram Eccleſiaſticæ dignitatis de laicorum manu ſuſcipiẽtes ne ſacerdotes quidem habendi.

Can. III. *Communio nonniſi a Presbytero Catholico ſuſcipiatur.*

4 Pœnitentia vero, & Communio a nullo, niſi a Catholico ſuſcipiatur; ſi vero nullus Sacerdos Catholicus affuerit, rectius eſt ſine communione manere viſibili, & inviſibiliter a Domino communicari, quam ab hæretico communicari, & a Deo ſeparari; nulla etenim converſio Chriſti ad Belial (ait Apoſtolus) neque pars fideli cum infideli: omnis autem hæreticus, ideo infidelis: Simoniacus vero, quia hæreticus, ideo infidelis; ſacram enim communionem Chriſti, quamvis viſibiliter, & corporaliter Catholici propter imminentes hæreticos habere non poſſint; tamen dum mente, & corpore Chriſto conjuncti ſunt, ſacram Chriſti communionem * *viſibiliter* habent.

Separatur a Deo qui communicatur ab Hæretico.

Omnis hæreticus infidelis eſt.

legi debet * *inviſibiliter*.

5 Hæc igitur, dum cunctorum Epiſcoporum in eodem Concilio reſidentium auctoritate confirmata fuiſſent, facientes exemplaria per Orientem, & Occidentem diſſeminaverunt.

CAP. IV.

De diſceſſu Pontificis, illius actis in Caſſino, infirmitate, & obitu.

1 IN eodem vero Concilio idem Pontifex graviter infirmatus, poſt actum per tres dies Concilium, feſtinanter Caſſinum rediit, atque cum Epiſcopis, & Cardinalibus ad hoc Monaſterium aſcendens in Capitulum Fratrum ſe ferri præcepit, & ſub diſtrictiſſimo Anathemate interdixit, ne quis ſucceſſorum ſuorum auderet vendere, vel alienare Terraticum, Eccleſias, Villas, vel quaſcumque poſſeſſiones huic Caſſinenſi Cœnobio pertinentes.

Anathema contra alienantes bona Monaſterii Caſſinenſis.

2 Simili modo interdixit, ne quis Monachorum auderet facere chartam, vel libellum abſque ſcientia Abbatis; quod ſi feciſſet, irritum eſſet.

Caſſinenſibus Monachis vetita chartæ, aut libellorum cõfectio abſque Abbatis ſcientia.

3 Conſtituit etiam tunc, ut omnia Monaſteria, quæ ſub ditione hujus noſtri Caſſinenſis Cœnobii ſunt, prandium per unumquemque annum huic noſtræ Congregationi faciant.

Omnia Monaſteria Caſſinenſi Cœnobio ſubdita ſingulis annis prandium facere Caſſinenſi Congregationi jubentur.

4 Hoc ſtatuto omnium Monachorum unanimi conſenſu, præfatis Epiſcopis in eodem Capitulo reſidentibus, atque confirmantibus, Domnum Oderiſium Religioſum valde virum, & Romanum Diaconum, qui tunc hoc in noſtro Monaſterio Præpoſituræ fungebatur officio, Abbatem conſtituit.

Electio Oderiſii in Abbatem Monaſterii Caſſinenſis.

5 Poſt hæc convocatis eiſdem Epiſcopis, atque Cardinalibus, monuit, atque præcepit, ut juxta quod Prædeceſſor ſuus Papa Gregorius jamdudum decreverat, Othonem Oſtienſem Epiſcopum in Papam eligere, quanto poſſent citius, perſtuderent: eumque, quia præſens erat, manu apprehendens, ceteris Epiſcopis tradidit, dicens: Accipite eum, & in Romanam Eccleſiam ordinate, meamque vicem in omnibus, quouſque id facere poſſitis, habete.

Monitio de electione ſucceſſoris.

6 His ita diſpoſitis, atque decretis, ſepulcrum ſibi conſtrui in abſide ipſius Capituli juſſit, atque poſt diem tertium feliciter migravit ad Dominum ſextodecimo Kalendas Octobris, Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo octogeſimo ſeptimo.

Obitus D. Victoris Papæ III.

NOTÆ.

An Sacerdotes, & Epiſcopi ſchiſmatici, & excommunicati ſint vere Sacerdotes?

Occaſione narrationis hujus Concilii citatus Angelus de Nuce admodum eruditam edidit quæſtionem; Utrum Sacerdotes, & Epiſcopi Schiſmatici, Simoniaci, & excommunicati ſint vere Sacerdotes, ad quem curioſum Lectorem ablegamus.

* * *
* *
*

URBA-

URBANUS II. PONTIFEX MAXIMUS.

Vrbanus II. Gallus, Caſtellione ortus ad Matronam fluvium, Odo, ſeu Otto, de Lageriaco antea dictus, Oſtienſis Epiſcopus, cum poſt mortem Victoris III. Romana Sedes menſes V. dies XVI. Paſtore viduata fuiſſet, electus eſt die XII. Martii, Anni MLXXXVIII. ſedit Annos XI. Menſes IV. dies XVIII. obiitque die XXIX. Julii Anni MXCIX. Hic, habito Beneventi Concilio Anno Domini MXCI. Guibertum Antipapam, omneſque illius complices in eo excommunicavit, adhuc ſedente in Beneventana Sede ante dicto Epiſcopo Roffrido, qui hoc anno in ſuo Epiſcopio præfatum Vrbanum Papam II. excepit.

CONCILIUM TERTIUM,

Anno Chriſti 1091.

Beneventi habitum ab Urbano II. P.P.

Bertholdus Conſtantienſis de hac Synodo Anno 1091. iſta ſcribit.

Confirmatio excommunicationis in Guibertum Antipapam latæ.

I. VRbanus Papa generalem Synodum Beneventi collegit, & ſententiam Anathematis ſuper Guibertum Hæreſiarcham, & omnes ejus complices Synodali judicio confirmavit.

Petro Abbati Cavenſi conceditur uſus mitræ.

II. In hoc Concilio, auctore Baronio, factum putamus, quod de Urbano Papa, Petro Cavenſi Abbati alumno Monaſterii Cluniacenſis Mitræ uſum tribuente in actis vitæ ipſius deſcribitur apud Surium his verbis: *in Synodo ei more ſuo capite nudo reſidenti S.M.Papa Vrbanus Pontificalem infulam miſit* (nempe Mitram) *quam utique vir Domini, & pro Summi Pontificis reverentia venerabiliter recepit, & officioſiſſime ſalutavit; & tamen ejuſdem Sacerdotalis Mitræ uſum, etiam rogante Papa, contempſit. Quod non ob aliud feciſſe creditur, niſi, ut quorumdam arrogantiam humilitatis exemplo condemnaret, qui dum ſe inaniter extollunt, indebitos ſibi Sanctæ Eccleſiæ honores non metuunt uſurpare.* Hæc de his ibi. Nec quidquam licuit præterea de eadem Synodo reperire.

Mitram is officioſiſſime excepit, at nunquam ad uſum redegit.

Additio Philippi Labbe S.I.

Roma ad nos tranſmiſſi ſunt ex veteri M.S.Codice exarati Canones Synodi Beneventanæ cùm præfatiuncula in hæc verba, quibuſdam mendis deformata.

** Anno Dominicæ Incarnationis 1091. Indictione 14.5. Kalend. Aprilis celebrata Synodus Beneventi, præſidente Domino Papa Urbano, præſentibus Epiſcopis, & Abbatibus, quorum numerus facilè numerari non potuit. Secundo igitur die hoc Capitulum editum eſt.

Can. I. *Epiſcopus ne eligatur, niſi in Sacris Ordinibus conſtitutus.*

[a] 1 Nullus deinceps in Epiſcopum eligatur, niſi, qui in ſacris ordinibus religioſe vivens inventus eſt. Sacros autem ordines dicimus Diaconatum, & Presbyteratum. Hos ſiquidem ſolos primitiva lege Eccleſia .... ſuper igitur præceptum his ſolis habemus Apoſtoli...... Subdiaconus verò, quia & ipſi Altaribus adminiſtrant, opportunitate exigente, concedimus; ſed rariſſime; ſi tamen ſpectatæ ſint religionis, & ſcientiæ. Quod & ipſum ſine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia non fiat.

Diaconatus duntaxat, & presbyteratus inter ſacros ordines hic recenſentur.

Subdiaconis rariſſime, & non niſi opportunitate exigente conceditur, ut in Epiſcopos eligantur.

Can. II. *Capellani ne admittantur in Eccleſiis contra ſtatutum numerum.*

[b] 2 Capellanos, qui contra ſtatutum numerum in Eccleſiis ſine conſenſu ſui Epiſcopi militaverint, & a Laicis decimas ſine intermiſſione Epiſcoporum obtinuerint, nos Sancti Spiritus judicio, Sanctorumque Apoſtolorum auctoritate ab officio, & beneficio interdicimus. Acclamatum eſt ab univerſis, Fiat, fiat.

Ejuſmodi Capellani hic admiſſi ab officio, & beneficio interdicuntur.

Can. III. *Vt non recipiantur Clerici ſine commendatione proprii Epiſcopi.*

[c] 3 Nullus omnino Epiſcopus Tranſalpinum, vel Tranſmarinum, vel quemlibet alienum Clericum, ſine formata Epiſtola, & commendatione ſui Epi-

Epiſcopo alienum Clericum recipienti, aut ordinare præſumenti ſine commendatione proprii Epiſcopi, periculum gradus ſui indicitur.

Epiſcopi recipere, aut in ſua Eccleſia eum ordinare præſumat. Quod qui præſumpſerit, ut Canonum contemptor, periculum ſentiat gradus ſui.

Præceptum eſt etiam in eiſdem Synodis die ultima.

Can. IV. *Carnes poſt diem Cineris ne edantur, omneſque Cineres ſupra caput accipiant.*

Dies cineris, & cilicii caput jejunii dicitur.

[*d*] 4 Nullus omnino Laicus poſt diem Cineris, & Cilicii, qui caput jejunii dicitur, carnibus veſci audeat. Omnes tam Clerici, quam Laici, tam Viri, quam Mulieres die illo cinerem ſupra capita ſua accipiant.

Tempora, quibus nuptiæ prohibentur.

A die Septuageſimæ uſque in octavas Pentecoſtes, vel a die Dominici Adventus uſque in octavam Epiphaniæ Matrimonia nullo modo contrahantur.

***

N O T Æ.

Concilium hoc deſcripſit ſæpe citatus Labbe in ſua magna Conciliorum collectione Tom. X. col. 483. *ut ſupra retulimus.*

Quare Subdiaconatus inter ſacros Ordines antiquitus non connumeraretur?

a. Can. I. *Ex hoc Canone deducitur, Subdiaconatus ordinem inter ſacros connumeratum minime fuiſſe: non poterat enim Subdiaconus in Epiſcopum eligi; per hunc ergo Canonem permittitur, quod Subdiaconus rariſſime in Epiſcopum eligatur, & ſi ad illius deveniatur electionem, electio ſit de perſona ſpectatæ religionis, & ſcientiæ, ac Romani Pontificis, aut Metropolitæ accedat licentia. Ratio autem cur Subdiaconatus inter ſacros ordines eo tempore non connumeraretur, eſt: quia caſtitas inter Subdiaconos ubique introducta minime erat. Nam in Melphitano Concilio Anno præcedenti, ſcilicet* 1090. *celebrato, Can.*2. *caſtitas a Subdiaconis obſervanda decernitur. Admodum eruditam de hac a Subdiaconis ſervanda caſtitate edidit diſſertationem Chriſtianus Lupus in ſuis Synodorum, &c. part.*3. *diſſert.*1. *proœmial. cap.*3. *quem Auctorem Lector adire poterit.*

Caſtitas non ubique olim inter Subdiaconos introducta.

In Concilio Melphitano ab iis obſervada decernitur.

Cappellani vox non à Cappella deſcendit, ſed a Cappa Divi Martini.

b. Can. II. Capellanos] *Hanc Cappellani vocem nonnulli male autumant a Cappella ſuam derivare originem; nam Walafridus Strabo, qui* 9. *ſeculo floruit, aliam originem nobis demonſtrat, cap. enim* 31. *in ſuo tractatu* de rebus Eccleſiaſticis, *ſcribit. Primitus Cappellani dicti fuere a Cappa Beati Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis ſolebant ſecum habere, quam ferentes, & cuſtodientes cum ceteris ſanctorum Reliquiis Clerici, Cappellani cœperunt vocari. Ex hujus Scriptoris auctoritate deducimus, omnes illos Clericos, qui Eccleſiæ inſerviebant, ac rerum ad Sacra Miniſteria ſpectantium curam habebant, Cappellanos fuiſſe denominatos, ut hodie ſunt Miniſtri Chorales, & Sacrarii.*

Quinam Cappellani olim dicti?

Militare qua ſignificatione olim uſurpabatur apud Eccleſiaſticos Scriptores?

2 Ibidem militaverint] *Hac voce multi utuntur antiqui Scriptores pro aliquo officio defungi, ut S. Aug. de Civitate Dei cap.*6. *Ille in officio Comitis militat. Idem in appendice ſermonis de diverſ.* 3. *qui S. Maximo alias tribuitur: non enim de his militantibus Scriptura loquitur, qui armati a malitia detinentur; ſed quiſque militiæ ſuo cingulo utitur, dignitatis ſuæ miles adſcribitur. Et ep.* 76. *Militia Clericatus. Ordo vero Romanus, ſcilicet primus, ab Hittorpis editus, qui incipit:* de nunciata ſtatione *in princip. Acolythi quidem cum defenſoribus primum, deinde Preſbyteri cum ſuis petita benedictione, diviſis hinc inde partibus, prout militant, præcedunt Pontificem uſque ad Eccleſiam. Ibidem.*

Decimæ Epiſcopis tantum competunt de jure.

3 A Laicis decimas] *Ex hiſce verbis colligitur, quod Cappellani de facto decimas exigebant: nam de jure debentur Epiſcopo, qui de illis diſponit, ut paulo ante ſancitum fuerat, nempe Anno* 1063. *in Concilio Romano I. centum, & amplius Epiſcoporum, præſidente Summo Pontifice Alexandro II. ubi „ut decimæ, primitiæ, ſeu oblationes vivorum, & mortuorum reddantur a Laicis, & in diſpoſitione Epiſcoporum ſint.*

Vox *formata*, quibus rebus cõveniat, & quid proprie ſignificet Epiſtola formata?

c. Can. III. *Interdicitur in hoc Canone Italis Epiſcopis, Clericum Ultramontanum, ſive Tranſmarinum abſque proprii Epiſcopi formata epiſtola in propria Eccleſia recipere, aut ad ordines promovere. Hæc vox:* Formata: *generica eſt, & omnibus fere Eccleſiaſticis convenit epiſtolis; maxime vero commendatitiis, & dimiſſoriis, & aliis hujuſmodi generis. Si autem ejuſdem vocis vim perpendere velimus, trutinam hanc nobis ſuggerit Philippus Priorius in ſua diſſertat. de litteris Canonicis n.* 17. *& ſeqq. ubi aſſerit a nonnullis epiſtolam formatam accipi pro Sigillo munitam, idque ex Canone* 23. *Concilii Carthaginienſis, ſcilicet: Epiſcopi pariter trans mare non peregrinentur, niſi ex decreto primæ Cathedræ proprii cujuſque Regionis Epiſcopi, ideſt niſi accepta ab ipſo Primate littera, quæ dimiſſoria dicitur ſcripto comprehenſa, & itineris neceſſitate. At in hoc Canone, ſubdit Priorius, nihil aliud invenitur, quam litte-*

Peregrinari trans mare vetitum Epiſcopis, niſi ex decreto Primatis, vel Metropolitani.

litteræ dimiſſoria ſcripto efformata, peculiari ſtilo, & cautione itineris occaſionem complectens. Deinde de Epiſcopis agitur, in quorum epiſtolis formam ſigilli Epiſcopalis contineri non poſſe conſtat, aut ſaltem Primatis, vel Metropolitani. Sanctus vero Baſilius ep. 59. ad Meleſium, ſic efformari litteras deſcripſit: Itaque ſi epiſtola ad Occidentales neceſſarium quippiam continere videtur, ubi eam pro rei dignitate efformaveris, ad nos tranſmittas, ab iis, qui nobiſcum conſentientes ſunt, ſubſcribi curemus, habeatque commodum ad ſubſcribendum locum in charta, in qua efformata fuerit, quam adjungere poſſimus ei, quæ affertur à Fratre noſtro, & Compresbytero Dorotheo. Ex hac Baſilii auctoritate formulam certis verbis conceptam ſignificari deducit idem Priorius, quæ fraudi cuiquam eſſe non poſſet, ac ne promiſcue ad Communionem Chriſtianam quicumque vagantes admitterentur, qui litteras, ſeu veras, ſeu falſas circumferrent: ſicque hæretici pro Orthodoxis haberentur. Concludit poſtea formatas eſſe dictas a forma, conceptiſque verbis, quibus conſcribebantur, non autem a ſigillo Epiſcoporum, quod tamen lapſu temporis iis impreſſum fuit aliquando. Plures eruditiones, ſi cupis, adi eumdem Priorium, ac eruditiſſimum Sarnellium Epiſcopum Vigilien. in epiſtola prima ſui operis de Litteris Eccleſiaſticis, Italico idiomate editi. Modo ad ejuſdem Canonis explicationem.

Quibus præcipue hominibus vagandi voluntas ſit? Alienorum, vagorumque promotio ad ſacros ordines abſque commendatione proprii Epiſcopi à pluribus Conciliis, Romaniſque Pontificibus vetita.

2 Hæc vagandi voluntas ſæpe in hominum mentibus inſita eſt, præſertim in illis, qui aliquo crimine læſam conſcientiam habent. Unde Concilia, Romanique Pontifices, Epiſcopis ſemper interdixere, hujuſmodi Gyrovagos, abſque proprii Epiſcopi commendatitiis litteris ad ſacros promovere ordines. Concilium Sardicenſe can. 18. juxta ſecundam editionem: Carthaginienſe 3. can. 20. & 21. Veneticum can. 10. Aurelianenſe 3. can. 15. Cabilonenſe tempore Clodovei Regis can. 13. Toletanum 3. can. 11. Moguntinum ſub Stephano VI. can. 14. & 15. Demum Trident. ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 2. Clemens etiam IV. Summus Pontifex ſpeciali ſua conſtitutione id quoque prohibuit, ut cap. 1. de temporibus ordinandorum in 6. & Urbanus VIII. ſimiliter confirmavit conſtitutione 23. in Bullario.

Jejunii caput quid ſit?

d. Can. IV. In hoc Canone de capite jejunii mentio fit. Quid per hoc jejunii caput denotetur, elicitur ex ordine Romano, qui incipit: In Chriſti nomine, &c. edito a cit. Hittorpio, ubi legitur: Feria quarta, videlicet intra hebdomadam Quinquageſimæ, ideſt in capite jejunii, veniunt ad collectam (ſcilicet ad Eccleſiam S. Anaſtaſiæ, in qua populus colligebatur.) Hac die flectamus genua pronunciante Diacono ſuper populum, cum inclinatione capitis, in primis præmonere debet Sacerdos omnes Chriſtianos ex ſacris Scripturarum teſtimoniis, quatenus in capite jejunii, ad veram confeſſionem, veramque pœnitentiam feſtinantius accedant.

Celebritas de capite jejunii a quo inſtituta ſit in feria IV. intra Quinquageſimam?

2 Idque, ſcilicet de capite jejunii, & collecta legitur in libro Sacramentorum S. Gregorii in feria quarta intra Quinquageſimam: ubi eruditus Menardus notat ad vocem: caput jejunii: hanc celebritatem, ſeu Miſſam adjectam eſſe, poſt obitum S. Gregorii, cum illius tempore quatuor illos ante Quadrageſimam dies, nulla jejunii lex involveret, ut ex ipſo Gregorio homilia 16. in Evang.

3 Prohibetur in eodem Canone Laicis in Quadrageſima veſci carnibus, quam prohibitionem olim ſolis Clericis a Teleſphoro Summo Pontifice factam fuiſſe, ſcribit Marianus Scotus, quem tamen reprehendit laudatus Chriſtianus Lupus in ſua par. 5. Synodorum generalium, §. Antiqua Chriſtianorum ſtatio pag. 72. Ubi recte demonſtrat Laicos quoque Quadrageſimæ jejunium obſervaſſe. Quare merito laudandus noſter hic Canon, quo tam ſancti inſtituti generalis obſervantia urgetur, ne in eo vel negligentia obreperet, aut idem malitia contemneret.

Mos pœnitentes cineribus aſpergendi quid denotet?

4 Additur eodem in Canone, quod omnes tam Clerici, quam Laici, tam Viri, quam Mulieres die illo cinerem ſupra capita ſua accipere deberent. Morem hunc pœnitentes cineribus aſpergendi demonſtrat Tertul. de pœnit. n. 9. ubi: Sacco, & cinere incubare. Et n. 11. in aſperitudine ſacci, & horrore cineris. Idque etiam oſtendit Iſidorus de Eccleſiaſt. offic. lib. 2. c. 16. ibi: Quod autem cinere aſperguntur, vel ut ſint memores, quia cinis, & pulvis ſunt, vel quia pulvis, ideſt, impii facti ſunt: unde & illi prævaricatores primi homines recedentes a Deo, malique factis offendentes Creatorem in pulverem, unde ſumpti ſunt, redierunt. Bene ergo in cilicio, & cinere pulvis oſtenditur mortuorum. Et iccirco in utroque pœnitentiam agimus, ut ex compunctione cilicii agnoſcamus vitia, quæ pro culpa commiſimus: & per favillam cineris perpendamus mortis ſententiam, ad quam peccando pervenimus. Ex hoc pœnitentium more eorum capita aſpergendi cineribus illum defluxiſſe autumo, qui adhuc hodie dicta feria quarta in capite jejunii obſervatur, nempe imponendi cineres capitibus, dicendo: Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

Mos imponendi cineres capitibus Chriſtianorum Feria IV. intra Quinquageſimam unde defluxerit?

Prohibitio nuptiarum a die Septuageſimæ uſque ad octavam Pentecoſtes, & ab Adventu Domini uſque poſt Epiphaniam, antiquiſſima.

5 In hujus Canonis calce, tempus, quo nuptiæ celebrari minime poſſunt indicitur. Antiquiſſima eſt hæc prohibitio: nam in Laodicenſi Concilio Anno 319. ſub Silveſtro I. habito can. 52. habetur: Quod non oportet in Quadrageſima, aut Nuptias, aut quælibet

libet Natalitia celebrare. Eamdemque non ſolum fuiſſe confirmatam, verum etiam ad aliud tempus extenſam colligitur ex fragmento 3. Illerdenſis Concilii habiti anno 524. ubi, quod non oporteat a Septuageſima uſque in octavas Paſchæ, & tribus hebdomadibus ante feſtivitatem S. Joannis Baptiſtæ, & ab Adventu Domini uſque poſt Epiphaniam Nuptias celebrare. Quod ſi factum fuerit, ſeparentur. Idque etiam decretum fuit in Concilio Salegunſtadienſi anno 1022. cap. 3. Hæc tempora fuerunt poſtmodum reſtricta ab Adventu Domini uſque ad Epiphaniam, & a feria quarta Cinerum uſque in octavam Paſchatis incluſive, ut ex Tridentino cap. 10. ſeſſ. 24. de Reformat.

Hæc tamen prohibitio ad aliud etiã tempus olim extenſa, fuit deinde reſtricta ab Adventu Domini uſque ad Epiphaniam, & a feria IV. Cinerum uſque ad Octavam Paſchatis incluſive.

PASCHALIS II. PONTIFEX MAXIMUS.

Paſchalis II. Tuſcus, ante dictus Rainerius, ſedit Annos XVIII. menſes V. dies IV. ab idibus Auguſti ann. MXCIX. ad XV. Kal. Februarii ann. MCXVIII. quo obiit, imperantibus Alexio Comneno, & Henrico V. Rege vero Galliæ Ludovico Craſſo Philippi filio. Hic Summus Pontifex A. D. MCVIII. Concilium Beneventi habuit, quo inveſtituram Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticam dignitatem de manu Laici accipientes excommunicantur, ſicut & dantes. In hoc eodem Concilio idem Paſchalis PP. II. conſecravit Landulphum hujus nominis II. in Archiepiſcopum X. Beneventanæ Sedis, quam tenuit annis XI. & obiit Anno Domini MCXIX.

CONCILIUM QUARTUM,

Beneventi habitum à Paſchali II. P.P.

CONCILII *hujuſmodi notitiam ſcribit citatus Labbe dicto tom. x. col. 757. quam ſe deſumpſiſſe ait ex Chronicis Caſſinenſibus lib. 4. cap. 35. At cum ſupra Concilio III. dixerimus Angelum de Nuce Archiepiſcopum Roſſanenſem Chronica ſinceriora Caſſinenſis Monaſterii edidiſſe, ideo ea, quæ in præfatis Chronicis continentur, ab eodem de Nuce transſcribere duximus, quæ ſub cap. 33. ejuſdem lib. 4. ſic ſe habent.*

Anno Christi 1108.

1 Menſe itaque Octobri advenien- te idem Apoſtolicus ad hunc locum adveniens, ſociato ſibi noſtro Abbate, Synodum celebraturus Beneventum perrexit. In qua videlicet veſtigia Prædeceſſorum ſuorum ſecutus conſtituit, ut quicunque inveſtituram Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticam dignitatem de manu Laici acceperit, & dans, & accipiens, communione privetur.

Conſtitutio contra inveſtituras.

2 Veſtimenta verò ſæcularia, & pretioſa Clericis reprehendit, & talibus uti interdixit.

Sæculares, & pretioſæ veſtes Clericis prohibentur.

3 Cum autem Capuam deveniſſet rogatus ab eodem Abbate, Eccleſiam S. Benedicti, quam Deſiderius Abbas intra eandem Civitatem renovaverat, ſolemniter dedicavit, in qua etiam de veſtimentis Sanctiſſimi Patris Benedicti recondidit. Sicque ad hoc Monaſterium veniens Romam reverſus eſt. *Huc uſque Caſſinenſis Monaſterii Chronica.*

Eccleſiæ Capuanæ Sancti Benedicti dedicatio.

Nonnihil ex veſtimentis Sanctiſſimi Patris Benedicti in eadem Eccleſia reconditur.

4 In Chronico autem Monaſterii S. Vincentii ad fontes Vulturni poſiti. *Subdit poſtea Labbe*: a Joanne ejuſdem Monaſterii Monacho ſcripto mentio habetur; quod dum in his Regionibus idem Paſchalis Pontifex verſaretur; inviſit ipſum S. Vincentii celebre Monaſterium, ubi cum comperiſſet, ab eodem quoque Monacho Joanne ſcribi cœptam hiſtoriam Eccleſiaſticam, laudavit ejus ſtudium Pontifex, & cum laudaſſet, amplexatus eum hæc adjecit: bene, inquit, ò fili, magnum opus cœpiſti, ſed bene cœpta melius proſequi ſtude. Hæcque præſente Benedicto ejus Monaſterii Abbate, ad quem idem Auctor Joannes nuncupatoriam ſcripſit epiſtolam. Laudatum quoque idem tradit cœptum opus a Joanne Cancellario, qui poſtea Paſchali in Pontificatu ſuccedens, dictus eſt Gelaſius Papa II. Hæcque omnia in dicto Chronico ſcripta leguntur.

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor laudatur à Pontifice.

NOTÆ.

Quæſtionem de Inveſtitura, qui nam Auctores agitent.

1 *Celebris eſt inter hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores quæſtio de Inveſtitura; nam pluribus in locis inclytus Baronius de hac agit. Du-Sauſſay in ſua Panoplia Epiſcoporum. Chriſtianus Lupus in Synodalibus decretis diſſert. 4. de Laica Antiſtitum inveſtitura. Bail poſt Canones Concilii I. Lateranenſis, apud quos plures alii antiquiores Scriptores de hac re tractantes videri poſſunt.*

Quid ſit inveſtitura, & illam ſuſcipiendi modus apud antiquos.

2 *Inveſtitura igitur erat. Cum quilibet Antiſtes viam univerſæ carnis ingreſſus fuiſſet, mox Capitanei Civitatis illius annulum, & virgam paſtoralem ad Regem tranſmittebant; ſicque Regia auctoritas, communicato cum aulicis conſilio, orbatæ plebi idoneum conſtituebat Præſulem. Quæ inveſtitura temporis progreſſu in alia ab Epiſcopatu inferiora beneficia ſe extendit.*

Paſchalis II. reprehenditur a D. Brunone ob conceſſam Henrico IV. Inveſtituram.

3 *Cum idem Paſchalis II. Henrico IV. Imperatori hujuſmodi conceſſiſſet inveſtituram, S. Bruno Epiſcopus Signienſis, ac Montis Caſſini Abbas, ſic Pontificem reprehendit, ut in ſæpè citatis Chronicis Monaſterii Caſſinenſis Angeli de Nuce cap. 42. ibi ſic: Inimici mei (ait Bruno) dicunt tibi (ſcilicet Paſchali) quia te non diligo, & quia de te male loquor, ſed mentiuntur. Ego enim ſic te diligo, ſicut Patrem, & Dominum diligere debeo, & nullum alium, te vivente, volo habere Pontificem, ſicut Ego cum multis aliis tibi promiſi. Audio tamen Salvatorem meum mihi dicentem: Qui amat patrem, & matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Unde & Apoſtolus dicit: Si quis non diligit Dominum* JESUM, *ſit anathema. Debeo igitur diligere te; ſed plus debeo diligere illum, qui & te fecit, & me: huic enim tanto amori nihil unquam præferendum eſt. Fœdus autem illud, tam fœdum, tam violentum, cum tanta proditione factum, tam omni pietati, & Religioni contrarium ego non laudo; quis enim illud laudare poteſt, in quo fides violatur, Eccleſia libertatem amittit, Sacerdotium tollitur, unicum & ſingulare oſtium Eccleſiæ clauditur, multa oſtia aperiuntur, per quæ quicumque intrat fur eſt, & latro? Habemus Canones, habemus Patrum conſtitutiones a temporibus Apoſtolorum uſque ad te: via Regia incedendum eſt; neque ab ea in aliquam partem declinandum. Apoſtoli omnes illos damnant, & a fidelium communione ſegregant, quicumque per ſæcularem poteſtatem Eccleſiam obtinerent; Laici enim, quamvis religioſi ſint, nullam tamen diſponendi Eccleſiam habent facultatem. Hæc namque conſtitutio Apoſtolorum ſancta eſt, cui quicumque contradicit, Catholicus non eſt: omnis autem, qui hæreſim defendit, hæreticus eſt: nemo autem hanc non eſſe hæreſim dicere poteſt, quam Sancta, & Apoſtolica Eccleſia in multis Conciliis hæreſim nominavit, & ſimul cum ſuis auctoribus damnavit, & excommunicavit. Ex hujuſmodi libera Brunonis cum Pontifice collocutione idem Paſchalis Pontifex conceſſam inveſtituram in hoc Concilio retractavit.*

Eccleſiaſticæ inveſtituræ conceſſio ſæculari poteſtati facta quot mala invehat.

Paſchalis II Pontifex conceſſã Henrico IV. inveſtituram retractat.

PA-

PASCHALIS II. PONTIFEX MAXIMUS.

Idem Paſchalis II. Beneventanam Civitatem variis modis, atque internis factionibus vexari audiens, Beneventum perrexit, ibique Synodum indixit, cui ipſe Pontifex præſidens Eccleſiam Sanctæ Mariæ ab Abbate Terræ Majoris invaſam, Caſſinenſi Monaſterio cum ſuis poſſeſſionibus reſtituit Anno Domini MCXIII. Sedente in noſtra Sede ſupradicto Landulpho II. Archiepiſcopo X.

CONCILIUM QUINTUM,

Beneventi habitum a Paſchali II. P.P.

Hujus Synodi geſta laudatus Labbe, in præfato tom. x. col. 795. ſe deſumpſiſſe fatetur ex Chronico Caſſinenſi lib. 4. cap. 50. his verbis.

Anno Chriſti 1113.

1 SEQUENTE anno jam dictus Papa Paſchalis ad has rurſus partes adveniens, Beneventum Synodum celebraturus cum noſtro Abbate perrexit, in qua per Sennem Capuanum Archiepiſcopum queſtus eſt, quod Eccleſia S. Sophiæ intra Beneventum violenter fuerit ab hujus loci ditione ſubducta. Sed profecit nihil.

Querela de Eccleſia S. Sophiæ intra Beneventum violenter ab hujus loci ditione ſubducta.

2 Accuſavit item Benedictum Terræ Majoris Abbatem, quod invaſiſſet Eccleſiam S. Mariæ, quæ juris noſtri antea fuerat. Pontifex, etſi Oderiſius olim eum inde pulſaverat, miſſis litteris, appoſita etiam interdicti pœna, vel loci, vel Ordinis, Abbatem ipſum ad ſe venire coegit.

Accuſatio Abbatis Terræ Majoris.

3 Data igitur Juriſperitis per biduum licentia diſputandi, noviſſimè Terræ Majoris Advocati probationem quadragenariæ poſſeſſionis obtenderunt; ſed eorum teſtes cum non ex viſu, vel auditu, ſed ex fama ſola teſtimonium ferrent, nec legibus, neque canonibus admitti potuerunt.

Datur Juriſperitis per biduum licentia diſputandi in utramque partem.

4 At contra noſtri quadragenariæ, vel tricenariæ poſſeſſionis interruptionem adſtruebant; & duos Religionis Monachos, unum Epiſcopum, alterum Diaconum protulerunt, qui ſe præſentibus prædictam Eccleſiam per Deſiderium fel. mem. Abbatem Rodulpho Presbytero locatam aſſerebant, ſicut ex locationis ſcripto conſtabat ſub cenſu [a] Byzantinorum ſex. Tres etiam Laici teſtes ab eis prolati ſunt, qui ſe vidiſſe faterentur per annos quadraginta, priuſquam Eccleſiam illam Monaſterium Terræ Majoris invaſiſſet, hujus Cœnobii Monachos ibidem fuiſſe repoſitos.

5 Itaque Pontifex legum auctoritate perſpecta, Monaſterio Terræ Majoris ſuper hoc negotio ſilentium perpetuo indixit. Eccleſiamque ipſam cum poſſeſſionibus ſuis apud noſtrum Monaſterium, per privilegium quietam in perpetuum conſtituit. *Hæc ibi.*

Eccleſia S. Mariæ ab Abbate Terræ Majoris recuperata Caſſinenſi Monaſterio reſtituitur.

NOTÆ.

Byzantium monetæ genus unde nomen deſumpſit.

a. BYZANTINORUM] *Nummus aureus ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis cuſus Conſtantinopoli, quæ olim Byzantium appellabatur, unde moneta nomen deſumpſit. Joannes de Garlandia in Synonimis, & alii Auctores apud Du-Gange in hac voce, & apud Borghini in ſuo tractatu Italico idiomate:* Della moneta Fiorentina. *Licet diverſi Scriptores de hac meminerint moneta, nihilominus de illius valore nec verbum fecere.*

Quanti valebat.

2 *Quare ex pondere illius valorem arguere tentamus, deſumpto argumento a modernis monetis, ſicque ratiocinamur. Libra conſtat ex duodecim unciis, uncia dividitur in octo partes, quæ octavæ appellantur: ex una ex dictis octavis conſtant tam ſcuta aurea, quam aliæ monetæ, utpote quæ vocantur* Ungari, Zecchini, & Soldanini, *tamen excepto, quod iſti excedunt in pondere in granis, ni fallimur, quatuor. Unde cum libra auri communi æſtimatione valeat ſcutis 144. ex moneta Romana, illius uncia erit valoris ſcutorum 12. hujus octava erit ſcuti unius cum dimidio, ſcilicet Juliorum quindecim. Ungari vero, Zecchini, & Soldanini, & ratione ponderis, & ratione bonitatis auri, majori pretio æſtimantur.*

Videtur Julios quindecim præſentis monetæ æſtimari poſſe.

3 *Quare autumo tempore noſtri Concilii, Byzantium fuiſſe octavam partem unciæ, & ſic Julios quindecim præſentis monetæ æſtimari poſſe, cum eo tempore valor extrinſecus monetæ minime auctus fuiſſet, ut noſtris temporibus, qui eſt major valore intrinſeco, & in Ungaris, & Soldaninis, qui ad minimum vel Julios octodecim, & Zecchinis, qui valent novemdecim, & etiam viginti, ut retroactis annis a perſonis fide dignis accepimus accidiſſe.*

Idemmet Paſchalis II. Menſe Aprili Anni MCXVII. Concilio Beneventi coacto præſidens Bracharenſem Epiſcopum excommunicavit; Eccleſiam noſtram adhuc regente prædicto Landulpho II. Archiepiſcopo X.

CONCILIUM SEXTUM.

Beneventi habitum a Paſchali II. P.P.

De hoc Concilio citatus Labbe dicto tom.x. col.812. ſic refert.

Anno Chriſti 1117.

DE eo Falconis Beneventani Chronicon hæc habet: Anno 1117. Dominicæ Incarnationis, & 18. Pontificatus Domini Paſchalis, menſe Aprili ipſemet Papa Synodum Beneventi celebravit. Hæc tantum Falco, cujus altum de rebus in hoc Concilio geſtis ſilentium.

Res in hoc Concilio geſtæ alto ſilentio obrutæ.

Excommunicatum in eo fuiſſe Mauritium [a] Burdinum Bracharenſem Epiſcopum, qui Paſchali abſente, Henricum Romæ coronaverat Imperatorem, a quo deinde Antipapa oppoſitus eſt idem Henricus Gelaſio II. diſcimus ex his Gelaſii ipſius verbis in epiſtola ad Gallos. *Ille Henricus Imperator ſtatim die poſt electionem noſtram quadrageſimo quarto Mauritium Bracharenſem Epiſcopum Anno præterito a Domino Prædeceſſore noſtro Paſchali Papa in Concilio Beneventi excommunicatum in Matris Eccleſiæ gremium ingeſſit.*

MaurICII Burdini Bracharenſis Epiſcopi excommunicatio ob Henrici Imperatoris coronationem.

Poſt hæc idem Labbe ſequentem appoſuit notam.

G. C. de hoc ipſo loquitur Petrus Bibliothecarius in vita Paſchalis Papæ his verbis: *Dominus Papa celebrato Concilio, quod in partibus Apuliæ congregaverat, &c.* Quamquam enim Beneventum re ipſa non ſit in Apulia; tamen uſu erat iis temporibus receptum, ut ſæpe Apuliæ nomine intelligeretur quidquid eſt trans Tyberim: cujus rei origo prima ex Normannis, qui rem in Apulia cœperunt præclare, ac feliciter gerere, atque inde in omni trans Tyberina Italia. Ita ſentit Camillus Peregrinus in ſuis in Falconem caſtigationibus.

Apuliæ nomine quidquid locorum trans Tyberim erat antiquitus appellabatur.

NOTÆ.

a. MAURITIUM BURDINUM] *Vir ille, qui Henrici Imperatoris familiaris fuit, ac Paſchalem II. ſimoniace circumvenire pro Archiepiſcopatu Toletano tentavit: propterea ab eodem Paſchali cum execratione rejectus: ipſe ob id ad Henricum Regem ſe contulit, & per biennium extra propriam Eccleſiam per Germaniam, Italiamque vagatus eſt, ac cum Pontifex, ut ad ſuam rediret Eccleſiam ei præcepiſſet, ei obtemperare renuit: Quamobrem omni Sacerdotali munere primo privatus, deinde ab Eccleſia communione a præfato Pontifice ſejunctus fuit; unde Romani Pontificis capitalis hoſtis evaſit, Henricumque Imperatorem ad Urbem venientem, ſacris in Baſilica Sancti Petri celebratis ante aram Beati Gregorii, in Pontificis contemptum Imperatorem Diademate coronavit. Mortuo deinde Paſchali, & Gelaſio ab Urbe diſcedente, Apoſtolicam Sedem per vim invaſit. De eo plura in Ciacconio editione noviſſima cum Oldoino in Schiſmate vigeſimo nono.*

De Mauritio Burdino Hiſtoria.

Per quot nequitiæ gradus Apoſtolicam ſedem violenter invaſit.

CON-

CONCILIA PROVINCIALIA BENEVENTANA

Hactenus comperta.

ULDARICUS, ſive VVALDERICUS.

Uldaricus, ſeu VValdericus VI. Beneventanus, & VII. Sipontinus Archiepiſcopus, conſecratus a Leone PP. IX. cum Beneventi moram traheret, ſolitiſque privilegiis ditatus A. D. MLIII. cui Stephanus PP. X. A. D. MLVIII. Suffraganeas Eccleſias auxit uſque ad numerum XXV. Beneventanæ Synodo, Præſide Nicolao II. PP. A. D. MLIX. interfuit, ubi de eo mentionem fecimus. Duas Provinciales Synodos coegit, alteram A. D. MLXI. in qua Leo Draconarienſis Epiſcopus Eccleſias S. Mariæ, & Sancti Benedicti cum earum juribus, & pertinentiis, a ſuis prædeceſſoribus occupatas, renunciavit, & Monaſterio S. Sophiæ, ad quod pertinebant, reſtituit, & de hac in præſenti: alteram A. D. MLXII. de qua in ſubſequenti. Sedit Annos XVIII. obiit A. D. MLXXI.

CONCILIUM PROVINCIALE PRIMUM.

Habitum Menſe Junio 1061. ab Uldarico Archiepiſcopo.

Hoc Concilium extat in Chronicis Monaſterii S. Sophiæ relatis ab Ughello Tom. VIII. col. 70. & refertur etiam ab eodem inter Archiepiſcopos Beneventanos col. 123. At nos ex dictis Chronicis, tanquam ex puriori fonte deſumpſimus.

Anno Christi 1061.

IN Nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Domini æterni, & in nomine Sanctæ, Individuæque Trinitatis.

1 Ego Uldaricus Domini gratia Sanctæ Beneventanæ Sedis Archiepiſcopus notum facimus omnibus fidelibus Catholicæ Eccleſiæ, in noſtra reſidentibus præſentia, cunctiſque in gremio Eccleſiæ manentibus. Quoniam dum in Sancta Eccleſia Catholica Dei Genitricis, & Virginis Mariæ noſtri Epiſcopatus reſediſſem ſimul cum Dodone Epiſcopo, ac Vicario Domini noſtri Summi Pontificis, & univerſalis Papæ noſtri Sanctiſſimi nomine Nicolai, & Bernardo [a] Coepiſcopo, & Cancellario prædicti Domini Papæ glorioſiſſimi, ibique reſidentibus ceteris Epiſcopis, ſcilicet Civitatenſe, Florentinenſe, Larinenſe, Montecorbinenſe, Bubianenſe, necnon & Teleſinenſe, & Aliſinenſe, Bibinenſe, Frequentinenſe, cum Abbatibus, Sacerdotibus, ceteriſque gradibus Eccleſiæ ſimul cum aliquibus Laicis, ibique proficiſcentibus ad Sanctam Synodum.

2 Inter cetera, quæ in eadem Synodo dicta, & emendata ſunt, Dominus Amicus Abbas Monaſterii Sanctæ Sophiæ ſurrexit de ſede ſua, proſtratusque humi humiliter, & reverenter cœpit reclamare, & queſtionem facere adverſus Leonem Epiſcopum Draconarienſem, quatenus ipſe contra Catholicam auctoritatem teneret duas Eccleſias; unam, quæ nominatur ad Sanctam Mariam, conſtructam in loco, qui *Nolicino* nominatur: aliam, quæ vocatur ad S. Benedictum, conſtructam intra mœnia ejuſdem Civitatis Draconenſis, una cum juribus, ac poſſeſſionibus earum Eccleſiarum, quo-

Querela de Leone Epiſcopo Draconarienſi.

quoniam ipſas Eccleſias dicebat eſſe pertinentes jam nunc nominato Monaſterio.

Ejusdem voluntaria confeſſio.

3 Tunc ipſe Leo convocatus humiliter, & patienter adoravit eamdem Sanctam Synodum, interrogatusque quid inde diceret; Ipſe Leo Epiſcopus cœpit manifeſtare, & dicere, quatenus prænominatas Eccleſias cum omnibus illarum juribus legaliter, & juſte prænominatum Monaſterium S. Sophiæ debet tenere,& poſſidere,& recte debent eſſe ſubjectæ præfato Monaſterio & ſibi Leoni Epiſcopo,& Draconariæ Eccleſiæ dicebat nequaquam pertinere debere, nec ipſe inde quidquam tollere, nec ullam invaſionem contra præfatum S. Sophiæ Monaſterium aliquando, vel ullo tempore ipſe feciſſet: ſed ab aliis invaſoribus, atque raptoribus hoc nefarium facinus, atque ſacrilegium operatum eſſe.

Eccleſiæ S. Mariæ, & S. Benedicti a Leone prædicto occupatæ reſtituuntur Monaſterio Sanctæ Sophiæ.

4 Hoc audito placuit Nobis, & Sanctæ Synodo, ut ipſe Leo Epiſcopus per [b] paſtorale pedum, quod ille ſuis propriis tenebat manibus renueret prædicto Abbati ad partem prædicti Monaſterii jam dictas Eccleſias, cum omnibus rebus, ac poſſeſſionibus ipſis Eccleſiis pertinentibus; & mox, ſecundum noſtrum, & Sanctæ Synodi præceptum, præfatas per paſtoralem baculum renuit Eccleſias, una cum omnibus illarum pertinentiis, & dicens manifeſtavit ſe,ut neque Leo Epiſcopus, neque ſui ſucceſſores, neque pars ipſius jam dicti Epiſcopi aliquanto tempore de jam dictis Eccleſiis, & de illarum rebus, ac pertinentiis cum parte jam dicti Monaſterii non cauſarent, atque contenderent per nullam quamlibet inventam rationem; verumtamen modo, & perpetuis temporibus, tam ipſe Amicus Abbas, quam ejus ſucceſſores, ſeu, & pars jam dicti Monaſterii, jam nominatas Eccleſias cum omnibus earum poſſeſſionibus, & rebus, tam quæ modo habere, & poſſidere videntur, ſeu quam & omnia illa, quæ in antea Dominus per illos, & ſuos fideles in Eccleſiis dederit, firmiter habeant, necnon & poſſideant, juxta textum de nomine illius Monaſterii, & de jam dictarum Eccleſiarum continentiis, & pertinentiis, una cum inferius, atque ſuperius, cum aquis, & cum viis, & cum anditis, omnibusque ſuis pertinentiis ſine aliqua contradictione jam nunc dicti Leonis Epiſcopi, ejusque ſucceſſorum, ſeu a parte jam dicti ſui Epiſcopi: ſed ſine cujuslibet requiſitione ab illorum partibus. Propterea per conſenſum omnium, qui ipſa S. Synodo reſederunt, confirmavimus juxta inſtitutionem Sanctorum Canonum jam dictas Eccleſias cum omnibus earum rebus, & pertinentiis, ut præfatum S. Sophiæ Monaſterium habet, atque poſſideat, nulla violentia ab aliquo ſibi ingerenda. Et, ut cuncta, quæ ſuperius leguntur, in perpetuum recordentur, & conſerventur, annulo noſtro hoc præceptum inſigniri juſſimus, noſtrisque manibus ibidem annotavimus, & ſubſcripſimus.

Datum per manus Joannis Clerici, in anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti 1061. & nono Anno Pontificatus Domini Uldarici piiſſimi Pontificis, menſe Junio, Indictione 14. feliciter admodum.

Ego qui ſupra Uldaricus Archiepiſcopus.

Ego qui ſupra Dodo Roſellanus Epiſcopus interfui, conſenſi, necnon & ſubſcripſi.

NOTÆ.

a. BERNARDO) *Putamus illum fuiſſe, qui in Concilio II. ſub Gregorio VII. celebrato Anno* 1075. *Agathenſis Epiſcopus, ſcilicet S. Agathæ Gothorum, legitur.*

b. PASTORALE PEDUM, QUOD ILLE SUIS PROPRIIS TENEBAT MANIBUS RENUERET) *Per* PASTORALE PEDUM *ſcilicet baculum Paſtoralem dimitteret. Quem ritum indicavimus ſupra in primo Concilio, ubi præſedit Nicolaus II. anno* 1059. *in verbo* VIRGA.

Archiepiſcopi Beneventani ſubſcriptio animadverſione digna una cum ſubſcriptione Epiſcopi Roſellani, qui Vicarius Papæ hic nominatur.

c. Notanda eſt in hoc Concilio non ſolum Archiepiſcopi Beneventani ſubſcriptio, verum etiam Dodonis Epiſcopi Roſellani, ſive Groſſetani, qui Vicarius Papæ in eodem Concilio nominatur.

ULDA-

ULDARICUS, ſive VVALDERICUS.

Ille idem, de quo in primo Provinciali Concilio meminimus, ſecundam item Provincialem Synodum coegit A. Domini MLXII. In qua rurſus actum eſt de recuperandis Eccleſiis ibi relatis; & confirmatum fuit jus ejuſdem Monaſterii S. Sophiæ in dictas Eccleſias contra Leonem Draconarienſem Epiſcopum, qui eas irrationabiliter adhuc retinebat.

CONCILIUM PROVINCIALE SECUNDUM,

Habitum die 13. Junii 1062. ab Uldarico Archiepiſcopo.

Ex eiſdem Chronicis Monaſterii Sanctæ Sophiæ hoc quoque Concilium ſe deſumpſiſſe fatetur ſæpe laudatus Ughellus, & ipſe refert inter Epiſcopos Draconarienſes col. 395. cujus ex Chronicis deſcripta hæc ſunt.

IN Nomine Domini Omnipotentis noſtri Jeſu Chriſti, & in Nomine Sanctæ, ac Individuæ Trinitatis.

1 Quamobrem noverit omnium fidelium, præſentium ſcilicet, ac futurorum ſagacitas, dum reſidemus in Sancta Synodo congregati, unuſquiſque confitens ſua facinora, & delicta, quemadmodum Beatus Apoſtolus Jacobus proclamat in ſua epiſtola, dum hanc in ſententiam, ac verba prorumpit: Confitemini alterutrum peccata, ac crimina veſtra, & orate Dominum Omnipotentem pro invicem, ut ſalvemini; ne tremendam illam vocem Judicis æterni audiatis in extremo judicii die, quando ad peccatores dicet: Ite a me vos maledicti in ignem æternum. Et è contra ad juſtos: Venite benedicti Patris mei, poſſidete vitam æternam, quæ præparata eſt vobis a Patre meo. Etenim multum valet coram Deo Omnipotenti deprecatio aſſidua hominis juſti, & recti corde. Ibique reſidente Domino Uldarico egregio Archiepiſcopo ejuſdem Sedis, & juxta eum, reſidente Domino Landolpho Sereniſſimo Principe, nec non & [a] Bernardo Epiſcopo, ac Cancellario Domini Summi Pontificis, & Venerabilis Papæ Nicolai nomine, ubi & [b] Dodo Epiſcopus, ac Vicarius ejuſdem Domini Papæ in eodem Concilio, & Epiſcopus Amelgerius Sanctæ Sedis Civitatenſis, & Landulphus Epiſcopus Sanctæ Sedis Florentinenſis, & Joannes Epiſcopus Sanctæ Sedis Larinenſis, ceterique Epiſcopi, ac Abbates, Sacerdotes, ac Clerici, & cuncto populo ibi aſſiſtente.

Anno Chriſti 1062.

2 Poſteaquam autem ſancta lectio in eadem Sancta Synodo terminata eſt ad emendationem uniuſcujuſque hominis, cujus res, aut Eccleſia, ſeu quæcumque cauſa injuſta reperta eſt, acquirere in omnibus ſuis juribus, ac petitionibus, quod juſte in ſua poſſeſſione legaliter habere, & poſſidere videntur, ut Domino Omnipotente tuente, unuſquiſque cum ſuis poſſeſſionibus ad propria cum gaudio, ac lætitia remearet.

3 Interea ſurrexit Amicus humilis Abbas Monaſterii Sanctiſſimæ Virginis Sophiæ, humoque, & in terra proſtratus cum reverentia, ac humilitate ſumma cœpit reclamare contra, & adverſus Leonem Epiſcopum Sanctiſſimæ Sedis Draconariæ, & in hæc verba quamprimum prorupit: quod ipſe Leo Epiſcopus Draconarius injuſte, & irrationabiliter teneret Eccleſiam vocabulo S. Mariæ conſtructam in loco, qui majorum noſtrorum tempore *Sico* nominari ſolebat; moderno autem tempore ab hominibus *Nolicino* nominatur, una cum juribus, ac poſſeſſionibus ipſius Eccleſiæ pertinentibus; ſimulque & Eccleſiam nomine S. Benedicti conſtructam intus eamdem Civitatem Draconariam cum ſuis juribus, ac poſſeſſionibus, quibus Eccleſiæ ipſæ, ut ſupra dictum, legibus ſunt ſubditæ, ac pertinentes jam dicto Monaſterio.

Amicus Abbas S. Sophiæ iterum queritur de Epiſcopo Draconarienſi.

4 Quamprimum ipſe Leo ſurgens cum humilitate, & patientia, adoravit in eadem Sancta Synodo, cum reverentia cœpit manifeſtare, & dicere, quod veraciter prænominatæ Eccleſiæ cum omnibus ſuis juribus, necnon & poſſeſſionibus, legaliter, & juſte eſſent pertinentes ſub lege prænominati Monaſterii; verumtamen ab aliis Rectoribus injuſte poſſeſſæ, & nequaquam ipſe Leo aliquid tollere, vel minuere tentaſſet de poteſtate prænominati Monaſterii; verumtamen

Epiſcopi Draconarienſis reſponſio.

men ab aliis Rectoribus injuſte, & inordinate adminiſtratum; & iterum profeſſus eſt, ut neque ipſe Leo Epiſcopus, neque ſui ſucceſſores, neque pars jam nominati Epiſcopi unquam contra eum cum parte jam dicti Monaſterii non cauſarent, neq; contenderent per nullam quamcumque etiam inventam occaſionem, ac rationem altercandi illic cum parte jam dicti Monaſterii, aliquid tollere, vel minuere, vel invadere; ſed amodo, & deinceps ipſe Amicus humilis Abbas, ejusque ſucceſſores, & pars jam dicti Monaſterii omnibus juribus, ac poſſeſſionibus ad eamdem Eccleſiam pertinentibus, tam quod modo poſſidere videntur, ſeu & illud, quod amodo, & in antea Dominus per ſuos fideles in ipſam jam nominatam Eccleſiam dederit, ſeu quodcumque ibi oblatum, ſeu delegatum fuerit, ſive per offertiones, donationes, emptiones, commutationes, ſeu præcepta conceſſionis in Domino, totum, ac integrum, pars jam nominati Monaſterii, ejusque Cuſtodes, ac Præpoſiti, qui in ipſa Eccleſia a parte jam nominati Monaſterii præordinati fuerint, firmiter illud habeant, & poſſideant in omnibus, juxta textum de nomine ejusdem Monaſterii, & jam dictarum Eccleſiarum continentium, atque pertinentium, una cum inferius, & ſuperius, & cum aquis, & cum viis, ac anditis ſuis, omnibusque pertinentiis mobilibus, ac immobilibus faciendum inde pars ejusdem Monaſterii, & jam nunc dictarum Eccleſiarum juxta, atque ſecundum legis rationem omnia quæcumque voluerint, ſive a parte jam dicti Leonis Epiſcopi, & de illius ſucceſſoribus, ſeu pars jam dicti Epiſcopii ſui aliqua contradictione, ſive cujuscunque requiſitione ab illorum partibus.

Confirmatio ſui Monaſterii S. Sophiæ ſuper Eccleſias S. Benedicti, & Sanctæ Mariæ.

5 Hæc omnia, ut ſuperius taxata ſunt, & conſenſu omnium, qui in ipſa Sancta Synodo reſederunt, absque omni dolo perpetuis temporibus firmatum eſt, ut amodo, & in perpetuis temporibus nullus audeat inde in aliquo modo violare, aut etiam ullam vim, necnon violentiam inferre in quacunque re: verumtamen juxta inſtitutionem Sanctorum Canonum ſemper firmum, ac ſtabile permaneat ad poſſeſſionem jam nunc nominati Monaſterii, & jam dictarum Eccleſiarum, & de illis, qui ibidem a parte jam nominati Monaſterii præordinati fuerint. Et ut hæc cuncta, quæ ſuperius leguntur, in Domini nomine habeant vigorem, & in perpetuum recordentur, & obſerventur, [c] annuli ſuperius dicti Domini Principis impreſſione juſſimus inſigniri, ceterosque ſuis manibus teſtes ſubſcribere mandavimus.

Datum Idibus Junii. Scriptum per manus Joannis Clerici, & Notarii, necnon [d] Defenſoris prænominati Monaſterii. Anno Dominicæ Omnipotentis Domini Incarnationis revoluto 1062. *& vigeſimo quinto anno Principatus ſuperius dicti Domini Pandolphi eximii, ac excellentiſſimi Principis, necnon quinto anno Principatus Domini Landolphi eximii, generoſiſſimique Principis, ac quinto anno Principatus Domini Athenolphi magni Principis filii per indictionem* 14.

Actum in eodem Sancto Epiſcopio; ſubſcripſerunt autem, teſtesque ſunt

Dominus Bernardus Epiſcopus.
Dominus Conſtantinus Epiſcopus.
Dominus Joannes Cardinalis.
Dominus Lambertus Cardinalis.
Dominus Ægidius Cardinalis.

NOTÆ.

a. BERNARDO] *hujus Epiſcopi etiam mentio fit ſupra in Concilio Provinciali primo, in quo præſedit Vldaricus Archiepiſcopus.*

Annulorum pro ſigillo uſus.

b. DODO EPISCOPUS, AC VICARIUS PAPÆ] *illum fuiſſe putamus, cujus meminimus ſupra in eodem Concilio, ac diximus Roſellenſem, ſeu Groſſetanum fuiſſe Epiſcopum. In hac præſenti Synodo Summi Pontificis vices geſſit, ut ibi narratur.*

c. ANNULI] *hunc annulorum pro ſigillo uſum pervetuſtum admodum fuiſſe oſtendit Mabillonius in ſuo tractatu de re diplomatica lib.*2. *cap.*14. *ubi iſtum uſum variis exemplis demonſtrat, incipiens a Pharaone, qui tulit annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus, ſcilicet Joſephi.*

Defenſoris Monaſterii munus.

d. DEFENSORIS MONASTERII] *Eccleſiaſticum munus erat, utpote Advocati, qui juriſdictionem, & bona Eccleſiæ defendebat, pauperibusque patrocinabatur. Extat D. Magni Gregorii* ep.25. lib.4. *in qua confert* Defenſoris *munus. Item* ep.65. lib.7. *in qua de* defenſoris *munere itidem agitur.*

Beneficiorum origo unde fluxerit.

2 *Tres in hoc Concilio reperiuntur ſubſcripti Cardinalis nomine; & cum iſtos minime Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales fuiſſe putemus, ut intentionem noſtram clarius exponamus, ab alto nobis ſermonis exordium ſumere convenit.*

3 *Petrus Andreas Gambara Romanæ Rotæ Auditor, ac Faventinus Epiſcopus in ſuo tractatu* de officio, & poteſtate Legati de latere lib.5. tit. An Legatus poſſit

plura

plura beneficia uni conferre num.37. *Beneficiorum originem ſic deſcribit*: Scito in Primitiva Eccleſia nullum Clericum habuiſſe beneficium, quia omnes Chriſtiani propria vendebant, & offerebant ad pedes Apoſtolorum, ut pauperibus diſtribuerentur, poſtea videntes præſtare Reipublicæ Chriſtianæ, ſi prædia emerentur, & ex eorum fructibus pauperes alerentur, prædia ſunt empta, & Cathedralibus Eccleſiis applicata, ut fructus eorum per Epiſcopos in pauperes diſtribuerentur; c. dilectiſſimis, c. videntes 12. quæſt.1.

Bonorum diſtributio quomodo fiebat a veteribus Chriſtianis?

4 Quæ tamen diſtributio in pauperes ita fiebat, ut prius ſubveniretur indigentiæ miniſtrorum Eccleſiæ. c. cum ſecundum de præben. quod inventum adſcribitur Urbano I. qui floruit anno 226. tempore Heliogabali, ut refert Platina, qui dicit eum ordinaſſe; ut omnes proventus caſtis Clericis diſtribuerentur. Succeſſu vero temporis cœperunt Eccleſiæ ſeparatim ædificari, & illis dotes aſſignari pro miniſtrorum alimentis, & luminum conſervatione, c. nemo de conſecr. diſt.1. & de Eccl. ædific. per totum, & ſecundum iſta tempora cœperunt eſſe beneficia, & in titulum dari; Canonicatus cum præbendis ab illa Eccleſiæ communitate dividi, ſub hoc colore, quod fierent de portione ſubſtantiæ, cujus fructus veniebant dividendi inter Miniſtros, ut patet toto tit. de præben. & de conceſſ. præben. alias enim bona erant in confuſo, & prima pars redituum dabatur Prælato, ſecunda miniſtris, tertia fabricæ, quarta pauperibus, c. quatuor, c. de reditibus cum ſeq.12. qu.2. c.1. de Eccl. ædific. ubi Doctores.

Quinam, & unde antiquitus dicebantur Cardinales?

5 *Cum igitur in Eccleſiis Canonicorum Collegia inſtituta, & pro eorumdem alimonia Eccleſiaſtica bona fuerint aſſignata, qui in eiſdem admittebantur Collegiis, dicebantur cardinari in illo Collegio, vel Eccleſia, ut elicitur ex Divo, ac Magno Gregorio in* epiſt.14. lib.3. *ubi ſcribens Maximiano Epiſcopo Syracuſano Felicem Diaconum epiſtolæ latorem ſic commendat*: Pietatis intuitu providentes in tua Eccleſia Syracuſana eum prævidimus cardinandum; ſive ut officium Diaconatus expleat, ſeu certe, ut ſola ejuſdem officii pro ſuſtentanda paupertate ſua commoda conſequatur, in tuæ fraternitatis volumus hoc pendere judicio. *Idemque Gregorius in alia* epiſt.25. lib.2. Indict.10. *Joannem Liſitanæ Civitatis ab hoſtibus captæ jampridem Epiſcopum, in Squillatina Eccleſia incardinat his verbis*: Propterea te Joannem ab hoſtibus captivatum Liſitanæ Civitatis Epiſcopum in Squillatina Eccleſia Cardinalem duximus neceſſe conſtituere Sacerdotem.

6 *Item in alia ſimili* epiſt.11. lib.5. *directa Fortunato Epiſcopo Neapolitano, ſic ſcribit*: Fraternitatem tuam a nobis petiſſe recolimus, ut Gratianum, Eccleſiæ Beuefrauæ Diaconum tuæ concederemus Eccleſiæ cardinandum. Et quoniam nec Epiſcopum, cui obſecundare, nec propriam habet Eccleſiam, hoſte ſcilicet prohibente, quo ſuum debeat miniſterium exhibere, petitionem tuam non prævidimus differendam; iccirco ſcriptis tibi præſentibus eum neceſſario duximus concedendum, habituro licentiam Diaconum illum, noſtra interveniente auctoritate, Eccleſiæ tuæ, Deo propitio, conſtituere Cardinalem. Quia vero pervenit ad nos, Clericos, aliaſque Civitatis, ac Parochiæ tuæ religioſas perſonas ab aliis conveniri, fieri hoc de cetero prohibemus, & neque Clericum tuum, neque Monachum, vel quamlibet Civitatis aliam religioſam perſonam Parochiæ tuæ conveniri a quoquam, vel ad alterius volumus judicium exhiberi. Sed ſi quis contra hujuſmodi perſonas cujuſlibet negotii movere voluerit quæſtionem, fraternitatem tuam noverit adeundam. Aut ſi forte, ut aſſolet, aliqua illis quolibet modo fuerit nata ſuſpicio, & Electorum deſideraverit fortaſſe judicium, ſub tua executione eligendi fas habeant cognitores, quatenus hoc modo, nec tu amiſiſſe juriſdictionem, nec Actor apud ſuſpectum litigando videatur præjudicium ſuſtinere. Hoc enim ſervandum & Anthemio Subdiacono nos præcepiſſe, cognoſce.

Oportet ergo, ut Fraternitas tua erga Monaſteria Civitatis, Parochiæque ſuæ omnes ſubjectos paſtorali cura diligenter invigilet, & de vita, actuque eorum ſit omnino ſollicita, ut ſicut nos hæc tibi privilegia ſervare dignoſcimur, ita & tu vigilantiam tuam in cunctis, ut decet, ſolerter exhibeas; quatenus in nulla re poſſis de neglectu reprehenſibilis inveniri.

Porro autem ſi tu (quod non opinamur) diſſimulandum putaveris, Rectori Patrimonii Eccleſiæ noſtræ, qui illic eſt, vel fuerit conſtitutus, noveris eſſe licentiam, ut quod ſponte poſtponis, ejus facere inſtantia modis omnibus urgearis. Sed & illud ſtudere te convenit, ut hi, qui contra quoſlibet juriſdictioni tuæ ſuppoſitos cauſſam habuerint, nullis apud fraternitatem tuam fruſtatoriis debeant dilationibus laceſſiri, ne ad fatigationem, & damnum alterius hæc tibi ſervaſſe privilegia videamur.

7 *Similiter idem Pontifex ſcribens ad Agnellum Epiſcopum Fundanum* epiſt.13. lib.2. *confirmat ejus electionem in Epiſcopum Terracinenſem, factam ab ejuſdem Civitatis Clero; cujus epiſtolæ tenor ſic ſe habet*: Relatio Cleri ſimul, & populi Terracinenſis gentis nos valde lætificat, ob hoc, quod de tua fraternitate bona teſtatur. Et quia defuncto Petro Pontifice ſuo te ſibi Cardinalem poſtulant conſtitui Sacerdotem, eorum vota neceſſario complenda prævidimus, quatenus & illi ſe gaudeant impetraſſe, quod poſtulant, & nos conceſſiſſe, quod expedit, videamur.

Quia igitur ob cladem hoſtilitatis, nec in Civitate, nec in Eccleſia tua eſt cuiquam habitandi licentia, ideo te auctoritate noſtra Terracinenſi Eccleſiæ Cardinalem conſtituimus Sacerdotem, admonentes, ut ita de Animabus populorum illic conſiſtentium, Deo protegente, debeas eſſe ſollicitus: quatenus callidi, perverſique hoſtis inſidiæ, commiſſo tibi gregi qualibet arte nocere non valeant; ſed ſollicitudinis tuæ grex circumſcriptus cuſtodia, digni ſe paſtoris gaudeat meruiſſe tutamina. In tuis actibus plebi exempla bene vivendi exiſtant; avaritia in te vires non habeat. Tua prædicatione, qui litteras neſciunt, quid divinitus præcipiatur, agnoſcant. In Dei timore populum, quemadmodum vivere poſſit, tui mores inſtituant. Operibus exerce, quos ſubjectos doces, & prædicas. Actus tui in aliorum correctionem proficiant, in adjutorium ſibi vitæ tuæ imitationem aſſumant. Sicque te in cunctis operibus exhibere feſtina, ut ſcripturam, conſcriptionemque te habeat quicumque, aut negligit, aut non poteſt lectione formari. Tota igitur mentis intentione ita lucrum Animarum Deo noſtro facere feſtinato, ut digna te merces ante ejus conſpectum in die retributionis inveniat.

Quidquid vero de prædictæ rebus Eccleſiæ, vel ejus Patrimonio, ſeu Cleri ordinatione, promotioneve, & omnibus generaliter ad eam pertinentibus ſolerter, atque canonicè ordinare, facereque provideris, liberam habebis quippe, ut Sacerdos proprius, modis omnibus facultatem.

Illud quoque fraternitatem tuam ſcire neceſſe eſt; quoniam ſic te prædictæ Terracinenſis Eccleſiæ Cardinalem eſſe conſtituimus Sacerdotem, ut & Fundenſis Eccleſiæ Pontifex eſſe non deſinas.

Cardinandi, ſeu incardinandi ritus.

8 *Hujuſmodi incardinandi ritum oſtendit Rubeus* in ſua hiſtoria Ravennat.lib.5. pag.206. *ubi refert Leonem III. Summum Pontificem, qui floruit anno* 795. *conceſſiſſe Ravennatenſi Eccleſiæ, ut primarii Sacerdotes, Cardinales, quemadmodum & Romanæ Eccleſiæ dicerentur, & eſſent; ſed poſtea ignorantiæ redarguit eos talia ſcribens; nam ſubjungit communi quadam, ac veteri applicatione primarios omnes Sacerdotes Nobiliorum Eccleſiarum Cardinales vocari; nam verè cardinare, ſeu incardinare ſignificat Clericum certæ Eccleſiæ addicere; id, quod manifeſtum eſt ex ſupracitatis locis S. Gregorii: in hoc ſenſu eſt Franciſcus Florens in ſuo* opere juridico c.40. de elect. *ubi ſcribit, quod incardinari dicitur quisquis quocunque modo licito ſedi alicui præficitur, ſive electus, ſive poſtulatus, ſive translatus, ſive priſtino loco exactus. Hinc Cardinalis, ſive Epiſcopus, ſive Presbyter dicitur, qui incardinatur, ideſt radicatur; quem ſequitur Stephanus Balutius* in notis, *quas facit ad Dialogos Antonii Auguſtini* de emendatione Gratiani pag. 470. *Gloſſa vero* c. Fraternitatem diſt.71. *canonicam translationem ſignificare aſſerit. Volaterranus in* Antropologia *in vita Innocentii IV.* pag. *apud nos* 310. *his verbis relata comprobat, aſſerens*: Cardinalium nomen ab initio epitheti honorationis appellatio fuit: nam alibi Clericum Cardinalem, & Canonicum Cardinalem legimus, ideſt præcipuum, & principalem. *Cardinales enim in Eccleſia Compoſtellana fuiſſe, docet Mandoſius in* Gloſſ. facult. Reg. 5. conſiderantes, verb. Romana.

Primarii Sacerdotes nobiliorum Eccleſiarum Cardinales dicti.

9 *Quare concludimus in ſupra relatis Cardinalium nomine ſubſcriptionibus, non S. R. E. Cardinales fuiſſe; ſed Canonicos, vel alios principales Eccleſiæ Beneventanæ Miniſtros Cardinales nuncupatos, tanquam eidem Eccleſiæ adſcriptos.*

SAN-

SANCTUS MILO.

Sanctus Milo ex Arvernis in Gallia oriundus, VIII. Beneventanus Archiepiſcopus electus initio Anni MLXXV. vel in fine anni præteriti. Hic ille eſt, qui pietate, & litteris Stephanum Grandimontenſis familiæ Fundatorem erudivit. Provincialem Synodum habuit Anno Domini MLXXV. in qua fuit confirmatum jus Monaſterii S. Sophiæ in duas Eccleſias eidem Monaſterio ſubjectas. Obiit die XXIII. Februarii An. Domini MLXXVI. cum ſediſſet paucis ſupra annum menſibus.

CONCILIUM PROVINCIALE TERTIUM,

Habitum die prima Aprilis 1075. à S. Milone Archiepiſcopo.

IN Nomine Domini Dei Salvatoris Noſtri Jesu Christi Domini Æterni, & in nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis.

Anno Christi 1075.

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXV. Domino Gregorio VII. Summo Pontifice Romanæ Sedis ſecundo Anno Pontificatus ſui feliciter præſidente.

1 Cum ego Milo Domini nutu Beneventanæ Provinciæ Archiepiſcopus, primo anno noſtri Præſulatus more Eccleſiaſtico ſolemniter Synodali auctoritate in Baſilica Sanctæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ agerem, una cum Goffrido Averſano [a] Epiſcopo, ſeu cum Coepiſcopis, & Abbatibus ad noſtram Diœceſim pertinentibus pariter nobiſcum venerabiliter reſidentibus, ſcilicet. Bernardo [b] Agathenſi, Alberto Bovianenſi [c], Petro Guardienſi, Rutgero Civitatenſi, Gilberto Teleſino, Ruberto Florentinenſi [d], Nicolao Termulenſi [e], Azzo Lucerino, Willelmo Larinenſi, Meinardo Arianenſi [f], Joanne noſtræ Eccleſiæ Archipresbytero, Alberto Abbate S. Modeſti, Laurentio Neapolitano, Savino Abbate S. Lupi, necnon Domino Landolpho Principe, & Stephano Sculdachis, ceteriſque nobilibus Beneventanis, cum pluribus pondus teſtimonii habentibus.

Madelmus Abbas S. Sophiæ Epiſcopum Draconarienſem accuſat.

2 Inter alia verò, quæ hinc inde agebantur, & reſervabantur, Madelmus Cœnobii S. Sophiæ Abbas ſurrexit in medio Conventus, & proclamavit ſuper Epiſcopum Draconarii nomine Campo pro duabus Eccleſiis ad prædictum Monaſterium S. Sophiæ pertinentibus, quarum altera dicitur S. Maria in Nolicino, altera verò S. Benedicti in eadem Civitate ſita. Ad hæc

Epiſcopi reſponſio.

Epiſcopus Campo de hoc negotio requiſitus, reſpondit; olim quidem, majorumque noſtrorum tempore illas prædictas Eccleſias duas ad præfatum Monaſterium vere pertinuiſſe per quędam munimina: ſed poſtea furata fuiſſe, & taliter jam dictas Eccleſias ad ſuum jus redactas fuiſse, & uſque modo jure tenuiſse.

3 Tunc prædictus Abbas protulit præceptum ſigillatum, in quo continebatur, quomodo à noſtro Prædeceſsore beatæ, piæque memoriæ Udalrico Archiepiſcopo confirmatum, & teſtatum fuiſset de illis duabus Eccleſiis ad prædictum Monaſterium S. Sophiæ, ipſius Monaſterii Abbate Amico, noſtræ adverſus Leonem tunc temporis Draconariæ Eccleſiæ Præſidentem, in præſentia quidem Archiepiſcopi Udalrici, & Dodonis [g] Roſellani Epiſcopi, ſed & Bernardi Epiſcopi, & Cancellarii Sanctæ Romanæ Sedis Domini Nicolai Papæ Legatorum, aliorumque Epiſcoporum, ſeu Abbatum, qui Synodali tunc Conventui intererant. Cumque præceptum perlegeretur, Mainardus Arianenſis Epiſcopus, & Adelpherius Archidiaconus, & Roffridus Diaconus, & Bibliothecarius noſtræ Eccleſiæ, ſed & plures alii boni teſtimonii viri reſponderunt, & conſenſerunt, & confirmarunt in præſentia noſtra, ita verum eſse, quemadmodum in principio legebatur, eo quod ſalva fide ſine ulla falſitate ita feliciter reminiſcerentur eſse.

4 Itaque Epiſcopus jam ſæpe dictus Campo præter ſuam exiſtimationem audiens, atque intelligens veritatem, & ſcriptis, & bonorum virorum teſtimoniis, nolens alia pro aliis objicere, maxime in tali conventu, & quod non decet Epiſcopum, vel aliquem Catholicum virum in re vera angulos, ubi non ſunt, quærere, ultra nihil habens, quod reſponderet, cunctis audien-

Campo Epiſcopus occupatas Eccleſias ſponte relinquit.

dientibus, ſicut juſtitia dicebat, reticuit, ea ſe deinceps extorrem fieri præcipit, atque promiſit nunquam ſe amplius inde agere cum prædicto Abbate, & ſucceſſoribus, tantum reſervata ſibi Canonica, & Parochiali auctoritate.

De hoc Synodale Decretum.

5 Propterea ergo noſtra benevolentia omnibus quidem obnoxia, ſed maxime Dominum timentibus, & domeſticis fidei comes in re mota, decrevit in eadem Synodo, cum omnium aſſenſu, ſecundum Canonum auctoritatem fieri præceptum ad partem prædicti Monaſterii, & noſtro ſigillo corroborari, ac propria manu ſignari, ac confirmari ſimul cum prædictis Epiſcopis, & Abbatibus, omnique Synodali conventu; itaut in poſterum ſine ulla contradictione præſentium, vel etiam futurorum habeat, ac poſſideat prædictus Abbas cum ſuis ſequacibus jure perpetuo prædictas Eccleſias cum omnibus hodie earum pertinentiis, & deinceps in futuro, juxta textum, & auctoritatem præcepti à noſtro Prædeceſſore bonæ record. Udalrico Archiepiſcopo de iis Eccleſiis ad idem Monaſterium canonico jure confirmati, nulla ratione Campo ſæpe dicto Epiſcopo, vel ſucceſſoribus ſuis, vel quibuslibet perſonis calumniantibus deinceps, vel refragantibus.

6 Scriptum autem per manus Joannis Clerici, & Cantoris noſtræ Eccleſiæ menſe Martio Indict. 14.

Datum vero per manus ſupradicti Rofridi Diaconi, atque Bibliothecarii, die videlicet Kalendarum Aprilium.

Signum † Milonis Archiepiſcopi.

Ego, qui ſupra Goffridus Averſanus Antiſtes.

Ego, qui ſupra, Bernardus Agathenſis Epiſcopus.

Ego, qui ſupra, Albertus Bovianenſis Epiſcopus.

Ego Meinardus Arianenſis Epiſcop.

Signum † Crucis factum per manum ſupradicti Petri Guardienſis Epiſcopi.

Ego, qui ſupra, Joannes Archipreſbyter.

Ego Sabinus Abbas.

Ego Rutgerus Civitatenſis Epiſcop.

Signum † Crucis factum per manum ſupradicti Gilberti Teleſini Epiſcopi.

Ego Robertus Florentinus Epiſcop.

Ego Nicolaus Termulenſis Epiſcop.

Ego Azzo Lucerinus Epiſcopus.

Ego Willelmus Larinēſis ſubſcripſi.

Signum † Crucis factum per manus Lepaldi Abbatis Monaſterii Domini Salvatoris de Teleſia.

Signum † Crucis factum per manus ſupradicti Alberici Abbatis.

NOTÆ.

Hæc Synodus refertur à laudato Labbe in ſua Appendice tom. X. col. 1813. & ab Ughell. tom. 8. col. 135. & in Chronico Beneventani Monaſterii S. Sophiæ relato ab ipſomet Ughell. tom. eodem, ubi col. 702. hæc eadem habetur Synodus, quæ cum illa collata, quæ a citato Labbe refertur, hanc Ughellianam emendatiorem, præſertim in ſubſcriptionibus comperimus, unde maluimus Ughellum, quam Labbe ſequi.

Goffridus Epiſcopus Averſanus, corrupte Godefridus Tereſanus a Labbeo, & Teroſanus ab Ughello dicitur.

a. GOFFRIDUS AVERSANUS] *apud Labbe Tereſanus, apud vero Ughellum Teroſanus: in utroque loco vocem hanc corruptam eſſe autumamus, &* Averſanum *legendam eſſe Codex Vaticanus Longobardico charactere conſcriptus liquido demonſtrat. Nomenque Goffridus, non Godefridus illic habetur. Hunc Goffridum Averſanum Epiſcopum commemorat Ughellus in catalogo Epiſcoporum Averſanorum ſub anno 1071.* num. 3. *quo anno Eccleſiæ Caſſinenſis dedicationi interfuit, una cum noſtræ Provinciæ ſuffraganeis.*

	Stephano Trojano.	*VVillelmo Larinenſi.*
Alberto Bojanenſi.	*Roberto Florentinenſi.*	*Petro Guardienſi.*
Rogerio Civitatenſi.	*Nicolao Termolenſi.*	*Meinardo Arianenſi.*
Campo Draconarienſi.		

b. BERNARDO AGATHENSI] *ſcilicet S. Agathæ Gothorum ad diſtinctionem alterius Agathenſis in Gallia ſub Archiepiſcopo Narbonenſi.*

Civitas, quæ Bojanum in præſenti dicitur, Bovianum a Ptolemæo vocatur.

c. ALBERTO BOVIANENSI] *Hic Epiſcopus apud Labbe in ſubſcriptionibus legitur Bernardus Bobianenſis. Hæc Civitas Italice* Bojano *appellatur, & ſecundum currentia tempora Bojanum, ſive Bojanenſis Eccleſia; a Ptolemæo vero Bovianum.*

Civitas Florentina in Apulia, quæ & Ferentina, & Farentina dicitur, longe diverſa a civitate Florentina in Hetruria, quæ Florentina latine dicitur.

d. ROBERTO FLORENTINENSI] *Duæ olim eodem nomine appellabantur Civitates: una in Samnio, ſive Apulia: altera vero in Hetruria: illa ultra Florentina, etiam Ferentina, & Farentina civitas quandoque Latine denominata fuit; Italice vero* Fiorentino, Firenzola, & Ferunzola. *Altera vero in Hetruria Latine Florentia, Italice* Fiorenza, *&* Firenze *appellata.*

Obiter hic ſub ſilentio minime præterire, ſed eruditionis cauſa narrare ducimus, quod eruditus Pompejus Sarnellius Epiſcopus Vigilien. in ſuis Memoriis Beneventanæ

tanæ Provinciæ in hac Ferentina civitate ſcribit: nempe Pridericum II. Imperatorem a Manfredo filio notho anno 1250. ex hac vita ſublatum fuiſſe, ipſo Friderico de vitæ periculo tunc haud metuente: quoniam Vates eum certioraverant, ut ſibi Florentia caveret. Dum igitur huic inani prædictioni credulus Florentiam vitabat, hæc Apuliæ Florentia ei mortem intulit: incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Fridericus II. Imperator a Manfredo filio notho occiditur.

c. NICOLAO TERMULENSI] alias Termularum.

f. MEINARDO T......] Sic apud Ughell. col. 135. 136. & 137. & apud Labbe in corpore; at in margine notat: Arianenſis, ut videre eſt loc. cit. col. 1813. apud vero Ughell. in cit. Chronico. col. 702. 703. 704. Trianenſis, ſed etiam corrupte: nam littera initialis T eſt corrupta, & loco illius ponenda littera A. Unde Meinardus Arianenſis Epiſcopus legendus, quem iſtius Eccleſiæ Epiſcopum Anno MLXX. & MLXXX. fuiſſe narrat Ughell. non primum, ſed primum Epiſcopum, quem in eadem Eccleſia reperit, ut in tom. 8. col. 300. & 301.

Meinardus non Trianenſis, ſed Arianentis Epiſcopus hic legi debet.

g. DODONIS ROSELLANI EPISCOPI] Illum eſſe cenſemus, quem ſupramemoratus Ughell. tom. 3. col. 756. inter Epiſcopos Groſſetanos ſub n. 8. deſcribit: in ruinis antiquæ civitatis Roſellæ (ut ſcribit Ughell. ibid. col. 755.) quæ in duodecim olim Hetruriæ civitatibus nobilis fuit corrupto vocabulo ortum Groſſetum eſt. Hæc ille. Reverendiſſimus vero Abbas Julius Lucenti Ordinis Ciſtercienſis, ejusdem Ughelli in exaranda Epiſcoporum hiſtoria ſucceſſor, Epiſcopatum hunc Roſellanum olim extitiſſe narrat, a Saracenisque deſtructum, ac a Groſſetano Epiſcopatu ſejungit, ut in ipſius hiſtoria m.s. vidimus. Hujus Dodonis etiam fit mentio in Concilio ſecundo Provinciali ſub Uldarico Archiepiſcopo anno 1062. habito, ubi aſſeritur, Dodonem Papæ Vicarium in eodem Concilio fuiſſe.

Abbas Julius Lucenti Ciſtercienſis laudatus.

Epiſcopatum Roſellanum hic auctor a Groſſetano ſejungit.

2. Obſervatione dignæ cenſentur ſupravelatæ ſubſcriptiones; nam Epiſcoporum ordo inter illos minime ſervatus eſt; quoniam poſt Meinardum, & ſignum crucis Petri Guardienſis Epiſcopi reperitur ſubſcriptus Joannes Archipresbyter, & Sabinus Abbas, & poſt hos iterum ſequuntur aliorum Epiſcoporum ſubſcriptiones, nempe Rutgeri Civitatenſis Epiſcopi, & aliorum. Pariter notandum, quod quatuor ſigna crucis ſunt poſita loco ſubſcriptionum: at is ego non ſum, ut hac de re Suffraganeis Provinciæ meæ ignorantiæ notam velim inurere: infirmitatis potius, & longævæ ſenectutis vitio vertatur. Quod autem eo tempore tanta graſſaretur ignorantia, ut Epiſcopi nonnulli, & Abbates proprium neſcirent exarare nomen, nemini pariat admirationem; nam doctiſſimus Præſul Joannes Ciampinus in ſuo examine libri Pontificalis ſect. 9. demonſtrat, quandoque in Eccleſia fuiſſe magnam inſcitiam, litterarumque imperitiam; unde refert Agathonem Summum Pontificem in quadam ſua epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, ac Heraclium, & Tiberium Auguſtos ſcripta, ſuorum temporum deploraſſe infortunia, occaſione, quia ipſe Pontifex ad eosdem miſit quosdam Epiſcopos, aliosque Apoſtolicæ Sedis Miniſtros, aſſerens eos in medio gentium poſitos, & labore corporis quotidianum victum cum ſumma exercitatione cogi conquirere; quomodo ergo poterat ad plenum in illis ſcripturarum ſcientiam invenire?

In hujus Concilii ſubſcriptionibus nō ſervatur Epiſcoporum ordo.
In eodem quatuor ſigna Crucis ſubſcriptionum loco poſita ſunt.

Id tamen infirmitatis, non ignorantiæ vitio vertendum.

Nemini tamen admirationem parere debet, quod ea tempeſtate Epiſcopi nonnulli, & Abbates ex ignorantia proprium neſcirent exarare nomen; id enim ſæculi illius infortunium fuit.

3 Hanc Epiſcoporum ignorantiam quandoque nonnullis in Regionibus, ſive ob bellorum tumultus, ſive aliis ex cauſis irrepſiſſe cenſemus, etiam in principio decimitertii ſæculi; nam Honorius III. qui eodem ſæculi principio floruit, ab executione Pontificalis officii, Eccleſiæque adminiſtratione ſuſpendit Callinenſem Epiſcopum eo, quia ipſemet coram Pontifice confeſſus fuerat ſe nunquam de Grammatica didiciſſe, neque Donatum legiſſe. Hæc expreſſe leguntur in cap. fin. de ætate, & qualitate &c.

Epiſcoporum nonnullorum ignorantiæ antiquitus quænam fuerint cauſæ?

4 Plura de hac Epiſcoporum ignorantia, qui proprium nomen exarare minime ſciverunt, habes apud eruditum virum Joannem Mabillon Ordinis S. Benedicti, e Congregatione S. Mauri in ſuo opere de re diplomatica lib. 2. cap. 22. per tot. & præſertim num. 3. ubi: At mirari ſubit homines, etiam ſacris Eccleſiæ ordinibus addictos in tam ſupinam veniſſe ignorantiam, ut nomen ſuum pingere non valerent. Talis fuit Paulinus Zurenſis Epiſcopus, ut patet ex collatione Catholicorum cum Donatiſtis: nam Quintus pro Paulino præſente litteras (ideſt ſcriptionem) neſciente, ſubſcripſiſſe perhibetur. Talis & Theodoricus Sadarenſis, atque Elias Adrianopoleos Epiſcopi in Concilio ſecundo Epheſino: Talis Cajumas Phaneenſis in Concilii Chalcedonenſis actione prima. Hæc ille, qui & plura.

5 Obiter hic etiam notandum, Lectorem minime mirari oportere, ſi tam variæ fuerint ſupradictorum Epiſcoporum ſubſcriptiones; nam nil ſub Sole permanens, dixit ille Sapientiæ fons Salomon; tempus enim omnia alterat, & immutat, corrodit, atque conſumit; unde vera, & antiqua rerum facies quandoque, licet ſub oculis appareat, minime agnoſcitur; idque accidiſſe comperimus in ſæpe laudato eruditiſſimo Ughello, qui in noſtris Frequentinis Suffraganeis (tanti viri pace dictum ſit) omiſit, vel non agnovit Julianum Eclanenſem Epiſcopum, de quo apud celebres Auctores, nempe Marium Mercatorem S. Auguſtino æqualem, & Joannem Garnerium ejusdem

Cur in hoc Concilio ſubſcriptiones Epiſcoporum adeo varient?

Ughellus taxatur Julianum Eclanenſem Epiſcopum in Frequentinis Suffraganeis vel omittēs, vel non agnoſcens.

Mer-

Mercatoris Gloſſographum in diſſertatione 1. *cap.* 6. *de Juliano Eclanenſi Epiſcopo*, *ubi plura*. *Hujus occaſione Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri in Galliis in tomo* X. *operum Sancti Auguſtini anno* 1690. *ab ipſis in luce editorum Pariſiis ante opus imperfectum ejusdem Sancti ſcribunt*, *Eclanenſem Civitatem illam eſſe putare*, *quæ olim Quintodecimum appellata fuit*, *quæque poſtmodum ad Frigentum tranſlata*. *At hujusmodi tranſlationem nonnulla poſt ſæcula ex memoriis hiſtoricis Provinciæ noſtræ Italico ſermone conſcriptis ſupra laudati Pompej Sarnelli Epiſcopi Vigilien. accidiſſe comperimus*. *Quoniam iſte Auctor in voce* Quintodecimo *oſtendit hujus Eccleſiæ Epiſcopum anno* 1054. *inter noſtros Suffraganeos adhuc connumerari*. *Julianus ille ordinatus fuit Epiſcopus ab Innocentio I. anno* 416. *Hæc per tranſennam indicata ſufficiant*.

Eclanenſis Civitas quænam fuerit?

APPENDIX.

DISQUISITIO THEOLOGICA-HISTORICA:

An Imperator, Reges, aliique Principes ſæculares Conciliis præeſſe, & Laici in illis intervenire valeant?

Hanc dubitandi anſam nobis præbuit nedum ſupra enarratum S. Milonis Concilium, cui Landulphus Beneventanus Princeps, aliique nobiles viri ſæculares interfuiſſe dicuntur; ſed Concilium etiam Nicolai PP. II. de anno 1059. necnon Uldarici Archiepiſcopi de anno 1061. a nobis deſcripta, quibus quoque laicos interfuiſſe vidimus.

2 Quæſtionem hanc jam multi a Catholica Fide alieni moverunt, aſſerentes omne hominum genus Conciliis intereſſe debere, qui eruditi ſint, omnesque debere eſſe Judices, atque deciſivum habere ſuffragium, ut fuſius demonſtrat Bellarminus in ſuo tractatu *de Conciliis*, *&* *Eccleſia* lib.2. cap.15.

QUÆSTIO PRIMA

In duos Articulos diviſa.

3 Dubium hoc licet iſte acerrimus Eccleſiæ defenſor perpenderit; attamen nos hic aliqua copioſiori calamo examinare tentabimus. Pimo enim loco inquiremus quid a jure divino colligimus, quid a facto hominum edocemur.

Articulus Primus.

Jure Divino evincitur ſæculares Principes Conciliis præeſſe non poſſe.

Probatur ex veteri Teſtamento.

4 In lege enim veteri cap.XI.Numer.verſ.16. habemus: *Et dixit Dominus ad Moyſen*: *congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael*, *quos tu noſti*, *quod ſenes populi ſint*, *ac Magiſtri*, *&* *duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis*, *facietque ibi ſtare tecum*. Verſ.17. *Ut deſcendam*, *&* *loquar tibi*, *&* *auferam de ſpiritu tuo*, *tradamque eis*, *ut ſuſtentent tecum onus populi*, *&* *non ſolus graveris*. Hunc locum ſic legit D. Hieronymus in Zach. cap. 8. *Conſtitue tecum ſeptuaginta ſenes*; ac Origenis Interpres: *Elige tibi Presbyteros*. Quinam iſti ſenes, ſive Presbyteri fuerint Expoſitores docent, non tam ætatis grandioris, quam maturioris virtutis in Divina Scriptura ſenes fuiſſe; ut fuſe docet Lorinus in hoc eodem loco. Jeremias vero cap.3. verſ.15. *Dabo vobis Paſtores ſecundum cor meum*: *paſcent vos ſcientia*, *&* *doctrina*. Quem Prophetæ locum ſic D. Auguſtinus contra Creſconium lib.3.cap.8. explicat: *Scio*, *completum eſt*; *tales Apoſtoli fuerunt*, *tales etiam nunc*, *etſi pro Eccleſiæ latitudine perpauci*, *non tamen deſunt*; *ſed quid etiam per Ezechielem Prophetam dicatur adverſus Paſtores malos*, *debuiſti quærere*, *legere*, *cogitare*: *ille enim dicit*, *ego paſcam non Paſtores*. *Proinde* *&* *per Paſtores bonos*, *&* *Paſtores malos*, *cum Verbum ſuum*, *Sacramentumque diſpenſas*, *ipſe paſcit*, *quia de ſe ipſo ait*: *ut ſit unus grex*, *&* *unus Paſtor*.

5 Ex ſupra memoratis ſeptuaginta ſenibus conflatum fuiſſe Collegium deducimus,

cimus, quod a Judæis *Synedrin* appellatum fuit; in numero tamen duo, & ſeptuaginta erant. Horum ſumma auctoritas erat, ut de lege cognoſcerent, & de Propheta, ac ſimul de Regibus judicarent, ut docet Baronius ad annum 31. n.10.Hæc ex veteri lege. Ex nova autem habemus Actorum 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*. Et ex D. Paulo ad Epheſ. cap.4. verſ.11. *Et ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii in ædificationem Corporis Chriſti*.

Judæorum Synedrin, quibus perſonis conſtabat?

6 Ex allegatis Sacræ Scripturæ locis clariſſime deduci poteſt, quinam ſint illi, qui Chriſti gregem dirigere valeant, nempe quibus Deus per os ſuum Sanctum Spiritum communicavit, *auferam de Spiritu tuo, tradamque eis*; ac alio in loco ſupra citato: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Hos digito demonſtrat Eccleſia, ſcilicet quando Sacerdotibus imponit manus in capite Epiſcopus, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum*. Hæc, quæ ex jure divino collegimus.

7 Si quis autem contendat, ait citatus Bellarminus, omnes Chriſtianos eſſe Epiſcopos, & quod dictum eſt Petro: *Paſce oves meas*, omnibus Chriſtianis eſſe dictum, is demonſtrare debebit, quinam ſint illi, qui in Eccleſia dicuntur oves; ſi enim omnes ſint Paſtores, ubi oves? Quod ſi quidam ſunt Paſtores, ideſt Epiſcopi, & quidam oves, ideſt Laici, & ſoli Paſtores in Conciliis convenire debent, ut definiant, quæ ſint bona paſcua, quæ vero noxia, certe ſequitur non Laicorum, ſed Sacerdotum eſſe Concilia.

Articulus Secundus.

1 Modo ad ſecundum propoſitum punctum, nempe quid edocemur ex hiſtoriis, deveniamus. Heterodoxi nonnulli pro eorum firmanda ſententia, Reges, ac Principes, aliosve Laicos in Conciliis intervenire poſſe, ſuasque ſententias dicere valere, allegant Conſtantinum Magnum Imperatorem in Concilio Nicæno Præſidem fuiſſe; putantes ex hoc, e gradu Primatiæ dejicere Summum Pontificem Romanum, ac Regibus Primatum in Conciliis adſtruere. Qui hoc aſſerunt, referre omittunt, quòd Rufinus lib.1. cap.1. ſcripſit, nempè *id factum fuiſſe ex Sacerdotum ſententia*; convenerat enim inter Silveſtrum Summum Pontificem, & Conſtantinum de hujusmodi convocando Concilio, qui in eo adfuit, non ut Præſes, ſed, ut ait Theodoretus lib.1. cap.7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſecundum Valeſii verſionem, ſic: *Quod ipſe Nicæam venit, tum Epiſcoporum cœtum videre, tum eos inter ſe conciliare deſiderans*.

Conſtantinus Magnus Imperator ad Concilium Nicænũ venit, ſed ut cœtum Epiſcoporum videret, & ut eoſdem inter ſe conciliaret.

Et quidem ex Sacerdotum ſententia venit.

2 Probare ſecundo intendunt eumdem Conſtantinum Præſidem fuiſse, eo quia in illo Concilio, Epiſcopi injuriarum acceptarum ab ipſo remedium petierunt, oblatis ſuis ſupplicibus libellis; ſed quid in hac actione peregerit Conſtantinus, audiamus eundem Rufinum citato lib.1.cap.2. ſic narrantem: *At ille videns, quod per hujusmodi jurgia cauſa ſummi negotii fruſtraretur*, &c. *ait ad Epiſcopos: Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, & ideo Nos a vobis recte judicamur; vos autem non poteſtis ab hominibus judicari, &c. Cumque hæc protuliſſet, omnes querimoniales libellos exuri juſſit, ne innoteſceret ulli hominum ſimulatio Sacerdotum*. Hoccine eſt Judicem, & Præſidem Epiſcoporum agere, qui illos Superiores ſuos, & Judices palam profitetur?

Conſtantini verba animadverſione digniſſima primatiam Sacerdotii ſuper Imperatores adſtruentia.

Supplices libellos in Sacerdotes oblatos exuri juſſit, ne Sacerdotum ſimulatio innoteſceret.

3 Probant tertiò, quod Epiſcopi, qui aderant Concilio, Imperatoris adventum expectabant, cui ſedes ex auro in capite ordinum collocata erat, in qua poſitus ad Synodum orationem habuit, in qua profitebatur, ortas inter illos contentiones cauſam convocandi Concilii præbuiſſe, huncque morbum illius opera curandum eſſe: cumque eos concordiam ſervare inter ſe monuiſset, facultatem tribuit diſſerendi de iis, quæ præ manibus erant, ſtatuens regulam, quam de fide, ac religione diſſerentes ſervare debuiſſent. Quam autem hæc a veritate aliena ſint, ac mendaciis plena, demonſtrat Euſebius lib.1. cap.44. de vita Conſtantini, ſic narrans: *Nec dedignatus adeſſe, & conſidere in medio illorum conventu cognitionis particeps fuit, ea, quæ ad pacem Dei pertinent, cunctis procurans; porro ſedebat in medio, tanquam unus de multis, protectores quidem, cunctosque corporis cuſtodes procul amovens: Dei autem timore contectus, & amicorum fidelium benevolentia vallatus*. Idque etiam affirmat laudatus Theodoretus lib.1. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap.6. dum qua forma, quove in loco Conſtantinus Concilio interfuerit, exhibet; ait enim: *Cumque univerſi jam conveniſſent*,

niſſent, ampliſſimum eis conclave in palatio Imperator præparari juſſit, ſedesque, ac ſubſellia plurima in eo locari, quæ Epiſcoporum cœtui ſufficerent. Hunc in modum cum omnia pro honore illis debito præparaſſet, ingredi eos juſſit, & de rebus propoſitis deliberare. Ipſe quoque cum paucis comitibus poſtremus ingreſſus eſt, proceritate quidem corporis, & forma conſpicuus; ſed ob verecundiam, quæ in ejus vultu inſidebat, multo admirabilior: parvaque ſella in medio poſita, non prius reſedit, quam ejus rei licentiam ab Epiſcopis poſtulaſſet; ſtatimque Magnus Euſtachius Epiſcopus, &c. primus omnium Imperatori Panegyricum dixit, ejusque erga res divinas ſtudium gratulationibus, ac votis remuneratus eſt. Ex quibus clare colligitur, Imperatorem non modo a præſidendi ambitione abſuiſſe, verum etiam humili loco, & petita ab Epiſcopis licentia ſuam collocaſſe ſedem.

Quam demiſſe in Concilio ſederit.

4 Probant quarto. Primo, quod Aceſium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſectatorem Novatianorum ad publicum examen vocaverit. Secundo, quod datis epiſtolis ad Alexandrinam Eccleſiam, in qua Arii errores vigebant, declaraverit ſe examen Arianæ hæreſis errorum cum Epiſcopis ſuſcepiſſe, ut cognita veritate omnis tolleretur ambiguitas, præcipiens inſuper, ne ullus libros, qui Arianam doctrinam continerent, apud ſe retineret; ſed ſub capitali ſententia igni comburendos traderet. Tertio, quod peracta Synodo facultatem ad proprias redeundi ſedes omnibus impertitus fuerit Epiſcopis. Sed cum ea, quæ hac in objectione proponuntur, nullius momenti ſint, parum in his refellendis immorabor. Quod enim ad primum attinet de Aceſio, non eum publicè examinavit Conſtantinus; ſed privata allocutione ab Arianæ hæreſis ſectatoribus revocare tentavit, ut Sozomenus lib. 1. cap. 21. ubi *Fertur*, inquit, *porro Imperatorem cum omnium Chriſtianorum conſuleret concordiæ, Aceſium quoque Novatianorum Epiſcopum ad Synodum vocaſſe, eique regulam fidei, & definitionem de feſto Paſchali oſtendiſſe, Epiſcoporum ſubſcriptionibus jam firmatam, &c.* Si ergo oſtendit Epiſcoporum ſubſcriptiones, collocutio fuit facta extra Concilium de rebus in Concilio geſtis. Quare privata allocutio fuit iſta Conſtantini cum Aceſio.

Quomodo Aceſius a Conſtantino fuerit examinatus?

5 Quoad ſecundum juſſio de comburendis libris Arii, Nicæni Concilii auctoritatem maxime comprobat, dum ea, quæ ibi decernebantur, externæ executioni ipſemet Imperator demandari curabat. Neque obſtat tertium de licentia abeundi, data Epiſcopis. Hoc namque indicat piiſſimi Imperatoris mentem, ac ſtudium erga Eccleſiam commendat, dum Epiſcopos non prius ad propria remeare voluerit, quam omnia, quæ in Chriſtianæ Reipublicæ commodum diſcutiebantur, plenè, ac feliciter terminata, & concluſa fuiſſent. Et tunc humaniſſimis verbis, eorum diligentiam, ac ſingulare ſtudium laudans, necnon viaticum ſubminiſtrans, precatus a Deo Optimo Maximo iter proſperum, illos ad proprios redire greges hortabatur. Ex his manifeſte ſatis apparet, Concilii auctoritatem ab Imperatore minime fuiſſe imminutam, verum etiam maxime amplificatam. Quod dicitur de Nicæno Concilio a Conſtantino de Beati Silveſtri conſenſu convocato, idem etiam dicendum de Conſtantinopolitano I. Epheſino I. & Chalcedonenſi ab eisdem Heterodoxis in ſimilem quæſtionem revocatis; cujus ſolutionem brevitatis gratia omittimus, cum apud dictum Bellarminum de Conciliis cap. 19. videri poſſit: ubi luculenter materia eſt tractata.

Conſtantinus auctoritatem Concilii amplificavit maxime, nullaque ex parte imminuit.

SECUNDA QUÆSTIO.

1 Huc usque breviter expoſuimus, an Imperatores Concilia convocare, illisque præeſſe valeant. Supereſt nunc pro noſtræ intentionis majori declaratione demonſtrare: *An Reges, & Principes inferiores ab Imperatoria dignitate, necnon Laici in eisdem Conciliis præeſſe, & intereſſe poſſint?*

2 Expreſſus eſt can. 18. Synodi octavæ, ſcilicet Conſtantinopolitanæ quartæ, ubi legitur: *Nuſquam Sacri Canones convenire ſæculares Principes in Conciliis ſanxerunt, ſed ſolos Antiſtites.* Unde nec interfuiſſe illos Synodis, exceptis Conciliis univerſalibus, invenimus; neque enim fas eſt, ſæculares Principes ſpectatores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt. Hujus Canonis locum explicat eruditiſſimus Lupus tom. 2. pag. 1339. ſuam ferendo ſententiam, ac allegando particulam epiſtolæ Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem, quæ in ordine eſt octava, & habetur etiam in 96. diſtinct. ubi ſic: *Dicite ubi nam legiſtis, Imperatores anteceſſores veſtros Synodalibus conventibus fuiſſe, niſi forſitan in quibus de fide tractatum eſt, quæ univerſalis eſt, quæ omnium communis eſt, quæ non ſolum ad Clericos, verum etiam ad Laicos, & ad omnes omnino pertinet,*

pertinet Chriſtianos? Ex qua epiſtola deducit Pontificem arguere Imperatorem, quod criminali judicio extra fidem in S. Ignatium Patriarcham interfuiſſet numeroſiſſima Palatinorum, ac populi turma ſtipatus. Jure igitur Pontifex Imperatorem redarguit, quia in criminalibus actibus, a generali Synodo in Epiſcopos factis, extra tamen fidei quæſtiones, Clerici, aut Laici Principes adeſſe non poſſunt, ut ex recepta Eccleſiæ regula in Chalcedonenſi Concilio act. 8. oſtendit Cecropius Epiſcopus Sebaſtopolitanus, qui Dionyſio Patriarchæ Alexandrino poſtulanti criminalibus in ſe actionibus adeſſe magnificentiſſimos Judices, reſpondit. *Quando regularia* (ideſt Epiſcoporum, aut Clericorum in regulas crimina) *examinantur, neque Judices, neque alios Laicos adeſſe oportet.*

3 Hinc ſcribit Facundus Epiſcopus Hermanienſis lib. 5. cap. 3. *Chalcedonenſis Synodi actio 3. abſque Judicibus, ac Senatu celebrata eſt propterea, ſicut exiſtimo, quia in actione prima judicatus* (de fide) *Dioſcorus erat* (jam ob regularia delicta) *Epiſcopatus bonore privandus.* Alias etiam auctoritates affert laudatus Lupus par. 1. diſſert. de Synodo Chalcedonenſi cap. 2. pag. 640. ubi aſſerit: *Laici ſolis fidei quæſtionibus, & quidem mere audiendis, Conciliis adeſſe poſſunt;* & in actione 7. pag. 831. Concilii Epheſini ſubdit: *A ſolis Regularibus, ideſt criminalibus in canones extra fidem, ac in Epiſcopos, & Clericos judiciis Laicos arcet Synodorum regula, fidei quæſtionibus adeſſe permittit;* Idque etiam luculentius exponit cap. 5. diſsert. de Synodo Nicæna pag. 101. ubi Magni illius Antiſtitis Mediolanenſis Eccleſiæ Ambroſii verba ad Valentinianum Imperatorem epiſt. 13. refert, quibus oſtendit, Laico, nec de fide diſputare, nec de Sacerdote judicare licere, ſic enim Eccleſiæ Doctor loquitur: *Quando audiſti, clementiſſime Imperator, in cauſa fidei laicos de Epiſcopo judicaſſe? ita ergo quadam adulatione curvamur, ut Sacerdotalis juris ſimus immemores, & quod Deus donavit mihi, hoc ipſe aliis putem eſſe credendum? Si docendus eſt Epiſcopus a Laico, quid ſequetur? Laicus ergo diſputet, & Epiſcopus audiat? Epiſcopus diſcat a Laico, &c.* Concludit Lupus verbis Valentiniani Senioris: *Non eſt meum inter Epiſcopos judicare;* quod itidem dixit Magnus Conſtantinus: *Mihi fas non eſt de Sacerdotibus judicare.*

Laici ſolis fidei quæſtionibus, & quidem mere audiendis, Conciliis adeſſe poſſunt.

Laico nec de fide diſputare, nec de Sacerdote judicare licet.

4 Laudatus Bellarminus in dicto tractatu de Conciliis, & Eccleſia lib. 1. cap. 15. ſic de hac quæſtione loquitur: *Principes autem vocari, tum ut Concilium defendant, tum ut teſtes, & conſcii Decretorum Concilii, poſtea tranſgreſſores, & contumaces pœnis corporalibus puniant. Denique ex privatis Laicis tantum vocari aliquos, qui videantur utiles, vel neceſſarii ad aliquod miniſterium Concilii.*

Quare Principes Sæculares ad Concilium vocantur?

Hanc ſententiam eſſe Catholicorum, patet tum ex perſonis, quæ interfuerunt Concilio Tridentino, tum ex Joanne de Turrecremata lib. 3. cap. 12. & 15. & aliis Auctoribus, Deinde poſt nonnulla addit: *Præterea Theodoſius Junior in epiſtola ad Epheſinam Synodum, quæ extat in primo tomo ejus Concilii cap. 32. Illicitum eſt, inquit, eum, qui non ſit in ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.*

Pulcheria quoque Imperatrix in epiſtola ad Strategum Bithiniæ, quæ habetur ante Concilium Chalcedonenſe, juſſit, ut Clerici, Monachi, & Laici etiam vi repellerentur a Concilio, exceptis paucis illis, quos Epiſcopi ſecum duxerant. In Concilio Chalcedonenſi actione prima, cum ad Martinum Archimandritam mitteretur, ut ſubſcriberet, reſpondit: Non ſuum eſſe, ſed Epiſcoporum tantum ſubſcribere. Et in eodem Concilio, cum pro Dioſcoro Monachi, & Laici ingreſſi eſſent, ſæpius Patres clamaverunt: mitte foras ſuperfluos; Concilium Epiſcoporum eſt.

Pulcheria Imperatrix Clericos, Monachos, Laicosque à Concilio vult expelli.

5 Hiſce Bellarmini auctoritatibus aliæ addi poſse videntur, nempe Sozomeni, qui in hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 6. cap. 7. Valeſianæ verſionis ſic ait. *Qui* (ſcilicet Hypantius Heracleæ Epiſcopus) *cum Imperatorem adiiſſet, & Epiſcoporum mandata ei expoſuiſſet, Valentinianus ita reſpondit: Mihi quidem in Laicorum ordine conſtituto fas non eſt hujuſmodi negotia curioſius ſcrutari: Sacerdotes vero, quibus id curæ eſt, ſeorſum, ubicumque voluerint, conveniant; nempe Concilium celebrent, ut peractum fuit in Civitate Lampſacena.*

6 Præter auctoritates laudatus Bellarminus pro ſuæ intentionis fundamine firmiſſimas adducit rationes, nempe ſupra allatam aſsertionem probari etiam ex Conciliis hactenus celebratis; nam omnium Conciliorum Decreta ab Epiſcopis ſolis facta eſse patet ex ſubſcriptionibus: ubique enim invenitur, ſolos Epiſcopos ſubſcripſiſse, exceptis paucis generalibus, quibus Imperator etiam ſubſcripſit, ſed alia forma, quam Epiſcopi; Epiſcopi enim definiendo ut Judices, Imperatores conſentiendo ſubſcripſerunt. Et quibuſdam etiam pauciſſimis, ut Florentino, Lateranenſi, & Tridentino, quibus ſubſcripſerunt Abbates, & Generales Ordinum: ceteri quamvis optimi, & doctiſſimi eſsent, nunquam ſunt

admiſſi, niſi ad conſultandum, excepto Concilio Baſilienſi, ubi Presbyteri admiſſi ſunt ad ſuffragium deciſivum, ſed perperam, & contra morem omnis antiquitatis, *nec illud Concilium fuit legitimum*.

Presbyteri ad ſuffragium deciſivum in Concilio Baſilienſi perperam admiſſi, nec illud Concilium fuit legitimum.

7 Item probatur. In primis negotia Eccleſiaſtica, & publica a perſonis Eccleſiaſticis,& publicis tractanda ſunt,ut notum eſt; tales autem ſoli ſunt Epiſcopi. Deinde ſi omnes homines docti admitti deberent, vel nunquam eſſent Concilia generalia, quia vix poſſent omnes docti totius Eccleſiæ convocari, vel ſi tandem congregarentur, eſſet impoſſibile regere tale Concilium propter nimiam multitudinem. Præterea tunc ſine dubio plures eſſent in Concilio inferiores, quam ſuperiores, & proinde tunc vere vinceret major ſententia meliorem, & in Eccleſia regerentur ſuperiores ab inferioribus, non e contrario, quod abſurdiſſimum eſt. Subdit deinde: ſi ita eſſet, tunc poſſet facile unus Princeps, in cujus regione ſit Concilium, definire quidquid vellet: poſſet enim facillime colligere omnes Presbyteros, & doctos homines ſuæ Provinciæ, & in Concilium introducere; id, quod non poſſent alii Principes, qui longe abeſſent. Denique nulla eſt Reſpublica, quæ, ratione naturali docente, non habeat aliquem ordinem in Comitiis, itaut non quicumque de plebe, ſed tantum Principes, & capita ceterorum locum, & ſuffragium habeant. Concludimus ergo præfatos Laicos, qui in ſupramemoratis Beneventanis Conciliis interfuere, ab iisdem Conciliis Principem, & Comites, ut illa defenderent, tranſgreſſoresque,& contumaces corporalibus pœnis punirent, alios vero, ut ejusdem Concilii teſtes eſſent, fuiſse vocatos.

AD PRÆCEDENTEM DISQUISITIONEM MANTISSA.

Diœceſanam Synodum cogere ad Epiſcopum abſolute pertinet: nec in Decretis condendis Cleri, vel Capituli conſenſus, ſive approbatio requiritur.

1 Exclusis e Concilio laicis poteſtatibus, in Diœceſana Synodo neque Presbyteros ad ſuffragium admittendos eſſe dicimus; ita ut liberum ſit Epiſcopo pro libitu ſuo eam cogere, quæque in Domino videbuntur, Conſtitutiones edere abſque ullo prorſus Cleri conſenſu, neque etiam Capituli, cujus ſolummodo conſilium exquirere, non autem ſequi tenetur, exceptis nonnullis caſibus a jure expreſſis, cujusmodi ſunt

Caſus, in quibus Capituli conſenſus requiritur in Statutis Epiſcopi.

I. Ea omnia, in quibus agitur de ipſorum Capitulorum particulari intereſſe. *Cap. fin. de his, quæ fiunt a Prælat. Cap. veſtra. de location.*

II. Si Eccleſiæ imminueretur auctoritas, quod ſtatutum, nec etiam Capitulo aſſentiente, valeret. *Cap. dilecti. de major. & obed.*

III. In Eccleſiæ bonorum alienatione *C. ſine exceptione 12. q. 2. cap. 1. de his, quæ fiunt a Prælat.* vel ſi de obligatione Eccleſiæ pertractaretur *cap. quod quibusdam de fidejuſſor.*

IV. Si ageretur de præjudicio quoad ſubjectionem, vel limitationem Eccleſiæ *cap. fin. de majorit. & obedient.*

Archidiaconi cujusdam pervicacia in Synodo Diœceſana.

2 Non raro tamen contigit, ut nonnulla Capitula, veſano quodam furore, vel in ſacrilegas contumelias auſa ſint aſſurgere contra Epiſcopos ſuos, Diœceſanas leges ferentes. Stomachum profecto cierent, ſi univerſa, quæ hac in re habemus, diligenti ſtilo decurreremus per ſingula. Sufficiat facinus cujusdam Archidiaconi (at extra hujus noſtri florentiſſimi Regni fines) cujus probroſa petulantia eo devenit impudentiæ, ut non veritus ſit Epiſcopalibus decretis reluctans e Synodali venerabili conſeſſu, ut erat, pluviali indutus extra Eccleſiam cum ſuis ejusdem farinæ aſſeclis ſeſe proripere: *Non placet, non placet*, debacchans infrendendo. *Cumque deberet eſſe oculus Epiſcopi, factus eſt Epiſcopo ſuo clavus in oculum*; ut cum Fulberto Carnotenſi Pontifice appoſite loquamur *epiſt. 34.* Liſiardi Archidiaconi adverſus Epiſcopum ſuum inſolentiſſimam contumaciam deteſtante.

Capitulorum Regni Neapolitani obedientia. Euphemii proprium Conſecratorem accuſantis improbatio.

3 Satis ea in re laudare nequimus Canonicorum noſtri Neapolitani Regni debitam Nobis reverentiam ſancte obteſtantium, qui hujusmodi exlegibus Capitulis audacter illud Leonis Romanæ Eccleſiæ Diaconi, & Sedis Apoſtolicæ Legati ad Euphemium, etſi Epiſcopum, contra ſuum Conſecratorem inſurgentem, majori ratione obiicerent: *ex te damnaberis, quoniam Pontificem, qui te conſecravit, condemnas*. Tantum abeſt, ut tam execrandæ temulentiæ communicarent.

Hiſpaniæ Regum ſumma pietas. Siſenandi Hiſpaniarum Regis gloria in Concilio Toletano adepta.

4 Papæ! Non abſonum,& ſcandaloſum apud nos eſſet, ſi Presbyteri in Synodis refractarii apparerent, cum etiam noſtri Sereniſſimi Reges pro ſua egregia pietate, Siſenandi Hiſpaniarum Regis prædeceſſoris immenſam gloriam æmulantes, quam in IV. Toletano Concilio (*anno 633.*) hactenus adeptus fuerat,

rat, Synodales Conventus, & maximi faciant, & revereantur? *Ad hoc enim* (a Magno Gregorio verba *lib.2. ep.62.* ſumentes) *poteſtas Dominorum noſtrorum pietati cælitus data eſt, ut qui bona appetunt, adjuventur, ut Cælorum via largius pateat.*

Horum elogium

5 Ad illorum itaque oblatrantium Canum os omnino obſtruendum ſatis ſint duæ Sac. Congr. Conc. Magiſtrales litteræ, ut juniores Romani cauſidici dicunt, à Confratre noſtro Dilectiſſimo, & vere Reverendiſſimo Pompejo Sarnelio Vigilieñ. Epiſcopo ſæpe laudato mutuatæ, penes quem autographa exempla extant.

Litteræ Sacræ Congregationis datæ ad Venetiarum Patriarcham
Die 27. Aprilis 1592.

Illuſtriſs. &c. Sacra Congregatio Illuſtriſs. Patrum, qui Tridentino Concilio interpretando a SS. D. N. præfecti ſunt, per libellum Amplit. tuæ nomine porrectum conſulta, reſpondit: eandem Amplitudinem tuam in Synodo Diœceſana facere poſſe conſtitutiones abſque conſenſu, & approbatione Cleri: debere tamen requirere Conſilium Capituli, licet illud non teneatur ſequi, niſi in caſibus a jure expreſſis: non obſtante, quod ex forma Romani Pontificalis in celebranda Diœceſana, & Provinciali Synodo expreſſe habeatur, ut Conſtitutiones in Synodo publicandæ a Patribus per verbum Placet *confirmentur: cujus Congregationis ſententiæ Amplit. Tua inhærens in ſuam Synodum peragendam naviter incumbat, & bene valeat in Domino, quem, ut illi in hujusmodi paſtoralibus, ac ſalutaribus muniis ſua gratia ſemper adſit, ex animo rogamus. Romæ die 27. Aprilis 1592.*

Ita reperitur in Regeſto autographo litterarum Sac.Congreg.Concilii lib.8. fol.32.
In fidem, &c. Hac die 16.Novemb.1689. A.Altovitus S.C.C. Secr.

Loco ✠ Sigilli.

Aliæ Litteræ ejusdem argumenti datæ ad Epiſcopum Oriolen.
Die 17. Maji 1599.

Reverendiſs. &c. Sac.Congreg.Cardinalium Conc.Trid. Interpetum ſæpius conſulta reſpondit: Licere Epiſcopo, ad eumque pertinere cogere Synodum Diœceſanam, abſque conſenſu, & conſilio Capituli. In ea autem Conſtitutiones eumdem Epiſcopum edere, ac promulgare poſſe abſque conſenſu, & approbatione Cleri; debere tamen requirere conſilium Capituli, tametſi illud ſequi non teneatur, præterquam in quibusdam caſibus a jure expreſſis. Quæ Amplit. Tuæ in Synodi celebrationem incumbenti, iccirco ſignificare voluimus; ut ex Patrum ſententia quid ſibi liceat, quantaque hac in re ſit ejus facultas agnoſcens, impedimentis omnibus ſublatis, Synodum celebret, & abſolvat, ex qua plurimum utilitatis ad animas ſibi creditas perventurum ſperamus, quippe qui paſtoralem ejus ſollicitudinem, acremque zelum, ac ſolertiam, & ſacrarum litterarum cognitionem, qua eminet, optime compertam habemus. Deus Amplit.Tuam incolumem ſervet. Romæ die 17.Maji 1599.

Ita reperitur in Regeſto autographo litt. S.C.C. lib. IX. fol.22. a ter.
In fidem, &c. Hac die 16.Nov.1689. Ita eſt A. Altovitus Secr.

Loco ✠ Sigilli.

LANDULPHUS SECUNDUS.

Landulphus II. Beneventi Archiepiſcopus X. ordinatus a Paſchali PP.II. in Beneventana Synodo Anno Domini MCVIII. *menſe Decembri. Hujus ordinationis Anno* IV. *D. Bartholomæi Baſilica, Archiepiſcopi, & populi ære ædificari cœpta eſt. Idem Paſchalis PP. iterum Beneventi Concilium celebravit Anno Domini* MCXIII. *In Ceperana autem Synodo Archiepiſcopum depoſuit Anno Domini* MCXIV. *Rurſus* XI. *Auguſti die Anno Domini* MCXV. *ſuæ ſedi eum reſtituit. Tertio Paſchalis PP. II. Beneventi Concilium celebravit An. Dom.* MCXVII. *ut ſuis locis retulimus. Landulphus vero, & ipſe Provincialem Synodum celebravit Anno Domini* MCXIX. *In ea inter cetera ſancitum fuit, quod Anathematis pœnæ ſubjacerent illi, qui mercatores ad Civitatem Beneventanam tam euntes, quam redeuntes quomodolibet perturbarent. Idem Landulphus ſeptem Sanctorum corpora Beneventi reperta eodem anno in Metropolitanam aſportavit. Sedit Annos* XI. *obiit die* IV. *Auguſti An. Domini* MCXIX.

CONCILIUM PROVINCIALE QUARTUM,

Habitum menſe Martio Anno 1119. a Landulpho Archiepiſcopo.

Ejusdem Synodi notitiam ſuggerit Falco in ſuis Chronicis Beneventanis, quæ refert Ughellus tom. 8. col. 157. & Labbe Append. ad tom. 10. col. 1835. ſcilicet.

Anno Chriſti 1119. ANno 1119. Anno primo Calliſti II. Summi Pontificis, & Univerſalis Papæ, menſe Martio duodecimæ Indictionis ejuſdem prædictus (*ſcilicet Landulphus*) Beneventanus Archiepiſcopus, videns Civitatem variis prædarum afflictionibus ex omni parte confundi, & devaſtari, ſuæque Parochiæ Eccleſias a captoribus vexari quotidie, Synodum decima die intrante menſis ejuſdem Martii celebravit. Ad cujus ſacri Conventus præſentiam [a] Tuſculanus affuit Epiſcopus, & [b] Ugo ſupranominatus Cardinalis, & Cardinalis alius, & Beneventanæ Sedis Suffraganeorum circiter viginti, Monaſteriorum Abbates ſex affuere.

Inter cetera vero, quæ in iſto Conventu ſtatuta ſunt, omnes malefacientes Beneventi, & diſturbantes Mercatores ad Civitatem venientes, & redeuntes ſub anathematis vinculo alligavit. Conventu itaque pie, & ordinate finito, unusquisque ad propria repedavit.

NOTÆ.

a. Tusculanus Episcopus] *Quiſnam fuerit Epiſcopus iſte, nobis oſtendit laudatus Ughell. inter Epiſcopos Tuſculanos num.* 10. *nempe Divitium, quem ſupramemoratum Falconem Dionyſium appellare aſſerit.*

b. Ugo Cardinalis] *Illum fuiſſe Cardinalem ex Ciacconio noviſſima editione cum Oldoino comperimus, quem Paſchalis II. Cuſtodiæ Urbis Beneventanæ præfecit.*

MONALDUS I. MONALDESCHUS.

Monaldus hoc nomine I. cognomento Monaldeſchus, patria Urbevetanus Ord. Minorum è Suanenſi Eccleſia ad Beneventanam translatus eſt a Bonifacio Papa VIII. ann. MCCCIV. *die* XVII. *Januarii* XXIII. *Archiepiſcopus; & a ſeptem Cardinalibus pallio decoratus: Atrium Sacræ Baſilicæ S. Bartholomæi Apoſtoli erexit an.* MCCCXX. *Moniales S. Mariæ Portæ Summæ Ord. S. Benedicti ad Monaſterium S. Petri ejusdem Ord. tranſtulit an.* MCCCXXIII. *die* XXVI. *Aprilis, priore in arcem pro Urbis cuſtodia converſo. Provinciale Concilium habuit an.* MCCCXXXI. *quo & obiit in Hetruriæ oris, cum ſediſſet an. circiter* XXVII.

CONCILIUM PROVINCIALE QUINTUM,

Habitum anno 1331. a Monaldo Archiepiſcopo.

Hujus Concilii fragmentum m.s. habemus in Metropolitano Archivo in pervetuſto Codice, incipiente a Capite XIII. uſque ad Cap. LXXIII. quod eſt ultimum: priores namque paginæ, duodecim alia capita continentes, deſiderantur. Quæ itaque reperimus, fideliter exſcripta, ſunt, quæ ſequuntur.

CAP. XIII.

Pro Beneficiorum collatione, nihil, vel detur, vel accipiatur a quocumque. Collationis litteræ penes præſentatum extent.

Anno Chriſti 1331. ITem, ut error ſimoniacæ pravitatis, & labes ejus funditus extirpetur, ſub excommunicationis pœna monemus, & ordinamus, atque ſtatuimus, quod nullus de Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana pro aliquo beneficio obtinendo aliquid ſpirituale ex pacto, vel juramento, vel aliquid temporale, pecuniam, vel alia bona promittat, ſeu donet alicui Domino Epiſcopo, Abbati, vel alteri Domino ſpirituali; necnon Comiti, Baroni, aliiſque perſonis ſæcularibus cujuſcumque exiſtant præeminentiæ, ſeu patronis Eccleſiarum quarumcumque vel ſuæ familiæ, vel etiam alicui alteri mediatori, vel procuratori, quocumque quæſito colore, vel propter aliquam tranſactionem alicujus beneficii Eccleſiaſtici, ſeu permutationem, niſi in quantum jura permittunt. Supradicti autem ſint excommunicati. Simoniam committentes, tam dantes, quam recipientes, quam etiam mediatores, quam etiam promittentes, & jurantes, ſint beneficiis Eccleſiaſticis, quæ obtinent, ipſo facto privati: & nihilominus ſententiam Simoniacis pœnæ taxantur.

tiam

tiam excommunicationis incurrant. Adjicientes nihilominus, & mandantes, quod nullus patronus Eccleſiæ Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ prædictarum cujuscumque ſtatus, præeminentiæ, aut dignitatis exiſtat, litteram collationis Eccleſiæ, ſeu inſtitutionis præſentati ad dictam Eccleſiam, ſeu in poſterum præſentandi penes ſe habeat, ſeu retineat quoquo modo: Immo ipſas eſſe volumus penes inſtitutum prædictum, donec vixerit. Et quod nullus patronus Eccleſiæ cujuſcumque prædictarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ quocumque quæſito colore, vel via recipiat, nec recipere poſſit aliquem fructum, ſeu reditum ipſius Eccleſiæ ab inſtituto pacto, nec aliquid aliud ab hujusmodi præſentato, ſeu præſentando per eum. Contrarium vero facientes tam dantes, quàm recipientes pœnas easdem incurrere volumus ipſo facto.

Litteræ collationis toto tempore vitæ ſuæ apud beneficiatum debent extare.

CAP. XIV.

Beneficiorum collatio favore alicujus, aut timore facta, nulla ſit.

Item, quod nonnulli ambitionis vitio irretiti viam rectam oberrantes, ut cæci, & ovile per oſtium non intrantes, dum beneficia vacant, Dominos temporales, & alios Magnates, & Potentes adeunt, ab eisque ad Prælatos, & alios, ad quos ſpectat collatio, & inſtitutio beneficiorum, ipſorum preces, & noſtras exigunt, & obtinent opportunas. Unde contingit, quod Prælati ipſi Dominos temporales, & eorum indignationes verentes, ſæpe indignis beneficia conferunt, vel ſi non conferunt tali, prout ſupra nominato, ipſorum Dominorum, & Potentum odium, & indignationem incurrunt. Ex quo, prout ſæpe experientia docuit, Prælatorum Eccleſiaſticorum non modicum ſequitur detrimentum. Nos volentes huic morbo, qui ſine ſimoniæ vitio vix accidit, illam, quam poſſumus adhibere medelam, præſenti Conſtitutione in noſtris Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventanis perpetuo valitura, ſancimus, ut quicumque Clericus Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ prædictarum preces, vel litteras a Domino potenti hujusmodi pro aliquo beneficio obtinendo impetraverit, vel obtinuerit per ſe, vel per alium, directe, vel indirecte, quocumque colore quæſito, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat; & nihilominus ſi Ordinarius vi, vel timore compulſus beneficia ipſa conferat, vel eos in eis inſtituat, declaramus auctoritate præſentis Conſtitutionis collationem, ſeu inſtitutionem hujuſmodi non valere. Inſtitutum modo præmiſſo tanquam indignum fore penitus amovendum, ipſumque reſtitutioni fructuum perceptorum *.

Pœnæ impetrantibus commendatitias litteras ad obtinenda beneficia.

Forſan deeſt * teneri.

CAP. XV.

Teſtamentorum exequutores infra annum Teſtatorum voluntatem exequantur.

Item præſenti conſtitutione ſub excommunicationis pœna monemus omnes, & ſingulos Clericos, & Laicos cujuscumque ordinis, ſtatus, & dignitatis exiſtant, Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, qui exequutiones debent facere teſtamentorum, & ultimarum voluntatum, vel in futurum debebunt, & tam hæredes, quam quoſcumque ſucceſſores, & poſſeſſores bonorum decedentium prædictorum, condentium teſtamentum, ut exequutionem hujuſmodi perficiant infra annum, a die mortis, vel conditi teſtamenti computandum, decernentes hujusmodi ex nunc pro tunc excommunicatos. Elapſo anno, vel conditione adveniente, prout jura volunt, ad nos, & noſtram Curiam, ſeu Suffraganeos noſtros, & eorum Curias fore legitime devolutas pro præſenti etiam *.

Forſan deeſt * ſancimus.

Iterum de exequutione quorumcumque male ablatorum incertorum quovis quæſito colore. Contrarium vero facientes ipſo facto excommunicationis ſententia innodamus, abſolutione eorum nobis, & noſtris Suffraganeis, prout ad Nos, & ipſos ſpectat, ac noſtris, & eorum Vicariis tantummodo reſervata.

CAP. XVI.

Nemo teſtamentorum exequutiones impediat ſub anathematis pœna.

Item monemus ſub excommunicationis pœna, ut ſupra, quod nullus impediat directe, vel indirecte, publice, vel occulte quocumque quæſito colore, quominus exequutiones prædictæ perficiantur in terminis ſupradictis; alioquin dictam excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto.

CAP. XVII.

Teſtatorum, hæredum, teſtamentariorumque exequutorum nomina infra menſem Epiſcopo, vel ejus Vicario notificentur a Notariis.

Item monemus ſub excommunicationis pœna omnes, & ſingulos Notarios, Presbyteros, & Clericos Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, qui teſtamentis, ſeu ultimis voluntatibus quibuscumque jam factis, vel ex nunc in antea faciendis pro Notario, ſeu Scriptore: & ubi teſtamenta ipſi non ſcriberent, pro teſtibus intervenerint in futurum, quod infra menſem unum poſt mortem illorum, quorum ſcripſerunt teſtamenta, vel alias quascumque ultimas voluntates, ſeu * præmittitur, in teſtamentis non ſcriptis.

Forſan deeſt * ut.

ptis pro teſtibus interfuerint, debeant nobis, vel Vicario noſtro, vel alteri, cui mandaverimus, aut noſtris Suffraganeis, vel eorum Vicariis, ſeu aliis quibuscumque mandaverint, nomina teſtamentorum decedentium, hæredum. & exequutorum teſtamentorum ipſorum aſſignare in ſcriptis.

CAP. XVIII.

Archipresbyteri, Eccleſiarum Rectores, Capellani, & Clerici teſtatores ne inſtruant in fraudem canonicæ portionis ad Eccleſiam, eccleſiaſticasve perſonas pertinentis.

Prohibetur inſtructio teſtatorum facta etiam ſigno.

ITem monemus, ut ſupra, omnes, & ſingulos Archipresbyteros, Rectores Eccleſiarum, Capellanos, aliosque Clericos cujuscumque ordinis, vel conditionis exiſtant, necnon omnes, & ſingulos Notarios, Judices, & Scriptores, & alios quoscumque tam mares, quam mulieres Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, qui ex nunc intererunt, ſeu ſtabunt in confectione teſtamentorum maris, vel mulieris Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ ſupradictarum, quatenus nullo quæſito colore verbo, ſigno, vel facto impediant, ſeu turbent, vel alias fraudulenter inſtruant, vel doceant, facientes, ſeu condentes teſtamentum, ſeu teſtamenta, vel ipſi teſtatores in eorum teſtamentis aliquam clauſulam, ſeu verbum apponant, vel aliis apponi faciant diſtincte, vel indiſtincte per quamcumque formam verborum, vel taciturnitate, ſeu alias modo quocumque, per quem nos, & noſtra Curia, vel aliæ Curiæ, Eccleſiæ, eccleſiaſticæque perſonæ noſtrarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ defraudaremur portione canonica, & aliis juribus nobis, & eis competentibus, prout jura volunt, & mandant. Contrarium vero facientes excommunicationis ſententiæ ſubjacere volumus ipſo facto.

CAP. XIX.

Regulares teſtamentis nullo modo ſe ingerant; nec eorum exequutores exiſtant, niſi præſtita Epiſcopo cautione de fideliter exequendo.

ITem præſenti Conſtitutione ſtatuimus, ac etiam ordinamus, quòd nulla perſona religioſa cujuscumque ordinis, vel conditionis exiſtat, quæ in Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana in teſtamentis, ſeu ultimis voluntatibus pro exequutore, aut diſtributore teſtamentario, aut alias quocumque nomine nuncupentur, per teſtatores, vel decedentes fuerit ordinata, de exequutione teſtamentorum ipſorum, aut ultimarum voluntatum ſe audeat intromittere, vel præſumat: aut bona quæcumque eorumdem ad ſuas manus recipere, vel de ipſis diſponere quoquo modo, niſi prius coram Nobis, & Suffraganeis noſtris, aut noſtro, vel eorum Vicariis dederit idoneam cautionem uſque ad valorem bonorum diſtribuendorum de dicta exequutione fideliter facienda: maxime quia plerique bona ipſa ſibi appropriant, aut de locis, in quibus eſt exequutio facienda, ſe transferunt ad remota; unde voluntates decedentium defraudantur. Contra vero facientes excommunicationis vinculo innodamus.

Regulares in exequutione teſtamenti plerique bona ſibi appropriant, & de loco in locum ſe transferunt.

CAP. XX.

Malè ablatorum incertorum diſpoſitio ad Epiſcopum ſpectat, licet a teſtatore ad certos uſus fuerint deputata. Eorum notitia infra duos menſes ad Epiſcopos deferatur.

ITem, cum licet quædam aliquorum Doctorum juris canonici ſint opiniones diverſæ, quòd diſpoſitio male ablatorum incertorum ſpectet ad Diœceſanum, vel ad exequutores teſtamentorum defunctorum; Nos opinionem illam, tamquam juri conſonam Doctorum plurimorum in hoc concordantium amplectentes, videlicet, quòd diſpoſitio male ablatorum incertorum ad Ordinarium, ac Diœceſanum, & Epiſcopum loci ſpectat tantum, & non ad exequutores teſtamentorum prædictorum, hac perpetua conſtitutione ſtatuimus, ac etiam ordinamus, quod ipſorum male ablatorum incertorum diſpoſitio, & exequutio ſub quacumque forma verborum dimiſſorum, etiamſi per ipſos teſtatores prædicta male ablata incerta ad certos, & determinatos uſus deputata ſint, vel in poſterum deputentur; (quas deputationes ex nunc decernimus irritas, & inanes;) & nihilominus etiam ſupradictorum exequutorum per teſtatores ipſos ſuper diſpoſitionem eamdem induſtria eligatur; & ad Nos, & Succeſſores noſtros, ac Suffraganeos noſtros, prout ad quemlibet eorum pertinet, ſpectare debeat, atque ſpectet; monentes omnes, & ſingulos exequutores, & hæredes quorumcumque teſtatorum, qui deceſſerunt, & inpoſterum decedent Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ una canonica monitione pro omnibus, & peremptorie, ut de malis ablatis incertis qualitercumque dimiſſis, vel dimittendis in poſterum, infra menſes duos computandos a die obitus decedentium eorumdem, Nobis, vel Suffraganeis noſtris, aut noſtris, vel eorum Officialibus ad hoc deputatis ſatisfaciant cum effectu diſponendi, & exequendi per Nos, vel ipſos Suffraganeos, prout Nobis, & ipſis pro ſalute animarum teſtatorum ipſorum ſalubrius viſum fuerit expedire. Contrarium vero facientes dicta monitione præmiſſa ipſo facto excommunicationis ſententia decernimus ſubjacere.

Diſpoſitio male ablatorum incertorum ad teſtamenti exequutorem non ſpectat.

Monentur exequutores, & hæredes teſtatorũ, ut relicta male ablata incerta Epiſcopis ad diſponendum deferant.

CAP. XXI.

Canonica portio infra annum Epiſcopis, ſeu Eccleſiis perſolvatur.

ITem monemus, ut ſupra, omnes, & ſingulos exequutores, & hæredes, ſeu ſucceſſores bonorum defunctorum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, quod ſi infra annum à die conditi teſtamenti quartam, ſeu canonicam portionem Nobis, vel ipſis Suffraganeis, & noſtræ, ac eorum Eccleſiis prædictis Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ de jure debitam non ſolverent, quartam ipſam nobis, & noſtris Suffraganeis, Clericis, & Eccleſiis aliis, quibus eamdem debent, integraliter debeant aſſignare. Alioquin in contrarium facientes, canonica monitione præmiſſa, ſententiam excommunicationis proferimus in his ſcriptis.

CAP. XXII.

Pecuniam, bonaque alia Metropolitanæ Eccleſiæ, S. Bartholomæi, aut aliis Civitatis, & Provinciæ legata, aut debita retinentes, aut occupantes, excommunicantur.

ITem ſtatuentes monemus una monitione pro tribus, & peremptorie, ac etiam excommunicamus, & excommunicatos in his ſcriptis denunciamus omnes illos cujuscumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, qui pecuniam, & bona alia legata, dimiſſa, & quocumque modo debita, ſeu relicta in ultimis voluntatibus, & teſtamentis Nobis, & operi fabricæ majoris Eccleſiæ Beneventanæ, & Eccleſiæ [a] S. Bartholomæi Apoſtoli, & aliarum Eccleſiarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, ac Prælatis, Clericis, & Capellanis earumdem occupaverint, ſeu occupata tenuerint, ut ſolvendo illa infra annum ipſis Eccleſiis, Prælatis, Clericis, & Capellanis ipſis Legatariis ſatisfaciant iidem integraliter cum effectu.

NOTÆ.

a. ECCLESIAE S. BARTHOLOMAEI] *Hujus Baſilicæ fundamenta jacta fuiſſe comperimus anno* 1112. *à Landulpho II. Archiepiſcopo X. de quo in ſuperiori Concilio ſcripſimus, propriis, & civium eleemoſynis, ut decentius B. Bartholomæi Apoſtoli corpus collocaretur (erat enim in Metropolitana Eccleſia ab anno* 839. *quo è Lipara Inſula Beneventum translatum fuit) & ſub Petro II. Archiep. XIII. æneis valvis decorata annis* 1150. *&* 1151. *Joannes VI. de Caſtro-Cæli Cardinalis Archiep. XIX. anno* 1288. *Capitulo aſſentiente, multa vendidit ſtabilia, quorum pretio ære alieno, quod Roggerius Card. Archiep. XVI. conſlaverat ob hujus Baſilicæ fabricam, ſe exſolveret. Fr. Monaldus Monaldeſchus Archiepiſcopus, de quo in præſenti, pari devotione erga B. Apoſtolum accenſus anno* 1320. *quæſtuandi per Diœceſim, & Provinciam facultatem conceſſit pro eadem, ſuiſque impenſis atrium erexit.*

Baſilica S. Bartholomæi quando ædificari cœperit? S. Bartholomæi translatio Lipara Beneventum. Ejusdem Baſilicæ æneæ valvæ. Archiepiſcoporum ſtudium in ejus fabrica, & ornatu.

2 *Subſequentibus temporibus, anno nempe* 1338. *die* 25. *Auguſti ad umbilicum ſuo ære perductam Fr. Arnaldus de Bruſacco Ord. Min. Archiep. XXV. noſtræ Samnitium Provinciæ Pontificum aſſiſtentia ſolemni ritu dicandam curavit, in eamque transtulit Beati Apoſtoli ſacratiſſimum pignus, Benedicto XII. Pont. Max. annuente, dato diplomate Avenion. IV. Maji. Anno tertio* 1337. *cujus autographum exemplar in Bibliotheca noſtræ Eccleſiæ ſervatur, nuper iterum deſumptum ex Archivo ſecreto Vaticano* die 9. Februarii currentis anni 1694.

Corporis B. Apoſtoli e Metropolitana in propriam Baſilicam translatio.

3 *Non defuere in ſequentibus ſæculis, qui eidem exornandæ incubuerint. Anno etenim* 1430. *Gaſpar Columna, Martini PP. V. nepos Archiep. XXXVI. Choro, tribusq; tumbis eam auxit, picturisque exornavit. Ac noſtris denique temporibus Joannes Baptiſta Foppa, qui ab anno* 1643. *uſque ad* 1673. *noſtram hanc pontificalem Sedem invictiſſime in ſuis jamdudum conculcatis juribus extulit, nedum egregie ſuſtinuit Archiepiſc. LVIII. magnificentiſſimam inibi e diſſectis marmoribus confeſſionem conſtruxit, in cujus aræ ſtipite ſacra B. Apoſtoli lipſana ſua manu repoſuit.*

4 *At vero anno* 1688. *die* 5. *Junii Dominus in virga iniquitates, & in verberibus peccata noſtra viſitans terræ-motus vi cuncta vaſtitati tradidit; & Baſilica ipſa funditus everſa remanſit; ita ut ſacrum Apoſtoli corpus è ruinis extractum die* 7. *Februarii* 1689. *in Metropolitanam Eccleſiam noſtro mandato, ut publicis eadem die conſignatum eſt tabulis, quas in Appendice IV. noſtræ Diœceſanæ Synodi eo anno typis vulgavimus, deportatum fuerit. Ibique ad præſens veneramur, quouſque ejus Baſilica reædificetur, pro cujus conſtructione die* 13. *Martii anno* 1692. *ſtato ritu primarium in fundamentis impoſuimus lapidem: ſurgitq; in dies opus, benedicente Domino, ſumptibus Archiepiſcopo, Clero, populoque communibus.*

Terræmotus, quo Baſilica decidit: & B. Apoſtoli Corporis e ruinis ad Metropolitanam translatio. Baſilicæ reædificatio, & primarii lapidis in ejus fundamẽtis impoſitio.

5 *Occaſionem nacti, quod in hoc Concilio de fabrica prædictæ Baſilicæ agitur, peculiarem in calce diſſertationem dabimus* de vera exiſtentia Corporis Sacratiſſimi noſtri Apoſtoli, etiam ad præſens apud nos Beneventanos, *ad obſtruendum adverſariorum os, e quibus noviſſime non deeſt, qui nobis illudens, re vera nugatorie, inepteque talia arioletur*: Translatum eſt hoc anno (*videlicet* 1000.) S. Bartholomæi Corpus Benevento Romam, ab

Diſſertatio de exiſtentia Corporis S. Bartholomæi Beneventi. Brietius in Chronico tom. V.

Othone III. quamquam aliqui a Beneventanis aliud corpus ſuppoſitum velint; ſed Pontificum diplomatis ſacra hæc Lipſana ſunt Romanis adjudicata; ſolis jam reclamantibus Beneventanis, quibus eſt pro ratione voluntas.

Objectio D. Ciampini ex Turrigio.

6 *Dum hæc ſub prelo eſſent, Roma nobis tranſmiſſa ſunt præclariſſimæ lucubrationes* de Sacris ædificiis a Conſtantino Magno conſtructis, *nuper editæ, quibus conſueta humanitate nos ditavit doctiſſimus Præſul Joannes Ciampinus, de univerſa eruditorum Republica optime meritus. Has cum avido ſtudio perlegeremus in eum locum incidimus, quo amicus optimus, ſuaviſſimusque alapam nobis Beneventanis impingere videtur, hæc narrans pag. 58.*

Sub ſilentio prætereundam minime eſſe arbitror rem pauciſſimis notam, & a Turrigio in ſuis Cryptis Vaticanis pag. 43. relatam, ſcilicet Pauli IV. ævo Tiberim fluvium extra ſuum debacchatum fuiſſe alveum, quare Eccleſiæ pars, Conventusque S. Bartholomæi, in Inſula Licaonia corruit. Quamobrem ejusdem S. Apoſtoli corpus cum aliis reliquiis in illa Eccleſia eo uſque aſſervatis, ad Vaticanam Baſilicam cum pompa translatum fuit; deinde Eccleſię, Conventusque reparationibus factis anno 1560. die 27. Julii juſſu Pii IV. ſolemni pompa ad eamdem Eccleſiam idem corpus cum reliquiis relatum: ac ut de hujusmodi notitia plenior fides adhibeatur Breve ſuper hujusmodi nova translatione ab eodem Pio IV. datum ad longum idem Turrigius pag. 544. refert.

7 *Nobis non aliud tanto viro, quem maximi facimus, reſpondere lubet, imo verius nec aliter debemus, quam, quia Romanus eſt, videlicet patrio ex affectu, ea adnotaſſe; quia vero Ciampinus, doctrina ſcilicet, ac veritate præſtantiſſimus, Breve Pii IV. in medium haud protuliſſe, ſed ad Turrigium ablegaſſe Lectorem.*

Accipe amabo Lector diploma ex eodem ipſiſſimo Turrigio loc. cit.

Breve apud Turrigium.

Pius Papa IV. Motu proprio, &c. Cum (*ſicut accepimus*) de anno 1557. Eccleſia Sancti Bartholomæi in Inſula de Urbe, vi fluminis, quod de illo anno fere univerſam Urbem Romam inundavit, notabilem ruinam tam ipſius Eccleſiæ, quam Monaſterii paſſa fuerit adeo, ut Fratres dictæ Eccleſiæ ab inde recedere coacti fuerint, & Eccleſia diruptis parietibus, undique aperta. claudi non poterat, & propterea fel. rec. Paulus Papa IV. prædeceſſor noſter, ne *Reliquiæ Sanctorum, quæ in eadem Eccleſia erant*, & venerabantur, ſine ſolita Eccleſiæ clauſura, & Fratrum cuſtodia inibi tunc remanerent, *illas* ad Baſilicam S. Petri de Urbe transferri fecit, & inibi in cuſtodiam dilectorum filiorum Canonicorum, & Capituli dictæ Baſilicæ *per Inventarium conſignatæ fuerunt, prout & publico inſtrumento deſuper, ut dicitur, confecto contineri dicitur.* Cumque poſtmodum Fratres prædicti ex plurium fidelium eleemoſynis dictam Eccleſiam clauſerint, &c. motu ſimili, & ex certa ſcientia eisdem dilectis filiis, & Capitulo, &c. per præſentes committimus, & mandamus, ut quotieſcumque pro parte dictorum Fratrum fuerint requiſiti, *easdem Reliquias eis, ut præfertur*, in cuſtodiam ſimiliter conſignatas, eisdem Fratribus, & Conventui ad Eccleſiam S. Bartholomæi proceſſionaliter, ut moris eſt, deferendas reſtituant, & conſignent, decernentes, quod præſentium ſola ſignatura, abſque alia regiſtratione, & data ſufficiat, &c.

Reſponſio.

8 *Quo in diplomate notandum. 1. Nullam de S. Bartholomæi corpore fieri mentionem. 2. De aſſerto ibi Reliquiarum inventario notatu digniſſima ſunt verba*: Per inventarium conſignatæ fuerunt, prout & publico inſtrumento deſuper, UT DICITUR, confecto contineri DICITUR. *Inventarium igitur ſacrarum reliquiarum confectum fuiſſe Pontifici aſſeritur; at Pontifex illud non probat, neque affirmat. 3. Nihil in diplomate diſponi præter reſtitutionem reliquiarum, quas (ſupple ſi quæ, & quales fuiſſent) Canonici Vaticanæ Baſilicæ cuſtodiendas, ut ſupponitur, anno 1557. acceperant.*

Sententia Pii IV. de exiſtentia Corporis S. Apoſtoli in Urbe.

9 *E quibus liquido conjicere licet ſententiam Pii IV. de exiſtentia Corporis S. Bartholomæi in Urbe, cum de illo nec unicum quidem fecerit verbum in allato diplomate; quod utique non omiſiſſet, ſi tanti Apoſtoli corpus ineſſe Apoſtolicus credidiſſet. Si tali cautione uſus fuiſſet Robertus de Monte in Appendice ad Sigeberti Chronicon, cum aliam deſcripſit Tiberis alluvionem anno 1157. ejus quidem narratio undarum fluentia haud fuiſſet jactata.*

Diplomati Turrigius ſubnectit, quæ ſequuntur: Vigore hujus motus proprii Capitulum S. Petri deputavit ad conſignandum corpus S. Bartholomæi, & alias Reliquias RR. DD. Epiſcopum Caſtrenſem, ſcilicet R.D. Hieronymum Machabæum, & Aurelium de Tortis Canonicos dictæ Baſil. Fratribus S. Bartholomæi, ſub die 25. Julii 1560. & eodem anno die 27. ejuſdem conſignaverunt corpus ipſius glorioſi Apoſtoli, & alias Reliquias Fratribus ſupradictis, ut patet publico inſtrumento in actis quondam D. Simonis Tegeroni Notarii Baſilicæ memoratæ, &c.

S. Dominici Corpus Bononiæ quieſcit, non Aſſiſii.

10 *Verum iſthæc non Pontifex loquitur, ſed Fratres, vel Canonici, à Minoritis anilibus fabulis inſtructi. Aſſerere quoque poterant ibi adfuiſſe corpus Sanctiſſimi Parentis Dominici, quod Confratres mei religioſiſſimi Franciſcani Aſſiſii apud ſe quieſcere contendunt, non Bononiæ, in cujus Urbis celeberrimo meæ Religionis Conventu, cum ſacris Theologiæ ſtudiis vacaremus, pluries Sanctiſſimi Patriarchæ Caput continens oſtenſorium pro ſummo honore manus meæ contrectaverunt.*

CAP. XXIII.

CAP. XXIII.

Eccleſiaſticorum bonorum detentores, occupatores, & non revelantes, anathematis pœna compelluntur.

ITem, quia ſunt nonnulli, prout multorum habet aſſertio, qui terras, prata, paſcua, molendina, ſilvas, nemora, domus, cenſus, inſtrumenta, acta, regiſtra, privilegia,& alia bona jura ad Nos,& Beneventi Eccleſiam, & ejus Capitulum, & alias Eccleſias Civitatis,Diœceſis,& Provinciæ Beneventanæ pleno jure ſpectantia detinent occupata, ſeu alias indebito quovis modo, & ea ſolvere, & reſtituere negligunt in ipſorum animarum periculum, prædictarumq; Eccleſiarum præjudicium, & jacturam: Nos indemnitati earumdem Eccleſiarum, ex cura ſuſcepti regiminis providere volentes, requirimus, & monemus omnes, & ſingulos occupatores, detemptores hujusmodi, eorumque participes inſtitutos, ut infra unum menſem a die publicatæ præſentis computandum, quem eis pro monitione canonica, & termino peremptorio aſſignamus,ſub excommunicationis pœna, quam in detemptores,eorumque participes,& ſcientes,ſi ſecus fecerint,ex nunc,prout ex tunc ſimiliter ferimus in his ſcriptis, prædicta reſignare, perſolvere, & reſtituere prædictis Eccleſiis, vel eis,ad quos earum gubernatio ſpectare dignoſcitur, ac participes, & ſcientes debeant revelare.

CAP. XXIV.

In bonorum, juriumque Eccleſiaſticorum turbatores excommunicatio fertur.

ITem excommunicamus ſimiliter in his ſcriptis omnes, & ſingulos indebite turbatores, & moleſtatores poſſeſſionum,bonorum majoris Eccleſiæ Beneventanæ, & ejus Capituli, & aliarum Eccleſiarum, Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, tam mobilium,quam ſtabilium,necnon jurium, redituum, cenſuum, & aliorum proventuum dictæ Eccleſiæ Beneventanæ, & Capituli ſupradicti, & aliarum Eccleſiarum Civitatis,& Diœceſis, & Provinciæ ſupradictæ, ſcientes, eorumque participes,quique ad prædicta dederint auxilium, conſilium,vel favorem.

CAP. XXV.

Eccleſiaſticis perſonis collectas imponentes, eorumque fautores excommunicantur. Si Univerſitates in hoc culpabiles fuerint, interdicto ſupponuntur.

ITem præſenti Conſtitutione monemus una pro omnibus,& peremptorie omnes, & ſingulos cujuſcumque præeminentiæ, conditionis, vel ſtatus exiſtant, qui Prælatis, Eccleſiis, perſoniſque Eccleſiaſticis, regularibus, & ſæcularibus imponunt, & impoſuerint in futurum onera gravia, ipſoſque talliant, & eis, vel ipſorum alicui collectas imponunt, & ſuorum proventuum dimidiam decimam, vigeſimam,vel quamvis aliam portionem, aut quotam exigunt,& extorquent,ipſosq; moliuntur multifarie ſubjacere ſervituti, ſuæque ſubmittere jurisdictioni,& qui talia impoſuerint, vel exegerint, Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis, & ipſis invitis, aut apud ædes ſacras depoſita, ſeu alia bona Eccleſiaſtica, & Eccleſiaſticarum perſonarum ubilibet in Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana arreſtaverint, ſanciverint, aut occupaverint,vel arreſtari, ſanciri, aut occupari mandaverint,occupata, ſancita, vel arreſtata receperint, necnon omnes, & ſingulos, qui ſcienter in prædictis auxilium, conſilium, vel favorem publice, vel occulte præſtaverint, ut ad præmiſſa, & præmiſſorum quodlibet infra quindecim dierum terminum reſipiſcant: quem terminum eis pro ultimo, & peremptorio termino aſſignamus. Omnes, & ſingulos contrarium facientes ex nunc,prout ex tunc ipſo elapſo termino excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto. Univerſitates quoque,quæ in ipſis culpabiles fuerint ex nunc prout ex tunc Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto.

Univerſitates ſi culpabiles in hoc fuerint, interdicantur.

CAP. XXVI.

Temporales Domini ſubditis mandantes, ne Eccleſiaſticis perſonis obſequia præſtent, excommunicationi ſubiiciuntur.

ITem denunciamus, & decernimus eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſubjacere omnes, & ſingulos temporale dominium obtinentes, qui in Terris eorum ſuis ſubditis præcipiunt, atque mandant,ne Prælatis, aut Clericis, vel perſonis Eccleſiaſticis quibuſcumque vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neque ipſis granum, vel blandam molant, coquant panem, & alia obſequia eis præſtent, & exhibeant, inducunt, & prohibent: Cum talia in derogationem libertatis Eccleſiaſticæ præſumantur.

CAP. XXVII.

Acta ad Epiſcopales Curias pertinentia, ne ſubtrahantur.

ITem ſtatuimus, & præſenti Conſtitutione ſancimus, quod ſi quis auſu ſacrilego præſumpſerit aliqua inſtrumenta, vel ſcripturas, & ſpecialiter de actis, quæ in noſtra Curia, ac Suffraganeorum noſtrorum, & aliorum Ordinariorum Provinciæ Beneventanæ ventilantur, furtivè, vel malitiosè ſubtraxerit, vel doloſo modo rapuerit, tanquam ſacrilegus Eccle-

ſiæ rerum ſubtractor eo ipſo ſit excommunicationis vinculo innodatus.

CAP. XXVIII.

Epiſcopalis juriſdictio ne lædatur ſub excommunicationis interminatione.

ITem ſtatuentes monemus in his ſcriptis pro primo, ſecundo, & tertio, ac peremptorio termino, ſeu monitionis edicto, & una monitione pro tribus omnes, & ſingulos tam Clericos, quam laicos cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, conditionis exiſtant, impedientes, vel impedire in poſterum præſumentes, vel fieri facientes, vel mandantes, impedientibus dantes auxilium, conſilium, vel favorem, officium noſtrum, & noſtræ Curiæ, & Suffraganeorum noſtrorum, & aliorum Ordinariorum Provinciæ Beneventanæ juriſdictionem, & auctoritatem Nobis, & noſtris, & eorum Eccleſiis debitam de jure, publice, vel occulte impedire volentes, directe, vel indirecte, quod a prædictis ſine mora, vel difficultate qualibet debeant abſtinere; & ſi contra fecerint, & a prædictis non ceſſaverint, ex nunc, prout ex tunc contra facientes excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis.

CAP. XXIX.

Beneficia conferre, de cauſſis ad Epiſcopum pertinentibus cognoſcere nemo præſumat. Si quis in eis jus habeat, infra duos menſes Epiſcopum informet. Pœna in contrarium facientes fertur: acta robore vacuantur.

ITem quia ſicut ab aliquorum relatione percepimus, ſunt nonnulli de prædictis Civitate, Diœceſi, & Provincia, qui contra debitum rationis, & præjudicium noſtræ Beneventanæ Eccleſiæ, & Suffraganeorum noſtrorum prædictorum conferre beneficia, de cauſſis quibuſcumque cognoſcere, & alia exercere, quæ ad juriſdictionem noſtram, noſtrorumque Suffraganeorum ſupradictorum legitime pertinere noſcuntur, auſu temerario non verentur; volentes igitur ſuper his de opportuno remedio providere, hac Conſtitutioue in perpetuum valitura ſancimus, quod nullus de Civitate, Diœceſi, & Provincia ſupradictis, cujuſcumque ſtatus, præeminentiæ, conditionis, ordinis, ſeu dignitatis exiſtat, in prædictis Civitate, Diœceſi, & Provincia talia quomodolibet acceptare præſumat, niſi prædicta ſibi a jure, ſeu a ſpeciali privilegio, vel aliqua cauſſa legitima pertinere noſcantur; de quibus Nobis, aut dictis Suffraganeis noſtris in duorum menſium ſpatium fidem ſufficienter dare procurent, & plenarie informare. Contrarium vero facientes, quia exceſſus, & enormitas hoc requirit, excommunicationis ſententiam, ac beneficii cujuſcumq; quod obtinuerit, privationē incurrere volumus ipſo facto. Collationes autem quorumcumque beneficiorum, ſeu cauſſarum cognitiones, & proceſſus, ac acta quæcumque, per quas, ſeu quæ noſtra juriſdictio, ſeu Suffraganeorum noſtrorum valeat impediri, ſeu lædatur in aliquo, per ipſos hactenus facta, vel in poſterum facienda omni robore vacuamus, & nullius eſſe volumus firmitatis.

CAP. XXX.

Eccleſiaſticam dignitatem abſque canonica inſtitutione nemo detineat, aut Eccleſiarum adminiſtrationi ſe ingerat. De Eccleſiaſtica dignitate proviſus, collationis litteras ſecum deferat.

ITem ſtatuimus, & præſenti Conſtitutione monemus una monitione pro tribus, & peremptorie omnes, & ſingulos Clericos, & Laicos Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel dignitatis exiſtant, quod nullus præſumat accipere, occupare, vel invadere, vel detinere dignitatem, vel perſonatum Eccleſiæ, ſeu aliud quodcumque beneficium Eccleſiaſticum auctoritate propria per ſe, vel per alium, aut poſſeſſiones, fructus, reditus, & proventus eorumdem abſque inſtitutione canonica, ſeu collatione Prælati, ad quem dignoſcitur pertinere, aut de adminiſtratione Abbatiarum, & Eccleſiarum ipſarum ſe aliquatenus intromittat, vel de juribus earum aliquid recipiat, vel pertractet abſque voluntate, & mandato Rectorum Eccleſiarum ipſarum, quibus Rectoribus eorumdem dignitates, perſonatus, vel officia conceſſa fuerint per Prælatos eoſdem, etiamſi jus aliquod patronatus præſentationis, vel electionis habeant in eiſdem. Alioquin in omnes, & ſingulos ſupradictos, qui poſt menſem unum ex nunc in antea numerandum prædicta, vel aliquid prædictorum accipere, occupare, aut invadere præſumpſerint, vel occupata, ſeu ſubtracta olim tenuerint, vel teneant abſque collatione, aut licentia ſpeciali, ut eſt dictum, & Cappellanos ſervientes in divinis officiis poſt menſem unum in antea numerandum in prædictis Dignitatibus, Perſonatibus, Eccleſiis, & Beneficiis nomine prædictorum occupatorum, vel detentorum quorumlibet ſine licentia ſpeciali, in his ſcriptis excommunicationis ſententiæ vinculo innodamus. Præſenti quoque Conſtitutione adiicientes, quod quicumque per Nos, aut Suffraganeos noſtros, ſeu alium, ad quem ſpectat in Abbatem, Archipreſbyterum, vel Rectorem confirmatus, ſeu inſtitutus fuerit, antequam prædictarum Abbatiæ, Archipreſby-

presbyteratus, Rectoriæ, vel alterius beneficii cujuscumque poſſeſſionem adipiſcatur, litteras noſtras, vel illorũ, ad quos ſpectabit ſecum deferat in teſtimonium confirmationis, inſtitutionis, aut collationis noſtræ, vel illorum, qui ipſum beneficium conferent noſtro, vel eorum ſigillo ſigillatas. Quod ſi aliquis eorum contrarium fecerit, confirmationes, inſtitutiones, & collationes ipſæ ſint irritæ ipſo jure, & omni jure per ipſos confirmatos, inſtitutos, & beneficiatos propterea acquiſito eo ipſo priventur. Nullusque interim tanquam Abbatibus, Archipreſbyteris, aut Rectoribus obediat, vel intendat.

CAP. XXXI.

Beneficia commendata detinere abſque juſto titulo prohibetur. Beneficium curatum habens aliud ſimile ne quærat.

ITem quia nonnulli in Civitate, Diœceſi, & Provincia ſupradictis beneficia, ſeu beneficium commendata detinere dicuntur, quæ ad collationem noſtram, aut Suffraganeorum noſtrorum, vel aliorum Ordinariorum noſcuntur jure ordinario pertinere, excommunicamus ſimiliter in his ſcriptis tenentes recommendata taliter, ſeu aliter dicta beneficia, vel ipſorum aliquod abſque juſto titulo, vel tenentes unum beneficium curatum, & aliud præſumentes recipere habens curam eamdem, non reſignantes Nobis, aut illis, ad quos ſpectant, eadem beneficia, & ſcientes, & non revelantes Nobis, & illis infra menſem unum a die publicationis præſentium computandum, quem eis pro termino peremptorio, & monitione canonica aſſignamus: addentes Conſtitutioni prædictæ, quod nihilominus recipientes beneficium cum cura, habendo aliud ſimile beneficium ſine diſpenſatione legitima, privati ſint ipſis beneficiis ipſo facto.

CAP. XXXII.

Dignitatem obtinentes, Archidiaconus ſaltem Diaconatus ordinem, cæteri Preſbyteratus infra annum ſuſcipiant: vigintiquinque ætatis annos hi habeant, & de legitimo matrimonio ſint procreati.

ITem præſenti Conſtitutione monemus omnes, & ſingulos de Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventanis Decanatum, Archidiaconatum, Archipreſbyteratum, Abbatiam, Prioratum, vel Præpoſituram, aut Perſonatum, vel Dignitatem curam animarum habentem annexam, aut Parochialis Eccleſiæ regimen obtinentes, & qui in poſterum obtinebunt, quod infra annum ex nunc, & a tempore, quo in antea hujusmodi Dignitatum, Perſonatuum, & beneficiorum poſſeſſionem habuerint, ſi Archidiaconatus ſaltem in Diaconum; ſupradicti vero alii ad Presbyteratus ordinem ſe faciant promoveri; & nullus promoveatur ad aliquem prædictorum ordinum, vel jam promotus detineat, niſi 25. annum ætatis ſuæ attigerit, vel habuerit, & de legitimo matrimonio procreatus, moribus, & ſcientia commendandus exiſtat. Alioquin contrafacientes decernimus, denunciamus, & declaramus dictis Eccleſiis Perſonatibus, Dignitatibus, & beneficiis ſupradictis eſſe ipſo facto privatos.

Nullus ad aliquam dignitatẽ promoveatur, & promotus detineat, niſi vigeſimum quintum annũ attigerit.

CAP. XXXIII.

Abſentes infra tres menſes ad Eccleſiarum ſervitium redeant, ni Cathedrali deſerviant. Parochi ſubſtitutum per Epiſcopum approbandum, & infra menſem præſentandum, ſuis Eccleſiis præficiant.

ITem quicumque in Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana habet, vel tenet Eccleſiam aliquam, curam animarum habentem, ſeu Eccleſiam Parochialem limitatam, ſi ſit abſens a Civitate, vel loco, ubi Eccleſia ipſa conſiſtit, teneatur infra trium menſium ſpatium poſt publicationem præſentium ad ipſam Civitatem, vel locum redire. Alias ſi non redierit, vel poſt reditum ceſſaverit per menſem in ipſa Eccleſia in divinis officiis ſerviendo perſonaliter reſidere, decernimus ipſum eo ipſo dicta Eccleſia fore privatum, niſi habens præfatam Eccleſiam, in majori Beneventana Eccleſia, vel aliis Cathedralibus noſtræ Provinciæ Eccleſiis in dictis officiis ſerviendo reſidentiam faciat perſonalem; quo caſu in Parochiali Eccleſia, ut hactenus eſt conſuetum, ne faciat deſerviri, niſi de noſtro, ſeu Suffraganeorum, & aliorum Ordinariorum, & Superiorum ſuorum mandato, & licentia ſpeciali. Quo caſu volumus, quod ille, qui dictæ Eccleſiæ deſerviet, per Nos, & noſtram Curiam, aut Suffraganeos noſtros, & eorum Curias approbetur, ne cura animarum committatur perſonis non idoneis, & indignis. Et quod dictus ſubſtitutus, ſeu deſerviens Nobis, aut noſtræ Curiæ, vel ipſorum Suffraganeorum infra unum menſem a publicatione præſentis præſentetur, per Nos, vel eos approbandus, alioquin dicto beneficio ſit ipſo jure privatus.

CAP. XXXIV.

Diſpenſationes a reſidendo Beneficiatis revocantur, exceptis, qui in Pontificis, Cardinalium, aut Archiepiſcopi ſervitio reperiuntur.

ITem conſiderantes, quod propter abſentiam Beneficiatorum noſtræ Diœceſis, & propter licentias, & diſpenſatio-

nes per Nos, & Prædeceſſores noſtros, ſeu per Vicarios noſtros, & dictorum Prædeceſſorum de non reſidendo in eiſdem beneficiis divinus cultus minuitur, cura negligitur, eleemoſyna, & hoſpitalitas pereunt, ædificia deſolantur, & corruunt, jura, & bona eorumdem beneficiorum indebite uſurpantur, & remanent indefenſa, & multa alia mala, & damna ſequuntur, prout nos docet experientia, & evidentia facti monſtrat; iccirco omnes licentias, & diſpenſationes prædictas, tam per nos, quam per Prædeceſſores noſtros, vel Vicarios prædictos, ſeu alios quoscumque auctoritate noſtra, vel prædictorum Prædeceſſorum noſtrorum ex quibuscunque cauſſis, & ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum hactenus conceſſas, factas, vel donatas in hac noſtra præſenti Synodo revocamus omnino, & pro revocatis, & nullis de cetero habemus, & haberi volumus, niſi ſint conceſſæ reſidentibus in ſervitio D. N. Papæ, vel DD. Cardinalium, vel in noſtro.

CAP. XXXV.

Canonici, & Curati Rogationum litaniis, & proceſſionibus a jure, vel a Superioribus indictis, interſint.

Item hac perpetua, & inrefrangibili Conſtitutione ſancimus, quatenus ſinguli Canonici noſtræ Beneventanæ Eccleſiæ, ac alii Presbyteri curam animarum habentes, in Civitate Beneventana degentes ad præſens, & qui ibidem in poſterum morabuntur; necnon & ſinguli Canonici Suffraganearum Eccleſiarum noſtrarum, & Presbyteri alii curam animarum habentes, degentes in Civitatibus, in quibus ſunt noſtræ præfatæ Suffraganeæ, & Cathedrales Eccleſiæ ſituatæ, & qui ibidem in poſterum morabuntur (Nobis tamen, & Eccleſiæ noſtræ ſubjecti) ſingulis diebus, quibus ſolemnes rogationes, litaniæ, ſive proceſſiones à jure, vel a Nobis, aut noſtris Suffraganeis ſupradictis quomodolibet indicuntur, vel etiam indicentur, induti ſuperpelliceis ad ſonum Campanæ dictæ noſtræ majoris Eccleſiæ, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Suffraganeorum noſtrorum in dicta noſtra Eccleſia, vel in aliis Cathedralibus ſupradictis, vel alibi, ſi aliud duxerimus, vel duxerint dicti noſtri Suffraganei mandandum, convenire perſonaliter teneantur, ituri ad locum, & audituri litanias, ſeu proceſſiones, ſi & prout Canonici dictæ noſtræ Beneventanæ Eccleſiæ, ſeu aliarum Eccleſiarum prædictarum duxerint faciendum. Contrarium vero facientes pro quolibet pœna trium tarenorum noſtræ, ſeu Suffraganeorum noſtrorum prædictorum Curiis applicanda tenore præſentium decernimus fore plectendos.

Trium tarenorum pœna plectuntur Canonici defectuoſi.

CAP. XXXVI.

Abſque Eccleſiæ utilitate, & juris ſolemnitatibus, Eccleſiaſtica bona ne vendantur, aut locentur.

Item ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus Archipresbyter, vel Prælatus, ſeu Rector alicujus Eccleſiæ, vel quivis alius Clericus Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ poſſeſſiones, & bona ſuæ Eccleſiæ vendere, vel alienare alicui audeat, vel locare, niſi manifeſta utilitas Eccleſiæ inde appareat, & proveniat in hujusmodi contractibus, juris ſolemnitatibus obſervatis. Alias in contrarium facientes tam in dantes, quam in recipientes excommunicationis ſententiam proferimus in his ſcriptis; & ipſa locatio, venditio, & alienatio ſit, & ſint nulla, & nullæ ipſo jure, irrita, & caſſa, & ipſam & ipſas ex nunc ſuis viribus vacuamus.

CAP. XXXVII.

Eccleſiæ bona à ſæcularibus, aut regularibus neque ad emphiteuſim concedantur, neque, vel ad quinquennium locentur ſine Epiſcopi licentia. Pecuniæ nonniſi, quæ ſingulis annis juſtè debentur, pro locatione recipiantur.

Item quod nonnulli Abbates tam regulares, quam ſæculares, tam Capellæ, quam Collegia, Archipresbyteri, Eccleſiarum Rectores, & alii Clerici, Eccleſiaſticæque perſonæ Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ juriſdictioni noſtræ ſubjecti Abbatias, vel Eccleſias, ſeu beneficia eccleſiaſtica obtinentes, cupiditatis vitio laborantes, domos, hortos, vineas, & alia eccleſiaſtica immobilia ad longum tempus locare, in emphiteuſim concedere, & alienare abſque legitima cauſſa præſumunt, in ipſius contractus initio recipientes aliquam pecuniæ quantitatem, & poſtmodum annis ſingulis recipiunt longe minorem quantitatem ſub nomine penſionis, vel cenſus, quam ipſorum bonorum, ſeu poſſeſſionum fructus valere noſcuntur, propter quæ Eccleſiis maximum præjudicium generatur; unde Eccleſiarum indemnitati, & ſtatui providere volentes, quamvis ſuper hoc ſit ſatis à jure proviſum, hac conſultiſſima Conſtitutione apertius ordinamus, & declaramus, quod Abbates, tam regulares, quam ſæculares, Archipresbyteri, Eccleſiarum Rectores, & alii Clerici, Eccleſiaſticæque perſonæ Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, ſeu ipſorum aliquis domos, apothecas, hortos, vel vineas, ſeu alia eccleſiaſtica bona immobilia locare etiam ad quinquēnium, vel in emphiteuſim concedere, permutare, vel alias qualitercumque alienare, etiam in caſibus à jure permiſſis, abſque ſpeciali licentia noſtra & con-

conſenſu expreſſo, vel Suffraganeorum noſtrorum, ut ſpectat ad Nos, & eos, nullo modo præſumat: ex qua, qui nquennali locatione, vel in emphiteuſim conceſſione, vel proliſſione quinquennii, vel noſtra licentia, vel conſenſus accedat, pecuniam nullam recipiant, niſi, ſicut tanguntur anni ſinguli locationis prædictæ. Contrarium facientes in aliquo prædictorum, eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant Et nihilominus pœnam pecuniariam pro noſtro, vel ipſorum Suffraganeorum arbitrio infligendam non evadant: ac locatio, permutatio, in emphiteuſim conceſſio, vel alius quicumque contractus, quæ, vel qui aliter celebrabitur ſuper bonis eccleſiaſticis ſupradictis nulla, & nullus ipſo jure exiſtat, & nullam obtineat roboris firmitatem, nec pœnæ adjectio, vel juramentum, ſeu alia obligatio, vel promiſſio interveniens in præmiſſis teneat, vel valeat, & penitus nullius exiſtat momenti, non intendentes propterea aliis juris ſolemnitatibus, quæ intervenire debent in eccleſiaſticarum rerum alienatione aliquatenus derogare.

Qinquennalis locatio, & quælibet alia in emphiteuſim conceſſio ſine Epiſcoporum licentia nullius roboris erit.

CAP. XXXVIII.

Ignoti Presbyteri ad divina non ſunt admittendi, ſi licentia carent.

Item ſepe contigit, quod nonnulli vinculo excommunicationis aſtricti, aut apoſtatæ, vel irregulares, ſeu crimini oſi, & Sacramentorum participatione indigni ſuam patriam, in qua de eis habetur notitia, fugientes, ſe in Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana improbe ingerunt celebrationi miſſarum, & Populo præſumunt, non ſine gravi offenſa Dei, nimiſtrare eccleſiaſtica Sacramenta. Nos igitur animarum ipſorum periculis obviare, & Chriſtifidelibus, ne decipiantur, ſuccurrere, ex officio debite cupientes, ſtatuimus, quod nullus notorie ignotus, vel forenſis, aut alterius Civitatis, vel Diœceſis oriundus [quod de quolibet præſumatur, niſi ſaltem per famam ipſius origo bona, vel competentibus indiciis approbetur] audeat, vel præſumat in Civitate, Diœceſi, & Provincia ſupradictis miſſam, vel miſſas celebrare, nec alicui miniſtrare eccleſiaſtica Sacramenta ſine noſtra, vel Vicariorum noſtrorum, aut Suffraganeorum noſtrorum, vel Vicariorum ſuorum, prout ad eorum quemlibet pertinet, licentia ſpeciali. In contrarium facientes excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis. Judicamus autem dictam licentiam nullatenus eſſe de gratia concedendam, niſi de vita, ordinibus, & moribus plenarie fides fiat.

In licentiis Epiſcoporum expreſſa fides de moribus, & ordinibus eſſe debet.

CAP. XXXIX.

Beneficia, ultra ſeptem miſſarum numerum in hebdomada requirentia, infra quindecim dies reſignentur. Qui talia poſſident, Epiſcopo in ſcriptis revelent.

Item quia, prout ad noſtrum pervenit auditum, plerique Canonici, & Sacerdotes Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, non quæ JESU Chriſti ſunt quærentes, lucris temporalibus inhiantes in Civitate, Diœceſi, & Provincia ſupradictis, ſpecialiter in noſtra majori Beneventana Eccleſia ultra ſeptem miſſas in hebdomada in beneficium aſſequuntur; qui non valentes perſonaliter ſervire, eiſdem per ſubſtitutos minus legitime ſerviunt, quinimmo deſerviunt contra ſacrorum Canonum inſtituta: volentes, prout officii debitum nos compellit de ſalubri remedio providere. monemus omnes, & ſingulos Canonicos, & Sacerdotes Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, & in eis commorantes una monitione pro omnibus, quatenus infra quindecim dies à die publicationis præſentium computandos, miſſas ultra ſeptem numero ſupradictas, & ipſarum beneficia in manibus noſtris, vel eorum, ad quos ſpectat collatio, & præſentatio eorumdem, debeant reſignare, & in futurum ultra prædictum numerum non debeant acceptare. Alioquin ex nunc, prout ex tunc miſſis omnibus ſupradictis omnino infra numerum numeratum, & ſtipendiis earumdem privamus, & privatos eſſe volumus, & decernimus in his ſcriptis. Mandantes nihilominus ſub pœna prædicta omnibus, & ſingulis Clericis noſtrarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ hujuſmodi miſſas, ſeu beneficium obtinentibus, quod infra ſupradictum terminum, numerum dictarum miſſarum eis in beneficium conceſſarum, Nobis, aut noſtro Vicario, qui pro tempore fuerit, & Suffraganeis noſtris, & eorum Vicariis in ſcriptis notificent, & revelent.

CAP. XL.

Plures quam ſeptem Miſſæ in hebdomada ne tribuantur.

Item monemus omnes, & ſingulos Clericos, & laicos Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ prædictarum, ad quos Capellarum, & miſſarum prædictarum præſentatio, ſeu inſtitutio pertinet, tam in noſtra Beneventana majori Eccleſia, quam aliis Eccleſiis prędictarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, ut de cetero ſollicite advertant, ne Canonicis, & Sacerdotibus habentibus miſſas plures in hebdomada, quam ſuperius ſit expreſſum, conferant. Et ſi contra monitionem noſtram fecerint, prę́ſentationem, ſeu iſtitutionem ipſam nullam decernimus ipſo facto.

CAP.

CAP. XLI.

Si pro miſſarum celebratione poſſeſſiones legatæ fuerint, infra menſem celebranti Presbytero aſſignentur.

ITem advertentes propenſius, ne defunctorum intentio defraudetur, declarando decernimus, quod non liceat exequutori alicui teſtamentario, vel alteri, qui ex diſpoſitione, ſeu commiſſione habeat aliquas miſſas facere celebrari, domos, terras, vel alias poſſeſſiones ad hoc ſpecialiter deputatas, tenere, etiam dando pecuniam miſſas celebrantibus ſupradictas; ſed domos, & poſſeſſiones prædictas in unius menſis ſpatium, à die publicationis præſentis Conſtitutionis in antea computandi, celebrantibus dictas miſſas aſſignet, niſi per teſtatorem aliud fuerit ordinatum: de qua ordinatione infra menſem prædictum coram nobis, vel aliis Ordinariis, aut noſtræ, vel eorum Curiis exequutores, & hæredes prædicti fidem facere teneantur. In omnes autem, & ſingulos contrarium facientes in his ſcriptis excommunicationis ſententiam promulgamus.

CAP. XLII.

A caſibus reſervatis, qui hic recenſentur, nemo abſque ſpeciali facultate abſolvat.

ITem monemus omnes, & ſingulos Abbates, Archipresbyteros, & Religioſos quoſcunque & Rectores Eccleſiarum, ac Clericos Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, cujuſcumque Ordinis, Religionis, ſtatus, conditionis exiſtant, quod nullus in ſubſcriptis caſibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis a jure ſpecialiter reſervatis, videlicet de hæreticis, ſodomitis, adulteris publicis, maleficis, divinatoribus, falſariis, falſis teſtibus, & perjuris, inceſtuoſis, ſacrilegis, & Monialium corruptoribus, & aliarum virginum violatoribus, aut de Monialibus egredientibus extra ſua Monaſteria contra Decretalem D. Bonifacii PP. VIII. & ingredientibus in Monaſteria earumdem, niſi ex cauſa legitima, & rationabili, De blaſphematoribus Dei, B. Virginis, & Sanctorum, ſortilegis, permutationibus votorum quorumlibet, de excommunicatis majori excommunicatione, de diſpenſatoribus male ablatorum incertorum, de matrimoniis clandeſtinis, vel contra interdictum Eccleſiæ factis, de ſuffocatoribus, & oppreſſoribus filiorum ex propoſito, vel caſualiter, de incendiariis, & invaſoribus, & detentoribus bonorum Eccleſiarum, & muliere, quæ in adulterio concepit infantem, quem maritus credit eſſe ſuum, propter quem heredes legitimi hæreditate fraudantur, & de mulieribus, & aliis procurantibus abortum, Item de illis, qui contractis ſponſalibus cum Sacramento, & non diſſolutis contrahunt cum aliis, & de peccato luxuriæ commiſſo inter mulierem, & Confeſſorem ſuum, vel proprium Sacerdotem, vel cum Compatre ſuo, & aliis criminibus publicis, qui caſus a jure ſunt Nobis, & ipſis Epiſcopis reſervati, abſolvere delinquentem præſumat, vel ſe de talibus intromittat; (ſed ipſos ad Nos, aut ſuos Ordinarios abſolvendos remittat) abſque noſtro, vel ipſorum Ordinariorum ſpeciali mandato, niſi in articulo mortis, & tunc ſi copia Ordinarii commode haberi non poſſit; & prædicti delinquentes ſatisfecerint primo, ubi teneantur, vel de ſatisfaciendo præſtaverint idoneam cautionem. Et nihilominus adiungendo Conſtitutioni prædictæ, ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus Religioſus, prætextu exemptionis, vel alias alterius perſonę Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ audire confeſſionem præſumat, aut eam abſolvere, vel ligare, niſi nobis, & noſtris Suffraganeis, prout ad Nos, & eos ſpectat, fuerit præſentatus, ut Conſtitutio Bonifacii VIII. ſuper hoc edita, & per Clementem V. confirmata, mandat expreſſe. Omnes autem Religioſos extra eorum Monaſteria, & loca infra dictas Civitatem, Diœceſim, & Provinciam noſtras confeſſionem audientes, & contrarium facientes, tanquam delinquentes in loco noſtrę juriſdictionis, & Suffraganeorum noſtrorum pœnam à jure ſtatutam incurrere nunciamus, adjicientes Conſtitutioni prędictæ, quod nullus vigore, ſeu auctoritate cujuſcumque commiſſionis per nos, vel Suffraganeos noſtros, aut noſtrum, vel eorum Vicarios factę forſitan, vel fiendę de audiendis confeſſionibus, & de poteſtate abſolvendi à prædictis caſibus, aut aliis nobis, & eiſdem noſtris Suffraganeis de jure, vel de conſuetudine reſervatis, ſe aliquatenus intromittat, niſi ſuper hoc litteras noſtras, aut Suffraganeorum noſtrorum, ſeu noſtrę vel eorum Curię habeat, in quibus caſus, qui committerentur eiſdem, diſtincte, & particulariter ſint expreſſi. Alioquin commiſſionem prædictam decernimus non valere; litteras autem, & licentias, quæ ſuper hujuſmodi per Prędeceſſores noſtros hactenus emanaverunt, tenore præſentium revocamus,

Caſuum reſervatorum catalogus.

Nullo exemptionis prętextu Religioſus audeat audire confeſſiones, & à caſibus reſervatis abſolvere, niſi Epiſcoporum approbationem, & facultatem habuerit.

Si in litteris cōcedentibus facultatem abſolvendi ipſi caſus reſervati nō fuerint expreſſi, nullius roboris erunt.

CAP. XLIII.

Decimarum ſolutio pro Decembri menſe præcipitur. Præſens Conſtitutio Populo publicetur.

ITem præſenti Conſtitutione monemus ſub excommunicationis pœna, quam, ſi ſecus fecerint, incurrere volumus ipſo facto, omnes, & ſingulos Cives Beneventanos, & quoſlibet Parochianos Eccleſiarum Parochialium Civitatis, Diœceſis, & Pro-

Provinciæ Beneventanæ, qui decimas tam prædiales, quam perſonales Eccleſiis, quarum ſunt Parochiani, jure divino debitas, ſolvant ipſarum Eccleſiarum Rectoribus annis ſingulis per totum menſem Decembris, & de non ſolutis, ut tenentur, ſatisfaciant competenter. Mandantes nihilominus ſub pœna prædicta omnibus, & ſingulis Archipresbyteris, Eccleſiarum Rectoribus, & Curatis prædictarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, quod ſingulis diebus Dominicis in eorum Eccleſiis divina officia celebrantes præſentem Conſtitutionem ibi adſtantibus debeant publicare.

CAP. XLIV.

In decimas manus extendere, aut quomodolibet occupare nemo præſumat: Religioſi quoque eas ſolvant; ſi quod exemptionis privilegium habeant, oſtendant.

ITem præſenti Conſtitutione monemus pro primo, ſecundo, & tertio, & peremptorio termino omnes, & ſingulos, tam mares, quam mulieres, & Religioſos quoſcumque cujuſcumque ordinis, ſtatus, & conditionis exiſtant Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, vel domicilium, Caſtra, Terras, & loca in dictis Civitate, Diœceſi, & Provincia habentes, vel habitantes, aut moram trahentes in ipſis, quod ad decimas Clericis, & Eccleſiis dictarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ jure divino debitas, manus non extendant per ſe, vel alios quoquo modo; nec decimas ipſas occupare, invadere, & accipere præſumant directe, vel indirecte, publice, vel occulte. Et ſi quas occupaverint, vel acceperint, illas infra duos menſes a die publicationis Conſtitutionis hujuſmodi in antea computandos, reſtituant Rectoribus, & Clericis Eccleſiarum, quibus debentur decimæ ſupradictæ, dictique Religioſi de poſſeſſionibus eorum, & de fructibus ex ipſis obvenientibus, decimas perſolvant Rectoribus Eccleſiarum, in quarum Parochiis loca ipſorum Religioſorum, & poſſeſſiones ipſæ ſint ſituatæ, niſi ſuper hoc privilegium exemptionis haberent, de quo infra duos menſes, ab hodie in antea computandos, fidem facere, teneantur, alias in ſingulos contrarium facientes ex nunc, prout ex tunc, excommunicationis ſententiam proferimus in his ſcriptis, & vigore præſentis Conſtitutionis excommunicationis ſint vinculo innodati.

Decimæ Religioſorũ illis Parochis debentur, in quorum Parochiis illorum loca exiſtunt.

CAP. XLV.

Solutionem quartæ partis decimarum, mortuariorum, & oblationum Epiſcopis debitam ſingulis annis, ultra Octobrem, aut Novembrem menſem differentes excommunicantur.

ITem ſtatuentes, ut ſupra, monemus Abbates, Archipresbyteros, Rectores, & Cappellanos Eccleſiarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, quatenus quartiliam decimarum, mortuorum, & oblationum nobis, & dictæ Beneventanæ Eccleſiæ, & aliis Epiſcopis Ordinariis eorum debitam integraliter ſolvant, & ſatisfaciant annis ſingulis Nobis, vel Procuratoribus noſtris, aut dictis Epiſcopis, vel ſuis Procuratoribus per totum menſem Octobris, vel ad tardius uſque, & per totum menſem Novembris anni cujuslibet ſub excommunicationis pœna, quam in contrarium facientes proferimus in his ſcriptis.

CAP. XLVI.

Clericis taxillis ludere, arma deferre, capputua indecore geſtare inhibetur.

ITem, ut Clericorum actus, & mores, quorum vita aliis debet eſſe magiſtra, in melius reformentur, omnes, & ſingulos Canonicos, Sacerdotes, & Clericos Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, & commorantes in eis, ludentes ad taxillos in auguſtale unum, aut aliquod genus armorum peditos portando per Civitatem, Diœceſim, & Provinciam ſupradictas, niſi itinerando, pœna quindecim carlenorum argenti noſtræ, & ipſorum Suffraganeorum Cameræ perſolvendorum, puniendos decernimus vice qualibet in his ſcriptis, niſi in caſibus a jure permiſſis: jubentes nihilominus ſub pœna prædicta omnibus, & ſingulis Clericis in ſacris ordinibus conſtitutis prædictarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, quod non deferant, nec deferre præſumant capputua buctunata, ſeu cum buctonis, ſed alias ſuta, ut decet, & honeſte.

Clericorum vita ſecularibũ magiſtra eſſe debet.

Ludentibus ad taxillos pœna auguſtalis, deferentibus vero arma quindecim carlenorum imponitur.

CAP. XLVII.

Clericorum habitus præſcribitur.

ITem præſenti Conſtitutione ſub excommunicationis pœna mandamus, & monemus omnes, & ſingulos Presbyteros, Archipresbyteros, Clericos cujuſcumque ſtatus, ordinis, gradus, ſeu conditionis, & dignitatis exiſtant de Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana, quod veſtes decentes, & congruas portare, & deferre continue debeant, non apertas, non buctunatas ex parte anteriori, vel cum geronibus pluribus circumdatas, vel breves, cum tales veſtes more ſæcularibus competant, & non perſonis eccleſiaſticis in ſacris ordinibus conſtitutis.

CAP.

Cap. XLVIII.

Cauponæ Clericis interdicuntur.

Clericorum honeſtati non decet per tabernas divagari.

ITem, ſicut percepimus teſtimonio ſatis digno. ſunt plerique Canonici, Sacerdotes, & Clerici, qui potius luxuriæ, & relaxationis habenis, quam freno honeſtatis hortati, more laicorum per tabernas continue diſcurrere non verentur, denigrando modeſtiam ordinis clericalis. Volentes curæ paſtoralis officio de ſalubri remedio providere, omnes, & ſingulos Canonicos, Sacerdotes, & Clericos bibentes, & comedentes in aliqua taberna, vel ante ipſam in Civitate, vel ſuburbiis earum, niſi itinerando, aut in Caſtris, in quibus habitant, in floreno uno auri vice qualibet dictæ Cameræ noſtræ, vel Suffraganeorum noſtrorum applicando, puniendos decernimus in his ſcriptis.

Cap. XLIX.

Ab alieno Epiſcopo, proprio in conſulto, ordines ne recipiantur; neque chriſmatis, aut cathecumenorum, infirmorumve oleum. Ad alios Epiſcopos pro ordinibus dimiſſi, de eorum ſuſceptione teſtimoniales litteras afferant.

ITem verentes hactenus, quod nonnulli Clerici de Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana, & commorantes in eis ab alienis Epiſcopis minus legitime ad ſacros ordines ſe faciunt promoveri, excommunicamus ſimiliter in his ſcriptis omnes, & ſingulos de Civitate, Diœceſi, & Provincia ſupradictis, qui ſubreptitie præter noſtram, vel Vicariorum noſtrorum, aut Epiſcoporum Suffraganeorum noſtrorum, aut Vicariorum ſuorum conſcientiam, in prædictis licentia non obtenta, ab aliquo Prælato ſe fecerint ad aliquem ordinem promoveri; & omnes illos, etiam qui recipiunt ſacrum Chriſma, oleum ſanctum, & oleum infirmorum ab alienis Epiſcopis, licentia non obtenta. Injungentes nihilominus omnibus, & ſingulis Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ prædictarum, ut nullus abſque noſtra, ſeu Vicariorum noſtrorum, aut Suffraganeorum noſtrorum, vel Vicariorum ſuorum licentia, vel aliorum, quibus duxerimus, aut duxerint committere, primam tonſuram, aut alios minores ordines recipere prçſumat, niſi quam primo fidem faciat de ſuſceptis, & de prædicta licentia, & ſuſcipiendis litteras teſtimoniales penes ſe habere procuret; alioquin contrarium facientes ad dictam tonſuram, & ceteros ordines admitti prohibemus, & dictam excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto.

Ordinandus ad aliquem ordinẽ ſuperiorem minoris ſuſcepti fidem geſtare tenetur.

Cap. L.

Illicitæ negotiationes, & cauponis munus Clericis prohibita.

ITem quia inſinuatione frequenti noſtris eſt auribus intimatum, quod nonnulli Canonici, Sacerdotes, & alii Clerici Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, commorantes in eis, in ſacris ordinibus conſtituti, mercantias, tabernas, & alia mercimonia exercere in opprobrium ordinis clericalis, atque mali exempli Provinciæ non verentur, monemus omnes, & ſingulos Canonicos, Sacerdotes, & Clericos ſupradictos, quatenus tabernam retinere, mercantias, & alia mercimonia exercere ulterius non præſumant. Contrarium præſumentes, vel facientes in unciam unam carlenorum argenti, ut ſupra, dictæ Cameræ noſtræ, vel Suffraganeorum noſtrorum applicandam decernimus, puniendos. Declaramus autem non includi in Conſtitutione prædicta vendentes vinum, vel græcum, ſeu fructus tabernariis, vel aliis mercatoribus, licet dicti tabernarii, vel mercatores dictum græcum, vel vinum vendant, ſeu faciant vendi ad minutum, & locatores ſuarum domorum, quoque conductores ipſarum tabernas in eiſdem voluerint adnecti, dummodo in dictæ Conſtitutionis fraudem nihil fiat.

Conſtitutione hac vendentes vinum, fructusque tabernariis excluduntur.

Cap. LI.

Tempus, in quo nuptias celebrare illicitum eſt, oſtenditur.

ITem ſtatuimus, & mandamus, quod nullus de Civitate, Diœceſi, & Provincia, ordinis cujuſcumque, ſtatus, & conditionis exiſtat, nuptias celebret, ſeu ſolemnitatem nuptiarum temporibus prohibitis exequatur, videlicet a Dominica Adventus Domini uſque poſt octavam Epiphaniæ, & a Dominica Septuageſimæ uſque ad octavam Reſurrectionis Dominicæ, a tribus diebus Rogationum ante Aſcenſionem Domini uſque ad octavam diem Pentecoſtes incluſive, prout jure canonico conſtat eſſe prohibitum. Contrarium vero facientes excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto.

Cap. LII.

Nuptiarum temporis ad plebanos indicatio præcipitur.

ITem ſtatuimus, & mandamus Abbatibus, Archipresbyteris, Prioribus, Decanis, Rectoribus, Presbyteris, Cappellanis, ac Vicariis Eccleſiarum Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, ad quos cura ipſarum Eccleſiarum ſpectat ſub pœna prædicta, quod ſæpius moneant publice Populum ſibi commiſſum, dum miſſarum ſo-

ſolemnia celebrantur in Eccleſiis eorumdem, quod nullus celebret nuptias temporibus prohibitis ſupradictis, & alias, ut jure eſt, & more permittantur; nec ipſi Presbyteri, ſeu Rectores, vel Cappellani, & alii ſupradicti celebrent, vel faciant celebrari miſſas, vel benedictionem ſolemnem in ipſis ſponſalibus, ſive nuptiis, diebus, & temporibus prohibitis, & memoratis.

Prohibetur Rectoribus, & Cappellanis celebraſe miſſas in ſponſalibus diebus vetitis.

CAP. LIII.

Clericos ordinare, chriſma miniſtrare, & benedicere aliena in Diœceſi, Epiſcopo vetitum eſt.

ITem quia, ſicuti nos manifeſta experientia docuit, nonnulli Epiſcoporum noſtræ Beneventanæ Provinciæ, Suffraganei noſtri, falcem in meſſem alienam mittere non verentes, in Caſtris, & locis noſtræ Beneventanæ Diœceſis, & Provinciæ ſubditos noſtros, noſtræ jurisdictioni, ſeu aliorum Epiſcoporum ſuffraganeorum noſtrorum ſubjectos, chriſmare, & benedicere præſumunt, ſeu præſumpſerunt; ideo ſtatuimus, quod nullus Epiſcopus ſuffraganeus, ſeu quivis alius audeat ſine ſpeciali noſtra licentia, aut illius Epiſcopi, ad quem pertinebit, ordinare Clericos Terrarum noſtræ Diœceſis, aut alterius; nec chriſmare, ſeu confirmare pueros utriusque ſexus; nec ſignare, vel aliquid exercere in Civitate, Diœceſi, ſeu Provincia noſtra prædictis de iis, quæ ad ordinem, & jurisdictionem noſtram, aut aliorum Epiſcoporum ſuffraganeorum noſtrorum in Terris, & locis prædictis pertineant, atque ſpectent. Quod ſi contrarium fecerint in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum, præter pœnam a jure ſtatutam, vice qualibet, & actu tranſgreſſionis prædictæ, ſolvant in contrarium facientes noſtræ Curiæ, ſeu dictorum Epiſcoporum ſuffraganeorum noſtrorum uncias decem convertendas in utilitatem noſtræ Curiæ, ſeu Eccleſiæ Beneventanæ, aut illi Eccleſiæ, cui erit injuria irrogata.

Nec credant aliqui ſe habere licentiam a Nobis, aut aliis Coepiſcopis ſuffraganeis noſtris, niſi litteras ſigillatas ſigillo noſtro, vel Curiæ noſtræ, aut dictorum Coepiſcoporum ſuffraganeorum noſtrorum patentes oſtendant. His vero, qui prædicta exequendi in Civitate Beneventana licentiam habuerint, ſufficiat ſolo verbo a nobis, vel Vicario noſtro licentiam habuiſſe.

Qui in aliena Diœceſi ordinationem facit in ſcriptis licentiā oſtendere tenetur, ordinante in Beneventana Civitate excepto.

CAP. LIV.

Pauperes Parochorum expenſis ſepeliri debent. Horum notitiam Canonici, & electi Parochis afferant.

ITem quia multorum inſinuatione clamoroſa didicimus, quod nonnulli pauperes, & egeni degentes in Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana propter eorum inopiam pluribus diebus carent eccleſiaſtica ſepultura, volentes ex noſtri officii debito de ſalubri remedio providere, præſentium tenore requirimus, & monemus omnes, & ſingulos Rectores Eccleſiarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ parochialem funeralem habentes, quatenus ſub excommunicationis pœna, & unius unciæ, quamprimum ad ipſos notitia pervenerit de morte degentium prædictorum, ſublato more præpridio, ſtatim ad eorum expenſas, ut convenit, ſepeliri faciant corpora defunctorum in cœmeteriis Eccleſiarum ipſarum; & Canonici, ac ceteri electi dictarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, quoties ad ipſorum notitiam devenerit, notificare debeant Rectoribus ſupradictis.

Parochi Corpora pauperum defunctorum in ſuis Eccleſiarum cœmeteriis ſepeliri curent.

CAP. LV.

Suſpectas mulieres Clerici domi ne retineant. Detinentes abjiciant. Inobedientes Epiſcopis deferantur.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus Clericus beneficiatus mulierem habeat in domo ſuſpectam; monentes ex nunc quoſcumque habentes, ut a ſe abjiciant infra 15. dies, alioquin præter pœnas juris inobediens in uncia una danda noſtræ Curiæ, & Suffraganeorum noſtrorum in piis uſibus vertenda, puniatur: Præcipientes ſub pœna prædicta omnibus, & ſingulis Abbatibus, Archipresbyteris, & Eccleſiarum Rectoribus Diœceſis, & Provinciæ prædictæ, ut dictos Sacerdotes, & Clericos taliter mulieres habentes, a ſe abjicientes, eosdem Nobis, & Suffraganeis noſtris infra decem dies revelent; & in ſcriptis tradant, ſive aſſignent nomina eorumdem.

Nomina Clericorū mulieres domo ſua abjicientium Eccleſiarum Rectores Epiſcopo revelent.

CAP. LVI.

Concubinas domi, vel alibi Clerici non habeant: qui habent infra decem dies expellant. In contrafacientes pro ordinis gradu pœna ſtatuitur.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus Clericus in quocumque ordine conſtitutus, vel eccleſiaſtica perſona Civitatis, Diœceſis, vel Provinciæ Beneventanæ, ſeu aliunde exiſtens, & trahens moram in Civitate, Diœceſi, aut Provincia ſupradictis publice concubinam in domo ſua propria, vel aliena expenſis * audeat, retinere, ne pollutis manibus ſupradicti quæ ſancta ſunt, adminiſtrent. Immo ſi quis eorum huc uſque eas tenuerit, ſeu retinet, infra decem dierum ſpatium a tempore publicatæ Conſtitutionis debeat a ſe ipſas abjicere, & removere, eas, vel alias deinceps nullatenus admiſſurus. Quod ſi prædicti Clerici contra fecerint,

Forſan deeſt * ſuis.

Sacerdos, Eccleſiæ Rector, ſeu Prælatus, qui majori præeminet dignitate, & ejus exemplo facilius alii tam Clerici, quam laici poſſent ad ſimilia provocari, quatuor uncias nobis, & noſtræ Curiæ, ſeu Suffraganeis noſtris, & eorum Curiis applicandas: Diaconus vero trium unciarum: Subdiaconus vero duarum unciarum: alii vero inferioris ordinis unius unciæ pœnas incurrant, convertendas, & erogandas, ac expendendas in pios uſus, prout Nobis, & dictis Suffraganeis noſtris viſum fuerit expedire.

Qua diverſitate plectuntur Clerici retinentes in domo concubinas.

CAP. LVII.

Conjugatis uti concubinis prohibetur; excommunicatio fertur in utentes poſt monitionem.

Item ſtatuimus præſenti Conſtitutione, ac una monitione pro tribus, & peremptorie monemus, quod nullus de Civitate, Diœceſi, et Provincia Beneventana cujuscumque ſtatus, et conditionis exiſtat, habens uxorem propriam, recipere, ac retinere habeat concubinam: nec mulieres maritum habentes debeant aliquibus concubinaliter adhærere. Alias in contrariū facientes poſt menſem unum in antea computandum, dicta canonica monitione præmiſſà, & dicto termino elapſo excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis, ipſosq; per ſingulos Archipresbyteros, Abbates, Curatos, & aliarum Eccleſiarum Rectores, tanquam excommunicatos vitari præcipimus a divinis, quouſque a Nobis, aut Suffraganeis noſtris, Vicariis noſtris, vel eorumdem abſolutionis beneficium meruerint obtinere.

Adulteri poſt monitionem relapſi, ut excommunicati vitentur.

CAP. LVIII.

Excommunicantur ingredientes Monaſteria Monialium ſine cauſa, & licentia: necnon Cappellani, & Procuratores, qui ea fictis coloribus frequentant.

Item monemus omnes, & ſingulos Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, & eis ſub excommunicationis pœna mandamus, (in quam contrarium facientes incurrere volumus ipſo facto) quatenus nullus mas, aut femina audeat ingredi Monaſterium Monialium cujuscumque ſtatus, ordinis, & conditionis exiſtant, niſi ex cauſa legitima, & rationabili, & cum licentia noſtra, ſeu Vicarii noſtri, Suffraganeorum noſtrorum, vel Vicariorum ſuorum ſuper hoc prius habita, & obtenta; quam pœnam omnes Capellanos, & Procuratores, & alios talia loca fictis coloribus frequentantes ſine licentia ſupradicta petita, & obtenta, incurrere volumus ipſo facto.

CAP. LIX.

Moniales extra Monaſterium ne comedant; nullus ad id eas domum recipiat. Comeſtio, & potus aliorum intra Monaſterium anathemate proſcribitur.

Item ſtatuimus, quod Moniales non comedant extra loca Monaſteriorum, niſi de licentia Superiorum ſuarum, nec aliquis de locis, ubi degunt, ad comedendum, & bibendum easdem admittat in domo ſua ſub pœna unius unciæ, noſtræ Curiæ, vel Suffraganeorum noſtrorum applicandæ.

Item, quod nullus comedat infra dicta ſepta, aut bibat ſub excommunicationis pœna, quam incurrat ipſo facto, niſi licentia noſtra, aut Vicarii noſtri, ac Suffraganeorum noſtrorum, & eorum Vicariorum prius petita, & obtenta.

CAP. LX.

Doloſæ Compaternitates ne contrahantur; inhibentur Clericis, exceptis conſanguineis, & affinibus uſque ad tertium gradum abſque Epiſcopi licentia. Unus ſit in baptiſmo, ſive confirmatione patrinus.

Item, quod nonnulli, ſicut nobis attulit plurimorum relatio, neſcientes a vetitis penitus abſtinere, prætextu liciti, inhoneſta, & illicita committere quærentes, exquiſitis, & conceptis in corde fraudibus compaternitatem cum nonnullis contrahere ſatagunt, & cum velata excuſatione cogitant eadem inhoneſta illicita exercere, ſub cujus prætextu, & ficta occaſione ad concubinas, ſeu focarias eorum, quas in occulto detinent, ſeu detinere proponunt, facilior, & excuſabilior ipſis materia, & via frequentius accedendi. Nos ſubditis noſtris, & maxime Presbyteris, & Clericis Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, quorum geſtus, actus, & mores honeſtos eſſe cupimus, & irreprehenſibiles, fornicandi, & delinquendi materiam auferre volentes, & dictis fraudibus, & nequitiis, quantum cum Deo, & juſtitia poſſumus, obviare, hac præſenti Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, & ſub excommunicationis pœna mandamus, quod nullus Clericus, ſeu laicus Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ cum fraude, & occaſione prædictis compaternitatem cum aliquibus de cetero contrahat: & ut omnis penitus nequitiæ via eisdem Clericis præcludatur, inhibemus hujusmodi Conſtitutionis ſerie Presbyteris, & Clericis Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ prædictarum, ut deinceps compaternitatem modo aliquo cum aliquibus contrahant, ſeu contrahere præſumant, niſi cum conſanguineis, & affinibus ipſorum uſq; ad tertium gradum incluſive abſque noſtra, ſeu noſtri Vicarii,

aut

aut Suffraganeorum noſtrorum, vel Vicariorum ſuorum licentia ſpeciali; niſi cum exercere voluerint officium debitum baptizandi. Statuentes nihilominus, & ordinantes, ut, cum multitudine, & pluralitate compaternitates contrahentium plura matrimonia ſolverint impediri, & multa enormia, & inconvenientia occulte, & publice perpetrari, fraude, & occaſione prædictis ceſſantibus, in dictæ compaternitatis contractibus inter quoſcumque fiendis, ſive in baptiſmo, ſive in confirmatione unus tantummodo patrinus intercedat.

Ex compaternitatibus multa mala oriri ſolēt.

CAP. LXI.

Matrimonium denunciationes præcedant.

ITem cum clandeſtinæ copulæ conjugalis contractus ſit à ſacris Canonibus reprobatus, ſtatuimus, & hac præſenti Conſtitutione ordinamus, & monemus ſub excommunicationis pœna omnes, & ſingulos Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, quod nullus deinceps matrimonium contrahat, nec contrahere præſumat, niſi publice, & quod per Parochialis Eccleſiæ Præsbyterum banna, & edicta publice proponantur, ut ſi quis voluerit, ſeu ſciverit, & potuerit aliquod canonicum, & legitimum impedimentum opponere, illud opponat, & dicat coram Nobis, ſeu Vicario noſtro, aut Suffraganeis noſtris, ſeu eorum Vicariis infra competentem terminum per dictum Presbyterum ſtatuendum.

CAP. LXII.

Eccleſiarum Rectores in propria Eccleſia celebrent die Dominico, & plebes ſalubriter moneant.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, ac etiam mandamus, quod quilibet Eccleſiarum Rector, ſive Capellanus Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ Eccleſiæ Parochiali in propria perſona deſerviens, teneatur ſingulis diebus Dominicis miſſarum ſolemnia in Eccleſia, cui deſerviet, celebrare ſub pena per nos, aut noſtros Suffraganeos eidem noſtro, vel eorum arbitrio infligenda; præcipientes, ſub pena unius auguſtalis noſtræ Curiæ, ſeu Suffraganeorum noſtrorum prædictorum applicandi, eiſdem, ut dictis diebus Dominicis ſingulis Populo edicant, & proponant nomina ſalubria, monita, & mandata, ne pro ignorantia populus ad illicita prorumpat committenda.

Parochi non celebrantes, & verbum Dei in Dominicis non proponentes unius auguſtalis pœna taxantur.

CAP. LXIII.

Singulis Dominicis diebus jejunia, & feſta, ut hic, colenda populo indicentur.

ITem præcipimus, & ſub dicta pœna mandamus, quod dictis diebus Dominicis dicti Abbates, Archipresbyteri, Eccleſiarum Rectores, & cuncti Curati ſingulis diebus Dominicis in miſſa publice populo feſta colenda, & jejunia obſervanda debeant nunciare; feſta vero colenda ſunt hæc, ſcilicet Dies Natalis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangeliſtæ, Innocentum, S. Silveſtri, Circumciſionis Domini, Epiphaniæ, S. Antonii Abbatis, Converſionis S. Pauli, S. Blaſii Epiſcopi, & Martyris, Cathedra S. Petri, feſtum omnium SS. Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, quatuor feſta B. MARIAE Virginis. ſcilicet Purificatio, Annunciatio, Aſſumptio, & Nativitas: S. Benedicti, dies Jovis Cœnæ Domini, dies Veneris ſanctæ paſſionis Domini, feſtum Reſurrectionis Domini cum duobus diebus ſequentibus, feſtum S. Crucis, feſtum S. Joannis ante portam Latinam, feſtum Aſcenſionis Domini, feſtum Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, feſtum Corporis Chriſti, Nativitas S. Joannis Baptiſtæ, S. Mariæ Magdalenæ, vincula S. Petri, Transfiguratio Domini, ſive S. Salvatoris, S. Laurentii, Decollatio S. Joannis Baptiſtæ, Exaltatio S. Crucis, Dedicatio S. Michaelis, Omnium Sanctorum, S. Martini, S. Catharinæ Virginis, feſtum cujuslibet Sancti, & Sanctæ patroni, ſeu patronæ parochialis Eccleſiæ in Parochia illa, ſi, & prout alias eſt ibi fieri conſuetum.

Notantur feſta a Parochis nuncianda, & a Populis colenda.

Item alia feſta, quæ in Civitate, Diœceſi, & Provincia conſueverunt ab antiquo percoli, & per quemlibet obſervari dicta feſta colenda abſq; mercantiis, & alio ſervili opere cum devotione, & reverentia præcipimus obſervari: in aliis vero feſtis * *curatas precipia* abſtinere, niſi prout eſt hactenus conſuetum.

Quomodo colenda ſint feſta enumerata?

Sic in codice, at forſan * *curatus, ne præcipiat*

CAP. LXIV.

Excommunicati, ſi ſcienter quindecim diebus in excommunicatione permanſerint, ne abſolvantur, donec de pœnitentia adimplenda cautionem dederint. Aliæ in eos pœnæ feruntur.

ITem quia nonnulli excommunicationis vinculo innodati claves Eccleſiæ contemnentes in excommunicatione ipſa perſiſtere non verentur, & etiam indurato animo ſuſtinere, quod grave eſt, & perniciosum exemplo; ne ipſorum contemptus tranſeat impunitus, præſenti Conſtitutione ſtatuimus, ac etiam ordinamus, quod quicumque de Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana fuerit ſententia excommunicationis aſtrictus, & in excommunicatione ipſa ſcienter per quindecim dies duxerit permanendum, niſi in mortis articulo, nullatenus abſolvatur, donec idonee, ſeu legitime caveat de adimplendo penitentiam per nos, ſeu Suffraganeos noſtros, aut de noſtro, vel eorum manda-

to ſibi noſtro, vel eorum arbitrio imponendam, & alias in floreno uno, ſi per 15. dies tantum in excommunicatione ipſa perſtiterit; ſi vero in uno menſe in excommunicatione ipſa animo indurato duxerit perſiſtendum, ipſum in florenis duobus, & ſic per conſequens duplicando, decernimus puniendum, ad alias res, ſi opus eſt, vel fuerit, proceſſuri, quæ ſcilicet cedant ad pęnam, & aliis ad terrorem.

Qui in excommunicatione per quindenam, & plus permanſit pro qualibet quindena unius floreni pœna punitur.

C A P. LXV.

Nullus novam ſectam, a Romano Pontifice non approbatam, amplectatur.

ITem quia multoties Angelus Satan in lucis Angelum ſe transformat, & mentes fidelium ſimplicium prætextu licito conſuevit ad illicita, & nefaria retorquere, præſenti Conſtitutione in perpetuum valitura, monemus, ſtatuimus, & mandamus, quod de cetero nullus dictarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ cujuscumque ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtat, quocumque quæſito colore, vel cauſa aliquam novam regulam, aggregationem, obſervantiam, ſive ſectam, niſi illam, ſeu illas, quæ per Sanctam Romanam Eccleſiam, quæ eſt mater omnium fidelium, & magiſtra, expreſſe fuerint approbatæ, aliquatenus tenere, vel venire, nec etiam obſervare præſumat; in omnes autem, & ſingulos contrarium facientes, excommunicationis ſententiam ex nunc, prout ex tunc ferimus in his ſcriptis; & nihilominus contra eos ad pœnas alias procedemus, & per Suffraganeos noſtros procedi mandamus, juxta qualitatem culpæ, & perſonæ, quæ in hoc delinquens fuerit.

Novæ aggregationes, obſervantiæ, & ſectæ prohibentur.

C A P. LXVI.

Peccatorum confeſſio ſemel ſaltem in anno fiat proprio Sacerdoti ab diſcretionis annos habentibus. Saltem in Paſchate Eucharistia ſumatur. Id Parochi diligenter curent.

ITem præcipimus, ſtatuimus, ac etiam ordinamus, quod omnes dictarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Parochiales Presbyteri frequenter moneant plebes ſuas juxta ſtatuta Concilii generalis, ut omnis utriuſque ſexus fidelis clericus, vel laicus, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia peccata ſua confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti; & injunctam ſibi pœnitentiam pro viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis ab hujusmodi receptione duxerit abſtinendum. Alioquin contra faciens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens careat chriſtiana ſepultura, diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ mandantes, & præcipientes dictis Parochialibus Presbyteris, ut hanc præſentem Conſtitutionem noſtram in corpore juris clauſam ſtudeant pro viribus adimplere. Alioquin procedetur duriſſime contra ipſos per nos, & dictos Suffraganeos noſtros.

Pœnæ non confitentibus, & non ſumentibus Euchariſtiam in paſchate notantur.

C A P. LXVII.

Parochi ſemel ſaltem in anno confitentium, & Euchariſtiam ſumentium nomina Epiſcopis ſcripto referant.

ITem dictis Parochialibus Presbyteris noſtrarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ ſtatuendo præcipimus, & mandamus, quod nomina omnium ſuorum Parochianorum eis in anno confitentium, & quibus in Paſcha ad minus, vel alio tempore ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum dederint, in ſcriptis redigant, & nobis ſemel ſaltem in anno, & quoties poterunt, aut Vicario noſtro, ſeu Suffraganeis noſtris, aut eorum Vicariis in ſcriptis dare procurent. Alioquin non obſervantes hanc noſtram Conſtitutionem pœnam unius auguſtalis [a] applicandam Curiæ noſtræ, ſeu dictorum Suffraganeorum noſtrorum incurrere volumus ipſo facto.

Unum auguſtalem ſolvant Parochi non deferentes Epiſcopo nomina ſumentium Euchariſtiam.

N O T Æ.

a. Augustalis] *Aureus nummus a Friderico II. Imperatore Brunduſii, & Meſſanæ primum cuſus, juxta* Chronicon *Richardi de S. Germano ad ann.* 1231. *cujus hæc ſunt verba*: Nummi aurei, qui Auguſtales vocantur, de mandato Imperatoris in utraque Sicilia, Brunduſii, & Meſſanæ cuduntur. *Et infra*: Menſe Junii quidam Thomas de Pando novam monetam auri, quæ Auguſtalis dicitur, ad S. Germanum detulit diſtribuendam per totam Abbatiam, ut ipſa moneta utantur homines in emptionibus, & venditionibus ſuis, juxta valorem ei ab Imperiali providentia conſtitutum, ut quilibet nummus aureus recipiatur, & expendatur pro quarta unciæ. Annotata figura Auguſtalis erat habens ab uno latere caput hominis cum media facie, & in alio Aquilam. *Similia de Auguſtali refert Joannes Villanus* Chronic. lib. 6. c. 22.

Auguſtalis origo

2 *Poſito itaque, quod Auguſtalis quartam unciæ partem ponderat, quæ* Sicillicus *a Scævola dicitur* lib. 22. digeſt. *illius valorem hoc modo arguere tentamus. Auri libra, juxta hodiernum valorem, ut diximus ſupra in Concilio Paſchalis II.* pag. 11. *æſtimatur pretio ſcutorum* 144. *Uncia, quæ, ut ibi diximus, eſt duodecima pars libræ, ſcutis duodecim*

ejus modernus valor.

cim, & dividitur in octo partes, quarum qualibet conſtat juliis Romanis quindecim, vel totidem carolenis noſtratis monetæ: cum ergo Auguſtalis ſit quarta pars unciæ, triginta juliis, vel carolenis conſtare videtur.

Valor antiquus.

3 Ceterum, ſi antiquo pretio auri libram æſtimare velimus, conſtat fuiſſe pretio duplo minore, ſcilicet ſcutorum 72. quia libra conflabatur e 72. ſolidis, qui ſinguli, ut infra, pro uno ſcuto 10. juliorum, vel carolenorum computantur, ex l. Quotieſcumq. Cod. de Suſceptoribus, *ubi ſic*: Quotieſcumque certa ſumma ſolidorum pro tituli qualitate debetur, & auri maſſa tranſmittitur, in ſeptuaginta duos ſolidos libra feratur accepta. *Solidus enim eſt ſexta unciæ pars, ex Gothofred.* in Cod. Theod. lib. 10. tit. 25. *de* oblat. votor. *l.* pro imminutione, *ubi*: Nempe enim ſeptuaginta duos ſolidos in libram auri, & ſic ſex in unciam accepto ferri voluit. *Et ſic ſcuto uno valet ex Thuſco V.* Cathedraticum concl. 132. n. 1. *Fagnan.* ſuper cap. Conquerente de offic. Ordin. nu. 47. *Gonzalez* ſuper dict. cap. lit. M. *Scutum autem, ſeu aureus decem carolenis noſtræ argenteæ monetæ æquipollet ex Prato in* diſcept. forenſ. tom. 3. cap. 1. *& eſt evidens in Pragmaticis noſtris ſanctionibus, in quibus uncia ſemper pro ſex aureis accipitur. Ergo Auguſtalis, qui eſt quarta pars unciæ, eſſet in hoc computo valoris ſcuti unius cum dimidio, ſeu quindecim carolenorum noſtræ argenteæ monetæ, non trium ſcutorum, ut ſupra.*

Solidus quanti æſtimetur.

4 *Advertimus tamen, nec quindecim carolenis valuiſſe Auguſtalem tempore hujus Concilii, quod aperte liquet ex capite 46. in quo manifeſta ponitur differentia inter pœnam unius Auguſtalis, & pœnam 15. carolenorum; ex quo concludimus, vel Auguſtalem, vel carolenos pluris, minoris-ve fuiſſe, quam ad præſens æſtimamus.*

Differebat tempore hujus Concilii valor Auguſtalis, & quindecim carolenorum.

5 *Quod de uncia auri dicimus, idem de uncia argenti dicendum, dividendo libram in uncias duodecim; unciam in octo octavas, &c. data proportione utriuſque metalli æſtimationis. Nunc apud nos libra argenti eſt ſcutorum, ſive ducatorum* 14. 40.

6 *Aliquid dicendum ſupereſt de Tarenis, carolenis, floreniſque, quorum crebra hic fit mentio. Quod ad tarenos attinet, ii erant Amalphitani, Salernitani, Siculi, & Africani, ut reperitur aped Leonem Oſtienſem* lib. 3. cap. 58. *Item in actis Innocentii III. apud Peregrinium* Hiſt. Longobardorum lib. 1. pag. 253. *& apud Ugbellum* tom. 7. col. 587. *& alibi paſſim. Unde conjicere licet tarenos non ejuſdem fuiſſe valoris apud pleroſque. Præſens illius valor noſtro in Regno eſt granorum viginti, quod etiam indicat Matthæus Silvaticus, cujus opera edidit Angelus Cato Supinas de Benevento anno* 1474. Tarenus ponderat grana 20. *Nominis etymon indicare videtur Nicolai IV. Pontificis Bulla m. s.* de cenſibus Eccleſiæ Romanæ, *ubi ſic*: Monaſterium S. Nicolai de Caluſiis I. Michaletum auri, quod valet quinque Tarentinos Regis. *Ibidem*: Monaſterium S. Mariæ de Fundiliano decem Tarentinos de Salerno. *Ita ut Tarenum, nomine inſpecto, facile ſit a Tarento urbe denominationem accepiſſe, ibique fuiſſe primum cuſum. Plura vide in Dufreſne verb.* Tarenus.

Tarenorum varietas.

Quanti æſtimētur in Regno Neapolitano. Eorum etymon.

7 *Nunc ad Carolenum devenimus, qui in præſentiarum apud nos grana decem pendet. Ejus origo a pleriſque ſub Caroli I. Andegavenſis Neapolitanorum Regis tempore figitur, a quo & nomen traxiſſe ajunt. Jacobus Hoſmannus in* Lexico *hæc habet*: Carolus, ſeu potius Carolinus Romanus ſpecies monetæ apud Macrum in Hierolex. Item moneta Anglica valens tredecim libras, ſolidos quindecim.

Carolenorum origo, & valor.

8 *Ad florenum deſcendimus, a Florentinis primum excuſum anno* 1252. *ſicque dictum a lilio flore, quod in eo erat inſculptum, juxta Borghinum in tractatu* de monetis. *Florenus unciæ octavam partem ponderat ex ſæpe laudato Domino Ciampino in m. s.* de lira Turonenſi, *quod penes nos ſervatur. Cum itaque (modernum auri valorem reſpiciendo, ut ſupra diximus) auri uncia duodecim aureis æquipolleat, quarta unciæ pars aureis tribus, ſexta duobus, conſequenter octava unciæ pars, quæ florenus dicitur, aureo uno cum dimidio, ideſt juliis Romanis, ſive noſtratibus carolenis argenteis quindecim æſtimatur: juxta vero dictam* l. Quotieſcumque, Cod. de Suſceptoribus, *ubi auri libra in duas, & ſeptuaginta partes, ſive in 72. ſolidos, quorum unumquemque ſcutum unum decem juliorum Romanorum, ſive noſtratium carolenorum eſſe firmavimus, dividitur, florenus valet carolenis ſeptem, & gr. quinque.*

Florenorum origo, & pretium.

9 *Duodecim deinde Turonenſes florenum componunt ex extrav.* Vas electionis, *§.* porro de cenſibus, *ubi*: Porro Turonenſes prædictos, tales fore intelligimus, quod duodecim ipſorum valeant unum florenum auri boni, puri, & legalis ponderis, ac cunei Florentini. *Unde Turonenſis, accipiendo auri libram pro pretio ſcutorum* 144. *correſpondet uni caroleno, & granis* 2. $\frac{1}{2}$ *noſtræ monetæ: ſi vero auri libram ſcutis* 72. *æſtimemus, correſpondet granis* 6. $\frac{1}{4}$

Turonenſis quanti æſtimetur.

10 *De monetis verba facientes animadvertimus quamplurimis in capitibus, præcipue* 35. 46. 48. 50. 56. *Monaldum Cameræ Epiſcopali pecuniarias mulctas applicare. Id vero licite ſancitum fuiſſe non tantum ea tempeſtate conſtat ex Claro* lib. 5. *§.* fin. qu. 8. nu. 5. *Covarruvias* lib. 2. Variar. reſol. cap. 9. num. 8. verſ. Poſtremo; *Barboſa* de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. allegat. 107. num. 18. *Maſſino* de Confiſcatione quæſt. 2. nu. 29. *Ciarlinio* controverſ. forenſ. Judic. lib. 1. cap. 50. num. 57. *Riccio* Prax. variar. reſol.

Mulctas pecuniarias, an liceat Epiſcopali Cameræ applicare.

par. 2.

par.2. reſol.387. num.1. *aliiſque permultis, ex eo quia Epiſcopi Cameram, & fiſcum habent; verum etiam & ad præſens, non obſtante, quod per Concilium Tridentinum* cap. 3. ſeſſ.25. de ref. *pœnas pecuniarias locis piis fore dumtaxat applicandas videtur, quia re vera id ibi non prohibetur, ſed tantum quod honeſtius viſum eſt ad effugiendam omnem avaritiæ ſuſpicionem conſulto Sanctiſſimi Patres nobis indicarunt. Unde & noſter Rodoerius, celeberrimus Neapoli cauſarum Patronus, ratione tuetur, & exemplo firmat, adjungens*: In Curia Archiepiſcopali hujus Neapolitanæ Civitatis ſervatur, quod compoſitiones pro delictis in pios uſus applicantur; pœnæ autem, quæ pro contraventionibus exiguntur, applicantur ad beneficium Archiepiſcopalis fiſci, quod eſt valde æquum: *Sequens notabilem diſtinctionem Oſtienſis in* Summa de offic. Ordinar. §. quid pertinet, *videlicet ſi per ſtatutum ad Cameram, ſive fiſcum Epiſcopalem, ſi per ſententiam, licet idem poſſit, honeſtius tamen ad pios uſus, ad obturandum os facile iniqua contra ſuos Epiſcopos oblatrantium. Hæc per tranſennam dicta ſint in gratiam Caufidicorum.*

CAP. LXVIII.

Propria in Paræcia divinis officiis intereſſendum feſtis diebus: Parochi Parochianos non ſuos ad divina officia feſtis diebus non admittant.

ITem, quia ſicut ab experto didicimus, plurimi Parochiani utriusque ſexus ſuas Parochiales Eccleſias contemnentes ad eaſdem diebus Dominicis, & feſtivis accedere non curant ad audiendum Divina officia, ſicut tenentur: quinimo, vel in domibus propriis remanent, ut brutales, aut ad alienas confluunt Eccleſias, in quibus per Sacerdotes Parochiales ſuſtinentur, contempto proprio Presbytero, miſſas audituri; attendentes talia a juris ordine deviare, mandamus, ſtatuimus, & ordinamus, quod de cetero talia facere non attentent, præcipientes omnibus, & ſingulis Presbyteris, quod antequam in ſuis Eccleſiis Miſſam celebrent, publicent, & interrogent, ſi alterius Parochianus in Eccleſia ſit; quod ſi invenerint, aut ſciverint, ſtatim ab Eccleſia abiiciant, ſeu ceſſent a divinis, donec ibi fuerit, vel fuerint. Quod ſi exire contempſerint, Nobis, aut Vicario noſtro, ſeu, Suffraganeis noſtris, aut eorum Vicariis denunciare cum primum potuerint, procurent, de inobedientia juſtitiam noſtro, ſeu dictorum Suffraganeorum judicio recepturi: dicti autem Presbyteri; ſi contrarium fecerint, noſtro arbitrio, ſive dictorum noſtrorum Suffraganeorum ſeveriter puniantur.

Parochi a ſuis Eccleſiis nō ſuos Parochianos moneantur arcere.

CAP. LXIX.

Excommunicatorum nomina a Parochis annotentur, populoque indicantur Dominicis diebus. Abſoluti e libro abradantur. Hæretici, Concubinarii, publici Uſurarii, decimarum detentores ſingulis Dominicis diebus denuncientur.

ITem ſtatuimus auctoritate præſentis Concilii, & Metropolitani ordinamus, quod omnes Sacerdotes Parochiales, & eorum locatenentes in ſuis Eccleſiis habeant cartularium quilibet ſuum, in quo ſcribant omnia nomina excommunicatorum ſuæ Parochiæ, in quo etiam annotetur ad quorum inſtantiam ſunt excommunicati, & eos excommunicatos diebus Dominicis in eorum Eccleſiis denunciare procurent. Et qui fuerint abſoluti, de cartulariis abradantur. In principio autem dicti cartularii ponatur, & omnibus diebus Dominicis per Capellanos publicetur hoc quod ſequitur: *denunciamus excommunicatos hæreticos, & fautores eorum, item concubinarios, & uſurarios manifeſtos, item detinentes decimas Eccleſiæ injuſte.* Si quis vero noſtri ſtatuti contemptor extiterit, noſtro, ſeu dictorum Suffraganeorum arbitrio puniatur.

Parochi cartularium excommunicatorū habeant.

CAP. LXX.

Anniverſariæ Concilii celebrationi ſinguli adſint menſe Auguſto die ante feſtum S. Bartholomæi. Dubia in Synodo referantur.

ITem quia tam ſanctorum Patrum, quam etiam Apoſtolicæ Sanctitatis ſcriptis, & mandatis inſtruimur, & ſollicitamur de Conciliis celebrandis, in quibus de reformatione, ſtatu, & regimine Eccleſiarum, & eccleſiaſticarum Perſonarum, ſollicitudine pervigili tractemus, ac etiam intendamus, de conſenſu, & expreſſa voluntate noſtri Capituli, ac Reverendorum in Chriſto PP. DD. Epiſcoporum, & Abbatum ſuffraganeorum, & ſubditorum noſtrorum hac Conſtitutione in poſterum perpetuo valitura ſtatuimus, ac etiam ordinamus, quod omnes, & ſinguli tam Epiſcopi, quam Abbates ſuffraganei, & ſubditi noſtri prædicti, quam etiam Archipresbyteri Prælati Diœceſis noſtræ Beneventanæ annis ſingulis uno die ante feſtum S. Bartholomæi de menſe Auguſti ad Civitatem Beneventanam ſe conferre, & in eadem permanere perſonaliter teneantur ad Concilium celebrandum ſub pœna pecuniaria noſtro arbitrio moderanda proviſuri, certioraturi, relaturi, proſpecturi, & ordinaturi, divina coadjuvante gratia, ea, quæ reformationem, ſtatum, augmentum, & gubernationem Eccleſiarum, eccleſiaſticarumque per-

Non accedentes ad annuale Concilium arbitraria pœna pecuniaria plectūtur.

perſonarum reſpiciant una nobiſcum, & Capitulo noſtro præfato in vigilia feſti prædicti; & quod quilibet ipſorum, ſi quæ forte dubia habuerit, ſeu infra annum occurrerint, tangentia ſacrum myſterium, vel regimen Eccleſiæ, ſeu plebis ſibi commiſſæ, ipſa debeat in dicta Synodo in ſcriptis referre, & ſuper eis Nos, vel noſtrum Vicarium teneantur conſulere, ut exinde poſſit maturius veritas declarari.

CAP. LXXI.

Conſtitutionum interpretatio, declaratio, correctio, additio, diminutio, & diſpenſatio ad Archiepiſcopum, & Succeſſores ſpectant.

ITem ſtatuimus, volumus, & ordinamus, quod Nos, & Succeſſores noſtri Beneventani Archiepiſcopi de voluntate noſtra, & Capituli ſupradicti præſcriptas Conſtitutiones poſſimus interpretari, declarare, vel intellectum dare, corrigere, addere, & minuere, & ſuper eis diſpenſare, ſi quoties, & quando ſecundum juris oſtenſa nobis, & eis videbitur expedire.

CAP. LXXII.

Conſtitutionum Codicem omnes habeant, & quotannis ad Synodum deferant. Epiſcopi ſemel in Diœceſana Synodo, Eccleſiarum Rectores diebus Natalis, & Pentecoſtes eas publicent.

ITem quia introduxit laudanda juris auctoritas, leges, & Conſtitutiones ab omnibus obſervari, ne præſcriptarum noſtrarum Conſtitutionum aliquis prætendere valeat ignorantiam, & quod ad eum non pervenerint, ſe quomodolibet excuſare, requirimus, & monemus omnes, & ſingulos Suffraganeos noſtros, & Rectores Eccleſiarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ Eccleſiam Parochialem habentes, quatenus, ſub excommunicationis pęna, ac etiam quatuor unciarum infra unius ſpatium menſis a die publicationis præſentis computandi, copiam præſcriptarum Conſtitutionum ſcriptam, v3. manu Notariorum Curiæ noſtræ, aut alicujus alius, cui duxerimus committendum, penes ſe habere debeant pro ſui, vel aliorum magiſterio, teſtimonio, & cautela, & quod quilibet ipſorum Conſtitutiones ipſas, cum ad prædictum Concilium celebrandum in dicto feſto B. Bartholomæi venerit, ſecum portare debeat, & exhibere, & demonſtrare etiam in dicto Concilio coram nobis; mandantes, et præcipientes eiſdem ſub pœnis prædictis, pro quibus Suffraganeus noſter in ejus Synodo, ſemel in anno, prædicti vero Archipresbyteri, Abbates, et Eccleſiarum Rectores, et Curati prædictæ Civitatis, et Provinciæ præſentes noſtras Conſtitutiones in eorum Eccleſiis Parochialibus congregato populo ad divina in die Nativitatis Domini, et in Pentecoſte debeant publicare.

Epiſcopi Suffraganei, & in minori dignitate conſtituti excõmunicationis, & quatuor unciarum pęna taxantur non ſumentes copias hujus Concilii.

CAP. LXXIII.

Ante denunciationes matrimonia ne contrahantur. Parochus impedimenta attente perquirat. Ante matrimonium in facie Eccleſiæ contractum ſponſi inter ſe commercia vitent.

ITem, quia matrimonia clandeſtina, ex quibus ſcandala ſolent, & mala plurima evenire, ſunt a jure prohibita, & non ſunt per Eccleſiam toleranda; nos volentes propterea hujuſmodi matrimoniis clandeſtinis in quantum de jure tenemur, & poſſumus obviare, antequam veniant, & pravam conſuetudinem tollere, quia non conſuetudo, ſed corruptela, & abuſus potius dici poteſt, habito prius ſuper hoc Convenerabilium Fratrum Epiſcoporum ſuffraganeorum noſtrorum, venerabiliſque Capituli noſtræ Beneventanæ majoris Eccleſiæ in noſtro Provinciali Concilio conſilio pariter, & aſſenſu, præſenti Conſtitutione ſtatuimus, monemus, & etiam ordinamus, ac etiam ſub excommunicationis pœna præcipimus, & mandamus, quod nullus de Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana, cujuſcumque ſtatus, aut conditionis exiſtat, cum aliqua per verba de præſenti matrimonium contrahat, nec in contractu ipſo Judex, & Notarius intervenire debeant, ſive teſtes, niſi primo in Eccleſia, loco, ſeu Parochia, ubi eſt matrimonium contrahendum, per Presbyterum dicti loci, ſeu Parochiæ publice proponatur, ſeu banniatur cum competenti termino ad hoc per ipſum Presbyterum præfigendo, ut infra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat; ipſeque Presbyter nihilominus debeat cum diligentia indagare, utrum aliquod impedimentum exiſtat. Quodque nullus de Civitate, Diœceſi, & Provincia prædictis aliquam, cum qua promiſerat per verba contrahere de præſenti, in domum ſuam introducere audeat, aut alibi cum ea ipſum matrimonium carnaliter conſummare præſumat, niſi prius in facie Eccleſiæ, juxta canonicas ſanctiones, matrimonium ipſum ſolemnizaverit cum eadem, aut ſine noſtra, vel noſtri Vicarii, vel Suffraganeorum noſtrorum, eorumque Vicariorum in eorum Diœceſibus licentia ſpeciali. Amen.

Diligentiæ a Parochis faciendæ in contractione cujuslibet matrimonii,

DIS-

DISSERTATIO
DE S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI
Reliquiis Benevento vindicatis.

FR. VINCENTIVS MARIA Ordinis Prædicatorum Miſerat. divina tit. S. Sixti, S. R. E. Preſb. Card. VRSINVS S. Beneventanen. Eccleſiæ Archiepiſcopus Metropolita.

Sanctiſs. & Reverendiſs. Samnitium Provinciæ Coepiſcopis.

Epiſtola Dedicatoria.

SACERDOTIO *junctos jungat Epiſtola, & ampliſſimæ Provinciæ Pontifices, quos Chriſti nectit amor, diſſertatio noſtra non dividat. De veſtra ſiquidem omnium re, Sanctiſſimi, & Reverendiſſimi Fratres, eſſe arbitramur, ſi ejuſdem univerſæ Provinciæ Patronum, Sanctiſſimum nempe* BARTHOLOMAEVM *Apoſtolum, cum patrocinio, tum corpore apud Nos eſſe, omnium ſæculorum oculis ſubjiciamus. Omnes namque adverſariorum calamos, differendo retuſos, & in faſcem redactos, Veritas, quæ de terra orta eſt, ubi terra movit, combuſſit igni.*

Notum certe factum eſt omnibus, quantus terræ, memoria mortalium, acciderit motus die 5. menſis Iunii anni 1688. quo non aliquæ domus ſolum, aut familiæ periere; ſed Civitas hæc univerſa, 1367. e ſuis interemptis Civibus, ſubverſa eſt in momento. Nihil immune, & innoxium fuit. Metropolitana partim quaſſata, partim everſa, Archiepiſcopium funditus dirutum extitere. Baſilica vero S. Apoſtoli BARTHOLOMAEI *in aliis hujuſmodi motibus indemnis, & toties defuncta metu, vaſta convulſa ruina diſſiluit. In tanta rerum clade, a Domino factum eſt, & eſt mirabile in oculis noſtris, ut Arca, in qua glorioſiſſimi Apoſtoli* BARTHOLOMAEI *pretioſiſſimum Corpus reconditur, etſi Baſilicæ parietes à ſuis ſedibus revulſi in illam deciderint, marmoreas circumſtantes columnas confregerint, tantumque lapidum ſuperinjectum acervum reliquerint, ut ante diem ſeptimum Februarii ſubſequentis anni 1689. extrahi non potuerit; eo tamen die integra prorsus reperta ſit. Accurrere quotquot reſidui fuerant, ut poſt ruinarum diluvium, Arcam, non in montium jugis poſitam, ſed e ruderibus erutam, lacrimis præ lætitia obortis, perfuſi intuerentur.*

Ea eſt ex ære cyprio, alteram continens marmoream Arculam, aliquantulum acuminatam, & in quatuor lateribus liliorum floribus inciſam, altitudinis palmi unius, & unius unciæ, longitudinis palmi pariter unius, & unciarum trium cum dimidia, latitudinis vero unciarum decem, cannabinis alligatam chordulis, aliqua ex parte nimia præ vetuſtate attritis, ſingulis deſuper ſuo nodo collectis, & ſuper nodos extant in capite ſigilla quinque in cera hiſpanica impreſſa, nempè tria magna, & duo parva: nec non alia duo item parva ſupra eamdem, quamdam quaſi Crucem efformantia, & circumcirca alia tria ſigilla magna cum effigie B. Virginis, & ejus, qui Arculam obſignaverat, Archiepiſcopi, in quorum uno Aquilæ velut effigies apparet, in reliquis nulla impreſſionis veſtigia ob vetuſtatem reliqua ſunt. Quibus viſis, & in publicas tabulas relatis, Arca exterior ex ære cyprio, ut prætulimus, rurſus clauſa, & obſignata noſtro ſigillo, recondita fuit ſub altare marmoreum in capite quintæ navis noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ, ubi nunc extat.

Quia vero, annuente Domino, qui mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit, quique nos erexit eliſos, ut eliſa, ipſo dante, erigeremus, tum Metropolitanam Eccleſiam reſtituimus, reſtitutamque, & exornatam ſolemni ritu dicavimus anno 1692. die 26. Maji S. Philippi Nerii natalitio, cujus miraculoſa ope e ruinis ejuſdem terræ motus illæſi, nedum vivi extracti fuimus, Archiepiſcopium quoque a fundamentis ereximus, itaut Provinciale Concilium vobis Santiſſimis, Reverendiſſimiſque Fratribus noſtris convenientibus, commode celebraverimus diebus XI. XIII. XVI. menſis Aprilis anno proxime elapſo. Somnum tamen non dedimus oculis noſtris, & papelbris noſtris dormitationem, & requiem temporibus noſtris, donec inveniremus noſtro Patrono locum, tabernaculum Apoſtolo Domini. Iacto itaque per Nos ſtato ritu primario lapide die 13. Martii 1692. Deo auxiliante, ejuſque Beatiſſimo Apoſtolo ſolatium præbente, Baſilicam ipſam noſtris, Cleri, & populi impenſis non ſolum inchoatam, ſed & in altitudinem incrementum accipientem, in hanc Metropolitanam ad præfatum Provinciale Concilium convenientes vidiſtis, & ea, qua polletis humanitate, qua commendaſtis, qua ad expeditam conſummationem nos impuliſtis, Sacrarum Reliquiarum translationi intereſſe quamprimum concupientes. Interea igitur, quouſque hoc gaudio perfundamur [erit vero, ut in Domino confidimus, haud longo poſt tempore, cum jam, eo auxiliante, Chorus prope ad faſtigium perductus ſit, Sacriſtiæ perfectæ, & in reliquis opus in dies aſſurgat] atque ad tantum noſtra humilitas honorem evehatur, præſens Opuſculum, quo noſtros ad veritatem æmulos traducere ſtudemus, tan-

quam

quam futuræ actionis prodromum vobis ipſis tranſmittimus, ut pro veſtra in Metropolis Patronum reverentia, & in humilem Metropolitam charitate, eamdem publicetis veritatem: plenius nobiſcum deinde & viſuri, & teſtaturi, & exultantes annunciaturi, quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt. Ac quemadmodum, ſigillis ipſis teſtimonium perhibentibus, quatuor ex veſtris Prædeceſſoribus in antiqua translatione intereſſentes, tanti theſauri apud nos manentis omni exceptione majores ſunt teſtes nunc præſentibus: ita & vos venturis generationibus annunciabitis, poſtquam curaverimus, ut, quantum in nobis eſt, glorioſiſſimi Apoſtoli, cujus patrocinio gloriamur, pretioſiſſimum Corpus, Divinæ erga nos charitatis pignus, omnium gentium, & ſæculorum prædicatione digniſſimum, honore debito, ſi non pro ipſius dignitate, pro noſtra tenuitate in propriam Baſilicam transferatur: quatenus per Sacras ipſius Reliquias, ejuſque vitæ, & paſſionis documenta in terris relicta, Chriſtifideles ad laudandam Divinam in eo Majeſtatem, ad illius ſalutaria exempla imitanda, ad rerum defluentium, & prætereuntis hujus ſæculi contemptum, ad ejus denique opera, & patrocinium in tribulationibus, & neceſſitatibus invocandum excitentur. Optamus denique, ut in Chriſto valeatis, & memineritis noſtri, Fratres ſanctiſsimi. Datum Beneventi ex noſtro Archiepiſcopio Anno Domini MDCXCIV. die XIX. menſis Martii, Pontificatus noſtri Beneventani anno IX. Ordinationis vera noſtræ XX.

Hanc ipſam Diſſertationem peculiari in libello dabimus, duobus auctam, reſponſione ſcilicet ad Turrigii objectionem, quam cum ſupra pag. 32. protulerimus, nunc repetere ſupervacaneum viſum fuit; & nonnullorum veterum documentorum Appendice, quæ noſtris in probationibus citamus, hic conſulto omiſſa, ne juſto plus longiores ſimus.

DISSERTATIO

De S. Bartholomæi Apoſtoli reliquiis Benevento vindicatis.

LIPARA ſeptem Æoliarum Inſularum præcipua, ab Saracenis anno poſt Chriſtum 838. occupata, tum in cetera omnia, tum in S. Bartholomæi Apoſtoli Corpus ſævitum fuit. Extracta ſiquidem ex urna, qua condebantur, ejus oſſa per plateas paſſim nefaria immanitate diſperſa fuere. Verum Theodorus Monachus per quietem ab Apoſtolo ipſo juſſus, diligenti ſtudio diſjecta collegit. Interea Sicardi V. Samnitium Principis claſſis ad Liparæ oras appulit, opem allatura. Litore potiti milites, Theodoro, qui ſacras Reliquias penes ſe habebat, adſtant, ſerumque attuliſſe auxilium ab illius narratione comperto, ubi de Apoſtoli Corpore ſentiunt, ad naves illud cum cuſtode perducunt, ac Salernum Picentinorum Urbem, tuta navigatione contendunt.

S. Bartholomæi oſſa Lipari ab Saracenis diſperguntur: & à Theodoro monacho Apoſtoli monitu colliguntur.

Salernum deferuntur.

His a Sicardo cognitis, qui Pompejis, Campano in litore, ſuorum militum exitum expectabat, Salernum properat; ſuſceptumque B. Apoſtoli Corpus Beneventum defert, eique Capellam Cathedrali in Eccleſia ſtatuere cepit: ſed morte præreptus inperfectam reliquit. Quamobrem Urſus, tunc temporis Beneventanus Pontifex, opus aggreſſus conſummavit, eoque Corpus tranſtulit die 25. Octobris anno 839. cujus diei memoriam, annua Synodi celebratione, Litaniarum apud nos dictæ, a publicis Diœceſani Cleri, qui convenit, ſupplicationibus, Beneventani Archiepiſcopi colunt.

Deinde Beneventum à Sicardo Principe. Capella in Cathedrali Apoſtolo ſtatuitur, ibique collocatur.

Litaniarum Synodus unde dicta?

Rem ita geſtam eſſe conſentiunt univerſi: tametſi non una, eademque apud omnes ſervetur temporis nota. Anaſtaſius enim Bibliothecarius, qui anno circiter 970. S. Theodori Studitæ Sermoni de S. Bartholomæo, quem latine verterat, appendicem addidit, tranſlationis hujus Epocham figit anno 809. quod profecto ſi verum eſſet, non jam ſub Sicardo Beneventano Principe, ſed ſub Grimoaldo IV. translatio facta dici deberet. Sigebertus factam illam obſervat anno 831. atque iccirco non ſub Sicardo, ſed Sicone ejus Patre. Eminentiſſimus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ parens Baronius eamdem illam ad annum 840. procraſtinat: quamquam ſub Sicardo factam dicat, qui tamen jam fato ceſſerat.

Quam varia ſit, quoad ſcriptores Epocha tranſlationis S. Bartholomæi?

Baron. ad hunc an. num. 13.

Ut ut eſt, non eam nos Chronologiæ quæſtionem nunc ingredimur, ſed alteram longe diverſam. Sunt u3. eruditi viri nonnulli, qui ſæculo X. Beati Apoſtoli Reliquias ab Othone Imperatore Benevento ereptas, & Romam aſportatas velint his innixi fundamentis. I. Othonis Friſingenſis auctoritati. II. Inſcriptioni foribus Eccleſiæ Tiberinæ in Urbe Roma inſculptæ. III. Roberti de Monte teſtimonio. IV. Friderici Imperatoris litteris. V. Alexandri III. Actis Synodalibus. VI. Breviario, & Martyrologio Romanis. Diſcors tamen eſt Scriptorum illorum opinio: Combefiſius enim in notis ad Theodori Studitæ ſermonem, ultimam illam B. Bar-

Adverſariorum contra Beneventanos de S. Bartholomæi Corpore Romam tranſlato argumenta.

Quam diſcordes eorum aſſertiones.

tholomæi translationem ab Othone I. factam ſignificat: Friſingenſis, ejuſque pediſſequi ſub Othone II. Baronius, & qui illum exſcribunt, ſub Othone III.

Et erroneæ.

Horum omnium aberrationem, ut ſequenti concluſione oppugnemus, nos adigunt, tum veritatis amor, tum religioſa veneratio, qua B. Apoſtolum proſequi ſtudemus quotquot hac in Urbe ſub ejus patrocinio degimus.

CONCLUSIO

Beati Bartholomæi Apoſtoli Oſſa ab Othone Imperatore Romam translata non ſunt; ſed Beneventi quieſcunt.

Articulus Primus.

ſ. I.

Hiſtoricorum auctoritate evincitur.

Probationes pro Beneventanis.

Leonis Oſtienſis teſtimonium.

Ex Edit. Angeli de Nuce* a civibus.
Ex ead. edit.* habito cum Archiepiſcopo, qui tunc eidem urbi præerat, conſilio.

PROBATUR primo, teſtimonio Leonis Marſicani, Epiſcopi, & Cardinalis Oſtienſis, qui circa annum 1087. ſcripſit Chronica Caſinenſia ad veterum illius Abbatiæ inſtrumentorum fidem. Sic enim lib. 2. cap. 24. habet: *Hujus Abbatis* (nempe Joannis) *anno III. qui eſt milleſimus ab Incarnatione Domini, ſupradictus Imperator* (ſcilicet Otho III.) *Beneventum venit, & cauſa pœnitentiæ, quam illi B. Romualdus injunxerat, abit ad Montem Garganum; reverſuſque conſequenter Beneventum petiit * ab eis Corpus S. Bartholomæi Apoſtoli. Qui nihil tunc illi negare audentes *, callide illi pro Corpore Apoſtoli, Corpus B. Paulini Nolani Epiſcopi, quod ſatis decenter apud Epiſcopium ipſius Civitatis erat reconditum, oſtenderunt, & eo ſublato receſſit, tali fraude deceptus. Quod poſtquam reſcivit, nimium indignatus, Corpus quidem Confeſſoris, quod detulerat, honorifice ſatis apud Inſulam Romæ recondidit. Sequenti vero tempore perrexit iterum ſuper Beneventum, & obſedit eam undique per dies multos: ſed nihil adverſus eam prævalens, Romam reverſus eſt. Vnde vix ad ſua reverti incipiens, mortuus eſt apud Oppidum, quod nuncupatur Paternum.*

Quatuor porro ſunt, quæ Leonis Oſtienſis fidem, præ ceteris hujus argumenti tractatoribus plurimum augeant.

Oſtienſis præceteris hoc in argumento fides quatuor ex capitibus.

I. Quod antiquitatis jus, ſupra reliquos omnes obtineat, qui rem aliter geſtam ferunt ſic, ut in hacce præſenti concertatione Tertulliani dictum adverſus oppoſitæ ſententiæ vindices nobis uſurpare liceat: *Quis inter nos determinabit, niſi temporis ratio, ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius invenitur; & ei præjudicans vitiationem, quod poſterius revincetur?* Quotquot enim D. Bartholomæi reliquias Benevento Romam ſub Othone aſportatas ajunt, undecimo ſeculo poſteriores perhibentur.

II. Quod a Baronio, adverſæ ſententiæ inter Recentiores præcipuo, ac graviſſimo Aſſertore, commendetur non ſemel (ſcilicet ann. 1059. n. 1. & ann. 1077. n. 23.) Leo Oſtienſis, *uti ſinceræ fidei Scriptor, ſuique temporis integerrimus;* quæ certe minus æque dici poſſent, ſi in ea hiſtoriæ ſuæ parte, cujus tam recens memoria erat, adeo turpiter aberraſſet.

III. Quod veriſimile ſit, ſecretiora facti hujus documenta in Caſinenſibus ſcriniis extitiſſe, quo tempore Leo Oſtienſis hiſtoriam adornavit; cum anno milleſimo, quo pia fraus à Beneventanis admiſſa eſt, Caſinenſe Monaſterium regeret Joannes Abbas, *ex illuſtri* (ut ipſe quidem ait) *Beneventanorum Civium ſtirpe oriundus*, qui iccirco rei geſtæ arcana omnia reſcire, et in ſecretiores Abbatiæ ſuæ Commentarios referre facile potuit.

IV. Demum, quia hanc Oſtienſis hiſtoriæ partem calculo ſuo probavit Matthæus Lauretus, qui dum ad manuſcriptorum Caſinenſium fidem Oſtienſis Chronicon reſtitueret, ſub hujuſce ſeculi initia, eaque omnia hiſtoriæ capita, quæ vel limam, vel ſpongiam deſiderare videbantur, additis notis, reſtitueret, aut emendaret: iſtud, de quo agimus, ſine litura, aut cenſoria virga inemendatum prætermiſit.

Nec toties de Laureto recoctam Nobis hic appoſuit crambem Archiepiſcopus de Nuce, truculentiſſimus ejus oppugnator, qui, ut Lauretanæ editioni inſultaret, eamq; revocaret in invidiam, nullos ſagacius non odoratus eſt angulos, vel in ſcirpo nodum quæſivit. At hoc in capite veritatis radiis offuſus, quam volens, nolenſq; addito in margine Beneventani Archiepiſcopi teſtimonio comprobavit, eum ſupini ſilentii accuſare Laureto-maſtix auſus non eſt; ſed rhonchiſſans de more, indicata ſolummodo ſcribentium de S. Bartholomæo variatione, Lectorem ad Baronium ablegavit, et albis tantum dentibus ſe ſubduxit.

Feſti S. Bartholomæi in Cava inſtitutio.

Confirmatur Leonis Oſtienſis narratio ex immemorabili inſtitutione feſti S. Bartholomæi *in Cava*, quotannis celebrari conſueti Beneventi die 4. Septembris, quod aliunde non effluxit, quam a Cava, in qua latuit B. Apoſtoli Corpus, ne pia Civium

fraus

fraus, qua Otho III. deceptus fuerat, detegeretur. Qui locus ad annum uſq; 1688. quo terræmotus vi tota cum Baſilica ſubverſus eſt, ſumma omnium veneratione habitus fuit. Quid ni ergo cum Tertulliano dicamus, lib. de corona militis, cap. 4. *Obſervatio confirmata conſuetudine, idonea teſtis eſt probatæ tunc traditionis, ex perſeverantia obſervationis?*

Suggerii Abbatis peregrinatio ad S. Bartholomæi Corpus inviſendum.

Probatur ſecundo peregrinatione Suggerii Abbatis Monaſterii San-Dionyſiani, qui poſt dimiſſum Lateranenſe Concilium a Calliſto II. anno 1122. in varias Neapolitani Regni Urbes ſe contulit, multa Sanctorum Corpora inviſens, ut ipſe teſtatur in vita Ludovici Craſſi: *Orationis cauſa*, inquit, *frequentatis diverſis Sanctorum locis v3. S. Benedicti Caſini, S. Bartholomæi Beneventi, S. Matthæi Salerni, S. Nicolai Barii, Sanctorum Angelorum Gargani, Domino opitulante, cum gratia, & Domini Papæ amore, & firmitatis Epiſcopalis, poſtea remeavimus.*

Floridæ Imperatricis Donaria.

Probatur tertio adventu Floridæ Lotharii Imperatoris Conjugis, quæ, cum anno 1137. prope Beneventum adeſſet, *militibus fere centum aſſumptis*, teſte Falcone, qui adfuit, Beneventano in Chronico *ad Eccleſiam S. Bartholomæi Apoſtoli venit, portam Auream ingrediens, & Miſſarum ſolemnia ibi audiens pallium quoddam ſuper altare S. Bartholomæi, & libram unam argenti obtulit.* Si vero Romæ Apoſtoli Corpus habebant, cur illud Beneventi quærere?

Quamplurima miracula ante Corpus S. Bartholomæi perpetrantur Beneventi.

Probatur quarto ex B. Jacobo de Voragine Ordinis Prædicatorum Januenſi Archiepiſcopo, qui anno 1298. floruit, aſſerente in Legendario SS. abbreviato, quamplurima in Sepulcro S. Bartholomæi miracula Beneventi perpetrari.

S. Antonini teſtimonium pro Beneventanis.

Probatur quinto ex S. Antonini hiſt. p. 1. tit. 6. cap. 12. ubi ſic habet: *Poſt aliquod tempus Corpus B. Bartholomæi ad Inſulam Liparitanam circa Siciliam translatum eſt; infideles autem Inſulam illam invadentes, & omnino devaſtantes circa tempus Imperii Caroli Oſſa B. Apoſtoli per plateam ſparſerunt; ſed juſſu ipſius Apoſtoli apparentis uni Sancto Viro in ſomnis, & deſignata, quæ eſſent oſſa, ſcilicet ſplendentia, ut ignis, collecta ſunt, & Beneventum, Metropolim in Regno Apuliæ ab ipſo delata: & communiter tenetur Corpus ejus haberi Beneventi; licet, & Romani aſſerant ſe illud habere.* Obiit S. Antoninus anno 1459.

Rerum Neapolitanarum peritiſſimus, & quare?

Neque cum Melchiore Cano Canarienſi Epiſcopo, lib. 11. de locis theologicis cap. 6. regula 2. S. Antonini auctoritatem infringere quæras, quod *non tam dedit operam, ut res veras, certasque deſcriberet, quam, ne nihil omnino præteriret, quod ſcriptum in ſchedulis quibuslibet reperiretur.* Id enim in diſſitarum, exterarumque terrarum hiſtoria locum habere facile annuerim. Quis vero talia de ſanctiſſimo, doctiſſimoque Archipræſule, & rerum Neapolitanarum peritiſſimo, utpote diu hic verſato, effutire audeat? Quod ſi adeo liberalis erat S. Antoninus, ut quidquid ſcriptum obſervabat, ſuos in codices promiſcue transfunderet; quorſum non Othonis Friſingenſis potius, aut Godefridi Viterbienſis lacinias, quam Leonis Oſtienſis narrationem ſuis Chronicis inſeruit? nec enim eum fugerant Scriptorum illorum nomina; quos alibi paſſim appellat, atque tranſcribit. Ejus ergo accuratiori criterio, ſecretiorique aliorum monumentorum notitiæ tribuendum omnino eſt, quod de Bartholomæi Apoſtoli Reliquiis obſervavit.

Angeli Catonis teſtimoniũ de S. Bartholomæo.

Probatur ſexto ex Angelo Catone Supinate in epiſtola nuncupatoria Pandectarum in Medicina Matthæi Silvatici Salernitani anno 1474. Ferdinando I. Neapolitano Regi: *Nec ſolum gloriari potes*, inquit, *quod naturali ſoli fecunditate Regio, in qua tuum ſitum eſt Regnum, maxime excellit; ſed in eis quoque rebus, quibus mortales ſalutem animarum poſſint conſequi longe facilius: nam quot obſecro, quales, quantos patronos habes tu, & Regni tui incolæ apud Deum? Andreæ Apoſtoli Corpus tibi ſervat Amalphia, Matthæi Evangeliſtæ Salernum, Beneventi vero non ſolum Apoſtoli Bartholomæi, ſed Mercurii Mart. illuſtris, Donati Confeſſoris eximii, & aliorum complurium Sanctorum ſacratiſſima Corpora ſervantur.*

Zenobii Acciajoli.

Probatur ſeptimo ex Zenobio Acciajolo Vaticani Bibliothecario ſub Leone PP. X. qui in oratione, quam Neapoli recitavit anno 1515. die 3. Junii menſis, dum Generalia Prædicatorum Ordinis Comitia celebrarentur, talia habet: *S. Matthæi Corpus apud Salernum: S. Bartholomæi in Benevento.*

Annibalis Maſcambruni.

Probatur octavo ex Annibale Maſcambruno Stabienſi Epiſcopo, qui elegantiſſimam edidit in hac re pro Beneventanis diſſertationem anno 1636. cui permulta hac in noſtra debemus.

Ughelli judicium.

Probatur nono ex Ughello Ital. Sacræ Tom. 8. col. 110. luculentiſſime de S. Bartholomæo ſic perſcribente: *Hic conſulto omittendam cenſui diſſertationem de Corporis B. Bartholomæi exiſtentia apud Beneventanos: etenim, cum ad eorum favorem extet ne dum Leo Oſtienſis, & Annibal Maſcambrunus Epiſcopus Stabienſis Apologeticum quoddam ediderit, vacationem ab hac hiſtoria mihi ipſi ultro conſului: quæ autem ſit circa hoc mea ſententia diu hæſitavi illam aperire, ubi autem incidi in diploma quoddam originale Leonis IX. ſuo loco tranſcribendum, haud me continere potui, quin illam propalarem, Cor-*

Nota, quod Baronius in Notis ad Martyrologium die 25. Aug. hanc translationem refert ad ann. 983. in Annalibus vero ad ann. 1000.

pus Sancti hujus glorioſiſſimi Apoſtoli adhuc Beneventi aſſervari, ſi quidem illa translatio, ſive facta fuerit Benevento Romam anno 983. ut aſſerit Baronius, ſive anno 1000. ut alii volunt; tamen me magis movent verba illa Leonis IX. in quibus aſſerit prædictum Corpus aſſervari, adhuc ipſo vivente, in Eccleſia Majori Beneventana, quam teſtimonium ullum Sigeberti, aut Othonis Friſingenſis, præcipue cum a translatione aſſerta ad Pontificatum prædicti Leonis IX. vix intercurrerint quinquaginta anni.

§. II.

Sanctorum Faſtis comprobatur.

Idem probatur ex Martyrologio Uſuardi.

PROBATUR decimo ex Martyrologio Uſuardi Monachi S. Benedicti, Cœnobii S. Germani, Pariſienſis alumni, in quo hæc habentur. *IX.Kal.Sept.S.Bartholomæi Apoſtoli, qui apud Indiam Chriſti Evangelium prædicans vivens a Barbaris decoriatus eſt, atque juſſu Regis Aſtiagis decollatione martyrium complevit. Hujus Apoſtoli ſacratiſſimum Corpus primum ad Inſulam Liparis, deinde Beneventum translatum pia fidelium veneratione honoratur.*

PROBATUR undecimo ex Martyrologio Wandalberti Diaconi Monachi Cœnobii Prumienſis, Ordinis S.Benedicti in Diœceſi Trevirenſi, ſcribentis:

Et Vvandalberti.

Bartholomæus nonam exornat, retinetque Beatus;
India quo Doctore Dei cognovit honorem,
Herculis, & Bacchi inſanis vix eruta Sacris.
Nunc illum fama eſt varia pro ſorte ſepulcri
Æoliam Liparam, Beneventi & templa tenere.

Quo tempore hi floruerint.

Quorum uterque licet X. ſæculum non attigerit: Uſuardus namque tempore Caroli Calvi, cui Martyrologium inſcripſit, non Carolo Magno, ut perperam Baronius, & Bellarminus ſentiunt; Wandalbertus tempore Lotharii floruit, hoc eſt IX. ſæculi circa annos 842. & 878. Liparitanæ translationi proximos; tamen Romanam translationem non tacuiſſet Joannes Molanus in notis, quas Uſuardi Martyrologio addidit, Wandalberti carmina etiam exſcribens in editione Lovanienſi anni 1568. ſi quid in ea veritatis doctiſſimus Vir animadvertiſſet. Præſertim cum ejus diligentiam in S. Bartholomæo non deſideremus, tum in variatione feſtivitatis, tum in hiſtoria paſſionis ejuſdem Apoſtoli, quæ incipit: *Indiæ tres eſſe apud hiſtoriographos dicuntur*, in quam cenſuram ſubdit Joannis Heſſels Lovanienſis Theologi.

Joannis Molani annotationes ad Uſuardi martyrologium.
Habetur in Bibliotheca Beneventana in codice M. S.
Impreſſa Lovanii ann. 1568. poſt Martyrologium Uſuardi, cum annotationibus Molani.
Martyrologium Adonis.

PROBATUR duodecimo ex Martyrologio Adonis Archiepiſcopi Trevirenſis, (non Viennenſis, ut aliqui ſentiunt) qui anno 1073. ſub Pontificatu Gregorii VII. maxime floruit; a quo legatus datus eſt ad componenda Henrici, & Rodulphi diſſidia. *Nono Kal. Sept. in India natalis Beati Bartholomæi Apoſtoli, qui apud Indiam Chriſti Evangelium prædicans, decollatione Martyrium complevit. Hujus Apoſtoli ſacratiſſimum Corpus, primum in Inſulam Liparis, deinde Beneventum tranſlatum, pia fidelium veneratione celebratur.*

Pulſanenſe.

PROBATUR tertiodecimo ex Martyrologio Pulſanenſis Cœnobii, quod M. S. veteri charactere apud Clericos Regulares SS. Apoſtolorum Neapolitanæ Urbis aſſervatur; ubi ſic: *Octavo Kal. Sept. in India paſſio Sancti Bartholomæi, qui apud Indiam Chriſti Evangelium prædicans, decollatione martyrium complevit. Hujus Apoſtoli ſacratiſſimum Corpus primum ad Inſulam Liparis, deinde Beneventum translatum, pia fidelium veneratione honoratur.* Poſteriorem vero anno milleſimo fuiſſe hujus Martyrologii auctorem inde monſtratur, quod meminit obitus B. Joannis Pulſanenſis Abbatis, anno 1139. his verbis: *Duodecimo Kal. Julii natalis Beatiſſimi Eremitæ Joannis S. Pulſanenſis Eccleſiæ Abbatis, qui vivus in ſæculo ſe totis viribus mortificaverat pro Chriſto. Hujus venerabilis obitus extitit 12. Kal. Julii, Anno Incarnati Verbi milleſimo centeſimo trigeſimo nono; Indictione ſecunda.*

Beneventanum.

PROBATUR quartodecimo ex Martyrologio Beneventano Longobardica manu exarato. *Octavo Kal. Septemb. natalis S. Bartholomæi Apoſtoli, qui apud Indiam Evangelium Chriſti prædicans, Capitis decollatione martyrium conſummavit. Hujus ſacratiſſimum Corpus primum ad Inſulam Liparis, deinde Beneventum tranſlatum pia fidelium veneratione honoratur.* Eſſe autem hoc Beneventanum Martyrologium aſſerta Othoniana translatione poſterius, indubium eſt: cum in eo exſcripta legatur Bulla Joannis XXI. qui anno 1316. ad Pontificatum aſſumptus eſt: in qua præſcribit rubricam de recitatione Officii SS. Corporis Chriſti.

Florentino-Veſpucianum.

PROBATUR quintodecimo ex Martyrologio Florentinæ Eccleſiæ, a Gregorio Antonio Veſpucio ejuſdem Metropolitanæ Præpoſito emendato, Florentiæ impreſſo anno 1486. *Nono Kal. Septembris natale S. Bartholomæi Apoſtoli, qui apud Indiam Chriſti Evangelium prædicans, primo in carcerem truſus, & multis tormentis excruciatus, deinde decoriatus; & ſic ſemivivus Chriſtum annuncians, ad ultimum capitis decollatione martyrium conſummavit. Hujus SS.Corpus primo ad Inſulam Liparis, deinde Beneventum eſt tranſlatum, ubi pia fidelium devotione honoratur.*

§. III.

§. III.

Sacris Romanorum Pontificum Diplomatibus comprobatur.

Romanorũ Pontificum diplomata idipſum teſtantur, ſcilicet Leonis IX. Suffraganeæ Eccleſiæ quindecim Beneventanæ ſedi ſubduntur.

PROBATUR ſextodecimo ex Bulla Leonis PP. IX. ſub Dat. 4. Id. Julii Pontificatus Ann. V. Indict. VI. hoc eſt anno 1053. in qua Vitaliani, aliorumque Romanorum Pontificum privilegia confirmat, ſubditque Sancti Michaelis Archangeli in Monte Gargano, & Sipontinam Eccleſiam, ac alias quindecim Suffraganeas, nempe Lucerinam, Aſculanam, Bovinenſem, Larinenſem, Triventinam, S. Agathæ, Abellinenſem, Quinto-decimi, Arianenſem, Vulturarienſem, Teleſinam, Aliſanam, Seſſulanam, Leſinenſem, & Termulanam, præter Abbatias S. Petri de Duddo, & S. Joannis juxta Portam Auream, Beneventanæ Eccleſiæ *in honorem Sanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ dedicatæ, ubi pretioſiſſimum Corpus Beatiſſimi Bartholomæi Apoſtoli requieſcit*, & infra ait: *Ut Sancta Beneventana Eccleſia in honorem Sanctiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ dedicata, & ad Archiepiſcopatus honorem a noſtris Anteceſſoribus ſublimata, ac pretioſiſſimis Sanctorum Corporibus ditata, v3. Bartholomæi Apoſtoli, atque Januarii Mart. & Barbati Confeſſ. ejuſdem ſedis glorioſiſſimorum Præſulum, ac reliquorum inviolabiliter Apoſtolicis privilegiis ſemper maneat dotata.* Bibliot.Benev.Privil. lit.A.B. num.261. & apud Ughellum Ital.Sacr. tom. 8. col.118.

Ex hoc privilegio deprehendi poteſt, ait Ughellus dicto loco col. 120. *quænam fuerit ipſius Pontificis opinio de exiſtentia Corporis B. Bartholomæi Apoſtoli apud Beneventanos. Sane cum Pontifex iſte fuerit viciniſſimus illis temporibus, anno videlicet milleſimo, in quo aſſeritur Benevento Romam pretioſiſſimum illud Corpus fuiſſe tranſlatum, & aliunde idem Pontifex quodammodo ſe declaret relatum privilegium Beneventanæ Eccleſiæ concedere ex eo, quia in ipſa recondita ſint Corpora Sanctorum Bartholomæi Apoſtoli, Januarii Mart. & Barbati ejuſdem Sedis glorioſiſſimorum Præſulum, non video, cur de contrario ſit ambigendum, & eo magis, quia hoc eodem anno, qui fuit 1053. ipſe Leo Beneventi morabatur, nec veriſimile eſt aſſertive pronunciaſſe illa verba de exiſtentia Corporum prædictorum, ni probe, certoque ei de veritate conſtitiſſet.* Nec tam ſubleſtæ fidei ſapientiſſimum Pontificem judicamus, qui tantum Beneventanis, Romaniſque vel tribuere, vel adimere pro arbitrio voluerit.

Stephani IX.

PROBATUR decimo ſeptimo ex Bulla Stephani IX. dat. in Monte Caſino 9.Kal. Februarii Indict. XI. Pontificatus ann. I. nempe anno 1057. qui idem ac Leo de Suffraganeis Eccleſiis confirmans Uldarico Beneventano Archiepiſcopo hoc de B.Bartholomæo teſtimonium reddidit: *Ut Sancta Beneventana Eccleſia in honorem a noſtris Anteceſſoribus ſublimata, ac pretioſiſſimis Sanctis Corporibus ditata v3. Bartholomæi Apoſtoli, atque Januarii Mart. & Barbati Confeſſ. ejuſdem Sedis glorioſiſſimorum Præſulum Apoſtolicis privilegiis ſemper maneat dotata.* Bibliot.Benev.privil. faſcic. I. lit. A. num. 12.

Silentio non eſt obvolvendum, quod Ughellus d.Tom.8.col.121. de citata Bulla Stephani PP. annotavit. *Hic idem Pontifex*, ait, *aſſerit apud Beneventanos requieſcere Corpus B. Bartholomæi, Ianuarii, & Barbati, quod ad corroborationem dico; nam cum hic Pontifex fuerit Abbas Caſinenſis, & valde vicinus, imo vixerit temporibus Othonis Imperatoris, probe poterat ei conſtare de tranſlatione Corporis S.Bartholomæi Benevento Romam, ſi vere facta fuiſſet per eumdem Othonem.*

Benedicti XII. qui facultatem conceſſit transferendi Corpus S. Bartholomæi a Metropolitana ad propriam Eccleſiam.

PROBATUR decimo octavo ex diplomate Benedicti XII. ſub Dat. Avinioni 4.Maji, Pontificatus anno III. 1337: quo Arnaldo de Bruſacco Beneventano Archiepiſcopo concedit facultatem transferendi Corpus B. Apoſtoli e Capella, in qua ab Urſo, uti diximus, locatum fuerat, in ipſius Apoſtoli Baſilicam, quam Beneventani Cives conſtruxerant, & de qua Fr. Monaldus Monaldeſcus Ordinis Minorum, Beneventanus pariter Archiepiſcopus loquitur in allato Concilio celebrato anno 1331. cap. 22. necnon unum annum, & quadraginta dies de injunctis pœnitentiis relaxat quibuſcumque Baſilicam ipſam in Apoſtoli feſto viſitantibus: *Sane*, inquit, *Fraternitatis tuæ petitio Nobis nuper exhibita continebat, quod tu attente conſiderans, quod Corpus B. Bartholomæi Apoſtoli, quod olim ad tuam Beneventanam Eccleſiam extitiſſe dicitur miraculoſe tranſlatum, in loco indecenti, & minus idoneo ipſi Eccleſiæ contiguo conſervatur, & propterea cupiens illud in loco honeſto, & honorabili collocari, zelo devotionis accenſus, in quadam ſpatioſa Capella Eccleſiæ prædictæ ſimiliter contigua, quam venerando ipſius Apoſtoli vocabulo inſignitam Cives Beneventani jamdudum ab antiquis temporibus* (ab anno 1112. ſub Landulpho II. Archiepiſcopo V. incœpta fuerat) *in honorem ejuſdem Apoſtoli conſtruxerant, locum aptum, devotum, & idoneum tuis feciſti ſumptibus conſtrui, ac etiam præparari. Quare Nobis humiliter ſupplicaſti, ut transferendi ad dictam Cappellam Corpus ejuſdem Apoſtoli licentiam concedere dignaremur; Nos igitur devotionem, & propoſitum tuum in hac parte multipliciter in Domino conſiderantes, licentiam tibi con-*

cedimus

cedimus poſtulatum &c. Omnibus vero pœnitentibus, & confeſſis, qui Capellam ipſam in feſto præfati Apoſtoli devote viſitaverint, unum annum, & quadraginta dies de injunctis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Ex Reg. Archiv. Secr. Vaticani, & apud Bzovium Annal. Eccleſiaſt. an. 1337. n.7. Epiſt.110. Ughel. tom.8. col.226.

Corporis recognitio, & translatio.

Hinc Arnaldus, ipſius Baſilicæ conſecratione peracta, luculentiſſimum de Sacrarum Reliquiarum exiſtentia edidit teſtimonium; accitis namque Samnii Epiſcopis, eas extraxiſſe dicit, & ante translationem oſtendiſſe ampliſſimo in diplomate, apud Ughellum d. tom. col.228. Dat. Beneventi die 25. Auguſti VI. Indict. anno Domini 1338. *Verum*, teſtatur, *quia condecens eſt, & æquum, ut tam ſanctiſſimi Apoſtoli Corpus recondatur, & permaneat in loco ſacrato, tam ipſam Baſilicam, ſeu Tabernaculum, quam eamdem Capellam, ſeu locum, ubi Corpus ejuſdem Apoſtoli recondi, & manere debet, quod hodierna die ſub teſtimonio DD. Epiſcoporum Beneventanæ Provinciæ, publicarum, & aliarum innumerabilium perſonarum inventum eſt, & oſtenſum cum reverentia debita tranſtulimus, & recondimus de licentia Domini Summi Pontificis ſupradicti* (Benedicti) *prius pro dicti Apoſtoli reverentia, & honore mandavimus, & fecimus cum ſolemnitate debita conſecrari*. Ecquis Samniticæ Provinciæ Pontifices cæcutiſſe, aut univerſalis Eccleſiæ fidem teterrimmo mendacio violare voluiſſe credat?

Clementis VI. diploma.

Probatur decimonono ex Bulla Clementis PP. VI. ſub Dat. Avinione 5.Kal. Novembris, Pontificatus anno VI. ſcilicet anno 1348. qua Indulgentias concedit Eccleſiæ Beneventanæ in honorem, & ſub vocabulo B. Virginis Mariæ fundatæ, & Capellæ eidem contiguæ, *in qua quidem Capella*, profert, *Corpus B. Bartholomæi Apoſtoli venerabiliter requieſcit*. Reg. Archiv. Secr. Vatic. & apud Quarantam M.S. in vita, & morte S. Bartholomæi Apoſtoli.

Bonifacii IX.

Probatur vigeſimo teſtimonio Bonifacii IX. qui ſuo diplomate Dat. Romæ apud S. Petrum 5.Kal. Septembr. 1400. Pontificatus an. XI. *Eccleſiæ S. Bartholomæi de Benevento, in qua Corpus ejuſdem Sancti venerabiliter requieſcit, ut fideles ipſi collibentius cum devotione confluant in feſto tranſlationis, quæ eſt die 25. menſis Octobris, a primis Veſperis, & per quatuor dies feſtum ipſum immediate ſequentes illam Indulgentiam perpetuo conceſſit, quam viſitantes Eccleſiam B. Mariæ in Portiuncula conſequi dicuntur*. Ex Reg. Archiv. Secr. Vatic. & apud Maſcambr. in diſſert. de Corpore B. Bartholomæi Apoſtoli, pag. 51.

Urbani V. duplex.

Pii II.

Probatur vigeſimo primo ex enunciatione Bullarum I. Urbani V. ſub Dat. Avinioni 2. Non. Maji Pontificatus anno I. 1362. Biblioth. Benev. lit. B.A. nu.269. II. ejuſdem Pontificis Bulla eadem die, & anno data. Arch. S. Barthol. Benev. III. Pii II. data Mantuæ 3. Non. Septemb. Pontif. anno II. 1459. Bibliot. Benev. faſcic. Privil.I. lit. A. num.1. in quibus aſſeritur, *Corpus B. Bartholomæi Beneventi quieſcere*. Tribus his Bullis probare non intendimus auctoritate Romanorum Pontificum immediate Corporis exiſtentiam Beneventi, quia cum ſint tantum enunciativæ, & ad partium relationem, ut Juriſtæ ajunt, confectæ, veræ probationis pondus non habent, ad differentiam aliarum Apoſtolicarum litterarum, deſuper per Nos adductarum, in quibus Pontifices de ſua ſcientia immediate pronunciant. Certo certius tamen eſt, conſtantiſſimam, ac tot ſæculorum ſpatio firmatam traditionem ipſiſmet enunciativis comprobari. Quod ſi mendacii quid fuiſſet, nec tam effrontes, totiuſque pudoris prorſus expertes Beneventanos conjicere licet, ut plures, & diverſi temporis Romanos Pontifices in ſcenam producere tam præclare, conſtanterque mentiendo, nec ſaltem aliquando erubuerint. Nec illi hujuſmodi traditioni aures dediſſent; ſed ſi certo habuiſſent non Beneventi, ſed Romæ B. Apoſtoli Corpus aſſervari, Beneventanorum inſtantiam cum objurgationibus rejeciſſent Clementis IV. exemplo, qui conſimili in re talia reſcripſit anno 1268. Sereniſſimæ Iſabellæ S. Ludovici IX. Galliarum Regis Sorori: *Quod ſi forſitan Caput B. Pauli Apoſtoli apud te eſſe putas, depone conſcientiam, ne fallaris; nec ponas ſcandalum Matri tuæ Romanæ Eccleſiæ, quæ deceptionem hujuſmodi non æquanimiter toleraret*.

Clementis IV. reſponſum ad Iſabellam Francorum Regis Sororem de Capite S. Pauli.

Bullæ Sergii IV. Anaſtaſii IV. Adriani IV.

Pallii Archiepiſcopalis uſus.

Probatur vigeſimo ſecundo ex Bullis I. Sergii IV. Dat. anno 1011. Biblioth. Benev. faſc.I. lit. A. num.9. citat. ab Ughell. tom.8. col.111. II. Anaſtaſii IV. Data anno 1153. apud Ughell. eod.tom. col.175. III. Adriani IV. Data anno 1157. Bibliothec. Benevent. num. 309. Privileg. & apud Ughell. eod. tom. col. 182. quibus conceditur Beneventanis Archiepiſcopis uſus Pallii in die tranſlationis S. Bartholomæi, licet ſint anno milleſimo poſteriores. Cum vero hujuſmodi uſus nonniſi in ſolemnioribus Eccleſiæ Feſtis concedi conſueverit ex vulgatis, dicendum omnino erit, Beneventi B. Bartholomæi Apoſtoli Corpus adhuc quieſcere. Quamobrem ſi hujuſmodi officii celebratio in Beneventana Eccleſia, etiam poſt milleſimum perſeverans pallii ornamentum a Sede Apoſtolica obtinuit, Corpus eam poſſidere quis neget? Non enim veroſimile eſt, Sanctiſſimos Romanæ Eccleſiæ Pontifices tantum decus tribuiſſe carenti. Nonne irriſioni locum dediſſent, ſi Beneventanos Archiepiſcopos ſolemniter, lætanterque, (quod pallium indicat) Beati Apoſtoli in hanc Urbem

Idem lætitiæ, & ſolemnitatis indicium.

transla-

tranſlationem colere conceſſiſſent? Cum tamen, eo ablato, luctus potius expoſceretur, Hebræorum more, qui ab vaſtatæ Hieroſolymæ ingreſſu vetiti, Civitatis, Templique diruti recurrente die, teſte Hieron. in Sophon. cap. 1. ſoluto pretio ſcifſi crines, madidi genas accedebant, ruinam ejulatu plurimo deflentes. Quis a Samnitibus ejuſdem Hieronymi dicterium avertere poſſet, eodem loco dicentis: *Vox ſolemnitatis verſa eſt in planctum, ululant ſuper cineres Sanctuarii, & ſuper Altare deſtructum, & ſuper Civitates quondam munitas, & ſuper excelſos angulos Templi?*

§. IV.

Archiepiſcoporum, & Neapolitani Regis teſtimonio munitur.

Archiepiſcoporum Beneventanorum teſtimonia. — Romani Capoferri, qui ſodalitatem B. Apoſtoli inſtaurat. — Beneventanæ Urbis clades a Friderico II. & Carolo I. Andegavenſi inflictæ.

PROBATUR vigeſimo tertio ex Bulla inſtaurationis ſodalitatis B. Apoſtoli Dat. Beneventi die 5. menſis Novembris Indict. I. anno 1273. a Romano Capo-ferro Archiepiſcopo poſt vaſtationes a Friderico II. anno 1239. et a Carolo I. Andegavenſi Neapolitanorum Rege anno 1265. Benevento illatas: *Demum*, inquit, *Friderici quondam Imperatoris perniciosa tyrannis, qui nec Deum ſuum timuit Creatorem, nec Sanctos vereri voluit, præcipue Beatum Bartholomæum Apoſtolum noſtrum, qui in præfata Civitate* (Beneventana) *ſacratiſſimum ſuum Corpus voluit præſervari, Civitatem eamdem ſic dirui, ac deſtrui juſſit, prout univerſorum patuit oculis, & nos, qui noſtris non exigentibus culpis, direptionem ipſam periculoſe pertulimus, uſque in hodiernum diem irreparabilia damna lugemus.* Biblioth. Benev. lit. B. V. num. 308. & apud Ughellum tom. 8. col. 213.

Guillelmi Archiepiſcopi munificentia in S. Apoſtoli Eccleſiam.

PROBATUR vigeſimo quarto ex publico authentico Inſtrumento rogato anno 1346. die 1. Aprilis per manus Nicolai Sarilli Civis Neapolitani, in quo Guillielmus Archiepiſcopus *Attendens*, ut ibi, *cura præcipua, quia dignum, & debitum eſt, quod in Eccleſiis debitus impendatur Domino famulatus in divinis officiis celebrandis, ac gerens ad ſacratiſſimum Corpus B. Bartholomæi Apoſtoli ſpecialis, & ſinceræ devotionis affectum, cupienſque, quod in Cappella, in qua ipſum ſacratiſſimum Corpus quieſcit, divinus cultus jugiter obſervetur*, de Metropolitani Capituli conſenſu multa Beneficia, poſſeſſioneſque B. Apoſtoli Eccleſiæ unit, & concedit. Bibliot. Benev. num. 500.

Ladiſlaus Neapolitanorũ Rex reliquiam B. Apoſtoli Bartholomæi per Oratores expoſcit.

PROBATUR vigeſimo quinto ex litteris Sereniſſimi Ladiſlai Regis Neapolitani, datis in Caſtro novo Neapolis die 6. Februarii 7. Indict. A. D. 1414. Donato de Aquino Archiepiſcopo, & Capitulo Beneventano per Carolum Ludovic. de Lapis Oratorem, quibus ex illo Corpore brachium, ſeu aliquid modicum exquirit: *Cum Magnificus Carolus de Malateſta præcipuus noſter amicus cariſſimus ad D. Bartholomæum Apoſtolum magnum gerens ſingularis devotionis affectum aliquid ipſius reliquiarum habere deſideret: cumque glorioſi illius Apoſtoli ſanctum ipſum Corpus in ipſa Beneventana ſervetur Eccleſia, Ideoque, &c.* Bibliot. Benev. n. 1. & apud Ughellum tom. 8. col. 242.

Donati de Aquino Archiepiſcopi reſponſio.

Confirmatur ex ipſius Donati Archiepiſcopi reſcripto ad Canonicos Beneventanæ Eccleſiæ, cujus verba hæc ſunt. Venerabilibus Viris Capituli Beneventani benedictis „ filiis noſtris Donatus Archiepiſcopus Beneventanus. Venerabiles Viri, & bene„ dicti filii poſt ſalutem, &c. Non ſine magna noſtræ mentis diſplicentia vobis ſub„ ſcripta referimus; ſcientes enim, quod die quartodecimo inſtantis menſis Februarii „ nobis conſiſtentibus in Civitate Puteolana præſentatæ fuerunt hæ alligatæ Regiæ „ litteræ per R. in Chriſto Patrem D. Epiſcopum Firmanum, & nobilem Virum Ba„ julum Ludov. de Lapis Ambaſciatorem Caroli de Malateſtis, quarum tenorem „ latius inſpicere poteritis, quorum ambaſciata nobis expoſita pro parte Regiæ Ma„ jeſtatis, inſpectoque tenore prædictarum litterarum, Nos reverenter, ſicut decuit, „ reſponſum dedimus rationabile, inducendo excuſationes debitas, qualiter Nobis „ non erat poſſibile vota ipſius Majeſtatis adimplere, abſque ſcandalo gravi, enar„ randoque, qualiter Corpus B. Bartholomæi conditum fuerat, & translatum ubi ho„ die jacet cum maxima ſolemnitate, & auctoritate Apoſtolica, ſine cujus licentia „ non poſſemus in totum, nec in partem ipſius glorioſiſſimi Corporis tangere, nec „ Cives permitterent, nec conſentirent, cum nullum Theſaurum, nec Protectorem „ habere reputent, præterquam ſubſidium ipſius glorioſiſſimi Apoſtoli, & quod re„ cluſum eſt tribus vinculis indiſſolubilibus, clavibus, et vectibus ferreis a tempore „ reconditionis, ſeu tranſlationis affati Corporis glorioſi, et qualiter alias fuit tenta„ tum ante reconditionem ipſius Corporis clam rapere certam particulam Reliquia„ rum ſupradicti Corporis, et judicio Dei, et Corporis prælibati Apoſtoli tanta ſuper„ venit aeris tempeſtas, quod modo aliquo non valuit, qui rapuerat partem ipſarum „ Reliquiarum, per quemdam Pontem fluminis decurrentis prope mœnia Civitatis „ Beneventanæ transferre; qui agnito, quod miraculo ipſius Apoſtoli tota procella „ aeris ſupervenerat, ductus conſcientia ſuum reatum publice patefecit, et illam „ particulam, quam abſtulerat, quamcitius devotiſſime reſtituit, et multa alia, quæ „ nobis occurrerunt, allegavimus ad removendam mentem ipſorum Ambaſciato„ rum. Ut vero ſic ferventer, et importune petunt, eaque injuſte quærunt, et de

Quanti ſit apud Beneventanos B. Apoſtoli Corpus?

Reliquiæ B. Apoſtoli raptor pontes juxta Civitatis mœnia trajicere nequit.

præ-

„ prædictis prædicta Regia Majeſtas inſtantiſſime ſcribit Univerſitati prædictæ, „ quam præveniatis, et ipſas litteras Nobis.et vobis directas oſtendatis, ut faciat re- „ ſponſionem congruam, et rationabilem, prout diſcretioni ipſorum videbitur. „ Similiter, et nos præſentialiter eidem Univerſitati reſcribimus per noſtras ſpecia- „ les litteras ipſam præveniendo, ſuper quibus Nicolao Piczulo familiari noſtro indu- „ biam fidem præſtabitis, ſicut propriæ noſtræ Perſonæ. Scripta Puteoli die quinto- „ decimo menſis Februarii ſeptimæ Indictionis.

Quis vero putet Regem ſapientiſſimum ad Reliquiarum partem poſtulandam adduci potuiſſe, niſi earum fidem, ac veritatem certis documentis exploratiſſimam habuiſſet?

Probatur vigeſimo ſexto ex iis, quæ nuper ante oculos, interque manus noſtras fuerunt ita, ut jure optimo illud Joannis uſurpare poſſimus: *quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt*, atteſtamur. Siquidem cum anno 1688. die 5. Junii, noſtris ſic exigentibus culpis, B. Apoſtoli Baſilica funditus deciderit, inſequenti anno (non en. prius ob ingentem parietum ruinam licuit) die 7. Februarii Arcam, in qua pretioſiſſimum Corpus recondebatur, cruderare nobis permiſſum fuit. Servabatur en. in ſtipite altaris ejuſdem Baſilicæ conſtructo, qui locus adeo altis ruinarum acervis confractus ſuccubuit, ut prope miraculo fuerit, Arcam ex ære cyprio integram deprehendi, quæ deinde in Metropolitanam noſtram Eccleſiam ad cuſtodiam translata fuit. Succeſſive die prima Auguſti anno 1691. coram univerſo Clero, et Populo, iiſque videntibus, conſpicientibuſque, prædicta Arca reſerata, Arcula altera marmorea intus reperta eſt, Archiepiſcopi, qui eam poſtremo obſignavit, et quatuor Comprovincialium Epiſcoporum ſigillis in cera Hiſpanica impreſſis munita, licet temporis diuturnitate, quorum Prælatorum in particulari ſigilla ſint, dignoſci non potuerit. Quæ omnia a Martio Lizza Presbytero, Notarioque Apoſtolico in publicas tabulas relata ſunt. Brevi tamen confidimus, ſolemnem, Deo benedicente, peragere reportationem ad novam Baſilicam, cujus fabrica crebris in dies attollitur incrementis. Tunc coram noſtræ Provinciæ Coepiſcopis Arculam reſignabimus, plenius, quod nunc ex parte cognovimus, habituri. Hujuſmodi autem monimentum quinque Pontificum ſignis, ut prætulimus, auctoratum; in dubium revocare nefas dictu eſt, cum profecto vel uni Epiſcopo Reliquias recognoſcenti, & approbanti integram fidem præſtandam Sacris Oecumenicis Conciliis ſit ſtatutum.

Arcæ, in qua Sacrum Corpus reconditur, nupera recognitio.

Articulus Secundus.

Evertitur Othonis Friſingenſis auctoritas, qua Eminentiſſimus Baronius, in Notis ad Martyrologium Romanum, in oppoſitam ſententiam adductus eſt.

Primum adverſus Beneventanos fundamentum ex Friſingenſi.

Arguitur primo ex Othone Monacho Ciſtercienſi, Friſingenſi Epiſcopo, qui ſcripſit ante annum 1158. quo obiit die 21. Septembris. Hic Adverſariorum vexillum præferens, ita de B. Bartholomæo ſcribit lib. 6. cap. 25. Chronic. *Tradunt de ipſo* (Othone II.) *Romani, quod Benevento capta, B. Apoſt. Bartholomæi oſſa inde aſportaverit, ac Romæ in Lycaonia Inſula in Tumba porphyretica ea collocaverit, in terramque ſuam per Tiberim, & mare in præfato ſarcophago deportare cogitaverit; ſed eo in brevi vita exempto, pretioſum Theſaurum ibidem remanſiſſe.*

Reſponſio.

Reſpondeo primo Othonem Friſingenſem S. Bartholomæi translationem, ut certam non aſſerere; ſed ut obſcuram, ac dubiam Romanorum traditione jactitatam; quibus tamen ea in re, ubi propria cauſa vertitur, inconcuſſis deficientibus fundamentis, fides non eſt adhibenda. Quin etiam ſuam hanc non fuiſſe ſententiam apertiſſime demonſtrat Otho Friſingenſis: non enim ſuo loco, (ut Chronicorum ratio poſtulat) ſed poſt enarratum Imperatoris obitum, translationem hanc inſtar appendicis, ex aliorum fide ſubjunxit, quam ſi veram credidiſſet, proprio loco tam illuſtre Othonis facinus haud ſiluiſſet; nec temporis notam, quo geſta res eſt, omiſiſſet.

Dubiam, obſcuramque; traditionem Romanorum de S. Bartholomæo Friſingenſis refert.

Reſpondeo ſecundo cum eodem Cardinali Baronio, Friſingenſem erraſſe, non tantum in eventu, ſed in perſona, & tempore; quod enim perſonam attinet, non Othoni II. de quo loquitur Friſingenſis, ſed Othoni III. Beati Apoſtoli translatio tribuitur, ut refert laudatus Cardinalis in Annalibus ad annum 1000. num. 6. in cujus rei teſtimonium adducuntur Romanorum Pontificum Sacra Diplomata, Friderici I. litteræ, Acta Synodalia Alexandri III. & inſcriptio Eccleſiæ ejuſdem Apoſtoli, quæ in Inſula Tiberina proſtat: *unde manifeſti erroris*, ait, *redarguuntur illi, qui ſub Othone II. id factum eſſe ſcripſere.*

Triplex ejus hac in re error detegitur.

Hinc ſequitur erraſſe pariter Friſingenſem quoad tempus; ſi enim Otho III. id egit, ut autumant, anno milleſimo, actum dici non poterat ab Othone II. qui obiit anno nongenteſimo octogeſimo tertio, die octava Decembris.

Beneventum ab Othone II. captam fuiſſe, falſum eſt.

Tertius error in eventu eſt, cum dicat Othonem II. capta Benevento, B. Bartholomæi

domæi oſſa inde aſportaſſe; quod falſiſſimum eſt; Otho II. enim nunquam Benevento arma intulit; evinciturque ex ſilentio Hiſtoricorum Friſingenſe antiquiorum, ſcilicet Hermanni Contracti, qui anno 1054. ſcripſit, *Viri*, (ut Trithemius Abbas ait) *in divinis ſcripturis eruditiſſimi, & in ſæcularibus litteris univerſaliter doctiſſimi*: Lamberti Schafnaburgenſis, qui rerum Germanicarum perduxit hiſtoriam ad annum 1077. quo vivebat: Mariani Scoti, qui Chronicon ad annum 1083. edidit triennio ante ſuum obitum; qui omnes Othonis II. res ab Imperii exordio uſque ad extremum diem accuratiſſime deſcribentes, nullam de Beneventano bello, aut Apoſtolica translatione memoriam reliquerunt.

Hiſtorici Friſingenſi adverſantes.

Immo, quod mirandum magis, Lupus Protoſpata, qui Chronicon accuratiſſimum edidit de rebus in Regno Neapolitano geſtis ab anno 860. ad annum 1111. quo florebat ipſe, ubi quam diligentiſſime, atque ex inſtituto narrat exterarum gentium in Neapolitanum Regnum irruptiones, prælia, illatas, acceptaſque clades: nihil tamen de illa Othonis II. in Beneventanos expeditione, dirutaque, atque incenſa Urbe prorſus habet.

Lupus Protoſpata Chronologus accuratiſſimus.

Nec Sigebertus, qui ad annum 890. Othonem II. navali prælio fuſum, ac partim natatu, partim ſubveniente ſcapha, liberatum refert: Romanos quidem hac occaſione terga vertiſſe innuit: verum Beneventanos, vel in partem ignaviæ veniſſe, vel ab Imperatore iccirco captos, atque deletos ne quidem verbo ſignificat.

Otho II. prælio fuſus, ejuſque liberatio.

Quin etiam Baronius ipſe nihil hujuſmodi de Othone II. in Annalibus memorat; adeo verum eſt, Othonem Friſingenſem eam in Beneventanos expeditionem venditaſſe; ut aliqua veritatis ſpecie ſuam de translatis Bartholomæi Reliquiis fabulam obduceret.

At inquies, poſt Friſingenſem permulti eruditi Viri ejus traditionem amplexi ſunt, certum tempus translationis addiderunt, & cauſſam Beneventanæ direptionis explicarunt, inter quos memorantur Godefridus Viterbienſis Conradi III., & Friderici I. Notarius, qui anno 1188. claruit; Martinus Polonus, qui vivebat anno 1281. tempore Martini II. & ex his hauſerunt ſæculo XIV. & XV. Flavius Blondus, Petrus de Natalibus, Jacobus Philippus Bergomenſis, Joannes Baptiſta Egnatius, Carolus Sigonius, Joannes Nauclerus, & alii recentiores bene multi. *Cum Romani, Beneventanique* (inquit inſtar omnium Flavius Blondus) *ex acie profugi non ſolum detrectaſſent prælium, ſed ſigna deſeruiſſent, & quia copiarum præſidio deſtitutus in deſertores ſignorum Romanos animadvertere non auderet, iram in Beneventanos exercuit, & Beneventanos adortus imparatos, & nihil tale timentes Urbem cepit, ſpoliavit, incendit, per eamque occaſionem aſportatas B. Bartholomæi Apoſtoli Reliquias, Romæ in Inſula Jovis primo dicta, & poſtmodum Licaonia; locatas ferunt: Othonem Benevento deleta in Urbem Romam reverſum, ibi defunctum, & in Petri Apoſtoli Baſilica ſepultum, Ptolemæus, & Guillelmus ſunt auctores.*

Poſt Friſingenſem permulti de Benevēto capta ſunt fabulati.

Verum cum Baronio ad annum 1125. num. 12. reponimus, *non numero hiſtoricorum veritatem hiſtoriæ conſuevimus æſtimare, ſed quanta fide polleat primus dictor cujuslibet aſſertionis; nam reliquos primum ſequi auctorem, & ejus veſtigiis inhærere frequentiori uſu in more poſitum reperimus*. Quam ſubleſta vero Othonis Friſingenſis fides ſit, adeo evidenter oſtendimus; ut mirari omnino ſubeat, recentiores hujus hiſtoriæ tractatores, hoc uno duce imprudentius inceſſiſſe, Capellarum morem, ut Dantes ait, imitatos, quæ præeuntem inſequi ſolent, non quo eundum eſt, ſed quo itur. Multum è contra pollere judicamus Leonis Oſtienſis auctoritatem, juxta ejuſdem Baronii regulam: *quo antiquior in hiſtoria, eo præſtantior in veritate*: cum Friſingenſem octoginta, & amplius annorum ſpatio in ſcribenda hiſtoria anteceſſerit, Beneventoque vicinior, ut pote Caſini degens, adeoque Beneventanarum rerum ſcientiſſimus, longoque annorum tractu, Godefrido Viterbienſi, ceteriſque hujus fabulæ venditoribus anteiverit.

Hiſtoriæ veritas unde petenda?

Oſtienſis Friſingenſe, Viterbienſe, ceteriſque adverſantibus Hiſtoricis antiquior.

Ceterum quoad iſtud Othonis factum attinet, rem ita geſtam exhibet Leo Oſtienſis, recentioribus quibuſve Scriptoribus anteponendus, lib. 2. cap. 9. *Anno Domini 983. iterum magno exercitu congregato, cum Saracenis in Calabriam dimicaturus deſcendit; ſed Divina permiſſione ſuperatus ab illis vix ipſe cum nonnullis evadere potuit. In quo etiam prælio Landulphus Princeps* (Beneventanus) *filius Principis Pandulphi cum Fratre ſuo Atenulpho, & aliis pluribus mortuus eſt. Imperator autem Capuam reverſus firmavit Principatum* (Beneventanum) *relictæ Pandulphi Principis Aloaræ, & filio ejus Landenulpho; ipſe vero pro recolligendo milite, ac certamine reſtaurando, Romam rediens, eodem tempore defunctus eſt, atque in atrio Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli in labro porphyretico ſepultus.* Ex regula igitur Baronii a Tertulliano primum tradita lib. de præſcrip. adverſus hæreticos cap. 31. qui veras a falſis traditionibus dignoſcere ita docet: *Ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe Dominicum, & verum, quod ſit prius traditum; id autem extraneum, & falſum, quod ſit poſterius immiſſum*, Oſtienſis inter Scriptores, qui adducuntur, antiquiſſimus, veracior cenſendus eſt, atque præſtantior; Sed is nec verbum quidem

Othonis mors ex Oſtienſe.

Landulphus Beneventanus Princeps, ejuſq; Frater pro Othone dimicantes occubuere.

Beneventanæ direptionis apud Oſtienſem mētio nulla habetur.

pronunciat de Benevento capta, ſpoliata, incenſa; fabulæ itaque loco cenſendum eſt, quod Otho Friſingenſis, ejuſque gregales de ſuo tantum cerebro dixerunt.

Immo ex iis verbis Cardinalis Oſtienſis tria petuntur adverſus iſtiuſmodi fabulatores argumenta. Primo, quia Othonis exercitu ita profligato, ut vix ipſe cum nonnullis evadere potuerit, natando aufugiens (ut teſtantur etiam Hermannus Contractus,& Schafnaburgenſis ad annum 982.) eas vires deinde habere non poterat, quibus Beneventum, munitiſſimam tunc urbem, expugnaret. Secundo, quia incredibile eſt, Othonem ferro, flammiſque in Beneventanos repenſdiſſe occiſionem Landulphi eorum Principis, Fratriſque Atenulphi pro eo obitam. Tertio, quia Principatum Beneventanum confirmans viduæ Aloaræ, ejuſque filio Landenulpho, gratum potius, quam iniquum animum erga Beneventanos Otho indicavit.

Confirmatur Oſtienſis narratio. Nam inito in Calabria cum Saracenis prælio, Capuæ moram trahens, menſe Novembri ejuſdem anni 983. (ut ex ejus diplomate apud Ughellum in Chronico S. Sophiæ tom. 8. col.672. colligitur) conceſſit, confirmavitque Cœnobio S. Sophiæ Beneventanæ Urbis Cortem quamdam poſitam in loco, ubi dicitur *Luniano*, cum Eccleſia B. Virginis; ſi ergo Beneventum paulo ante incenderat, deleveratque, quid de S. Sophia? Attamen non in damnorum refectionem, ſed pro Domini amore, ſuæque animæ remedio, Cortem cum Eccleſia, ejuſque pertinentiis concedere fatetur.

S. Sophiæ de Benevento Cors ab Othone conceditur.

Beneventani ab Othone in prælio non defecerunt.

Arguunt præterea Othonis iram in Beneventanos ob eorum a prælio defectionem: quod quam ſit a veritate alienum, ex Landulphi, & Atenulphi occiſione patet. Nam Beneventanos ſuorum Principum ſigna ſequutos eſſe, indubium eſt; unde fit, ut abſque eis prælium deſerere nequierint; ſed Principes ſtrenue dimicantes occubuerunt: ergo verum non eſt Beneventanos defeciſſe. Hinc Sigebertus, Scriptoribus illis longe antiquior, & accuratior, qui fuſas Othonis II. copias memorat, ad annum 980. Romanos quidem hac occaſione victos obſervat, at de Beneventanis nihil habet. Et vero ſi defeciſſent, aut ante, aut poſt copiarum profligationem id eveniſſe opus eſſet: Non ante, quia Principes, eorum Duces, in ipſa acie interfecti ſunt; ſi poſt Principum cædem; ergo Othoniani exercitus ſternendi cauſam Saracenis non præbuerunt, quia jam perditus erat, nec qui vinceretur, ſupererat.

Neque Romani.

Quod de Romanis terga vertentibus adſtruitur, eadem laborat falſitate; nam idem Sigebertus hæc de Othonis bello habet: *In quo bello omnes Romanorum Copiæ uſque ad internecionem pene deletæ ſunt*; Romani itaque Beneventanis fugæ comites ſeſe non dederunt; imo mortem obire potius, quam terga vertere maluerunt: Verius ergo cum Baronio ad annum 983. infelicem hunc rerum exitum in Imperatoris nequitiam refundimus, qui Merſeburgenſem S. Laurentii Eccleſiam Epiſcopali dignitate privavit, qua Otho pater ex voto ob debellatos barbaros honeſtari curaverat, *& propter hoc peccatum*, ait citatus auctor num.9. *pugnante S. Laurentio victoriam Otho perdidit*.

Quare Otho victoria cecidit.

Articulus Tertius.

Inſcriptio Tiberinæ Eccleſiæ exploditur.

Secundum adverſariorū fundamentum.

ARguitur ſecundo ex inſcriptione Paſchalis II. quæ Romæ in ſuperliminari Tiberinæ Eccleſiæ S. Bartholomæi legitur in hæc verba.

Tertius iſtorum Rex tranſtulit Otto piorum
Corpora, queis domus hæc ſic redimita viget.
Quæ domus iſta gerit, ſi pignora noſcere quæris:
Corpora Paulini ſint, credas, Bartholomæi.

Tempore, Paſchalis II. Papæ anno Dominicæ Incarnat. 1113. *Indict.* 7. *menſe Aprili, die* 4.

Reſponſio:

Reſpondeo memoratam reſtitutionem fictitiam eſſe, ſicuti etiam, quæ legitur, inſcriptionem: ergo, &c.

Probatur id omnium, quotquot ſcripſerunt, tum antiquiorum, tum recentiorum Hiſtoricorum ſilentio: ſi enim ita ſe res habuiſſet, nec Fridericus Imperator ſuis id litteris (ſi tamen, ut Baronius autumat, veræ ſunt) ſiluiſſet anno 1167. Nec Godefridus Viterbienſis, nec Martinus Polonus prætenſa reſtitutione, inſcriptioneque poſteriores, nec Egnatius, nec Platina, nec Sigonius, nec Nauclerus, aliique recentiores translationem ab Othone II. factam aſſeruiſſent, nec Baronius ipſe in notis ad Martyrologium die 25. Auguſti (ſi ea tunc vera judicaſſet) in tam ſplendidam incidiſſet contradictionem. Accedit, quod eo anno Romæ verſabatur Cardinalis Oſtienſis, qui vel Pontificem ab errore facti dimoviſſet; aut ſuam ipſe narrationem, iis viſis, atque probatis, emendaſſet. Præterea ſi Paſchalis II. judicio, anno 1113. de S. Bartholomæi Corpore decretum fuerat, quare Suggerius Abbas San-Dionyſianus anno 1122. novennio ſcilicet poſt, Roma relicta, Beneventum contendit ad Apoſtoli reliquias colendas? quare tot inſequentium Pontificum diplomata, ut vi-

di-

dimus, Corpus Apoſtoli Beneventi quieſcere confirmarunt? numquid enim eos Paſchalis II. decretum, ac publicam illam Epigraphem ignoraſſe potius effutiemus? abſit.

Nihilominus qui Paſchalis II. res proſequuti ſunt, omnem quoad Eccleſiarum conſecrationes, reſtitutiones, ac Reliquiarum inventiones, translationesque diligentiam adhibuiſſe conſtat; ut in Platina, & Ciaconio videre eſt; verum nec quidquam de hac reſtitutione ſcripſerunt: Hanc Oldoinus in ſuis ad Ciaconium additionibus nuper retulit: At unde illam, quove ex monumento eruerit, non admonuit.

B. Bartholomæi in phantaſmata poteſtas.

An ne ergo allegorice (per riſum dicam) id de Paſchali ſcriptum eſſe credamus; ut cum Dei beneficio Dæmones, & phantaſmata fugandi peculiaris poteſtas D. Bartholomæo tributa ſit, Paſchalis etiam Dæmones ad fugam compellens, cultus erga Apoſtolum reſtitutor ſit creditus, ſicque Eccleſiæ nomine veneratio ſubintelligatur? Narrat quippe de hoc Pontifice Andreas Victorellus in notis ad Ciaconium, Nucem ad Portam Flaminiam, ſub qua Neronis Imperatoris cineres latitabant, & ex qua Dæmones populum moleſtiis, cædibuſq; afficiebant, eradicandam curaviſſe, ſuapte manu ferro percuſſam, ibique aram Deo in memoriam Deiparæ Virginis conſecraſſe. Unde Baſilica, illic a Populo Romano extructa, B. Mariæ de Populo appellata fuit. Crebra ſane Dæmonis in Nuce ſtatio, unde non paucæ de Beneventana Nuce fabellæ in vulgus prodiere, quas peculiari libello Petrus Pipernus complexus eſt.

Nucis Romanæ hiſtoria.

S. Mariæ de Populo Romæ ædificatio.

Probatur præterea inſcriptionis ſuppoſitio ex Indictionis errore, quem continet; ſexta enim non ſeptima erat Indictio anno 1113. quod aperte colligitur ex inſcriptione altera Templi Romani S. Laurentii in Lucina apud Ciaconium in vita ejuſdem Paſchalis de Corporibus SS. Pontiani, Euſebii, & aliorum, quæ repoſita fuere juſſu ejuſdem Pontificis anno 1112. indictione quinta, ut ibi. Si itaque anno 1112. indictio quinta currebat, anno ſequenti 1113. procul dubio ſexta venit.

Quid vero in his immoremur, cum Baronius ipſe hoc in anno ita exordiatur? *Sequitur annus Chriſti 1113. indictione ſexta, &c.* Si igitur tantum inſcriptio peccat, genuinam quis opinetur?

ARTICULUS QUARTUS.

Roberti de Monte teſtimonium rejicitur.

Tertium adverſariorum fundamentum.

ARGUITUR tertio ex Roberto de Monte, qui Sigeberti Monachi Gemblacenſis Chronicon perduxit uſq; ad annum 1210; quo vixit. *Circa hoc tempus* (hoc eſt anno 1157.) *inundatione Tiberis facta non modica, Romæ in quadam Inſula ejuſdem fluminis in Eccleſiola antiqua inventum eſt in quodam Sarcophago Corpus B. Bartholomæi Apoſtoli totum integrum, excepto corio, quod remanſit Beneventi, quando Otho Imperator capta eadem Civitate Corpus prædicti Apoſtoli tranſtulit Romam, ſicut tabulæ æreæ demonſtrant ſcriptæ litteris græcis, & latinis, quæ repertæ fuerunt in Corpore Apoſtoli. Repertum eſt etiam in eadem Eccleſia Corpus Paulini Nolani Epiſcopi.*

Bellum ſane, atque digniſſimum, quod Sigeberti Chronicis apponatur, teſtimonium. Expendamus, amabo te, quanti ſit hujuſmodi narratio, eamque an re ipſa confutare poſſimus.

Reſponſio.

Prima ratio falſi eſt, quod nuſpiam legitur hæc, quam Robertus deſcribit, Tiberina alluvio, quamquam hac in re non deſint diligentiſſimi Scriptores, quales ſunt Jacobus Philippus in Chronicis, & Michael Zapullus in Romana hiſtoria, quorum uterq; peculiari ſtudio Tiberinas numerat inundationes. Cum itaque ſingularis in ſua narratione exiſtat, ſequitur eam ſibi affinxiſſe. Sed Tiberis inundationem miſſam faciamus, procul dubio enim Roberti naufragium expectat.

Secunda ratio falſi eſt, quod Corpus Apoſtoli totum integrum repertum fuiſſe teſtatur. Cur vero totum integrum B. Apoſtoli Corpus, mi Roberte, dixeris, cum ab Saracenis in Lipara Inſula ejus oſſa diſperſa fuerint, & a Theodoro Monacho per miraculum collecta; uti poſt Anaſtaſii Bibliothecarii fidem ceteri quotquot ea de re ſcripſere ultro conſentiunt? Quod ſi integrum dicere malueris, quia nullum ex oſſibus deerat, neque etiam a falſitate extricaberis. Deerat namque brachium, quod Landulphus Beneventanus Archiepiſcopus dederat Bernardo Filio Leoduni Pennarum Comiti anno 962. ab eoque in Eccleſia eidem Apoſtolo Carpineti nuncupata, in Ara maxima locatum, coram Pennenſi, Aprutino, Theatino, Valvenſi, & Marſicano Pontificibus. Chronic. Carpineten. Cœnobii lib. 1. apud Ughellum Tom. 8. col. 86. Quamplurimæ reconditæ ſunt B. Apoſtoli Reliquiæ in majori Eccleſia Caſinenſi, cum ab Alexandro PP. II. dedicata fuit, decem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum quadraginta trium aſſiſtentia anno 1071. Kal. Octob. ut Oſtienſis eſt auctor lib. III. cap. 30. Deſiderabatur præterea pars non exigua, quam Deſiderius Abbas Caſinenſis, deinde Victor PP. III. Beneventanus, condidit in altari ejuſdem Apoſtoli, cum illius Baſilica a Sorano Epiſcopo ejus nutu dicaretur, cujus rei teſtimonium extat apud eumdem Oſtienſem lib. 3. cap. 34. in hæc verba. *Hac ubi cooperante Domino, prout opta-*

Reliquias S. Bartholomæi non una habet Eccleſia.

verat, conſummavit (Deſiderius Abbas) *B. Apoſtoli Bartholomæi Baſilicam cum fratrum univerſo conventu* 3. *Nonas Januarii* (anno 1075.) *a Joanne hujus ante Cœnobii Monacho, poſt Sorano Epiſcopo, fecit ſolemniter dedicari. In cujus altari Apoſtolici Corporis partem non exiguam in argentea recondidit capſa.* Idem quoque Caſinum alias habebat B. Apoſtoli Reliquias a Petro Diacono lib. 4. cap. 23. relatas, quas in Eccleſia S. Stephani Oderiſius Abbas condiderat anno 1103. cum encænia fierent. *Hoc præſidente*, inquit, *anno* 1103. *dedicata eſt Eccleſia S. Stephani, in qua recondita ſunt Reliquiæ Sanctorum, quæ ſubſcriptæ ſunt, v3. de panno, ubi involutus fuit Chriſtus, quando natus eſt, S. Bartholomæi Apoſtoli, &c.* Sic-cine, egregie veritatis explorator, totum integrum Corpus inveniri fabularis? An Archiepiſcopum, tot Epiſcopos, & Abbates falſi teſtimonii inſimulare moliris? falſitatis crimini temeritatis labem adjunges. At nos potiſſima oſſium parte contenti ſumus; non enim integrum unquam Corpus jactavimus; cum præter eas, quas recenſuimus Reliquias, Neapoli apud Moniales D. Reginæ Ordinis S. Franciſci Capitis partem, Piſis tum in Metropolitana, tum in aliis Eccleſiis nonnulla fruſtula ſervari non lateat.

Apoſtolici capitis pars Neapoli colitur.

Tertia falſi ratio eſt, quod corium Beneventi remanſiſſe ait. Ubinam, quæſo Roberte, de corio legiſti in Liparitana translatione? Tuus ipſe Sigebertus oſſa tantum per agros diſperſa annotavit.

De Corio S. Bartholomæi, quid ſentiendum?

Quarta falſi ratio eſt, quod ab Othone translatum fuiſſe, capta urbe, obtrudit. Uter vero fuerit Secundus-ne, an Tertius Otho, ab eo non diſcimus. De Secundo jam ſupra viſum eſt; remanet ergo Tertius, ſed neque hic Benevento arma victricia intulit; falſum itaque eſt Roberti aſſertum de utroque, ergo, &c.

Iſtud oſtenditur, primo ex Leone Oſtienſe allato, qui nullam in Othonis III. adventu armorum mentionem facit: ſecundo ex hiſtoria ipſa Othonianæ peregrinationis, quam ex Petro Damiano in vita S. Romualdi, aliiſque colligere libet. Is perjurii reus ob Creſcentii Senatoris Romani cædem, Romualdi conſilio, quem religioſiſſime colebat, Roma ad Garganum, Apuliæ montem, ad Sancti Michaelis Eccleſiam pœnitentiæ cauſſa nudis pedibus ante Quadrageſimam iter ſuſcepit, pervenitque Beneventum. Ad Garganum inde pergit, ac iis, quæ Archangelo pollicitus erat, præſtitis, Beneventum remeavit. Hinc S. Paulini Corpore ſublato Beneventanorum induſtria, illud B. Bartholomæi Apoſtoli eſſe affirmantium, Romam ſe recepit, B. Nilum in reditu alloquutus. Poſtea totam Quadrageſimam in Claſſenſi Cœnobio apud Romualdum tranſigens, cilicio indutus duriſſimo in lectulo decumbens, jejuniis, & pſalmodiæ operam dedit. Poſtea detecta fraude Samnium repetens, Beneventum obſedit, cumque nihil profeciſſet, ad propria rediit, & in itinere mortuus eſt, ut habet Oſtienſis, loc. cit. Art. 1. §. 1.

Othonis III. pœnitentia, & adventus Beneventum.

Corpus S. Paulini pro Corpore Sancti Bartholomæi illi datur.

Beneventana obſidio.

Ex dictis manifeſte deducimus, Othonem eo comitatu uſum non eſſe, quo Beneventum bello petere, & expugnare potuerit; prætereaque adeo nequam non fuiſſe, ut dum perjurii crimine per duriſſimam pœnitentiam ſe exſolvere ſtudebat, in aliud, iniquiſſimi ſcilicet belli, impingere nefario voluerit; qua in re, nec Nili objurgationem, nec Romualdi auſteritatem effugiſſet, nec Beneventum tertio rediiſſet, ergo, &c.

Succedunt laminæ græcis, latiniſque litteris ſcriptæ, quibus in teſtimonium uteris, iis tamen nihil evincis, etiamſi tuum non fuerit commentum. Beneventanos namque illas appoſuiſſe ad fidem ab Othone pia in fraude captandam, non ambigimus.

Laminæ græcis latiniſque litteris ſcriptæ quare a Beneventanis poſitæ cum corpore S. Paulini?

Quinta falſi ratio eſt, quod Corpus B. Paulini Epiſcopi Nolani inibi repertum fuiſſe nugaris. Papæ Robertel nimium largus tantarum reliquiarum es diſpenſator. Alterutrum Romanis ſatis omnino erit; utrumque etenim eo adductum fuiſſe, nemo inter antiquos opinatus eſt. Næ tu nimium moroſus es ſcriptor, qui dum aſcita, commentitiaque gloria Othonem, Romanoſque cumulare affectas, vera defraudas; tantumque tua peccat oratio, ut vel non concedenda dicas, vel etiam conceſſa, dicto minime ſuffragentur. Satius itaque tibi erat facti veritatem exponere, & pro S. Bartholomæi Corpore, Reliquias S. Adalberti Martyris ex Urſinorum familia Pragenſis Epiſcopi inventas eſſe, ſcripſiſſe. Has etenim, teſte Baronio in annalibus ad annum 1000. num. 5. Otho Imperator miraculorum fama permotus Gneſnam uſq; profectus, Romam eduxit; & in Eccleſia Tiberina Sancto Martyri conſtructa repoſuit. Quare non abs re Fratres S. Franciſci, qui nunc Templum tenent, annulum indicant, in digito Beati Martyris repertum, unum ex iis fortaſſe, quibus Imperator illius manus ornaverat, ut idem Baronius teſtatur.

S. Adalbertus Martyr ex Urſinorum familia.

Ejus annulus Romæ monſtratur.

Articulus Quintus.

Friderici I. Imperatoris litteræ refellantur.

Quartum adverſariorum fundamentum.

Arguitur quarto ex Friderici I. Imperatoris litteris Conſtitutionis vim, ut Baronius ait ad annum 1000. num. 6. habentibus, quarum tenor eſt.

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Federicus, divina favente clementia, Romano-

*manorum Imperator, & ſemper Auguſtus. Dignitas Imperii Romani in optimum ſtatum roboratur, & Reipublicæ plurimum confert, ſi ea, quæ celebrari digna ſunt memoria, in ſcriptis redigantur, & ad omnium * poſterum notitiam congruo ordine transferantur, ne forte per negligentiam, ſive per ignorantiam rerum geſtarum, veritas depereat, vel * pro ſucceſſione temporum totus ordo rerum dubius apud homines relinquatur.*

Ex. Tib. * poſterorum.
* Per ſucceſſioně

*Ea propter cognoſcant univerſi fideles Imperii per Italiam * conſtituti, præſentes, & futuri. † Quia nos ſæpius audientes, dubietatem eſſe apud homines de Sanctiſſimo Corpore B. Bartholomæi, utrum eſſet * Beneventi, vel, ſicut celebris fama * divulgatur, Romam translatum; dum in obſidione † Urbis Romæ cum fortiſſimo, & innumerabili exercitu conſiſteremus, placuit Majeſtati noſtræ diligens ſtudium, & dignam operam in hoc adhibere, ut per veritatem indagatam, & perfecte * recognitam omnis dubietas de medio tolleretur, & fides credentium apud Deum meritum haberet. Inde eſt, quod nos pro inquirenda hujus rei veritate, & * removenda de cordibus hominum omni dubietate, annales prædeceſſorium noſtrorum Catholicorum Imperatorum revoluimus, & * ipſorum * annalium ſexto libro invenimus, qualiter Imperator * Otho II. venerandum Corpus Sanctiſſimi Apoſtoli Bartholomæi a Benevento Romam detulerit, & * Inſula Licaonia, * & in tumba * porphyretica glorioſiſſime collocaverit.*

deeſt * conſtituti.
† quod.
* apud Beneventum.
* divulgabat.
deeſt † Urbis Romæ.
* cognitam.
* pro
* in deeſt * annalium.
* Octo.
deeſt * & * porphyrea.
† Octo * requieſcebat.
deeſt *, & munivit. * Imperio

*Quia vero prædictus † Otho Imperator Eccleſiam, in qua Beatus Apoſtolus * requieſcit, multis poſſeſſionibus, & beneficiis ditavit, & privilegiis ſuis ornavit, * & munivit. Nos quoque quoniam præfata Eccleſia ſpecialis noſtra eſt, & * ad Imperium pertinet, ideo noſtro privilegio adornamus, ejuſque bona, & poſſeſſiones ab ipſo collatas, noſtra * Imperatoria auctoritate confirmamus. Ordo autem, & ſeries translationis de Sancto Corpore Apoſtoli a Benevento ad Urbem translato talis eſt.*

* Imperiali

*Anno ab Incarnatione * Domini * DCCCCLXXIV. * Otho I. ad Urbem perveniens die * natalis Domini, vocato ad ſe filio ſuo * Othone, eum a Papa Leone coronari, & Auguſtum vocari fecit, eique Conſtantinopolitani Imperatoris filiam Theophanii † matrimonio junxit, & reverſus de Italia, Paſcha Domini Quinteliburgæ celebrans, & in * Martinopoli Aſcenſionem ex more faciens, morbo ante Pentecoſtem tertia feria correptus, poſt multas * vicarias, poſt Græcos, * Appulos, & Calabros ſuperatos, trigeſimo ſeptimo * ſui anno, Imperii decimotertio diem ultimum clauſit, ſepultus in † Mandaburg.*

deeſt * Domini 924. * Octo * Nativitatis * Octone † in
* Martianopoli
* victorias * Apulos * Regni
† Magdeburg.
* jam dicti.

*Alio quoque anno filius ejus * .... * ei ſuccedens in Regno octuageſimus quintus ab Auguſto imperavit. Hic dum Græcos † in Calabria perſequeretur, amiſſo milite, de navi exiliens * natando, evaſit. Demum vero exercitum congregans, Beneventum obſedit. * Captaque B. Bartholomæi oſſa, inde aſportavit: ac Romæ in Tiberis Inſula in tumba † porphyretica * ea collocavit, in terramque ſuam per Tiberim * ex mari in præſato ſarcophago deportare cogitavit; ſed eo * brevi vita exempto, pretioſus theſaurus ibi remanſit; nam nono anno Imperii ſui Romæ moritur, & ante B. Petri Eccleſiam in Conca marmorea honorifice humatur. Anno ab Incarnatione Domini DCCCCLXXXIV.*

deeſt * ei
† incante
* natatibus
* Capo
† porphyret deeſt
* ea * & mare
* in

*† Otho III. patri in * Regno ſuccedens octuageſimus ſextus * poſt Auguſtum, Imperium eſt adeptus. * His diebus B. Adadabertus Pragen. Epiſcopus prædicans * pluries Martyrio coronatur. * Otho vero XVII. Imperii ſui anno diem obiit, & in Eccleſia Sanctæ Mariæ Aquiſgrani ſepelitur. Hi duo † Othones poſteriores, quamvis brevitatis cauſa pauca de eis dixerimus, tam feroces, tam mirabiles fuere, ut unus pallida mors Saracenorum, ſeu Sanguinarius: alter Mirabilia Mundi diceretur.*

† Octo * Regnum
* ab Auguſto
* Hujus Praxis
* Octo
† Octones

*Ut autem hæc omnia * clarius credantur, & majori auctoritate ab univerſis fidelibus de cetero obſerventur, præſentem inde chartam juſſimus exarari, & noſtræ Majeſtatis aurea bulla, ſimul & cerea communiri * præcipimus, & roborari. Si quis vero hujus noſtri præcepti contradictor, vel violator eſſe præſumpſerit, centum libras auri optimi pro pœna componat, dimidiam partem Fiſco noſtro, & dimidiam partem ſupradictæ † nominatæ B. Apoſtoli Eccleſiæ. Hujus autem noſtræ confirmationis teſtes ſunt, Chriſtianus * Maguntiæ Sedis Archiepiſcopus, & totius Germaniæ Archicancellarius, * Rainaldus, Colonienſis Archiepiſcopus, & Italiæ Archicancellarius, Alexander Leondineſis Epiſcopus * Godefrid Spirenſis Epiſcopus, Daniel * Fragen. Epiſcopus, Udo * Cinen, Epiſcopus Gero * Hubeltant, Epiſcopus Hermanus Volden. Abbas. Henricus Sacri Palatii Prothonotarius, & Sancti Stephani in * Magantia Propoſitus. * Dodofrid. Propoſitus de Franchevefort, * Federicus Dux filius Regis Conradi, Bertholphus Dux de * Leringar, Dux * Uuelſiunior.*

* verius
* præcepimus
† memoratæ
* Moguntinæ
* Romualdus
* Godefridus
* Pragenſis * Cicenſis * Halbeſtante * Moguntia Præpoſitus
* Godefridus præpoſitus * Fredericus * Zeringa * Vvelpho

In eodem exemplari Tiberino ſequitur † Signum Domini Frederici Romanorum Imp. Invictiſſim. Ego Philippus Cancellarius vice Rainaldi Colonien Archiepiſc., & Italiæ Archicancellarius recognovi. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis 1167. Regnante Domino Frederico Romanorum Imperatore victorioſiſſimo. Anno Regni ejus XV. Imperii vero XIII. feliciter. Amen. Datum juxta Romam in Monte Gaudii VI. Id. Aug.

Harum litterarum exemplar pro anathemate Tiberinæ Eccleſiæ parietibus habetur, e quo lectionis varietatem in margine appoſuimus; Nos tamen Maſcambruni exemplar deſcripſimus, licet paucis ab eo differat verbis; emendatius. n. ab hoc accuratiſſimo Auctore adductum eſſe conjicimus, cum non vulgarem in eo perquirendo, ut ipſe teſtatur in citata Diſſertatione pag. 32., diligentiam adhibuerit.

Re-

Reſponſio ex novem falſitatis capitibus.

Reſpondeo inanem, futilem, commentitiam, falſitatis denique plenam eſſe hanc aſſertionem; neque enim Friderici pietatem liberanda veritas expectabat; hominis ſcilicet ſacris interdicti, ſchiſmatici, & humanarum, divinarumque rerum deſpicatoris flagitioſiſſimi.

Si Romæ fuiſſet S. Bartholomæi Corpus, dubium eſſe non debebat Friderici tempore.

Prima falſitatis nota eruitur ex dubietate, quam eſſe ait apud homines de ſanctiſſimo Corpore B. Bartholomæi, Beneventi-ne, an Romæ quieſcat. Quod tamen lippis, tonſoribuſque patere debebat ex Friſingenſe, ex Paſchalis II. inſcriptione, ac demum Tiberina alluvione, quæ decennio ante contigerat, ſi Roberto credimus: nam Friderici litteræ datæ ſunt anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo, ut Baronius refert ad annum 1000. num. 6. Neque ex his ullum Imperato ignorare poterat, latam namque conſtitutionem diligens ejus ſtudium veritatis inquirendæ præceſſit: nec erat in Romano ſolo novitius.

Fridericus omnia ex Friſingenſis Chronico exſcripſit.

Quibus vero momentis hanc hominum dubietatem removet? Friſingenſis Chronicorum auctoritate, quorum errorem ſuperius Art. II. refellimus. Quod quidem non tantum Fridericus ipſe indicat citatione lib. 6. Annalium, quo in loco cap. 25. & 26. Friſingenſis hæc habet; ſed utriuſque verborum comparatione detegitur, quæ eadem plane ſunt in Friderico, ac in Friſingenſe: hic autem non exſcribimus, ne juſto plus graves lectori efficiamur. Quamobrem cum nullius ſit roboris Frinſingenſis ſcriptio facile Friderici litteræ ſimul corruent. Quod enim falſo innititur fundamento, in præceps ruat, perneceſſe eſt.

Si vera B. Apoſtoli translatio eſſet, Othoni tertio, non ſecundo tribui deberet.

Secunda falſitatis nota oſtenditur ex eo, quod Otho II. Beati Apoſtoli Corpus Romam tranſtuliſſe dicitur; quæ res putidiſſimum continet mendacium ex dictis; quibus ſuffragatur idem Baronius ad annum 1000. num. 8. ubi *manifeſti erroris redarguuntur*, ait, *illi, qui ab Othone II. id factum eſſe ſcripſere*. Ut mirari omnino ſubeat Eminentiſſimum virum, eo duce pugnare voluiſſe, quem, & dimittere, & erroris incuſare coactus eſt.

Othonis II. ævo adhuc Romæ ædificata non fuerat Eccleſia S. Bartholomæi.

Tertia falſitatis nota elicitur e falſo Friderici ſuppoſito, ſcribentis Eccleſiam S. Bartholomæi in Inſula Tiberina extitiſſe anno 984. cum conſtet ex Baronio ad annum 1000. num. 5. eam ædificatam fuiſſe ſexdecim poſt annos, nempe anno milleſimo ab Othone III. & S. Adalberto Martyri nuncupatam.

Nec eam Otho beneficiis auxit.

Sed quid ego hæc commemorem, cum ipſa ſua ſe prodat oratio, collidatque? Ubinam, quæſo, ſunt poſſeſſiones, beneficia, & privilegia, quibus Eccleſiam Otho ditavit, auxit, ornavit. Quod ſi temporis diuturnitate periiſſent, eorum ſaltem memoria apud Scriptores ſervaretur.

Otho jam obierat quo tempore coronatum fuiſſe Fridericus dicit.

Quarta falſitatis nota eſt in adventu Othonis I. in Urbem, quem Fridericus accidiſſe memorat anno 947. die Servatoris natalitio, quod ridiculum ſane eſt; Otho enim anno ante e vivis ſublatus fuerat, ſcilicet anno 973. ut inferius videbimus, & Baronius refert ad hunc annum num. 1. *Chriſti annus nongenteſimus ſeptuageſimus tertius, indictione prima, incipit, quo Otho magnus Imperator moritur in Saxonia, loco, qui dicitur Mimelieba.*

Imo Pſeudo-Pontifex ipſe, a quo coronam accepiſſe aſſeritur, multos ne annos deceſſerat. Genuinum coronationis tempus.

Beneventana Sedes omnium prima in Neapolitano Regno Archiepiſcopatus honore decorata. Vide Thomaſſinum vet. & nov. Eccl. diſcipl. part. 1. cap. 45. & Sarnellum Chronolog. Epiſc., & Arch. Benev. in peculiari Diſſertatione ad ann. 969. ſub num. 52.

Quinta falſitatis nota indicatur ex coronatione Othonis II. quem Fridericus a Leone Pſeudo-Pontifice Imperatorem inauguratum eſſe fatetur anno 974. Vide ſchiſmatici hominis inſaniam, qui ut Orthodoxam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem declinaret, ſuo adhærens Antipapæ, ſexcentis erroribus ſeſe implicare parvipendit. Qui ab Leone Auguſtus coronari poterat Otho filius anno 974. ſi Leo ipſe [Rheginone Plumienſis Cœnobii Abbate, ſeu potius Pomero referente apud Baronium num. 4.] anno 965. deceſſerat? Stat itaque quod Lambertus Schafnaburgenſis apud Petavium ſcripſit; ſcil. Othonem II. Auguſti nomine auctum fuiſſe anno 967. a Joanne Papa XIII. ſeptennio ante, quam Fridericus nugatur. Quod etiam evincitur e diplomate Joannis XIII. apud Labbeum. Tom. IX. Concil. col. 1239. & Biblioth. Benev. faſcic. 1. Privileg. num. 6. quo Beneventana Sedes Archiepiſcopatus honore, primo in Neapolitano Regno, decorata eſt. Dat. 7. Kal. Junii, & Joannis XIII. Papæ 4. Imperatoris Othonis majoris 7. & minoris 2. Indict. 12. anno Dominicæ Incarnationis 969.

Othonis coronatio quadriennio, vel quinquennio nuptias anteceſſit.

Nicephori Phocæ indignatio, quia Orientis, non Romanorum Imperator per litteras appellatus eſt.

Sexta falſitatis nota probatur ex eo, quod Fridericus aſſerit, Othonem II. eodem anno 974. coronatum, & Theophaniæ matrimonio junctum fuiſſe: quod mendacio non caret. Coronatio enim quadriennio nuptias anteceſſit, vel ſi fidem Sigeberto adhibere velimus, quinquennio. Neque aliter ſe rem habere potuiſſe intelligemus, ſi temporis intervalla eventu ipſo dimetiemur. Nicephorus enim Phoca Conſtantinopolitanus Imperator, cujus Theophania erat privigna, accepta Joannis XIII. legatione de nuptiis conciliandis per Luitprandum Cremonenſem Epiſcopum, Pontifici ſuccenſuit, Legatoſque male habuit, quia Orientis, non Romanorum Imperator litteris ſalutatus fuit. Itaque infecta res protracta fuit uſque dum Nicephorus Theophanonis conjugis, & Joannis Tzemiſcis inſidiis perit; quod ad annum nongenteſimum ſexageſimum nonum refertur, die Decembris undecima; poſtqu eillius necem Tzemiſces, Orientale Imperium adeptus, Theophaniam Othoni ſpopondit,

eique

Ejus cædes, & Ioannis Tzemiſcis ad Imperium aſſumptio.

eique magno cum exercitu, ut Vuitichindus coævus ſcriptor tradit, & magnificis cum muneribus miſit. Luitprandi iter, Nicephori indignatio & occiſio, Græcorum prælium, quod interceſſit, & Theophaniæ navigatio hæc paucorum menſium ſpatio, ſecundum Friderici calculum, facta non fuiſſe demonſtrant.

Othonis I. obitus quando accidit?

Septima falſitatis nota deprehenditur ex Othonis I. deceſſu, qui, juxta Friderici computum, contigit anno 975. trigeſimo ſeptimo ſui anno, Imperii decimo tertio. Id vero ſuperioribus annumeramus falſitatibus ex Ditmaro Merſeburgenſi Epiſcopo lib. 2. Chronic. Petro Damiano, Oſtienſe, Hermanno Contracto, Schafnaburgenſe, Mariano Scoto, Baronio ad annum 973. num. 1. & Camillo Peregrinio in hiſtoria Langobardorum, qui unico ore profitentur, Othonem I. anno 973. diem clauſiſſe ſeptima Maii, qui Imperii eſt annus undecimus, cum menſibus aliquot. Otho enim anno 962. expirante imperare cœpit, ut apud Rheginonum, & Flodoardum legimus.

Friderici error in Othonis junioris obitus Epocha figenda.

Octava falſitatis nota eſt, quod in eumdem incidit errorem quoad obitum Othonis junioris, quem cadere affirmat in annum Imperii nonum, Chriſti anno 984. quod ex Ditmaro refellitur, ex Baronio num. 14. aliiſque anno 983. menſe Decembri accidiſſe teſtantibus, Imperii anno decimo cum menſibus ſeptem.

Quot annis Otho III. Imperiũ tenuerit?

Nona falſitatis nota eſt, quod Othonis III. deceſſus anno Imperii decimo ſeptimo decernitur, cum ex Baronio ad annum 1002. num. 1. anno ſeptimo eveniſſe conſtet, Regni autem decimonono.

Hiſtoria falſa eſt ubi temporis ratio non cohæret

Hæc dicta ſufficiant de manifeſtis harum litterarum erroribus, quibus, ſi quid fidei in hiſtoria adhibendum ſit, doctorum judicio relinquimus. Concludendum nobis videtur cum Tatiano in oratione adverſus Græcos Biblioth. PP. Tom. I. *Ubi temporum ratio non cohæret, ibi nec hiſtoria quidem vera eſſe poteſt.*

Friderici Imperatoris odium in Beneventanos, & unde ortum habuerit?

Quod ſi cauſam hujuſmodi perſcribendi litteras in Friderico quæras, recens in Beneventanos odium occurret; eodem namque anno 1167 Alexandrum III. Pontificem Maximum honorifice receperant, poſtquam nefarius Imperator Pſeudo-Papæ ſtudens, omne ſcelerum genus adverſus Apoſtolicam Sedem, ejuſque Pontificem moliri cœpit, ut Anonymus Caſinenſis, & Romualdus Florentinus apud Baronium num. 5. ad annum 1167. perhibent. Quamvis, an illas re ipſa ſcripſerit Fridericus, an num potius quis eas ejuſdem nomini ſuppoſuerit, definire omnino nolumus.

Articulus Sextus.

Alexandri III. Acta Synodalia apocrypha cenſentur: ſicut & Pontificum Diplomata, a Baronio in Annalibus citata.

Quintum adverſariorum fundamentum.

Reſponſio.

Arguitur quinto ex actis Synodalibus Alexandri Papæ III. a Baronio citatis ad annum 1000. num. 7.

Vvillelmus Syrus Lateranenſis Concilii Actorum ſcriptor.

De S. Bartholomæo inibi pertractatum non fuit.

Reſpondeo, rem geſtam fuiſſe ab Alexandro in Concilio Lateranenſi anno 1168. in quo Fridericum Imperatorem ab Eccleſiæ communione removit, vel in Lateranenſi Oecumenico XI. anno 1179. extincto ſchiſmate, neceſse eſt. Sed neque in prioris Lateranenſis Concilii, neque in alterius Actis a Vuillelmo Syro Tyrenſi Archipræſule, ipſis Concilii Patribus rogantibus, & a Rogero ab Hoveden in Annalibus Anglicanis conſcriptis, aliiſque de S. Bartholomæo quidquam habetur: ergo de S. Apoſtolo in iis Conciliis actum non fuit, ac proinde, quæ aſſeruntur Acta Synodalia, aprocrypha ſunt, & commentitia, ſique reperiantur. Reperitur vero in Tiberina Eccleſia cum Friderici litteris ſcheda quædam, quæ acta memorat. At quanti ea ſit facienda, illorum, qui e veſtibulo tantum ſacros ritus ſalutarunt, judicio ſtet, cum a Pontifice prius miſsam celebratam fuiſse, deinde dicatam Eccleſiam commentetur.

Nec Baronius in eorumdem Actorum ſcriptione B. Apoſtoli meminit.

His accedit, quod Baronius ipſe Acta utriuſque Concilii accuratiſſime deſcribens, nec meminit quidem S. Bartholomæi, quamquam ad annum 1000. num. 6. hujuſmodi Acta ſe allaturum ſuo loco promiſerit. Cum itaque ille non protulerit, ea certe etiamnum deſiderari aperte demonſtrat, nec talia unquam iis in Conciliis eſse meditata.

Quid de diplomatibus a Baronio citatis tantum, non adductis ſit ſentiendum?

Idem dicendum eſt de Sacris Diplomatibus, quorum auctoritate eodem in loco uſus eſt, ſed poſtea non produxit, quia aut ea non invenit, ut fortaſse citata legerat in alicujus Auctoris ſcripto: aut, licet invenerit, nullius roboris illa animadvertit; cujuſmodi ea comperit (Annales perſcribens) quæ antea legerat in Vaticano Codice, [ubi regiſtrata aſſeruntur privilegia Romanæ Eccleſiæ] in notis ad Martyrologium die 25. Auguſti allegata, ad translationem Othonis II. comprobandam. Unde factum eſt, ut & ab eorum productione abſtineret, & ut veluti falſa rejiceret, ſcriberetque *manifeſti erroris redargui illos, qui ab Othone II. id factum eſſe ſcripſere*. Pro quibus vero ſtent Romanorum Pontificum ſacra Diplomata, ſupra vidimus Art. 1. §. 3.

Articulus Septimus.

Breviario, & Martyrologio Romano ſit ſatis.

Sextum adverſariorum fundamentum.

Arguitur ſexto ex Breviario Romano juſſu Clementis VIII. recognito anno 1602. ubi ad diem vigeſimam quartam Auguſti hæc habentur de Sancto Bartholomæo: *Ejus corpus Albani, quæ eſt Urbs majoris Armeniæ, ubi paſſus fuerat, ſepultum eſt: quod poſtea ad Liparam Inſulam delatum, inde Beneventum tranſlatum eſt: poſtremo Romam ab Othone III. Imperatore portatum in Tiberis Inſula, in Eccleſia ejus nomine Deo dicata, collocatum fuit.*

Reſponſio.

Reſpondeo primo maximæ quidem auctoritatis eſſe Breviarium Romanum in iis, quæ per ſeſe ad cultum Eccleſiaſticum attinent: minoris tamen ponderis eſſe in privatis factis, aut geſtis, quæ in vita Sanctorum ex occaſione referuntur, ita, ut efficax inde argumentum peti non poſſit, ubi præſertim antiquiora monumenta adverſantur. Nec enim Eccleſia ipſa, quæ iis utitur, inconcuſſæ, infallibiliſque veritatis judicat quæcumque Breviariis ſuis ſunt inſerta, cum multoties pro variis temporibus, varia ex occaſione, ea mutaverit, correxeritque. Teſtatur Concilium Senonenſe de anno 1528. quod ut Breviaria, & Miſſalia emendarentur, decreto ſanxit: teſtatur Concilium Colonienſe de anno 1536. cui hoc idem decernere placuit: teſtatur Concilium Tridentinum, in quo idipſum ſtatuitur; ac demum Concilium Rothomagenſe anni 1581. & Concilium Rhemenſe anni 1583. decernunt, ut quam diligentiſſime a falſis narrationibus, & hiſtoriis Breviaria repurgentur. Quæ omnia argumento ſunt, Breviaria non illico putanda eſſe ab omni hiſtorica aberratione libera, ſed magna plerumque ſpongia egere, licet illa in ſuum uſum uſurpet Eccleſia.

Conciliorum Sanctiones pro Breviarii correctione.

Atque ita praxi ſervatum fuiſſe Romæ in Correctione Clementini Breviarii ingenue fatetur Gavantus Comment. in Rubr. Breviarii Sect. 5. Cap. 12. num. 26. qui eadem in Correctione, ſicuti etiam in ſequenti ſub Urbano PP. VIII. unus fuit e Recognitoribus. Quamobrem tanquam de re ſibi propria teſtatur, DD. Reviſores in Sanctorum hiſtoria unum tantum gravem Auctorem, aliis, tametſi plures numero fuerint, poſthabitis, aliquando ſecutos fuiſſe.

Immo nec ſuis omnino carere nævis Clementino-Urbanum, quo utimur, Breviarium, doctiſſimi hiſtoriarum exploratores indicant, cujuſmodi ſunt

An S. Marcellinus Pontifex vere in Idololatriam prolapſus fuerit?

I. Marcellini Pontificis cultus idolis exhibitus, ejuſque pœnitentia in Concilio Sinueſſano: cum neque ſanctiſſimum Pontificem in id impietatis incidiſſe, conſtet ex S. Auguſtino lib. unico de baptiſm. contra Petilianum cap. 16. neque tale Concilium unquam habitum fuiſſe, neque ipſam denique civitatem Sinueſſanam ullibi gentium extitiſſe, irrefragabilibus comprobetur argumentis.

II. Lectiones non paucæ ex iis Sanctorum Patrum libris petitæ, qui ex graviſſimo Criticorum judicio apocryphi reputantur.

Symbolum *Quicumque* S. Athanaſii non eſſe plerique contendunt.

III. Symbolum, *Quicunque vult ſalvus eſſe*, S. Athanaſio in Breviariis hodiernis adſcriptum, quod illius non eſſe, eruditiſſimi plerique ſentiunt, quamquam cujus determinate ſit auctoris, non ita inter ſe congruant. Qua de re legendus Quenellius diſſertat. 14. in opera Sancti Leonis, & alii plures.

Nec canticum *Te Deum* SS. Ambroſii, & Auguſtini.

IV. Canticum, *Te Deum laudamus*, SS. Ambroſio, & Auguſtino adſcriptum, cum Siſebuto Monacho ab eruditis vindicetur ex veteri Caſinenſis Cœnobii Breviario, & Codice manuſcripto Vaticanæ Bibliothecæ a Cardinali Bona recenſito in Divina Pſalmodia cap. 26.

Baronius quam adhibuerit fidẽ Breviario Romano in hiſtoria?

Et vero Cardinalem Baronium, cum quo nobis hic maxime lis eſt, non abſolutiſſimam in rebus hiſtoricis fidem Romano Breviario tribuiſſe certiſſimum eſt, cum illius narratione repugnante, Jacobum Apoſtolum antea Hieroſolymis capite minutum propugnarit in Notis ad Martyr. die 25. Julii, quam Evangelium prædicare in Hiſpania, aut Eccleſiam ibi fundare poſſet. Quamquam non iſtud a me obſervatum velim, quaſi Baronio ex parte ſubſcribam, ſed ut indigitem, quam de hujuſcemodi privatis hiſtoriæ factis, in Breviario recenſitis, opinionem habuerit Eminentiſſimus Polyhiſtor.

Breviarii inconſtantia quoad S. Bartholomæū.

Reſpondeo ſecundo inconſtantiſſimum eſſe in D. Bartolomæi translatione Breviarium Romanum, atque adeo minus urgere auctoritatem ejus, ut ex triplici illius immutatione liquido conſtat.

Multiplex ejus immutatio.

I. Quia Breviaria Romana anno 1458. Pii II. authoritate, 1482. 1545. 1552. 1557. 1561. 1564. nec per umbram quidem Sacra Bartholomæi Oſſa Romam aſportata, & in Tiberina Inſula repoſita fuiſſe referunt.

Breviario Pii V. primum S. Bartholomæi tranſlatio addita.

II. Breviarium anni 1568. auctoritate Pii V. approbatum, a veteri lectione deflexit, additaque tranſlatio eſt in hæc verba: *Ejus Corpus Albani, quæ eſt Urbs majoris Armeniæ, ubi is paſſus fuerat, ſepultum eſt, quod poſtea ad Liparam Inſulam, inde Beneventum tranſlatum eſt: poſtremo Romam ab Othone II. Imperatore, Gregorio V. Pontifice Maximo, portatum in Tiberis Inſula in Eccleſia ejus nomine Deo dicata collocatum fuit.*

Qua

Qua in additione duo ſunt animadvertenda. 1. Othoni II. translationem adſcriptam eſſe: quod non tantum Baronio, ejusque Aſſeclis ſupra allatis, ſed etiam noviſſimo Clementis VIII. Breviario adverſatur: ubi Otho III. non II. translationis auctor aſſeritur. 2. Translationis Epocha, quæ falſo ſub Gregorio V. figitur, nam Otho II. anno 983. deceſſit, ut ſupra viſum eſt: & tredecim poſt annos ab ejus obitu cœpit Gregorii V. Pontificatus, anno ſcilicet 996. ut ex Baronio ad hunc annum num. 2. colligitur.

Sed in Breviario Clementino correcta ejus narratio.

III. In noviſſimo Breviario Clementis VIII. anno 1602. edito, quod de Gregorio V. dicebatur, expunctum fuit, & repudiato Othonis II. nomine Otho III. translationis auctor ſuffectus eſt, ut oſtendunt objectionis verba. Hinc in tot illis Breviarii editionibus triplex animadvertitur immutatio, in re, in perſona, in epocha: cui ergo ex tot, tam variis, tam recentibus, tam manifeſtis ſcatentibus mendis, Epochæ ſcilicet, & Perſonæ aſſertionibus animum potius inclinemus?

Objectio ex Martyrologio.

Arguitur ſeptimo ex Martyrologio Romano ad eamdem diem, in quo legitur: *Octavo Kalendas Septembris S. Bartholomæi Apoſtoli, qui in India Chriſti Evangelium prædicavit, inde in majorem Armeniam profectus, cum ibi plurimos ad fidem convertiſſet, vivus a Barbaris decoriatus eſt, atque Aſtiagis Regis juſſu capitis decollatione martyrium complevit. Ejus ſacrum Corpus, primo ad Liparam Inſulam, deinde Beneventum, poſtremo Romam ad Inſulam Tiberinam tranſlatum, ubi pia Fidelium veneratione honoratur.*

Reſponſio.

Reſpondeo idem de Martyrologio Romano, ac de Breviario ferendum judicium, cum ſiquæ in uno ſint, quæ eruditis negotium faceſſant, in alterum transfundantur. Hujus generis permulta in illo etiamnum extare, conſentiunt viri hiſtoricæ rei periti ſſimi. Immo & in illo noſtris quoque temporibus repurgando, doctiſſime allaborat Dominus meus Eminentiſs. Cardinalis Leander Colloredus, cujus eximium opus avidius expectat litteratorum omnium Reſpublica. Nec obſtat Eccleſiaſticus uſus, quaſi ab omnibus omnino maculis pura cenſenda ſint Martyrologia, quibus Romana utitur Eccleſia, cum illorum Auctores humani ſemper aliquid patiantur. Certe in Martyrologio Uſuardi, quo ad annum uſque 1549. utebatur Eccleſia Romana, ſacris faſtis adſcribebatur Euſebius Cæſarienſis, vir medullitus Arianus: *Nono Kalendas Julii in Civitate Cæſarea S. Euſebii Epiſcopi, & Confeſſoris, viri excellentiſſimi ingenii, & hiſtoriographi.* Qui error longe certe gravioris momenti reputandus eſt, quam qui a Nobis in præſentiarum circa S. Bartholomæi translationem Martyrologio Romano adſcribitur.

Eminentiſs. Cardinalis Colloredi lucubrationes in Martyrologiũ.

Euſebius Cæſarienſis Arianus in Vſuardi Martyrologio.

Martyr fictitia irrepſerat in Romano Martyrologio ex Baronii lapſu.

Quinetiam, & in præſenti, quod uſurpamus, Martyrologio Romano, in priori editione, quam poſt Gregorii XIII. approbationem Romæ curavit Cardinalis Baronius anno 1586. fictitia martyr irrepſerat, ex Græci textus aberratione, in quam incaute inciderat Eminentiſſimus Vir, Chryſoſtomum legens homil. 4. de Lazaro: cum enim Græcus Chryſoſtomi textus habeat: τοῦ μακαρίου Βαβύλα ϗ ξυνωρίδος τῶν ἁγίων μαρτύρων, Quod ita verti debuerat *Beati Babylæ, & Xynoridis, ſeu bigæ, aut paris Sanctorum Martyrum*: vocabulum *Xynoridis*, quaſi proprium eſſet alicujus martyris nomen, uſurpavit Baronius: eoque præconcepto errore, Martyrologio Romano inſcripſerat: *Nono Kalendas Februarii Antiochiæ Sanctæ Xynoridis Martyris*: quem quidem errorem in poſterioribus editionibus emendavit, monitus ab amicis, Petro Pitæo, Nicolao Fabro, & Petro Ducæo; ac quidem merito: Xynoris enim apud Chryſoſtomum, par eſt maryrum, Juventini ſcilicet, & Maximi, qui ſub Juliano paſſi ſunt Antiochiæ: Baronius ex appellativo nomine proprium, atque ex proprio Xynoridem martyrem fecerat. Quod a nobis obſervari operæ pretium fuit, ut intelligant univerſi, Martyrologii Auctores, Correctoreſque deceptos quandoque fuiſſe, ut etiam in ſexcentis videre eſt apud Ferrarium in calce novæ Topographiæ in Martyrologium Romanum, & in Opuſculis Lucæ Holſtenii, quæ Romæ edidit Petrus Poſſinus anno 1663. proindeque tanti fieri eorum auctoritatem non debere.

Xynoris quid?

Ferrarii, & Holſtenii animadverſiones in Martyrologium.

Addam, etiam viros emunctioris criterii, in ultimis, quibus nunc utimur, Martyrologii editionibus errorem longe graviorem deprehendere 4. nonas Novembris, ubi tanquam Saul inter Prophetas, inter SS. annumeratur Theodotus Epicopus, qui tamen fuit anteſignanus Arianæ hæreſis, quique conſpiratione cum Arianis facta, Euſtachium Antiochenum Epiſcopum Sede ſua dejecit: *Laodiceæ in Syria Sancti Theodoti Epiſcopi, qui non ſolum verbis, ſed rebus, & virtutibus fuit ornatus.* Quæ cum ita ſint, quid mirari ſubeat, ſi aberrationem longe minorem in Sancti Bartholomæi translatione Romano Martyrologio adſcribamus?

Theodotus Arianus perperam inter Sanctos numeratur.

Recens Apoſtolicæ translationis adjectio.

Reſpondeo ſecundo in Martyrologio Romanam Benevento translationem anno 1584. primo adjectam eſſe ſub Gregorio PP. XIII. atque ideo contra Beneventanos adduci non poſſe, cum in hiſtoria temporis diuturnitati ſtetur: quin etiam in ceteris antiquis Martyrologiis, quæ ſupra recenſuimus, Corpus S. Bartholomæi Beneventi, non Romæ coli perlectum eſt, & adhuc legitur: ergo nihil eſt, quod Romano tan-

tum noviſſimo Martyrologio credamus. Quare æqui, boniqueque nobis conſulendum eſſe ducimus, ſi ſapientiſſimi Baronii conſilia ſecuti, Breviario, & Martyrologio, quoad S. Bartholomæum, non acquieſcimus; ait enim ad annum 302. num. 104. *Ceterum eamdem ipſam Romanam Eccleſiam non ſicut Evangelium (quod, & Gelaſius monuit) legere conſueviſſe, & legenda proponere quælibet SS. acta; ſed potius ea cuncta Apoſtolica illa lance libranda relinquere: Omnia probate; quod bonum eſt tenete.*

Eccleſiæ mos in Sanctorum actis proponendis.

HUGO II. GUIDARDIUS.

Hugo hoc nomine II. familia Guidardius, ex Rectore Eccleſiæ Parochialis S. Petri Rutenenſis Diœceſis, electus Archiepiſcopus XXXI. die XXIX. Novembris Anno Domini MCCCLXV. Eccleſiaſticæ diſciplinæ tenax hanc Provincialem Synodum coegit Anno Domini MCCCLXXIV. Sedit Annos XVIII. obiit A. D. MCCCLXXXIII.

CONCILIUM PROVINCIALE SEXTUM,

Habitum Menſe Aprili 1374. Ab Hugone Guidardio Archiepiſcopo.

Habemus hoc Concilium in veteri m. s. in pergameno in noſtra Metropolitana Bibliotheca, unde ſumma diligentia exſcribi curavimus Romæ anno Domini 1691., exemplumque in eadem Bibliotheca repoſuimus.

Incipit liber Provincialis Eccleſiæ Beneventanæ, compoſitus per R. Patrem D. Ugonem Archiepiſcopum Beneventanum.

AD perpetuam rei memoriam, laudem Dei, ejuſdemque Matris Virginis, noſtrique Patroni glorioſiſſimi Bartholomæi Apoſtoli. Quoniam Conſtitutiones Conciliorum Provincialium, & Synodalium Prædeceſſorum noſtrorum ſic diverſas, ſicque diffuſas reperimus quaſi vagabundas, quod tanquam incertæ per totam Provinciam vacillabant, ex quo inconveniens ſequebatur, quod aliqui per conſtitutiones hujusmodi erant pœnis multiplicibus obligati, alii excommunicati, alii vero ſuis beneficiis privati, ignorantes pœnas, ſententias, & præcepta, quæ in prædictis Conſtitutionibus continentur, propter eorum proxilitatem in eisdem legendis, & ſtudendis negligentiam contumelioſam apponentes; conſiderantes, quam frequenter ex ſimplicitate Prælatorum, & ignorantia Clericorum, & Sacerdotum, illorum præcipue, quibus animarum cura committitur, plura emergunt dubia, & pericula in collatione Sacramentorum, & regimine Eccleſiarum, ac animarum, iccirco nos Ugo Guitardi miſeratione divina Archiepiſcopus Beneventanus cum noſtri Capituli conſilio, & aſſenſu etiam RR. PP. Epiſcoporum Suffraganeorum noſtrorum accedente ad utilitatem, pacem, & tranquillitatem Diœceſis, & totius Provinciæ Beneventanæ, ne labilis hominum memoria poſſit ignorantiam prætendere in futurum, Conſtitutiones antiquas ſcripto dignum duximus comprehendi, adiicientes alias noſtras, & quædam alia utilia univerſis, a corpore juris extracta.

Motivum celebrationis Concilii, & hujus operis.

Mala, quæ ex ignorantia Prælatorum oriuntur.

Et quia comperimus circa tenenda Concilia tam Provincialia, quam Synodalia, nil ordinatum ab antiquis noſtris Prædeceſſoribus, ſaltem quod ex ſcripto memoria denotetur, ut in antea inordinatum nihil, neque confuſum remaneat, quædam ſuper his omnibus ſupradictis utilia, & neceſſaria pro inſtructione ſimplicium, & ignorantium jura in hoc libro, cui Nomen *Provinciale Eccleſiæ Beneventanæ* imponimus, ſub certis titulis, prout materia exiget, ſub compendio tradimus, quæ de jure Divino, ſeu Eccleſiaſtico, & Canonico, ſunt autem conſona rationi, quæ ab Epiſcopis, Capitulis, Abbatibus, Archipresbyteris, Eccleſiarum Rectoribus, & aliis Clericis noſtrarum Civitatis, & Diœceſis, ac Provinciæ Beneventanæ in ſacris Ordinibus conſtitutis, & maxime Archipresbyteris, & Rectoribus curam Animarum habentibus legi ſæpe, & intelligi præcipimus, & mandamus, & ut ab omnibus teneatur hic liber, & diligenter, ac firmiter obſervetur, & ſemel in anno in Provinciali Concilio, & in Synodis Epiſcopalibus publice, & perfecte in toto, vel in parte, prout viſum fuerit expedire, legatur: per Archipresbyteros vero, & Curatos ſaltem in feſtivitatibus Nativitatis Domini, & Pentecoſtes Conſtitutiones, ſalutem animarum tangentes, populo ad Divina congregato in Eccleſiis palam legantur, & publicentur, ad pœnam excommunicationis, & quatuor unciarum, prout in antiquis Eccleſiæ Beneventanæ continetur inſtitutis, quorum transgreſſiones, quæ inobedientiam inducerent, caſtigatione debita,

Quæ ſervanda in Conciliis tam Provincialibus, quam Synodalibus habendis?

Liber hic ab omnibus habendus, & pluries in anno legendus.

debita, prout res exegerit, ſeveriter puniemus, niſi forte juri alicui obviaverint, ſupra quod diſpenſare, aut quidquam ſtatuere non valemus: tunc enim ea volumus pro non ſtatutis haberi.

Provincialia Concilia quo menſe, & quo die celebrata Beneventi fuerint?

Cum igitur, ſicut a Sanctis Patribus fuit olim inſtitutum, ſingulis annis a noſtris Prædeceſſoribus, & Nobis, quamdiu, licet indigni præfuimus huic noſtræ Beneventanæ Apuliæ Metropoli Eccleſiæ, cum noſtris Suffraganeis Epiſcopis, & Abbatibus, Archipresbyteris, & ceteris Rectoribus Eccleſiarum, & Clericis Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, Provincialia Concilia fuerint hactenus celebrata in feſto glorioſiſſimi P. noſtri Beati Bartholomæi Apoſtoli de menſe Auguſti ſecundum antiquum ſtatutum noſtræ Beneventanæ Eccleſiæ; ad pœnam noſtro, & noſtrorum ſucceſſorum arbitrio imponendam, ſeu infligendam præcipimus, ut ad dictum Concilium Provinciale uno die ante dictum feſtum conveniant, & veniant Beneventum perſonaliter omnes Prælati noſtrarum Diœceſis, & Provinciæ, & Archipresbyteri, & Rectores Eccleſiarum curam animarum habentes, & Clerici noſtrarum Civitatis, & Diœceſis. Et ſi forte infirmitate, vel alia inevitabili neceſſitate, ſeu cauſa per Nos, vel Vicarium noſtrum approbanda, detenti venire non potuerint, mittant tunc aliquem ſufficientem Capellanum, vel Clericum loco ſui, & Nobis, vel Vicario noſtro cauſam ſuæ abſentiæ ſtudeant intimare.

Indicitur omnibus, qui accedere tenentur, ut ad Provinciale Concilium ſtatuto die accedant.

Tranſgreſſores vero temerarii hujus Præcepti, qui eo ligari poſſunt, & debent, ipſo tranſgreſſu, ſicut hactenus, prout Nobis, aut Vicario noſtro videbitur arbitrari, punientur. Et quia ſecundum ſtatuta Concilii Generalis omnes Epiſcopi certas, & limitatas habentes Diœceſes in ſuis Cathedralibus Eccleſiis annis ſingulis Synodos, & Concilia celebrare debent, in quibus de corrigendis exceſſibus, & moribus reformandis præſertim diligentem habeant cum Dei timore tractatum, Canonicas regulas, & maxime, quæ ſtatutæ ſunt in dicto Concilio Generali, & in hoc libro relegentur, ut eas faciant obſervari, debitam pœnam tranſgreſſoribus infligendo.

Indicitur ſuffraganeis Epiſcopis obſervantia legum, quæ ſtatutæ fuerunt in Concilio Provinciali.

Ut id valeat efficacius adimpleri, ſtatuimus, & præcipimus per ſingulas noſtræ Provinciæ Beneventanæ Diœceſes Epiſcopales Synodum annis ſingulis celebrari circa ea, quæ correctione, vel reformatione digna fuerint, prout utilitati, & honeſtati congruit, provida deliberatione procedendo, & quæ ſtatuerint, faciant obſervari, ad quam veniant perſonaliter omnes Prælati, & Clerici, & Sacerdotes curam animarum habentes, & Archipresbyteri Diœceſium ſingularum. Hujus autem præcepti tranſgreſſores præter pœnam, durius puniemus.

Indicitur iiſdẽ Diœceſanum Cõcilium ſingulis annis celebrandum.

Venientium ad Concilium quinam debeat eſſe ſtatus, & habitus? Aſſidentium Concilio quinam ſtatus, & habitus eſſe debeat?

Venientes autem ad Concilium, ſeu Synodum in eundo, & redeundo honeſte incedant, & honeſta quærant hoſpitia, & in eis circumſpecte ſe habeant, ne ſtatus ipſorum vertatur in opprobrium populo.

Injungimus autem omnibus, qui debent eſſe in Concilio, & Synodis, quod induti ſtent, ut eſt moris, Prælati in Concilio, & Synodis, ceteri vero cum ſuperpelliceis, ſive Cottis, & jejuni, & ſedeant ordinate, & ſine ſtrepitu audiant, & diligenter mente intelligant ſalubria monita, & mandata.

Liber iſte Provincialis in qualibet Eccleſia Cathedrali, Abbatiali, Archipresbyterali, & Parochiali habendus.

In qualibet Cathedrali, Abbatiali, Archipresbyterali, & Parochiali Eccleſia iſte liber Provincialis omnimode habeatur ad pœnam Excommunicationis, & quatuor Unciarum, quem Sacerdos Parochialis Clericis ſuæ Parochiæ, & laicis, prout expedire viderit, diligenter exponat; & eumdem librum ad Concilium Provinciale, & ad Synodos Epiſcopales deferant, & coram ſe in Synodo teneant ſub pœnis prædictis.

Nihil huic libro addendum, vel minuendum.

Et ſi de contentis in eo, vel aliis dubitent, Nos, vel Epiſcopum ſuum extra Concilium, vel Synodum conſultent ſuper eis; Et nullus in eodem libro ſine noſtra licentia aliquid addat, vel minuat; pœnam falſi ſe noverit incurſurum. Nullus cauſas inducat ad Concilium, ſeu Synodum, quæ alio tempore coram Nobis, vel Epiſcopis, aut Vicariis noſtris poſſent facilius, & commodius expediri.

Cauſſæ, quæ facilius, & commodius coram Epiſcopis, vel Vicariis expediri poſſunt, non adducendæ in Concilium.

Sacerdotes Parochiales, antequam ad Concilium iter capeſſant, infirmos viſitent.

Sacerdotes Parochiales, qui Vicarios non habent, die Dominica præcedente Concilium, vel Synodum, vel alia die competenti inquirant diligenter, & publice in Eccleſiis, an in ſuis Parochiis aliqui ſint infirmi, & ſi ita ſit, antequam iter arripiant veniendi ad Concilium, ſeu Synodum, illos infirmos viſitent, etiam ſi non requiſiti, & eis dicant, quod faciant, quidquid boni poterunt ad ſuarum ſalutem animarum; Præcipientes nihilominus eorum viſitationem fieri per vicinos Presbyteros in aliis, vel eiſdem Eccleſiis remanentes.

Forma in Conciliis Provincialibus obſervanda.

In Conciliis Provincialibus autem per Nos in dicto feſto celebrandis hanc formam volumus obſervari. Ad ritum antiquum in Veſperis dicti feſti Nos debemus infra cameram noſtri Palatii Pontificalibus indui: Ceteri vero Epiſcopi, & Prælati ſuffraganei in Tinello ante dictam cameram, & exinde ordinate incedere cum eiſdem, & Capitulo noſtræ majoris Eccleſiæ ad Eccleſiam Beati Bartholomæi pro officio Veſperarum ſolemniter ibi exſolvendo, quo expleto ſimili ordine reverti ad ipſum Palatium, & ibi in Tinello facta collatione litterali, per Nos querelas, & excuſationes audiri, & corrigi emendanda. In craſtinum vero modo conſimili convenire ad ipſam majorem Eccleſiam, ad locum, qui eſt ante Crucifixum, paratum,

vel extra ante fores ipſius Eccleſiæ,ſi tempus ſit ordinatum,& omnibus ibidem congregatis, a Primicerio majori incipiatur Antiphona: *Exaudi nos Domine*: quæ in Pontificali libro ſub titulo de celebrandis Conciliis continetur cum ſuo verſiculo, & *Gloria Patri*: & poſtea ab omnibus flexis genibus, per Nos,vel eum, qui noſtrum tenebit locum cantando incipiatur Hymnus:*Veni Creator*: & cantetur ab omnibus, licet modicum fuerit in uſu,& eo completo, dicatur verſus: *Confirma hoc Deus*, vel verſus: *Emitte Spiritum tuum*, &c. & reſponſo aClero,poſtea dicatur:*Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, qui miſericordia tua, &c.* quære in eodem libro Pontificali, & titulo *Alleluja*. Deinde Diaconus accepta benedictione legat Evangelium: *Miſit Jeſus duodecim*; poſtea legantur ſtatuta Provincialia, & Synodalia ex hoc libro ſumpta, vel pars illorum, & alia,quæ ſecundum varios eventus temporis videbuntur expedire. Demum data ſolemni benedictione per Nos, ſimul cum omnibus accedatur proceſſionaliter,& ordinate ad Eccleſiam Beati Bartholomæi,& ibidem cantetur Miſſa ſolemnis, & ſermo fiat, ut fuit antiquitus obſervatum.

Antiphonæ, hymni, & orationes dicendæ.

In Synodis autem,per Nos, aut noſtros ſuffraganeos alio tempore inexpreſſo tenendis, aliam formam dicimus obſervandam,ſtatuentes,ut per unum diem Concilia Synodalia teneantur ſemel in Anno, quem diem eligimus,tanquam magis congruentem, videlicet diem Martis poſt quindenam feſti Paſchæ, vel alios per eos eligendos. Cum vero Clerus fuerit in Synodo congregatus, ab Epiſcopo, vel cui commiſerit, primo Miſſa de Spiritu Sancto celebrata, incipiatur Antiphona prædicta: *Exaudi nos Domine*: & ea completa a tota Synodo cum verſiculo, & *Gloria Patri*, ut ſupra dictum eſt,omnibus genua flectentibus, Epiſcopus cantando incipiat Hymnum: *Veni Creator Spiritus*: & eo completo dicat verſum:*Confirma hoc Deus*: & Clerus reſpondeat. Poſtea dicat Epiſcopus: *Domine exaudi*. *Dominus Vobiſcum. Oremus. Actiones noſtras, &c.* Deinde Diaconus dicat Evangelium: *Convocatis Jeſus duodecim*; deinde fiat ſermo litteraliter; poſt hæc legantur ſtatuta Provincialia,vel pars illorum, prout Epiſcopus viderit expedire, & ſi qua fuerint reparatione indigentia, ad Concilium Provinciale poſtea referantur, ut de ſalubri remedio conſulamus, & etiam occurramus; & quia ſalus Animæ ſecundum Auguſtinum a fide Catholica recipit fundamentum, & ſecundum Beatum Gregorium, *tunc fabrica robuſta conſtruitur, cum primus locus ſolidus, in quo poni fundamentum debeat, providetur*; iccirco de ipſa, in qua fundamentum eſt noſtræ Animæ,primitus eſt videndum.

In Synodis, ſeu Conciliis Synodalibus alia forma obſervanda.

TITULUS I.

De Fide Catholica.

Rubrica.

CUm, ut ait Apoſtolus ad Hebræos 11. *Impoſſibile eſt ſine fide placere Deo*; & Salvator in Joanne 3. *Qui non credit,jam judicatus eſt*;& in Marco 16.*Qui crediderit, & baptizatus fuerit,ſalvus erit*:*Qui vero non crediderit,condemnabitur*; & ſecundum Auguſtinum *Fides eſt fundamentum omnium virtutum*; ideo recte incipiendo a fundamento inſtruendus eſt fide Populus,ut ſalvetur. Videndum igitur, quid ſit fides,unde dicatur, in quibus conſiſtit, quæ eſt pœna non habentis fidem, & quod præmium?

Nulla ſalus citra Fidem.

CAP. I.

Fidei Definitio.

FIdes autem ſic diffinitur ab Apoſtolo Hebr.11. *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, Argumentum non apparentium*. *Subſtantia* vero dicitur, quia eſt fundamentum fabricæ ſpiritualis. *Sperandarum rerum*, ideſt ipſarum Beatitudinum æternarum, quæ nobis promittuntur in Evangeliis, & Prophetiis. *Argumentum* vero *non apparentium* dicitur, quia per ſancta Evangelia, & varias ſcripturas,& prophetias jam completas, debemus habere argumentum, ideſt probationem, non apparentium, ſcilicet tam de præteritis, ut Chriſtum fuiſſe paſſum, & ſimilibus, & de præſentibus,ut Corpus Chriſti vere confici quotidie in Altari, quam de futuris complendis, ut Chriſtum venturum ad Judicium, & unicuique ſecundum opera ſua retribuet. Dicitur autem fides a fido fidis, vel a fidentia, ideſt confidentia, quia per eam, ut per quoddam lumen Animæ, ad Deum tendere, vere confidimus, & hanc fidem habent mali ſine Charitate, & de hac dixit Jacobus in ſua epiſt. cap. 2. *Fides ſine operibus mortua eſt*: boni vero cum Charitate, de qua dicitur in Marco 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit,ſalvus erit*.

Cur fides dicatur ſubſtantia.

Cur ſperandarum rerum ſubſtantia?

Cur argumentum non apparentium?

Fidei Etymologia.

Conſiſtit autem Fides Catholica in quatuordecim articulis fundatis, de ſumma Trinitate, & de Incarnatione Verbi Dei, quorum ſeptem pertinent ad Divinitatem, & ſeptem ad humanitatem; illorum, qui pertinent ad Divinitatem, primus in ſe reſpicit eſſentiam Divinam, & alii tres immediate ſequentes Perſonas Eſſentiæ Divinæ, de quibus ſpecifice ſubiicitur.

CAP. II.

De Articulis Fidei.

PRimus eſt: *Credo in Deum*, & non dicit Deos, ut notet unitatem eſſentiæ. Secun-

Forſan * Repetendum.

Forſan * Deum.

Forſan * Repetendum.

Articuli fidei pertinentes ad divinitatem.

Forſan * Salvatoris.

Secundus eſt. *Credo Patrem Omnipotentem* * *repetentem* Deum. Tertius eſt: *Credo in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum*, repetendum * Quartus eſt: *Credo in Spiritum Sanctum* * *repetentem* Deum. Quintus eſt: *Credo Creatorem Cæli, & Terræ*: & indicat Creatoris effectum. Sextus eſt: *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remiſſionem peccatorum*: & indicat * *Creatoris* effectum. Septimus eſt: *Credo carnis Reſurrectionem, Vitam æternam. Amen*: & indicat effectum glorificationis corporis cum dicit: *Carnis Reſurrectionem*, & glorificationis Animæ, dum dicit: *Vitam Æternam*. Illorum vero Articulorum, qui pertinent ad Humanitatem, eſt primus: *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto*. Secundus: *Natus ex Maria Virgine*. Tertius: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus*. Quartus: *Deſcendit ad inferos*. Quintus: *Tertia die reſurrexit a mortuis*. Sextus: *Aſcendit ad Cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis*. Septimus eſt: *Inde venturus eſt Judicare vivos, & mortuos*.

Articuli pertinentes ad humanitatem.

Varietas opinionum in aſſignando numero articulorum fidei

Alii autem diſtinguunt alio modo Articulos fidei ſecundum numerum Apoſtolorum, quorum quilibet dicitur appoſuiſſe in ſymbolo ſuum Articulum, & ſic debent eſſe duodecim Articuli: alii dicunt, quod, ſicut ſunt ſeptem dona Spiritus Sancti, ita ſunt ſeptem Articuli fidei, ſcilicet Incarnatio, ſeu Nativitas Chriſti, Baptiſmus, & Paſſio ejus, ſive Mors, Deſcenſus ad inferos, Reſurrectio, Aſcenſio in Cælum, Adventus ad Judicium. Sed quia primus modus melior, & communior, ac brevior judicatur, ideo ad illum attendendum. Quæ autem, & quot ſint Spiritus Sancti dona ſubiicimus.

CAP. III.

De Septem Donis Spiritus Sancti, & de Credentium præmiis, ac pœnis non credentium.

Quibus hæc dona Perſonis Divinis convenire dicantur?

Vita æterna credentium præmium.

Septem autem ſunt Dona Spiritus Sancti, ſcilicet Donum Sapientiæ, Scientiæ, Intellectus, Conſilii, Fortitudinis, Pietatis, Timoris Domini. Primum, & Quartum conveniunt Patri; Secundum, & Quintum Filio; Tertium, & Sextum Spiritui Sancto; & Septimum, Filio. Præmium credentium Fidem Catholicam eſt vita Æterna; Pœna vero non credentium Gehenna perpetua. Non ſolum autem Virgines, aut Continentes, verum etiam Conjugati per fidem rectam, & operationem bonam, placentes Deo ad æternam beatitudinem pervenire merentur. Et ideo damnamus, & perpetuo reprobamus omnem hæreſim, & hæreticam pravitatem, extollentem ſe adverſus ſanctam, orthodoxam, & catholicam Fidem.

Hæreticorum excommunicatio, nec non credentium eiſdem erroribus, defenſorum, & fautorum eorumdem.

Hæreticorum bona confiſcata remanent.

Per conſtitutiones quoque Provinciales Prædeceſſorum noſtrorum, & a Nobis roboratas excommunicati ſunt, & publice excommunicatos nunciari mandamus omnes hæreticos Patarenos, Gazarenos, Pauperes de Lugduno, Paſſaginos, Geſeppinos, Manichæos, Arnaldiſtas, Hyſpenoniſtas, & alios omnes, quibuſcumque nominibus nuncupentur, & credentes eiſdem in dicta perverſa fide, & receptatores, defenſores, & fautores eorumdem. Ipſorumque bona Nobis, & Curiæ noſtræ, & Suffraganeorum noſtrorum, prout ad noſtram, & eorum ſpectat Eccleſias per dictas conſtitutiones, cum ſint a Deo, & a Nobis excommunicati, & perpetuo maledicti, remanent confiſcata.

CAP. IV.

Quænam potiſſimum ſcire teneantur Epiſcopi, & Prælati; Quæ Clerici; Quæ Sacerdotes, & Curati; Quæ Laici?

Quænam Prælatis, & Epiſcopis ſcientia ineſſe debeat.

Forſan * præficiendis.

Forſan * Cum ſit.

Licet autem Epiſcopi, & Prælati dictos Articulos ſcire teneantur, & omni poſcenti reddere rationem, cum deliberatione tamen, & conſilio, ſi neceſſe fuerit; nam Epiſcopi debent habere ſcientiam veteris, & novi teſtamenti, cum ſint Judices Animarum; Debent etiam habere in ſcrinio Pectoris omnia Jura Canonica, & ſtatuta ſpecialiter de * *perficiendis* Perſonis ipſis Eccleſiis loquentia. Nam ignominioſum eſt eis, ab aliis doceri, licet verecundari non debeant doceri, ſi expedit, & uti conſiliis; tales enim eſſe debent, ut eorum reſpectu ceteri grex reputentur, & hæc ſumme notanda, & menti tenenda. Sumus enim multi in hac damnatione vocati, ut etiam de minimo dubitabili reſpondere neſciamus. * *Cur* melius, & ſalubrius non appetere, aut non recipere, ſecundum dictum Apoſtoli Hebreor. 5. *ne quis ſumat honorem, &c.*

Quæ Clerici, & præcipue Sacerdotes Curati ſcire tenentur.

Et licet Clerici, & præcipue Sacerdotes Curati dictos Articulos ſcire teneantur explicite, & multos reperimus ignorantes, præcipimus, ſub pœna ſuſpenſionis officii, & beneficii, ut dicti Curati addiſcere, & ſcire teneantur dictos Articulos explicite, ideſt intentionem cujuſlibet Articuli, & Populo explicare: nam & Canones Pœnitentiales ſcire habent, ſicut Archidiaconi Jura Canonica, & alii, qui Jura reddere habent, licet diſpenſative multa in multis hodiernis temporibus ſuſtineantur, quæ utinam Altiſſimus grata habere dignetur.

Quæ Laici ſcire debent.

Laicis tamen ſufficit, Articulos ſcire implicite, ideſt ſimpliciter, ut ſcilicet ſciant eos rude, & ſimpliciter, prout jacent, vel implicite, ideſt generaliter credant vera eſſe, quæcumque credit Eccleſia. Salvo, quod ex naturali inſtinctu credant in ſpeciali, unum eſſe Deum retribu-

tribu-

tributorem omnium bonorum, & punitorem omnium malorum.

Laicis inhibendum eſt ſcrutari abſcondita Fidei, & altiora myſteria.

Frequenter debent inhibere Laicis Sacerdotes, ne circa Trinitatem, vel Articulos Fidei, ſeu Sacramenta Eccleſiæ rationem quærant, quomodo, vel quare ita ſit: quia tanta eſt ſubtilitas Fidei, quod ea, quæ ſubſunt ei, non poſſunt intellectu comprehendi, & ideo ſumitur Fides pro credulitate, ſecundum quam credimus, quod non videmus. Unde Gregorius: *Non habet fides meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Sed dicatur eis, quod credant ſine dubitatione firmiter omnia quæcumque Catholica Fides aſſerit, & Sancta Romana tenet Eccleſia, quamvis in ſpeciali non habeant de omnibus intellectum, majorem fidem teſtibus fidei adhibendo, quam carnis oculis, & aliis ſenſibus humanis, qui ex ſua fragilitate de ſubtilitate fidei nos per Sanctorum miracula plene certificare non poſſunt.

Quæ faciunt evidentiam credibilitatis in fide, hæc Laicis inculcanda.

Teſtes enim ſunt Apoſtoli, Martyres, & Confeſſores, Virgines, & Electi, quorum plurimi pro teſtimonio fidei diverſis cruciatibus afflicti, probati inventi ſunt, quia & in vita, & poſt mortem, etiam propter ipſorum merita Divina potentia mortuos ſuſcitavit, cæcos illuminavit, contractos erexit, & ſanavit infirmos, & innumerabilia fecit miracula, quę in Chriſtianorum oculis apparuerunt frequenter.

Sacerdotes, quæ docere populum debeant, præcipue cum infirmis communicant?

Doceant igitur Sacerdotes Populum in dictis Articulis fidei, & maxime quando infirmos communicant, ut credant firmiter, quod unus eſt ſolus verus Deus, incommutabilis opinionis, Creator omnium, ſine principio, & ſine fine, & ſunt in eo tres Perſonæ, ſcilicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & iſtæ tres Perſonæ ſunt unus Deus.

Myſterium Incarnationis, & quę Incarnationē ſequuta ſunt, & ſequantur in fine mundi, doceant.

Item circa fidem Incarnationis Verbi Dei, ut credant Dei Filium pro redemptione humani generis carnem aſſumpſiſſe in Beata Virgine, de carne ejuſdem Virginis, non Viri, ſed Spiritus Sancti operatione, & qui prius tantum erat Deus, in ea formatus eſt verus Homo. Item natum fuiſſe de eadem Virgine, in conceptu, & in partu virginitate durante. Item eumdem Chriſtum conſputum, alapis cæſum, flagellatum, & multipliciter irriſum, in Cruce mortem viliſſimam ſuſtinuiſſe. Item eumdem Chriſtum in Anima, & Divinitate ad Inferos* *aſcendiſſe*, & ab inde Sanctorum captivas animas eduxiſſe.

Forſ. * *deſcendiſſe*.

Lege * *in Sepulcro*.

Item eumdem Chriſtum in * *ſepulcrum* corporaliter jacuiſſe. Item eumdem Chriſtum in eadem carne glorificata, tertia die a mortuis reſurrexiſſe, per quem, & nos omnes in carne, quam gerimus, reſurgemus, boni in carne impaſſibili glorificata, mali in carne paſſibili, & damnata. Item eumdem Chriſtum quadrageſimo die ad Cælos aſcendiſſe; & quinquageſimo die Spiritum Sanctum Apoſtolis, ſicut prædixerat, tranſmiſiſſe. Item doceant Populum, eumdem venturum eſſe ad Judicium, & unicuique ſecundum ſua opera redditurum, Bonis Vitam Æternam, malis autem Ignem Æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. Item præcipimus, ut per Sacerdotes frequenter Laici moneantur, ut ſciant *Pater noſter*: & *Ave Maria*: & *Credo in Deum*: & ſe ſigno Crucis ſignare; & iſta docere ſuos liberos Laici non omittant.

Suſpenduntur ab officiis, & beneficiis Presbyteri neſcientes populū inſtruere.

Item in Præceptis Legis eſt inſtruendus, & quia multos defectus reperimus, præcipimus, ut Clerici, & Presbyteri ipſa Præcepta Legis ſciant corde, & mente teneant ad pœnam ſuſpenſionis officii, & beneficii; ut ſicut incumbit eorum officio, inſtruendo Populum non reperiantur defectuoſi; Utile judicantes, ſi ſuper hæc ad Sacerdotium promovendi interrogentur, & examinentur, & nec ante promoveantur, niſi ſciant; cum in Magiſtrum aſſumi non debeat, qui formam Diſcipuli non aſſumpſit.

TITULUS II.

De Decem Præceptis Legis.

RUBRICA.

Præcepta Legis ſumme ſunt cuſtodienda, & diligenter per Sacerdotes ſubditis exponenda triplici ratione.

Tribus rationibus probatur, quod præcepta ſint Populo exponenda.

Primo, ut lumen ſpirituale recipiant, juxta illud Pſalmiſtæ pſal. 18. *Præceptum Domini illuminans oculos*; ſcilicet ad videndum, quid ſit faciendum, & a quo abſtinendum.

Secundo, ut mortem æternam caveant, juxta illud in Joanne 8. *Amen, amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum.*

Tertio, ut vitam æternam habeant juxta illud Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Sunt autem aliqui Clerici, & Sacerdotes (quod valde reprehenſibile eſt, & correctione dignum) mandata hujuſmodi ignorantes, quod in ſuarum, & ſubditorum ſuorum periculum vertitur Animarum.

CAP. I.

De decem Præceptis, quæ habentur in Exodo.

Sciant igitur Sacerdotes, decem eſſe mandata Legis, ſicut habetur in Exodo 20. cap.

Primum præceptum eſt. Non habebis Deos alienos. Secundum. Non aſſumes nomen Dei in vanum. Tertium eſt. Memento, ut diem Sabbati ſanctifices. Quartum eſt. Honora Patrem tuum, & Matrem

Matrem tuam, ut longævus ſis ſuper terram. Quintum. Non Occides. Sextum eſt. Non mœchaberis. Septimum eſt. Non furtum facies. Octavum eſt. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Nonum eſt. Non concupiſces domum proximi tui. Decimum eſt. Non deſiderabis Uxorem ejus, non Servum, non Ancillam, non Bovem, non Aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt. Quæ omnia his verſibus continentur.

Sperne Deos, fugito perjuria, Sabbata ſerva,
Sit tibi Patris honor, ſit tibi Matris amor.
Non ſis occiſor, Mœchus, Fur, Teſtis iniquus,
Vicinique Thorum, reſque caveto ſuas.

CAP. II.

Quid, & quæ prohibentur per Legis Præcepta?

PRimo præcepto prohibentur iſta: omnis Idololatria, omne Sortilegium, Sacrilegium, omne Augurium, & Divinatio, & Hæreſis, & generaliter omnis amor Creaturæ pluſquam Creatoris. In hoc etiam mandato præcipitur unus Deus colendus, ſecundum illud Deuteronomii 6. *Audi Iſrael: Dominus Deus tuus unus eſt.*

Quid ſpecialtim prohibitum ſit in hac materia per conſtitutiones hujus Eccleſiæ?

Per conſtitutiones quoque Provinciales hujus Eccleſiæ prohibitum eſt; Ne quis maſculus, vel femina Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ præſumat aliquam ſpeciem Divinationis, Augurii, vel Aruſpicii, Sortilegii, Incantationis, ſeu Invocationis Dæmonum, faſcinaturæ, vel facturæ exercere, vel facere exerceri, nec ſcienter cum exercentibus intereſſe, aut alias præſtare conſilium, auxilium, vel favorem, ſeu participare cum eis.

Alioqui, præter pœnas juris, excommunicatus eſt ipſo facto. Et nihilominus præcipitur omnibus Archipresbyteris, & curam animarum habentibus ſub pœna excommunicationis, quam, ſi contrarium ſcienter fecerint, ipſo facto incurrunt, ut tales delinquentes ſingulis diebus Dominicis denuncient publice in eorum Eccleſiis excommunicatos, pulſatis campanis, & candelis extinctis.

Sortilegi in qualibet Eccleſia diebus Dominicis, uti excõmunicati denuncientur.

CAP. III.

Quid prohibeatur ſecundo Legis præcepto?

SEcundo mandato prohibetur illicitum Juramentum falſum, doloſum, blaſphemia, hoc eſt: Deum non aſſumes, &c. ideſt non iurabis pro nihilo, nec falſum, nec injuſtum, nec mendacium, nec in contumeliam Dei. De ſtatuto autem Provincialis hujus Eccleſiæ prohibitum eſt ſub excommunicationis pœna, & unius Auguſtalis Curiæ noſtræ, & Suffraganeorum noſtrorum Curiæ applicandi, ne quis de Civitate, Diœceſi, aut Provincia noſtris Clericus, aut Laicus, maſculus, aut femina præſumat Deum, Beatam Virginem, aut ejus Sanctos blaſphemare. Nec in picturis, aut imaginibus eorum in Eccleſiis, aut alibi depictis intus, vel extra injuriam facere aliqualem.

Pœnæ in Blaſphemantes ex Provinciali ſtatuto hujus Eccleſiæ.

CAP. IV.

Quid prohibeatur tertio, & quid præcipiatur quarto præcepto?

COntra tertium faciunt diebus Dominicis, & præcipuis feſtivis ad Eccleſiam ſine cauſa rationabili, & ex contemptu non venientes, peccatis inſiſtentes, & dies feſtos quantum ad opera ſervilia, & carnalia non obſervantes.

Quarto mandato principaliter præcipitur honor parentum carnalium, qui conſiſtit in ſalutatione illorum, in obſequio operum, in exhibitione neceſſariorum, in timore offenſæ, præceptis eorum obtemperando, & in ſigno, ſcilicet eis aſſurgendo. In hoc etiam præcepto præcipitur honor Prælati, & cujuſvis Domini Superioris. In omnibus ſupradictis præcipitur honor Dei, in ſubſequentibus utilitas proximi.

CAP. V.

Quid prohibeatur reliquis præceptis?

QUinto præcepto prohibetur deliberata voluntas, conſilium, auxilium, actus injuſte occidendi, & odium fraternum, & omnis illicita iracundia, & cum deliberatione percuſſio.

Sexto prohibetur omnis coitus, excepto fœdere matrimoniali, puta fornicatio, adulterium, inceſtus, ſtuprum, peccatum contra naturam: Dare licentiam, conſilium, auxilium, locare ſcienter domos luxuriantibus: Et omnis cum deliberatione, præter legem matrimonialem, humani ſeminis effuſio.

Septimo prohibetur furtum, uſura, rapina, decimarum retentiones, debitorum denegationes.

Octavo prohibetur adulatio, detractio, in judicio falſa teſtificatio, quæ fit amore, timore, rancore, vel munere, & omnis oris falſitas in nocumentum ſui ipſius, vel proximi.

Nono prohibetur omnis illicita concupiſcentia rei alienæ immobilis. Contra hoc præceptum faciunt, proximum injuſte impetentes, ad vendendum compellentes, mortem ejus deſiderantes.

Decimo prohibetur concupiſcentia cujuslibet mulieris non ſuæ, & rei mobilis. Contra hoc præceptum faciunt, qui cogitant de ea, qui libenter recipiunt eam, qui petulanter loquuntur cum ea, qui muneribus ſollicitant eam.

Iſte eſt unus modus ordinandi ſecundum

dum ſuperficiem litteræ Exodi, licet alii alio modo, & alia conſideratione duxerint ea ordinanda. In iſtis vero Præceptis debent populum inſtruere Sacerdotes. Item, & in ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, quæ ipſi etiam ſcire debent pro eorum inſtructione, & miniſterii eis traditi; de quibus ſubſequenter per ordinem eſt videndum.

Sacerdotes in omnibus præceptis populū inſtruere debent.

TITULUS III.

De Sacramentis in genere.

Rubrica.

Videndum eſt quid ſit Sacramentum, & unde dicatur, & quot ſunt Sacramenta, & quare fuerunt inſtituta, & quæ ſunt neceſſaria, & quæ voluntaria, & quæ poſſunt iterari, & quæ non, & a quo fuerunt inſtituta, & a quibus debent conferri, & quæ appellantur Sacramentalia.

CAP. I.

Quid ſit Sacramentum, & de Sacramentorum numero, neceſſitate, & utilitate.

Sacramentum eſt ſecundum Auguſtinum, *Inviſibilis gratiæ viſibilis forma.* Dicitur autem Sacramentum a ſacris, ſeu ſecretis virtutibus, quia ſub tegumento rerum corporalium Divina virtus ſalutem ſecretius operatur. Vel dicitur a ſacro ſacras, & mens mentis, quaſi * *ſacram* mentem.

Definitio Sacramenti, & explicatio illius.

Lege * *ſacrans*

Sacramenta vero ſunt ſeptem, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Sacer Ordo, & Matrimonium.

De dictis Sacramentis prima quinque ſunt neceſſaria, ideoque ſine ipſis, ſi contemnantur, nullus ſalvari poteſt, vel ideo dicuntur neceſſaria, quia ſine ipſis bellum Diaboli ſuperari non poteſt. Unde

Sacramenta, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem explicat D. Th. in ſup. ad 3. p. q. 6. art. 2.

Baptiſmus eſt clypeus ingredientium fidem Catholicam contra bellum Diaboli; & dicitur Janua omnium Sacramentorum.

Baptiſmus, & quatuor alia ſacramenta deſcribuntur.

Confirmatio eſt clypeus pugnantium in bello, unde per eam dicitur robur dari, & Sancti Spiritus gratia augmentari.

Euchariſtia eſt clypeus progredientium huc, & iſthuc in bello mundi, & Viaticum appellatur.

Pœnitentia eſt clypeus regredientium a bello, quia abeuntibus a bello, & poſt redeuntibus datur, & ideo ſecunda tabula poſt naufragium appellatur.

Extrema Unctio egredientium cum triumpho, & ideo datur egredientibus de hoc mundo. Duo vero ultima Sacramenta, ſcilicet Ordo, & Matrimonium dicuntur voluntaria, ideo, quia ſine ipſis eſt ſalus.

CAP. II.

Ad quem finem, & a quo inſtituta ſint Sacramenta, & quæ iterari poſſint, quæ ſecus?

Inſtituta vero fuerunt Sacramenta triplici ratione.

Primo propter humilitatem, ut dum homo rebus ſenſibilibus, & inferioribus ſe ſubjicit reverenter, ex hac obedientia apud Deum magis mereatur.

Item propter eruditionem, ut per illud, quod foris in ſpecie viſibili cernitur, erudiamur ad virtutem inviſibilem agnoſcendam.

Item propter exercitationem: Cum enim homo otioſus eſſe non debeat, proponitur * *eis* in Sacramentis utilis exercitatio, & ſalubris.

Forſan * *ei*.

Iterari autem non debent Baptiſmus, Confirmatio, Ordo; unde in collatione cujuſlibet horum trium imprimitur character animæ, qui etiam in morte non poteſt ſeparari ab ea.

Iterari non debet Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quia characterem imprimunt.

Unde ſi aliquis reſuſcitaretur, non eſſet rebaptizandus, aut reordinandus, vel reconfirmandus. Secus in aliis Sacramentis quatuor. Unde Lazarus poſt reſuſcitationem ſuam non poſſet repetere uxorem, vel e converſo: quod ſi vellet eam iterum habere uxorem, oporteret cum ea contrahere de novo; tamen bigamus non eſſet: quia non divideret carnem ſuam propter hoc in duas. Alia autem Sacramenta iterari poſſunt.

Etiam ſi quis reviviſceret, non eſſet rebaptizādus, neque reordinandus, neque reconfirmandus. Secus ſe res habet in aliis ſacramentis.

Salvo quod benedictio Matrimonialis, quæ Sacramentalis eſt, iterari non debet, ſed nec Oſtia ſemel conſecrata iterum debet conſecrari, quia * *ſic diceretur*, fieret injuria Sacramento. Et * *ideo* de oleo ſemel benedicto, & non poſſet ſcienter eſſe abſque peccato, & ſic pœna dignum.

Benedictio tamen Matrimonialis, quæ ſacramentalis eſt, iterari non debet. Nec Hoſtia ſemel conſecrata debet iterum conſecrari. Forſan * *ſi conſecraretur*. Forſan * *idem*.

Quinque vero de dictis Sacramentis ab ipſo Deo inſtituta fuerunt: ſcilicet Baptiſmus, Sacer Ordo, Euchariſtia, Pœnitentia, Matrimonium. Alia vero, ſcilicet Confirmatio, Extrema Unctio fuerunt Divino inſtinctu ab Apoſtolis introducta. Sacerdotes etiam ſimplices, cum licentia tamen, & poteſtate legitima conferre poſſunt, & debent omnia Eccleſiaſtica Sacramenta, exceptis Sacramentis Confirmationis, & Ordinum, quæ ſunt a ſolis Epiſcopis, & Superioribus conferenda. Sacramentalia autem appellantur benedictiones nubentium, ſepulturæ, abſolutiones defunctorum, & alia, quæ Sacramentis accedunt.

Juxta opinionem antiquorū loquitur hoc Cōcilium, quia alias contrarium definitur in Conc. Trid. ſeſſ. 9. can. de Sacram. & ſeſſ. 24. cap. 1. D. Th. qu. 5. de Sacram. art. 2.

Quæ ſint Sacramentalia?

CAP. III.

Ordinationes circa Sacramentorum materiam, & uſum, & præcipue de Simonia in eorum collatione vitanda.

Præcipimus igitur, ut omnia, & ſingula Sacramenta a Clericis, & Laicis, & præ-

& præcipue Sacerdotibus in magno honore, & devota reverentia habeantur; Sub pœna excommunicationis, & ſuſpenſionis Officii, & Beneficii, & in virtute ſanctæ obedientiæ injungentes, ut quocumque tempore, & quacumque hora diei, vel noctis, Sacerdos pro Baptiſmo, Pœnitentia, vel Euchariſtia, vel Extrema Unctione fuerit requiſitus, omni occaſione, & mora poſtpoſitis, ad conferendum ea exhibeat liberaliter ſe paratum.

Quæ ſacramenta ſollicite miniſtrare tenentur Parochi?

Nullus autem * *authoritate* legitima, ſeu abſque noſtra licentia in noſtra Diœceſi, ſeu Epiſcoporum ſuffraganeorum noſtrorum, & in eorum Diœceſibus miniſtret Eccleſiaſtica Sacramenta, præter Baptiſma parvulorum, & Pœnitentias morientium in caſu neceſſitatis, vel niſi de licentia Rectoris, ſeu Vicarii Eccleſiæ Parochialis habentis canonicam occupationem, ſeu voluntariam ad breve tempus, quæ poſſunt contingere, maxime in Quadrageſima, vel in Hebdomada majori, aut in die Sancto Paſchæ Domini.

Forſan * *ſine auctoritate*.

Miniſtri ſacramentorum neceſſitate excepta legitimam auctoritatem habere debent.

Caveant autem omnes Prælati, omnes conferentes, & Clerici illos recipientes, & omnes Miniſtri Eccleſiæ, ne Ordines, vel alia Sacramenta, vel Beneficia, ſeu Dignitates, vel quoſcumque actus Spirituales, ſeu officia Eccleſiaſtica conferant, recipiant, exerceant, adminiſtrent principaliter pro re aliqua temporali, tanquam pro cauſſa motiva primo, & principaliter; ſed ſolum ſit pro cauſſa adminiculativa, & annexa, ſecundario accedente, ut ſcilicet ſit ibi principaliter intentio ſpiritualis ad Deum, non rei temporalis intentio principalis ad præmium; ſed ad ſolum neceſſitatis ſtipendium. Aliter non evadunt vitium Simoniæ, quod peccatum in Eccleſia Dei graviſſimum reputatur, in tantum, quod recipiens per ſimoniam aliquo dato, vel promiſſo, Ordines, vel Dignitates, vel Beneficium cum cura animarum, tunc ab illorum executione ſuſpenſus eſt ipſo jure, & etiam deponendus, & tenetur renunciare beneficio, vel dignitati pariter habitis, & collatis, & reſtituere omnes fructus perceptos, & qui percipi potuiſſent: fructus quoque intelligimus, qui ſuperſunt, deductis expenſis, quæ fiunt, quærendorum, & congregandorum, ac obſervandorum fructuum gratia.

Quem ad finẽ adminiſtranda, ac recipienda ſunt ſacramenta, & beneficia?

In iis intentio ſit principaliter ſpiritualis ad Deum, non tẽporalis ad præmium.

Simoniæ peccatum graviſſimum, graviſſimis pœnis obnoxium.

Committitur etiam ſimonia non ſolum ſi quid ſpirituale pro pecunia, vel re alia temporali detur, immo etiam ſi propter preces indignas, vel timorem, vel amorem, vel famam popularem; Unde verſus:

Munus, lingua, timor, caro, cũ fama populari
Impediunt gratis ſpirituale dari.

Quibus modis ſimonia cõmittitur?

Simoniacus tamen ex animi voluntate, non præcedente pacto, per ſolam Confeſſionem, & Pœnitentiam liberatur, nec reſignare cogitur, quod taliter acquiſivit.

Simoniacus ex ſola animi voluntate per ſolamConfeſſionẽ, ac Pœnitentiam ... D. Th. 6.

Igitur diſtrictiſſime prohibemus, ut cum dicta Sacramenta, vel benedictiones, vel ſepulturæ, ſeu alia Sacramentalia fuerint exhibenda, ante ipſorum exhibitionem plenariam Prælati, & Sacerdotes, aut alii nihil exigant a ſubjectis, nec propter hoc fidejuſſores petant, vel juramenta, vel aliam cautionem, ſed cum ea gratis exhibuerint, jura parochialia, & alia conſueta debita licite petant, prout juſtum fuerit, & viderint expedire, ne cadant in hæreſim prædictæ ſimoniacæ pravitatis. Eſt enim ſimonia ſpecies hæreſis, ut dicit Canon; cetera peccata reſpectu ſimoniæ quaſi pro nihilo reputantur.

Simonia ſpecies hæreſis, ut dicit Canon, & D. Th. 2. 2. qu. 100. art. 1. ad 1.

Ad hæc autem pro inſtructione generali, & regula, ut ſimonia evitetur in diſpenſatione Sacramentorum, ſeu aliorum ſpiritualium cum aliquid dandum, vel recipiendum fuerit tria ſunt neceſſaria.

Ut evitetur ſimonia, tria neceſſario obſervanda.

Primum, ut fiat ex conceſſione Juris Divini, vel Humani, aut * *ſalutem* piæ conſuetudinis, devotione fidelium erga Matrem Dei Eccleſiam introductæ.

Forſan * *ſaltem*.

Secundum, ut ſit intentio pia, & non corrupta, ſcilicet, ut non exigatur, ut prædiximus, ante pii officii exhibitionem, ut pactum intervenire videatur, ſed expleto officio poterit exigi, & ad hoc compellentur Laici auctoritate Pontificali.

Secundum ex intentione pia, non corrupta.

Tertium...

Qui ergo aures audiendi habet, audiat, & circa hæc advertat, quoniam dubium nobis eſt, multos in iis defectuoſos, & corruptos, quos * *reperimus* ſeveriter puniemus, & per noſtros Suffraganeos puniri volumus, & jubemus.

Forſan * *reperiemus*.

Et attende quod cum habente Beneficium per ſimoniam, ante reſignationem diſpenſari non poteſt. Si vero ante exhibitionem Sacramentorum, vel ſacramentalium aliqua gratis exhibita fuerint Prælatis, vel Sacerdotibus, illa recipere non formident.

Cum habente beneficium per ſimoniam, ante reſignationem diſpenſari non poteſt.

Per Conſtitutiones quoque hujus Eccleſiæ Beneventanæ Provinciales excommunicati ſunt ipſo facto, & beneficiis privati, & ſic eſſe volumus, & declaramus omnes tam dantes, quam accipientes, & mediatores, & etiam promittentes, & jurantes pro aliquo beneficio obtinendo, aliquid ſpirituale, vel temporale alicui Domino, Prælato, Abbati, vel * *cujuſvis* Domino ſpirituali, & etiam Domino temporali, cujuſcumque præeminentiæ, ſtatus, gradus, aut conditionis exiſtat, etiamſi ſit Patronus alicujus Eccleſiæ, ſeu beneficii, ſeu quævis perſona ſæcularis, aut familiaris, ſeu Procurator, quocumque colore appoſito, vel quæſito, etiamſi ratione tranſactionis, ſeu permutationis cujuſcumque Eccleſiaſtici beneficii fiat.

Forſan * *cuivis*.

Et contrahitur ſimonia, quovis colore quæſito fiat datio, vel acceptio.

Item præcipimus, ut per omnes Eccleſias Euchariſtia, Chriſma, Oleum Sacrum

Injungitur fidelis cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & Olei Sancti.

crum, & Fontes ſub fidei cuſtodia, clavibus adhibitis, conſerventur, ne manus temeraria ad aliud poſſit extendi, & ne quis ſine expreſſis licentia, & permiſſu ejus, ad quem ſpectat cuſtodia, prædicta accipere valeat.

Incaute cuſtodienti injungitur pœna.

Si vero is, ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur, & ſi nefandum aliquod per ejus imperitiam inde contigerit, gravius punietur. Secundum conſtitutiones autem hujus Eccleſiæ Beneventanæ Provinciales, tam receptores, quam præſumentes, & permittentes, excommunicationis vinculo ſunt innodati. Per quas etiam præcipitur, & mandatur omnibus Clericis, ut Vaſa, in quibus Sanctum Chriſma, & Oleum Sanctum reponuntur, habeant, & ſint de ſtagno, vel de alio metallo, ita quod de facili frangi non poſſint, nec liquores prædicti effundi.

Ex qua materia eſſe debeant vaſa, in quibus Sanctum Chriſma, & Oleum Sanctum aſſervatur?

Singulis annis feria quinta hebdomadis ſanctę in Cœna Domini Chriſma novũ catechumenorum, & oleum novum Infirmorum Presbyteri Parochiales ſuſcipere debent.

Præcipientes, ut ſingulis annis in die Jovis Sancta Cœnæ Domini Presbyteri Parochiales per ſeipſos, aut Clericos, adultos tamen, Chriſma novum, & oleum novum Catechumenorum, quod exhibetur pueris baptizandis, & oleum novum Infirmorum, quod exhibetur Infirmis a Nobis in noſtra Diœceſi, ſeu Suffraganeis noſtris in eorum Diœceſibus, vel Archipresbyteris noſtris ſuſcipiant, ſicut eſt conſuetum.

Sed ante effundatur vetus Chriſma intra fontes Eccleſiæ Baptiſmales, & ibidem diligenter abluantur ampullæ, vel intra Eccleſiam vetus Chriſma, & oleum conſerventur, & cum novo oleo cathecumenorum per totum annum inungant pueros baptizandos, & cum novo Chriſmate baptizatos, & cum novo oleo Infirmorum inungant Infirmos. Ex conſtitutionibus quippe noſtræ Beneventanæ Eccleſiæ excommunicati ſunt ipſo facto omnes, qui recipiunt ſanctum Chriſma, Oleum Sanctum, Oleum Infirmorum ab alienis Epiſcopis, licentia non obtenta a ſuis Epiſcopis.

Excommunicationem ipſo facto contrahũt, ab alienis Epiſcopis, ſine facultate proprii Epiſcopi S. Chriſma, & Oleum Sanctum recipientes.

Quid agendum ſi Oleum, & Chriſma forte deficiant?

*Lege * admiſceant.*

Et ſi forte contigerit, quod Oleum, & Chriſma deficiant, ſtatim mittant ad Archipresbyteros pro Chriſmate, & Oleo, & ſi ab eis habere non poſſint, vel ſine periculo expectare, ſi aliquid reſidui fuerit * *admiſceat* illi reſiduo Chriſmatis, & illi reſiduo olei oleum olivarum non conſecratum, & eis unctiones faciant ſupradictas. Sacerdotes autem, qui veteri Chriſmate * *inungit* pueros in Baptiſmo, præterquam in mortis articulo, deponi debent.

*Lege * inungunt*

Deponendus eſt Sacerdos, qui pueros in Baptiſmo inungit veteri Chriſmate extra mortis articulum, & ſi puer loco olei fuerit, vel ex negligentia, vel ex errore inunctus Chriſmate, non eſt ulterius inungendus oleo;

Et ſi forte negligentia, vel errore loco olei cum Chriſmate puer inunctus fuerit, vel infirmus, non fiat ulterius inunctio olei, quia cum Chriſmate jam eſt facta, cum Chriſma ex oleo, & balſamo componatur. Quando vero inunctio eſt facienda cum Chriſmate, & fit cum oleo per errorem, vel illa, quæ eſt facienda cum oleo infirmorum, fiat cum oleo catechumenorum, vel e converſo, ſuppleatur adhuc Chriſmatis, vel olei inunctio, quæ incaute fuerat prætermiſſa. Caveant ergo Presbyteri a tali errore, alioquin graviter punientur. Et quia ſine Baptiſmo non eſt ſalus, juxta illud Joann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum*, ideo de Baptiſmo primitus eſt videndum.

Quando, & quomodo corrigi debet inunctio per errorem facta?

TITULUS IV.

De Baptiſmo.

Rubrica.

Quia Baptiſmus eſt janua omnium Sacramentorum, ideo primo videndum eſt, ſcilicet quid eſt, & a quo fuerit inſtitutus, quis poſſit baptizare, & quis baptizari; quæ ſunt neceſſaria ad Baptiſmum, quot ejus ſpecies; quis effectus?

CAP. I.

Quid ſit Baptiſmus, & a quo fuerit inſtitutus?

Baptiſmus eſt *regeneratio ſpiritualis in certis verbis, & aquæ ablutione conſiſtens*: ſed alii aliter definiunt; tamen effectualiter hæc complectuntur omnia, & magis clare.

Baptiſmus eſt regeneratio ſpiritualis.

Inſtitutum fuit a Domino hoc Sacramentum exemplo, cum Dominus a Joanne fuit baptizatus; Præcepto, cum dixit Nicodemo Joan. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, & cum dixit Diſcipulis ſuis Matthæi ult. *Euntes in mundum univerſum docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Inſtitutus fuit a Chriſto Domino tum exemplo tum præcepto.

CAP. II.

Quis poſſit baptizare, & quis baptizari?

Baptizare autem poteſt, & debet Epiſcopus, vel Sacerdos, vel Diaconus, ſi Sacerdos commode haberi non poteſt, & in neceſſitate quicumque, dummodo habeat intentionem baptizandi, & ſervet formam Eccleſiæ. Ideo etiam tenet hoc Sacramentum, ſi conferatur ab Excommunicato, Hæretico, vel Pagano in forma Eccleſiæ, licet conferri a talibus non deberet. Unde etiamſi non credit Sacramentum Baptiſmi, nec aliquid ibi fieri ſpirituale, dummodo in genere intendat facere, quod facit Eccleſia, baptizatum eſt.

In neceſſitate baptizare poteſt quicumque.

Tenet Baptiſmus, etiãſi baptizans non credat, dummodo in genere intendãt facere, quod facit Eccleſia.

Baptizari autem poteſt, & debet quicumque, etiamſi reſiſtat, Infans non habens diſcretionem. Invitus non *recipitur* ad baptiſmum.

Quicumque infans diſcretione carens baptizari poteſt, & debet, etiamſi reſiſtat.

Nullus

Judæi, Pagani, & Tartari inviti non baptizentur

Nullus igitur invitos Tartaros, vel Sclavos, ſeu alios Judæos, vel Paganos ad Baptiſmum venire compellat. Sed nec alias volentes baptizentur, niſi ſint primitus inſtructi in fide, ſciant *Pater noſter*, & *Ave Maria*, & orare, & aliquos fidei articulos: Et ſi volentes baptizentur, non propter hoc deinde eorum bona recipere debent. Ipſi autem, licet baptizati, ſervitia conſueta Dominis ſuis facere tenentur. Niſi illi Domini eſſent infideles, quia tunc penitus ab eorum ſervitute ſunt liberati.

CAP. III.

Quæ ſunt neceſſaria ad Baptiſmum?

TRia vero ſunt neceſſaria in Baptiſmo, ſcilicet intentio baptizantis, vel Eccleſiæ generalis: Item elementum, ſcilicet aqua naturalis, * *ut* nullus liquor alius, nec ſaliva.

Alias * &

Item verba, ſcilicet quod dicat baptizans baptizando: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, * *ſpergendo* aquam ſupra caput, ſeu majorem partem corporis ejus, vel immergendo, ut utitur hic.

Alias * *ſpargendo*.

Baptiſmi autem forma non vitiatur, ſi quid in ea ſuperflue apponatur, vel præmittatur: ſi vero aliquid interponatur, dicunt quidam non eſſe baptizatum, licet alii contra. Mora autem naturalis, & compendioſa, puta tuſſiendo, reſpirando, vel ſcreando non obeſt.

Mora naturalis, & compendioſa in prolatione formæ non obeſt.

Forma etiam pronunciari poteſt litteraliter, vulgariter, græce, latine, & armenice: idem enim ſunt effectus, licet voces diverſæ. Unde etiam fit Baptiſmus ſub nominibus Synonimis. Et ſi omitteretur Ego, quidam dicunt non vitiari, quia videtur ſubintelligi, maxime ſi ex ſimplicitate factum eſt.

Forma quovis idiomate pronunciari poteſt, & ſi omittitur, ego, non vitiatur, ut docet D. Th. in ſup. 3. p. q. 7. art. 5.

CAP. IV.

Quot ſint Baptiſmi ſpecies, & quinam ejus effectus?

SPecies Baptiſmi ſunt tres, ſcilicet fluminis, ideſt aquæ cum dictis verbis, de qua ſpecie communiter utimur. Et flaminis, ideſt Spiritus Sancti, ut cum quis deſiderat baptizari, non habens aliquem, qui baptizet eumdem, nam talis ad Chriſtum convolat. Et ſanguinis, ut fuit Innocentibus, & poteſt eſſe in quolibet credente in Chriſtum, & antequam baptizetur, moriente pro Chriſto.

Tres ſpecies Baptiſmi explicantur a D. Th. in ſup 3. p. q. 7. art. 11, o.

Effectus Baptiſmi eſt remiſſio omnium peccatorum, & ſalus æterna, & etiam remiſſio totius pœnæ, quæ peccatis debetur, quia, ut dicit Ambroſius: *Gratia Dei in baptiſmo non requirit gemitum, neq; planctum, ſed omnia gratis condonat.* Nec requiritur in eo aliqua pęnitentia vera de neceſſitate, ſed ſufficit attritio, quæ tollit indiſpoſitionem, & propoſitum peccandi, & quod malum ei diſplicet.

Per Baptiſmū omne peccatum tollitur: ut D. Th. 3. p q. 10. art. 1. o.

Ad hunc Baptiſmi effectum ſufficit attritio indiſpoſitionem tollens.

CAP. V.

Sanctiones in materia Baptiſmi.

PRæcipimus itaque, ut Infans quam cito natus fuerit, ſi periculum mortis ſibi immineat, ita quod Presbytero nequeat præſentari, a circumſtantibus maſculis, ſi præſentes fuerint, baptizetur in aqua calida, vel frigida, non in aliquo alio liquore, & in vaſe mundo ligneo, vel lapideo, vel aliquo alio ſufficienti, vel ſi vas haberi non poſſit, fundatur aqua ſuper caput baptizandi, & dicantur dicta verba, quibus debet * *aliquid* baptizari.

Si periculum mortis immineat, infans cito baptizetur a circumſtantibus.

Quæ obſervari debent in tali caſu?

Lege * *aliquis*

Advertant tamen Sacerdotes, quod aquam calidam apponant, quia Parvuli quandoque ita penetrantur frigore Aquæ, quod contrahunt mortales infirmitates, & moriuntur. Si autem maſculi præſentes non fuerint, a circumſtantibus feminis baptizetur, etiam a Patre, vel Matre, ſi alii non fuerint, a quibus valeat baptizari; ſed quamdiu alii fuerint, a Patre, vel Matre nullatenus baptizetur. Et ſi ex neceſſitate a Patre proprio, vel a Matre Infans fuerit baptizatus, Matrimonio inter eos in ſua firmitate manente, nulla propter hoc injungatur pęnitentia baptizanti, qui ex hoc debet potius commendari. Si vero malitioſe Pater, vel Mater baptizaverit, vel in Catechiſmo, ſeu in Confirmatione tenuerit infantem proprium, vel Infantem Uxoris ſuæ ex alio viro procreatum, matrimonio, ut dictum eſt, in ſuo robore permanente, ad nos mittatur, vel Epiſcopum ſuum, de tanto exceſſu pœnitentiam ſuſcepturus. Si autem caſu, vel ignorantia id acciderit, non ſunt in aliquo puniendi. Ne forte propter imperitiam laicorum Infans abſque forma debita baptizetur.

Aqua calida apponenda eſt ad evitandas infirmitates, & mortes infantium

* Neceſſitatis cauſſa parentes poſſunt baptizare filios. D. Th. 3. p. q. 8. art 3.

Pater, vel Mater malitioſe baptizans filium ad Epiſcopum debet adire.

Diſtricte præcipimus, ut Presbyteri frequenter admoneant, & inſtruant plebem ſuam, ut cum ex neceſſitate, ut prædictum eſt, aliquem baptizari contigerit, hanc formam in traditione ipſius Baptiſmi cum diligentia ſtudeant obſervare, ſcilicet, ut Infantem ter mergendo in aquam, baptizans dicat ſic: *Petre, vel Martine, vel Ugo, ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Si tamen una tantum immerſio facta fuerit, erit nihilominus baptizatus. Circa autem immerſionem trinam, vel unam * *fiendam* attendi volumus Eccleſiarum conſuetudinem. Probabiliorem tamen reputamus illam, quæ ter immergit; quia ſignificat fidem Trinitatis, & triduum ſepulturæ Chriſti. Hæc tamen ſignificatio non eſt de ſubſtantia Sacramenti: graviter tamen peccat, qui contra conſuetudinem Eccleſiæ facit.

Inſtruatur Populus a Presbytero de forma baptiſmi.

Lege * *faciendam*.

Trina immerſio aliquando fuit in uſu, aliquando non in Eccleſia; nunc autem peccat, qui contrarium facit, licet baptiſmus teneat ita D. Th. 3. p. q. 7 art. 8 in o. Si omittatur impoſitio nominis, validus eſt baptiſmus, ut D. Th. 3. p. q. 7. art. 5. ad p.

Et licet proprium nomen Infanti non fuerit impoſitum, licet etiam Paternum, vel Maternum non habuerit, nec dictum fuerit: ego; dum tamen infantem immergendo in aqua dictum fuerit: Baptizo te in nomine *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus Sancti*. *Amen*; Infans erit nihilominus baptizatus.

Apud Apoſtolos fuit in uſu, hæc forma, nunc prohibita ab Eccleſia, ut docet D. Th. in 3. p. q. 7. art. 6. in o.

Idem dicimus (ſcilicet Infantem baptizatum eſſe) ſi baptizans dixerit: Baptizo te in *nomine Chriſti*; quod tamen non eſt laicis exprimendum, ne a forma prædicta, ſtatuta per Eccleſiam recedatur; ſuper quo caveant Sacerdotes. Si autem tanta copia de aqua haberi non poteſt, ut Infans in ea totaliter immergi poſſit, vel forte ſimiliter mergi timeatur, ob fragilitatem pueri, quod ex totali immerſione mortem poſſet incurrere, vel propter imbecillitatem Sacerdotis, non potentis ſuſtentare Infantem, vel propter conſuetudinem Eccleſiæ, quæ hoc patitur, cum ſcutella, vel * *Tyſo*, vel alio vaſe aliqua quantitas aquæ ſuper caput Infantis effundatur a baptizante, & effundendo dicat baptizans: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*; & erit Infans baptizatus.

Si deſit aqua ad immerſionē neceſſaria, vel immineat ex immerſione periculum, effundatur aqua ſuper caput Infantis.

Forſan * *Scypho.*

Forſan * *ſed*

Hæc autem ſupradicta, ſcilicet, quod Infans a laicis baptizetur, præcipimus in neceſſitatis Articulo obſervanda; * *ſi* neceſſitate ceſſante, omnibus Laicis baptizandi, & etiam Clericis, niſi fuerint in Presbyteros canonice ordinati, & Catechiſmum faciendi interdicimus poteſtatem. Suſtinentes, quod Diaconus, & Subdiaconus prædicta poſſint facere, ubi Sacerdos præſens non eſt, vel ea non poteſt facere, & neceſſitatis articulus noſcitur imminere.

Neceſſitate remota interdicitur Laicis, & etiam Clericis, non Presbyteris baptizandi poteſtas, ut D. Th. in ſup. 3. p. q. 8. art. 4. o.

De baptizatis a Laico Presbyter inquirat, qualiter ſint baptizati.

Cum vero ſecundum formam prædictam in neceſſitate Infans a Laico fuerit baptizatus, præcipimus, ſi ſupervixerit, ut Presbytero, quam citius poterit, præſentetur, qui inquirat ſollicite qualiter fuerit baptizatus. Et ſi dubitetur, an puer ſit baptizatus, quia forte baptizans non recordatur ad plenum de verbis in baptiſmo prolatis, vel circumſtantes diſcordant, vel forte Infans expoſitus inventus juxta Eccleſiam, vel alibi, vel ad Hoſpitale, nec habetur certitudo, vel aliquod ſignum, utrum ſit baptizatus, vel non, in his caſibus faciat Sacerdos Catechiſmum, & baptizet ipſum ſub his verbis: *Si baptizatus es, non te baptizo; ſed ſi baptizatus non es, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*; & in tali dubio ſtatur teſtimonio unius.

Si dubitetur ex probabili cauſſa, an puer ſit baptizatus, baptizetur ſub conditione.

In tali dubio ſtandum teſtimonio unius.

In dubio, an Infans mortuus ſit baptizatus necne, ſepeliendus eſt in Cœmeterio Eccleſiæ.

Si vero Infans a Laico baptizatus mortuus fuerit, antequam Presbytero præſentetur, & Presbyter dubitaverit, an fuerit in baptiſmo debita forma obſervata, ſi de hoc certificari non poterit, in tali dubio infans in Cœmeterio Eccleſiæ debet ſepeliri. Et idem credimus poſſe fieri, quando expoſiti juxta Eccleſiam, vel alibi mortui reperiuntur, nec de baptiſmo eorum poteſt haberi aliqua certitudo. Idem etiam ſi Puer moreretur, antequam baptizans formæ verba perficeret; ſed ſi ſuperviveret, ratione dubii, ſub conditione, ut prædiximus, rebaptizandus eſſet. Si autem in baptiſmo, dum Infantes a Laico baptizati mortui ſunt, antequam Presbytero præſententur, inventum fuerit, formam debitam non fuiſſe ſervatam: ſed Infantem expoſitum, & mortuum inventum conſtiterit per ſcripturam, vel alia ſigna, baptizatum non eſſe, non debet in Cœmeterio Eccleſiæ ſepeliri.

Quæ præſtare debet Sacerdos circa Puerum citra dubium a Laico legitime baptizatum?

Ad hæc ſi Sacerdos invenerit Infantem a Laicis juxta formam Eccleſiæ baptizatum, ita quod non ſit de hoc aliquatenus dubitandum, non rebaptizet eum, nec faciat Catechiſmum, ſed inungat eum in pectore, & inter ſcapulas oleo benedicto ſine illa interrogatione: *Abrenuntias, &c.* ſed dicendo: Ego te * *Lineo*: Tutius enim eſt, licet non ſit neceſſarium, quod fiat prædicta inunctio, in hoc caſu inungat etiam Chriſmate ſacro in Vertice, dicendo orationes, quæ dicuntur poſt baptiſmum, & faciendo alia, quæ poſt baptiſmum conſueverunt fieri, ſicut in libris baptiſmalibus continetur. Si vero Infanti, pro baptiſmo ad Presbyterum apportato, non poteſt propter mortis periculum ſecuturæ fieri Catechiſmus, baptizet Presbyter incontinenti, dimiſſo Catechiſmo, & inungat eum oleo benedicto, & Chriſmate ſacro, & alia faciat, quæ fiunt poſt baptiſmum, ſicut ſuperius continetur. Cum vero puer eſt ſine periculo, Capellanus cum ſolemnitate debita baptizet eumdem, & ante baptiſmum fiat inunctio, cum oleo Catechiſmorum, & cum Chriſmate poſt baptiſmum.

Forſan * *Linio.*

Quæ præſtare debet Sacerdos, cum Infanti ad baptiſmum apportato inſtat mortis periculum.

De Fonte baptiſmali Lapideo

Caveant autem Sacerdotes, ut pro baptiſmo in Eccleſiis ſuis, & infra eas, habeant fontem lapideum ab Epiſcopo primitus benedictum, ſi haberi commode poſſit; alioquin habeant aliud vas conveniens, ſolummodo ad baptizandi officium deputatum, & tali modo collocatum, quod extra Eccleſiam portari non poſſit. Dictum autem fontem teneant bene mundum, & honeſto modo, alioquin durius punientur, ſi contrarium fecerint præmiſſorum. Lapidem autem fontis, vel aliud vas ante omnia ab Epiſcopo benedici præcipimus, antequam aliquis ibidem baptizetur.

Catechiſmus ſemper præcedere debet baptiſmum, niſi neceſſitas obſtet, ut D. Th. in ſup 3. p. q. 12. art. p. o

Ad hæc adjicimus, convenienter Catechiſmum ſemper, niſi in caſibus ſuprapoſitis, debere præcedere baptiſmum, quia cum baptiſmi ſalus per virtutem fidei fit, merito requiruntur a baptizando ea, quæ ſunt de neceſſitate fidei, quæ ſunt tria, ſcilicet fidei ſuſceptio, fidei confeſſio, & fidei obſer-

obſervatio, propter quæ tria Catechiſmus inventus eſt, in quo fit inſtructio de Articulis communibus diſtincta ad fidei ſuſceptionem, fit etiam reſponſio ad fidei profeſſionem, fit etiam reſponſio ad fidei obſervationem. Quia vero Adultus peccatum proprium habet, & per ſe credere poteſt, requiruntur hæc ab eo de neceſſitate, & per ſe ipſum reſpondere habet. Quia vero parvulus non peccatum actuale habet, nec per ſe credere poteſt, requiruntur hæc ab eo de congruitate, & per Vicarium, ſcilicet per Patrinum, non in perſona propria, ſed in perſona parvuli reſpondetur. Et eſt ſenſus cum dicit: *Credo, & præſto ſum* Sacramentum fidei accipere; Vel poteſt intelligi de obſervatione fidei in futuro, & ſic poteſt eſſe duplex ſenſus, *Credo*, ideſt quando ad perfectam ætatem veniam, fidei conſentiam; vel *Credo*, ideſt operam dabo ad hoc, quod credat, quia in hoc, & ipſe puer, & Patrinus obligantur.

In Cathechiſmo adultus per ſe reſpondere debet; Infans, per Vicarium, ſcilicet per Patrinum

Senſus illorum verborum, quæ Patrinus profert: *Credo, & præſto ſum*, explicatur ad mentem D. Th. 3. p. q. 22. art. p. ad 3.

Et circa præmiſſa dicimus advertendum, quod Sacramentalia, quæ fiunt ante baptiſmum, ſunt quatuor, quę ſignificant quatuor ſpiritualiter **fienda* in baptiſmo; nam & Sufflatio, & Inſufflatio ſignificant Spiritus maligni expulſionem, & boni introductionem. Salis immiſſio gratiam, & Sapientiam, & a futurorum peccatorum putredine conſervationem. Salivæ contactus circa aures, ſenſuum ſpiritualium aperitionem. Unctio olei in pectore, & inter ſcapulas, legis Dei amorem, & devotam ſubjectionem.

Sacramentalia quatuor, quæ fiunt ante baptiſmum, quid ſignificant? Lege **facienda*.

Alia vero tria fiunt poſt baptiſmum, ſcilicet Chriſmatio in vertice, quæ ſignificat Chriſti gratiam imminentem, & confirmantem. Cerei impoſitio, quæ ſignificat fidei, & morum claritatem. Veſtis candida, quæ ſignificat Innocentiæ reſtitutionem.

Sacramentalia tria, quæ fiunt poſt baptiſmum quid ſignificent?

Puer igitur, quam citius poterit, baptizetur, ad quod Sacerdotes Populum inducant, & hoc propter tria. Primo propter imbecillitatem naturæ, quia de facili mori poſſet, & damnaretur. Secundo propter infeſtationes dæmonum, qui non habent tantas infeſtationes in pueris baptizatis, neque quantum ad nocumenta ſpiritualia, neque quantum ad nocumenta corporalia. Tertio quia * *pueritiam* facilius homo inducitur, & aſſueſcit in his, quæ ſunt Chriſtianæ Religionis, & fortius inhæret. Adultis autem non ſtatim, cum convertuntur, eſt Sacramentum Baptiſmi conferendum; ſed differri oportet uſque ad aliquod certum tempus arbitrio Epiſcoporum ſtatuendum. Et idem dicimus in ſclavis maſculis, & feminis; puta ad menſes octo, ſaltem in illis propter cautelam Eccleſiæ, ne decipiatur, ficte accedentibus, conferant Sacramentum, & ut ante baptiſmum de Fide plene inſtruantur, & propter reverentiam Sacramenti. Si tamen plene inſtructi non eſſent, vel infirmitas, vel aliquod aliud periculum mortis immineret, ſtatim ſine dilatione eſſent baptizandi.

Puer quam citius baptizetur tribus de cauſſis, & has cauſſas Sacerdotes Populo inculcent.

Forſan * *in pueritia*.

Adultis non ſtatim conferendus Baptiſmus.

At ſi periculum mortis immineat, ſine dilatione baptizandi ſunt.

Si quis autem adultus, dum ſanus eſſet, diſtulerit baptizari, & poſtea timore mortis conſtitutus in ægritudine fecerit ſe baptizari, non poteſt promoveri, quia præſumitur non vere pœnitens, cum non voluntate, ſed neceſſitate videatur baptiſmum recepiſſe, & ita præſumitur, quod non ſint ei peccata dimiſſa; Et fuit ratio principaliter, ut per hanc pœnam homines compellantur non negligere ſuam ſalutem. In duobus tamen caſibus promoveri poſſet; Unus, ſi poſt baptiſmum fides ejus, & vita probabilis apparuerit; Alius, ſi raritas Clericorum hoc exegerit.

Adultus, qui ſanus diſtulit baptizari, & poſtea ex timore mortis fecit ſe baptizari, promoveri non poteſt.

In duobus tamẽ caſibus promoveri poſſet.

Et licet baptiſmus omne peccatum, & ſequelam peccati tollat, tamen hoc caſu non tollit iſtam irregularitatem ex contemptu, & dilatione contractam, quia eadem res non poteſt duos contrarios effectus operari. Euchariſtiam autem differendo non repellitur ab ordine, quia poteſt differri ſine culpa, & periculo, ſcilicet ex devotione, & reverentia: Baptiſmus vero, vel vix, vel nunquam ſine culpa, & periculo differtur.

Cur hanc irregularitatem ex contemptu, & dilatione contractam baptiſmus non tollat?

Cur eamdem irregularitatẽ Euchariſtiæ dilatio non inferat?

Sine magna neceſſitate nullus plures uno contextu præſumat baptizare; aut etiam a pluribus unus baptizetur, alias peccarent præſumentes.

Sine ingenti neceſſitate, neque unus plures uno contextu baptizet, neque plures unum: ut d. D. Th. in 3. par. q. 8. art. 6.

Præcipimus etiam diſtricte, ne in Patrinum Regularis aliquis admittatur, ut omnis * *familiaritas* ſuſpicio evitetur, inter quos intelligimus Religioſas, Abbatiſſas, ſeu Moniales, quas Monaſterio exire non licet, ſed peſſime audivimus obſervari. Nec aliquis alius, qui in ſententia eſt poſitus, vel ligatus excommunicatione, vel interdicto, vel qui non eſt confirmatus, niſi in neceſſitate. Tamen ſi aliquis de prædictis Patrinus fuerit, non nocet aliquid baptizato.

Regularis non admittatur in Patrinum, nec excõmunicatus, nec non confirmatus.

Forſan * *familiaritatis*.

Præcipimus autem in Catechiſmo, & Baptiſmo, & Confirmatione Epiſcopali unus tantum ſit Patrinus, hoc eſt unus in quolibet Sacramento, quia ex hoc inſurgit ſpiritualis cognatio, quæ impedit Matrimonium contrahendum, & quando pro Baptiſmo, vel Confirmatione provenit, dirimit jam contractum. Hoc etiam in noſtris conſtitutionibus Provincialibus, & Prædeceſſorum noſtrorum prohibitum eſt, propter multa enormia, & inconvenientia occulte, & publice hactenus propter tales compaternitates perpetrata, per quas arbitrarie in contrarium facientes ſunt puniendi. Per eaſdem quoque conſtitutiones, quia nonnulli tam Clerici, quam Laici exquiſitis, & conceptis in corde fraudibus Compaternitatem cum nonnullis contrahere fatagunt, &

Unus tantum ſit Patrinus, tum in Catechiſmo, tum in baptiſmo, tum in confirmatione, hoc eſt unus in quolibet Sacramento.

Sub excommunicationis pœna ſtatuitur, quod nullus ſive Clericus, ſive Laicus fraudolentas Compaternitates contrahat.

& cum relata occaſione inhoneſta,& illicita exercere, ut ficta eorum machinatione ad fornicarias, & concubinas ſuas, quas in occulto detinent, ſeu detinere proponunt, facilior, & excuſabilior ipſis materia ſit, & via frequentius accedendi, ut omnis fornicandi, & delinquendi materia auferatur, ſub excommunicationis pœna mandatur, ſtatuitur, & ordinatur, quod nullus Clericus, ſive Laicus noſtrarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ hujusmodi fraudulentas, ſeu fictas Compaternitates contrahat, ſeu contrahere præſumat.

Prohibetur Clericis compaternitatem contrahere ſine licentia, exceptis cõſanguineis.

Inhibeturque omnibus Presbyteris, & Clericis dd. Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, ne modo aliquo abſque noſtra,ſeu Vicarii noſtri, Suffraganeorum noſtrorum,ſeu Vicariorum ſuorum licentia ſpeciali Compaternitatem contrahant, ſeu contrahere præſumant,niſi cũ conſanguineis, & affinibus ipſorum uſque ad tertium gradum incluſive: & niſi cum exercere voluerint officium debitum baptizandi. Qui fuerit Patrinus in baptiſmo, & Confirmatione poterit eſſe Patrinus. Et pluries quis poteſt effici Compater diverſos baptizando, vel confirmando Infantes.

Pluries quis poteſt effici Compater, baptizando, vel confirmãdo plures Infantes.

Qui per ſe reſpondere plene non poſſunt, quia muti, vel ſurdi, vel ægri, reſpondere tenentur per Patrinum.

Pueri, & muti, & ſurdi, & ægri, qui plene in baptiſmo reſpondere non poſſunt, per Patrinum de fide reſpondere tenentur. Adulti vero per ſe debent reſpondere in baptiſmo de fide, in quo remiſſionem recipiunt omnium peccatorum antea commiſſorum, etiam ſine * Commiſſione, dum tamen fideliter convertantur. Æger quoque baptizari poterit ſubito etiam obmuteſcens, ſi modo voluntatis præteritæ teſtimonium habeat, aut præſentis in ſuo nutu. Mulier prægnans ſi baptizetur, non intelligitur partus baptizatus.

Forſan* *Confeſſione*.

Si baptizetur mulier prægnãs, non per hoc intelligitur baptizatus ejus partus. D.Thom.in ſup.3.p.q.9. art. 11. o.

Patrinus,qui confitetur fidem pro puero in baptiſmo, tenetur ipſum inſtruere in Fide, & Charitate, Juſtitia, & Caſtitate, quoniam pro illo apud Deum fidejuſſor exiſtit,ſicut & in Confirmatione eis præcipitur, ut ſymbolum, & orationem Dominicam, & *Ave Maria*, cum fuerit ætatis doceat * *eidem*. Credimus tamen ipſum quoad Deum ſatis excuſatum, ubi puer parentes habet in fide doctiſſimos,& conſtantes, & tales, qui docere ſciunt, atque volunt, tanquam pii Genitores.

Patrinus eſt pro puero fidejuſſor apud Deum, & ſic tenetur ipſũ inſtruere in fide, & doctrina Chriſtiana. Ita D. Th. in ſup. 3. p. q.8. art.8. o.

Alias * *eumdem*.

Eſt tamen apud Deum ſatis excuſatus, ſi puer Parentes habeat doctiſſimos, & pios. Ita D. Th. loco cit.

Pueris baptizandis nomen imponitur in baptiſmo, ſicut etiam in Circumciſione antiquitus imponebatur. Sed ſi baptizato oblivione non imponatur nomen, vel forte errore maſculo nomen feminæ, vel e converſo imponitur, tenet baptiſmus, nec propter hoc iteratur, & nomen in confirmatione frontis denuo imponetur. Vidimus tamen plures, quibus immediate reverſis de Baptiſmo ad domum pueris nomina mutabantur, quæ mutatio dicebatur proficere contra potiones, aut incantationes magicas.

Si ex oblivione non imponatur, vel ex errore nomen feminæ maſculo, & maſculi feminę imponatur, tenet baptiſmus.

Taxatur ſuperſtitio quædam circa mutationem nominum poſt baptiſmum.

Et notandum, quod Sacerdos baptizans,& Epiſcopus confirmans ſe illis obligant, quod de eis curam habeant; quia tamen non poſſent omnibus curam ſpiritualem impendere, iccirco Patrino committitur, qui ſe fidejuſſorem ponit, ut dictum eſt,qui ſi negligenter egerit,ſatis graviter peccat. Caveant igitur Patrini, & ſic nullus Patrinus efficiatur, niſi ſciat *Pater noſter*, & *Ave Maria*, & *Credo*, in quibus tenentur inſtruere filiolum, & cum debent cuſtodire, & docere, ut dictum eſt.

Nullus fiat Patrinus, niſi ſciat ea, in quibus inſtruere Puerum debeat.

Si propriam cappulam propter paupertatem, vel aliam quamcumque cauſam non habeat, nec habere valeat baptizandus, cum cappula, cum qua etiam alius fuerat baptizatus, quam Sacerdos pauperibus gratis exhibeat, baptizetur. Cappulæ vero ad humanos uſus minime transferantur, ſed in uſus mundos Eccleſiæ deputentur. Contrarium vero facientes gravius puniemus.

De baptizandorum cappulis.

Ejuſmodi cappulæ ad humanos uſus non transferantur.

Puer in materno utero exiſtens baptizari * *de debet*. Muliere in partu laborante, ſi Infans extra ventrem Matris caput emiſerit tantum, & in tanto periculo Infans poſitus commode haberi nequiverit, tunc infundat aliquis, vel aliqua de circumſtantibus aquam ſuper caput Infantis, dicens: *Creatura Dei Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*; & erit baptizatus. Si vero non caput, ſed aliud membrum emiſerit, & ſuper illud membrum aquam effundendo prædicto modo fuerit baptizatus, & poſtea vivus natus fuerit, non judicamus talem eſſe baptizatum,ſed hoc piæ interpretationi relinquimus Altiſſimi Creatoris, & hoc ſervari vidimus ab antiquo. Quidam autem tenent talem eſſe baptizatum.

Lege * *non debet*, vel *dedecet*.

Pueri in utero matris, non poſſunt baptizari: ſi tamen imminente morte egrederetur caput, poteſt baptizari, & non eſt reiterandum; ſecus ſi baptizetur alia pars. D. Th.3.p q.9. art. 11. ad 4.

Præcipimus tamen ad cautelam, ut baptizetur eo modo, quo dictum eſt de illis, de quibus eſt dubium, an fuerint baptizati. Si vero mortuus natus fuerit, corpus illud extra cœmeterium, cum hoc ſuæ ſaluti, ſi vitam habuerit, nocere non poſſit, præcipimus ſepeliri. Quia frequenter contingit mulierem in puerperio decedere, & partus in maternis visceribus adhuc creditur eſſe vivus, tunc ex quo pro certo mulierem in puerperio decedere conſtiterit, ſi partum credant vivere Obſtetrices, appoſito ſtatim, & ſubito poſt mortem baculo in ore mulieris, ut ſic Infans cito ſpiramen recipiat, aperiatur mulier mortua per aliquam partem ſine mora, ut partus, ſi vivus fuerit, baptizetur.

Quid faciendum ſi mulier in puerperio decedat, & partus credatur vivere?

Et ut quilibet ſe ad hoc exhibeat promptiorem, quicumque aperiendo taliter mulie-

Si quis procurabit aperiri matrem, id illi proficiet ad remiſſionem peccatorum.

mulierem, partum procurabit baptizari, in remiſſionem ſibi proficiat peccatorum. Et hoc per Eccleſias annis ſingulis publicetur. Sin autem partum cum Matre ſimul mori contigerit ſine aperitione, mulier in cœmeterio Eccleſiæ tumuletur. Caveant autem quicumque, quod aliter, niſi mortua muliere, non fiat inciſio, ſeu aperitio, quantumcumque ſit periculum perdendi Infantem, quia potius eſt Infantem perire, quam homicidium in Matre committere: non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona.

Mulier ſine inciſione in cœmeterio Eccleſię ſepelienda, ſi mori contigerit partum ſimul cum matre.

Inciſio non niſi mortua muliere fiat.

Et quia quandoque ordinat Divina Majeſtas, quod naſcitur, hoc eſt puer, cum duobus capitibus, vel alias, dicimus, quod ſi certum ſit duas eſſe Animas rationabiles, ut puta, cum ſunt duo capita, & duo colla, & duo pectora, quia perconſequens erunt duo corda; in tali caſu baptizandi ſunt uti duo: & quoniam præſumitur, quod plures poſſint ſimul baptizari, dicendo: *Ego baptizo vos, &c.* Tutius tamen eos baptizari ſigillatim. Si vero eſt dubium: Verbi gratia, ſi non ſint duo capita bene diſtincta, vel duæ cervices fundatæ in eadem nuce: tunc primo baptizandus eſt unus, & deinde illo baptizato poteſt alter dubie baptizari, dicendo: *Si non es baptizatus, Ego te baptizo, &c.*

Quid faciendum, cũ naſcitur monſtrum?

Præſumitur quod unus ſimul poſſit plures baptizare; ex D. Th. in ſup. 3. p. q. 8. art. 6. o.

Poſtremo adjicimus, quod ſicut in * *baptizante* ad eſſe baptiſmi requiritur materia, & forma, ita & intentio Miniſtri applicans formam ad materiam; & quamvis Miniſter Sacramenti debeat * *nulli* ad cuſtodiendum cor ſuum quantum poteſt, ut maxime in verbis Sacramentalis formæ habeat intentionem actualem, quia tamen cogitatio eſt valde labilis, etiamſi tunc non adſit actualis intentio, quando verba profert, dummodo prius intenderit, & contraria intentio non intervenerit, Sacramentum non impeditur, quia operatur tunc in vi principalis intentionis: Non enim oportet, quod in opere ſemper intentio conjungatur in actu, ſed ſufficit, quod opus ab intentione procedat.

Lege * *Baptiſmate*.

De intentione, quam debet habere baptizans. Lege * *niti*.

Intentio actualis non requiritur neceſſario in Miniſtro, ut D. Th. in ſup. 3. p. q. 5. art. 3. ad 3.

Sunt quidam ſe ad levandum puerum de baptiſmo exhibentes, ſimulantes puerum tangere, & reſpondentes cum aliis ad interrogationes Sacerdotis. *Abrenuntio, &c.* & ad alias, & puerum nominantes, non tamen eum tangentes, de quibus dicimus, quod non efficiuntur Patrini, niſi puerum tangant, vel teneant, cum baptizatur, vel de ſacro Fonte levent, licet ad omnia reſpondeant. Quidam autem ſunt mala intentione repleti, qui licet teneant, vel tangant puerum in baptiſmo, non tamen reſpondent cum aliis, per hoc intendentes facere, ut non ſint * *Melius* efficiantur Compatres, ut ſic poſſint cum minori peccato cognoſcere Matrem pueri, vel eam ducere poſt tempus in uxorem, de quibus ſine præjudicio credimus, quod nihilominus Compatres facti ſunt, ex quo puerum tangant, vel teneant, ex quo enim intendunt tangere, vel tenere, & ſic agere, quæ veri Patrini agunt, cum reſponſio Patrinorum quoad compaternitatem contrahendam non ſit de ſubſtantia rei, compaternitatem contrahunt eo modo; nec dolus, aut prava intentio eis patrocinando corrumpit, ſeu tollit vim Sacramenti, ſicut ſuperius dictum eſt de parentibus proprios filios ſic baptizantibus fraudulose.

Patrini non efficiuntur Patrini, niſi puerum tãgant, vel teneãt, cum baptizatur, vel de ſacro fonte levatur.

Forſan * *nec*

Qui non reſpondent, ſunt nihilominus Compatres, ſi puerum tangunt, vel tenent.

Sunt & alii, qui poſtquam tetigerint puerum in fontibus, demum extra fontes abluunt manus, tenentes ex dicta ablutione ſic facta compaternitatem abolitam, quod falſiſſimum judicamus, & ſchiſmaticum, & tales graviter puniendi, maxime ſi, ut ſe ponant cum Matre pueri, hoc fecerint, ſicut de quibuſdam intelleximus, mandantes Presbyteris, ut talia non committenda, tanquam erronea populo ad divina congregato prædicent, & exponant.

Puniendi graviter ſunt compatres, qui poſtquam puerum in Fõte tetigerint, abluunt manus autumantes Cõpaternitatẽ abluere.

Caveant Sacerdotes, ut pro baptiſmo faciendo pecuniam non exigant a baptizando, vel ab alio pro ipſo; aquam autem licet conſecrata ſit, licitum eſſet emere pro baptiſmo faciendo; melius eſt tamen abſtinere, alioquin contrarium facientes ſeveriter puniri mandamus.

Pro baptiſmo faciendo, nihil omnino pecunię a Sacerdotibus recipi debet.

TITULUS V.

De Sacramento Confirmationis.

Rubrica.

QUoniam baptizati Spiritus Sancti robore confirmandi ſunt, ne de facili corruant in peccatis, iccirco poſt baptiſmum immediate de Sacramento Confirmationis eſt videndum, ſcilicet quid ſit Confirmatio, a quo debet conferri, & cui, & quæ ſunt in eo neceſſaria; & quid eſt ejus effectus?

CAP. I.

Quid ſit Confirmatio, & a quo, & cui debet conferri?

COnfirmatio eſt *Epiſcopalis in fronte baptizati Chriſmatio ad robur, & Spiritus Sancti augmentum.* Et definitur ideo ſic, quia eſt Sacramentum pugnantium, & datur robur contra diabolum. Debet autem conferri a ſolis Epiſcopis, & Superioribus, & non ab inferioribus, quia Apoſtoli, quorum ſunt Epiſcopi ſucceſſores, hoc Sacramentum miniſtrabant. Qui Epiſcopi, licet jejuni hoc Sacramentum conferre debeant propter reverentiam Sacramenti; ſi tamen aliter fiat, non nocet propter carentiam Epiſcoporum, vel ex alia cauſa juſta. Melius eſt enim

Confirmationis definitio.

A ſolis Epiſcopis, & ſuperioribus conferri debet, & jejuni tenentur miniſtrare.

enim confirmari poſt prandium, cum poteſt haberi Epiſcopus, quam recedente Epiſcopo non poſſe confirmari. Papa vero poſſet, ut * *probabilis* tenetur, committere ſimplici Sacerdoti poteſtatem confirmandi, alius vero inferior ab ipſo non poſſet.

Forſan * *probabilius*. Probabiliter poteſt Papa conferre ſimplici Sacerdoti poteſtatem confirmandi. Ita D.Th. 3. p. q. 13. ar. 11. ad p.

Debet autem conferri hoc Sacramentum cuicumque baptizato fideli, tam parvulo, quod convenienter fit, quia * *manus* habet fictionis, quam ſeni, et Mulieri, cum viro communius eſt pugna Spiritualis. Item muto, quia licet * *verbo*, tamen ſigno poteſt conferri. Item morienti, quia licet ſubtrahatur pugnæ, tamen pergit ad præmium militantium, ideo convenienter accipit militiæ Chriſtianæ ſignum.

Conferri debet cuicumque baptizato, etiam muto, & morienti.

Forſan * *Minus*

Forſan * *non verbo*.

CAP. II.

Quæ ſint ad Confirmationem neceſſaria, & qui ſint ejus effectus?

Quinque ad hoc Sacramentum neceſſaria.

QUinque vero ſunt neceſſaria in hoc Sacramento, ſcilicet materia, ſicut Chriſma. Forma, ſcilicet *ſigno te ſigno Crucis, confirmo te Chriſmate, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*. Intentio, ſcilicet conferendi Sacramentum. Miniſter, ſcilicet ſolus Epiſcopus, vel Superior. Frons, ſcilicet confirmandi, ubi eſt ſedes verecundiæ, ad inſinuandum, quod datur ei gratia, ut ſine erubeſcentia nomen Chriſti libere proteſtetur, & cum audacia. Unde non ſolum in hoc Sacramento confertur gratia communiter, ſicut in quolibet alio Sacramento, emundans a peccato, vel a reliquiis peccati; ſed etiam ſpecialiter aliqua gratia, per quam quis deputatur ad officium Sanctitatis, & idoneus efficitur ad Chriſtum confitendum. Unde de grato faciunt magis gratum.

Hujus Sacramenti effectus, quinam ſunt?

Confirmatio fieri poteſt in domo, vel in campo, melius tamen, & honeſtius in Eccleſia, vel in atrio Eccleſiæ. Effectus Confirmationis eſt, quod eam recipiens ſit perfecte Chriſtianus, & in eo Spiritus Sanctus augetur, & robur ei datur contra diabolum, & peccata. Et licet omiſſio talis Sacramenti puero morienti non noceat ad ſalutem, prodeſt tamen viventibus, quia dat eis robur contra agones, & prælia hujus mundi: nocet etiam parentibus, quia ſi omittant ex contemptu, graviter peccant, & idem in quocumque ſic omittente.

Ubi fieri debet?

Ejus omiſſio non nocet: at ſi id fiat ex contemptu, graviter peccat.

CAP. III.

Sanctiones circa Sacramentum Confirmationis.

PRæcipimus itaque, ut Sacerdotes moneant, & doceant ſuos ſubditos, ut hoc Sacramentum recipiant, & tempore receptionis ſint jejuni, & ſi adulti ſunt, de ſuis peccatis contriti, et confeſſi, et quod bendellos, vulgariter lentias appellatos mundos, et latos, et ſatis longos ſupra Chriſmationes in fronte poſitos tribus diebus deferant propter fidem Trinitatis, quibus elapſis frons confirmati, & bendellus abluatur a Sacerdote ſupra fontes ob reverentiam Sacramenti: bendellus vero ad malos uſus nullatenus transferatur, ſed comburatur, vel in uſus mundos Eccleſiæ convertatur, et deputetur. Bendellus ille iterato poteſt ad eumdem uſum, ſi alter non reperiretur, deputari.

Quæ monere, quæ docere debent Sacerdotes hac in re ſuos ſubditos?

Sacerdotes quoque ſcientes, Nos, vel Epiſcopum ſuum circa ſe venturum forte ad dedicationem Eccleſiarum, * *Altariorum*, vel cœmeteriorum, vel ad viſitationem faciendam, moneant ſuos Subditos, ut ad nos, vel Epiſcopum veniant cum ſuis parvulis Confirmationem a Nobis, vel Epiſcopo recepturi, vel conſilium, ſeu Pœnitentiam de ſuis peccatis * per ſuum Sacerdotem habuiſſe non poterant, ſuſcepturi, & ſermonem audituri.

Præcipue, cum inſtat Metropolitani, vel Epiſcopi adventus.

Lege * *Altarium*.

deeſt Forſan * *ſi*.

In Confirmatione autem unus tantummodo ſit Patrinus, ſicut dictum eſt de Baptiſmo. Confirmatio vero iterari non debet, prout de Ordine, et Baptiſmo ſuperius eſt dictum, et ideo cautius in hac noſtra Civitate, Diœceſi, et Provincia ageretur, ſi parvuli quouſque ſaltem eſſent annorum quatuor non confirmarentur propter iterationis periculum mortuis eorum parentibus evitandum. Et hoc publicari per Sacerdotes in eorum Eccleſiis præcipimus, et mandamus. Si vero caſus neceſſitatis, mortis, vel alius immineat, tunc licite cujuſcumque ætatis parvuli fuerint, confirmentur. Si vero dubitaretur de aliquo an eſſet confirmatus, vel non, tunc poteſt confirmari ſub conditione. * *Et* ſi confirmatus es, non te confirmo, ſi confirmatus non es, ſigno te &c. prout etiam dictum eſt, ubi eſt dubium de Baptiſmo; quoad hæc enim eadem forma eſt tenenda. Quia vero in Sacramento Confirmationis datur Spiritus Sanctus ad robur, et propter hoc aliquis ad Confirmationem accedit; quia ſe habere robur ſtandi non præſumit, ideo fuit ſtatutum, ut ab altero præſentaretur, et teneretur ad ſignandum, quod per ſe ſtare non poſſet. Nec refert utrum vir mulierem, vel mulier virum teneat.

Ad vitandum iterationis periculum in hac Provincia Parvuli confirmati non debent, niſi ſint annorum quatuor.

Si de confirmatione dubitetur, poteſt quis ſub conditione confirmari.

Forſan * *Ut*

Confirmandus cur ab altero præſentetur?

Caveant autem qui non fuerint confirmati, aut excommunicati, ut nullum ad confirmandum præſentent, cum graviter peccent. Si vero fecerint, non eſt propter hoc irritum Sacramentum: ſed de tanto exceſſu * *priuſquam* ad aures venerit, corripi eoſdem volumus, et mandamus. Quia vero in Confirmatione contrahitur affinitas, et cognatio ſpiritualis, ſicut in Baptiſmo, ideo prohibemus, ut maritus uxo-

Non confirmati, aut excommunicati nullum ad confirmandum præſentent.

Alias * *poſtquam*

uxorem non teneat, nec e converſo, neque homo filium, vel filiam, aut ſororem, vel fratrem, quia ſufficit ad amicitiam conciliandam inter tales vinculum carnale.

TITULUS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Rubrica.

Forſan * *eſſe*.

SIcut humano generi vulnerato ex culpa primi Parentis Baptiſmus eſt medicina, et Confirmatio robur, ſic poſt Baptiſmum lapſis Pœnitentia reparatio eſt ſalutis, de qua videndum eſt, Quid ſit, unde dicatur, quæ ſunt neceſſaria in Pœnitentia, quis debet confiteri, et cui, qualis * debet Confeſſio, quæ ſunt confitenda, et quid eſt effectus Pœnitentiæ.

CAP. I.

Quid ſit, & unde dicatur Pœnitentia, & quæ ſint in ea neceſſaria?

Pœnitentia diffinitur ſecundũ Ambroſium per duplicem actum.

POEnitentia eſt ſecundum Ambroſium *mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*: Diffinitur autem per duplicem actum, unum, qui eſt reſpectu peccati præteriti, ſcilicet præterita mala plangere; alterum reſpectu futuri, ſcilicet plangenda iterum non committere. Primus eſt in re; ſecundus in propoſito, ideſt ut proponatur talia de cetero non committere. Accipitur autem hic fletus, ſive planctus communiter, ſcilicet ſive pro interiori, ſive pro exteriori fletu. Dicitur Pœnitentia, quaſi pœnam tenens, vel a puniendo, quia requirit, quod peccator in ſe puniat, ulciſcendo quod commiſit peccando.

Fletus, ſive planctus quo pacto hic accipitur?

Pœnitentiæ etymologia.

Tria principaliter eſſe in ea debent, & cur?

Tria principaliter debent eſſe in Pœnitentia. Cordis contritio, oris confeſſio, operis ſatisfactio: quia ſicut triplici modo Deum offendimus, ſcilicet cogitatione, delectatione, et opere; ſic per actus contrarios eum nobis placabilem facimus, ut cogitationi Confeſſio, delectationi Contritio, operi ſatisfactio opponatur; Hæc eſt enim Pœnitentia fructuoſa, quæ cogit peccatorem omnia libenter ſufferre, in corde ejus Contritio, in ore Confeſſio, in opere tota humilitas.

CAP. II.

Quis, & cui confiteri debeat, & qualis debeat eſſe Confeſſio?

Forſan * *debet*

Confiteri debet omnis doli capax.

COnfiteri autem * omnis utriuſque ſexus, ex quo eſt doli capax, quia nemo ſine crimine vivit, et ſine Confeſſione ſalvus non eſt, ſi contemnatur, aliter ſola Contritio ſufficit.

Confitendum Epiſcopo, vel proprio Parocho, vel Sacerdoti poteſtatẽ delegatam habenti.

Confitendum eſt autem Epiſcopo, vel proprio Sacerdoti Parochiali, vel ex cauſſa rationabili de ipſius licentia alteri Sacerdoti, vel illis, qui ſuper hoc oſtenderent, ſe a Sede Apoſtolica poteſtatem habere.

In neceſſitate, puta in mortis articulo Laicus poteſt miniſtrare hoc Sacramentum. D. Th. in ſup. 3. p. q. 39. art. 2. o.

Et in neceſſitate, puta mortis articulo, cuicumque etiam Laico, vel Mulieri, non tamen hæretico, ſchiſmatico, vel pagano, ſeu excommunicato, vel alii in notorio crimine perſiſtenti; quod tamen dixi de Laico, vel Muliere, intellige quoad fidem Sacramenti, non quod vere ſic moriens ſit a tali, qui claves non habet, abſolutus; ſed poſt mortem ratione fidei Sacramenti, quam habuit, abſolvi poterit a proprio Sacerdote.

Confeſſio facta defectu Sacerdotis Laico eſt quodãmodo Sacramentalis, non Sacramentum perfectum. Ita D. Th. 3. p. q. 39. art. 2. ad 3. p.

Parochus etiam extra ſuam Parochiam poteſt Parochianum ſuum in Pœnitentia audire.

Et intelligimus, quod quilibet Parochialis Sacerdos poteſt etiam ubicumque extra ſuam Parochiam ſuum Parochianum in Pœnitentia audire, cum Pœnitentia voluntariæ juriſdictionis exiſtat, propter quod de loco nihil expreſſit Concilium generale; ſed bene innuit, quod Sacerdos extraneus abſolvere non poteſt, niſi in * certis, quos infra ponemus.

Forſan * *caſibus*.

Confeſſionis cõditiones, & qualitates.

Et primo debet eſſe voluntaria; ſecundo frequẽs 3. integra.

Confeſſio vero debet eſſe voluntaria, ſicut fuit confeſſio Latronis dextri in Cruce: amara, juxta illud Pſalmiſtæ Pſal. 37. *Rugiebam a gemitu cordis mei*. Frequens, in quotiens quis peccaverit, totiens confiteatur. Integra, ut omnia peccata exprimat, quia Dominus aut totum ſanat, aut nihil.

Quarto diſcreta.

Diſcreta, ut non dicat ſe commiſiſſe quod non commiſit; ſed cauſa humilitatis poſſit dicere ſe magnum peccatorem; et quod ſe accuſet, non alios, et quod peritum habeat Confeſſorem de licentia proprii Sacerdotis, ſi ille peritus, aut ſufficiens non exiſtat. Et quod pura intentione confiteatur, non ad vanam gloriam; neque in tranſcurſu, ſed moroſe.

Quinto pura quoad intentionem.

Sexto feſtina.

Feſtina, juxta illud Eccl. *Ne tardes venire ad Dominum; ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te*.

Septimo nuda.

Nuda, quia non debet confiteri per Epiſtolam, vel Nuntium; ſed principaliter, & ore proprio; nec verbis, ſeu nominibus, crimina palliantibus; ſed quodlibet peccatum ſuo proprio nomine quantumcumque turpi; Quod intelligimus, ſi non poſſit vitare, aut Sacerdoti dare intelligi: nam credimus, quod ſufficeret per honeſta verba peccatum exprimere, ut dormivi cum illa, vel cognovi illam: Non enim debet homo inhoneſte loqui, ſi poteſt vitare; ſed ſufficiunt quæcumque verba, per quæ Confeſſor intelligit peccatum cum ſuis circumſtantiis aggravantibus, quas omnes confiteri debet. Juxta illud Proverb. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: Qui autem confeſſus fuerit, & ea reliquerit, miſericordiam conſequetur*.

Debet per honeſta verba peccatum exprimi, ſi ſic exprimi poterit.

Octavo Accuſatoria, circa excuſationes in peccatis.

Accuſatoria, ne quærat excuſationes in peccatis, ſicut primi Parentes: nam ſi ſe modo accuſabit, Deus excuſabit. Fidelis, ut tam ipſe confitens, quam Sacerdos

Nono Fidelis, nempe ut fiat in Fide Catholica, & ſub ſpe veniæ.

dos ſint in Fide Catholica, & fiat ſecundum doctrinam Eccleſiæ, non Hæreticorum, & fiat ſub ſpe veniæ, aliter non valeret.

CAP. III.

Quæ ſint confitenda? ubi de ſeptem peccatis mortalibus.

Quæ ſunt peccata lethalia?

Confitenda autem ſunt peccata mortalia, quæ ſunt ſeptem principalia, ſcilicet Superbia, Accidia, & Luxuria, Ira, Gula, Invidia, Avaritia, & quodlibet ipſorum habet ſuos comites.

Lege * tenere.

Quid ſit Superbia, & quinam ejus comites?

Superbia, quæ deſiderat * *terrere* injuſtitiam poteſtatis, habet comites, ſcilicet ſævitiam, inobedientiam, impatientiam, imprudentiam, ſæcularem pompam, inanem jactantiam, hypocriſim, & præſumptionem. Accidia vero, quæ eſt quoddam tædium boni habet comites, ſcilicet torporem, ignaviam. Luxuria, quæ eſt infirmitas frangendi vires naturæ, habet hos comites, ſcilicet ventris ingluviem, veſtis mollitiem, ſoporis reſolutionem, coitus delectationem; Et generat cæcitatem mentis, inconſiderationem, inconſtantiam, præcipitationem, amorem ſui, odium Dei, affectum præſentis ſæculi, deſperationem futuri.

Quid ſit Accidia, & quinam ejus comites?

Quid ſit Luxuria, & quinam ejus comites, & effectus?

Quid ſit Ira, & quinam ejus comites, & effectus?

Ira, quæ plerumque innocentes damnat, & cum ſtatim non remittitur, mortale peccatum eſt, habet hos comites, audaciam, mutationem faciei, imprudentiam, & injuſtitiam. Et hoc generat lites, contumelias, & blaſphemias, odium, timorem mentis, clamorem, indignationem. Gula, quæ eſt edacitas ultra condignum naturæ, generat ineptam lætitiam, ſcurrilitatem, immunditiam, multiloquium, hebetudinem ſenſuum. Invidia, quæ intus, & extra comburit hominem, habet hos comites, ſcilicet rapacitatem, tenacitatem, puſillanimitatem, contemptu fidei. Ex hac oritur proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, contra miſericordiam, cordis obduratio.

Quid ſit Gula, & quinam ejus partus?

Quid ſit Invidia, & quinam ejus comites, & qui partus?

Avaritia .....

Confeſſarius non de facili judicet peccatum expoſitum eſſe lethale.

Cave tamen, ne ſis promptus de facili judicare peccatum mortale, niſi per veram ſcripturam manifeſtum ſit eſſe mortale, quia forſan de facili aliqui deſperarent. Sed potes quærenti reſpondere, peccatum eſt, & fac pœnitentiam. Hoc tamen ſit tibi pro regula, quod cum aliquid committitur in contemptum Dei, ut in hæreſi, vel contemptum Eccleſiæ, ut in rebelli, & in obſtinata inobedientia, vel in detrimentum proximi, ut in rapina, ſeu alias male quæſitis, vel in opprobrium ſui, ut in fornicatione, mortale eſt, & de his, & de aliis mortalibus confiteri oportet, ſi in memoria habeant, alias ſufficit Confeſſio generalis, ni reducere-

Quænam regula hæc in re ſervanda ſit?

tur poſtea ad memoriam, quia tunc eſſent * *ſpiritualiter* confitenda. Frequenter igitur moneant ſuos Subditos Abbates, Archipresbyteri, & Sacerdotes dicta peccata mortalia fugere, & pluſquam mortem timere; mors enim ſolum corpus interimit; dicta vero peccata, corpus, & animam perire faciunt in æternum.

Lege * ſpecialiter.

Monendi ſubditi de peccatorum mortalium fuga.

Circa hæc autem pro clariori doctrina notandum, quod inter mortalia peccata, & criminalia, talis differentia reperitur, qualis inter genus, & ſpeciem: Nam omne criminale peccatum mortale eſt; ſed non convertitur. Dicitur autem criminale, quaſi capitale, ſcilicet illud peccatum quodcumque ſit, quod inducit depoſitionem, vel decapitationem, vel exilium, vel intruſionem carceris, & omnia publica judicia.

Diſcrimen inter peccata mortalia, & criminalia.

Criminale prout a mortali diſtinctum.

Multa vero ſunt mortalia, quæ hoc non inducunt, ſicut ſunt privata delicta, & ideo ad differentiam mortalia ſimpliciter, non criminalia appellantur. Largo vero ſumpto vocabulo vocatur crimen maxime mortale. Et licet proprie loquendo criminalia multa ſint, tamen cauſa brevitatis, & exempli aliqua ſupponimus.

Mortale prout a criminali diſtinctum.

Primum peccatum criminale eſt peccare in fidem Trinitatis: eſt enim primum præceptum Decalogi. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Enumerantur peccata criminalia.

Secundum eſt peccatum contra naturam: Nam per hoc, quæ cum Deo ſocietas eſſe debet, violatur, & plus peccat talis, quam cum Matre propria, & de ſolo verbo tali fœdatur, & polluitur aer.

Hoc idem docet D. Th. 2. 2. q. 154. art. 12. in o.

Tertium eſt homicidium, quod eſt horribilius, ſive terribilius omni peccato.

Quartum eſt crimen læſæ Majeſtatis, quod eſt etiam, ſi contra Pontificem machinetur quis.

Quintum eſt ſacrilegium, cum quis ſcilicet frangit Eccleſiam violenter.

Sextum eſt inceſtus, & pejus eſt concumbere cum Matre, quam cum Uxore aliena.

Septimum eſt conſpiratio.

Octavum adulterium, quod in utroque Teſtamento deteſtabile eſt: nam qui peccat in matrimonium, peccat in Deum * *actorem* matrimonii.

Forſan * auctorem.

Nonum eſt falſum teſtimonium.

Decimum eſt ſimonia, cujus reſpectu omnia alia nihilum reputantur.

Undecimum uſura. Hæc ſunt majora, quæ grandia ſunt, & accuſatione, ac damnatione digniſſima. In quibus ſine decoloratione Eccleſiæ, ſi notoria ſunt, de facili diſpenſari non poteſt, licet ſecus in aliis criminibus minoribus, quamvis mortalibus.

Grandiora, & majora peccata ſunt animadverſione digniſſima.

Sed & quicumque peccat mortaliter, dicitur largo modo in Spiritum Sanctum peccare, quia talis offendit Patrem, & Filium,

Filium, & Spiritum Sanctum; tamen ſpecialiter peccatum in Spiritum Sanctum dicitur odium, quia Spiritus, ſcilicet amor, & benignitas. Item obſtinatio mentis, quando ſcilicet aliquis impœnitens vitam finit. Item deſperatio in Caim, & Juda. Item præſumptio nimia de miſericordia Dei, cum ſcilicet aliquis ſemper peccat, & credit evadere impunitus, vel ſecure peccat uſque ad mortem, credens ultimo pœnitere. Item blaſphematio contra Spiritum Sanctum. Item ſeminare diſcordias. Unde eſt advertendum, quod hæc peccata effugiuntur ſeptem operibus miſericordiæ inhærendo; ſcilicet Eſurientes paſcendo, Sitientes potando, Nudos veſtiendo, Hoſpites ſuſcipiendo, Infirmos viſitando, & Incarceratos, ſeu Captivos conſolando, ſeu redimendo, Mortuos ſepeliendo. Unde verſus.

Quænam ſpecialiter ſint peccata in Spiritum Sanctum?

Peccata in Spiritum Sanctum ſtricte ſumpta effugiuntur operibus miſericordiç.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Et hæc opera ſunt corporalia, ſpiritualia vero ſeptem opera miſericordiæ ſunt hæc. Conſilium dare, Errantem corrigere, ** Tribulantem* confortare, Injuriam dimittere, patienter illatam ſuſtinere, pro aliis orare, Diſcordes pacificare. Unde verſus.

Lege * *tribulatum*.

Conſule, pacifica, ſolare, remitte, caſtiga, fer, ora.

Qui autem hæc opera miſericordiæ, quæ dictis ſeptem vitiis principalibus opponuntur, facere neglexerint, dicetur eis ſecundum Evangelicam veritatem voce terribili Matth. 25. *Ite Maledicti in ignem æternum.*

Horum operum neglectum quę pœna ſequatur.

De venialibus autem peccatis cauſſa exempli aliqua exprimamus: Sunt enim ſecundum Auguſtinum venialia, quoties quis plus comedit, potat, loquitur, tacet (cave, quia hoc eſt in Prælatis mortale, quando expedit) quoties pauperem importune petentem exaſperat, quoties aliis jejunantibus, ultra jejunia conſtituta quis ſanus comedit, quoties quis ſomno deditus tardius ad Eccleſiam ſurgit. Quoties excepto prolis deſiderio, vel cauſſa reddendi debitum illi, quia continere non poteſt, uxorem cognoverit; Quoties in carcere poſitos tardius requiſierit, Infirmos tardius viſitaverit; ſi privatus diſcordes ad concordiam revocare neglexerit, nam in Prælatis hoc eſt mortale. Si plus, quam oportet proximum, vel uxorem, vel filios, vel ſervos exaſperaverit. Si cuiquam adulatus fuerit. Si ſe fabulis ocioſis occupaverit. Si incaute jocando juraverit, & ex aliqua neceſſitate implere non * *poterunt*. Si cum facilitate, vel temeritate maledixerit.

Quæ ſint peccata venialia?

Aliquando quod in privatis veniale, in Prælatis lethale eſt.

Forſan * *potuerit*.

Hæc igitur Venialia, & conſimilia ſi in conſuetudinem deducantur, vel plurima colligantur, gravia reputantur, & ideo tunc ſunt * *ſpiritualiter* confitenda: Ante vero conſuetudinem, vel ſine collectione minora venialia dicuntur, & ſunt ſaltem in genere confitenda. Minima vero venialia dicuntur quæcumque cogitationes peccati, quæ non pervenerunt etiam ad conſenſum. Et hæc, dico, genera venialium, ſcilicet minora, & minima, non ſolum confitendo, imo ſine confeſſione ſpeciali multis modis delentur, ſcilicet per aſſumptionem Euchariſtiæ, vel per aſperſionem aquæ benedictæ, vel per Jejunia, vel per Eleemoſynas, vel per Orationem Dominicam *Pater noſter*, vel per devotam pectoris tunſionem, vel per generalem confeſſionem, vel per benedictionem Epiſcopalem, & per extremam Unctionem.

Venialia in conſuetudinem deducta gravia reputantur.

Forſan * *ſpecialiter*.

Dantur genera venialium, quia alia minora, alia minima.

Venialia non ſolum confeſſione, ſed etiam multis aliis modis delentur.

CAP. IV.

De Pœnitentiæ Effectu, ubi de Indulgentiis.

Effectus pœnitentiæ eſt, ut per ejus medicinam peccatoribus ſpes vitæ reparetur æternæ; per eam enim renovatur Homo, nec deſpiciendus in eo, quod fuit. Ad hæc autem, ut vera, & perfecta agatur pœnitentia, neceſſe habet peccator ſecundum Auguſtinum ſe omnino judicio ſubmittere Sacerdotis, nihil ſibi reſervans ſui, ut paratus ſit pro recipienda vita animæ facere, quæcumq; faceret pro evitanda morte Corporis, & hoc cum deſiderio. Cum gaudio enim hoc facere debet, immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus. Quærat ergo quiſq; ut ſubeat dignos fructus pœnitentiæ, & primo offerat Deo mentem, quam aliam oblationem.

Quid neceſſarium ſit ſecundum Auguſtinum ad habendum Pœnitentię effectum.

Cum gaudio præſtanda, quæ præſtare pœnitens debet.

Item notandum, quod Epiſcopi, & Superiores, & non inferiores, etiam ſi ſint Abbates, Generales, & ſolemnes indulgentias, & remiſſiones, quas quæſtores deferre conſueverunt, & alias facere poſſunt, quia Epiſcopalibus dignitatibus ſunt annexæ. Cum enim dedicatur Baſilica unum annum de Indulgentia, & non ultra; In Anniverſario vero Dedicationis quadraginta dies, & in aliis ſimilibus piis operibus alios quadraginta, & non ultra, ſive ſint plures, ſive unus, & ſi exceſſerint vires non obtinent, & eorum ſubditis tantum proſunt.

Solemnes Indulgentiæ ſolis Epiſcopalibus dignitatibus ſunt annexæ, ut docet D. Th. in ſupl. 3. p. q. 57. art. p. o.

Epiſcopi quas Indulgentias conferre poſſunt?

Archiepiſcopi vero per totam ſuam Provinciam poſſunt Indulgentias concedere, & pro fabrica Metropolis Eccleſiæ, vel pro quocumque alio pio opere ſuos quæſtores mittere per totam Provinciam, et eis Indulgentias concedere, cum non ſit in his poteſtas eorum limitata, et habent effectum, ut exprimitur in eiſdem.

Quas Archiepiſcopi?

Caveant autem Suffraganei noſtri, et eorum Vicarii, vel Officiales, ne malitioſe, vel ſine cauſſa, aut voluntarie quæſtores noſtras litteras portantes in eorum Diœceſibus impediant, quoque modo, ſi-

Quæſtores ab Archiepiſcopo miſſos Suffraganei ne impediant.

eut & de jure non debent, alioquin ad pœnæ impoſitionem ſuper contemptu, & negligentia procedemus; aut ſi ad noſtrum mandatum litteras talibus quæſtoribus concedere nolint, vel minus juſte recuſent. In abuſum autem per noſtros Suffraganeos, & alios ſimplices Prælatos vidimus deductum, cum litteras Indulgentiarum multiplicatis ſigillis, & non facta mentione de voluntate Diœceſani concedunt. Imo quandoque litteris noſtris, & Prædeceſſorum noſtrorum, & aliorum Pontificum vidimus quorumdam Prælatorum ſigilla ſolum addita cum nominum ipſorum dumtaxat ſubſcriptione.

Tollendus funditus abuſus quidam introductus, in litteris Indulgentiarum ſigilla multiplicans.

In quantum peccent errantes in viam juris, neſciunt, & utinam non ſubſit cupiditas pro ſigillo. Deus autem eſt ſcrutator omnium ſecretorum * *Cur* caveat quiſque, erit enim rationem redditurus: Errant enim, & errare populum faciunt, qui credit pro quolibet ex eadem littera, quotquot ſunt nomina in ipſa, Indulgentiam ibidem expreſſam lucrari; quod tamen eſt in jure falſum, & ideo talia fieri de cetero prohibemus.

Gravitas hujus abuſus expenditur.

*Pro * quare.*

Quicumque autem tales Indulgentias concedere voluerint, per ſe, & ſuas litteras faciant, et ſic major * populi devotio propter ipſarum litterarum, et Indulgentiarum multiplicitatem, et accumulationem, quæ plus operatur, quam conjunctio in eiſdem litteris facta, quæ niſi pro una tantum operatur. Unde tantum poteſt unus in caſu præmiſſo, quantum mille. Bene igitur fieret, ſi in concedendis hujuſmodi indulgentiis inter plures Epiſcopos divideretur numerus dierum, ſive anni, ut non fieret exceſſus, et abſurditas, prout ordinavit Concilium generale, et pro eo, ne propter hujuſmodi remiſſiones, ſive Indulgentias indiſcretas, et ſuperfluas contingat contemni claves Eccleſiæ, et ſatisfactionem pœnitentialem enervari. Unde pœnitentiam agant Prælati, qui hoc fecerint, et in poſterum caveant, ne excedant inter formam.

*Supple * erit.*

Quiſque Suffraganeus per ſe, & per ſuas litteras concedat Indulgentias.

Suffraganei in concedendis Indulgentiis bene dividerent inter ſe numerum dierum, & anni.

Dicimus autem hujusmodi Indulgentias concedendi poteſtatem dependere a Pontificali dignitate ratione juriſdictionis, non ordinis: Et ideo electus confirmatus ipſas facere poteſt, maxime ſi ſit Sacerdos, quia alias tutius faciet, ſi abſtineat; quia talis non videtur poteſtatem clavium habere quoad pœnitentias injungendas, vel ipſarum relaxationem; ſed ſoli Presbyteri tantum, circa quæ habent hujusmodi Indulgentiæ operari.

Ejuſmodi poteſtas eſt annexa Pontificali dignitati ratione juriſdictionis, non ordinis. D. Th. in ſup 3. p. q. 57. art. 2.0.

Hujuſmodi autem Indulgentiæ proſunt tantum ſubditis illorum, qui eas concedunt, ut prædiximus, niſi accedat voluntas ejus, cui ſunt ſubditi; nec ſunt aliæ injunctæ pœnitentiæ propter hujusmodi indulgentias omittendæ; quandoque enim homines plurium ſunt pœnarum debitores, quam credant.

Injunctæ pœnitentiæ propter ejuſmodi Indulgétias non omittendæ.

Quæſtores portantes tales Indulgentias non permittantur ſanctuaria ferre, nec in Eccleſiis, vel alibi prædicare, niſi ea ſolummodo, quæ in litteris ſuis continentur, cum veris ſigillis Domini Papæ, vel Legatorum ſuorum, vel noſtrorum, vel Curiæ noſtræ, ſeu Suffraganeorum noſtrorum, vel eorum Curiæ ſigillatis, nec ab eiſdem quæſtoribus occaſione faciendi quæſtam ab Abbatibus, Archipresbyteris, et Clericis quidquam exigatur.

Quædam quæſtoribus vetita tales Indulgentias portantibus.

Sint autem cauti Abbates, Archipreſbyteri, ac Curati, et etiam noſtri Suffraganei, et eorum ſubditi in admittendis hujuſmodi quæſtoribus, qui diſcurrunt per Eccleſias, et loca, prædicant abuſiones, vacant comeſſationibus, et ebrietatibus, quoniam tales admittendi non ſunt, niſi cum veris litteris, ut prædiximus; Prout enim determinavit Concilium generale, forma litterarum communis eſt. Quoniam ut ait Apoſtolus....

Ejuſmodi quæſtores caute admittantur, nec niſi cum veris litteris.

Deficit in originali, & ideo apponuntur... & nota, quod hoc multoties contingit.

Item debent eſſe quæſtores modeſti, & diſcreti, nec in tabernis, aut aliis locis incongruis hoſpitentur, nec inutiles, aut ſumptuoſas faciant expenſas, nec omnino falſæ Religionis habitum geſtent. Tales autem falſas litteras, aut alia abuſiva prædicantes, aut falſæ Religionis habitum portantes, mandamus, et præcipimus, ab omnibus Prælatis, & Clericis noſtrarum Diœceſis, et Provinciæ capi, ac remitti proximiori Prælato juſtitiam recepturos pro commiſſis.

Inculcatur quæſtoribus modeſtia, & diſcretio.

Quo pacto puniendi, ſi falſas litteras ferant, & abuſive prædicent?

Præcipue autem volumus, et mandamus, ut cum quæſtores iſti venerint ad aliquem locum non * *obmittantur*, niſi primo oſtendant litteras ſuas, quas portant, et inſpiciantur, quid continent, et inſpiciatur data ipſarum.

Nec admittendi, niſi litteris bene inſpectis.

*Forſan * admittantur.*

Prælati quoque, et Clerici non teneantur eos in eorum domibus admittere, nec eis in neceſſariis providere; nec admittantur, niſi oſtendant litteras ſuas, vel Suffraganeorum in ipſorum Diœceſi, quarum etiam data inſpiciatur; nam quandoque cum litteris, quarum Data expiravit, volunt ſubdole ſuas quæſtas facere; Etiam ſi in data eſſet raſura aliqua, tunc repellantur omnino, et ad Nos, vel Suffraganeos, vel Vicarios noſtros remittantur. Si quid vero in contrarium * *acceptaverint* iſti quæſtores, ut tunc capiantur de perſona, et remittantur, concedimus licentiam, et præcipimus; nec ad ipſorum requiſitiones * *fiat* Populi convocationes pro eorum ſermonibus, aut exaltationibus audiendis, etiamſi in eorum litteris mentio habeatur, niſi in noſtris, aut noſtrorum Suffraganeorum licentia concederetur.

Data litterarum ſedulo expendenda, & an raſura aliqua in ea inſit.

*Forſan * attentaverint.*

*Forſan * fiant*

Dicimus autem falſos, et perfidos quæſtores eſſe illos, qui Indulgentias motu proprio de facto concedunt, ſuper votis diſpenſant, a perjuriis, homicidiis, et peccatis aliis ſibi confitentes abſolvunt, male

Quæſtores falſi qui cenſendi? fraudeſque ab iis perpetrari ſolitæ

ablata

ablata incerta, data ſibi aliqua quantitate pecuniæ, remittunt; tertiam, aut quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxant benefactoribus locorum, quorum ſunt quæſtores, remiſſionem peccatorum plenariam indulgent, et aliqui ex ipſis, ut eorum verbis utamur, a pœna, et a culpa abſolvunt, qui prædicant etiam ſibi dari pro liberandis de Purgatorio animabus parentum mortuorum trium, vel pluriũ, & ad gaudium Paradiſi perducendis, mendaciter aſſerendo, quibus ſecundum communem, et, ut putamus, veriorem opinionem, Indulgentiæ minime proſunt, licet eleemoſynæ factæ ex vi eleemoſynæ proſint, ſicut alia ſuffragia Eccleſiaſticæ Charitatis.

Lege * *alicui.* Horum, ſi falſa ſint privilegia, excommunicationes etiam, & interdicta nulla omnino ſunt.

Omnia autem, et ſingula Privilegia ſuper præmiſſis eis, vel eorum * *aliquo*, vel locis, aut ordinibus conceſſa, nullius auctoritatis de jure ſunt; Unde etiam, quin poſſint per Ordinarios puniri ſic excedentes, nullo privilegio adjuvantur: Et ſi per eos aliqua ſententia Excommunicationis, vel Interdicti ferretur, irrita eſt, atque nulla.

CAP. V.

Caſus Epiſcopales, in quibus remittendi ſunt Pœnitentes ad Epiſcopos, ut Pœnitentiæ effectum conſequantur.

CAſus vero Epiſcopales, in quibus Penitentes ſunt ad Epiſcopum remittendi, ſunt iſti, ſcilicet. Omnis peccator publicus, & vulgatiſſimus, cujus peccatum univerſam Urbem, Villam, vel Caſtrum, vel Parochiam commoverit. Item pro Hæreſi. Item pro ſimonia ex pacto commiſſa in ſimplici beneficio, non autem in ordine, quia tunc ſolus Papa diſpenſat. Item pro omni Excommunicatione majori. Item pro interdicto, et ſuſpenſione. Item pro irregularitate, ut ipſe Epiſcopus abſolvat, ſi poteſt, vel ad Superiorem remittat in his ſeptem caſibus; de minori enim Excommunicatione abſolvere poterit non ſolum Epiſcopus, ſed etiam Sacerdos. Item mittendi ſunt ad Epiſcopum Incendiarii. Item Chriſtum, vel Sanctos ejus, et Beatam Virginem, publice, et enormiter blasphemantes. Item pro commutatione voti, et ejus fractione. Item ſi Epiſcopus incepit audire confeſſionem de aliquo prædicto. Item pro ſolemni penitentia imponenda, & iſti caſus probantur a Jure.

Supradicti caſus numero duodecim ſunt.

Caſus viginti tres, quos Epiſcopi ſibi reſervare conſueverunt.

Item etiam in aliis peccatis, quorum abſolutionem Epiſcopus de uſu ſuæ Diœceſis retinere ſibi ſpecialiter conſuevit, eſt ad Epiſcopum miſſio facienda, ut eſt in hac Diœceſi, & etiam in noſtra Provincia Beneventana per Conſtitutiones antiquas noſtræ Eccleſiæ. De Hæreticis, Uſurariis.

Item Sodomitis. Item Adulteris publicis, Maleficis, & Divinatoribus. Item de Falſariis, & abuſoribus litterarum Sedis Apoſtolicę, vel Legatorum ejusdem. Item Falſariis ſigilli, vel litterarum noſtrarum, vel Epiſcopi, vel Vicarii, aut Officialis ſui. Item de falſis Teſtibus. Item de Perjuriis. Item de Inceſtuoſis, & dicitur Inceſtus coitus cum conſanguinea, vel fratris uxore, ſeu alia affini. Item de ſacrilegis. Item de Monialium corruptoribus, & aliarum Virginum corruptoribus, & defloratoribus, aut de Monialibus egredientibus extra ſua Monaſteria contra Decretalem Domini Bonifacii VIII. & de ingredientibus, aut comedentibus intra Monaſteria earumdem, niſi ex cauſa legitima, & rationabili, & petita licentia, & obtenta. De Blaſphematoribus Dei, Beatæ Virginis, & Sanctorum. De Sortilegiis, & maxime ſi cum Euchariſtia, vel Chriſmate, vel aliis rebus ſacris committantur. De Permutationibus Votorum quorumlibet. De excommunicatis majori excommunicatione. De diſpoſitionibus male ablatorum incertorum. De Matrimoniis clandeſtinis, vel contra interdictum Eccleſiæ factis. De Suffocationibus, & oppreſſionibus filiorum ex propoſito, vel caſualiter. De Incendiariis. De Invaſoribus, & detentoribus bonorum Eccleſiarum. Et de muliere, quæ de adulterio concepit infantem, quem maritus credit eſſe ſuum, propter quem hæredes legitimi fraudantur hæreditate. Et de Muliere, & aliis procurantibus abortum. Item de illis, qui contractis ſponſalibus cum Sacramento, & non diſſolutis, contrahunt cum aliis. Et de peccato luxuriæ commiſſo inter mulierem, & Confeſſorem ſuum, vel proprium Sacerdotem, vel cum compatre ſuo, & in aliis publicis criminibus, qui caſus a jure ſunt Nobis, & Epiſcopis reſervati.

In Excommunicationẽ incidunt ipſo facto confeſſarii abſolventes ab his caſibus ſine Ordinarii ſpeciali mandato, præterquam in mortis articulo.

Per Conſtitutiones quoque prædictas noſtræ Beneventanę Eccleſiæ nullus in præmiſſis caſibus delinquentem abſolvere præſumat, vel ſe de talibus intromittat abſque noſtro, vel Suffraganeorum noſtrorum, & Ordinariorum mandato ſpeciali, ſed ipſos ad Nos, & ſuos Ordinarios abſolvendos remittat. Alioquin contrarium facientes Excommunicationis ſententias incurrunt ipſo facto, niſi in articulo mortis, & tunc, ſi copia Ordinarii commode haberi non poſſet, & prædicti delinquentes ſatisfecerint primo, ubi tenea̧ntur, vel de ſatisfaciendo procuraverint idoneam cautionem.

Religioſi quantumcumq; exempti confeſſiones non audiant, niſi Ordinario præſentati, & ab eodem approbati.

Per eaſdem quoque Conſtitutiones noſtræ Eccleſiæ prohibitum eſt omnibus Religioſis quantumcumque exemptis, ne infra Diœceſim, aut Provinciam noſtram cujuscumque perſonæ dd. Civitatis, Diœceſis, aut Provinciæ noſtræ Beneventanæ, prætextu exemptionis, vel alias, Confeſſiones

nes audire præſumant, aut abſolvere, vel ligare, niſi Nobis, aut noſtris Suffraganeis, prout ad eos ſpectat, fuerit præſentatus, & per Nos, & eos approbatus juxta ConſtitutionemDomini Bonifacii VIII. & per Dominum Clementem V. confirmatam: Omnes autem Religioſi extra eorum Monaſteria, & loca (hoc non eſt in Conſtitutionibus) contrarium hujusmodi Conſtitutionis præſumentes, & facientes, tanquam in locis noſtræ, & Suffraganeorum jurisdictionis delinquentes, pœnam a jure ſtatutam incurrere nunciantur, & etiam excommunicationis ſententiam * prædictas Conſtitutiones latam incurrunt, & ſic excommunicati nuncientur, & publicentur, ac etiam evitentur.

Contrarium facientes excommunicantur.

Forſan * per

Eiſdem Conſtitutonibus additum eſt, ut nullus vigore, ſeu auctoritate cujuscumque commiſſionis per Nos, aut Suffraganeos, ſeu Vicarios noſtros, vel eorum factæ, vel in poſterum faciendæ, a prædictis caſibus Nobis, & Epiſcopis reſervatis ex conſuetudine, vel a jure, quemquam abſolvere præſumat, aut alias ſe intromittat, niſi ſuper hæc litteras a Nobis, vel Suffraganeis, ſeu Curia noſtra, vel ipſorum obtinuerit, in quibus caſus, qui committentur, particulariter, & diſtincte ſint expreſſi; alioquin commiſſio ipſa nullius valoris exiſtat.

Qui ex commiſſione abſolvunt a caſibus reſervatis, commiſſionis litteras habeant, in quibus caſus commiſſi ſint expreſſi.

Addentes prædictis, ut tales Religioſi, vel alii, quibus de cetero caſus per Nos, aut Suffraganeos, ſeu Vicarios committentur, eligantur tales, qui ſint bonæ opinionis, & famæ, non cupidi, non avari, aut nimium juvenes. Quoniam audivimus diſplicenter quamplures gravia pro extorquendis pecuniis imponentes, & quandoque indecentia, & inhoneſta, & quæ loqui non libet, pertractantes ratione dictæ poteſtatis, & petentes maxime a mulieribus juvenibus, & aliis * *inboneſtis*, quos Deus judicet, ipſos ab audiendis Pœnitentiis ipſo facto inhabiles facimus. Si quid vero in contrarium attentaverint, eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant, quam contra tales ferimus in his ſcriptis.

Ad audiendas confeſſiones Religioſi bonæ famæ, & non juvenes aſſumantur.

Qui ratione prædictæ poteſtatis inhoneſte tractant cũ mulieribus, & juvenibus, a facultate audiendi confeſſiones ipſo facto excidunt.

Forſan * *inboneſta*.

Et excommunicationem ipſo facto incurrunt, ſi quid in contrarium attentaverint.

* Præmiſſis vero caſibus reſervatis, ut plenior habeatur notitia, & populus cohibeatur, adiicimus & alios. De Clericis per ſaltum promotis. Item de illis, qui ſe faciunt ſine licentia proprii Epiſcopi per alios Epiſcopos ordinari. Item de illis, qui infra Eccleſiam luxuriam commiſerint. Item de vitio contra naturam enormi. Item de his, qui coeunt cum Judæa, vel Saracena, vel Sclava, vel cum Beſtiis. Item de excommunicatis, & interdictis turbantibus Divina Officia, qui ad monitionem Sacerdotis exire nolunt Eccleſiam. Item de illis, qui ſcienter Excommunicatorum corpora in Cœmeterio ſepelire præſumunt. Item de iniicientibus manus ſuas violenter in parentes. Item de Schiſmaticis. Item de Sacerdotibus, vel Miniſtris, quorum negligentia aliquod inhoneſtum circa Sacramenta, & maxime Altaris, quocumque modo evenerit. Item de dubiis, & quæſtionibus, maxime circa Matrimonia, & alia Sacramenta eſt Epiſcopus conſulendus. Item reſtitutio male ablatorum, & diſtributio illicite acquiſitorum, non inventis iis, quorum fuerunt, ſeu hæredibus eorumdem, eſt de jure arbitrio Epiſcopi facienda.

Forſan * de

Alii duodecim caſus reſervati adiiciuntur.

Per Conſtitutiones etiam noſtræ Eccleſiæ antiquas, declaratum eſt, quod diſpoſitio male ablatorum incertorum, ad Nos, & Ordinarium, & Diœceſanum Epiſcopum loci tantum ſpectat, & non ad executores teſtamentorum ipſorum Defunctorum ſub quacumque forma verborum dimiſſorum, etiamſi per ipſos Teſtatores prædicta male ablata incerta ad certos, & deputatos uſus ſint deputata, vel in poſterum deputentur. Quæ deputationes decernuntur irritæ, & inanes, & etiamſi per Teſtatores ſuper hujusmodi diſpoſitione executoris induſtria ſit electa. Hæredes quoque, & executores quorumcumque Teſtatorum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ noſtræ decedentium, infra duos menſes a die obitus computandos de male ablatis incertis, qualitercumque dimiſſis, vel dimittendis in poſterum, Nobis, aut Suffraganeis, ſeu Vicariis, aut Officialibus ad hoc deputatis, diſponendis, & exequendis, prout ſalubrius viſum fuerit pro ſalute animarum teſtatorum ipſorum ſatisfacere tenentur cum effectu, alioquin ipſo facto ſententiam Excommunicationis incurrant.

Reſtitutio male ablatorum incertorũ ex Conſtitutionibus hujus Eccleſiæ ad Ordinarium pertinet.

Hæredes, & Teſtamentorũ executores infra duos menſes a die obitus computandos, muneri ſuo ſatisfaciant in ejuſmodi male ablatis, & incertis, alias excommunicantur.

Caveant igitur Sacerdotes, ut in præmiſſis caſibus confitentes ad Nos, & Suffraganeos Epiſcopos remittant. Si vero confitentes hæc peccata ad præceptum Sacerdotis ad Nos, ſeu Suffraganeos nullatenus venire voluerint in ſuis peccatis, & duritia remanentes, tunc Sacerdos Nobis, aut Suffraganeis hoc, non deſignata perſona, ſignificare procuret, ut adhibeamus, & Suffraganei per hoc remedium ſalutare. Et circa præmiſſa dicimus advertendum, quod ſi quoad audiendas confeſſiones, & pœnitentias injungendas, Nos, vel Epiſcopus committat alicui vices ſuas generaliter, talis in caſibus prædictis ſpecialibus, & retentis non habet poteſtatem, quia in generali mandato non veniunt talia, niſi quis exprimat. Sed nec debet Epiſcopus hoc committere, niſi tali, qui diſcretus, & providus, & qui noverit circumſtantias perſonarum, & peccatorum, & maxime quoad diſpenſationes, & reſtitutiones illicite acquiſitorum faciendas.

Quid agendum ſi pro prædictis caſibus Penitentes ad Ordinarium ire noluerint?

Commiſſio generalis non fert facultatem abſolvendi pœnitentes in caſibus prædictis ſpecialibus.

Item

Septem Caſus, in quibus poteſt quis confiteri alii ſine licentia proprii Sacerdotis.

Item notandum, quod ſeptem ſunt caſus, in quibus poteſt quis confiteri alii ſine licentia proprii Sacerdotis.

Primus eſt Vagabundus.

Secundus eſt, ſi pro certo ſciat, vel credat indiſcretum proprium Sacerdotem.

Tertius, quando tranſtulit domicilium in aliam Parochiam, conſtituens ſe habitare ibidem.

Quartus, cum quis proprium relinquens domicilium, quærit iter faciendo, vel navigando domicilium, quo ſe conſtituat.

Quintus, ſi in alterius Parochia delinquat, & hunc intelligimus caſum quoad ea, quæ forum contentioſum concernunt, nam alias ſiquis fornicatus, ſeu adulteratus fuerit occulte in alia Parochia, aut aliud occultum commiſerit, debet de illo peccato proprio confiteri Sacerdoti; Si tamen Excommunicationis ſententia pro tali commiſſo lata foret, ab Excommunicatione abſolvendus eſſet, & in hoc advertant audientes Confeſſiones, de loco interrogantes propter præmiſſa, ut ſciant, an poſſint abſolvere. Sextus ratione ſtudii. Septimus, ſi immineat mortis articulus, vel juſti belli introitus, vel alia neceſſitas. His caſibus, qui a jure communi ponuntur, addimus octavum, ſcilicet ſi ponat ſpem ſuam in Sacerdotem proprium, ut ratum habeat: In quocumque autem caſu quis alienum Parochianum adierit in confeſſione ſine licentia proprii Sacerdotis, injungat ei, ut, quam cito poterit, coram Sacerdote proprio ſe præſentet, & quod actum eſt, ſignificet. Si vero Sacerdos nullam curam habet ſibi commiſſam, tunc eſt diſtinguendum, utrum neceſſitas immineat, quia tunc quilibet poteſt audire.

Religioſi ſine licentia miniſtrare non poſſunt Eccleſiaſtica Sacramenta, & ſecus excommunicantur a jure

Religioſi vero non poſſunt miniſtrare Eccleſiaſtica Sacramenta ſine licentia proprii Sacerdotis, Curati, vel Epiſcopi, vel ſi contrarium fecerint, ſunt eo ipſo excommunicati a jure propter adminiſtrationem Sacramentorum * *prædicatorum*. Confeſſiones vero audire non poſſunt, niſi facta primitus præſentatione litterarum Epiſcopo, & ab ipſo eis approbatis, dataque licentia, in qua licentia non includuntur caſus ſpecialiter Epiſcopo reſervati, ut ſuperius in *§. per eaſdem quoque*, latius hoc dictum eſt.

Forſan **prædictorum*.

Prohibetur, ne quis prædicare, vel confeſſiones audire præſumat abſque legitima facultate.

Item perpetuo prohibemus Edicto, ne aliquis prædicare, vel confeſſiones audire præſumat, niſi auctoritate legitima pertineat ad eumdem, vel mittatur ab alio, qui mittendi ad hoc habeat poteſtatem; nec aliquis de Pœnitentiariis noſtris, vel aliis, quibus caſus Epiſcopales duxerimus committendos, a ſententiis interdicti, excommunicationis, vel ſuſpenſionis latis a Nobis, vel Vicario noſtro, ſeu Provinciali Concilio, vel Synodali hujus Eccleſiæ quemquam abſolvere præſumat, niſi ſuper hoc a Nobis, vel Vicario noſtro mandatum receperit ſpeciale. Alioquin abſolutionem talem decernimus non tenere, & hoc idem per omnia in tota Provincia noſtra obſervari præcipimus, & ordinamus. Statuentes, ut prædicti Religioſi, cujuſcumque Religionis extiterint, decretalem, *dudum de Sepulturis*, in Clementinis obſervare procurent; alias contra ipſos procedemus, & mandamus per Suffraganeos noſtros procedi, quod ceteris cadet in exemplum.

Religioſi decretalem *Dudum de ſepulturis* exacte obſervent.

Quatuor caſus, in quibus reiteranda confeſſio.

Item notandum quatuor eſſe caſus, in quibus peccata ſemel confeſſa, debent iterum confiteri. Primus eſt, quando facta confeſſione proprio Sacerdoti imperito, de licentia ejus vadit peccator ad peritum; debet enim illi perito omnia confiteri. Secundus eſt, ſi contempſit peccator ſatisfacere, & pœnitentiam ſibi injunctam implere.

Tertius eſt, quando audita Confeſſione attendit Sacerdos, quod ipſe non poteſt abſolvere, quia eſt caſus Epiſcopalis, vel aliter ad eum non pertinet, debet Superiori peccator de omnibus confiteri, niſi Superior ipſum remittat ſuper aliis Sacerdoti. Quartus eſt, quando peccator venit ficte ad pœnitentiam, vel aliquod peccatum celavit ſcienter. Regulariter autem non tenetur quis eadem peccata ſemel * *Confeſſata* iterum confiteri; ad majorem tamen gratiam, & remiſſionem citius obtinendam bonum eſſet.

Forſan* *confeſſa*.

Bonum eſt peccata ſemel confeſſa iterũ confiteri.

Cum quis eidem Sacerdoti iterum confitetur, & Sacerdos pœnitentiam a ſe datam recolit, tunc peccata confeſſa nõ ſunt explicanda.

Circa quod ponimus doctrinam talem, quod ſi quis confitetur eidem Sacerdoti, cui primo confeſſus eſt, & Sacerdos recolit pœnitentiam, non oportet tunc, quod iteret peccata, quæ ante confeſſus eſt ei.

Si autem pœnitens recolit de pœnitentia ſibi injuncta, quam tamen facere contempſit, tunc credimus, quod ſufficiat ei, quod idem pœnitens eam exprimat Sacerdoti, etiam, cui de novo confitetur, & in hoc caſu non tenetur confiteri peccata, quæ alias confeſſus eſt, & pro quibus injuncta fuit ei pœnitentia illa.

Secus, cum pœnitentiam eſt oblitus, nec eam peregit.

Secus ſi oblitus eſt pœnitentiam, nec eam fecit, ut dictum eſt. Et horum ratio, quia Sacramentum pœnitentiæ non tantum exigit continuationem dicendorum, & agendorum, quantum exigunt cetera Sacramenta, unde Pœnitentiarii quandoque aliqua audiunt pro parte uno die, & pro parte in craſtinum, & quandoque uno die audiunt confeſſionem, & in craſtinum injungunt pœnitentiam, & impendunt abſolutionem. Sed caveant, ne hoc faciant mala, aut vili intentione, maxime in mulieribus, ſicut de quibuſdam Religioſis audivimus, quæ tacemus. Quandoque abſolvunt de quibuſdam, vel excommunicationibus, &

de

de aliis remittunt ad alios ab aliis abſolvendos, in quibus caute agere ſtudeant confeſſiones audientes, & maxime ſimplices Sacerdotes, quibus potius conſulimus deliberate procedere in talibus, aut remittere, quam manus extendere ad ea, de quibus abſolvendi poteſtatem non habent, aut ſufficientiam diſcernendi.

CAP. VI.

De reliquis, quæ præſtanda, vel a Confeſſariis, vel a Pœnitentibus, ut habeatur Pœnitentiæ effectus.

Confeſſarii quatuor de neceſſitate ſcire tenentur.

ITem notandum, quod Sacerdotes volentes confeſſiones audire ſaltem quatuor de neceſſitate ſcire tenentur. Primum, ut ſciat Sacerdos ad quæ peccata poteſtas ſe extendat, quòd poteſt ſcire maxime per ſupradicta, & per notitiam Caſuum Epiſcopalium; Secundum, ut ſciat quæ ſunt peccata mortalia, & quæ venialia. Tertium, ut ſciat, quod alia pœnitentia datur pro mortali, alia pro veniali. Quartum, ut ſciat formam abſolutionis, videlicet, ut ſciat *Miſereatur tui, &c. & ego auctoritate, qua fungor, vel mihi conceſſa abſolvo te &c.* ut infra hoc latiùs ponetur.

Parochi moneant frequenter plebes ſuas de præcepto confeſſionis annuæ, & Cōmunionis in Paſchate.

Præcipimus itaque, quòd Parochiales Presbyteri frequenter moneant Plebes ſuas, quòd juxta ſtatuta Concilii generalis omnis utriuſque ſexus fidelis, Clericus, vel Laicus, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia peccata ſua ſolus confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam pro viribus ſtudeat adimplere. Suſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum; niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob cauſſam rationabilem ad tempus ab ejus receptione duxerit abſtinendum; alioquin vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura.

De confeſſione præceptum ex conſtitutionibus hujus Eccleſiæ extenditur ad omnes Presbyteros Civitatis, & Provinciæ.

Et hujuſmodi Præceptum per noſtræ Beneventanæ Eccleſiæ conſtitutiones extenditur ad omnes Presbyteros Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ. Et nihilominus per eaſdem diſtricte, & in virtute Sanctæ obedientiæ mandatur, & præcipitur dictis Parochialibus Presbyteris, ut præſentem conſtitutionem, & præceptum in juris corpore clauſum ſtudeant pro viribus adimplere. Alioquin contra ipſos ad duriores pœnas, etiam per Suffraganeos procedendum.

Si quis alieno velit Sacerdoti juſta de cauſſa confiteri, licentiam a proprio Sacerdote prius obtineat, & faciliter.

Si quis autem alieno Sacerdoti juſta de cauſſa ſua confiteri peccata voluerit, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote. Præcipientes diſtricte, ne aliquis Sacerdos Parochialis ſuper hoc requiſitus præſumat alicui Parochiano malitioſe licentiam hujuſmodi denegare, ut non nimis de ſe confidat, vel præſumat; nam poſſibile eſt aliquem Parochianum latentem cauſſam, vel odii contra ipſum, ſicut plerumque accidit, vel quia eſt particeps criminis, vel alias habere. Unde nullatenus licentiam deneget. Non tamen expedit ſemper licentiam dare, ſi Sacerdos ſe ſufficientem reputet, & non occurrant, quæ ſtatim diximus. Nam præſumere poteſt, quod ideo petat Parochianus licentiam, ut * *Confeſſionem* erubeſcentiæ evitet, quæ eſt magna pars ſatiſfactionis, vel ſi forte contemptum veriſimiliter ſe præſumat. Caveat tamen de conſcientia.

Non expedit ſemper ſupradictam licentiam dare.

Forſan * *Confuſionem*.

Si Parochus licentiam malitioſe neget, Superiorem adire tenetur.

Et ſi quidem malitioſe licentiam dare recuſaverit, tunc Superiorem adeat, ut eum compellat, vel ipſe Superior dictam licentiam eidem concedat. Neceſſitatis tamen articulo imminente, ſi non poſſet ad Superiorem haberi recurſus, poſſet alius adiri; tunc enim ſufficeret petita licentia, licet non obtenta.

Si pœnitens probabiliter timeat periculum ſibi, vel Sacerdoti imminere ex confeſſione ei facta, Laico poterit confiteri; melius tamen eſſet generaliter confiteri.

Dicimus etiam, quod ſi probabiliter timeat pœnitens periculum ſibi, vel Sacerdoti imminere ex confeſſione ei facta, debet recurrere ad Superiorem, vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi; quod ſi licentiam habere non poſſet, idem judicium, quod de illo, qui non habet copiam Confeſſoris. Unde tunc magis debet * *diligere* Laico confiteri; nec in hoc tranſgreditur Præceptum Eccleſiæ, nec etiam ſit injuria Sacerdoti, quia privilegium meretur amittere, &c. licet hoc caſu poſſet dici, & non male, quod ſi non poteſt habere Sacerdotem, & immineat neceſſitas, confiteatur peccatum in genere ſine expreſſione circumſtantiæ, de qua poſſet malum provenire.

Forſan * *deligere*.

Parochi frequēter moneant plebes ſuas, ut ad confeſſionem cito convolent.

Moneant etiam frequenter Presbyteri plebes ſuas, ne moram faciant in peccatis, & ut ad confeſſionem veniant quam cito poterunt, commiſſo peccato, propter incertitudinem horæ mortis, & quia in ægritudine vix poteſt aliquis pœnitere de peccatis, ſed nec etiam cogitare, quia, ut ait Hieronymus. *Cum ægritudine oppreſſus es, vix potes aliud cogitare, quam ſentis, & illuc rapitur intentio mentis, ubi eſt vis doloris.* Et maxime moneant in principio Quadrageſimæ, quod ad confeſſionem veniant. Certificantes eos, quod ſi jejunia, & orationes, ac alia quæcumque bona facerent in mortali peccato, eis non proficerent ad ſalutem.

Fol. 10. originalis col. 2. linea 8. a fine. Ita in originali.

Præcipitur iiſdem, ut confitentium ſemel in anno, et communicantiū nomina referant Ordinario, vel Ordinarii Vicario, ſub pœna unius augustalis.

Per præfatas vero noſtræ Beneventanæ Eccleſiæ conſtitutiones præcipitur omnibus Parochialibus Presbyteris Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, ut nomina omnium Parochianorum ſuorum eis in anno confitentium, & quibus in Paſcha ad minus, vel alio tempore ſanctum dederint Euchariſtiæ Sacramentum, in ſcriptis redacta Nobis, aut Vicario noſtro, noſtris Suffraganeis, ſeu eorum Vicariis in ſcriptis

ptis dare procurent. Non obſervantes vero pœnam unius Auguſtalis Curiæ applicandi incurrunt ipſo facto.

Præcipitur Confeſſariis, ut confeſſiones cum ſtola audiant, & in patenti Eccleſiæ loco.

Præcipimus etiam, quòd illi, qui confeſſiones audierint in loco patenti Eccleſiæ, & non in occulto; & cum ſtola in collo audiant confitentes. Si qui vero confitentium ſurdi fuerint, cęci, vel muti, inducat eos Presbyter, prout melius poterit, ad confeſſionem, & pœnitentiam verbis, nutibus, atque ſignis. Habeat autem Sacerdos ſollicitudinem diligentem; Nec dum audit confeſſionem, reſpiciat in facie confitentem, & pręcipue mulierem, quia dicitur facies mulieris ventus urens, unde ſcribitur Oſeæ ſecundo: *Auferat fornicationes a facie ſua*, ideſt ſigna, & incentiva fornicationum, & *fucum*, & alios ornatus inhoneſtos, *adulteria ſua de medio uberum ſuorum*: Sed * *Caputeum* in capite veſtitum teneat, & caput inclinatum, & confitentem, maxime mulierem e tranſverſo ad pedes confitentis humiliter ponere inducat ſedendo, vel genu flexo, prout ætas, & qualitas ipſius confitentis requiret. Et ſi peccatum horribile intellexerit, non ſpuat, non caput vertat, vel faciem huc, vel illuc, aut ſignum, vel nutum faciat, ſeu aliquod verbum proferat, per quæ peccatorem abhominet, vel peccatum, ne peccator * *ſit* rubore confuſus, peccata reliqua, vel ſimilia ſibi timeat revelare.

Ut ne, dum audiunt, reſpiciant in facie pœnitentes, pręcipue mulieres.

Forſan * *Caputium*.

Ne ſpecimen ullum horroris exhibeant, cum peccatum horribile audiunt.

Forſan * *ſic*.

CAP. VII.

De quibus interrogandus eſt pœnitens, cum prima vice ad confeſſarium accedit?

Cum vero peccator primo ad Sacerdotem venerit, quærat ab eo, ſi non eſt ſibi notus, an ſit ejus parochianus? & ſi dixerit, quod non, quærat ab eo? utrum venerit de licentia proprii Sacerdotis; & ſi reſponderit, quod non, dicat ei? fra er non debeo te audire, vade ad tuum Sacerdotem, ad quem ipſum remittat, niſi in caſibus ſuperius expreſſis *§. Item notandum, quod ſeptem, &c.* ſi autem ſit parochianus ejus, vel venerit de licentia ſui Epiſcopi, vel proprii Sacerdotis, quærat primum ab ipſo: Utrum aliqua excommunicationis, vel interdicti ſententia ſit ligatus? & ſi dixerit, quod ſic, dicat ei; frater non audiam te, niſi prius fueris abſolutus. Et ſi occulte excommunicatus fuerit, occulte dicat ei; ſi autem publice, publice dicat ei, & talibus pœnitentiam denegabit, quia nullus excommunicatus, vel interdictus recipi debet ad pœnitentiam, niſi prius faciat ſe abſolvi: Si vero dixerit, ſe non excommunicatum, vel interdictum, debet primo conſiderare: unde ſit, & ubi fuit nutritus, & ubi converſatus, & cum quibus; cujus ordinis, ſtatus, vel profeſſionis, aut ſcientiæ. Item de ſtatu, & conſuetudine ſua, & regionis, ac loci; & ſi videat eum ſimplicem, vel idiotam, doceat *Pater noſter*, & *Ave Maria*, & *Credo in Deum*; ſi neſciat, moneat, ut addiſcat.

Et pręcipue inſtruat de confeſſionis modo, de Articulis Fidei, de præceptis legis, ſi videris expedire.

Item doceat eum, quod quotieſcumque confitetur, ſedeat humiliter, vel genuflectat ad pedes Sacerdotis, & e tranſverſo, ut ſupra expreſſum eſt, potiſſime de mulieribus. Doceat etiam ipſum qualiter debet confiteri, ſi ſit ita idiota, ut ſunt multi dicentes, cum ſunt coram Confeſſore. *Domine dicatis pro me confeſſionem, quia ego ignoro*. Et tales multos utriuſque generis coram Nobis viſitantes habuimus. Et utinam non proveniat ex negligentia, & ignorantia Curatorum, de quorum manibus animæ talium exquirentur. Doceat ergo Sacerdos articulos Fidei in confeſſione, & præcepta legis, & poſtea deſcendat ad peccata mortalia, & ad alia, quæ viderit expedire, ut ſi unquam erraverit, vel dubitaverit, vel peccaverit malo modo, & perſeveranter, dicat, & confiteatur.

Et deinde moneat eum familiariter, & benigne, ut omnia peccata ſua confiteatur humiliter, nec ob verecundiam celet aliquod, vel timorem, quia non eſt homini locuturus, ſed Deo, cujus perſonam ipſe Presbyter repræſentat, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat, dicendo ſibi, quod & ipſe Sacerdos peccator eſt, & quod ipſe confitens non poteſt tot, & tanta peccata commiſiſſe, quin alii majora, & plura commiſerint, & quod illi, qui bene pœnitent, magis poſtea diliguntur ab eo, & a Deo, ſicut patet in Beato Petro, & Paulo, & Latrone, & Maria Magdalena, & multis aliis, & tota cæleſtis curia gaudet in pœnitentia peccatoris, *quia gaudium Angelis Domini ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*. Dicat etiam: frater confitere, quia homines ſumus, & ſine peccato in hoc mundo eſſe non poſſumus, oſtendendo ſibi vilitatem peccati; nam ſi vere confeſſus fueris, & contritus, & proponis amplius non peccare, Deus ſine dubio remittet tibi culpam, & ego auctoritate Dei abſolvam a pœna æterna. Inducendo etiam ad compunctionem, & confeſſionem, proponat ſibi beneficia, quæ contulit ei Deus creando, & recreando, animæ æternitatem, vitæ brevitatem, mundi mutabilitatem, fallaciam, & deceptionem, Chriſti pietatem, qui non venit propter juſtos, ſed propter peccatores, & quod Chriſtus paratus eſt peccatorem ad gratiam recipere pœnitentem. Si autem nolueris confiteri in hac vita, confiteberis in alia invitus in conſpectu omnium Angelorum, & amicorum, & inimicorum, & damnaberis in perpetuum in Infernum cum diabolis, ubi

Ad bene ſperandum etiam, & ad confeſſionem integram, & ad compunctionem inducat.

erit fletus perpetuus, & ſtridor dentium, & pœnæ tam acerbæ, & tam crudeles, quod earum immanitas ore non poteſt exprimi, nec intellectu aliquo comprehendi, & quod perpetuo cruciaberis in iis pœnis.

Moneat, ut ſe, non alios accuſet, nec peccati complicem exquirat, niſi id, peccati circumſtantia neceſſario poſtulet.

Debet autem Confitens ſeipſum accuſare, nec perſonam nominatim exprimere, cum qua peccaverit, nec Sacerdos quærere, niſi peccati circumſtantia talis eſſet, quod aliter non poſſet confiteri peccatum, ut ſi cognoverit matrem, vel filiam, vel ſororem, vel hujuſmodi, vel ſi eſſet notorium, quia non poſſet aliter liberare ſeipſum.

Confeſſio fieri debet viva voce, & ore proprio.

Item non debet confiteri per nutum, nec per ſcripturam, ſed viva voce, ore proprio, & principaliter, ut qui per ſe peccaverit, per ſe ipſum confiteatur, & erubeſcat. Item non debet confiteri verbis, vel nominibus peccatorum, ſeu criminum palliatis, ſed quodlibet peccatum ſuo proprio nomine exprimere quantumcumque turpe, ut ſic tota peccati ſanies expellatur.

Non debet eſſe palliata, ſed propriis nominibus peccata exprimantur.

Debet eſſe de ſingulis diſtincte, & ſeparatim, non confuſe.

Debet etiam ſingula peccata confiteri, quæ commiſit diſtincte, & ſeparatim, non confuſe, nec etiam in tranſcurſu.

CAP. VIII.

Confeſſarius poſt auditam confeſſionem, de his, quæ expedire videntur, pœnitentem interrogare tenetur.

AUdita igitur confeſſione diſcretus Sacerdos, qui juxta ſtatuta Concilii generalis diligenter debet per ſeipſum inquirere peccatoris circumſtantias, & peccati, licet aliqui contrarium dixerint, interroget pœnitentem, ſi vult alia peccata exprimere, ſollicitando eum, ut cogitet ſtudioſe, nec peccatum aliquod omittat, quia ſi dimidiaret dimittendo peccata inter diverſos Sacerdotes, aut celando, aut omittendo ſcienter aliquod mortale peccatum, ſibi talis pœnitentia, vel confeſſio; non proficeret ad ſalutem & ſi dixerit peccator ſe non habere alia confiteri, incipiat interrogare ordinate, & diſcrete confitentem, ita tamen, quod interrogationibus faciendis, ad peccata ſpecialia enormia, vel ſpeciales circumſtantias non deſcendat, niſi prout inferius continetur, quia multi forte poſt tales interrogationes peccarent in iis, quæ neſcirent alias cogitare.

Non deſcendat tamen ad enormia, niſi res ipſa neceſſario poſtulet.

Interroget igitur Sacerdos generaliter confitentes, ſi aliquando tentetur ad grave peccatum aliquod faciendum, & qua tentatione, & qualiter tentationi reſiſtat, quid tunc cogitet, vel operetur reſiſtendo; ſic indirecte aperiet forte peccatum ſuum confitens, quod celabat.

Interroget de tentationibus, & qualiter in iis ſe habeat.

Interroget etiam, ſi exerceat aliquod officium licitum, & ſi dixerit, quod ſic, interroget de circumſtantiis pertinentibus ad officium illud, ut ſic per iſtas interrogationes, & alias, quas uſus docebit, & unctio inſpirabit, ut ſpiritualis medicus, cognitis morbis, morborum cauſſis, & eorum diverſitate penſatis, poſſit plane percipere, qualiter diverſitati culparum diverſa remedia apponantur.

De officio, quod exercet, & de circumſtantiis ad officium pertinentibus.

Caveat tamen, ne nimis ſit ipſe Pœnitentiarius ſcrupuloſus, ſi forte aliquam de prædictis interrogationibus, vel quæ inferius latius exprimentur, propter occupationem, vel oblivionem, vel ſimplicitatem omittat; vix enim, aut nunquam obſervari poſſunt iſta per quemcumque, etiam quantumcumque diſcretum; nec ſibi imputaretur, dum tamen non laboret ignorantia craſſa, vel ſupina.

In his tamen Interrogationibus non ſit nimis ſcrupuloſus.

Et ſi fuerit Religioſus, interroget eum ſpecialiter de tribus ſubſtantialibus regulæ, videlicet, an fuerit obediens in omnibus licitis, & honeſtis Prælato ſuo, & an ſit proprietarius, & an cuſtodierit caſtitatem. Item de ſimonia, utrum fuerit receptus, pecunia mediante, vel conſenſerit, quod aliquis alius reciperetur per ſimoniam. Item an ſervaverit ſilentium, & alia Regularia inſtituta. Item an in Capitulo reſtiterit malitioſe, cum erat aliquid ordinandum.

Religioſum præcipue interroget de votis, & de Simonia.

Circa Clericos ſæculares fiat interrogatio, an commiſerint ſimoniam pro ſe ipſis, vel pro aliis, ſeu alii pro ipſis: Item de mercatura, & aliis, quæ pertinent ad avaritiam, vel cupiditatem. Item de dilapidatione, ſi habent beneficium Eccleſiaſticum, & utrum de pecunia prætextu Eccleſiæ acquiſita emerint aliquas poſſeſſiones nomine proprio, vel nomine conſanguineorum ſuorum, & utrum bona Eccleſiæ expenderit in uſus licitos, & honeſtos. Item an interſint Divinis Officiis nocturnis pariter, & diurnis, præcipue in Eccleſia, in qua eſt Prælatus. Item de irregularitate. Item de ludo alearum, & taxillorum. Item de incontinentia, & guloſitate, & ſi detinuerit alienum.

De quibus interrogandi ſunt Clerici ſæculares?

Circa Comites, Barones, & Milites, & Conſules, & Judices, Juſtitiarios, Camerarios, Vicarios, & Bajulos ſæculares fiat interrogatio, an fecerint ſtatuta, vel præcepta contra libertatem Eccleſiæ, & an bene reddiderint juſtitiam cuilibet conquerenti, & an Homines ſibi ſubditos gravaverint indebitis Talliis, Collectis, Coltis, vel Quæſitis, ſeu Servitiis, ſeu aliis diverſis exactionibus.

De quibus Comites, Barones, Milites, & in Magiſtratu poſiti?

Circa Burgenſes, & Mercatores, & Miniſtrales interroget Sacerdos de rapinis, de uſura, de pignoribus in fraudem uſurarum factis, de baratteriis, de falſis venditionibus, & mendoſis, de injuſtis ponderibus, & menſuris, & mendaciis, de perjurio, & dolo.

De quibus Burgenſes, & mercatores.

Circa Agricolas vero interroget de furto,

De quibus Agricolæ, & Ruſtici Interrogandi ſunt?

furto, & retentione rei alienæ, maxime circa decimas, primitias, tributa, cenſus, quartos, & alia deneria dominorum ſuorum. Item de eradicatione terminorum, & de occupatione aliarum terrarum Item ſi dedit damnum alicui, oves, & alia animalia, fructus, & alias res vicinorum ſubtrahendo.

De quibus Mulieres?

Circa mulieres vero interroget de peccato carnis, de ſortilegiis, & facturis, & incantationibus, de ſuperbo ornatu, vano, & ſumptuoſo, litigioſis verbis, otioſis, & contemptu *viri, quibus aliquæ non ſubeſſe, ſed dominari volunt, & omnibus aliis ad hæc pertinentibus.

Forſan * virorum.

Interrogatio fiat primo de generalibus, deinde de ſpecialibus.

Interroget igitur Sacerdos quemlibet confitentem, prout ſecundum conditionem ſuæ perſonæ viderit expedire, & faciendum, quærens generaliter, quæ ſunt peccata, quæ commiſit, & an aliqua de ſeptem principalibus peccatis, & poſtea, ſecundum quod viderit expedire, deſcendat ad ſpecialia, dicendo ſibi, & quærendo de quolibet dictorum ſeptem peccatorum, de quo ſecundum ſtatum ſuæ perſonæ viderit expedire. Si commiſerit tale peccatum; & ſi dicat, quod ſic, audiat in quo, & qualiter; ſi dicat, quod non, vel non plene exprimat, dicat ei, cariſſime tu forte non noviſti, quod eſt illud peccatum, ſed eo multi ſunt involuti. Reſponde igitur mihi ſecundum tuam conſcientiam ſuper iis, quæ ſequuntur.

Quæ interroganda circa ſuperbiam?

Circa ſuperbiam quæratur: feciſti unquam aliquod illicitum, vel dixiſti pro laude humana, vel honore ſæculari habendo, ſi impugnaſti unquam ſcienter veritatem, ſi obviaſti ſcienter auctoritati Majoris tui? Si tibi, quod erat aliorum, adſcripſiſti; ſi de *Conſcientia, facundia, pulchritudine, cantu, nobilitate, dignitate, vel aliis gratiis, quas tibi Deus dedit, te jactaſti, vel intumuiſti. Si alium tanquam viliorem te contempſiſti, vel Superiori tumide te pariſicaſti. Si verba ſuperbioſa, & opprobrioſa alicui dixiſti: Si per ſuperbiam percuſſiſti. Si tumens in corde tuo contendiſti, diſputaſti, vilipendiſti, blaſphemaſti. Si bona naturæ, generis, & fortunæ, quæ habes, a te, & non a Deo credidiſti, & a Deo non recognoviſti; alium, & non te judicaſti; laudem, honorem, & gloriam, & judicium, quæ ſolius Dei ſunt, uſurpaſti, & tibi attribuiſti.

Forſan * ſcientia.

Quæ circa Invidiam interroganda?

Circa Invidiam quæratur; ſi cauſſa invidiæ de bono alterius doluiſti, & de malo lætus fuiſti; ſi detraxiſti alii, vel audiviſti libenter detractorem. Si cauſſa infamandi dixiſti, vel audiviſti malum de perſona, vel rebus, vel dictis, vel factis alterius in damnum ipſius. Si inter fratres diſcordiam ſeminaſti. Si laudaviſti unquam hominem, & in fine laudis per tamen, vel per ſi, vel per ſed, vel per niſi, aliquid unquam detraxiſti, ut totum vituperares cauſſa invidiæ.

Quomodo, quis infamatur per tamen, ſi, vel ſed.

Quæ circa Iram?

Circa Iram ſic; ſi aliquem odio habes, vel habuiſti. Si dixiſti convitia, vel dicenti reſpondiſti, quaſi te *judicando per iram. Si percuſſiſti aliquem; ſi dixiſti contumeliam Patri, vel Matri carnali, vel ſpirituali. Si damnificaſti aliquem per te, vel per alium, accuſando ipſum *Dominum, vel impediendo bonum, vel honorem ſuum, vel ponendo ignem, vel taliando vites, vel arbores, vel res ſuas furando, vel rapiendo, vel alia per violentiam, & quia ipſum habebas odio, occupando. Si rixas moviſti, diſcordias ſeminaſti, lites incitaſti, iniquas ſententias dediſti, vel injuſtum conſilium. Si vulneraſti, occidiſti cauſſa odii. Si odiſti, ſi injuſtum bellum moviſti. Si feciſti conjurationes, vel alias colligationes, vel alias illicitas actiones, etiamſi ſine juramento, cauſſa odii, & ut poſſes te vindicare.

Forſan * vindicando.

Forſan * Domino.

Quæ circa Accidiam?

Circa Accidiam ſic; ſcilicet ſi fuiſti unquam tepidus, & remiſſus ad bene agendum, cum poſſes. Si repuliſti a te gratiam, inſpirationem, quod eſt, cum homo cogitat aliquod bonum facere, vel dicere, & non acquieſcit. Si ſtatim primos motus extinguit, quos motus tamen in peccato nutrit, ubi eſſent potius extinguendi. Si dimiſiſti unquam ire ad Eccleſiam, vel ad prædicationem propter pigritiam, vel *ſegnitiam. Si fuiſti nimis delitioſus, vel otioſus; confiteri, cum poſſes, diſtuliſti, & maxime per annum, pœnitentiam tibi injunctam peragere neglexiſti. Officium Eccleſiaſticum tibi injunctum diligenter exequi neglexiſti; juſtitiam *perdere ex pigritia diſtuliſti. Celebrare noluiſti, nec Confeſſiones audire propter laborem evitandum, quia potius volebas quieſcere. Subtraxiſti proximo tuo egenti conſilium tuum, vel auxilium propter pigritiam ſolam; Diſtuliſti ex negligentia reſtituere aliena. Incidiſti unquam in deſperationem. Fuit unquam tibi propter laborem vitandum tædium vitæ tuæ. Fuiſti negligens circa obſequium fidele Domini tui, a quo paſcebaris, & induebaris, & alia bona recipiebas. Neglexiſti ſervare Sacramentum. Diſtuliſti ſolvere mercenario ſalarium, de quo conveniſti, vel aliter conſiderato labore ſuo, & ſervitio remunerare.

Forſan * ſegnitiam.

Forſan * reddere.

Quæ circa Avaritiam?

Circa Avaritiam quæritur, ſi fuiſti Simoniacus, violentus Dominus, Judex injuſtus, incautus Conſiliarius, cavilloſus Advocatus, impetrator malignus, ſcriptor falſarius, fur, latro, perjurus, ſacrilegus, luſor, evulſor metarum, ſeu terminorum agrorum, feſtorum colendorum violator, falſus mercator. Hominum quorumlibet, & maxime viduarum, pupillorum, pauperum, & aliarum miſerabilium

lium perſonarum oppreſſor cauſſa lucri injuſti, & avari.

Quæ circa Gulam?

Ebrietas, ſi non advertatur, veniale; mortale vero erit, ſi advertatur, & intenditur. D. Th. 2. 2. q. 140. art. 2.

Fractio jejunii reſultare poteſt ex potu immoderato, non autem ex potu aſſumpto ad digeſtionem ciborũ. ita D. Th. 2. 2. qu. 147. artic. 6 ad 2.

Circa Gulam quæratur ſic, fuiſti ebrius aliquoties, & tunc videtur veniale, vel forte pluries, & quaſi in conſuetudinem deducendo, & tunc eſt mortale. Comediſti ultra quam deberes, etiam uſque ad crapulam; fregiſti etiam bibendo ſolum vinum, & aquam ſine cauſſa juſta jejunia tibi in pœnitentiam injuncta, vel conſuetudinaria, ſeu indicta propter guloſitatem. Recepiſti non jejunus Euchariſtiam, vel Confirmationem, vel alia Sacramenta Eccleſiæ ſanus, & fortis nullo periculo imminente. Paviſti te ſplendide, pauperibus juxta te poſitis nimis eſurientibus, & fame morientibus te ſciente, & contemnente, vel negligente eis ſubvenire. Comediſti nimis propere, ideſt ante horam tertiam omnibus diebus, vel ante nonam in jejuniis, vel antequam audires Miſſam, cum poſſes audire, ſed magis volebas ſatiare ventrem, quam mentem, vel antequam appeteres, nec eras infirmus, vel debilis, ſed cauſſa guloſitatis tantum, vel inhoneſtæ ſocietatis hoc feciſti. Invitaſti alios ad æquales potus, vel ad bibendum nimis. Paraſti ſpecies, vel electuaria non cauſſa medicinæ, ſed ut vinum tibi melius ſaperet, & ad bibendum te fortius incitares, ultra quam naturæ tuæ expediret. Et unquam aliis talia paraſti, & eis propinaſti. De cibariis idem feciſti, & numquid plura fercula, quam naturæ expediret tibi, & aliis propinaſti. Numquid in ſcandalum aliorum contra conſuetudinem regionis feria quarta, vel Sabbato, vel aliis diebus carnes palam, & publice, vel alia cibaria comediſti, & numquid more canino totum comediſti, vel bibiſti, ut gulæ tuæ ſatisfaceres, non naturæ, & ſociis non dimiſiſti, nec aliquid eis dediſti, & numquid more urſino, ſeu leonino nimis avide cibum etiam viliſſimum gulæ flamma accenſus, non dico, comediſti, ſed devoraſti. Numquid divites, & non pauperes tecum ad menſam evocaſti, & ipſos ultra quam natura requireret refeciſti. Numquid goliardus fuiſti.

Quæ circa Luxuriam?

Circa Luxuriam quæratur ſic; commiſiſti fornicationem, quod eſt quando ſolutus ſæcularis cognoſcit ſolutam non Virginem, nec Religioſam. Commiſiſti ſtuprum, quod eſt Virginem deflorare. Commiſiſti adulterium, quod eſt cognoſcere maritatam, vel cognoſci ab uxorato. Commiſiſti inceſtum, quod eſt, quando cognoſcitur conſanguinea, vel affinis carnalis, vel ſpiritualis, unde ad filiolas, & ad Religioſas extenditur. Et an in loco ſacro, vel non ſacro, & an diebus Dominicis, vel feſtivis, & an tempore jejuniorum, & utrum unam cognoverit, vel plures, & quoties, & an de nocte, vel de die, & in qua domo.

Item peccaſti contra naturam, quod eſt, quando aliter cognoſcitur mulier, quam natura, prout quilibet naturaliter novit, & cum ipſum natura exponat, omnis alius modus, quicumque ſit ille, contra naturam eſt. Nec volo ſcribere, nec tibi conſulo, quod reveles, ſed ſic caute dicas, tu bene noſti modum, qui naturalis eſt. Accidit unquam tibi pollutio aliter, vel cogitatio mulieris; ſi dicat, quod non, nihil ultra quæras; ſi dicat, quòd ſic, utrum vigilando, vel dormiendo? ſi dicat, dormiendo, quæras utrum, cum muliere, vel ſine muliere, an cum illa, quam concupiverat, vel alia, & an nimis in diebus præcedentibus bibiſſet, vel comediſſet, & quantum eſt temporis, quod ſibi non acciderat. Ex iis enim præſumitur, an ſit naturalis, quæ non eſt timenda, an alia, quæ timenda eſt, ſcilicet quando provenit ob nimiam crapulam, vel ſi cogitatio mulieris, quæ præceſſerat vigilando per conſenſum in pollutionem incidit dormiendo. Si verò dicat, quod vigilando accidit ſibi pollutio, quæras utrum ſine muliere; ſi dicat, quod ſic, quæras quomodo; ſi autem dicat, quod cum muliere, quæras utrum extra vaſa, vel intra, & quomodo, & ſic caute procedas, ne ipſum aliquatenus de modo inſtruas, ſed ab ore ipſius prius potius extrahat, quod commmiſit.

Caute confeſſarius procedat, ne interrogando videatur inſtruere.

Circa Luxuriam præcipue interrogãdus eſt pœnitens de cogitationibus, & locutionibus.

Item quæras ſic de locutionibus, nutibus, cogitationibus, & aliis ſimilibus; Dicas ergo: concupiviſti unquam aliquam Mulierem in corde tuo, concupiſcentiæ conſentiendo, quod mortale eſt. Incitaſti unquam aliquem, ſeu aliquam ad libidinem per te, vel alium, vel per oſtentationem tui, vel per ornamentorum tuorum, ſicut faciunt aliqui Nobiles, Clerici, & alii quamplures, & etiam mulieres propter hoc ſpecialiter pluſquam propter Deum ad Eccleſiam, maxime in feſtivitatibus feſtorum, & nuptiarum, & ad proceſſiones euntes, & per vicos, & plateas, aut Eccleſias, vel alibi coreizantes, & ad prædicationes, ſeu ſermones modo ſimili. Riſiſti unquam, vel cantaſti, vel nutum feciſti alicui mulieri in Eccleſia, vel alibi, vel ipſa tibi, cum intentione iſtius peccati committendi. Incitaſti te unquam, cum non appeteres, ad hoc peccatum, comedendo electuaria calida, vel aliquo alio modo ad libidinem exercendam. Dixiſti unquam mendacium, vel verbum otioſum, vel iviſti, vel laboraſti, vel aliquid feciſti pro muliere habenda, & ſimilia. Et ut cautius judices repete hic, quæ dicuntur ſupra eodem titulo: **§.** *Cave tamen, ne ſis promptus facile judicare.*

CAP.

CAP. IX.

Docentur Confeſſarii, quomodo ſe gerant ad inquirendas perſonarum, & peccatorum circumſtantias.

Ut autem plenius inſtruaris circa inquirendas circumſtantias perſonarum, & peccatorum, tibi doctrinam damus. Quoad perſonas namque hæc circumſtantiæ ſunt inquirendæ, & conſiderandæ, videlicet utrum ſit mas, vel femina, juvenis, vel ſenex, liber, vel ſervus, nobilis, vel ignobilis, in dignitate, vel officio eccleſiaſtico, vel ſæculari conſtitutus, vel privatus, ſanæ mentis, vel furioſus, aſtutus, & ſciens, vel ſimplex, & ignarus, ſolutus, vel conjugatus, Laicus, vel Clericus, Sæcularis, vel Religioſus, litteratus, vel illiteratus, propinquus, vel affinis, vel extraneus, dominus, vel mercenarius, agricolator, caupo, pelliparius, vel alius operator, vel mercator, ſocius, vel non ſocius, vel homo otioſus, Chriſtianus, vel Judæus, Hæreticus, vel Paganus, contritus, pœnitens, vel irridens.

Caute tamen hac in re procedendum, maxime in materia contra caſtitatem.

Caute tamen interrogandum eſt, ut ſupra diximus, & maxime in fornicatione, ſi erat virgo, vel corrupta, vidua, vel meretrix, conjugata, vel ſoluta, ſæcularis, vel regularis, conſanguinea, vel extranea; non tamen quæras nomen, ſicut multos audivimus ſimiles pœnitentiarios, de quorum conditionibus, & factis nihil exprimere volumus, ſicut ſuperius diximus, quia ſicut peccator non debet alium ſpecificando accuſare, ſic nec Presbyter interrogare. Si tamen exprimat eam bona intentione pœnitentiario, qui eſt perſona, quæ debet prodeſſe, & non obeſſe, non ut perdat ipſum peccatorem, ſed ut pœnitentiarius oret pro eo, aut ſecrete laboret ad correctionem ejus, tunc non peccat, ſed potius meretur. Et ſimiliter dicimus, ſi Pœnitentiarius inquirat de illa perſona bona fide, ut oret pro ea, aut corrigat in occulto, non credimus quod peccet, dum tamen confitentem nullo modo cogat ad nominandam illam perſonam, aut ejus expreſſionem extorqucat ab initio, vel ex alia cauſa inhoneſta, & vili, maxime circa mulieres, ut audivimus etiam a quibusdam Religioſis ſatis turpiter per hunc modum actum, quod ſcribere erubeſcentes nolumus de præſenti latius explicare, cum multa turpiſſima audiverimus. Sed breviter dicimus de perſona, quæ, & qualis ſit, conſiderandum diligenter, & ſecundum qualitatem ipſius de diverſis peccatis aliis inquirendum eſt, & ſunt pœnitentiæ variandæ.

Non quæratur nomen complicis peccati: tamen ſi illud explicat pœnitens ad integritatem confeſſionis, non peccat D. Th. 2. 2. q. 73. art. 2. o.

Pœnitentiarius debet prodeſſe, & non obeſſe.

Peccatorum circumſtantiæ, de quibus inquiri debent pœnitentes.

Circumſtantiæ vero peccatorum aliquæ ſunt comitantes, aliquæ allicientes: de comitantibus inquiri debet, & conſiderari oportet quid ſit commiſſum, & quale, ſcilicet utrum peccatum ſit ſuperbiæ, vel alterius generis, utrum ſit mortale, vel criminale, vel veniale, utrum ſit enorme, vel mediocre, principale, vel acceſſorium, manifeſtum, vel occultum, recens, vel quatriduanum, antiquum, & fœtens ſic, ut de uſitato quæras in ſpecie, de inuſitato caute, & in genere.

Item ubi ſit commiſſum, ſcilicet loco ſacro, vel profano, in domo Mariti, Patris, vel Domini, vel aliena, in lecto, vel extra lectum, in campo, vinea, viridario, horto, vel nemore. Item per quos, ſcilicet Mediatores, vel Nuncios: omnes enim tales ſunt rei, & participes ejuſdem damnationis, pro quibus, & cum quibus, & contra quos.

Item quoties, ut non ſolum ipſa peccata, ſed & vices, & iterationes quæras, & alius, ſi recordetur, dicat, ut ſcilicet dicat quoties cognovit mulierem, & quot mulieres. Quoties * fuit, vel alios inebriavit, & quot, & quoties dixit verba contumelioſa, vel falſa, & nociva, contra quos, & quot, & ſic de ſingulis, quia vulnus iteratum tardius ſanatur.

Forſan * *ebrius*

Item cur, ideſt, quali intentione hoc fecerit. Utrum ipſe tentationem prævenerit, vel a tentatione præventus fuerit. Utrum ſponte, vel coactus, & an conditionali coactione, vel abſoluta; caveat tamen, ne coactionem proponat ad excuſationem, ſicut audivimus aliquas mulieres volentes peccatum carnis excuſare, & minus bene reatum ſuum agnoſcere, quarum velamen intentionis Deus aperiat, an cupiditate, vel paupertate, & utrum ludendo, vel nocendi animo.

Item quomodo, de modo ſcilicet agendi, & patiendi, & præparandi, operandi, & cogitandi, & loquendi. Utrum latenter, vel proditionaliter, vel aperte, & patenter, & quod alius non confidebat de ipſo, utrum dando pecuniam, vel numerando, vel preces offerendo. Utrum mutaverit habitum: vel finxerit ſe alium, quam eſſet, & ſic de aliis, quæ melius actu, quam lectione ſequantur, & tu dicas deterius, quia deterius eſt agere, quam audire, & tutius Sacerdoti, quod peccator per ſe hæc aperiat, quam quod per incautæ interrogationis lectionem ab eo inſtruatur, ut etiam ſuperius in alio loco tetigimus.

Item quando, utrum ſcilicet diebus ſolemnibus, vel privatis, tempore Quadrageſimæ, vel alio, utrum tempore vigiliarum, jejuniorum, vel alio, de die, vel de nocte, utrum poſt pacem reformatam, vel ante, utrum poſt pœnitentiam, vel ante.

Quale conſilium, & quale remedium peccatori confeſſor præſtare tenetur?

Sic igitur omnibus prædictis peccatis, & aliis, prout expedire videbitur, cum diligentia inquiſitis, & conſideratis pecca-

catoris circumſtantiis, & peccati, intelligat quale debeat peccatori conſilium dare, & cujusmodi remedium adhibere, quærendo ab ipſo, an proponat amplius non peccare, & agere pœnitentiam condignam de commiſſis. Et ſi reſpondeat ſe a peccatis abſtinere non poſſe, vel nolle, vel quod a quibuſdam vult abſtinere, & in aliquibus remanere, ejus confeſſionem debet nihilominus Sacerdos audire, & eis peccatis confeſſis conſilium exhibere. Sed antequam det ei conſilium, exprimat diligenter, quod ſi totus mundus ſuus eſſet, & pauperibus erogaret, & in pane, & aqua jejunaret toto tempore vitæ ſuæ, nihil ſibi proficeret ad vitam æternam habendam, quamdiu in peccato commiſſo remanebit, & voluntate, & propoſito peccatum iterum committendi, nec ipſe Sacerdos eum abſolvere poterit de aliquo peccato, niſi de omnibus pœniteret, & haberet propoſitum iterum non peccandi, & hoc ſæpius ei dicat, monendo ipſum dulci, pio, ac ſuavi eloquio, ut de omnibus pœniteat, & abſtineat in futurum, & exprimendo ſibi timorem de die judicii, & pœnas perpetuas, quas in inferno, niſi veram egerit pœnitentiam, perpetuo ſuſtinebit.

Quid agendum, ſi pœnitens non poſſe ad veram pœnitentiam induci?

Si vero ad veram pœnitentiam, & confeſſionem ipſum nequiverit inducere, debet ei de peccatis confeſſis in hunc modum conſilium exhibere. Frater, ſive Fili dico tibi, & conſulo, quod jejunes, ores, eleemoſynas facias, & alia bona; & dicat ei etiam, quod licet ſupradicta bona, quæ ipſe ſibi pro peccatis conſulit facienda, non ſunt ei fructuoſa ad vitam æternam habendam, cum in peccato commiſſo remaneat, vel voluntate peccandi: ea tamen ſibi conſulit facienda, ut per ipſa bona, quæ faciet, dignetur Deus cor ejus ad veram pœnitentiam illuſtrare, & ne diabolus in eo tantam habeat poteſtatem, quantam haberet, ſi peccata continuo exerceret. Et facta generali confeſſione, ſcilicet *Confiteor Deo, &c.* non abſolvat eum a peccatis, ſed dicat ei, quod non recipiat Corpus Chriſti, quamdiu in peccato remanebit, & propoſito peccati iterum faciendi.

Cavendum in hoc caſu, ne confeſſarius peccatorem in deſperationem inducat.

Caveat tamen Sacerdos quantum poterit, ne ipſum in deſperationem inducat. Si autem de omnibus confitetur, & pœnitet, & habet propoſitum in poſterum abſtinendi, conſideret Sacerdos, an tale peccatum inter alia confeſſum fuerit, propter quod ad Epiſcopum ſit mittendus; & ſi tale ſit, ad Epiſcopum ipſum mittat; ſin autem imponat ſibi pœnitentiam de peccatis confeſſis, conſideratis, ut diximus, peccatoris circumſtantiis, & peccati.

Pœnitentia imponenda conſideratis peccatoris, & peccati circumſtantiis.

CAP. X.

Non ſolum commiſſa, ſed bona omiſſa peccatores confiteri inſtruantur.

De omnibus ſupradictis, & aliis multis, quæ non poſſunt ſcribi per ſingula, debet confiteri peccator, ſi recordatur, & conteri. Sed & de bonis omiſſis, quæ ſcilicet potuit facere, hæc quippe dicuntur delicta, ideſt derelicta. Item de omiſſo, ſcilicet de tempore inutiliter lapſo, ſi enim capillus non peribit de capite, ita nec momentum de tempore: ait enim Bernardus: *Omne tempus tibi impenſum, requiretur, qualiter ſit expenſum.*

Inter bona omiſſa numerantur tempus inutiliter expenſum, ſcandalum, & malū exemplum datum.

Item quia animas proximorum non ſolum inſtigando, vel malum exemplum præbendo, vel alio modo Deo abſtulit, nec per bonum verbum, vel exemplum ab ore diaboli eripuit, ſed etiam ereptas a ſe, vel ab alio in malo confirmavit. Item quia fuit cauſſa mali exempli multis, & quia non fuit cauſſa boni exempli, fuit cauſſa mali exempli. Item de triſtitia, quam bonis peccando intulit, & lætitia, quam eis bene operando non dedit.

Item quia Eccleſiam Dei ſcandalizavit, & inobediens ei fuit; nec ſolum cogitet quid, & qualiter fecerit, ſed quam injuſte tam benignum, tam utilem, tam miſericordem, tantum Creatorem, tantum Dominum, non alienum, ſed ſuum Deum offenderit, & in offenſione tamdiu perſeveraverit. Et licet ſecundum Canones pœnitentiales, quos Sacerdotes ſcire tenentur, alias vix in eis nomen Sacerdotis conſtabit, pro quolibet mortali peccato ſeptennis regulariter pœnitentia ſit imponenda, & pro quibusdam magnis, & gravibus peccatis aliæ pœnitentiæ duræ, prout in Canonibus Pœnitentialibus ſpecialibus per librum decretorum reperitur, ſcilicet in XLVI. Caſibus, quos notat Dominus Oſtienſis in ſumma ſua, *in titulo de pœnitentiis in §. Quæ pœnitentia ſit pro caſibus ſingulis infligenda.* Et Joannes in ſumma Confeſſorum eodem titulo quæſtione CXXV. quos hic cauſſa brevitatis enumerare ad præſens omittimus: quia tamen fragilitas noſtri temporis hodie tanti rigoris non patitur manere cenſuram, Sacerdos imponat majorem, vel minorem pœnitentiam, prout ſecundum qualitatem peccati, & contritionis, & qualitatem peccatoris ſaluti ejus viderit expedire.

Sacerdos canones ignorans, vix Sacerdos.

Temporis noſtri fragilitas nō patitur canonum rigorem in pœnitentiis imponendis, unde imponendæ ſecundum quantitatem peccati, & qualitatem peccatoris.

Caveat tamen, quod ſic arbitretur, ne vileſcat auctoritas Eccleſiæ, & ne poteſtas clavium contemnatur. Ut autem Sacerdos poſſit contraria contrariis curare, conſulimus, ut ſemper per contrarium pœnitentias imponat ipſi peccatori, & per contrarium reſpondentes. Ut ſi peccaverit per ſuperbiam, injungat ei orationem, ut ſuadeat ei humilitatem. Si per avaritiam, injun-

Quomodo gerere ſe debet confeſſarius in imponendis pœnitentiis?

injungat ei eleemoſynarum largitatem. Si per guloſitatem, vel nimiam comeſtionem, abſtinentiam ciborum: Si per luxuriam, injungat ei jejunium, & orationem, diſciplinas, & alias carnis macerationes. Acedioſo, peregrinationem: In omni enim peccato Deum offendimus, aut corde, aut ore, aut opere: imponatur igitur pœnitentia contra peccatum cordis, ſcilicet jejunium, & alia carnis maceratio; contra peccatum oris, oratio, & alia humiliatio; contra peccatum operis, ſatisfactio, & eleemoſynarum largitio.

Cum plura peccata in eodem peccato concurrunt, expendat quid in eo principalius ſit.

Et licet dicta tria in uno peccato aliquando concurrant, tamen ſemper aliquid iſtorum eſt principalius in quolibet peccato, prout Confeſſor diligens perpendere poterit, audita confeſſione cujuslibet peccatoris. Item Sacerdos debet eſſe ſollicitus, ut pœnitenti onus importabile non imponat, licet recipere pœnitens ſit paratus, ſed ſic temperet pœnitentiam, ut a ſtudio non cogantur ceſſare ſcholares, a fabrica fabri, ab agro agricolæ, vel alius artifex ab opere ſolito, licito, & ſibi competenti, nec Dominus a cura familiæ, ut ei providere non poſſit.

Pœnitenti onus importabile non imponat.

Nec pro peccato occulto pœnitentiam publicam injungat.

Item pro peccato occulto Sacerdos publicam pœnitentiam non injungat; nam publica pœnitentia poteſt ab Epiſcopo dumtaxat, vel ab alio de mandato ſuo imponi. Et pro publico peccato, & enormi, & tali, quod totam Civitatem, caſtrum, vel villam commoverit, ut pro homicidio, ſacrilegio, inceſtu, & ſimilibus.

Fratres Minores, vel Prædicatores non poſſunt publicam pœnitentiā imponere, niſi de mandato Epiſcopi; & Curia Romana pœnitentiam publicam non indicit, niſi in loco, ubi reſidet Curia.

Fratres autem minores, vel Prædicatores talem pœnitentiam per ſe imponere non poſſunt ſine mandato Epiſcopi.

Curia autem Romana non indicit talem pœnitentiam publicam, niſi in loco, ubi reſidet Curia; & ideo non credendum multis ribaldis, qui diſcurrunt per mundum cum catenis, & alii publice pœnitentibus cum litteris falſis Pœnitentiariorum Domini Papæ: quibus de facili non credendum, quia non conſuetum.

Non facile credendum diſcurrentibus per orbem, & pœnitentiam publicam ſibi falſe impoſitā ſimulantibus.

Fragilitatem allegantibus, & jejunare impotentibus orationes, & eleemoſynas imponat.

Si autem peccator luxurioſus ſenex, vel dives fuerit, & dicat ſe jejunare non poſſe, aggravabit eum Sacerdos orationibus, & eleemoſynis. Si autem peccator fragilitatem corporis alleget, & recuſet aſperitatem pœnitentiæ, quam Sacerdos ſibi vult imponere, debet Sacerdos primo ipſum inducere, ut animum habeat paratum ad omnem ſatisfactionem, oſtendendo ſibi magnitudinem peccatorum, quæ ſibi confeſſus eſt, & quot, & quanta bona perdidit propter peccata illa, quæ commiſit, quæ omnia recuperabit per pœnitentiam * imponat ei pœnitentiam majorem, quam ipſe poſſit portare, ne forte poſtea peccet deterius, ipſam pœnitentiam infringendo.

Forſan * nec

Impoſita vero pœnitentia, & facta generali confeſſione, ſcilicet *Confiteor Deo*, &c. dicat Presbyter ſic: Ego injungo tibi talem pœnitentiam, quam dixi tibi pro peccatis, quæ confeſſus es, & ponens manus ſuper capu ipſius dicat: *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens, pius, & miſericors Dominus. Et ego te abſolvo auctoritate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & officii mihi commiſſi, ab iis peccatis, quæ mihi confeſſus es, & aliis oblitis, &c.*

Abſolutionis formula:

Item dicat illi, quod ſi reduceret ad memoriam aliqua alia peccata, quæ non fuit confeſſus, poſtea rediret ad eum, & confiteretur.

Monendus pœnitens, ut redeat ſi peccatum aliquod oblitum memoria deinde referat.

Et notanter diximus, quod imponat manum ſuper caput, nam non Sacerdos non poſſet in foro Pœnitentiali aliquem abſolvere, in foro tamen judiciali poteſt; ſed abſolutionem pœnitentialem cum * *pſalmus, & oratio* committet Sacerdoti: & ita videmus in Judicibus delegatis, & Vicariis, aut Officialibus Epiſcoporum, qui ſunt quandoque non Sacerdotes, & excommunicant, & abſolvunt, ſed ſecundum modum, quem diſtinximus: licet quidam dicant in Sacramento Pœnitentiæ non eſſe neceſſariam manus impoſitionem, quia non eſt ordinatum ad conſequendam aliquam excellentiam gratiæ, ſed remiſſionem peccatorum, & ut aſſerunt, magis competeret crucis ſignatio, quia per Sanguinem Chriſti remittuntur peccata: utrumque tamen fieri judicamus, & ſic nos obſervamus etiam quandoque, cum virga pœnitentem percutiendo, maxime abſolvendo excommunicatos.

Lege * *pſalmo, & oratione*.

Manus impoſitio in Sacramento pœnitentiæ non eſt neceſſaria, ut docet D. Th. in ſup 3. p. q. 25. art. 4.

CAP. XI.

Sacerdos quo pacto gerere ſe debeat circa pœnitentes infirmos?

Circa Infirmos vero non eſt taliter procedendum, quia eis non debet Sacerdos pœnitentiam injungere, ſed tantum quantitatem, & qualitatem innoteſcere, ſive declarare, dicendo ſic, cum ejus peccata audierit. Si tu eſſes ſanus pro tot peccatis, quæ commiſiſti, & confeſſus es, deberes talem pœnitentiam agere, & tot annis pœnitere: ſed quia tu es infirmus, non impono tibi pœnitentiam, ſed injungo tibi, quod ſi de hac infirmitate te mori contigerit, facias dari tantum pauperibus, vel piis locis loco prædictæ pœnitentiæ, vel Miſſas facias celebrari, vel hoc, vel aliud fieri per hæredes tuos, ſicut viderit expedire. Si tamen convalueris, injungo tibi pœnitentiam talem, & his dictis imponat manus ſuper caput ejus, & abſolvat eum a peccatis, ſicut ſupra dictum eſt de ſano. Et ſi ſic moriatur, eſt amicorum orationibus, & eleemoſynis adjuvandus, & ante mortem perungendus, & Sacro Viatico reficiendus.

Quas pœnitentias injungere debet infirmo

Si

Si vero Infirmus petiit Sacerdotem pro pœnitentia recipienda, vel aliqua alia ſigna pœnitentiæ fecit, & interim dum Sacerdos veniret, obmutuerit, vel factus amens, vel freneticus Sacerdos, veniens ſive ad nutum infirmi, ſive teſtimonium eorum, qui audierunt ipſum petentem pœnitentiam, vel alia ſigna pœnitentiæ facientem, debet ei quidquid humanitatis, & conſolationis poterit, impendere, abſolvendo eum de peccatis ſuis, & reconciliando, orationes dicendo, & Crucis oſculum, ſi præſens Crux fuerit, ſibi dando; & ſi forte mortuus ſit, nihilominus abſolvat eumdem, dum tamen habeat de ſignis pœnitentiæ teſtimonium, quia forte tendebat manus ad cœlum, percutiebat pectus, dicebat: *Miſerere Deus, eſto mihi propitius, Beata Maria ora pro me*, vel ſimile. Qualiter autem abſolvi debeat infirmus, vel in mortis articulo conſtitutus per proprium Sacerdotem, vel per alium, ſi proprius Sacerdos haberi non poſſit, infra in tractatu de ſententia excommunicationis continebitur in §. *nunc videndum*.

Si Sacerdos ab infirmo vocatus mortuum ipſum invenerit, & pœnitentiæ ſigna dederit, ipſum abſolvere debet: quod inſinuat D. Th. opuſc. 65. §. de Sacram. Pœnitentiæ. art. 3.

CAP. XII.

De peccatis, de quibus nemo poteſt pœnitere, abſolutionemque recipere, niſi reſtituat.

Sane conſiderandum eſt diligenter, quod quædam ſunt peccata, de quibus nullus poteſt pœnitere, niſi reſtituat, vel emendet, ſi poteſtatem habeat emendandi; videlicet rapina, furtum, ſacrilegium, incendium, uſura, & indebita extorſio, talliæ, quæſtæ, & coltæ, retentio cenſus, item retentio decimæ, vel non facta debita ſolutio, & integra. Et hoc infra in titulo de Decimis latius declaratur.

Hanc obligationem fert univerſim cujuslibet alienæ rei ſcienter indebita detentio.

Item damna data contra juſtitiam, & generaliter cujuslibet alienæ rei ſcienter indebita detentio. Et in his omnibus præcipiendum eſt pœnitenti, quod incontinenti faciat juxta poſſe, quia, juxta verbum Auguſtini, *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*, etiam uſq; ad venditionem hæreditatis, & omnium bonorum, etiamſi oporteat ipſum, & familiam ſuam mendicare; facultas enim reſtituendi ſemper eſt, quamdiu debitor habet, per quod ſatisfacere poteſt uſque ad mendicam paupertatem, vel extremam neceſſitatem, in qua etiam ſine omni culpa accipit vitæ neceſſaria.

Reſtituendum ablatum etiam uſque ad mendicam paupertatem.

Diſcreta tamen remedia præmittenda, cum pœnitens ſine periculo magno ſuo, & familiæ non poteſt ſatisfacere.

In hoc autem caſu, quando ſine periculo magno ſuo, & familiæ non poteſt ſatisfacere, caute, & diſcrete conſulendum eſt tali, ſi aliud remedium adhiberi non poſſit, ut liberetur a pœnis inferni, & ſalvetur anima, quod eligibilius eſt, ut petat dilationem a ſpoliatis, vel aſſignet certam partem de reditibus ſuis amicabiliter, de qua ſatisfaciat ſucceſſive, & de hoc fiat cautio bona. Et ſi illi denegent hoc recipere, & dilationem concedere, tunc ille cedat bonis, vel abſque dilatione ſatisfaciat, vel pro remiſſione totali inſtet per ſe, vel occulte, ut infra dicetur. Et ſi remittatur in totum, vel in partem, liberatur, dum tamen dolum, vel fraudem in his non committat: hoc enim ſibi in locum eleemoſynæ ſuccedet.

Quid agendum, ubi plures eſſent creditores diſcordes?

Ubi autem eſſent plures creditores diſcordes, tunc conſulendum eſt, ut coram judice fori contentioſi vadat, & ad ceſſionem bonorum, ſi aliud non poteſt, procedat, quia tunc facta ceſſione non * *decluditur* in carcerem, nec excommunicatur, & ſi excommunicatus fuerit, abſolvetur data cautione idonea de ſolvendo debito, ſi ad pinguiorem fortunam pervenerit, nec tunc condemnabitur, niſi in quantum facere poteſt, habita ratione ne egeat; non enim fraudandus eſt quotidianis alimentis, nec etiam debet aliqua pœna mulctari. In hoc etiam caſu, ubi ſunt plures creditores diſcordes, majori parti, hoc eſt illi, quæ majus, & fortius debitum habet, & gravius, ſtandum erit, etiamſi eſſet unus ſolus pro illa parte, & alii pro alia.

Forſan * *detruditur*.

Et ſi par eſſet debitum hinc inde, & tunc major numerus creditorum attendetur. Et ſi omnia paria, tunc in clementiorem partem pro debitore fiet electio.

[illegible] factionis quando, & qua cum cautela permitti poterit?

Quod autem dictum eſt, ut ſtatim ſatisfaciat, vel bonis cedat, hoc intellige, ubi dilatio haberi non poteſt; præſertim ſi læſi, vel creditores egeant ita, quod non poſſint dilationem concedere abſque periculo ſuo, & familiæ; ſemper enim ubi mora timetur, vitandum eſt periculum. Ceſſante vero periculo, puto, quod diſcretus Sacerdos poterit ſuam conſcientiam informare, intendens gerere utiliter negotium creditoris, vel læſi; nam ſi videt, quod aliter non poteſt recuperare in perpetuum, vel ita cito, vel non ita commode, poteſt recepto juramento, & alia ſufficienti cautione, ſi habere poteſt, dilationem concedere, & ſub hac conditione, ſi hoc impleverit infra diem talem, peccatorem abſolvere. Sic creditor, vel læſus, quod ei debetur * *recuperet*, & peccator non recedet a Presbytero deſperatus. Et in hoc caſu, ſi poſſit Sacerdos, adhibeat conſenſum ſpoliatorum, vel creditorum, & erit tutius.

Forſan * *recuperabit*.

Et hoc, ſi peccata occulta fuerint, occulte fiat reſtitutio, ſcilicet per manum Sacerdotis, vel alterius religioſæ perſonæ ſuppreſſo nomine pœnitentis, ſicut in hoc pluribus in noſtra viſitatione generali Diœceſis, & Provinciæ noſtræ Beneventanæ, quam Deo auctore perfecimus, conſulendo injunximus.

Reſtitutio occulte fiat, ſi peccata fuerint occulta.

Si autem pœnitens non habet rem, quam debet reſtituere, nec mobilia, neque immobilia, unde poſſit commode ſatisfa-

Quid agendum, ſi pœnitens non habeat, unde reſtituat; vel ſi abſit is, cui reſtitutio facienda?

tisfacere, vel licet habeat, non eſt tamen præſens, nec eſſe poteſt is, cui eſt reſtitutio facienda, & appareat vere pœnitens, & contritus, & doleat, & proponat ſatisfacere, cum poterit, pœnitentia ei injungatur; & tene, quod ſemper tali eſt ſalutaris pœnitentia injungenda, poſſit, vel non poſſit reſtituere, ratione transgreſſionis præcepti Divini; nam alias non excuſatur peccator a culpa. Et ſi talis fuerit infirmus, præcipiat ſuis hæredibus, quod illi ſatisfaciant pro eodem, ſi de illa infirmitate contigerit illum mori.

Infirmi, ſicut & ſani ad reſtitutionem tenentur, & hoc eſt illis ſignificandum.

Omnibus autem pœnitentibus ſanis, vel infirmis, qui tenentur aliis reſtitutionem facere, ſeu emendam, eſt ſollicite intimandum, quod non excuſantur, nec liberantur ab illo peccato, præcipiendo ſuis hæredibus, quod reſtitutionem pro ipſis faciant, vel emendam, niſi ipſi principales raptores, uſurarii, fures, ſeu aliarum rerum illiciti detentores reſtitutionem incontinenti faciant, vel emendam, ſi eam poſſint facere, ſicut ſuperius continetur. Faciat ergo poſſe ſuum quamdiu vivit, cum ſanus eſt, & tutus recedit, ac ſecurus.

*Forſan * &c.*

Qua vana confidentia ſeducantur, non ſolventes decimas, & male ablata incerta non reſtituentes.

Et hoc advertant maxime illi, qui pro decimis non ſolutis, aut alias ablatis, ſeu recuſatis dare Eccleſiæ, ſunt ligati etiam excommunicationis ſententiis, vana ſeducti confidentia, allegantes, quod in teſtamento ſuo ultimo ſatisfacere, & relinquere procurabunt per ſuos hæredes: & idem etiam de male ablatis incertis, ſed * *ante* tempus teſtamenti faciendi habere poſſint, & Deus eis miniſtret, non advertunt, nec diem mortis, qui incertus eſt. Et forſan quod pejus eſt, talibus Deus mortem ſic ordinatam concedere non vult propter corruptam mentem, quam erga caſum reſtitutionis habent, ut de aliis, quæ ſibi ſoli ſunt cognita, taceamus; nunquam enim vane cogitantes hæc, & perverſe agere cupientes, poſſunt veriſimiliter æſtimare, quod prout ipſi cogitant, per ſuos hæredes, & filios ſatisfieri, quod & ipſi filii, & hæredes ſuum jactantes ſimiliter cogitatum ad illa, & ſua, quæ tenebuntur reddere, expectabunt ejuſmodi adventum. Et ſic dilatata expectatio ad generationem interitus, & nullitatis revertetur. Sapiens ergo, & laudandus, qui dum tempus operandi habet, ad exercitium ſe, & operationem deducit: alium pro ſe non expectans, qui forſan totum deſtruens, & ad alienos de facili convertetur. Hoc vero hic inſerimus, quia ſcimus hujuſmodi vitium nimis in partibus excreviſſe, & radices emiſiſſe.

Raptoris hæredes etiam ad reſtitutionē tenentur, & quonam pacto.

Tenetur etiam raptor, ſeu alienæ rei detentor ad reſtitutionem; tenentur etiam ejus hæredes, quantum hæreditas ipſius tota ſufficere poteſt. Et ſi caſu fortuito perierit, etiam tenebuntur propter moram in reſtituendo commiſſam.

Tenentur etiam qui rem alienam mala fide emerunt.

Tenentur autem omnes illi, qui ſcienter rem raptam, vel alienam emerunt, vel alio quovis modo habuerunt cum mala fide, ſcilicet animo ſibi retinendi, & non voluntate, nec propoſito reſtituendi eam Domino ſuo. Nec taliter ementes poſſunt recuperare, ſeu petere pretium, quod dederint pro ipſa, nec poſſunt recuperare, ſeu retinere expenſas, ſi quas fecerunt, ipſam rem reſtituendo, vel remeliorando, & hoc propter malam fidem, quam habuerunt emendo; Et hoc intellige in infinitum, quotquot fuerunt emptores, quoniam omnes tenentur: Bonæ fidei vero emptor, ſcilicet ut reſtituat domino, recuperat pretium, & expenſas, & quidquid poſuerit pro rei conſervatione; id autem, quod ex ea habuerit quovis modo, reſtituere tenetur, ſi reperiatur, cujus eſt; alias facta prius diligenti inquiſitione, ſi non reperiatur, conſulo, quod cum auctoritate Eccleſiæ, quidquid res illa valet ultra id, quod debet ipſi emptori, erogetur ad pias cauſſas pro anima illius, cujus fuit, & fiat hoc publice, ut omnis ſuſpicio evitetur, licet enim in judicio animæ ſibi crederetur de conſcientia ſua, tamen in foro contentioſo non crederetur, niſi publice hoc proteſtaretur; dico tamen, quod ſi pauper eſſet, ſibi relinqui poſſet, ſicut alteri pauperi a Prælato, ut infra dicetur.

Bonæ fidei emptor ad quid teneatur, cum rem emptā alienam eſſe comperit?

Res aliena, ſeu rapta reſtitui debet non deteriorata.

Debet etiam reſtitui res aliena, ſeu rapta non deteriorata, ſed ſi deteriorata fuerit, vel caſu fortuito perierit, vel reſtitui non poteſt, integre reſtituatur tantum, quantum valebat cum omni utilitate, quam conſequuti ſunt ex re ipſa, ſi cum mala fide, ut dictum eſt, pervenerit ad eoſdem; ſed facta reſtitutione in integrum ab uno, ceteri liberantur quantum ad reſtitutionem Domino faciendam; quidquid tamen lucri habuerunt, conſulimus, ut cum conſilio Eccleſiæ in uſus pauperum erogetur, licet non ſit neceſſitatis. Et nihilominus deberent agere pœnitentiam juxta arbitrium Sacerdotis, quia rem alienam fraudulenter, & invito Domino tenuerunt.

Comedentes de præda, aut rapina tenentur etiam ad reſtitutionem; excipiuntur, qui comedunt cum illis, ut inducant ad reſtitutionem.

Uxor autem, & familia, & quicumque alii de præda, aut rapina comedentes, aut alias alimenta, ſeu victum recipientes, tenentur reſtituere, excepto tempore, quo agunt cauſſam ſpoliatorum monendo, & inducendo pro poſſe raptorem ad reſtitutionem; quo caſu etiam fratres Prædicatores, & Minores, & alii inducentes ad reſtitutionem, ſi comedant apud eum, excuſantur, & ideo pro alio tempore non comedant, neque utantur, & maxime, ſi non ſit ſpes correptionis; comedat autem de dote, aut de bonis parafrenalibus, ſi habet, aut victum quærat potius oſtiatim. Si tamen tanta eſſet ſævitia viri volentis ipſam comedere, velit, aut nolit, tunc, & ſemper in extrema neceſſitate comedat,

* *Conc. Prov. Benev.*

& utatur: doleat tamen,& proponat reſtituere, cum potuerit, aut abſtinere,& partem recipiat, ſeu utatur, quoniam aliter tenetur, ut dictum eſt.

CAP. XIII.

Quibus facienda ſit reſtitutio, & præcipue cum Domini, vel ejus hæredes diligenter inquiſiti, & expectati non inveniantur.

Facienda eſt autem reſtitutio Domino, vel ejus hæredibus, ſi potuerint inveniri. Sed ſi diligenter inquiſiti, & expectati non inveniantur, vel ignorentur, tunc cum licentia petita, & obtenta, & cum conſilio noſtro, vel Epiſcopi res illa,ſi excedat valorem decem carlenorum, diſtribuatur in pias cauſſas, & maxime in pauperibus ad ſalutem animæ illius, cujus fuit: & hoc in illa villa,vel Caſtro, aut Civitate, vel Diœceſi, ſi ſcitur Caſtrum, Villa, aut Civitas, ubi rapina facta fuerit; ſi tamen commode fieri potuerit: alias ſi multum remota fuerit, vel ex alia juſta cauſſa, alibi fiat juxta arbitrium noſtrum, vel Epiſcopi Diœceſani, ſervato ſemper tenore conſtitutionis ſuper hoc editæ circa male ablatorum diſtributionem, cui in hoc nihil volumus derogare.

Cum reſtituenda eſt res incerta non excedens valorem decem carolenorum, diſtributio fiat cũ licentia, & conſilio Archipreſbyteri, vel Parochi.

Si vero valoris decem carlenorum,concedimus de gratia, quod diſtributio fiat cum licentia,& conſilio Archipresbyteri, vel Sacerdotis Parochialis, non obſtante conſtitutione noſtræ Eccleſiæ ſuper hoc edita de male ablatis incertis.

Limitatur tamen hoc Archipreſbyterorum, & Sacerdotum arbitrium.

Volumus tamen, quod dicti Archipreſbyteri, & Sacerdotes ſic arbitrentur, ut nihil penitus ad eorum manus, ſeu utilitatem propriam deveniat, aut convertatur, & quod tertia pars illius quantitatis, quæcumque fuerit, & quantacumque, dari, & conſtitui per eos injungatur, & debeat operi, ſeu fabricæ noſtræ majoris Beneventanæ Eccleſiæ, aut aliarum Cathedralium Eccleſiarum in Provincia noſtra ſine defectu. Alioquin fraudem facientes, & præmiſſa non obſervantes,debita caſtigatione in duplum puniri volumus, & ita fieri ordinamus.

Ubi non invenitur perſona, cui reſtituatur, Epiſcopo pœnitens res illas deferat.

In hoc autem caſu, ubi non invenitur perſona, cui eſt facienda reſtitutio, pro meliori conſilio conſulendum, ut pœnitens totum,quidquid habet ſimpliciter, ac abſque conditione, & pacto reſignet in manu Epiſcopi, vel Pœnitentialis diſcreti, qui, ſi viderit eum pauperem, & egentem, det ſibi partem, vel totum,ſi tantam neceſſitatem viderit, ne aliter ipſe cum uxore, & filiis fame pereat, & ipſe præponendus eſt ceteris ſanctis, & religioſis locis. Et ſi quid reſiduum fuerit,pauperibus aliis diſtribuat, & iſte faciat quidquid boni poterit orando,& aliis modis pro iis, quorum res fuerant. Verum ſi poſt aliqua poterit lucrari juxta poſſibilitatem ſuam eroget in uſus pauperum pro animabus illorum, ita videlicet, ut iſta diſtribuenda pro anima ſic diſtribuantur, quantum utilius viſum fuerit pro illo, cui eſt reſtitutio facienda, ſi perſona nota ſit,& expendantur in uſus tales, qui magis poſſent proficere pro illo. Præmiſſa vero reſignatio non eſſet neceſſaria,ubi alias paratus eſſet ad arbitrium Pœnitentiarii, vel alterius boni viri, vel Epiſcopi ſatisfacere.

Cum ſcitur perſona, cui facienda eſt reſtitutio, ſed longe abeſt, quid faciendum?

Verum ſi perſona ſcitur, cui eſt reſtitutio facienda, vel ſolutio, ſed tamen in remotis partibus eſt; nec ſperatur, quod debeat redire, mittatur ei, ſi commode poteſt fieri, & ſecure. Alioquin pro anima ejus, cum conſilio Eccleſiæ, pauperibus erogetur; Et hoc fiat, ſi res ſit modica, quæ reſtitui debet: Sed ſi res magni valoris eſt, debet mitti ad expenſas detentoris ad illum abſentem, cui eſt reſtitutio facienda.

CAP. XIV.

Quid agendum in his, quæ reſtitui non poſſunt,ut eſt mutilatio membri,Stuprum,&c ſtatuitur.

In iis autem, quæ reſtitui non poſſunt, ſicut ſunt mutilatio membri,Stuprum, & ſimilia, in quibus nec in ſe,nec in æquivalenti reſtitui poteſt, ſatisfaciat per recompenſationem faciendam ad arbitrium boni viri.

Qui autem ſemina agri effoderint,vel alteri damnum intulerint pro eo, quod non ſolverint debitum ſuo tempore, non tenentur ad reſtituendum damnum totum,propter dubium,qualiter fructus agri profeciſſent, & an fœnerator, vel mercator damnum, vel lucrum in mercatione habuiſſet, ſed reſtituent tantum,quantum fructus agri in illo dubio vendi potuiſſent,vel pro quanto mercator fructus agri in illo dubio, vel lucrum ſuum vendidiſset.

Cum illati damni quantitas in dubio eſt, reſtitutio facienda eſt pro ratione dubii.

Qui autem impedit aliquem quominus beneficium,vel honorem, aut dignitatem aſſequatur, ſi mala voluntate, tenetur ad aliquam recompenſationem.Si vero recta intentione propter honorem Dei, vel Eccleſiæ, vel quia indignus, tunc non tenetur. Et idem ſi ex odio aliquis eligatur ad aliquam dignitatem, vel officium.

Qui impedit beneficium, vel honorem aſſequendum, tenetur recompenſare.

Qui vero invenit pecuniam, vel aliam rem in via, vel in loco alio, debet * eam reddere, ſi eum poterit invenire. Ipſe autem certificabit inventorem per circumſtantias rei; alias multi, forte non Domini, peterent. Sed ſi neſcitur cujus fuit,publicetur per Sacerdotes in Eccleſiis,& per Præconem in locis, in quibus eſt inventa, & ſi Dominus diu expectatus non venit, cum conſilio Eccleſiæ pauperibus pro anima illius, cujus fuerat,erogetur, vel cum conſilio ſui Pœnitentiarii retinebit inventor, ſi pauper eſt, & egens, & orabit pro

Forſan * *domino*. Quid faciendum, cum invenitur pecunia, ſeu res aliqua in via, vel alibi locorum?

pro illo, cujus fuit. Hoc autem intelligo, niſi Superior retinuerit ſibi diſpenſationem de talibus. Qui vero aliter retinet, & non reſtituit juxta poſſe, furtum commiſit. Unde in quibuſdam terris de conſuetudine, & bene portantur res ſic inventæ ad Eccleſiam, & ponuntur per Sacerdotes in loco patenti, ut quilibet intrans Eccleſiam poſſit videre, & dentur Domino, ſi veniat, & Dominum ſe oſtendat.

Lucrata in ludo reſtituenda hic dicuntur forſan defectu alicujus circumſtantiæ: & quia prohibetur ludus alearum d. 35. c. Epiſcopus.

Si quis autem voluntarius, & cupiditatis cauſſa aliqua in ludo amiſerit, non poteſt repetere. Si vero lucratus fuerit, ſibi eſt in ſpirituali judicio injungendum, quod ea reſtituat illi, a quo habuit, niſi per eum ad ludum inductus fuerit attractus per vim, vel nimiam alterius importunitatem & tunc in pias eleemoſynas erogetur. Et idem, ſi cauſſa infirmitatis, vel recreationis quis luſerit. Nam licet tales ſi amiſerint, non poſſint repetere, minus lucrum retinere, ſic eſt erogandum pauperibus. Tales autem melius facient, ſi ludant ad aleas, vel alium ludum ſine denariis, vel ludant ad ludum approbatum de jure. Sunt autem perſonæ, quibus indiſtincte reſtituendum eſt quidquid lucratum eſt ab eis, videlicet furioſi, prodigi, minores vigintiquinque annis, & maxime pupilli, mente capti, ſurdi, muti, cæci, & morbo perpetuo laborantes, ſervi, Monachi, & quicumque clauſtrales, uxor ludens res mariti, filius familias, ludens res paternas, adminiſtrator Eccleſiæ, ludens res Eccleſiæ.

Perſonæ, quibus indiſtincte reſtituēdū quidquid lucratus quiſpiam cum eis in ludo fuerit.

CAP. XV.

Studeat Sacerdos, ne verbo, vel ſigno pœnitentis peccatum patefaciat: alias pœnis taxatis ſubjacebit.

Caveat autem Sacerdos omnino, ne verbo, vel ſigno, aut alio quolibet modo prodat aliquatenus peccatorem, etiam de licentia confitentis. Sed ſi prudentiori conſilio indigeat, illud abſque aliqua expreſſione perſonæ caute requirat, quoniam juxta ſtatuta Concilii generalis, qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum, vel dictum præſumpſerit revelare, non ſolummodo deponetur, ſed etiam in arctum Monaſterium detrudetur ad perpetuam pœnitentiam peragendam.

Pœna frangentibus confeſſionis ſigillum.

Dicimus tamen, quod ſi ex iis, quæ dicta ſunt ſibi in pœnitentia, ſciat aliquod ſcandalum, vel periculum imminere, aut de hæretico, qui intenderet corrumpere fidem populi, vel de damno aliquo temporali futuro, vel de conſanguinitate, vel affinitate inter aliquos volentes matrimonium contrahere, & ſimilibus, tunc debet adhibere remedium, quod poteſt, ſine revelatione confeſſionis, puta monendo eos, qui confitentur, ut deſiſtant, & aliis diligentiam apponendo, ne per hæreſim aliquam corrumpantur, vel damnificentur. Poteſt etiam dicere Prælato, quod diligentius invigilet ſuper gregem ſuum, ita tamen quod non revelet confitentem, ut dictum eſt.

Qgid agere poteſt Sacerdos ad vitanda imminentia pericula, de quibus in confeſſione notitiam habuit?

Prælatus autem non debet præcipere Pœnitentiario, ut revelet crimen alicujus, quod ſcit in pœnitentia, nec excommunicatio propter hoc ſolum lata tenet, nec in teſtem adductus pœnitentialis Sacerdos tenetur aliquid dicere, immo poteſt jurare, quod nihil ſcit, quia non ſcit ut homo, ſed ut Deus. Et idem, ſi Judex temporalis malitioſe hoc inquireret, vel compelleret Sacerdotem. Nam poteſt reſponderi: nihil ſcio: quia intelligitur, ſcilicet tibi revelandum. Sacerdos etiam, qui alio modo ſcit illa, quæ ſunt ſibi dicta in pœnitentiā, propter vitandum ſcandalum etiam ceſſare debet, ne loquatur. Si tamen neceſſitas immineat, vel compellatur, caveat, ne dicat ſe ſcire ex confeſſione, ſed ſimpliciter dicat; audivi, vel vidi hoc, &c.

Sacerdos poteſt cum juramento negare notitiam criminis in confeſſione habitam.

Dicimus etiam, quod ſi quis confitetur Sacerdoti ſe habere pecuniam per furtum, vel rapinam, vel alias cum peccato, tenetur celare Sacerdos. Si autem aliquis ea, quæ debet, vel quæ ſibi debentur, vel habet in depoſito dicit Sacerdoti, non debet illud recipere ſub ſigillo confeſſionis; ſi tamen in diſcretionem receperit, non tenetur celare, niſi per modum conſilii, vel ſecreti, & jura, quæ puniunt revelantes, non haberent locum, quia non intelliguntur, niſi de peccatis. Unde ſi per Epiſcopum, vel alium Judicem compelleretur jurare ſuper hoc, tenetur dicere veritatem, quocumque modo per Judicem fiat inquiſitio, vel occupatio illicita debitorum, vel depoſitorum, nec juramentum ſuper hoc præſtitum ligaret in præjudicium juris alieni. Si autem malitioſe, vel injuſte fieret inquiſitio, tunc debet tacere, & ſi poteſt, ad alia transferre ſermonem, vel *ſophiſte reſpondere.

Forſan* *ſophiſtice.*

Præcipimus etiam, quod nomina illorum, qui peccata ſua confeſſi fuerunt, ſcribantur ſingulis annis a propriis Capellanis, qui confeſſiones audierint eorumdem, ut de ipſis poſſint laudabile teſtimonium perhibere.

Scribenda ſingulis annis a propriis Capellanis eorum nomina, qui peccata ſua confeſſi fuerint.

Per conſtitutiones quoque noſtræ Beneventanæ Eccleſiæ Provinciales hoc præcipitur, & mandatur fieri per omnes Parochiales Presbyteros Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ. Et idem de illis, quibus ad minus in Paſcha, aut alio tempore Sanctum dederint Euchariſtiæ Sacramentum. Et quod dicta nomina illorum in ſcriptis Nobis, aut Vicario noſtro, aut Suffraganeis noſtris, aut eorum Vicariis ſaltem ſemel in anno, & quam potuerint citius, dare procurent, alioqui pœ-

Nomina eorum, qui confeſſi ſunt, ad ſuperiores tranſmittenda ſunt; alias pœnam Auguſtalis incurrent.

nam unius Auguſtalis Curiæ noſtræ, & Suffraganeis applicandi incurrunt ipſo facto.

Medici moneant infirmos, ut animarum medicos ante omnia advocent; negligentes tamen Eccleſiaſtico interdicto ſupponantur.

Item præcipimus Medicis corporum, ut infirmos ante omnia moneant, & inducant, quod Medicos advocent animarum, ut poſtquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur. Si quis autem medicorum hoc non ſervaverit ſupponatur Eccleſiaſtico interdicto, quouſque ſuper hoc ſatisfecerit competenter. Sub vinculo anathematis prohibetur eiſdem medicis, nequis pro corporali ſalute aliquid infirmo ſuadeat, quod in periculum animæ convertatur, & quod impediat, ſi hoc ſciverit procurari.

Conceditur ex gratia Curatis,& Parochialiū Eccleſiarum Vicariis, ut ſibi poſſint in hac Diœceſi alios Confeſſores ejuſdem Diœceſis eligere, qui a caſibus reſervatis non poſſunt abſolvere.

Concedimus autem ex gratia, ut Curati,& Vicarii Parochialium Eccleſiarum noſtræ Diœceſis alios Sacerdotes idoneos, & peritos ejuſdem Diœceſis pura, & bona intentione ſibi poſſint eligere Confeſſores, prout ſaluti animarum ſuarum viderint expedire. Si vero non idoneos, & impios, ſeu cum intentione corrupta elegerint, abſolutionem a talibus nullatenus obtinebunt.

Confeſſores autem prædicti de caſibus Epiſcopalibus, & reſervatis nullatenus eoſdem abſolvant, niſi ſpecialiter foret eiſdem commiſſum; dignum vero, & rationi congruum reputamus, ſi idem per noſtros Suffraganeos in eorum Diœceſibus obſervetur, & ſimilis licentia concedatur. Alii vero Presbyteri de licentia ſui Epiſcopi, vel Sacerdotis * *cui* in Parochia exiſtunt, eligant ſibi Confeſſores, quoniam alias invicem confiteri non debent.

Forſan * *cujus*.

CAP. XVI.

Prohibetur Parochis, ne votorum commutationes faciant ſine ſpeciali Epiſcopi licentia: neque pœnitentes ad vota illicita inducant.

Ceterum licet Sacerdotes poſſint facere commutationes jejuniorum, vel alterius pœnitentiæ ab ipſis impoſitæ circa Parochianos ſuos, diſcrete tamen, & propter juſtam cauſſam: votorum tamen commutationes per eos fieri prohibemus ſine noſtra, aut alterius Epiſcopi, cui ſubſunt, licentia ſpeciali; quia in eis eſt cum majori providentia procedendum; nam, & quantumcumque Epiſcopus generaliter, & expreſſe committat vices ſuas quoad forum pœnitentiale alicui, non propter hoc ille ſine ſpeciali mandato debet commutare vota, aut relaxare juramenta, licet de tranſgreſſione eorum poſſet abſolvere; nec etiam abſolutiones excommunicationum, quæ fuerint pro furtis, & damnis, quorum ignorantur actores, nec illorum, qui pro contumacia in judiciis excommunicati ſunt, vel offenſa, aut re judicata, cum hæc ſapiant forum judiciale contentioſum, & ideo in talibus non conſulimus tutum intromittere per generalem commiſſionem, niſi alias conſtaret de voluntate Epiſcopi committentis.

Nullus Sacerdos confitentes inducat ad votum emittendum de nō committendis peccatis.

Diſtricte etiam prohibemus, ne aliquis Sacerdos pœnitentialis inducat aliquem Pœnitentem ad votum emittendum, ſeu promiſſionem faciendam de non committendis peccatis, & maxime de illis, quæ non poſſunt de facili evitari, ſicut quidam Presbyteri faciunt aliquando hoc fieri indiſcrete: nam contra promiſſionem peccando, dupliciter fiunt rei, & culpabiles apud Deum, & ideo ſunt gravius puniendi.

Monentur iidem, ne confitentibus miſſas injungant in favorem ipſius Sacerdotis, vel alterius.

Item conſulimus, & monemus, ne Miſſas injungat Sacerdos confitentibus in favorem ipſius Sacerdotis, vel alterius, ut ſuſpicionem cupiditatis fugiat in hac parte; fructum tamen, qui ex tali injunctione ſolet Sacerdotibus evenire, conſulat pauperibus erogari; & ſi Miſſas injunxerit, eas non celebret, nec triennale, nec annuale, quod ipſemet injunxerit, recipiat, propter periculum ſimoniæ.

Præcipiant omnibus confitentibus, qui ætatem octodecim annorum exceſſerint, ut jejunent diebus ab Eccleſia inſtitutis.

Item omnibus confitentibus, qui ætatem octodecim annorum exceſſerint, vel ſi minoris ſunt ætatis, & videatur Sacerdotibus, quod ſint apti ad jejunandum, præcipiant Sacerdotes jejunare jejunia ab Eccleſia inſtituta, ut jejunium Quadrageſimale,& Quatuor Temporum, & alia, quæ per Eccleſiam conſueverunt indici, niſi de ipſorum Sacerdotum conſilio ipſos prandere oporteat ex juſtis cauſſis, neceſſitate urgente.

Pueri diſcretionis annos habentes ad Confeſſionem inducant, & in; his per exteriora bonus ivir arbitrari poteſt.

Caveant Sacerdotes, quod pueri ad confeſſionem inducantur, ex quo diſcretionis annos habent, quod per exteriora bonus vir arbitrari poteſt, & ſic ad injungendas pœnitentias procedat, quoniam in multis peccare poſſunt.

In ſenibus autem quoad pœnitentiam imponendam conſideret, ſi eſt ætas decrepita: tunc enim ſi ſit ita ſenex, quod omni ratione careat, & diſcretione, procedendum eſt, ſicut in pupillo, & furioſo, quorum ætas quidquid videt, ignorat, nec eſt vis * *cui* confiteantur, & mitius puniendi. Si vero ſit octogenarius, tunc orationibus gravari debet, non jejuniis,& ſi ſit dives, cum pecunia redimat peccata ſua eleemoſynis, vel ſimilibus; ſi nihil habeat, remanet excuſatus. Si vero ſit ſenex, puta inter ſexaginta, & octoginta annos fortius puniatur, quam decrepitus. Sicque omnibus recte conſideratis nullus ratione utens a confeſſione excuſatur: Sunt enim hæc tria ſub præcepto, Confeſſio, Contritio, Satiſfactio, quæ ſuperius latius declaravimus.

Forſan * *cur*.

Octogenarii orationibus, non jejuniis graventur, vel eleemoſynis peccata ſua redimant, ſi ſint divites.

TITU-

TITULUS VII.

De Sacramento Euchariſtiæ, & celebratione Miſſarum.

RUBRICA.

QUoniam poſt receptum Pœnitentiæ Sacramentum firmis, & ſanis maxime in feſto Paſchæ exhiberi conſuevit Euchariſtiæ Sacramentum, de hoc eſt immediate videndum, videlicet quid ſit? Quis illud inſtituit? Et ſub qua forma? Quare ſic dicitur? Quæ ſunt neceſſaria in hoc Sacramento? Quis debet hoc conficere, & cui debet conferri, & quare fuit inſtitutum?

CAP. I.

Quid ſit hoc Sacramentum; quis illud inſtituit; ſub qua forma; cur Euchariſtia dicitur, & quæ ſint ad illud neceſſaria.

EST autem hoc Sacramentum ex certis Chriſti verbis, in ejus Corpus, & Sanguinem panis, & vini converſio.

Ipſe autem Chriſtus ſubdita forma verborum inſtituit hoc Sacramentum, quando ſcilicet in die Cœnæ Diſcipulis ſuis præſentibus dixit: *Hoc eſt Corpus meum*: dictis enim verbis his, ſtatim panis, quem tenebat in manibus, fuit Corpus Chriſti verum, quod eiſdem Diſcipulis ad manducandum dedit. Dicitur autem Euchariſtia, ideſt bona gratia.

Triâ ad hoc Sacramentum neceſſaria.

Tria vero in hoc Sacramento ſunt neceſſaria, ſcilicet Miniſter, hoc eſt ipſe Sacerdos; & elementum, ſcilicet panis, & vinum; & verba, ſcilicet *Hoc eſt Corpus meum*.

CAP. II.

Quis hoc Sacramentum conficere debet?

POteſt, & debet conficere hoc Sacramentum ſolummodo Sacerdos rite, & ſecundum formam, & claves Eccleſiæ ordinatus. Cujus poteſtas a ſolo Deo recipitur per miniſterium Epiſcoporum, Chriſto hoc ſtatuente, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Unde ſi Laicus celebraret quantumcumque ſanctus, non conficeret; hæreticus vero Sacerdos, ſchiſmaticus, & excommunicatus, licet celebrare non debeant, tamen ſi celebrant, conficiunt, quamvis ad ſuam perniciem, & hoc dummodo ſervetur debita forma, & materia, & intentio. Sacerdotalis autem ordo nullo modo amitti poteſt ſine Baptiſmo. Poteſtas vero conſecrandi ordinem Sacerdotalem ſequitur, & hæc poteſtas a Presbyterali charactere procedit. Qui character non cadit in non baptizatum, nec in mulieres. Et propterea eadem ratione degradatus, licet jus conſecrandi ſit eidem ablatum, tamen ſi conſecrat, conſecratum eſt; diſpenſatio tamen eſt neceſſaria conſecrato, quoad executionem, quia nudus character transfertur; ſed poſt diſpenſationem calorem ſumit, & vivificatur.

Si Laicus celebret Sacramentum, nullo pacto conficitur; bene vero ſi hæreticus, aut ſchiſmaticus. D.Th. in ſup. 3. p. q. 23. art. 7.

Sacerdos etiam degradatus valide conſecratu inſinuat D. Th. in ſup. 3. p. q. 23. artic. 8.

Conſulimus autem, ne in adminiſtratione tanti Sacramenti quiſpiam tam temerarius accedat, quoniam licet ex verbo Dei *Judicium ſibi manducat, & bibit*, verum quoad nos repertus ab alia pœna non excuſaretur.

Et circa hoc advertant, & maxime vos noſtri Suffraganei, in quorum numero aliquos cognovimus de ſententiis excommunicationum modicum curare, maxime pro decimis, aut juribus aliis Cameræ Apoſtolicæ, & noſtræ Curiæ quandoque latis, quorum conſcientias Deus judicabit.

Prælati ſuffraganei diligenter advertant, ne indigni hoc Sacramentum conficiant.

Et notandum, quod licet conſenſus Papæ etiam tacitus faciat, quod non Epiſcopus confirmet; item quod Eccleſiam reconciliet; tamen non facit, ut non ordinatus, ex præcepto ſuo celebrans, conficiat, quia non rite ordinatus non poteſt hoc facere. Papa enim licet in actibus, qui exercentur immediate circa corpus Chriſti myſticum, obtineat omnimodam poteſtatem, non tamen in ipſo corpore Chriſti vero.

Debet etiam Sacerdos conferre aliis hoc Sacramentum: Laicus autem non debet etiam in neceſſitate aliquem communicare, quia non eſt Sacramentum neceſſitatis. Diaconus autem, licet poſſit ſanguinem in calice diſpenſare, ſicut in aliquibus Eccleſiis Diaconus diſpenſat Miniſtris ſanguinem, tamen non debet corpus Chriſti diſpenſare, quia non habet manus conſecratas ad tangendum. Et hoc intelligimus, niſi de mandato Presbyteri, vel Epiſcopi, vel Presbytero longe poſito, in caſu neceſſitatis.

A quibus conferri, ſeu miniſtrari poſſit hoc Sacramentum?

CAP. III.

Cui debet hoc Sacramentum conferri: quare & a quo fuit inſtitutum?

COnferri hoc Sacramentum debet baptizatis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, vere pœnitentibus, & confeſſis, & jejunis, niſi neceſſitas infirmitatis emergat. Mulieribus etiam menſtruum patientibus, cum ſit indicium ſuperfluitatis, vel infirmitatis, & non culpæ, denegari non debet, ſicut nec ingreſſus Eccleſiæ poſt partum, ſi cauſa devotionis ingredi velint, cujus contrarium ſatis erronee in pluribus vidimus obſervari, reprobantes illud, maxime tempore noſtræ generalis Viſitationis, Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, circa quam tollendam opinionem intendant omnes Prælati Eccleſiarum, Abbates, & Re-

Denegari non debet Mulieribus menſtruum patientibus, ſicut nec ingreſſus Eccleſiæ poſt partum.

Prava Mulierum conſuetudo poſt partum in Eccleſiam ingredi detrectant um omni opera abolenda.

Videtur enim Judaiſmum redoiere.

Rectores inſtruentes Populum de contrario, ne ſimiles Judæis videantur, qui ut debent legem Moyſis obſervant; non improbamus tamen, ſi ex devotione ſola in caſibus præmiſſis mulieres abſtinere vellent ad tempus laudabiliter propter reverentiam tanti Sacramenti, vel ab introitu in Sancta, & idem dicimus de quacumque alia corporali immunditia facile purgabili; In his enim diſpoſitio mentis, & intentio magis, quam ſuperſtitio attendenda.

Si autem eſſet immunditia perpetua, ſicut lepra, vel diuturna, tunc nullo modo abſtinere debet, nec tali propter hoc denegari debet, ne propter immunditiam corporis perdatur fructus mentis; Sacerdos autem factus leproſus Populo celebrare non debet propter ſcandalum: privatim autem, ſi velit, celebret, dum tamen non ſit nimis debilis, aut deformis; leproſus quoque cantare, & miniſtrare divina poterit; quoad ſanos vero ceſſabit; cum enim a communione, & cohabitatione ſanorum expellatur, multo fortius a ſacris Ordinibus, & miniſtratione: furioſis autem, & amentibus a nativitate dari non debet Corpus Chriſti; ſi autem ad tempus, vel per dilucida intervalla, tunc attendendum caute, an ex aliqua infirmitate incidat in phreneſim, quo caſu ſi antequam caderet petierit communionem, & præſumitur poſſe accipere ſine periculo deriſionis, vel vomitus, aliter non; ſic dicitur, ſi is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, & dum Sacerdos invitatus ad eum venit, in phreneſim convertitur, accepto teſtimonio ab adſtantibus, qui petitionem audierant, & reconcilietur, & Euchariſtia ori ejus infundatur, ſicut ſuperiori titulo cap. vi. *§. Circa Infirmos* pertractavimus.

Sacerdos leproſus poteſt celebrare privatim, publice non debet.

Conferri Euchariſtia non debet furioſis, & amentibus a nativitate.

Cum infirmus in phreneſim incidit poſt pœnitentium petitam quid fieri debeat?

Amentibus etiam, ſive ſtolidis, qui debilem mentem habent, tamen ſunt aliquo modo docibiles eorum, quæ ad fidem pertinent, & devotionem Sacramenti, talibus non oportet denegari Corpus Chriſti; & dicunt quidam, quod Dæmoniacis non eſt deneganda communio, niſi forte certum ſit, quod pro aliquo crimine a diabolo torqueantur; Caute autem circa iſtos ſemper agatur propter pericula, quæ ſequi poſſent, ſicut probavimus.

Dæmoniacis non eſſe denegandam communionem docet D. Th. in ſup. 3. p. q. 81. art. 9. ad 2.

Inſtitutum fuit hoc Sacramentum a Deo in memoriam Divinitatis, & Humanitatis Chriſti; migraturus enim ad inviſibilia Majeſtatis Æternæ, & celebrato typico Paſcha in agno, cum Diſcipulis ſuis, memoriale ſuum dedit eis, ſcilicet ſub ſpecie panis, & vini ſuum Corpus, & Sanguinem eis dando, ut ex hoc memoriam ſui in eorum cordibus inſigeret, & Eccleſia hoc poſtmodum frequentaret.

Hoc Sacramentum fuit inſtitutum in memoriam divinitatis, & humanitatis Chriſti.

CAP. IV.

De celebratione Miſſarum.

PRohibemus itaque ſub pœna excommunicationis, & ſuſpenſionis, ne quis Sacerdos Miſſam cantare præſumat, niſi prius plene expleverit officium matutinarum, & etiam horam primæ.

Nullus Sacerdos Miſſam cantet, niſi matutinum, & primam prius expleverit ſub pœna excommunicationis.

Nullus Clericus Altari deſerviat, dum Miſſa celebratur, niſi cum cappa cluſa, quæ hyeme portatur in noſtra Majori Beneventana Eccleſia, vel ſuperpelliceo, ſive cotta ſit indutus; nec caput teneat coopertum ob reverentiam tanti myſterii.

Clerici quo pacto Altari deſervire debent?

Moneant Sacerdotes populum, ne diſcedat ab Eccleſia, niſi Miſſa finita, & ubi Epiſcopus non fuerit, benedictionem a Sacerdote accipiat, & hoc niſi aliqua urgente neceſſitate.

Monendus populus, ne ab Eccleſia diſcedat, niſi poſt abſolutam Miſſam.

Quia eſt inconveniens in feſto Reſurrectionis Domini, vel aliis feſtis præcipuis, Miſſam forte de Nativitate Domini celebrari, vel alias Miſſas peculiares, iccirco celebrari ipſas peculiares Miſſas diſtrictius prohibemus, ſaltem publice; Sacerdotes autem, & populus dictis feſtivitatibus in unum ad Miſſarum publicam in ſuis Eccleſiis, & ſolemnem celebrationem conveniant. Peculiares autem Miſſæ dicuntur illæ, quæ privatim, & ex devotione aliqua ſingulari celebrantur.

Miſſæ peculiares in feſtis præceptis non ſunt celebrandæ.

Item præcipimus, quod Presbyteri ſoli cum filiis ſuis ſine alio Clerico, propter Populi ſcandalum, non audeant celebrare. Cum quinque mappis decentibus, & idoneis per Epiſcopum benedictis, aut cum tribus ad minus cooperiatur altare.

Presbyteri ſine Clerico non celebrent.

Quinque mappis, aut tribus ad minus per Epiſcopum benedictis cooperiatur altare.

Debent habere Sacerdotes unum Clericum bonæ vitæ, & honeſtæ, qui ſciat legere, & cantare, & in Confeſſione reſpondere, quam facit Sacerdos in introitu Miſſæ ad Altare.

Quinam eſſe debeat Clericus Sacerdotis miniſter?

Cum autem viſitat Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, per Archipresbyterum, vel Sacerdotem parochialem ſecrete certiſicetur, vel ille quicumque prædicaturus in Miſſa ibidem, ſuper vitiis, quæ frequenter in illa Parochia committuntur, ut contra illa vitia verbo prædicationis celerius occurratur.

De vitiis, quæ frequenter in Parochia accidunt, certiorādus a Parochis eſt Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, cum viſitat.

Studeant omnes tam Eccleſiaſtici, quam Sæculares, Archiepiſcopum, vel Epiſcopum viſitantem cum omni reverentia, & honore debito recipere ad ipſum viſitationis officium, ipſumque, & ſuos in ſtatu pacifico pertractare; Contrarium vero facientes, impedimentumve præſtantes, aut quovis modo conſilium, auxilium, vel favorem, ſi noſtræ præſenti monitioni non paruerint, cum effectu cujuſcumque conditionis, ſtatus, aut ordinis, vel dignitatis, Excommunicationis ſententiam in his ſcriptis promulgantes, incurrere eos, & ſingulos volumus

Archiep. vel Epiſcopum viſitantem cum reverentia & honore debent omnes recipere; alias contrafacientes excommunicantur, & loca interdicuntur.

ipſo

ipſo facto. Civitates vero ſi ſint, vel Caſtrum, aut locus alius, ipſorum Univerſitates, ſi præmiſſis conſenſerint, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto.

Eccleſiarum congrua reparatio in Viſitatione potiſſimum procuranda.

Caveant etiam Epiſcopi, aut alii, quibus viſitationis incumbit officium, quamdiu viſitant Eccleſias, & Domos Eccleſiarum, ac Monaſteria eis ſubjecta, faciant reparari congrue. Extra Eccleſiam in privato Oratorio, vel in Domo nullus Miſſam celebret, ſine noſtra, aut Diœceſani licentia ſpeciali, & tunc habeatur tabula lapidea per Epiſcopum conſecrata. Sub dio autem, vel in tentoriis in itinere, videlicet, vel in exercitu honeſto, vel ſimili... dum tamen habeatur ibi parva tabula, ut dictum eſt, & cetera ornamenta neceſſaria, ut poſſit Miſſa celebrari, & tunc etiam conſulimus licentiam Diœceſani neceſſariam, vel Domini Papæ. In navi autem poſita, vel in fluminibus propter fluctuationem non licet, ne ea nutante, fiat ſanguinis effuſio, vel corporis indebita commotio. Introitus tamen Miſſæ poſſet ibi dici, vel Navigio ficto remanente, & ſecure. Nullus Sacerdos in Altari, in quo Epiſcopus Miſſam celebraverit, Miſſam celebrare audeat die illa, niſi de licentia ejuſdem Epiſcopi procederet.

Videtur aliquid deeſſe.

Quid agendum dũ celebratur ſub Dio, vel in tentoriis?

Hoſtia qua forma, & ex qua materia eſſe debeat?

Cum hoſtia ex ſpelta, & farro confecta conſecrari poſſe aliqui autumant nõ tamen D. Th. 3.p q.15. art. 3. ad 4.

Hoſtias de alio, quam de mundo, & puro grano frumenti fieri prohibemus, & quod ſit panis azimus, & non fermentatus; Quorumdam autem Doctorum fuit opinio, quod de pane confecto de ſpelta, vel farro Hoſtiæ fieri poſſunt, & confici, pro eo, quod grana ejuſdem generis cenſentur, & proximæ ſimilitudinis, & formæ.

Caveant itaque Sacerdotes Hoſtias facientes, quod ſint alia grana alterius generis admixta tritico, nam ſi tanta, aut talis eſſet admixtio, quod prædominaret, vel etiam ad ſpeciem mediam deveniret, ut ſic æqualis eſſet virtus, tunc tanquam mutata ſpecie tritici confici non poſſet, alias autem ſic. Ipſa autem mutatio ſpeciei tritici, cognoſci poteſt ex accidentibus, ut ex colore, præcipueque ex ſapore: qui panis fieri habet ex farina, & aqua naturali, quæ ſunt ſuæ partes principales, & ideo ſi panis ille fieret cum aqua roſacea, vel alia artificiali, licet quidam dixerint confici poſſe pro eo, quod aqua in pane non remaneat, probabilius tamen tenetur, quod non poſſit; Panis enim eſt principalior materia Sacramenti, & debet confici ex ſuis puris, & naturalibus partibus ſupradictis, & ſine ſale; Et formatur ad modum denarii, quia Panis vitæ pro denariis traditus eſt, & quia idem denarius in vinea laborantibus in præmio datus. Et forma debet eſſe rotunda, ut ſignet eum, qui eſt ſine principio, & ſine fine. Et debet eſſe imago aliqua cum litteris propter imaginem Chriſti repræſentatam, & quia nomina noſtra ſcripta ſunt in Cœlis, & nomina noſtra in libro vitæ ſcribuntur.

Cur panis formetur ad modum denarii?

Cur in ea forma debeat eſſe rotunda, & aliqua imago cum litteris?

In pane corropto non poteſt confici hoc Sacramentũ; immo celebrans in pane jam diſpoſito ad corruptionem peccat mortaliter. D.Th. in ſup. 3.p. q.15. art.3. ad 4.

Caveant etiam, ne conſervent tantum Hoſtias, quod corrumpi incipiant; ſed habeant, ut plurimum poterunt, recentes; Nam ſi tanta ſit corruptio, quod ſpecies panis non maneat, tunc cum tali confici non poteſt. Si tamen ſpecie manente ſit ibi aliqua diſpoſitio ad corruptionem, licet poſſit confici, tamen conſulimus, abſtinendum. Graviter enim peccaret conficiens ex tali ſcienter, propter irreverentiam Sacramenti.

A Latino non eſt conficiendum in fermentato, nec a Græco in azimo, & contrarium faciens uterque peccaret, ut ait D.Th. in ſup. 3.p. q.15. in o.

In pane fermentato non eſt conficiendum, imo graviter peccaret, qui faceret, tanquam conſuetudinem, & ſtatutum, ac Ritum Eccleſiæ Romanæ pervertens, & ſimiliter Græcus ſecundum opinionem quorumdam conficiens in azimo peccaret, tanquam ritum ſuæ Eccleſiæ pervertens.

Quid præſtandum, cum advertitur error in hoſtia?

Et circa prædicta eſt advertendum, quod ſi Sacerdos infra Miſſam advertit, ſe habere Hoſtiam non triticeam, vel corruptam, vel indebitam, ſi quidem ante conſecrationem, tunc illa remota Hoſtia, aliam ponat, & a Canone reincipiat, & proſequatur celebrationem; Si vero poſt conſecrationem, & antequam ſumpſerit, ſimiliter faciet, ſalvo, quod illam Hoſtiam conſecratam poſt aliam, vel ipſe ſumat, vel aliis Clericis ſumendam tradat, vel reverenter ſervet. Si vero poſt ſumptionem, tunc non celebrabit iterum, quia jejunus non eſſet, licet quidam dicant, quod debeat aliam ponere, & conſecrare, & ſumere, quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris ponderis eſt, quam præceptum, quod a jejunis ſumatur. Sacerdos per ſe paret, vel ſe vidente, parari faciat Hoſtiam, & vinum, & aquam in Calice, ne per oblivionem horum aliquid omittatur. Nec vinum, niſi de vite eſt in hoc Sacramento ponendum. Miſſæ de jejuniis in hora nona poterunt celebrari, aliæ vero antea celebrentur.

Quid, ſi error poſt ſumptionem reluceat?

Quæ Miſſæ celebrari poſſunt in hora nona?

Vinum Miſſæ convenientius eſt rubeum, quam album.

Nullus cum vino multum albo celebret, ſi poſſit in loco rubeum reperiri, & commode inveniri, cum magis vinum rubeum, quam album ſanguini conformetur. Nullus poſt cibum, vel potum ſumptum die illa audeat celebrare, & ideo poſt potum aquæ, vel ſumptionem electuarii, ſive medicinæ, quæ conſiſtit in cibo, vel potu, non licet celebrare.

Omnis cibi potusve ſumptio celebrationem impedit.

At vero non impedit quidquid intra os geritur citra exterioris cibi ſumptionẽ.

Ea vero, quæ interius geruntur ſine exterioris cibi ſumptione, non impediunt celebrationem, ſicut eſt diglutio ſalivæ, & idem de iis, quæ remanent inter dentes, & etiam de eructationibus, licet, ut quidam dicunt, propter reverentiam Sacramenti abſtinendum ſit, niſi ſit magna neceſ-

neceſſitas. Et intelligunt, quod ſi caſualiter reliquiæ cibi remanentes inter dentes transglutiantur, non impediunt, quia non per modum cibi, vel potus trajiciuntur, ſed per modum ſalivæ; & idem dicunt de reliquiis aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, ſed per mixtionem ſalivæ, quæ vitari non poteſt.

Eccleſia Romana diem a media nocte incipit.

Et eſt ſciendum, quod licet principium diei ſecundum diverſos diverſimode ſumatur, Eccleſia tamen Romana diem a media nocte incipit, & ideo * poſt mediam noctem aliquis ſumpſit aliquid per modum cibi, vel potus, non poteſt eadem die hoc ſumere Sacramentum. Poteſt vero, ſi ante mediam noctem; nec refert, utrum poſt cibum, vel potum dormierit, aut etiam digeſtus ſit, quantum ad rationem præcepti; refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter inſomnietatem, vel indigeſtionem; Ex quibus ſi mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad ſuſceptionem hujus Sacramenti.

Forſan * ſi

Poſt ſuſceptionē Euchariſtiæ abſtinendum quidem ex convenientia aliquandiu a cibo, ſed non diu multum

Poſt ſuſceptionem autem Euchariſtiæ convenit quidem a cibo aliquandiu abſtinere, ſed non oportet diu multum, quia cito fit illarum ſpecierum conſumptio, & abſtinentia magis requiritur ante ſuſceptionem, & præparatio, quam poſt, ſicut & devotio, quam non poteſt homo diu continuare actualem.

Cum legitur Paſſio Domini, proſternant ſe Clerici, & Laici ad illa verba *emiſit Spiritum*.

Cum legitur Paſſio Domini, poſtquam dicta fuerint verba illa, *emiſit Spiritum*, proſternant ſe Clerici, & Laici de redemptione noſtra Deo gratias exhibentes, & idem in aliis ſimilibus verbis omnium Domini Paſſionum.

Verba Canonis nulla omnino ex parte neque omittenda, neque immutanda.

Diſtricte præcipimus, ne quis Sacerdos verba Canonis Miſſæ communiter in Miſſalibus ſecundum uſum Romanæ Curiæ uſitata, & conſueta in noſtris majori Beneventana Eccleſia, & Diœceſi, & Provincia omittere, vel immutare præſumat. Et diſtrictiſſime præcipimus, quod quilibet Sacerdos, cum ſumma diligentia, & ſollicitudine in nullo errando, nihil omittendo, nihil mutando, nihil reiterando proferat verba illa Canonis Miſſæ ab illo loco. *Qui pridie quam pateretur*, uſque ibi: *In mei memoriam facietis*, in quibus verbis, conſecratio Corporis, & Sanguinis Chriſti conſiſtit, & eiſdem verbis prolatis, eſt ibi inter manus Sacerdotis ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum Angelis ſuis. Cetera vero verba, quæ præcedunt, & quæ ſequuntur, ſunt de ſolemnitate Miſſæ, & non de ſubſtantia. Et fiat in altum elevatio, ut populus illud adoret.

CAP. V.

Quid agendum, cum Sacerdos non recolit ſe dixiſſe verba Conſecrationis?

Quia vero ex fragilitate naturæ, & vitio evenit quandoque, quod Sacerdos non recolit ſe dixiſſe verba conſecrationis, vel etiam aliqua, quæ in conſecratione dicuntur, non tamen ex hoc conturbari debet in mente, non enim qui multa dixit, recolit omnium, quæ dixit. Si tamen Sacerdoti probabiliter conſtet, ſe aliqua omiſiſſe, ſiquidem non credo, quod propter hoc debeat reſumere immutando ordinem ſacrificii, ſed debet ulterius procedere. Si vero certificetur ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, ſcilicet formam conſecrationis, quia forma eſt de neceſſitate, ſicut & materia, ideo tunc reſumatur a forma conſecrationis, & cetera per ordinem reiterentur, ſicut dictum eſt, ſcilicet, & infra in defectu materiæ, ita hic fiat.

Sacramentum ſub utraque ſpecie a Sacerdote integre ſumendū.

Nec quiſquam quantiſcumque peccatis irretitus ex quo confecerit, aliquatenus corpus, & ſanguinem ſumere prætermittat; licet enim corpus Chriſti ſit totum cum vera anima * divinitate ſub ſpecie panis, ſimili modo eſt ſub ſpecie vini, & tamen unum eſt Sacramentum ab uno ordinatore, ſcilicet a Deo ordinatum, & ad unum principalem effectum, ſcilicet ad ſalutem animæ, & corporis obtinendum, & ideo non liceat Sacerdoti Chriſtum ſub altera ſpecie ſumere, altera prætermiſſa.

Forſan * &

Miſſa non dimittenda imperfecta, caſu repentinæ infirmitatis excepto.

Sacerdos etiam, poſtquam Miſſam incœpit, non præſumat dimittere imperfectam, niſi repentina infirmitate, & intolerabili fuerit occupatus; Et tunc ſi alius Sacerdos præſens fuerit, qui non celebraverit, per ipſum incœptum officium compleatur, qui officium incipiat, ubi noſcitur alius dimiſiſſe. Si vero neſcitur, alius ubi dimiſerit, quia forte defecit in ſecretis, tunc a capite incipiet ſecretorum. Verum ſi ſecundus Sacerdos præſens non fuerit, quacumque hora diei uſque ad nonam haberi poterit, quod primus Sacerdos dimiſit, ſecundum primam doctrinam adimplere poterit. Si autem ſecundus Sacerdos uſque ad nonam haberi non poſſit, remanebit officium incompletum.

Quid cum nauſea ſupervenerit, vel ſanguis è naribus Sacerdotis effluxerit?

Hoc quoque notandum, quod ſi ex naſo Sacerdotis celebrantis ſanguis exierit, vel nauſea ei ſupervenerit, recipiatur in aliquo vaſculo, ne ſancta contaminentur, & terſo naſo, vel ore abluto, reincipiat, ubi dimiſit ſub ſilentio. Si vero infirmitas ſupervenerit, innitatur ſuper * *trepidinem*, ſive oram altaris, vel ſedeat, donec convaleſcat, & ſic incipiat

Lege * *crepidinem*.

piat ubi dimiſit, ſed ſi nullo modo poteſt conſummare officium, fiat, ut proxime dictum eſt.

Quantula aquæ portio vino immiſcenda?

Præcipimus etiam, quod in calice magis de vino, quam de aqua ponatur, ne vini ſubſtantia alteretur. Et quod Sacerdos poſtquam totum accepit * *Corpus* Chriſti, & Sanguinis Sacramentum, duas receptiones faciat juxta conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, & noſtræ Beneventanæ, videlicet primam de vino puro tantum, ſecundam de vino, & aqua, & cum iſta ſecunda profundat digitos ſuper calicem, & poſtea recipiat, niſi de eo die aliam Miſſam debuerit celebrare, quia tunc non debet recipere, niſi tantum dictum Sacramentum Corporis, & Sanguinis, quod ſi faceret, celebrationem ſecundam impediret.

Forſan * *Corporis*.

CAP. VI.

Quando Sacerdoti ſit licita plurium Miſſarum celebratio; & de his, quæ in celebratione ipſarum poſſunt occurrere.

NOn autem debet Sacerdos duas Miſſas una die celebrare. Et hoc diſtricte fieri prohibemus, niſi in die Natalis Domini, in qua unus tres Miſſas poterit celebrare: primam de nocte, quia repræſentat tempus ante legem, quod erat in tenebris: ſecundam inter noctem, & diem, ſcilicet in aurora, quia repræſentat tempus ſub lege, quo incipiebant de Chriſto ſcire: tertiam de die, quia repræſentat hoc tempus, in quo ſumus, gratiæ.

Quid repræſentent tres Miſſæ, quæ in Natalis die celebrantur?

Et niſi neceſſitatis articulo imminente, videlicet pro exequiis, ſive præſente funere, ſive pro anniverſario, aut devotione, dum tamen non ſit corrupta intentio, nec contra conſuetudinem loci approbatam, vel Conſtitutionem Synodalem, vel pro benedictione nubentium, ubi tempus laberetur, vel pro magna ſuperveniente perſona, vel peregrinis, aut infirmis, vel alia ſimili juſta cauſſa, vel de noſtra, aut Diœceſani licentia, & non alias in duabus, vel pluribus Eccleſiis annexatis, in quibus caſibus unus Sacerdos duas miſſas in die poterit celebrare, & non plures. Et idem ubi eſſet raritas Clericorum, vel ubi propter paupertatem Eccleſiarum duæ Eccleſiæ commendantur uni, vel ſunt unitæ. Ita tamen, quod in prima Miſſa nihil ſumpſerit, niſi ſolum Corporis, & Sanguinis Sacramentum.

Poſſunt urgente neceſſitatis articulo celebrari plures Miſſæ, & quandonam ejuſmodi neceſſitas urgeat?

Prohibemus etiam, ne Miſſa, niſi cum hoſtia rotunda, & integra, & decenti, nec nimis modica, & niſi cum vino puro pariter, & aqua, & niſi cum calice aureo, vel argenteo, vel ſtagneo, & niſi cum lumine aliquatenus celebretur, neque in panno ſerico, aut tincto, ſed in puro lineo ab Epiſcopo conſecrato, quia Corpus Domini ſepultum fuit in ſindone linea, atque munda; tale enim debet eſſe corporale.

Qualis eſſe debeat hoſtia, qualis calix, quale pannum?

Et ſi Sacerdos negligenter omiſerit aquam in Calice ponere, ponat quam cito adverterit ante conſecrationem ſanguinis, licet poſt conſecrationem corporis. Nam * poſt conſecrationis ſanguinis verba percipit, quod aqua deſit, debet nihilominus procedere ſine appoſitione aquæ; quia appoſitio aquæ non eſt de neceſſitate Sacramenti. Debet tamen puniri graviter ille, ex cujus negligentia hoc contingit, cum mortaliter peccet, licet ſi per oblivionem, venialiter tantum peccet, ut infra declarabitur. Nullo autem modo debet aqua vino conſecrato miſceri, quia ſequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte, ſcilicet, ubi aqua partes Sacramenti ſanguinis contingeret. Si vero vinum, & aquam omiſerit, & ante verba illa: *Hoc eſt Corpus meum*: adverterit, ponatur ibi ſtatim. Si vero poſt prædicta verba adverterit, tunc hoſtia conſecrata ponatur ſeorſum ſtatim reverenter, & in Calice ponatur ſtatim vinum, & aqua, & ante calicem hoſtia nova, & reincipiatur Canon Miſſæ, ſcilicet: *Te igitur*, & ambæ hoſtiæ inſimul aſſumantur. Si vero aquam ſolum in calice poſuerit pro vino, ſi quidem adverterit hoc ante conſecrationem vini, ſeu ante verba conſecrationis, tunc debet ſtatim aquam effundere, & vinum apponere. Si vero poſt prædicta verba, tunc debet conſecrationem vini incipere, alio vino ſuper infuſo, contritione de negligentia præhabita, vel ſecundum Innocentium a capite Canonem inchoare ſuper aliam hoſtiam, hoſtia prius conſecrata poſita ſeorſum, ut ſupra in alio caſu dictum eſt, licet alii primum dictum approbent.

Quid agendum, ſi aqua ſit negligenter omiſſa?

Forſan * *ſi*

Nullo prorſus pacto aqua vino conſecrato miſceri debet.

Quid, ſi omiſſa ſint vinum, & aqua?

Quid, ſi aqua ſolum poſita fuerit in calice pro vino?

CAP. VII.

Non poſſe confici Sacramentum cum vino, quod omnino abiit in acetum, definitur.

CUm vino autem, quod omnino acetum factum eſt, confici non poteſt, quia differt vinum, & acetum, ſicut vivum, & mortuum, unde non ſunt ejuſdem ſpeciei, cum proprietates contrarias in ſe contineant. Vinum enim eſt calidum, acetum frigidum. Sunt tamen qui dicunt confici poſſe cum aceto, licet non debere, & hoc cum acetum eſt factum de vino, & caſum præcedentem intelligunt, quando acetum eſſet ex alio, quam de vino factum, nam quando ex vino eadem prope uſya, ideſt ſubſtantia eſt. Sed ſi vinum ſit acidum, & quaſi in via concreſcendi, idem eſt judicium, ſicut de pane, qui eſt in via ad corruptionem, ut ſuperius eſt dictum.

Falſa eſt hæc opinio: unde conficiens in vino aceſcente peccat mortaliter. D.Thom. in ſup. 3.p. q.15.artic.5. ad 4.

Si vero vinum ſit putridum perfecta putrefactione, quæ ad vini complexionem redire non poſſit, tunc nullo modo cum tali vino confectio poterit fieri, quia non eſt vinum. Si vero ſit pendulum in via quidem corruptionis exiſtens, & non corruptum, tunc aſſumpto tali vino in Sacramento ſit confectio, quia illud eſt vinum, & * *huc* ſuam quamvis ægram vinoſitatem retinet; Sed tamen propter reverentiam Sacramenti non eſt aſſumendum, ſi aliud de facili haberi poteſt. Si autem in vino, cum ſapore vinoſo eſt ſapor aromaticus, vel ponticus, vel ſtypricus, vel ſaporactis ex minus perfecta digeſtione vini, tunc poteſt fieri confectio in ſpecie vini.

Foſan * & *adhuc*.

Quid, ſi in vino inſit ſapor aromaticus, vel ponticus, vel ſtypricus, &c.

Unde circa præmiſſa advertendum, quod ſi hoſtia conſecrata tamdiu ſervaretur, quod corrumperetur ſpecies panis, non eſset ibi amplius Corpus Chriſti. Ita ſimiliter de ſanguine, ſi ita diu ſervaretur, quod ſpecies illæ verterentur in acetum. Secus autem eſset, quando adhuc eſsent in via ad corruptionem. Et tales fortiter judicamus puniendos, quorum negligentia præmiſsa contingunt. Sicut aliquos in noſtra viſitatione Provinciæ dudum dolentes comperimus incidiſse, & ideo advertant ad præceptum de renovatione hoſtiarum. Et tales, qui negligentiam erga Sacrificium fecerint, ut a vermibus conſumptum ad nihilum devenerit, tres quadrageſimas in pane, & aqua pœniteant. Si integrum inventum fuerit, & in eo vermis, comburatur, & cinis ſub altare recondatur, & qui neglexerit quaternis diebus ſuam negligentiam ſolvat. Si cum amiſſione ſaporis Sacrificium decoloratur, viginti dies jejunio compleantur. Qui conglutinatum merſerit, ſeptem pœnitcat diebus. Si ſacrificium fuerit ſordida vetuſtate perditum, igne comburendum eſt, & cinis juxta altare ſepeliendus.

Præceptum de renovatione hoſtiarum ſedulo ſervandum.

Quæ penitentia obeunda ab iis, qui præceptum hoc violant?

CAP. VIII.

Cum agreſta, & botro uvæ non compreſſo non poteſt ſacrificium confici, bene vero cum muſto neceſſitate urgente: neque poteſt cum lacte, & vapa.

Cum agreſta confici non poteſt, quia non habet ſpeciem: cum muſto autē poteſt, quia completam vini ſpeciem habet; tamen fieri non debet, ſi vinum defæcatum haberi poteſt, niſi alia neceſſitas. Cum aqua autem rubea, in qua lavatus eſt pannus vino rubro intinctus, quæ portatur ad partes, ubi non eſt vinum, confici non poteſt, quia magis eſt aqua rubea, quam vinum, & talis conſuetudo damnata eſt a Canone. In terris autem illis, ubi vinum nullo modo haberi poteſt, quid eſset agendum, cautius eſset conſulendus Dominus noſter Papa, & Romana Curia: tamen propter intolerabile damnum animarum, quod incurritur ex defectu Sacramenti, videretur mihi, cum talibus fore diſpenſandum, ut Corpus Chriſti ſine calice haberent, & conficerent Sacramentum, quia corpus Chriſti non eſt ſine ſanguine, & anima, & deitate, quamvis ibi non ſit ſanguis ex virtute conſecrationis, & Sacramenti.

Non poteſt confici cum aqua rubea, in qua lavatus eſt pannus vino rubeo intinctus.

In terris, ubi vinum nullo modo haberi poſſet, conſulendus eſt Pontifex.

Ex Papæ diſpenſatione Sacramentum Euchariſtiæ ſub una tantum ſpecie confici poſſe Auctor exiſtimat. D. Th. vero contrarium docet in ſup. 3. p. q. 15. artic. 1. & q. 21. artic. 12.

Botrus autem uvæ in neceſſitate comprimi, & inde confici poteſt. Sed de ipſo botro non expreſſo non poteſt * *communicari*. Cum lacte etiam confici non poteſt. Aquæ apponi debet adeo parum, ut in vinum de facili, & totaliter convertatur. Si enim tantum apponeretur de aqua, quod tolleret a vino vinoſitatem, non fieret Sacramenti confectio. Unde etiam de vapa, ideſt cum aqua funditur ſuper acinos uvarum, poſtquam vinum expreſſum eſt, licet aliquantulum ſapiat de vino, tamen confici cum illo non poteſt, quia vinum non eſt, niſi pro pauperibus, & bubulcis.

Forſan * *conſecrari*.

Quænam aquæ appoſitio Sacramenti confectionem tollat, quæ ſecus?

Aqua autem, licet non ſit de neceſſitate Sacramenti, quoniam, & ſine ea conficeretur ſanguis, tamen graviter peccaret, qui ſcienter omitteret, quia ageret contra conſtitutionem Eccleſiæ, quia & Dominus appoſuiſſe creditur; ſi enim dimittitur ex pravitate hæretica, vel ex contemptu, peccatum mortale eſt; ſi autem ex negligentia, quia occupatus circa vana, tunc non eſſet peccatum mortale, graviter tamen corripiendus, ne de cetero negligens inveniatur; ſi tamen quia occupatus circa illicita, tunc mortale peccatum; ſi circa vana temporalia occupatus, tunc graviter peccat, & ſi Nobis contingeret, tunc faceremus emendam, tanquam pro mortali peccato; ſi vero ex ſubreptione, tunc eſt orandum pro tali, quia non peccavit mortaliter, ſed indiget adjutorio contra tentatorem.

Quæ neceſſitas aquæ apponendæ?

Si quidem propter frigus, quod Sacerdos patitur in manibus, vel alias ex negligentia hoſtia dilabatur in calicem, ſive ante fractionem, ſive * tunc non eſt neceſſe aliquid reiterare circa celebrationem hujus Sacrificii, nam fractio hoſtiæ conſecratæ, & quod pars una ſola mittatur in calicem, hoc reſpicit corpus myſticum, ſicut & admiſtio aquæ ſignat populum, & ideo prætermiſſio non facit imperfectionem ſacrificii. Et eo caſu ſi Nobis accideret, & poſſet tolli hoſtia abſque eo, quod non eſſet humefacta in vino, extraheremus eam, & procederemus ultra, alias uteremur conſilio ſuperiori. Et eſt etiam notandum, quod ſi vinum in calice congelatum fuerit, debet tamdiu Sacerdos ibi exhalare, donec glacies ſolvatur,

Quid agendum ſi hoſtia dilabatur in Calicem ante, vel poſt fractionem.

Forſan * *poſt*

Quid ſi vinum in calice congelatum fuerit?

vatur, quod ſi ſic ſolvi nequiverit, adhibeat ignem.

Aqua naturalis, non artificialis apponẽda eſt.

Eſt etiam advertendum, quod aqua dumtaxat naturalis eſt apponenda in hoc Sacramento, non autem artificialis, ſicut roſacea, & ſimiles; ſi tamen apponeretur, nihilominus confectum eſſet, ſicut, & ſi totaliter omitteretur; convertitur enim in vinum, ſicut, & naturalis; nec ſufficeret, quod apponeretur aqua in vino adhuc exiſtente in dolio; nihil enim ſignificaret, quoniam imminente oblatione, apponi debet ad perficiendum Sacramentum.

Speciebus vini liquor permiſceri non debet.

Et notandum, quod ſpeciebus vini in hoc Sacramento non debet aliud permiſceri, maxime quod haberet mutare naturam ſpeciei in ſe: nam ſub partibus illis, ad quas pervenit vinum additum, deſiit eſſe ſanguis Chriſti, cum jam accidentia non ſint ſine ſubjecto, & continuitas ſpeciei, quæ erat ſine ſubjecto, ſoluta ſit. Sub partibus vero illis, ad quas non pervenit, manet Chriſti ſanguis. Puto tamen, quod ſi non ſit nimis notabiliter excellens, quod additur, propter dubium * *totum* liquore ipſo, tanquam ſacramento utendum ſit. Vitandum tamen conſulimus, ne tale vinum, vel miſtum, vel coctum nimis, vel roſatum, vel ſpeciatum ponatur ad ſacrificium.

*Forſan * toto.*

CAP. IX.

De veſtium Sacerdotalium, & mapparum Altaris munditie.

Veſtes Sacerdotales, & mappas Altaris munde, & pulchre teneant Sacerdotes. Et ſi ablutione indiguerint, in eorum hoſpitiis, non alibi laventur per ipſos, vel eorum Clericos, vel per mulieres honeſtas, & ſine aliorum pannorum miſtura.

Quænam veſtes eſſe debeant?

Veſtes autem prædictæ, de quibus latius inferius dicemus, quæ ſint, debent prius, quam cum eis celebretur ab Epiſcopo benedici, quibus in aliis uſibus, quam Eccleſiaſticis, & Deo dignis officiis utendum non eſt.

Quid ſervandum, cum corporalia abluuntur?

Corporalia tamen laventur propriis manibus Sacerdotis, & aqua ablutionis projiciatur in piſcinam, quæ corporalia a Sacerdotibus, vel Diaconibus plicanda, vel extendenda ſunt in altari, ab aliis non.

De ampullarum munditie, earumdẽque diſſimilitudine.

Item ampullæ vini, & aquæ mundæ teneantur, & ſint diſſimiles, ut illa, in qua vinum eſt, & illa, in qua aqua, de facili cognoſcantur.

CAP. X.

De diſpoſitionibus Sacerdotum Miſſam celebrantium, & eorum, qui ad Communionem accedunt.

Illud etiam diſtrictiſſime prohibemus, ne aliquis in mortali peccato conſti-

tutus, Miſſam celebret, niſi prius confeſſus fuerit expreſſe de illo peccato, ſi Sacerdotem inveniat, cui valeat confiteri. Si vero non poſſit alium Sacerdotem habere, cui confiteatur, non celebret, niſi neceſſitas immineat, quæ ſine gravi ſcandalo nequeat præteriri, ut ſi dies feſtivus evenerit, & populus jam convenerit ad divina, vel corpus alicujus Parochiani ſui defuncti præſens ſit, & in Eccleſia, vel nubentes ad Eccleſiam convenerint pro matrimonio faciendo, propter quod, ut ſcandalum evitetur, ipſum oporteat celebrare: In iſtis enim caſibus, ſi veram contritionem habet Sacerdos de illo peccato mortali, in quo conſtitutus eſt, & proponat, quam cito poterit, confiteri, credimus Magiſtrorum ſententiis inhærendo, quod valeat celebrare.

Si gravis urgeat neceſſitas, & abſit confeſſarii copia, celebrare Sacerdos poterit contritione præmiſſa, cum propoſito confitendi quam cito. Hoc idem docet Triden. ſeſſ. 13. cap. 7.

In nullo vero caſu, etiam ſummæ neceſſitatis, & ſcandali, non præmiſſa vera contritione, & vero propoſito quam primum confitendi licet celebrare.

Sed ſi veram contritionem non habet, nec propoſitum confitendi, celebrare etiam in caſibus prædictis non præſumat; quantumcumque neceſſitatem, vel ſcandalum videat imminere. Si autem Sacerdos, poſtquam Miſſam incœperit, reducat ad memoriam, ſe aliquod commiſiſſe mortale peccatum, de quo non fuerit confeſſus, & de quo, antequam Miſſam incœperit, non recoluerit, nec habeat Sacerdotem, cui incontinenti valeat confiteri, perficiat myſterium jam incœptum, ſi tamen contritionem habeat de illo peccato, & proponat, quam cito poterit, confiteri. Si veram contritionem non haberet, nec propoſitum confitendi, & non dum verba confectionis, ſeu conſecrationis expreſſerit, videlicet: *Hoc eſt Corpus meum*, dimittat officium jam incœptum, quia tunc ipſum complere non debet. Si autem poſt confectionem reducat primo ad memoriam illud mortale peccatum diſtincte, compleat illud Officium, quod incœpit, & conteratur, & doleat, quod ita tarde pœnitet, & confiteatur, quam cito poterit habere copiam Sacerdotis.

Si poſt incœptam Miſſam de aliquo mortali recordatus fuerit Sacerdos, ſi hoc ante conſecrationem, ipſam relinquat, ſi poſt proſequatur Miſſam, & conteratur, & doleat.

Pollutio nocturna ex infirmitate, aut moderata crapula proveniens non impedit Miſſę celebrationem. D. Th. hoc aſſerit in ſup. 3 p. q. 21. ar. 7. in o.

Si pollutio in ſomnis ex infirmitate, ſeu ſuperfluitate naturæ alicui evenerit, non eſt de neceſſitate a celebratione Miſſæ abſtinendum, quia in hoc caſu nullum peccatum eſt, cum magis pati, quam agere videatur, licet laudabile ſit, & honeſtum abſtinere ob reverentiam Sacramenti. Si vero ex crapula, vel ex potatione nimia acciderit, honeſtum eſt, non tamen neceſſarium, quod a celebratione Miſſæ abſtineat illa die, ſi nulla fuerit neceſſitas, quare debeat celebrare, quia in tali caſu tantum eſt peccatum veniale; niſi crapula nimia potatione ex prava conſuetudine conſueverit provenire. Et tunc quouſque fuerit confeſſus, teneatur de celebratione Miſſæ abſtinere, quia tunc reputatur peccatum mortale. Si autem acciderit ex imaginatione turpi, vel inhoneſta, & illicita confabulatione mulie-

Si autem pollutio ex nimia crapula, & turpi mulierum confabulatione provenerit, Miſſæ celebratio Sacerdoti prohibetur. Idem ait D. Th. loco citato.

lierum præcedente, tenetur a celebratione Miſſæ, & a ſumptione Euchariſtiæ abſtinere, quouſque contritus fuerit, & confeſſus, ſi habere poterit copiam Sacerdotis, quia in hoc caſu mortale pecca um. Et licet his duobus caſibus poſt contritionem, & confeſſionem factam non tenetur a celebratione Miſſæ abſtinere, abſtineat illa die tantum, maxime ſi non fuerit neceſſitate adſtrictus, quare debeat celebrare. Si vero habere non poterit copiam Sacerdotis, contritionem tamen habeat, & propoſitum confitendi, celebret ſi neceſſitas fuerit, ſicut dictum eſt, & diſtinctum ſuperius de alio peccato, quia neceſſitas noſcitur imminere.

Salubre inſtitutum de abſtinendo a propria uxore quattuor, vel quinque diebus ante communionem.

Salubriter inſtitutum eſt, ut omnis homo ante ſacram Communionem a propria uxore abſtineat, tribus, aut quatuor, vel quinque diebus. Coitus autem conjugalis, ſi ſit ſine peccato, puta ſi fiat, cum prolis generandæ, vel cauſſa reddendi debitum, non alia ratione impedit ſumptionem Sacramenti, niſi, ſicut dictum eſt de pollutione nocturna, quæ accidit ſine peccato, ſcilicet propter immunditiam corporalem, & mentis diſtractionem, quo caſu ſuo judicio relinquendi ſunt.

Sed qui voluptate dominante conjugi commiſcetur, prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum. Si tamen omnibus modis ſe ingereret ex devotione, non eſt repellendus, cum inſtitutio prædicta magis ſit conſilii, quam præcepti.

Illo autem die, quo ſumptum fuerit hoc Sacramentum, non eſt poſcendum debitum, nec etiam reddendum, niſi alter conjugum multum inſtet, & ſi fieret, non crederem peccatum mortale.

CAP. XI.

De ſignificationibus rerum, quæ ad Miſſam attinent.

Quid ſignificet, Miſſa?

Quid Sacerdos veſtimentis Sacerdotalibus indutus?

Quid veſtimenta Sacerdotalia?

Quid Diaconus, & Subdiaconus?

Quid Ceroferarii.

Quid deferentes thuribulum?

Quid Sacerdos ad dexteram altaris primo tendens?

Sciendum eſt autem, quod Miſſa paſſionem Domini repræſentat. Sacerdos indutus veſtimentis Sacerdotalibus Chriſtum ſignificat. Veſtimenta ejus ſignificant illam carnem ſanctiſſimam, quam pro nobis Deus induit, factus homo. Diaconus, & Subdiaconus ſignificant Apoſtolos, & ſeptuaginta duos Diſcipulos, quibus fuit officium injunctum. Ceroferarii denotant Doctores Eccleſiæ, qui ſuæ ſapientiæ radiis tenebras noſtræ ignorantiæ illuminare non deſinunt. Deferens thuribulum, deſignat illos, qui pro teſtimonio fidei in odorem ſuavitatis Domino corda ſua obtulerunt. Sacerdos vero ad dexteram Altaris primo tendit, quia ſicut Salomon Proverb. 4. ait: *Qui a dextris ſunt novit Deus, perverſa autem non*, quia ſunt a ſiniſtris.

Quid ſignificet introitus Miſſæ?

Forſan * premebant.

Quid Kyrie eleiſon?

Introitus Miſſæ ſignificat Patres veteris teſtamenti, Patriarchas videlicet, & Prophetas, qui videre adventum Chriſti immenſis deſideriis præoptantes, hoc per ſua ſuſpiria, laudes, & præconia oſtenderunt. Introitus enim ſuſpiria antiquorum denotat. *Gloria Patri* laudes innuit, quas in honorem Dei devotiſſime * *promerebant*. *Kyrie eleiſon* precamina notat cum devotione cordis, & intentione ad Deum effuſa. *Kyrie eleiſon* enim græce, pertinens ad divinam Patris eſſentiam, interpretatur latine *Domine miſerere mei*.

Quid Gloria in excelſis?

Quid orationes, quæ ſequuntur?

Dominus vobiſcum cur dicatur?

Quid ſignet Epiſtola?

Gloria in excelſis typum denotat Angeli, qui ortum Chriſti primo paſtoribus nunciavit. Orationes, quæ ſequuntur, denotant, quod Sacerdos populum ad orandum invitat, ſicut Domino orante in monte, gens oravit, & orandi formam accepit. *Dominus vobiſcum* dicitur ad ſimilitudinem Chriſti, qui poſt reſurrectionem ſuam dicebat Diſcipulis *Pax vobis*. Epiſtola ſignat doctrinam ſeptuaginta duorum Diſcipulorum, quos Dominus ad locum, quo venturus erat, dicitur præmiſiſſe.

Quid Graduale, quid Alleluja?

Reſponſorium, quod cantatur in gradualibus, dicitur Graduale, & denotat illos, qui prædicantibus Apoſtolis, corda ſua fidei præbuerunt. *Alleluja* vero laudes, & gratiarum actiones Sanctorum, qui in eorum decollatione Deum laudaverunt.

Quid Evangelium, & cur legitur a ſiniſtro altaris?

Cur in Evangelio capita denudemus, ſignemuſque nos ſigno Crucis?

Cur ſtemus tunc erecti?

Evangelium vero legitur, quia Chriſtus illud publice prædicavit, & interpretatur bonus nuncius, quia annunciat nobis vitam poſt mortem, requiem poſt laborem, regnum poſt ſervitutem, & legitur a ſiniſtro Altaris, quia expulſi prædicatores a Judæa converſi ſunt ad gentes. Tunc vero capita denudamus, ut audire verba cæleſtia cum devotione recolamus. Tunc etiam ſigno Crucis nos ſignamus, ne diabolus ſuperveniens tritico noſtræ fidei zizania ſuæ pravitatis immiſceat. Erecti autem tunc ſtamus, ut in iis, quæ leguntur, fideliter perſiſtamus.

Cur dicatur Symbolum?

Cur Sacerdos monet populum, ut oret?

Quid ſignificent oblationes populi?

Quid oblatio tum panis, tum vini a Sacerdote facta?

Symbolum vero dicitur, ut verbis Euangelii fidem nos habuiſſe oſtendamus. Sacerdos ad populum ſe convertit, dicens *Dominus vobiſcum, oremus*, quia monet populum, ut in hac confeſſione fidei perſeveret. Oblationes populi ſignant, quod populus, & Chorus jugo Dominico colla ſubdere ſe manifeſtant. Oblatio Sacerdotis panis, & vini, quæ a Melchiſedech ſunt oblata. Panis ſignificat Corpus Dominicum, quo fidelis anima ſatiatur. Vinum Sanguinem noſtræ Redemptionis.

Quid aqua vino immiſta?

Hoſtia cur ab aliquibus ponitur ante calicē?

Aqua Sacramentum Baptiſmatis, quia de Corpore Chriſti fluxerunt Sanguis, & Aqua Baptiſmatis. Hoſtia ponitur ab aliquibus ante calicem, ut Chriſti ſtantis ante Crucem memoria habeatur. Ab aliquibus vero ad dextrum latus, in quo

dextrum

Hic poſterior ritus, quem ſervat Romana Eccleſia, obſervandus.

dextrum latus Domini protenſum lancea demonſtratur. Et iſto modo Romana Eccleſia obſervat, & nos obſervare debemus, qui ejus cæremonias,& officium obſervamus.

Quid ſignificet Altare, quid calix, quid Patena, quid corporale linteum?

Altare vero ſignat Crucem Domini. Calix tumulum, in quo ſepultus eſt. Patena lapidem, quo coopertus eſt. Corporale linteum, quo involutus fuit.

Quid orationes ſecretæ?

Secretæ orationes, ſignificant preces, quas Dominus tempore ſuæ Paſſionis ſecrete fundebat ad Patrem dicens: *Pater, ſi fieri poteſt tranſeat a me calix iſte*.

Quid ſignificet ly Surſum corda?

Quibus orationibus finitis dicit Sacerdos *Surſum corda* pro eo, quod Dominus intuens Diſcipulos dormientes excitavit eos, dicens. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*.

Cur Sacerdos virtutes Cælorum commemoret?

Sacerdos etiam virtutes cælorum commemorat, ut ab earum laudibus non diſcrepet laus Sacerdotis; dicit enim Beatus Gregorius, quod *dum Patri Filius immolatur, cælum aperitur, cæli veniunt potantes, & cæleſtibus ima junguntur*.

Cur manus attollat, crucem de ſe faciens.

Sacerdos etiam tunc manus elevat de ſe crucem faciens, ut ſignum Paſſionis Domini præſentet. Et per hoc ſignum ſub Duce Moyſe populus Iſrael populum Amalec debellavit. Quando enim Moyſes tenebat manus erectas ad cælum, populus devincebat, quando manus ſubmittebat, populus vincebatur.

Quid ſignificet ly ter ſanctus, quid ly Deus Sabaoth.

Sanctus ter dicitur, quia Trinitatem denotat perſonarum. *Deus Sabaoth* ideſt in cælum elevatus, eſſentiæ denotat unitatem.

Te igitur cum aliis ſecretis cur ſecrete dicantur?

Te igitur, ideo ſecrete dicitur cum aliis ſecretis, quæ ſequuntur, ne ſacroſancta verba vileſcant, quia antiquitus cum alta voce legebantur, omnes per uſum illa ſciebant, & in plateis, & vicis illa decantabant, & cum panem ſuper lapidem poſuiſſent, ad verborum ipſorum prolationem, panis in carnem converſus eſt.

Prolatis conſecrationis verbis ab aliquibus, miraculoſe panis in carnem convertitur, & ſevere a Deo puniuntur.

Unde Dominus ex hoc motus igne miſſo de cælo quoſdam ex illis interfecit, demonſtrans,ut ſecrete ulterius legerentur. Propter hoc Sancti Patres ſtatuerunt verba iſta ſub ſilentio dici, inhibentes ſub anathemate, ne proferantur, niſi a Sacerdotibus ſuper Altare, & in Miſſa, & cum veſtibus ſacris.

Inhibetur ſub anathemate, ne conſecrationis verba proferantur, niſi a Sacerdotibus, & in Miſſa, & cum veſtibus ſacris.

Quid ſignificent tres cruces in eo factæ, & quid reliquę cruces?

A *Te igitur*, uſque ad *Agnus Dei* quid faciat, in Canone continetur, videlicet primo tres cruces facit, ut a triplici peccato, ſcilicet cogitationis, locutionis, & operis humanum genus liberetur. Secundo facit quinque Cruces in memoriam quinque plagarum. Tertio facit quinque Cruces, ut quinque ſenſus corporis a noxiis retrahamus. Quarto facit ſeptem Cruces, ut anima, & corpore ſalvari mereamur. Quinto facit ſeptem Cruces, ut ſeptem donis Spiritus Sancti illuminemur.

Quid repræſentet hoſtia conſecrata in tres partes diviſa.

Hoſtia conſecrata in tres partes dividitur. Prima pars, quæ infra calicem ponitur, ſignat illos, qui adhuc vivunt in ſæculo. Pars,quæ manu retinetur, illos, qui ſunt in Paradiſo. Pars vero alia illos, qui ſunt in Purgatorio.

Cur Agnus Dei ter cantetur.

Agnus Dei, ideo ter cantatur, ut triplex gradus Eccleſiæ,ſcilicet Prælatorum, continentium, & conjugatorum a Deo conſequi miſericordiam mereantur.

Cur oſculum tunc inter homines detur.

Oſculum tunc inter homines datur, ut oſtendant ſe in pace conjunctos, & Corpore Chriſti, per quem pax facta eſt in Cælo, & in terra.

Cur fiat communionis cantus

Communionis cantus fit ideo, quia lætamur ex eo, quod Deus vota Sacerdotis accepit.

Quid ſignificet oratio, quæ ſequitur ad complendum.

Oratio ſequitur ad complendum, quia Sacerdos orat pro ſe, & pro populo, ut Sacrificium, quod ſuſcepit ad laudem Dei cedat, & eis proficiat ad ſalutem.

Quid ly ite Miſſa eſt.

Ite Miſſa eſt, ideo dicitur, quia datur licentia recedendi populo,ſignans Sacrificium pro eis ad Dominum fuiſſe tranſmiſſum.

Cur Chorus pro populo reſpõdeat Deo gratias.

Chorus vero reſpondet pro populo *Deo gratias*. Sicut Apoſtoli poſt Aſcenſionem Domini adorantes ipſum regreſſi ſunt in Jeruſalem cum gaudio magno, & erant ſemper in Templo laudantes, & benedicentes Dominum.

CAP. XII.

Ordinationes quædam ad hoc Sacrificium, & ad hoc Sacramentum ſpectantes.

Parochi hoſtiam conſecratam in Eccleſia ſemper paratam habeant, quam ſingulari diligentia cuſtodire, & renovare tenentur.

MIſſa igitur celebrata caveant Sacerdotes Parochiales, quatenus hoſtiam conſecratam in Eccleſia ſemper paratam habeant in loco ſingulari, & clavi firmato honorifice collocatam, & devote, ac fideliter conſervatam; præcipimus renovari in hunc modum. Videlicet, quod Sacerdos duas, vel plures, ſi opus fuerit,conſecret hoſtias,quarum unam recipiat, & immediate poſt etiam recipiat prius reſervatam, & in loco illius, quam reſervaverat,ponat noviter conſecratam, vel plures, vel pauciores, ſicut fuerint reſervandæ, & poſt hoc recipiat ſanguinem, & communicet modo conſueto, & alias receptiones faciat, ſicut eſt moris in Romana Eccleſia, atque noſtra Beneventana.

Parochi ab infirmo requiſiti mox eum communicent.

Statuimus autem, & ordinamus,ut Sacerdotes Parochiales, mox quando ab infirmo requiſiti fuerint, eum communicent, ne ſine communione moriatur.

Quid agendum cum intra Miſſam quis infirmatur ad mortem, nec habet Sacerdos hoſtiam, niſi in ea Miſſa conſecratam.

Et ſi contingeret, quod infra Miſſam aliquis infirmaretur ad mortem, nec haberet Sacerdos aliam hoſtiam,quam eam, quam in illa Miſſa conſecravit, non debet propter hoc a ſumptione abſtinere.Sed diviſa hoſtia unam partem ipſe ſumat, & aliam infirmo det.

Sacerdotes populum moneant de reverentia exhibenda erga Chriſti Corpus, cum elevatur, & cum defertur.

Moneant etiam populum Sacerdotes, & diligenter inducant, ut cum per ipſos deferri contigerit Corpus Chriſti ad communicandum infirmos, & cum elevabitur

in Eccleſia, vel in Altari adorando Corpus Chriſti verum cum manuum, & genuum flexione, ſtudeant ſe Creatori ſuo devotiſſime inclinare.

Quo pacto Euchariſtia ad infirmos deportanda ſit?

Euchariſtiæ autem ad infirmos portatio fiat cum duabus, vel pluribus hoſtiis conſecratis, ut unam poſſit infirmo dare Presbyter, & aliam reportare, & fiat ſub honeſto habitu, ſuperpelliceo, ſive cotta, & ſtola, Cruce, lumine, & ſquilla præcedentibus cum decenti cuſtodia, hoc eſt vaſe pro cuſtodia ad hoc deputato, licet pro communi hic utantur calicibus, quod non multum laudamus; conſulentes alio ſecuriori vaſe cautius uti, maxime ubi longa, aut campeſtris diſtantia eſſet ad infirmum, ipſi cuſtodiæ ſuppoſito mundo velamine, dicendo etiam ſeptem pſalmos pœnitentiales cum litania: & ſi iter longum eſſet, quindecim pſalmos, ſive canticum graduum. Ipſe autem Sacerdos per ſe, & nunquam per alium ferat, & deferat caute, & manifeſte, & ante pectus ob Dei reverentiam, & honorem, ut ex hoc apud homines fides, & devotio augeatur.

Euchariſtiam nõ niſi presbyter cõmunicantibus præbeat.

Diſtricte prohibentes ne aliquis, qui non ſit Presbyter, Euchariſtiam communicantibus præbeat. Diaconus autem poterit hoc facere neceſſitate urgente.

CAP. XIII.

Quo pacto communio infirmis præbenda?

SAcerdos igitur cauſſa communionis, cum Corpore Chriſti veniens ad infirmum, ejus confeſſionem audiat, prout continetur ſupra in titulo proximo in *§. circa infirmos*. Ipſo autem de omnibus ſuis peccatis abſoluto, ei Corpore Chriſti præſentato, & articulis fidei ibidem ab ipſo recognitis, & cruce reverenter adorata, devote recipiat Corpus Chriſti. Et ſi in ore infirmi aliquid de Corpore Chriſti remanſerit, vel inde exierit, quod ab eo recipi non poſſit habens aliquam panis formam, ab ipſo Sacerdote convenienter debet ſumi, vel * *comminutum* in calice cum modico vini dari alicui bonam conſcientiam habenti.

Quid agendum, ſi quid in ore infirmi de corpore Chriſti remanſerit?

Forſan *commixtum*.

Si vero infirmus adeo debilis fuerit, quod ſub magna forma Corpus Chriſti non poſſit recipere, forma minima detur, & in calice, & cum modico vino, vel aqua inſtilletur in ore infirmi, quia in qualibet particula totum eſt Corpus Chriſti. Sed ſi adeo infirmus ſit, quod maſticare nullo modo poſſit, tunc ſumat tantum aquam a Chriſti Corpore tactam.

Quid, ſi infirmus Corpus Chriſti ſub magna forma recipere nequeat?

Quid, ſi idem maſticare nullo pacto poſſit?

CAP. XIV.

Chriſti fideles ad minus in Paſchate reverenter ſingulis annis Euchariſtiam ſuſcipiant: alias ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur: quibusve danda, quibusve neganda?

VOlumus etiam, & mandamus, ut quilibet fidelis Chriſtianus, poſt quam confeſſus fuerit, ad minus in Paſchate reverenter ſuſcipiat ſingulis annis Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ex aliqua cauſſa rationabili duxerit abſtinendum. Alioquin vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens careat Eccleſiaſtica ſepultura, uti latius ſupra *in tit. de Pœnitentia poſuimus*. Et eſſet honeſtum, ac pium communionem ſacram recipi in feſtis Nativitatis Domini, & Pentecoſtes a quocumque fideli ætatem habente, & ad hoc per Archipresbyteros, & Sacerdotes populus inducatur.

Inducatur etiam populus ad communionem in feſtis Nativitatis Domini, & Pentecoſtes.

Præcipientes, ut Sacerdotes vinum purum habeant paratum in Eccleſia in feſto Paſchæ, vel alio, quo fuerint communicandi, quod ſtatim non cum calice Sacerdotis, ſed alio calice ad hoc ſpecialiter deputato tribuat populo, poſtquam receperit Corpus Chriſti. Prohibentes communicantibus, ne a præſentia ipſorum Sacerdotum recedant, donec de vino aliquantulum biberint, & diligenter abluant ora ſua.

Communicantibus vinum purum in alio calice poſt communionem propinandum.

Et notandum, quod is, qui communicavit, ſi commode, & abſque naturę violentia poteſt, debet abſtinere a ſputo, alioquin poſt horam convenientem ſpuere poteſt ſaltem in loco, ubi ſputum nequeat pedibus conculcari. Deus autem omnia judicat, & ipſe a nemine judicatur, & omnia munda ſunt mundis.

Poſt Communionem quamdiu abſtinendum a ſputo, & ubi deinde ſpuendum?

Item præcipimus, quod dum Cappellanus hoſtias renovat conſecrationis, ſi aliquæ remanent populo communicato, illas ipſe recipiat jejuno ſtomacho, vel in Miſſa, recepto prius Corpore, & Sanguine Chriſti, ante perfuſionem.

Cappellanus, quo pacto renovare debeat hoſtias conſecratas?

Parvulis autem, qui tantæ ſunt innocentiæ, quod peccato mortali non fuerint prægravati, & talis diſcretionis, & compoſitionis fuerint, quod cum aliqua reverentia, & timore ſint Sacramentum ſuſcepturi, ſecure miniſtretur eiſdem, aliqua confeſſione præhabita, ut modum confitendi, & communicandi aſſumant. In * *Sacris* enim maxime, ubi caligat oculus rationis, inſtruendi ſunt homines, & mulieres non ſolum per verba, ſed etiam per actus exteriores ad devotionem, & fidem. Aliis vero parvulis tenerioribus nullatenus concedatur. Sed in mortis articulo, vel alio vinum cum aqua in calice porrigatur eiſdem; non, quod hoc ſit Sacramentum, ſed propter fidem, & aſſuetudinem Sacramenti.

Quibus parvulis, & quo pacto Euchariſtia miniſtranda ſit?

Forſan * *Sacramentis*.

Sacer-

Parochianos Parochi publice moneant, ne indigne accedant cum peccato mortali.

Secrete monendus, quem ſecrete norunt indignum.

Sacerdotes autem curam animarum habentes ante communionem parochianos ſuos moneant publice in Eccleſia, ne aliquis in mortali peccato conſtitutus occulte, ſeu manifeſte, præſumat recipere Corpus Chriſti. Et ſi videant, vel ſciant aliquem in mortali peccato conſtitutum paratum communicare, trahant ipſum ad partem, & eum ſecrete moneant, ne communicet ullo modo, niſi prius de peccato illo vere confeſſus fuerit, & contritus; dicentes ſibi, quod ſi taliter communicaret, in damnationem animæ ſuæ redundaret.

Quid agendum, ſi ſecrete monitus abſtinere noluerit?

Et ſi monitus abſtinere noluerit, non debet ei publice communio denegari. Si autem a ſolo Sacerdote, nemine alio præſente, ab eo communio peteretur, non eſt audiendus, ſed potius repellendus.

Publico peccatori publice denegari debet communio. D. Th. 3. p. q. 21. ar. 6. o.

Verum ſi peccatum fuerit notorium, & non eſt de ipſo vere confeſſus ante ſatisfactionem condignam, debet ſibi publice communio denegari. Et hoc idem in oſculo Crucis dicimus, & volumus obſervari; cum in die veneris ſancto ab omnibus generaliter adoratur.

Suſpectus itidem de aliquo crimine, ſi ſuſpicio violenta oriatur ex publica fama.

Idem etiam dicimus de ſuſpecto de aliquo crimine, quando ſuſpicio eſt violenta procedens ex publica fama; tunc enim tali neque in occulto, neque in maniſeſto dari debet communio. Si tamen ſuſpicio talis non ſit ex publica fama, ſed ſolius Sacerdotis, tunc in publico dari debet, in occulto non, ut ſupra dictum eſt. Si etiam ſuſpicio ſit levis, propter hoc denegari non debet.

CAP. XV.

Curent Sacerdotes, ne Sanguis Chriſti effundatur: quaque induſtria in caſuali effuſione utendum ſit?

Quid agendum ſi ſanguis ſtillaverit in tabula terra, ligno, vel lapide?

CAveant autem Sacerdotes, ne aliquid de Sanguine Chriſti extra calicem cadat, vel Euchariſtia; quod ſi per negligentiam ipſorum acciderit, & in tabula, terra, ligno, vel lapide ſtillaverit, lingatur, ſi fieri poteſt, per ipſum Presbyterum, & nihilominus radatur; & quod raſum fuerit, comburatur, & cinis infra altare, ſi fieri poteſt, vel juxta altare in ſacrario, ſive cum reliquiis abſcondatur, & quadraginta diebus ille, cui acciderit, pœniteat.

Quid ſi ſuper corporale ceciderit?

Et ſi ſuper corporale ceciderit, ſugatur, ſicut diligentius fieri poteſt, & lavetur ter in calice, & in aqua lotionis poſt miſſam ſumatur; deinde corporale recondendum eſt in loco reliquiarum.

Quid, ſi ſuper aliquam particulam corporalium?

Si ſuper aliqua particula corporalium, illa inciſa recondatur modo præmiſſo, & idem ſuper

Quid ſi ſuper pannum profanum, vel veſtimentum?

caſulam, vel albam. Si ſuper pannum profanum, vel veſtimentum, tunc pars, ubi ceciderit, comburenda eſt, & cinis in ſacrario reponendus, & hoc quidam dicant, & ſatis Nobis placet.

Quid, ſi ſuper altare ſtillaverit, idque multipliciter, ſi ſanguis ſcilicet tangat aut unum pannum altaris, aut ſecundum etiam, aut tertium, aut etiam quartum?

Si vero ſuper altare ſtillaverit ſanguis, & tangat tantummodo pannum unum altaris, quod non tranſeat ad alium, ſorbeat Sacerdos ſtillam incontinenti, ſi fieri poteſt, & tribus diebus pœniteat, & ſi ſtilla uſque ad ſecundum pannum pervenerit, pœniteat quatuor diebus, & ſi uſq; ad tertium pannum pervenerit, pœniteat undecim diebus, & ſi uſque ad quartum pannum pervenerit, pœniteat viginti diebus, & linteamina, quæ tetigerit ſtilla ſanguinis, tribus vicibus, ideſt tribus aquis, miniſter, vel Diaconus abluat calice ſuppoſito, & aqua ablutionis juxta altare recondatur.

Sacerdos, cui id acciderit, celebrare non debet, niſi poſt pœnitentiam ſuſceptam.

Et notandum, quod non debeat celebrare, cui hoc acciderit, donec pœnitentiam receperit, & ſi ante tranſubſtantiationem effuſa fuerit pars, ut præmiſſum eſt, mutentur pallæ ſub ſilentio, & celebrans ſuum officium exequatur.

Quid agendum ſi effuſio, vel ex parte, vel ex toto acciderit ante tranſubſtantiationem?

Si totum effuſum ſit, tunc præmiſſa confeſſione miniſtret de novo, & reincipiat officium ab illo loco: *Hanc igitur, &c.*

Quid, ſi vel ex parte, vel ex toto poſt tranſubſtantiationē acciderit?

Si vero poſt tranſubſtantiationem pars fuerit effuſa, tunc ſimiliter exequatur: Si vero totum, ita quod nihil hauſerit, quod valde enorme eſt, tunc ponat hoſtiam in*, & miniſtret de novo panem, & vinum, & aquam, & reincipiat ibi: *Hanc igitur*, confeſſione tamen præmiſſa; hoſtia vero ſervata ſumatur poſtmodum a Miniſtro in fine Miſſæ, vel ſervetur pro infirmis.

Forſan * *in propitiatorium*.

CAP. XVI.

Quid agendum, ſi muſca, vel aranea, vel aliquid turpe in ſanguinem ceciderit?

MUſcam, vel araneam, vel aliud turpe cadens in ſanguinem, non tenetur ſorbere Sacerdos, ſed ponatur in patena, vel alio calice, & ibi tribus aquis lavetur, & poſtea illa ſpecies comburatur, & aqua ablutionis, ac cineres ſimiliter recondantur.

Si ſubſit venenum, nullo modo ſanguis vel ſumi, vel aliis dari debet; & quid agendum in illo caſu?

Si vero venenum ibi eſſe deprehenderit immiſſum, nullo modo debet ſumere, vel alii dare, ne calix vitæ vertatur in mortem, ſed debet diligenter in aliquo vaſculo ad hoc apto cum reliquiis conſervare, & ne Sacramentum remaneat imperfectum, debet vinum apponere in calice, & denuo reſumere a conſecratione ſanguinis, & Sacramentum perficere; nihil enim abominabile ſumi debet occaſione hujus Sacramenti.

Quid, ſi hæc ex toto, vel ex parte ante conſecrationem evenerint?

Si autem ante conſecrationem præmiſſa, vel aliquid eorum evenerit, tunc debet effundi, & abſoluto calice denuo aliud vinum poni conſecrandum cum aqua.

CAP.

CAP. XVII.

Quæ pœnitentia infligenda Euchariſtiam per ebrietatem evomentibus; & male illam cuſtodientibus?

SI quis per ebrietatem, vel nimiam comeſtionem Euchariſtiam evomuerit, ſi Laicus eſt, quadraginta diebus pœniteat, ſi Clerici, vel Religioſi, Diaconi, vel Presbyteri ſeptuaginta diebus pœniteant: & ſi pro infirmitatis cauſſa evomuerit, ſeptem diebus pœniteat.

Quid agendum de ejuſmodi vomitu?

Vomitus autem ille ſuper piſcinam comburatur, & pulvis in piſcinam mittatur. Sed ſi aliqua particula hoſtiæ ibi videatur, ſicut dictum eſt de Infirmo, fiat; alias ſi horror eſſet ſumere, tunc pro reliquiis in aliquo vaſe recondatur.

Pœnitentia infligenda iis, qui Chriſma, vel Euchariſtiam incaute cuſtodierint.

Qui vero Chriſma, vel Euchariſtiam incaute reliquerit, ideſt in loco clavibus non firmato, nec fideliter cuſtodito, tribus menſibus debet ab officio ſuſpendi, & ſi per ejus incuriam, ſeu negligentiam mus, vel aliud animal comederit, ultra prædictos tres menſes, pœniteat quadraginta diebus. Qui autem perdiderit illud in Eccleſia, aut pars ejus ceciderit, & inventa non fuerit, pœniteat triginta diebus.

Si ex incauta ejuſmodi cuſtodia enormia, ſeu nefaria ſcelera fieri contigerit, graviori ſubjaceant ultioni.

Si vero aliqua enormia, ſeu nefaria fieri inde contigerit, ſicut pluries in noſtra viſitatione comperimus, maxime facturas factas, & multa alia diabolica, graviori ſubjaceat ultioni, ut ſuperius in titulo de Sacramentis latius diximus in §. *Item præcipimus*.

Sacerdotes nihil omnino de prædictis ob quamvis cauſſam, vel occaſionem dari, aut recipi ſinant.

Caveant ergo Sacerdotes, ne cui pro quacumque cauſſa, vel occaſione dare præſumant de prædictis, aut recipi ſuſtineant. Et ſi quam perſonam ſuſpectam habuerint, ſub Excommunicationis pœna, quam citius commode poterit, denuntiare ſuo Superiori Eccleſiaſtico Judici procurent. Corpus etiam Chriſti dari non debet ad ſumendum aliquod experimentum, vel propter aliquam expurgationem. Ubicumque autem * *dicatur* quadraginta diebus, triginta, vel viginti, vel pluribus, aut paucioribus pœniteat, ſic debet intelligi, ut per omnes dies illos aliquam pœnitentiam agant, ſecundum arbitrium imponentis.

Corpus Chriſti dari non debet ad ſumendum aliquod experimentum, vel propter aliquam expurgationem, idque ſub ſtatutis pœnis.

Forſan * *dicitur*.

Si vero hoſtia fuerit inventa ſub palla altaris, & dubitetur utrum fuerit conſecrata, dicimus, quod Sacerdos in fine Miſſæ, poſt receptionem ſanguinis, poteſt eam recipere.

Si hoſtia fuerit inventa ſub palla altaris, ac dubitetur, utrum fuerit conſecrata, quid agendum?

Et idem dicimus de aliqua parte hoſtiæ, ſi ita inventa fuerit in altari, & dubitetur, utrum fuerit conſecrata. Et ideo caveant Sacerdotes Miſſam celebrare volentes, ne panis, ſeu vinum ſint in altari præter illa, quæ fuerint conſecranda tunc. Et ſi oblivione, vel alias, aliquæ hoſtiæ remaneant in altari, dum Sacerdos conficit, vel ſi gutta, aut plures guttæ vini adhæreant pedi calicis, nec illæ hoſtiæ, nec guttæ conſecrantur, quia non fuit intentio Sacerdotis, quæ principaliter requiritur ad omne Sacramentum.

Item ſi inventa fuerit ſub altari, & idem dubium ſubſit?

Dum Sacerdos conficit, & per oblivionem aliquæ hoſtiæ regerantur, aut vini guttæ in calicis pede adhærentes ſint, conſecratæ non intelliguntur.

CAP. XVIII.

Poſt celebrationem Miſſarum, quid agere Sacerdotes debeant?

POſt celebrationem Miſſarum Sacerdotes Parochiales viſitent infirmos, & poſtea legant, ſcribant, vel doceant. Et ſummo ſtudio caveant ab otio; unde omnia mala, & peccata provocantur.

Utrum autem celebrare quotidie, vel aliquando ex reverentia abſtinere ſit melius Sacerdoti, hoc relinquatur ſuæ intentioni, ut id faciat, in quo magis credit placere Deo, ſicut dicitur de Zachæo, & Centurione, quorum unus placuit ſacrificando, alius abſtinendo.

Utrum ſit melius celebrare quotidie, an ſecus?

Sacerdos autem dicto: *Ite Miſſa eſt*, vel *benedicamus*, & reſponſo: *Deo gratias*, benedicit populum faciendo ſignum Crucis tenens in manu Crucem, patenam, corporalia, aut calicem, ſicut aptius ſibi erit, & hoc decentius ſit, & devotius, quam ſi cum manu ſola benediceret.

Antiquitus in fine Miſſæ populus a Sacerdote, vel cum Cruce, vel cum patena benedicebatur.

Caveant tamen Sacerdotes, quod præſente Epiſcopo benedicere non præſumant, & niſi prius innuant Epiſcopo, ſi benedicere velit. Et ſi nolit, tunc ipſe Sacerdos mandante Epiſcopo, benedicat, ut dictum eſt.

In fine Miſſæ Sacerdotes præſente Epiſcopo benedicere non præſumant, niſi prius Epiſcopo innuant, & benedicere velit.

Per conſtitutiones quoque noſtras Provinciales quilibet Eccleſiarum Rector, ſeu Cappellanus Eccleſiæ Parochialis Civitatis noſtræ Beneventanæ, Diœceſis, & Provinciæ in propria perſona deſerviens, teneatur ſingulis diebus Dominicis Miſſarum ſolemnia in Eccleſia, cui deſervit, celebrare ſub pœna per Nos, aut noſtros Suffraganeos eidem noſtro, vel eorum arbitrio infligenda.

Ex conſtitutione Provinciali quilibet Eccleſiarum Rector celebrare tenetur ſingulis diebus Dominicis in Eccleſia, cui deſervit ſub pœna arbitraria.

Et eadem conſtitutione præcipitur, ut dictis diebus Dominicis ſingulis dicti Presbyteri dicant, & proponant populo in eorum Eccleſiis noſtra ſalubria monita, & mandata, ne per ignorantiam populus ad illicita prorumpat committenda. Et hoc ſub pœna unius Auguſtalis noſtræ Curiæ, ſeu Suffraganeorum noſtrorum Curiæ applicandi.

Iidem dictis diebus Dominicis populū moneant de mandatis hujus Concilii, idque ſub pœna unius Auguſtalis.

Sacerdotes Parochiales diebus Dominicis, & feſtivis populo ſibi commiſſo, prædicent verbum Dei, & maxime contra illa peccata, quæ frequenter in ſuis parochiis committuntur. Et inſtruatur populus, quod ſimplex fornicatio eſt peccatum mortale.

Parochi diebus Dominicis, & feſtivis prædicent verbum Dei, & maxime contra peccata, quę frequenter admittuntur.

Prohibemus, ne Sacerdotes habentes manus debiles audeant celebrare, nec Miſ-

Inhibetur celebratio Sacerdotibus, manus debiles habentibus.

Miſſas, quas injunxerint celebrent, nec tricenarium, vel Annuale.

Diebus Dominicis, & feſtivis quo tempore celebrari poteſt publice in Cappellis?

In locis, ubi ſunt Parochiales Eccleſiæ, inſimul & Cappellæ, non celebretur publice in Cappellis Dominicis diebus, & feſtivis,quo uſque Parochiales Sacerdotes præcepta denunciaverint, ut eſt moris. In Eccleſiis autem majoribus Cathedralibus, nullus Miſſam in Cappellis celebrare præſumat, poſtquam Miſſa major, & Conventualis incœpta fuerit, nec ante inchoationem,niſi potuerit finiviſſe,& donec *Agnus Dei* ſaltem incœptum fuerit decantari.

Cappellani ſuos ſubditos moneant, ne vota temere nuncupent.

Moneant etiam ſuos ſubditos Cappellani, ne vota promittant, niſi cum magna deliberatione, & conſilio Sacerdotis ſui. Et maxime mulieres ſine maritorum ſuorum aſſenſu.

Sacerdotes animarum curam habentes bis,aut ſemel ad minus qualibet hebdomada celebrent.

Porro Sacerdotes curam animarum habentes bis, aut ſemel ad minus Miſſas celebrent qualibet hebdomada, ubicumque fuerint ſui, aut Superiorum arbitrio puniantur, niſi per cauſſam neceſſariam excuſentur.

CAP. XIX.

Quo diei tempore ſolemnis Miſſæ celebratio fieri debeat?

Licet autem Miſſarum celebratio communiter loquendo fieri debeat de die dumtaxat, & non de nocte, niſi in Natali Domini, ut ſupradictum eſt; ſolemnis tamen Miſſæ celebratio fieri inſtituta eſt tribus horis,ſcilicet in hora tertiæ, diebus ſcilicet feſtivis, quia Chriſtus hora tertiæ crucifixus eſt linguis Judæorum; hora ſexta manibus militum; hora nona expiravit, & de his omnibus in Miſſa recolitur.

Quando conferuntur ordines Miſſa differtur quantum differri poteſt ante prandium.

Quando fiunt ordines poteſt Miſſa cantari etiam poſt nonam; vel, ut fiat diligentior præparatio,differtur quantum differri poteſt ante prandium. Et ideo quando non eſt dies jejunii, communiter celebratur inter tertiam, & ſextam, in qua hora communiter comeditur. Sed in his diebus jejunii in nona. Et iſtas horas accipimus ſecundum communem uſum computationis horarum.

Privatæ Miſſæ, quo tempore dici poſſint?

Privatæ autem Miſſæ dici poſſunt a mane uſq; ad tertiam, vel etiam uſq; ad nonam in diebus jejuniorum. Scienter ante diem celebrans, pro eo, quod conſtitutionem generalem Eccleſiæ non ſervat, mortaliter peccat, niſi ſuper hoc per Epiſcopum, vel Superiorem diſpenſetur in caſu, ut ſi aliquem, vel aliquos contingeret infirmari ad mortem, nec poſſet haberi Euchariſtia, niſi ante diem celebretur.

Epiſcopi, & Superiores poſſunt, ubicumque fuerint, in altari viatico cebrare, aut facere celebrari.

Epiſcopi, & Superiores poſſunt, ubicumque fuerint,in altari viatico celebrare, vel facere celebrari, quia non decet eos ſine Miſſa ullo die tranſire ſine cauſſa rationabili, abſque tamen interdicti transgreſſione, hoc eſt, quod licet poſſit celebrare in loco interdicto, non in alta voce, aut interdictis admiſſis.

Euntes ad Romanam Curiam poſſunt de mane ante campanam celebrare,vel facere celebrari Miſſam.

Euntes etiam ad Romanam Curiam poterunt de mane ante campanam diei dicere, vel facere dici Miſſam, ne dieta eorum impediatur;alias autem ante diem non celebrent, niſi licentiam habuerint a Domino noſtro Papa.

Privilegium Fratrum Prædicatorum, & Minorum ſuper hac re.

Fratres Prædicatores, & Minores ex privilegio, ut aſſeritur, poſſunt etiam Miſſam in altari viatico celebrare, ubicumque fuerint, ſine præjudicio tamen Parochialis Eccleſiæ.

An peccet Sacerdos omnino a celebratione Miſſæ abſtinens?

Licet quidam dixerint, quod non peccet Sacerdos, qui populum non habet, omnino a celebratione Miſſæ abſtinendo: tamen dicimus cum Beato Gregorio, quod cum Sacerdoti data ſit poteſtas nobiliſſima, reus negligentiæ erit, niſi illa utatur ad honorem Dei, & ſalutem ſuam, & aliorum vivorum, & mortuorum, niſi forte aliquis ex familiari Spiritus* *Sanctus* inſtinctu dimitteret, ſicut legitur in vitis Patrum de quodam Sancto Patre, qui ordinatus nunquam poſtea celebravit.

Forſan * *ſancti*.

CAP. XX.

Injungitur omnibus Sacerdotibus celebratio Miſſæ.

Celebrent ergo Miſſas omnes Sacerdotes, ut impleatur præceptum Dominicum eis directum: *Hoc facite in meam Commemorationem, &c.*

Perſtringuntur Epiſcopi, qui ad celebrandum ſolemne feſtum expectant.

Et advertant maxime Epiſcopi, quorum multos comperimus noſtræ viſitationis tempore Miſſas minime eorum temporum ſuis populis celebraſſe, quorum opinionem de feſto ſolemni prius faciendo expectare magis vituperamus, quam laudamus, quoniam redundat in malum exemplum ſuorum ſubditorum, & eorum opprobrium, ac etiam ſuſpicionem malæ vitæ, ac Simoniæ, propter oblationes, quas in illo feſto pingues habere deſiderant, ut ſupra. Unuſquiſque ſeipſum judicet; nos enim neminem judicamus. erit autem, qui quæret, & judicabit.

Quinam Sacerdotes poſſint ſine peccato abſtinere?

Concedimus autem, quod Sacerdotes nullum habentes populum, vel qui non ſunt ſub obedientia, ab aliis actibus ordinum, qui pertinent ad corpus myſticum, ut ligare, & ſolvere, docere, & baptizare, poſſint ſine peccato abſtinere.

Hi tamen ipſi, quo tempore celebrare teneantur?

Celebrare etiam tenentur feſtis præcipuis, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare conſueverunt.

Quæ communionis frequentia permittenda, aut etiam inculcanda Laicis?

Laici etiam frequenter communicando bene faciunt, nec ſunt prohibendi ſaltem ſingulis menſibus, aut in principalibus feſtis facere volentes,ut gratia ſalutaris augeatur.

De Miſſa prima Pontificali celebranda ab Epiſcopis, & Abbatibus ſuffraganeis.

Forſan * *pervenerint*.

Exhortamur autem omnes Epiſcopos, & Abbates noſtros Suffraganeos, & ſubditos eis, quia præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, quatenus poſtquam ad ſuas * *pervenerant* Eccleſias, infra annum a die poſſeſſionis pacificæ adeptæ ſtudeant Miſſam primam Pontificalem ſuo ſubdito Clero, & populo celebrare, ſicut tenentur, & miniſtrare alia Eccleſiaſtica, ac Pontificalia Sacramenta. Ceteri vero Abbates, Archipresbyteri, & Rectores curam animarum habentes, infra ſex menſium ſpatium a die adepti beneficii Miſſam primam ſolemniter celebrent, ut tenentur. Alioquin de tanto * *exceſſo*, & contemptu durius punientur, niſi juſtam cauſſam propoſuerint excuſationis.

Forſan * *exceſſu*.

Sacerdotes, qui nondum dictis matutinis celebrant, cum ſit contra generalem conſuetudinem, & ſtatutum noſtrum ſupra poſitum, mortaliter peccant, & idem ſi celebrent, antequam primam dicant. Qui autem per negligentiam, prætermiſſa prima, dicit tertiam, credimus, quod non ſufficiat, ſi caute ſuppleat, quod dimiſſum eſt, & de negligentia pœnitentiam agat.

CAP. XXI.

De Miſſa Dominicis, & feſtivis diebus audienda.

Dominicis diebus, & præcipuis feſtis tenetur quiſque fidelis Chriſtianus Miſſam audire, & totam, ita quod in fine benedictionem accipiat Sacerdotis, alias peccat. Et ut dicit decretum, qui die ſolemni, prætermiſſo Eccleſiæ conventu, ad ſpectacula vadit, excommunicatur. Et hoc volumus a Sacerdotibus publicari potiſſime in Civitate noſtra, ubi libenter populus convenit ad audiendum romanzatores in platea.

Perſtringitur abuſus dictis diebus ad circulatores in platea convenientium.

In noſtris antiquis conſtitutionibus cavetur, ne Parochiani utriusq; ſexus dictis diebus Dominicis, aut feſtivis, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, in domibus propriis permaneant, ut brutuales, aut ad alienas ſe conferant Eccleſias, & contemptis propriis, & presbytero parochiali divinum officium audituri, cum talia a juriſdictione devient, & forſan turpia tunc temporis committuntur maxime per eos, qui domi remanent.

Antiqua Conſtitutio de Parochianis, dictis diebus, dum Miſſarũ ſolemnia celebrantur, in propriis domibus permanentibus, aut ad alienos cõmeantibus.

Et ideo mandatum eſt, & præceptum parochialibus presbyteris, quod antequam in ſuis Eccleſiis celebrent, perquirant, & interrogent, ſi alienus parochianus ibi fuerit, quem ſtatim ab Eccleſia abiiciant, ſeu, donec ibi fuerit, ceſſent a divinis; & ſi pertinaces fuerint, Nobis, aut noſtro Vicario, Suffraganeis noſtris, aut eorum Vicariis, cum primum poterunt, denunciare procurent de ſua inobedientia juſtitiam recepturos. Dicti vero presbyteri non ſervantes præmiſſa, noſtro, vel Suffraganeorum, aut Vicarii arbitrio puniantur. Et hanc declarantes adiicimus de illis debere intelligi, qui nimis aſſidue, & ex contemptu, ac in fraudem ad alienas tranſeunt Eccleſias.

Mandatum ſuper hac re parochialibus presbyteris.

Si quis autem de iis, quæ ad ritum hujus Sacramenti pertinent, omiſerit, ſicut tempus debitum, altare, veſtes, & his ſimilia, graviter peccat, & fortius, ſi ſcienter, quia facit contra ſtatutum Eccleſiæ: tamen licet omittatur, nihilominus conſecratum eſt, dummodo conſecrans ſit ordinatus, & adſit intentio, & materia, & forma debita; nullam tamen irregularitatem incurrit, quia hoc non reperitur jure cautum.

Quod peccatum committet omittens ea, quę ad ritum hujus Sacramenti pertinent?

TITULUS VIII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Quoniam infirmis recepta Pœnitentia, & Euchariſtia, exhiberi conſuevit Sacramentum Unctionis Extremæ, quod Sacramentum dicitur eſſe egredientium, ideo de hoc reſtat immediatè videndum, ſcilicet quid ſit, & quis confert illud, & cui confertur, & quæ forma, & quæ ſunt in eo neceſſaria, & quis ejus * *affectus*.

Forſan * *effectus*.

CAP. I.

Quid ſit hoc Sacramentum, & quis confert illud, & cui confertur?

Est autem Sacramentum extremæ Unctionis Sacri Olei materialis in corpus Infirmorum delibutio ex inſtitutione Felicis Papæ IV. & ex præcepto Jacobi Apoſtoli, & ideo apud nos, & multas regiones vocantur ordines S. Jacobi.

Ejus delibutio eſt ex præcepto D. Jacobi Apoſtoli, & ex Inſtitutione Felicis Papæ IV.

Et debet, ac poteſt conferri a Presbytero, & non ab inferiori, etiam in articulo neceſſitatis.

A Presbytero tantum poteſt, & debet conferri.

Confertur autem infirmis quibuſcumq; baptizatis, pœnitentibus, & confeſſis, & quibuſcumque fidelibus, ex quo aliquam aliquam diſcretionem habuerint, & quotieſcumque infirmitas ſupervenerit, ubi timetur periculum mortis, debebit, & poterit iterari, non tamen in quolibet periculo mortis, quia non datur euntibus ad bellum, vel navigantibus, vel mox occidendis, vel patibulo tradendis, quia talis mors non imminet ex defectu naturæ, ſed ex eventu fortunæ.

Quibus confertur?

Non confertur in quolibet periculo mortis

Pueris etiam non datur, quia non habent infirmitatem ſpiritualem contractam ex peccato actuali, nec diſpoſitionem habere poſſunt ad hoc Sacramentum, ſcilicet devotionem. Unde ſicut Euchariſtia non debet dari pueris, ita nec hoc Sacramentum. Senibus autem datur, qui moriuntur etiam ſine aliqua infirmitate,

Non confertur pueris, & quam ob cauſſam?

Confertur ſenibus, etiam iis, qui ſine aliqua infirmitate moriuntur.

Quibus phreneticis, aut amentibus dari, quibus non dari debeat?

tate, quia defectus naturæ reputatur in eis pro actuali infirmitate. Sanis autem nullo modo detur, phreneticis, & amentibus illis præcipue dari non debet, qui poſſent Sacramento irreverentiam per aliquam immunditiam facere, niſi haberent dilucida intervalla, in quibus Sacramentum recognoſcerent, quia tunc eis in aliquo ſtatu conferri poteſt, maxime ubi in ſana mente conſtituti petiviſſent, quia ad hoc, quod proſit hoc Sacramentum requiritur quædam devotio interior * furioſi, & ſimiles * *baberi* non poſſunt. Unde nullus ungendus eſt, niſi qui primo compos mentis exiſtens verbis, aut ſignis id poſtulaverit. Et ſi habens diſcretionem ex contemptu, vel negligentia omittat, periculoſum, & damnabile reputatur eidem.

Forſan * *quam* Forſan * *babere*.

Periculoſum, & damnabile eſt ex contemptu, vel negligentia hoc Sacramentum omittere.

Conferendum infirmo, qui petiit, etiam ſi notitiam, aut loquelam amiſerit.

Si vero Infirmus, qui petiit hoc Sacramentum amiſerit notitiam, vel loquelam, nihilominus, dum tamen vitam habeat, concedatur eidem.

Conſilium ſuper hac re dandum Infirmis.

Et conſulimus, quod ubi gravis ſupervenerit infirmitas, ſemper, antequam poſſit ad illum ſtatum non petendi venire infirmus, vel ab ipſo petatur a principio, vel inſtruatur ab amicis, ut petat ſibi dari in extrema neceſſitate.

Et quia de iteratione fuerunt dubitationes, ideo dicimus ſecundum communem opinionem, quod quædam ſunt infirmitates non diuturnæ. Unde ſi eis datur hoc Sacramentum, tunc cum homo ad ſtatum illum pervenit, quod eſt in periculo mortis, non recedit a ſtatu illo, niſi infirmitate curata, & ita iterum non debet inungi. Sed ſi recidivum patiatur, erit alia infirmitas, & ita iterum poterit inungi. Quædam vero ſunt ægritudines diuturnæ, ut ethica, & hydropiſis, & hujuſmodi, & in talibus non debet fieri inunctio, niſi quando videntur inducere mortis periculum. Si homo illud evadat eadem infirmitate durante, & iterum ad ſimile periculum per infirmitatem reducatur, poteſt iterum inungi, quia quaſi erit alius ſtatus infirmitatis ſimpliciter.

Quando hoc Sacramentum iterari poteſt ad litteram cum D. Th. in ſup. 3. p. q. 64. art. 2. o. definitur.

Cur iteretur?

Iteratur autem hoc Sacramentum, quia imprimit effectum non perpetuum, ſed debile, maxime ſi homo ab infirmitate reſurget, ſicut & medicina iteratur. Quidam dicunt, quod ſi ultra annum remanet morbus poſt acceptam Unctionem, iterari poteſt unctio, quia non judicatur idem morbus numero, qui eſt ſecundum perfectam mutationem ſuperioris. In hoc tamen foret neceſſaria determinatio alicujus Sancti Patris.

Si æger inunctus convaleſcit, loca inuncta laventur, & aqua lotionis in ignẽ projiciatur.

Si decedit, non lavetur corpus propter recentem unctionem.

Quod ſi æger inunctus convaleſcit, loca inuncta laventur, & aqua lotionis in ignem projiciatur. Si vero decedit, non lavetur corpus propter recentem unctionem, & ſi æger in extremis laborat, cito inungatur, ne inunctus decedat.

Conc. Prov. Benev.

CAP. II.

Quænam hujus Sacramenti forma, & quæ ſunt in eo neceſſaria?

Formam B. Gregorii admittit, relicta forma Beati Ambroſii; cujus ratio inſinuatur a D. Th. in ſup. 3. p. q. 20. art. 8.

Formam hujus Sacramenti hic non ponimus, quia in ordinario perfecte continetur, & intelligimus de illa, quam fecit Beatus Gregorius, quæ ſit per illa verba: *per iſtam unctionem*, &c. cujus uſus generalis eſt, & hanc ſervat Romana Eccleſia, non illam Beati Ambroſii, quæ ſit per verba: Scilicet *ungo iſtos oculos*, &c.

Ad hoc Sacramentum quinque ſunt neceſſaria, Miniſter ſcilicet, Materia, Intentio, verba, membra.

Quinque vero ſunt neceſſaria in hoc Sacramento, ſcilicet miniſter, ideſt Sacerdos; materia, ideſt ſacrum Oleum olivæ, quod dicitur Infirmorum ab Epiſcopo conſecratum; intentio, ſcilicet conficiendi; verba, ſcilicet, quæ in ordinario continentur; & membra, ſcilicet ſuſcipientis.

CAP. III.

De Effectu hujus Sacramenti.

Effectus eſt peccatorum remiſſio, & infirmitatis alleviatio. D. Th. 3. p. q. 61. art. p. & 2. o.

Effectus hujus Sacramenti eſt veniaIium peccatorum remiſſio, & infirmitatis alleviatio, ſi divina ſapientia id utile infirmo noverit expedire, & dummodo ex parte recipientis, non ponatur obex.

Ultima inunctio eſt formalis reſpectu præcedentium & in ipſa infunditur gratia: diciturque unum unitate perfectionis.

Et licet multæ fiant ibi inunctiones, ultima tamen eſt ibi formalis, reſpectu omnium præcedentium, & agit in virtute earum, & ideo in ultima inunctione gratia infunditur, quæ effectum præbet Sacramenti. Et ideo unum Sacramentum dicitur unitate perfectionis, quæ eſt per finem.

Non imprimit characterem hoc Sacramentum; & ratio eſt ad litteram D. Th. in ſup. 3. p. q. 61. art. 3. o.

Characterem autem non imprimit hoc Sacramentum, quia per ipſum non deputatur homo ad aliquod Sacramentum agendum, vel ſuſcipiendum.

Si poteſt commode fieri, plures Sacerdotes in collatione eſſe debent.

Debent in collatione hujus Sacramenti plures eſſe Sacerdotes, ſi poteſt commode fieri. Et non debet unus inungere, & alius orationem infundere, ne fiat diviſio Sacramenti, ſed uno inungente, & orante, alii poſtea ſtatim orent; vel uno inungente, & orante, poſſet quilibet inungere, & orare.

Poteſt hoc Sacramentum cõferre Sacerdos ſolus cum clerico, vel uno Laico litterato.

Et ſi neceſſitas urgeat, poſſet ſolus conferre, & ſibi reſpondere.

Sacerdos etiam ſolus cum Clerico ſuo, vel uno Laico litterato hoc Sacramentum poterit conferre, ſi non poſſunt Sacerdotes alii adhiberi. Et ſi nullum poſſit ſecum habere, tunc in neceſſitate Sacerdos ſolus poteſt ipſemet totum officium explere, & ſibi reſpondere.

CAP. IV.

Quid agendum, ſi Sacerdos, qui inungere cœpit, deficiat poſt aliquas partes inunctas?

Et notandum, quod ſi Sacerdos incipiat ungere, & infra unctionem deficiat, inunctis jam aliquibus partibus,

 tunc

tunc id, quod factum eſt iterari non debet, ſed unctiones, quæ reſtant, ab alio Sacerdote compleantur, pro eo, quod quælibet unctio habet ſpecialem formam, ut dictum eſt, & in ordinario patet, generaliter tamen conveniunt in effectu remiſſionis.

Inculcandus populo a Sacerdotibus hujus Sacramenti uſus

Præcipimus itaque, ut doceant populum Sacerdotes, ut omnes, maxime poſt quam ad annos diſcretionis pervenerint, pœnitentes, & confeſſi, & recepta pœnitentia, & Euchariſtia: vel etiam ex quo aliquam diſcretionem habere cœperint, puta poſt quatuor, vel quinque annos, & toties, quoties infirmitas ſupervenerit, hoc Sacramentum recipiant unctionis extremæ, quia ut dicit Jacobus Apoſtolus, per hoc venialia dimittuntur, & mentibus infirmorum alacritas infunditur, ut ſic ad æterna gaudia citius eleventur.

De modo, quo deferri debet.

Item præcipimus, ut Sacerdotes Oleum ſacrum infirmorum honeſte deferant, & cum magna reverentia hoc impleant Sacramentum.

Inunguntur quinque ſenſuū inſtrumenta tāquam prima principia peccandi. D. Th. in ſup. 3. p. q. 63. art. 5. 6.

Et quia omnis noſtra cognitio incipit a ſenſu, ſicque ſenſus ſunt in nobis prima principia peccandi, ideo in hoc Sacramento inſtrumenta quinque ſenſuum, tanquam primæ radices peccandi inunguntur, oculi propter viſum, aures propter auditum, nares propter odoratum, labia propter guſtum, manus propter tactum, qui maxime viget in pulpis digitorum, pedes vero propter motivam vim, renes etiam propter vim appetitivam.

Membra magis propinqua debent inungi mutilatis, & cæcis.

In mutilatis autem, & cæcis debent inungi membra magis propinqua, ſicut de renibus dictum eſt, quæ loco genitalium, quibus maxime in hominibus culpa contrahitur, & perpetratur, & venialis, & mortalis, inunguntur propter fœditatem membri, propter quam natura rationalis erubeſcit non ſolum tangere, ſed videre, ſed quod plus eſt, nec nominare, & amplius erubeſcit cogitare, & ideo abſit, quod Oleum ſanctum debeat ibi apponi; parcitur etiam verecundiæ infirmorum, quia nemo eſt ratione utens, qui non erubeſcat membra illa demonſtrare aliis, immo ipſemet erubeſcit videre.

TITULUS IX.

De Sacramento Ordinum.

Dictum eſt ſupra de quinque Sacramentis neceſſariis; ſequitur videndum de reliquis duobus voluntariis, ſcilicet Ordine, & Matrimonio. Et dicuntur voluntaria, quia ſine ipſis eſt ſalus. Unde videndum eſt, quid eſt ordo, & quot ſunt ordines, & quo tempore conferendi, & a quo, & cui, & qualiter.

CAP. I.

Quid, & quotuplex ſit Ordo?

Ordinis deſcriptio.

Ordo eſt Sacramentum Eccleſiæ ab Apoſtolis introductum, cujus character per manus impoſitionem Prælati ſecundum formam Eccleſiæ factam, cooperante Spiritu Sancto, imprimitur in ordinato, ut in certis officiis eccleſiaſticis valeat miniſtrare.

Ordinum numerus.

Ordines vero dominicales ſunt ſeptem gradus eccleſiaſtici ad modum ſeptiformis gratiæ Spiritus Sancti, ſcilicet Oſtiarii, Lectores, Exorciſtæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, quorum quatuor primi minores ordines, reliqui vero tres majores, & ſacri ordines appellantur.

Prima tonſurā non eſt proprie ordo: tamen verum Clericum facit.

Qui ſiquidem ſeptem ordines, vel gradus a prima tonſura clericali recipiunt fundamentum. Prima enim tonſura, quæ aliter dicitur Pſalmiſtatus, non eſt ordo proprie, ſed graduum, ſeu ordinum fundamentum. Quæ tonſura etiam ſola a Prælato conceſſa ſecundum formam Eccleſiæ facit vere clericum privilegiis clericalibus inſignitum; quæ dicitur ampla decenter, atque rotunda, qua Summus Prælatus Dei Filius Jeſus Chriſtus in ſignum victoriæ uſus fuit, dum pro redemptione noſtra corona ſpinea ſe coronari permiſit.

Oſtiarii ordo cur ſic dictus?

Primus igitur ordo eſt poſt Tonſuram Oſtiarii, ex eo ſic dicti, quia præeſt oſtiis templi, quod officium Dominus in ſua perſona ſuſcepit, quando cum flagello ementes, & vendentes de templo ejecit, & cum dixit Joan. 10. *Ego ſum oſtium in Regno Patris mei.*

Ordo lectoris; cur ſic dictus?

Secundus gradus eſt, ſive ordo, Lectoris, dictus a legendo, debet enim lectiones, & prophetias populo legere. Hoc officium Chriſtus complevit, cum in medio ſeniorum librum Iſaiæ aperiens, diſtincte ad intelligendum legit,

Exorciſtæ etymon.

Tertius gradus, ſive ordo eſt, Exorciſtæ, qui ita græce dictus, latine dicitur Adjurans, vel Increpans. Debet autem inter alia exorciſmos memoriter retinere, & immundos ſpiritus increpare. Hoc officio Dominus uſus, cum dæmoniacos multos ſanavit.

Acolythi ordo cur ſic dictus?

Quartus gradus, ſive ordo, Acolythi, qui ita græce dictus, latine Ceroferarius appellatur: debet enim inter alia cereos portare, quando legitur Euangelium, vel ſacrificia offeruntur. Quod officium Dominus in ſe habere teſtatur, cum dicit Joan. 8. *Ego ſum lux mundi; qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.*

Subdiaconi ordo quid ferat?

Quintus gradus eſt, ſive ordo, Subdiaconi, ideo ſic dictus, quia ſubjacet præceptis

ceptis, & officiis Diaconorum. Debet etiam inter alia calicem, & patenam ad altare Chriſti deferre, & Diaconibus tradere, & miniſtrare. Urceolum, aquam, & manutergium tenere Epiſcopo, & Presbyteris. Et hoc officio uſus eſt Dominus, quando mittens aquam in pelvim, linteo ſe præcinxit, & pedes diſcipulorum lavit, & terſit.

Diaconi, ſeu levitæ ordo unde nomen acceperit?

Sextus gradus, ſive ordo, eſt Diaconi, ſeu Levitæ, quod nomen accepit in veteri Teſtamento, quia de tribu Levi ad divinum cultum ordinabantur, & Diacones græce, latine miniſtri dicuntur; debent enim inter alia Sacerdotibus in Sacramentis miniſtrare, ſcilicet in chriſmate, patena, & calice oblationes inferre, & diſponere in altari, componere menſam Domini, Crucem Domini ferre, Euangelium legere. Hoc officio uſus eſt Chriſtus, quando poſt cœnam Sacramentum ſui Corporis Diſcipulis diſpenſavit.

Presbyteri ordo cur ſic dictus?

Septimusgradus, ſive ordo, eſt Presbyter, qui ita græce dictus, latine ſenior interpretatur, non propter ætatem, ſed propter maturitatem, quia aliter Sacerdos appellatur, ideſt Sacra dans; debet enim inter alia Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini in altari conficere, orationes dicere, & dona Dei benedicere. Hoc officio uſus eſt Chriſtus, quando ſeipſum idem Sacerdos, & Hoſtia in ara Crucis obtulit, & quando poſt cœnam panem, & vinum in corpus ſuum, & ſanguinem tranſmutavit.

Canoniſtæ novem ordines recenſent.

Quidam autem, ut Canoniſtæ, dicunt, quod novem ſunt ordines in hac Eccleſia militante, ſicut ſunt novem ordines Angelorum in Eccleſia triumphante, ut prima Tonſura, ſive Pſalmiſtatus ſit primus ordo, ordo vero Epiſcopalis ultimus, quo officio ſpecialiter uſus fuit Chriſtus, quando diſcipulos ſuos congregatos benedixit, & videntibus illis in cælum eſt elevatus. Ut tamen ſupradictum eſt, prima Tonſura non eſt ordo, ſed diſpoſitio ſolum ad ordines; Pſalmiſtatus etiam non eſt ordo, prout ordo dicitur Sacramentum, ſed eſt officium quoddam annexum officio Lectoris. Epiſcopatus etiam non eſt ordo, ſed nomen dignitatis, & ita dicitur ordo.

Neque prima tonſura, neque Epiſcopatus eſt rigoroſe ordo. D. Th. in ſup. 3 p. q. 71. art. 2. & 5.

CAP. II.

De Sacerdotum, & Epiſcoporum veſtimentis.

Quid ſuperpelliceum, Camiſia, ſive Cotta ſignificet?

EST autem ſciendum, quod ſuperpelliceum, ſeu Camiſia, ſive Cotta, quam primo Sacerdos induit, ſignificat bonam fidem, quam primo habere debemus, cum ſit radix omnium virtutum.

Quid Amictus?

Amictus, quo caput Sacerdotis velatur, humilitatem ſignificat, cum qua omnem ſtatum noſtrum velare debemus.

Quid Alba, & Zona ſignificent?

Alba virginitatem ſignificat, quia ſicut fugit albedo nigrum, unitas diviſionem, ſic virginitas corruptionem. Zona vero caſtitatem ſignificat, nam lumbos, ubi ſedet luxuria, deprimit, & reſtringit.

Quid Manipulus, & ſtola?

Manipulus, qui in manu ſiniſtra defertur, iſtam vitam ſignificat, ut ab hac vita ad vitam aſpiremus æternam. Stola, quæ longa eſt uſque ad pedes, legem Dei ſignificat, ut in longum vitæ noſtræ in lege Dei vivere debeamus.

Quid Infula, ſeu Caſula?

Infula, ſeu Caſula, quæ alias veſtes cooperit, charitatem ſignificat, quæ virtutes continet in ſe omnes. Iſti ordines dicuntur ſacri, quia res ſacra, ideſt gratia, per eos confertur.

Cur iſti ordines dicantur ſacri?

CAP. III.

Cur Epiſcopatus inter Ordines in ſacris Canonibus numeretur?

ET notandum, quod propter ea, quæ ſpecialiter officio epiſcopali incumbunt, Epiſcopatus inter ordines in ſacris Canonibus connumeratur. Epiſcopi autem nomen plus ſonat oneris, quam honoris; nam Epiſcopus græce ſuper intendens interpretatur, latine ſpeculatoris officium gerens. Et ideo ex inſtitutione Clementis Primi, Cathedra, ſive locus Epiſcopi in Eccleſia altior eſt, ut ſuperintendat, & populum cuſtodiat, omneſque conſpiciat, & illum cuncti.

Epiſcopi nomen quid ſignificet?

Cur Epiſcopi cathedra in Eccleſia altior ſit?

Rurſus faldiſtorium Epiſcopi ſpiritualem jurisdictionem annexam Pontificali dignitati deſignat, quam exercere diſcurrendo non debet, ſicut nonnulli Epiſcopi faciunt, quos probavimus, nec Notarium, ſeu Scriptorem habere, nec ſedem, aut alia pro jurisdictionis exercitio neceſſaria, nec pro tribunali ſedens: ad quæ advertant Epiſcopi, & notent, ut ſciant cauſſas terminare, maxime matrimoniales, ſuper quibus multos defectuoſos invenimus noſtro viſitationis tempore, matrimonia contra juris ordinationes ſeparaſſe.

Epiſcopi faldiſtorium quid ſignificet?

Notantur Epiſcopi, qui diſcurrunt, nec cauſſas, maxime matrimonia, terminant.

Per ſcabellum vero temporalis poteſtas ſignificatur, quæ ſubjecta eſſe debet ſpirituali, & a ſpirituali per diſciplinam correptionis conculcatur, quando a vero exorbitat per peccatum.

Quid ſignificet ſcabellum?

Pontifex vero Princeps Sacerdotum nuncupatur, quaſi pons, & via factus; ipſe & Summus Sacerdos, ipſe & Pontifex Maximus nuncupatur; Ipſe namque efficit Sacerdotes, atque Levitas, ipſe officia, & eccleſiaſticos ordines diſtribuit, & diſponit, & præordinator eſt in cunctis: ipſe quod unuſquisque debeat, oſtendit.

Pontifex cur ſic dicatur?

Dicitur etiam Epiſcopus Præſul, quoniam in Concilio præſidet. Dicitur etiam Antiſtes, quia ante alios ſtans præſidet populo, ſive præeminet, vel ab Anti, quod eſt contra, quoniam hæreticis contradicit, ut paſtor lupis.

Cur Epiſcopus dicatur etiam Præſul, & Antiſtes?

CAP. IV.

CAP. IV.

De ſpecialibus indumentis Pontificum.

POrro ſex indumenta ſupradicta Sacerdotibus, & Epiſcopis communia ſunt; novem vero Pontificibus ſpecialia ſunt hæc, videlicet: Caligæ, Sandalia, Succinctorium, Tunica, Dalmatica, Chirotheca, Mitra, Anulus, Baculus paſtoralis, & Pallium, cum Metropolitanus eſt, vel habet ex privilegio.

Pontifex celebraturus quotidianas veſtes exvit, excepta linea.

Quod ſi Religioſus ſit, recipere debet veſtem lineam, antequam veſtes ſacras induat.

Sane Pontifex celebraturus exuit veſtes quotidianas, excepta veſte linea, qua utitur ſuper alias veſtes quotidie, niſi ſit Religioſus, & tunc Religioſus recipere debet veſtem illam lineam, & induit veſtes ſacras.

Cur caligas, & ſandalia induit?

Et primo caligas, & ſandalia calceat, ut ſit memor Dominicæ Incarnationis. Si quidem per pedes convenienter affectus intelliguntur. Dum itaque dicuntur *verſus pſalmi* 83. ſcilicet, *quam dilecta in præparatione Evangelii pacis*, a dextro pede Pontifex incipit calceari. Priuſquam tamen ſandalia pedibus imponantur, caligis induuntur uſque ad genua protenſis, ibique conſtrictis, quia Prædicator pedibus ſuis rectos facere debet greſsus ſuos, & genuà debilia roborare. Et conſequenter ſandalia pedibus imponuntur, quæ ſic vocantur ab herba, vel ſandarico colore, quo ſiunt, vel depinguntur, ſecundum tamen diverſos colores.

Quid ſignificat ſandalium ligatura?

Ipſa quoque ſandaliorum ligatura ſignificat, quod Prælatus, qui huc, illucque diſtinere habet, greſſus mentis firmare debet, cum in turbis verſatur.

CAP. V.

Quid Amictus, Alba talaris, & Cingulus ſignificent?

AMictus ſibi imponitur, ut motus, cogitatus, fauces, & linguam cohibeat, ut fiat cor mundum, ſpiritum rectum percipiens in viſceribus innovatum. Significat etiam caſtitatem cordis, & corporis, quia renes, & pectus ambit, & tegit, & omnibus ſacris veſtibus ſupponitur. Sed omnibus ſupereminet, quia caſtitas, & debet eſſe intus in pectore, & foris nitere in opere. Unde in renibus ſtringitur, quia ibi præcipue luxuria dominatur. Quia ſuper humeros circumquaque diffunditur, operum fortitudo deſignatur: humeri namque fortes ſunt ad opera deſignanda, & ideo a quibusdam ſuperhumerale non inconvenienter vocatur.

Amictus cur à quibusdam ſuperhumerale vocetur?

Quid ſignificet Alba talaris. Forſan * *capitium*.

Albam talarem recipit, ut habeat munditiam carnis perſeverantem. Habet alba * *capitum*, quod eſt profeſſio caſtitatis; habet & ligulam, quæ ſignificat linguam Sacerdotalem, quæ ligat contumaces, & abſolvit pœnitentes. Larga eſt propter ſpiritum adoptionis in libertatem, qua Chriſtus nos liberavit.

Cur Alba cingulo ſtringitur?

Rurſus cingulo ſtringitur, ut omnis carnalis voluptas adſtricta intelligatur.

Manicæ, tam Albæ, quam tunicellę ſint convenienter adſtrictæ, hăbentes in ſummitatibus aurifrygia.

Manicæ quoque, tam albæ, quam tunicellæ convenienter debent eſſe ſtrictæ, non nimis laxæ, ut labantur, & brachia nudentur, habentes in ſummitatibus aurifrygia, ad ſignificandum aureos torques, qui brachia nuda Beati Martini Miſſam celebrantis miraculoſe decenter operuerunt. Quod uſque ad talos deſcendit, perſeverantiam ſignificat.

Cingulo Alba præcingitur, ne defluendo greſſus impediat.

Cur a ſiniſtro latere Pontificis duplex ex cingulo ſuccinctorium dependeat?

Cingulum, ut impetus luxuriç refrænet, quo ideo alba præcingitur, ne defluendo, greſſum impediat. Sane a ſiniſtro latere Pontificis ex cingulo duplex dependet ſuccinctorium, quia duo ſunt, quibus caſtitas roboratur, & ſine quibus difficile conſervatur, ſcilicet oratio, & jejunium, & ut duplex caſtitas denotetur, ſcilicet mentis, & corporis; a parte ſiniſtra dependet, quia potior eſt caſtitas mentis, quam corporis, & dextera pars, quia potior eſt, quam ſiniſtra:

De ſubcingulo ſeu ſubcinctorio

Subcingulum, ſeu ſubcinctorium eſt illud, quod dependet a cingulo, quo ſtola Pontificis cum ipſo cingulo colligatur.

CAP. VI.

Quid ſtola, ſive Orarium denotet.

STola, ſive Orarium in ſignum obedientiæ, & collum circumdat, ut jugum Domini ſe ſuſcepiſſe demonſtret;

Cur ſtola imponatur, cum oſculo?

cum oſculo ſibi imponit, & deponit, ad notandum aſſenſum, & deſiderium, quo ſe ſubjicit huic jugo. A collo per anteriora deſcendens, dextrum, & ſiniſtrum latus adornat, quia parma juſtitiæ, a deſtris, & a ſiniſtris, ideſt in proſperis, & in adverſis debet eſſe munitus; uſque ad genua, quæ curvantur, protenditur, ut nos mites corde, & humiles inſinuet.

Aliter ſtola inferioribus Sacerdotibus, aliter Epiſcopis coaptanda.

Et quidem inferiores Sacerdotes debent Orarium in modum Crucis ante pectus flectere. In Epiſcopo tamen decet recte illius capita anterius deorſum dependere. Et ligatur cum ſubcingulo a dextris, & a ſiniſtris, quia virtutes, virtutibus ſociantur, & juvantur, ne aliquo moveantur tentationis impulſu.

Aliæ ejuſdem ſtolæ ſignificationes.

Longitudo ſtolæ perſeverantiam ſignificat; duo brachia ſtolæ pendentia ſignificant Prudentiam, & Temperantiam; Ad lumbos ſtola ſubcingitur, ut ſit fortis, & expeditus contra pugnas libidinum.

Inculcatur Stolę uſus in baptizando, in confeſſionibus audiendis.

Dictum eſt autem orarium, quia quamvis ſine aliis indumentis Sacerdotalibus baptizare, conſignare, confeſſiones audire, & alia plura orando facere liceat, tamen ſine Orario, ſive ſtola, niſi magna neceſſitate cogente, nihil horum facere liceat. Ad quod advertant potiſſime Sacerdotes, qui per hoc jugum Domini ſuſceperunt.

CAP. VII.

Manipulus, ſeu ſudarium quid deſignet, & cur in ſiniſtro brachio ponatur?

MAnipulus, qui alias ſudarium appellatur, quatenus ſudorem mentis abſtergat, & ſoporem cordis excutiat, in bonis operibus invigilet, depulſo tædio, vel torpore. Manipulus etiam pœnitentiam deſignat.

Cur ponitur in brachio ſiniſtro?

In brachio ſiniſtro ponitur ad notandum, quod ſtrictus debet eſſe ad terrena, ſed ad cæleſtia expeditus, & ad ſignificandum nos in hac vita, quæ per ſiniſtram ſignificatur, pati tædium ſuperflui humoris, ideſt delectationis, & alia ſuperflua mentis. Fidem etiam in hac vita deſignat.

Manipulus poſt planetam Romano Pontifici immittitur: idẽ in Archiepiſcopo, qui & in pluribus aliis cæremoniis eidem uniformatur.

Manipulus poſt indutam planetam conſuevit Romano Pontifici immitti, quod Nos etiam obſervamus, quia in multis Romani Pontificis inſignia habemus, & obſervamus in pluribus cæremoniis, ſicut in benedictione ſolemni in Miſſa, in portando Saumerium cum reliquiis, aut Corpore Chriſti, cum campanella in collo, & copertura rubra in bulla plumbea, qua utimur. In Camauro, ſive Thiara, qua ſemper utimur, & quandoque mitra. In equo albo, dum introducimur intra Civitatem primo, & novo introitu, cum paramentis albis, & multis aliis.

Cur manipulum Subdiaconus Pontifici in altari imponit?

Sane Subdiaconus tunc manipulum Pontifici imponit coram Altare, ad notandum, quod conceſſa temporalia per manum alienam, puta Subdiaconi, vel alterius, per propriam recipere, & adminiſtrare debet, & quod non ſufficit oris confeſſio, niſi & boni operis fructus, qui per manipulum ſignificatur, ſequatur.

Cur Sacerdos inferior, antequam caſulam induat, manipulum recipiat?

Sacerdos vero alius, antequam induat caſulam, manipulum recipit, quoniam cæleſtem converſationem adipiſci nequit, niſi prius ſanctorum operum manipulos portet.

CAP. VIII.

De Tunica Hyacinthina, Dalmatica, earumque ſignificatis.

TUnica Hyacinthina cæleſtem converſationem ſignificat, & perſeverantiam, per quam tunicam virtutes intimæ intelliguntur, quas ſemper debet habere Pontifex perfectus, porro non cingitur, quia ſecundum ſui formam iter non impedit.

De dalmatica, quam Silveſter Papa I. inſtituit, ad ſacrificia portandam.

Induit deſuper Dalmaticam, ideſt ſanctam Religionem, & carnis mortificationem, & hanc primus invenit Silveſter Papa, & inſtituit ad ſacrificia portandam. Dicta eſt autem Dalmatica eo, quod in Dalmatia, & poſt omnia alia indumenta Sacerdotalia ſit reperta. Hæc ſui forma ſignificat largitatem, eo quod largas habet manicas, & protenſas: oportet enim Epiſcopum non turpis lucri cupidum, ſed hoſpitalem. Non ergo manum habeat ad dandum clauſam. & ad recipiendum porrectam. Et ob hoc forte Diaconi Dalmaticis utuntur, quia principaliter electi ſunt ab Apoſtolis, ut menſis ex officio miniſtrarent.

Cur ſic dicta, & quid ſignificet?

Cur Diaconi dalmaticis utantur?

De differentia inter dalmaticam Diaconi, & Subdiaconi Tunicellam, & Dalmaticã Pontificis.

Ceterum Dalmatica Diaconi ampliores habet manicas, quam Tunicella Subdiaconi, quæ alicubi Subtile vocatur, quia ipſe ampliorem debet habere Charitatem, quam Subdiaconus per majus donum. Pontificis autem Dalmatica laxiores habet manicas, quam Diaconi, ad notandum, quod ipſe magis eſt expeditus, nihil habens, quod ipſum reſtringat. Charitas enim Pontificis extendi debet etiam uſque ad inimicos.

De duabus lineis cortineis, quas habere debet dalmatica.

Debet autem habere Dalmatica duas lineas cortineas, hinc, inde, ante, & retro, a ſummo uſque ad deorſum, ut Pontifex oſtendatur habere favorem Charitatis ad Deum, & proximum in proſperis, & adverſis.

De fimbriis, quas eadem in ſiniſtro latere habet.

In ſiniſtro quoque latere Dalmatica fimbrias ſolet habere, ſollicitudines activæ vitæ ſignificantes, quas Epiſcopus pro ſubditis debet habere. Per dextrum vero latus, quod fimbriis caret, notatur contemplatio cæleſtium ſine ſollicitudinibus, & quieta a multiplicitate perturbationum.

Cur aperta ſit a lateribus.

Item aperta eſt a lateribus ſub aſcellis, inſinuans illi, qui eam induit, ut Chriſti, qui in latere lancea perforatus eſt, veſtigia imitetur.

Cur Sacerdos ſimplex hoc ornamentum in Miſſę officio non gerat, Epiſcopus verò gerat?

Quia vero Sacerdos ſimplex maxime debet eſſe ad cæleſtia expeditus, ideo hæc ornamenta in Miſſæ Officio non gerit, nec aliquid brachia ſtringens. Epiſcopus autem ſimul utitur, & Dalmatica, & Tunicella, & omnium ornamentis, ut ſe oſtendat perfecte omnes habere ordines; tanquam qui eos aliis confert, minores Sacerdotes non.

CAP. IX.

De Chirothecis, & Anulo.

CHirothecas habet, ut non declinet ad vanam gloriam, quia plerique bonum opus, quod faciunt, inani favore corrumpunt, ad quod etiam deſignandum chirotheca circulum habet aureum deſuper, juxta illud Matth. cap. 5. *Luceat lux veſtra, &c.* & alibi Matth. cap. 6. *Attendite, ne juſtitiam veſtram, &c.*

Cur manus quandoque velentur, quandoque denudentur chirothecis?

Manus autem quandoque velantur chirothecis, quandoque denudantur, quia bona opera interdum ad vitandam vanam gloriam occultantur, quandoque ad ædificandum proximos propalantur.

Cur inconſutiles, cur albæ ſint chirothecæ?

Sunt autem inconſutiles, quoniam actiones Pontificis fidei rectæ debent eſſe concordes, per quas exempla Sanctorum, quæ in manibus habenda ſunt, intelligun-

guntur. Quia albæ ſunt, caſtitas, & munditia denotatur, ut manus, ideſt operationes ſint mundæ, ab omni ſorde immunes.

De Anulo.

Anulum, ut diligat Sponſam, ſicut ſe. Anulus enim eſt fidei Sacramentum, quo Chriſtus Sponſam ſuam Sanctam Eccleſiam ſubarravit, cujus cuſtodes, & pædagogi ſunt Epiſcopi, & Prælati, anulos pro ſigno in teſtimonium hujus rei ferentes. Qui anulus integritatem fidei ſignificat, ut videlicet Eccleſiam Dei Sponſam ſibi creditam, ſicut ſe diligat, & ſobriam, & caſtam cæleſti Sponſo cuſtodiat.

Anulus debet eſſe aureus, & taxantur, qui argenteum ferunt, profeſſionis, & ſignificationis immemores.

Anulus aureus debet eſſe, & rotundus, quia perfectionem donorum ejus ſignificat. Ad hoc advertant Epiſcopi portantes in vilipendium dignitatis anulos argenteos ad modum bocheriorum, quorum nonnulli potius audent in multis expendere non neceſſariis, nec honeſtis (& utinam non contra profeſſionem anuli facientes, & ſignificationem ſupradictam) quam unum anulum aureum habere. Satis hoc execramur, & tales increpandos dicimus, ut de ceteris taceamus: Epiſcopus anulum portat, quoniam ſcripturæ myſteria, & Eccleſiaſtica Sacramenta perfidis ſigillare, & humilibus revelare debet.

CAP. X.

De Planeta, ejuſque variis ſignificationibus.

Caſulam, ideſt Charitatem; ſicut enim Charitas operit multitudinem peccatorum, & omnia legis, & Prophetarum mandata continet, ſic & hæc veſtis cuncta planat, & omnia alia indumenta intra ſe claudit, & continet, quæ quaſi parva caſa dicitur, & a Græcis Planeta vocatur. Sine hac nunquam Sacerdos debet Miſſæ officium exercere.

Cur amictus ſuper os Planetæ revolvitur?

Per hoc, quod amictus ſuper os planetæ revolvitur, innuitur, quod opus bonum debet ad Charitatem referri. Quod vero caſula in extenſione manuum in anteriorem, & poſteriorem partem dividitur, ſignificat duo brachia Charitatis, ſcilicet ad Deum, & ad proximum. Rurſus latitudo planetæ latitudinem ſignificat Charitatis, quæ & uſque ad inimicos extenditur. Duæ quoque plicaturæ, ſiniſtræ videlicet, & dextræ, ſunt duo præcepta Charitatis, ſcilicet Amor Dei, & proximi.

CAP. XI.

Quid Sudarium, & Pallium ſignificent?

Sudarium, ut quidquid fragilitate, vel ignorantia peccat, pœnitentia tergat, & eſt pannus lineus, quem miniſtrans Epiſcopo ſemper paratum habet, vel ipſe Epiſcopus in manibus tenet, vel in cornu Altaris dextro tenetur, quo ille ſudorem, & omne ſuperfluum corporis tergat humorem. Significans ſtudium, quo humanas contagiones in hac vita extergimus per exempla Sanctorum Patrum. Et ſi forte quidquam ſordidum acceſſit, illo tergatur.

De Pallio. Forſan * *ſuperponit*.

Pallium * *ſupponit*, ut oſtendat ſe imitatorem Chriſti, qui languores noſtros tulit, quod Patriarcharum, Primatum, & Metropolitanorum eſt proprium, ut per illud a ceteris Epiſcopis diſcernantur, & privilegiatam obtineant dignitatem.

Patriarcharum, hoc eſt, Primatũ & Metropolitanorum eſt proprium.

Plures pallii ſignificationes.

Pontifex pallium, dum ſibi detrahitur, & imponitur, oſculatur, ad notandum ſummum legitime certandi deſiderium, & bravium promerendi. Eſt autem de lana candida. In lana aſperitas, in candore benignitas deſignatur. Eſt lana ovis, non alterius animalis, quia eſt animal manſuetum. Eſt vilis materia, ſcilicet lana, ut habeat pretium, non a ſe, ſed ab eo, quod ſignificatur in ſe, ut non oculis, ſed menti ſpectabile ſit. Circulus pallii, per quem humeri conſtringuntur, eſt timor Domini, per quem opera coercentur, ne videlicet ad illicita defluant, vel ad ſuperflua relaxentur. Duæ lineæ, quarum una poſt deorſum, & altera progreditur ante pectus, hujus vitæ curas, & ſollicitudines ſignificare putamus, quibus & cor, & humeri Pontificis ſic ſæpe gravantur, & impediuntur, ut a proprio ſtatu eum avertant, & vana, ac tranſitoria cogitare compellant, & ideo frequenter ſuper humeros aptantur, ut memoriæ agenda commendentur. Utraque tamen linea gravat inferius, quia *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Sap. 9.*

CAP. XII.

Quid Cruces Purpureæ, & Acus infixæ Pallio ſignificent?

Quatuor Cruces purpureæ ſunt virtutes politicæ, Juſtitia, Fortitudo, Prudentia, & Temperantia, quæ niſi Crucis Chriſti ſanguine purpurentur, falſum ſibi virtutis nomen uſurpant. Is ergo, qui pallii gloria decoratur, ſi cupiet eſſe, quod dicitur, in anteriori parte debet habere Juſtitiam, ut reddat unicuique, quod ſuum eſt: in poſteriori prudentiam, ut caveat, quod cuique nocuum eſt: fortitudinem a ſiniſtris, ut eum adverſa non deprimant: temperantiam a dextris, ut eum proſpera non extollant.

Quid tres acus in pallio infixæ?

Tres acus in pallio infiguntur, ſcilicet ante pectus, & ſuper ſiniſtrum humerum, & poſt tergum ad planetam, pallium jungendum in mente; quæ acus compaſſionem Chriſti, adminiſtrationem officii, diſtrictionemque judicii ſignificant, qua-

rum

rum prima pungit animum per dolorem, ſecunda per laborem, tertia per terrorem.

Cur ſupra dextrum humerum non infigatur acus?

Super dextrum humerum non infigitur acus, quoniam in æterna quiete nullus eſt afflictionis aculeus: Acus vero aurea debet eſſe, ſed inferius acuta, & ſuperius rotunda lapidem continens pretioſum: quia nimirum bonus paſtor propter curam ovium in terris affligitur, ſed in Cælis coronabitur, ubi habebit pretioſam margaritam.

Cur acus debeat eſſe aurea?

Paſtoralis officii plenitudo in pallio, & cum ipſo confertur.

In pallio, & cum ipſo confertur paſtoralis officii plenitudo; hinc eſt, quod antequam Metropolitanus pallio decoretur, non debet Concilium convocare, Chriſma conficere, Clericos in ſua Provincia ordinare, Pontifices conſecrare, vel Eccleſias dedicare, nec ſe Archiepiſcopum nominare.

Unus Metropolitanus non poteſt cum alterius pallio celebrare, nec ſepeliri.

Sed, & unus Metropolitanus non poteſt cum alterius pallio celebrare, nec pari ratione ſepeliri, ſed cum proprio tantum palliatus, cum pallio ſecundo loco ſibi conceſſo ad aliam translatus Eccleſiam ſepeliatur. Item palliatus ad aliam translatus Eccleſiam, non poteſt ibi uti pallio in prima Eccleſia obtento, quia non datur contemplatione perſonæ, ſed loci. Sed nec extra Provinciam ſibi decretam. Multa alia etiam circa hoc inſtituta ſunt, & determinata, de quibus recurratur ad librum Pontificalem.

CAP. XIII.

De Mitra, ejuſque partium ſignificatis.

De Regno, ſeu corona Imperiali Romani Pontificis.

Mitram, ut ſic agat, quod coronam percipere mereatur æternam, quam loco Cydaris, ſeu Thiaræ capiti imponit. Romanus tamen Pontifex in ſignum Imperii utitur Regno, ideſt corona imperiali, & in ſinum Pontificii utitur mitra ſemper, & ubique, ſed Regno non ſemper, nec ubique, ſed die, qua coronatur, quia Pontificis auctoritas prior, & diffuſior eſt, & dignior, quam imperialis poteſtas. Sic, & nos pro noſtra Eccleſia Beneventana præ ceteris Eccleſiis Metropolitanis majori, digniori, & præcellenti Regno, ſive Thiara ad modum Summi Pontificis utimur, quod hic Camaurum vocatur. Hæc enim Eccleſia pro nunc Suffraganeos viginti tres habet, & alio tempore, prout in privilegiis ejus antiquis legimus, habuit triginta duos, quod de alia Metropoli non legitur, & in libro Provinciali reperitur; habet etiam Abbates intra Diœceſim omnes habentes mitras, & crocias ad ſuam diſpoſitionem ſpectantes, & proviſionem. Pluribus etiam aliis maximis privilegiis fuit, & eſt inſignita, prout in eis contineri vidimus.

Archiepiſcopi Beneven. olim camauro utebantur.

Beneventana Eccleſia Hugonis tempore habebat viginti tres Suffraganeos, & olim triginta duos habuit, quod de alia Metropoli non legitur.

Ejuſdem Eccleſiæ privilegia.

Quid mitra ſignificet, quid duo ejus cornua?

Mitra autem ſcientiam utriuſque teſtamenti deſignat: duo namque ejus cornua, duo ſunt teſtamenta, anterius novum, poſterius vetus, quæ duo Epiſcopus memoriter ſcire debet, & illis tanquam duplici cornu fidei inimicos ferire videri. Duæ vero fimbriæ, ſeu ligulæ poſterius dependentes ſpiritus, & littera ſunt, per quas notatur, quod peritus eſſe debet, tam in myſtico, quam in hiſtorico Sacræ Scripturæ intellectu. Significant etiam memoriam duplicem, actuum divinorum, ne celebrando ea contemnens puniatur, & peccatorum ſuorum, ut de illis compungatur. Tintinnabulis ambiuntur, ut per eorum ſonitum dignus recipiatur, vel repellatur indignus. In quarum ſummitatibus ſunt, & fimbriæ coloris rubei, denotantes ejus promptitudinem, etiam uſque ad ſanguinis effuſionem. Quæ ſuper ſcapulas pendent ad notandum, quod id, quod prædicat ore, oſtendere debet in opere, quia ſcapulis nulla pars altior eſt, ſeu fortior ad opus, ſive onus ferendum.

Quid duæ ejuſdem fimbriæ, ſeu ligulæ poſterius dependentes?

Circulus aureus, qui poſteriorem, & anteriorem mitræ complectitur partem indicat, quod omnis ſcriba doctus in regno Cælorum de theſauro ſuo nova, & vetera proferre debeat.

Quid ſignificet circulus aureus poſteriorem, & anteriorem mitræ complectens partem?

Caveat ergo Epiſcopus, ne prius velit eſſe magiſter, quam novit eſſe diſcipulus, ne ſi cæcus cæco ducatum præſtiterit, &c. ait enim contra talem Oſea Propheta cap. 4. *Tu ſcientiam repuliſti, & ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

Epiſcopus ab ignorantia caveat.

In altum etiam ſui natura producitur, qui altitudinem ſapientiæ deſignat: debet enim Epiſcopus ſic ſubditos ſcientia excellere, ut ipſius comparatione ceteri merito grex dicantur.

Qua excellere ſcientia debet?

Mitra alba, & linea caſtitatis candorem, munditiamque ſignificat. Mitra aurifrigyata gaudium generale, vel ſpeciale capitis noſtri Chriſti, vel membrorum, ideſt Sanctorum ſignificat, quia aurum, & gemmarum nitor gaudium repræſentant.

Quid ſignificet mitra alba, & linea?

Pontifex ergo mitram accipit intelligens, quod quinque ſenſus a mundi illecebris cuſtodire debet, duorum Teſtamentorum præcepta ſervet, & duo charitatis præcepta impleat, ut ſic coronam accipiat. Ceteri vero Sacerdotes generaliter nullo contegunt capita ornamento, licet in toto alio corpore ſint ornati, quia adhuc tendunt, ut Deum nuda facie contemplentur, quia non dum plenum gaudium noſtrum ſignificant.

Cur Pontifex utatur mitra, ſecus vero ceteri Sacerdotes?

Qua autem mitra, & quibus temporibus utendum ſit, ad librum Pontificalem dicimus recurrendum, ubi hoc tractatur.

Qua mitra, & quo tempore utendum ſit, vide in libro Pontificali.

CAP. XIV.

De Baculo, ejuſque ſignificatione.

Baculum, ideſt auctoritatem poteſtatis, & doctrinæ: correctionem enim paſtoralem ſignificat, quam Chriſtus con-

conceſſit, dum Apoſtolos miſit ad prædicandum præcipiens eis, ut baculos tollerent. Moyſes etiam miſſus eſt in Ægyptum cum virga, & ideo convenienter virga paſtoralis, baculus, & gambuca, & pedum, & ferula nuncupatur. Pedum eſt lignum recurvum, quo paſtores pedes trahunt animalium.

Ex quibus conficiatur baculus?

Baculus quandoque ex oſſe, & ligno conficitur potiſſime in partibus Apuliæ, ſicut noſtri Abbates, & inter Græcos, quæ cryſtallina, & deaurata ſpecula conjunguntur. Os ſuperius recurvatur, lignum inferius ferro acuitur modice, cum * reconditur. Siquidem os eſt ſeveritas, lignum Pontificis eſt * levitas, quaſi jungit in judicio per charitatem, nam ſeveritas, vel miſericordia multum deſtituitur, ſi una ſine altera teneatur. Ferrum obtunditur, quia judicium miſericordia temperatur. Superius recurvatur, cum pœnitentes ad pœnitentiam revocantur. Aliquando in * ſperula ſcribitur, Homo, ut Pontifex ſe hominem memoret, & de poteſtate collata non elevetur.

*Forſan * retunditur. Forſan * lenitas*

*Forſan * ſpherula*

Baculus acutus in fine, rectus in medio, & retortus in ſummo quid ſignificet explicatur juxta mentem D. Th. in ſup. 3. p. q. 72. art. 7. 0.

Quod vero baculus eſt acutus in fine, rectus in medio, & retortus in ſummo, deſignat, quod Pontifex debet pungere pigros, regere debiles ſui rectitudine, & colligere vagos. Ultimo tapeta calcat, ut terram deſpicere, & amare cæleſtia diſcat.

His indumentis induitur Pontifex a miniſtris.

Omnibus autem præmiſſis veſtibus induitur Pontifex a miniſtris, & quot habere debet miniſtros in dicto libro Pontificali reperitur.

CAP. XV.

Quinam eſſe debent hi miniſtri, & quo pacto habere ſe debeant?

NOtandum tamen, quod Diaconus, & Subdiaconus Pontifici induenti, & exuenti ſe ſacris veſtibus ſine manipulo ſervire debent, ut expeditius, & liberius adminiſtrent, & ad notandum, quod in tali officio fructum non debent quærere temporalem, qui per manipulum ſignificatur. Dum autem Pontifex ſe induit, vel exuit, Diaconus ſtat a dextris ejus, Subdiaconus a ſiniſtris, quia Diaconus ad fortiora, & perfectiora, quæ per dexteram ſignificantur, aſſumitur, quam Subdiaconus. Et ſemper dum Epiſcopus ſedet, & ei miniſtratur, genua flecti uſque in terram debent.

De pluviali, ſeu Cappa.

Eſt etiam alia veſtis, quæ Pluviale, vel Cappa vocatur, quæ fimbriis inſignitur, quæ ſunt labores, & ſollicitudines. Habet caputeum, quod eſt ſupernum gaudium: prolixa eſt uſque ad pedes, per quod perſeverantia uſque in finem ſignificatur. Anteriori parte aperta eſt, quia ſancte converſantibus vita patet æterna, ſeu quod eorum vita patere debet aliis in exemplum. Quæ cappa recte interius eſt patula, & niſi ſola neceſſaria fibula ante pectus inconſuta, quia corporalia, jam ſpiritualia facta, nullis animam obturabunt anguſtiis. Fimbriis ſubornatur, quia tunc noſtræ nihil deerit imperfectioni. Hanc autem in majoribus feſtivitatibus, proceſſionibus, & ſimilibus ſolemnitatibus induere debemus.

Cur de prædictis ornamentis prolixior ſermo fuerit?

Præmiſſa autem de prædictis ornamentis aliqualiter prolixa poſuimus, ut ſint multis ignorantibus, & libros varios, qui hoc ponunt, non habentibus, in doctrinam regiminis, & agendorum ad ſalutem animarum.

Diſcrimen inter ordines proprie dictos, & ordinum officia, ac dignitates.

Superiora officia, ſcilicet Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Metropolitanorum, Primatum, Patriarcharum, & Papæ, & inferiora, ſcilicet Archidiaconorum, Archipresbyterorum, Abbatum, Decanorum, Præpoſitorum, & aliorum non ſunt proprie ordines, ſed ordinum officia, & dignitates, ut prætactum fuit ſupra.

CAP. XVI.

Quo tempore, & a quibus conferri Ordines debeant?

Ordinationum tempora reſpectu trium ordinum majorum.

ORdines prædicti, ſcilicet tres majores conferri non poſſunt, niſi in Sabbatis quatuor temporum, & Sabbato ante Dominicam de Paſſione, & Sabbato in Veſperis Paſchæ; in quarta autem, vel ſexta Feria non poſſunt, quia dies Sabbati Spiritui Sancto conſecrata eſt, cujus dona in ordinibus recipiuntur, & ideo præceptum fuit priori populo Sabbatum celebrari, ut eſſet ſignum ſanctificationis Spiritus Sancti. Solus autem Romanus Pontifex poteſt Subdiaconos facere in diebus Dominicis.

Solus Pontifex poteſt Subdiaconos facere in diebus Dominicis.

Minores ordines quo conferuntur tempore?

Minores vero ordines in dictis temporibus conferuntur, & etiam diebus Dominicis, & aliis præcipuis feſtis poteſt Epiſcopus unum, aut duos, vel plures ad minores ordines promovere, dum tamen ordinationem generalem facere non videatur; & Virgines conſecrare.

Si neceſſitate urgente ordinatio fiat die Dominica, tam ordinandus, quam ordinans, jejuniũ continuare debet.

Si tamen urgente neceſſitate ordinatio die Dominico fiat, quia forte perfici non potuit in Sabbato quatuor temporum, tunc debet fieri continuato jejunio, tam ab ordinando, quam ab ordinatore, quia tunc propter continuationem jejunii fingitur una dies.

Quid agendum, cum in Sabbatis quatuor temporum occurrunt propria Eccleſiarum feſta?

Et notandum, quod habentes feſta ſuarum Eccleſiarum in Sabbatis quatuor temporum ad honorem ſuarum feſtivitatum in præcedentem ſeptimanam non poſſunt transferre, ſicut aliqui voluerunt aſſerere, nec tunc poſſunt ordines celebrari. Melius ergo facient, ſi feſta tunc transferant, aut ſi commode poſſunt, ordines non celebrent in illo die.

Con-

Conferuntur ordines a ſolo Epiſcopo, & Superioribus ab Eccleſia non præciſis, ut D. Th. 3. p. q. 69. art. 1.

Conferuntur autem dicti ordines ſolum ab Epiſcopis, & Superioribus ab Eccleſia non præciſis; licet Abbas benedictus, & Sacerdos poſſit Monacho ſuo, aut converſis, & qui ad ſua Monaſteria convolabunt, in quos Eccleſiaſticam quaſi Epiſcopalem dignitatem obtinet, in ſuo Monaſterio primam tonſuram clericalem, & Lectoratum conferre.

Presbyter etiam ſimplex poteſt Pſalmiſtatum conferre, ſeu Cantorem facere, & tunc raſuram facere, ſeu truncationem capillorum, ſicut habent de more in noſtra Beneventana Primicerii, & in Diœceſi, & Provincia quamplures Archipresbyteri. Hoc tamen officium non ordinem juris declaratione judicamus, quoniam ex hoc privilegium Clericale non acquiritur, niſi ab Epiſcopo fuerit collatum, ut prædiximus. Et hoc ſæpe prohibuimus prædictis, ne faciant alia intentione.

Epiſcopi ſic tonſuratos ad ordines non promoveant, niſi prius conſtiterit de tonſura alias ab Epiſcopo legitime inducta.

Caveant autem Epiſcopi ordinare volentes, ſeu ordinationes facientes, ut tales ſic a Presbyteris tonſuratos ad alios ordines non admittant, niſi prius fidem fecerint, quod ab Epiſcopo Catholico tonſuram receperint Clericalem, vel tunc ipſimet Epiſcopi cum ſolemnitate debita eis conferant, non obſtante illa truncatione, ſeu actione per Presbyterum primo facta, ſicut & nos ſæpius obſervavimus.

Non tonſuratus, ſi alios ordines recipiat, mortaliter peccat.

Eſt autem notandum, quod non tonſuratus ab Epiſcopo, ſi alios ordines recipiat, nihilominus recipit ordinis Sacramentum; graviter tamen peccat ipſe recipiens, & etiam ſcienter talem ordinans, quia ex inſtitutione canonica ordinari non debet, niſi Clericus militiæ clericali per Epiſcopum adſcriptus, ad quem ſolum ſpectat. Probabilis autem ignorantia bene excuſaret. Et ideo in talibus ſumme advertendum, ut omnia ſecundum ſuos gradus ordinate cum bona diligentia procedant, & concedantur.

Archipresbyteri, & quicumque alii Rectores Eccleſiarum & Abbates ſæculares minores ordines nemini conferant ſub pœna privationis officii, & beneficii.

Archipresbyteris autem, & quibuſcumque aliis Rectoribus Eccleſiarum Abbatibus ſæcularibus ſub pœna privationis officii, & beneficii inhibemus, ne minores ordines cuiquam conferre præſumant, cum juris adminiculo careant in hac parte, & nec uſurpare debent officium eis non commiſſum.

Epiſcopi etiam hac in re falcem in meſſem alienam non immittant in iis, quæ ad ordinem, ſeu juriſdictionem ſpectant.

Et quia manifeſta experientia docuit nonnullos Epiſcoporum Suffraganeorum noſtrorum falcem in meſſem alienam immiſiſſe in Diœceſi noſtra, & aliorum Diœceſibus, noſtros, & aliorum ſubditos chriſmando, & benedicendo, ac ſignando per loca, tanquam ſuæ juriſdictionis, ideo ſalubriter per Conſtitutiones antiquas Provinciales ſtatutum eſt, quod nullus Epiſcopus Suffraganeus noſter, ſeu quivis alius cujuſcumque conditionis dignitatis, aut præeminentiæ exiſtat ſine ſpeciali licentia noſtra, aut illius, ad quem ſpectare dignoſcitur Clericos ordinare, pueros utriuſque ſexus chriſmare, ſeu confirmare, ſignare, benedicere, aut quidquid aliud ſimile exercere de iis, quæ ad ordinem, & juriſdictionem noſtram, aut aliorum Epiſcoporum in terris, & locis Nobis, aut alteri Ordinario jure ſubjectis pertinent, atque ſpectant, audeat, ſeu præſumat. Contrarium vero facientes in præmiſſis, aut aliquo præmiſſorum præter pœnam a jure ſtatutam vice qualibet, & actu tranſgreſſionis prædictæ ſolvere teneantur noſtræ Curiæ, aut illius Epiſcopi, cujus juriſdictio fuerit uſurpata, uncias decem in utilitatem noſtræ Eccleſiæ, aut illius, cui erit injuria facta, convertendas. Nec credant aliqui ſe habere licentiam a Nobis, ſeu aliis Epiſcopis, niſi litteras ſigillatas noſtro, vel noſtræ Curiæ ſigillo, aut aliorum Epiſcoporum patentes habeant. Iis vero, quibus prædicta exequendi in noſtra Beneventana Civitate licentiam conceſſimus, ſufficere volumus ſolo verbo a Nobis, vel noſtro Vicario licentiam habuiſſe.

Idque ſub pœna unciarum decem pro vice qualibet, & actu tranſgreſſionis, præter pœnam a jure ſtatutam.

CAP. XVII.

Quibus conferri Ordines debeant?

Conditiones requiſitæ in perſonis ordinandis.

Conferri autem debent dicti Ordines homini litterato, non criminoſo, monogamo, ſobrio, prudenti, ornato, hoſpitali, caſto, non percuſſori, non litigioſo, non cupido, non neophyto, bene diſpoſito, non excommunicato, non interdicto, vel ſuſpenſo, non in peccato notorio exiſtenti mortali, non irregulari, non illegitime nato, & alias ad celebrandum bene apto. Et advertendum, quod Epiſcopus, aut quivis alius tonſuram conferre non poteſt infanti, ideſt minori ſeptem annis, niſi forte Religionem intraret; ſed nec illitterato. Sufficit tamen, ſi litteras cognoſcat perfecte, nec etiam conjugato, niſi volenti Religionem intrare, aut ad ſacros Ordines promoveri, prout eſt ſacris Canonibus definitum. Qui vero contrarium fecerit, per annum ſuſpenſus eſt a collatione clericalis tonſuræ dumtaxat.

Conferri tonſura non poteſt infanti, ſcilicet minori ſeptem annis; hujus contrarium ſentit D. Th. in ſup. 3. p. q. 70. art. 2. o.

Sciendum eſt etiam, quod cum patiente defectum natalium poteſt Epiſcopus ſolum diſpenſare, ut Clericali charactere poſſit inſigniri, & ad minores ordines promoveri, & beneficium Eccleſiaſticum ſine cura obtinere. Ad ordines autem majores, dignitates, aut perſonatus, vel beneficia curam habentia animarum, ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ promoveri non poteſt.

Ad quid diſpenſare poſſit Epiſcopus, cum patiente defectum Natalium?

Ille vero, cum quo per Papam diſpenſatur, ut præmiſſo non obſtante defectu, valeat beneficium etiam cum cura ani-

marum obtinere, non poteſt ex vigore diſpenſationis, niſi unicum obtinere, dummodo non ſit tale, ad quod per Clericos Eccleſiæ electio fieri conſueverit, & poſtquam obtinuerit illud, permutare non poteſt, niſi ſuper hoc diſpenſatio loqueretur. Et ſi talis tacito defectu natalium, & prima diſpenſatione, aliam diſpenſationem obtineret de novo, ut duo, vel plura beneficia ſimilem curam habentia poſſet recipere, talis diſpenſatio per ſubreptionem impetrata non valet.

Ante characterem ordinis, exigitur Baptiſmi character: Confirmationis vero character non de neceſſitate, ſed ex congruitate exigitur. D. Th in ſup. 3. p. q. 66. art. 3. & art. 4. in o.

Notandum eſt, quod ante characterem Ordinis præexigitur character Baptiſmi, quia janua eſt omnium Sacramentorum. Character tamen Confirmationis non exigitur de neceſſitate, de congruo tamen ſic.

Non baptizatus nullum ordinem, nec recipere, nec conficere poteſt.

Quid pie credendum, ſi quis non baptizatus promoveretur in Epiſcopum? & nota, quod ex ly tamen uſque in finem §. litteraliter loquitur cum D. Th. in ſup 3 p q. 66. art. 3. ad 2.

Licet autem non baptizatus nullum ordinem recipere poſſit, nec conficere, nec abſolvere in foro pœnitentiali, nec etiam, ſi de facto in Epiſcopum promoveretur alios ordinare poſſet, tamen pie credi poteſt, quod quantum ad ultimos effectus Sacramentorum ſummus Sacerdos ſuppleret defectum, & quod non permitteret hoc ita latere, quod periculum Eccleſiæ imminere poſſet.

Aliorum opinio.

Quidam tamen putaverunt talem conficere non in poteſtate ſua, ſed in poteſtate Eccleſiæ: deſcendit enim tunc a virtute Spiritus Sancti vegetantis Eccleſiam poteſtas in illum, ne Eccleſia decipiatur, & iſtum excuſat ignorantia invincibilis.

Omnino illitteratus rite promotus ordines recipit, & ſi eſſet infans unius diei.

Omnino autem illitteratus ſi promotus ſit rite; recepit ordines, etiamſi eſſet infans unius diei, dummodo baptizatus, & maſculus fuerit; tamen graviter puniendus eſt ordinans.

Promoveri poteſt parũ ſciens, ſi ſperatur profectus in poſterum.

Parum autem ſciens promoveri poteſt, ſi eſt ſpes, ut in poſterum proficere poſſit; alias nullo modo promoveatur, niſi magna urgente neceſſitate, ut ſic in eo imperfectionem ſcientiæ ſuppleat perfectio charitatis; graviter enim peccat reputans ſe ſufficientem in recipiendo officium, vel beneficium, ad quod tenendum ſcit ſuam ſcientiam non ſufficere, niſi hoc faciat ex cauſa, & diſpenſative, ut ſic imperfectum ſcientiæ, &c. ut dictum. Sed proh dolor! quam multi hoc non curant, ſed dumtaxat, ut habeant, non advertentes quantum peccatum importet ignorantia, & defectus ſcientiæ, maxime in iis, qui ex contemptu incurrunt. Locorum autem Diœceſani graviter peccant, ſi in præficiendis perſonis ſtatuta canonica diligentius non obſervent.

Extra hos caſus ignorantia, & defectus ſciẽtiæ grave peccatum importat, tum in promoto, tum in promovente.

Solemniter pœnitens non eſt ordinandus, quia cicatrix & infamia, quæ remanet, poteſt dici irregularitas.

Item eſt advertendum, quod non eſt ordinandus ſolemniter pœnitens, quia non ſunt digni recipere vaſa Sacramentorum, id eſt ordines, qui dudum fuerunt vaſa vitiorum; licet enim peccatum deletum per pœnitentiam, tamen remanet cicatrix, & infamia, quæ poteſt dici irregularitas. Timor etiam labendi ex conſuetudine priſtina inſurgens impedit, & Populi ſcandalum, cum talis pœnitentia publica non imponatur, niſi pro publico crimine, & vulgatiſſimo, quod totam commoverit urbem; unde non poſſet talis ſine ſcandalo miniſtrare, & nec haberet frontem alios reprehendendi circa illa, quæ ipſe commiſiſſet, vel majora.

Diſpenſare tamen cum hoc Epiſcopus poteſt in minoribus ordinibus, ſi adſit neceſſitas, vel utilitas, & caute agant Epiſcopi in hac re.

Poſſet tamen Epiſcopus in minoribus ordinibus cum tali propter neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ diſpenſare, cum non ſit hoc caſu ſpecialiter ei a jure prohibitum. Si tamen alias ſcienter talem ordinaret abſque diſpenſatione, vel indiſcrete diſpenſans debet privari poteſtate ordinandi, & ideo caute agant Epiſcopi circa hoc.

CAP. XVIII.

Corpore vitiati promoveri ad ordines prohibentur.

Quæ corporis vitia ſuſceptionem ordinum impediant? hoc etiam explicat D. Th in ſup. 3. p. q. 71. art. 6. o.

Corpore vitiati etiam prohibentur promoveri, & ordinari propter deformitatem, ex qua timetur ſcandalum, & propter debilitatem, ex qua timetur periculum. Aliqui tamen non prohibentur; aliqui enim ſunt debilitati, ut qui habent membrum, ſed inefficax, ſicut oculum cæcum, manum aridam, crus contractum, & ſimilia. Aliqui mutilati, qui ſcilicet aliquo membro carent. Ex debilitate claudum admittit conſuetudo, niſi ſit talis, qui ſine baculo ante altare ſtare non poſſit. Cæcum etiam, vel habentem in oculo maculam, quæ gereret deformitatem ſimiliter non admittit jus, vel conſuetudo, niſi eſſet in religione, quia tales facilius admittendi, quam in ſæculo exiſtentes. Et idem de habente manum aridam, quia non admittitur.

CAP. XIX.

Quinam mutilati poſſint, qui nequeant ad ordines admitti?

Circa mutilatos tamen aliter diſtinguitur: nam aut ſponte mutilati, aut inviti, & aut in membro occulto, aut manifeſto, parvo, vel magno.

Sponte mutilati ſine cauſſa juſta, vel injuſta, puta ægritudine magna, ſeu ex indignatione, puta propter impatientiam, vel ſuperbiam, tunc in quocumque membro, quantumcumque vili, etiamſi pars membri, quæ tamen deformitatem, vel ſcandalum generaret, & inhabilem redderet ad officium exercendum, fuerit, repelluntur a promotione, & promoti dejiciuntur, etiamſi credebant obſequium ſe præſtare Deo, amputando forte virilia, ut poſſent vivere caſte, & hoc caſu credere-

Quando, & in quibus poteſt Epiſcopus cum his diſpenſare? Forſan * *ſupra*.

deremus Epiſcopum poſſe cum tali diſpenſare in aliis a Miſſa, & hoc ubi notorium eſſet, quod ex indignatione feciſſet, alias ſicut *

Quid agendum cum ſponte mutilato ex juſta cauſſa, & citra indignationem?

Si tamen non ex indignatione, ſed juſta cauſſa, puta propter lepræ periculum fecerit ſibi amputari virilia, vel ipſemet, qui erat bonus Chirurgicus, & alium habere non potuit, amputaverit ſibi virilia, vel aliquod membrum putridum, ne reliqua ſana putreſcerent, his caſibus, ſi membrum erat occultum, vel manifeſtum, ſed parum, videlicet unus digitus, non tamen ad factionem Crucis neceſſarius, vel ſimile, non repellitur, nec dejicitur, licet quidam dicant de parte digiti.

Quid cum taliter nato, vel invite, ſeu fortuito, ſeu per vim mutilato, ſed citra culpam.

Idem ſi taliter fuerit natus, vel ſi invitus, quia ab hoſtibus captus, fuit mutilatus. Idem ſi caſu fortuito, dum tamen daret operam rei licitæ, debita tamen adhibita diligentia, & dummodo non generaret deformitatem.

Quid ſi invite mutilatus fuerit, ſed ex culpa ſua?

Si vero ex culpa ſua incidiſſet in modicam deformitatem, ex miſericordia toleratur, in ſuſceptis ſcilicet, ex diſpenſatione Epiſcopi. Si autem membrum erat magnum, & manifeſtum, & ſine culpa ſua amiſerit, tunc repellitur propter deformitatem, & ſcandalum, & ſi promotus eſſet, debet ceſſare a Miſſa, & aliis ſolemnibus officiis; a beneficio tamen non removebitur, ne afflicto detur afflictio. Si tamen tale ſit beneficium, quod non poſſit per ſe deſervire, dabitur ſibi coadjutor; in aliis tamen, in quibus potens eſt, ut pœnitentias dare, & ſimilia, toleratur.

Regula generalis circa ejuſmodi impedimentum.

In ſumma autem quo ad prædicta omnia notandum, quod ubicumque ſcandalum ſuſcitatur ex homicidio, vel deformitate alicujus, ſi talis etiam caſus eſſet, in quo de jure poſſet promoveri, vel miniſtrare, in ſuſceptis debet ceſſare propter ſcandalum.

An ſcandalum generetur, ſuperior, ubi dubium ſuboritur, oculis ſuis judicet.

Talia autem impedimenta inſpectioni oculorum Superioris ſubiicienda relinquimus, & ubi dubitatur, an ſcandalum generetur, Epiſcopus ipſe ordinare volens, qui Superior intelligitur, iſto caſu caute arbitretur in caſibus prædictis, & aliis ſimilibus.

Promoveri non debet, qui vinū bibere omnino non poteſt.

Qui autem omnino vinum bibere non poteſt, promoveri non debet, quia ipſum miniſtrantem cum vino communicare oportet.

CAP. XX.

De Gibboſis, habentibus digitos conjunctos, furioſis, lunaticis, dæmoniacis, & caducis, quid agendum ſtatuitur.

Gibboſi quoque, & habentes digitos conjunctos, vel ſuperfluos in manibus, & in pedibus, & ſimilia, dummodo nimiam non inducant deformitatem, aut debilitatem, & veſte, vel ſotularibus vitium hujuſmodi velari poſſit, non repelluntur; alias ſic.

De furioſis, lunaticis, dæmoniacis, & caducis

Furioſi, lunatici, dæmoniaci, & caduci nullo modo promoveantur, etiam poſtquam ex toto liberati poſſunt exequi officium ſuum, excepto dæmoniaco, qui ſecundum quoſdam, etiam tunc, Miſſam celebrare non debet. Si vero hujuſmodi perſonæ ex toto liberatæ non fuerint, tunc ſi fuerit dæmoniacus, abſtineat etiam a celebratione: ceteri vero, ſi frequenter eis hujuſmodi paſſiones accidant, omnino ceſſent. Idem ſi raro, & cum ſpumæ jactatione, & vocis confuſæ emiſſione; ſi ſine iſtis accidat, ab officio Miſſæ non prohibeantur, dummodo habeant aliquem Sacerdotem juxta ſe, qui cœpta officia impleat, ſi ille deficeret, vel ad terram collideretur; tempus autem pro bonis, penſatis circumſtantiis perſonæ, dignitatis, & aliis, arbitrarium Superiori relinquatur.

CAP. XXI.

De Hermaphroditis, & Feminis.

Hermaphroditus autem ordinari non debet propter deformitatem, & monſtruoſitatem, licet ſi magis vergat in ſexum virilem, quam femineum, characterem recipiat, non tamen ubi æqualiter: nam feminæ characterem alicujus ordinis recipere non poſſunt, nec publice prædicare, nec excommunicare, nec abſolvere, & nec officium aliquorum ordinum exercere. Sacra vaſa etiam tangere non debent, nec deferre circa altare, incenſum, licet religioſæ ſint.

Feminæ ordinis characterem recipere nō poſſunt, nec prædicare. D. Th. in ſup. 3. p. q. 70. art. p. o.

Clericus, qui duxit uxorem vilem perſonam, ut ancillam, vel joculatricem repellitur a promotione. * *Infans* etiam infamia juris, & facti repellitur. Et probabiliter judicamus repellendos ab officio, & beneficio eos, qui cum ſclavis commiſceri non verentur, & eas ut concubinas tenere tanquam ſodomitæ; & utinam Paſtores non laborarent hoc morbo, ſicut alias de quibuſdam querelas ſuſcepimus.

Repellitur a promotione Clericus, qui vilem uxorem duxit, ut ancillam, vel joculatricem. Forſan * *infamis*

Repellendi probabiliter ſunt ab officio, tum a beneficio, qui ſclavas in concubinas tenere non verentur.

CAP. XXII.

Qualiter conferendi ſint Ordines?

Conferendi vero ſunt dicti Ordines examinatione præcedente. Item gradatim, non per ſaltum. Item palam, non furtive. Item cum deliberatione, ſervatis ſcilicet interſtitiis temporum ſupradictis. Item opportune, nō importune.

Quatuor minores ordines poſſunt inſimul recipi: ſecus vero ordines ſacri.

Quamvis enim quatuor minores ordines inſimul poſſent recipi, non tamen ſacri ordines; nec etiam unus minor, & unus ſacer inſimul ſunt recipiendi. Sed unus ſacer ordo tantummodo una die uni debet perſonæ conferri.

Et

Quid agendum cum promoto ſine prævio examine?

Et circa præmiſſa advertant Epiſcopi; ſi quis enim ſine examinatione fuerit ordinatus, ſi notus, & dignus, tunc in nullo peccatur; Si ignotus, quamvis alias dignus, deponendus eſt. Et idem multo fortius, ſi indignus.

Quid, cum furtive promoto ad ordinem, vel non ſacrum?

Si quis furtive recipiat ordinem ſacrum, vel non ſacrum, ſi contra prohibitionem ſui Epiſcopi, vel alterius Prælati conferentis ſub anathemate factam, tunc poſt condignam ſatisfactionem poterit cum eo, ut in ſuſceptis miniſtret ordinibus, Epiſcopus diſpenſare, & ſi Religionem intraverit, poſtquam aliquo tempore fuerit laudabiliter converſatus, etiam in ſuſcipiendis. Si nulla fuerit prohibitio, tunc cum eo etiam in ſæculo remanente in ſuſceptis, & ſuſcipiendis poterit diſpenſari per Epiſcopum. Secundum tamen veriorem, & communiorem cum furtive ordinato, etiam non excommunicato, niſi Religionem ingrediatur, Eccleſia Romana non conſuevit de facili diſpenſare. Si tamen contra prohibitionem Epiſcopi ſub excommunicationis pœna factam fuerit ordinatus in duobus ordinibus ſacris, vel quatuor minoribus, & uno ſacro, etiamſi Religionem ingrederetur, ad Papam pertinet diſpenſatio, etiam in executione ordinum: Epiſcopus autem etiam in executione minorum ordinum poſſet diſpenſare. Et quia ſunt opiniones ſic diverſæ, conſulimus, ut talis diſpenſatio utroque caſu ſoli Papæ remittatur, ut conſcientia Epiſcopi illæſa permaneat.

Cum furtive ordinatis Eccleſia Romana non de facili diſpenſare ſolet.

Ordines furtive recipiens ſuſpenſus eſt, & de juris rigore deponendus.

Talis autem furtive ordines recipiens ſuſpenſus eſt, immo de juris rigore deponendus, maxime ſi contra inhibitionem Epiſcopi ſuſceperit.

CAP. XXIII.

Qui dicantur furtive promoti?

DIcitur autem furtive ordines recipere, qui ſine conſcientia proprii Epiſcopi ſe facit promoveri, vel ordinari. Item, qui ſine examinatione. Item, qui cum quatuor minoribus recipit Subdiaconatum, vel duos ſacros eodem die, vel cum gradu omiſſo ſaltum facit, in quibus caſibus, nec ſuo Superiori obediens excuſatur & tunc Superior plus delinquit.

Pœnæ olim in ejuſmodi caſibus per conſtitutiones antiquas impoſitæ.

Per conſtitutiones etiam antiquas pro quolibet caſu prædictorum ſubticendo, & furtive tranſeundo pœnam unciarum auri quinque incurrebat, cameræ fiſcali Diœceſis applicandarum præter pœnas ſupradictas.

Pœna dictos ordines ſic conferentis.

Pœna vero conferentis ſic dictos ordines, vel alias contra canonicam inſtitutionem ex certa ſcientia eſt depoſitio, niſi diſpenſative in caſu conceſſo feciſſet. Si vero negligenter, quia non examinavit, ut debuit, debet privari poteſtate conferendi dictum ordinem, & eſt privatus quouſque diſpenſatum cum eo fuerit per Papam. Et idem in aliis caſibus ſupra enumeratis.

In Clerico per ſaltum promoto ſupplendum eſt, quod incaute eſt omiſſum.

Attende tamen, quod in Clerico per ſaltum promoto ſupplendum eſt, quod incaute eſt omiſſum, impoſita ei prius pœnitentia per Epiſcopum, pro eo quod negligenter, vel ignoranter medium ordinem prætermiſit, & interim a ſuperioris ordinis executione ſuſpenſus eſt. Si tamen ex malitia, ſolus Papa diſpenſat. Et idem ſi in ordine non gradatim ſuſcepto miniſtraverit; alias in ordine ſuſcepto, ut miniſtret, Epiſcopus diſpenſat.

Ordinandi mortaliter peccant, ſi ordines in peccato mortali recipiant, & ſimiliter qui ordines conferunt. D Th. in ſup. 3. p. q. 67. art. 5. o.

Ordinandi autem advertant, nam exiſtentes in peccato mortali aperto, vel occulto, ordines recipientes mortaliter peccant. Et idem faciunt Epiſcopi talibus ſcienter conferentes, vel indignis; melius enim eſt paucos bonos habere miniſtros.

CAP. XXIV.

Cautio in collatione ordinum a Prælatis adhibenda.

CAveant igitur Prælati conferentes, ut dignos recipiant, nam alias in mortali peccato eſſent, ſicut conferentes præbendam, vel curam animarum committendo indignis, nec nobilitas talium excuſaret conferentem, vel committentem, quia quanto nobilior eſt, tanto nocivior, ſi malus eſt, vel indignus. Nec ſufficit, quod neſciat eum eſſe malum. Neceſſarium tamen eſt ad vitandum peccatum ſcire eſſe bonum per talem rationem, qualem poſſibile eſt haberi de homine. Et ſi dicitur, quod alius non eſſet ita utilis, omnino nihil eſt, quia omnis utilitas temporalis ſpirituali eſt poſtponenda. Nec excuſat in hoc caſu paucitas bonorum, quia melius eſt, ut diximus, habere paucos bonos Miniſtros, quam multos malos. Præterea quod malis conferuntur hujuſmodi beneficia, & ordines, facit eos eſſe malos, quia ſciunt tales habere locum in Eccleſiis, & bonos expelli, & ideo efficiuntur mali, ut citius promoveantur. Non igitur Prælati ad preces Dominorum temporalium, vel aliorum circa hoc attendant. Sed potius ad judicium rationis, ne in diſtricto judicio puniantur.

Collationem indigno factam non excuſat nobilitas, nec dominorum temporalium preces aut aliæ frivolæ cauſæ.

CAP. XXV.

Clericis ad alienos Epiſcopos ſine licentia proprii Epiſcopi pro ordinibus accedere prohibetur.

PRæcipimus itaque, ut nulli Clerici noſtræ Civitatis, & Diœceſis accedant ad alios Epiſcopos ſine noſtra licentia

tia pro ordinibus obtinendis, ſed ad nos veniant temporibus conſuetis, & idem de ſubjectis Epiſcoporum Suffraganeorum noſtrorum volumus obſervari, etiam circa primæ Tonſuræ collationem. Nullus quoque peregrinus ordinetur ab aliquo, quia tales pro magna parte ſolent eſſe criminoſi, infames, & excommunicati, vel alias irregulares. Item ſæpe mentiuntur ſe habere ordines, cum non habeant, vel majores, quam habeant.

Peregrini ad primam tonſuram non admittantur, neque ordinentur.

Admittuntur autem iſti cum litteris commendatitiis, ſeu dimiſſoriis ſui Epiſcopi. Sed eſt differentia in forma litterarum, quia per commendatitias, quæ inter alia hanc clauſulam continere debent, vel ſimilem: *quem gradatim ad talem ordinem promovimus*, &c. non poſſet ordines recipere; immo neceſſe eſt, quod per litteras Epiſcopus ſuus eum a poteſtate ſua, & juriſdictione dimiſerit, & licentiam dederit ſe, ubique voluerit, transferendi, & ordinandi; & tales litteræ dimiſſoriæ vocantur, nec ſufficiunt in hoc caſu litteræ alicujus Archidiaconi.

Admitti tamen poſſunt cum litteris commendatitiis, ſeu dimiſſoriis. Harum tenor, & forma qualis eſſe debeat?

De Abbatibus autem exemptis, ſi ita exempti ſunt, quod Diœceſani non habent in Clericos * eorum ordinationem, quod rariſſime conceditur, tunc dimiſſorias concedere poſſunt, cum in omnibus ad eos pertineant.

Forſan* *aliquid deeſt.*

Et advertant exempti, quoniam ubi in loco eorum habent populum, non licet eis aliquem Clericum peregrinum recipere pro ſervitio Eccleſiæ, & adminiſtratione Sacramentorum ſine licentia dicti Epiſcopi, ſed ſi ipſe malitioſe differret ſuum dare aſſenſum, ageretur per Superiorem: poſſet tamen dici, quod non eſſet neceſſarius aſſenſus Epiſcopi, ſed quod ſolum cognoſceret de litteris dimiſſoriis; poſtquam autem pronunciavit eum plene dimiſſum, licitum eſt exemptis eum recipere.

Quo pacto Abbatibus exemptis liceat Clericum peregrinum recipere pro ſervitio Eccleſiæ, & adminiſtratione Sacramentorum?

Diligenter tamen inſpiciendus eſt tenor privilegiorum. Utrum ſcilicet exempti ſint cum membris ſuis omnibus, vel non, & an familiares eorum ſint exempti, vel non, & populi Eccleſiarum. Si enim ſic plenarie ſint exempti, licebit eis talem admittere, & inſtituere; ſi vero ipſi ſoli exempti ſunt cum capellis ſuis, & ſine populis, tunc eodem modo licebit hoc in capellis, quæ populum non habent, non tamen in aliis.

In Abbatibus exemptis diligenter inſpiciendus eſt tenor privilegiorum.

Et notandum, quod ſi Abbates, Archidiaconi, vel alii inferiores Prælati in Eccleſiis ſuis, in quibus habent jus inſtituendi, Clericos alterius Diœceſis inſtituerint, non valet; immo Epiſcopus Diœceſanus poteſt removere taliter inſtitutos, niſi ſuper hoc diſpenſaverit cum eiſdem.

Male ab exemptis inſtituti removeri poſſunt ab Epiſcopo Diœceſano, niſi ſuper hoc diſpenſaverit cum eiſdem.

Item dicimus, quod ſi talis Clericus dimiſerit litteras in partibus ſuis, vel amiſerit eas, & poſſit probare per duos teſtes de ordinatione ſua, & converſatione honeſta poſt ordinationem, & de abſolutione, vel dimiſſione, ſeu licentia proprii Epiſcopi, quod totum debuit contineri in litteris, recipietur; alias non, etiamſi proprio juramento firmaret.

Quid agendum, cum dimiſſoriæ amiſſæ ſunt, vel in partibus diſſæ?

CAP. XXVI.

Ordinatis ab alieno Epiſcopo variæ pœnæ taxantur.

Tales autem ſe facientes ab alienis Epiſcopis ordinari ſine licentia proprii Epiſcopi de jure ſunt deponendi, niſi multitudo, vel alia cauſſa induceret diſpenſationem; ideo non recipiunt executionem ordinis, ſicut ſuperius in ſimilibus diximus. Si quidem Epiſcopus ordinans non ſuum ſubditum ponit ſpem in ratificatione Epiſcopi, cujus ſubditum ordinat, poterit Epiſcopus proprius confirmare, quod factum eſt, & valebit quad utrumque; alias non.

Circa præmiſſa dudum per Conſtitutiones Provinciales proviſum fuit, quia nonnulli Clerici de Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana, & commorantes in eis ab alienis Epiſcopis minus legitime ſe faciunt ad ſacros ordines promoveri. Ideo excommunicamus ſententialiter in his ſcriptis omnes, & ſingulos de Civitate prædicta, Diœceſi, & Provincia ſupradictis, qui ſubreptitie præter noſtram, aut Vicariorum noſtrorum, aut Epiſcoporum noſtrorum Suffraganeorum, aut Vicariorum ſuorum conſcientiam in prædictis, licentia non obtenta, ab aliquo Prælato ſe fecerint ad aliquem ordinem promoveri.

Excommunicatio per conſtitutiones Provinciales in eos lata, qui in hac Diœceſi, vel Provincia ad ſacros ordines ſine proprii Epiſcopi licentia promoveri ſe faciunt.

Injungentes nihilominus omnibus, & ſingulis Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ prædictarum, ut nullus abſque noſtra, aut Vicariorum noſtrorum, aut Suffraganeorum noſtrorum, vel Vicariorum ſuorum licentia, vel aliorum, quibus duxerimus, aut duxerint committendum, primam tonſuram, aut alios minores, aut ſacros ordines recipere præſumat, quin primo fidem faciat de ſuſceptis, & de prædicta licentia, & de ſuſcipiendis litteras teſtimoniales penes ſe habere procuret. Alioquin contrarium facientes ad dictam tonſuram, & ceteros ordines admitti prohibemus, & dictam excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto.

Nullus inſuper, aut primam Tonſuram, aut alios minores, aut ſacros ordines recipere præſumat, quin primo fidem faciat de ſuſceptis.

CAP. XXVII.

Cautio ab Epiſcopis ordinantibus adhibenda.

Caveant etiam Epiſcopi ordinantes aliquem ſine licentia Superioris ipſius ordinandi, quoniam qui hoc facit ſcien-

ſcienter, aut affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæſito, per annum a collatione ordinum eſt ſuſpenſus; & poſtquam ejus ſuſpenſio fuerit manifeſta, Clerici ei ſubjecti abſque ſua licentia, & ſine metu pœnæ poſſunt interim ab aliis vicinis Epiſcopis ordinari. Et ideo jure novo ſtatutum eſt, ut nullus Epiſcopus Italiæ ulterius aliquem Clericum de partibus ultramontanis ordinare præſumat, niſi a Papa licentiam habeat, vel ab Epiſcopo, de cujus Diœceſi beneficiatus exiſtit, vel ubi domicilium habet, licet alibi natus fuerit, per patentes litteras cauſſam rationabilem continentes, quare illum ordinare non velit, vel non valeat requiſitus. Ordinati autem contra hujuſmodi prohibitionem, ſine ſpe alicujus diſpenſationis obtinendæ ſuper hoc a Sede Apoſtolica ſuſpenſi ſunt, nec Pœnitentiarii Domini Papæ ſine ſua ſpeciali licentia poſſunt cum talibus diſpenſare. Officialis autem Epiſcopi hujuſmodi licentiam dare non poteſt, quia de jure ad hoc non extenditur ejus officium; tales autem Officiales vix citra montes reperiuntur, quia omnes faciunt ſibi Vicarios, cum illa poteſtate.

Jure novo cautum eſt, ne ullius Italiæ Epiſcopus Clericũ de partibus ultramontanis ordinare præſumat citra Summi Pontificis licentiam.

Pœna in eos, qui cõtra hujuſmodi prohibitionem ordinati fuerint.

Epiſcopo autem in remotis agente, ipſius in ſpiritualibus Vicarius Generalis, vel, ſede vacante, Capitulum, ſeu is, ad quem tunc temporis adminiſtratio ſpiritualis noſcitur pertinere, dare poſſunt licentiam ordinandi. Religioſi vero a ſuis Superioribus in non exemptis Prioratibus deputati, & eorum ſocii, poſſunt a locorum Diœceſanis, quamdiu morantur in ipſis Prioratibus, ordinari licite, licet non ſint de eorum Diœceſibus oriundi.

Ad quẽ pertineat licentiam præbere ordinanti, Epiſcopo in remotis agente, vel cum Religioſi ordinandi ſunt?

CAP. XXVIII.

Pœna in eos, qui extra ſtatuta tempora Sacros Ordines recipiunt.

SI quis autem extra ſtatuta tempora ſacrum Ordinem recepit, deponi debet, licet ſuus Epiſcopus impoſita prius tali pœnitentia poſſit cum eo, ut in ſusceptis miniſtret ordinibus, diſpenſare. Secus de ſuſcipiendis, licet quidam teneant oppoſitum. Ideo conſulimus, ut ad Sedem Apoſtolicam recurratur, cum conferens etiam graviter peccet, ut ſuperius latius tactum eſt.

Præcaventes, qui ordinandi ſunt, quod cum recipient ordines, de omnibus peccatis ſuis vere pœnitentes ſint, & confeſſi, nec aliqua ſententia excommunicationis majoris, vel interdicti, vel ſuſpenſionis ab officio ſint ligati, alioquin irregularitatem incurrent. Quam incurrunt etiam omnes Clerici majori excommunicatione, ſeu interdicto, vel ab officii ſuſpenſione ligati, qui durante ſententia ingerunt ſe Divinis, & in ſuo ordine *efficiant ſicut prius, de qua irregularitate non niſi per Summum Pontificem cum eis poterit diſpenſari. Et ideo quilibet Clericus debet diligentiſſime præcavere, ne irregularitatis laqueo ſe involvat, cum ejus diſpenſatio multum damnoſa, ſumptuoſa, & laborioſa exiſtat.

Ordinandi irregularitatẽ incurrunt, ſi cum ordinantur, aliqua excommunicatione majore, vel interdicto, vel ſuſpenſione ab officio ligati ſunt.

Alias * officiant.

Si quis ignoranter ab Epiſcopo excommunicato ordinatus fuerit, poterit cum eo ſuus Epiſcopus, tam in ſuſceptis ordinibus, quam in ſuſcipiendis diſpenſare. Si ſcienter, non niſi per Papam diſpenſabitur. Si quidem a ſuo Epiſcopo excommunicato recepit, ipſemet ordinans poſt abſolutionem ſuam poterit diſpenſare cum ignorante, ut eſt dictum, cum ſciente, minime. Et idem dicimus de Succeſſore ſuo.

Cum ignoranter ordinato ab Epiſcopo excõmunicato poteſt proprius Epiſcopus diſpenſare, tam in ſuſceptis, quam in ſuſcipiendis ordinibus.

Cum ſcienter ſic ordinato non niſi Papa diſpenſat.

CAP. XXIX.

Quid dicendum de Clerico in Epiſcopum conſecrato, Sacerdotali ordine prætermiſſo?

SI quis Clericus prætermiſſo Sacerdotali ordine in Epiſcopum conſecratus fuerit, quia Sacerdotalis ordo, quaſi ſubſtantiale fundamentum eſt Ordinis Epiſcopalis, ideo licet Epiſcopatus conferatur, & dignitas, non tamen executio. Unde nihil confert talis Epiſcopus, niſi ſit Sacerdos. Si tamen prætermiſſo alio ordine promotus fuerit in Epiſcopum, tunc confert omnes ordines, excepto illo, quem non accepit, quem quia non habet, dare non poteſt. Licet quidam dicant, quod quoad omnes etiam ſit ſuſpenſus uſquequo diſpenſationem obtinuerit a Papa, & hoc tutius æſtimamus.

Quid ſi prætermiſſo alio ordine?

Sumens ordinem majorem relicto minori non poteſt illum exercere, quouſque inferiorem receperit. Ita D. Th. in ſup. 3. p. q. 66. art. 5. o.

Laicus autem, qui omnino ignorat litteras, recipiens ordinem Sacerdotalem aliis prætermiſſis, licet characterem recipiat, tamen nullam executionem habet, quia ſine litteris fieri non poteſt, & hoc ſi baptizatus ſit, quia Baptiſmus eſt janua omnium Sacramentorum.

Laicus litteras omnino ignorans ordinẽ Sacerdotalẽ recipiens, characterem quidem recipit, at executionem non habet.

Nullus quoque non ordinatus præſumat Divinum exercere officium; alioquin ſi contumax fuerit, excommunicetur. Etiam cauſſa joci, vel ludi hoc acceptandum non eſt, quia ludus noxius eſt in culpa.

Nullus non ordinatus divinũ officium exercere præſumat.

CAP. XXX.

Quæ pœnæ infligendæ ſint illi, qui exercet officium alterius ordinis, quem non habet?

QUi vero alterius ordinis, quem non habet, exercet officium, deponendus eſt, vel ſuſpendendus ab ordine, quem habebat ad biennium, vel triennium, & tunc lapſo illo tempore, juxta proviſionem Epiſcopi in ſuſceptis poterit tolerari; nunquam tamen ulterius poterit promoveri; de beneficio tamen ſimplici ſine cura poterit ſibi provideri, ne ſuſtentatione privatus ad ſæculi negotia revertatur.

tur; ſalubrius tamen ageret, ſi ſe ad regularem vitam transferret. Cum tali autem, ut ad alios ordines aſcendat, ſolus Papa diſpenſat; quod quidam intelligunt de iis, qui mentiuntur ſe promotos ad ordines, ad quos re vera promoti non ſunt, vel qui tanquam ſchiſmatici ingerunt ſe officio ordinis, quem non habent.

Quid dicendum de Clericis minorum ordinum, qui in Miſſis novis miniſtrant in officio Subdiaconatus?

Clerici autem minorum ordinum, vel qui in Miſſis novis miniſtrant in officio Subdiaconatus, cauſſa cujusdam gaudii, & ſolemnitatis faciendæ, licet peccent graviter, tamen rigor ſupradictus non extenditur ad eos, & ubi ſine ſolemnitate faciunt, tunc non peccant, cum congruum ſit Presbyteris Parochialibus habere ſecum Clericos, qui cum eis cantent, & legant lectiones, & Epiſtolas, & hoc habet conſuetudo, dummodo non portent ornamenta Subdiaconalia, & non teneant manipulum; ut autem ſint excuſati, melius conſulimus, quod a Diœceſano Epiſcopo petatur licentia, expoſita neceſſitate.

Non ordinati licite exercere poſſunt omnia officia minorum ordinum.

Omnia autem officia minorum ordinum non ordinati licite facere poterunt, quamvis illi ad hoc officium non habeant, ſicut & in domo non conſecrata poteſt dici Miſſa, quamvis conſecratio Eccleſiæ ad hoc ordinetur, ut in ea Miſſa dicatur.

C A P. XXXI.

Ordinandorum ætas, quænam eſſe debeat?

Ætas autem in ordinandis eſt, quam maxime attendenda, videlicet, ut in Subdiacono requiratur, quod ſit in decimo octavo anno, in Diacono in vigeſimo anno, & ſufficit, quod inchoaverit annum. Non tamen propter hoc credendum, quod licet in vigeſimo anno poſſit quis Diaconus eſſe, quod poſſit eſſe Archidiaconus, quia in dignitatibus obtinendis, & beneficiis, quibus animarum cura annexa eſt, ætas a jure determinata non eſt aliquo jure novo immutata.

Aliter circa ætatem ordinandorum ſancitum eſt in Trid. ſeſ. 23 de refor cap. 12.13.14.

Epiſcopi in ejusmodi ætatibus diſpenſare non poſſunt.

Et caveant Epiſcopi, quoniam in hujusmodi ætatibus diſpenſare non poſſunt, & ſi de facto fecerint, non valet. Licet autem ordinati characterem receperint, tamen ſuſpendendi ſunt ab executione ordinum uſque ad ætatem legitimam in injuriam ordinantis. Ipſe vero ordinans ſuſpenſus eſt a collatione ordinum, quouſque per Papam fuerit cum eo miſericorditer diſpenſatum. Et nihilominus compellitur providere taliter ordinato de beneficio Eccleſiaſtico competenti.

Ætas in Epiſcopo requiſita. Ætas requiſita in ordinibus minoribus.

Epiſcopus autem debet eſse triginta annorum. In minoribus ordinibus non eſt ſic ætas limitata; tamen dicimus, quod neceſſarium eſt, quod ſit major infante; prout enim ſupradiximus, ut recipiat primam Tonſuram requiritur, quod ſit ſeptem annorum, & ideo poſt in receptione quatuor minorum ordinum eſt major ætas attendenda quoad hoc, ut diſcretio major ſit, quod ut plurimum male obſervatur. Plerique enim Epiſcoporum in turba Clericorum plusquam in ſanctitate forſitan gloriantes, pueros promovere etiam ad ſacros ordines non verentur, & utinam Deus nos non fecerit inter tales, cum alias multas importunas preces habuerimus.

Promoveri quidam poſſunt ad ordines minores, ſi neceſſitas exiſtat, & ſpes profectus adſit.

Dicimus etiam, quod ſi neceſſitas exigit, & ſpes profectus adſit, poſſunt aliqui promoveri ad minores ordines ante diſcretionis annos, & ſine peccato, & ſuſcipiunt ordinem, quia quamvis tunc non ſint idonei ad officia, quæ eis committuntur, tamen per aſſuefactionem idonei reddentur. Sed ad majores ordines, ut eſt dictum, requiritur uſus rationis, & de honeſtate, & de neceſſitate præcepti propter votum continentiæ, quod habent annexum, licet male obſervetur.

C A P. XXXII.

De ætate requiſita in Clerico beneficiato, ut beneficium curatum habeat.

Clericus quoque habens beneficium cum cura animarum, ſi non habet vigintiquinque annos, vel ſaltem attigerit, vel ſi dictæ ætatis exiſtens infra annum ſe non fecerit in Presbyterum ordinari, beneficio privatus eſt ipſo jure, niſi cum eo cauſſa ſtudiorum fuerit per Epiſcopum diſpenſatum; quæ diſpenſatio fieri poteſt ad ſeptennium, dummodo in Subdiaconatus ordine ſe faciat infra dictum annum promoveri. Dicto autem tempore elapſo infra annum ſe faciat in Presbyterum ordinari, alias privatus eſt, ut ſupra.

Et iſta vera ſunt, niſi juſta, & rationabilis cauſſa eum excuſare poſſet, puta ſi dicti beneficii poſſeſſionem pacificam non habuiſſet; annus enim ille incipit currere ab eo tempore, vel a tempore, quo poſſeſſionem pacificam habere potuiſſet, ſi voluiſſet. Ceterum lapſo dicto anno, & ceſſante cauſſa prædicta, dictum beneficium iterato de novo eidem conferri non poſſet. Et idem ſi promoveri non intendens beneficium recepit, lapſo anno non promotus fructus perceptos non facit ſuos, immo tenetur reſtituere ipſi Eccleſiæ. Qui vero contulit eidem beneficium, ſciens non promoveri, etiam tenetur Eccleſiam ſervare indemnem, præter Divinam, quam ex inde incurrit, offenſam.

C A P. XXXIII.

Conſtitutiones Provinciales antiquæ circa requiſita ad dignitates habendas.

Et ſuper his etiam per conſtitutiones antiquas Provinciales proviſum eſt in hunc modum. Monemus omnes, & ſingulos

gulos de Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana, Decanatum, Archidiaconatum, Archipresbyteratum, Abbatiam, Prioratum, vel Præpoſituram, aut Perſonatum, aut dignitatem, curam Animarum habentem annexam, vel Parochialis Eccleſiæ regimen obtinentes, & qui in poſterum obtinebunt, quod infra annum ex nunc, & a tempore, quo in antea hujuſmodi dignitatum, perſonatuum, & beneficiorum poſſeſſionem habuerint, ſi Archidiaconus ſaltem in Diaconum, ſupradicti vero alii ad Presbyteratus ordinem ſe faciant promoveri. Et nullus promoveatur ad aliquem prædictorum ordinum, vel jam promotus detineat, niſi vigeſimum quintum annum ætatis ſuæ attigerit, vel habuerit, & de legitimo matrimonio procreatus, moribus, & ſcientia commendandus exiſtat. Alioquin contra facientes decernimus, denunciamus, & declaramus dictis Eccleſiis, Perſonatibus, & dignitatibus, & beneficiis ſupradictis eſſe ipſo facto privatos.

Nullus vocem habet in Capitulo, niſi ſaltem in Subdiaconatus ordine conſtitutus.

Nullus autem vocem habet in Capitulo Cathedralis, vel Collegiatæ Eccleſiæ Sæcularis, vel Regularis, etiamſi admittatur per alios, niſi ſaltem in Subdiaconatus ordine fuerit conſtitutus.

CAP. XXXIV.

Pœna non promotis infra annum ad ordines, quos ſui beneficii qualitas expoſcit.

ITem infra annum non promotus ad ordines, quos ſui beneficii expoſcit qualitas, nedum caret voce in Capitulo, immo & dimidiam diſtributionum amittit, ſtatutis, vel conſuetudinibus non obſtantibus quibuscumque, pœnis aliis ſtatutis in ſuo robore nihilominus duraturis. Hæc autem dimidia, quæ ſubtrahitur applicabitur Eccleſiæ in recompenſationem officii, quo caruit, licet aliqui dicant, applicari illi, qui loco alterius ſervierit, quod poſſe tolerari credimus pro futuro tempore. Talis autem pro dimidia ſibi remanente adſtringitur ad divina ſaltem juxta ordines, quos habet, alias illa ſibi ſubtrahitur applicanda illi, qui loco ejus ſerviet. Si tamen ſerviat, & de illa dimidia non poſſit ſuſtentari, tunc tantum erit ei dandum, ut poſſit congrue ſuſtentari, ne in opprobrium Eccleſiæ mendicare cogatur, ſicut dicitur *in excommunicato, & depoſito.*

CAP. XXXV.

De reſidentia, quam facere debent promoti ad beneficia curam animarum habentia.

EST etiam attendendum, quod in dictis beneficiis curam habentibus animarum eſt reſidentia facienda, alioquin privabitur, monitione trina præmiſſa, niſi cauſſa rationabili ſecum ad tempus fuerit per ſuum Diœceſanum diſpenſatum.

Pœna non reſidentium.

Nos, inquam, attendentes paulo poſt adventum noſtrum novum informati, plures vigore licentiarum, & diſpenſationum per noſtros Prædeceſſores, ſeu eorum Vicarios conceſſarum de non reſidendo a ſuis Eccleſiis abſentaſſe, propter quod in eiſdem beneficiis Divinus cultus minuitur, cura negligitur, eleemoſyna, & hoſpitalitas pereunt, ædificia deſolantur, & corruunt, jura, & bona eorumdem beneficiorum indebite uſurpantur, & remanent indefenſa, & multa alia mala, & damna ſequuntur, prout nos docet experientia, & evidentia facti monſtrat; idcirco omnes licentias, & diſpenſationes, tam per Nos, quam prædeceſſores noſtros, vel Vicarios prædictos, ſeu alios quoſcumque auctoritate noſtra, vel prædeceſſorum noſtrorum, ex quibuſcumque cauſſis, & quacumque forma, vel expreſſione verborum hactenus conceſſas, factas, vel donatas, in hac noſtra præſenti Synodo revocamus omnino, & pro revocatis, & nullis de cetero habemus, & haberi volumus, niſi ſint conceſſæ reſidentibus in ſervitio Domini Noſtri Papæ, vel Dominorum Cardinalium, vel in noſtro. Et quia utile reputamus, exhortamur, & volumus, ut per noſtros Suffraganeos idem fiat, & ad ſuos ſubditos extendatur ſic, & taliter, ut ſingulis annis in Conciliis Provincialibus feſti Patroni noſtri Beati Bartholomæi de menſe Auguſti, hæc conſtitutio tanquam nova habeatur, & de novo publicata cenſeatur, cum multæ fraudes alias committantur in petendis licentiis, ac etiam obtinendis.

Revocantur omnes licentiæ, vel diſpenſationes de non reſidendo, factæ per prædeceſſores, aut eorum Vicarios.

Niſi ſint conceſſæ reſidentibus in ſervitio Summi Pontificis, vel Dominorum Cardinalium, vel ipſius Archiepiſcopi Metropolitani.

Sicut autem Beneficiati curam animarum habentes, ſic & Epiſcopi reſidentiam facere tenentur, & chriſma conficere, & ordines celebrare, & præcipue ſolemnibus feſtivitatibus intereſſe, & celebrare Miſſas, & quolibet die Dominico divinis officiis intereſſe, niſi juſta cauſſa impediat. Quilibet enim manere debet in ea vocatione, in qua vocatus eſt; ſicque omnibus noſtris Suffraganeis injungimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus; alioquin contra ipſos non reſidentes, aut non celebrantes, aut officium ſuum, & debitum non implentes, ceſſante cauſſa legitima, procedendum judicamus.

Beneficiati, & Epiſcopi reſidentes, quid facere debeant?

Reſidere autem quis in Eccleſia dicitur, qui in propria perſona officium facit, & in ſuo ordine; ad hoc enim ſtatuta ſunt beneficia, ut fiat inde ſervitium. Parum autem eſt præſentiam ſui exhibere, & curam, ſeu ſervitium Eccleſiæ negligere. Et hoc eſt contra pravam conſuetudinem quarumdam Eccleſiarum, quæ reputant Canonicos reſidentes, ex quo præſentes ſunt in loco, licet non intrent Eccleſiam: omnis enim conſuetudo irrationa-

Quis reſidere dicatur in Eccleſia?

Perſtringuntur Canonici quidam, qui reputant ſe reſidentes, cum tamen re vera non reſideant.

tionabilis, & alias Eccleſiis onerosa tenenda non eſt: ſunt enim quidam otio, voluptatibus, & laſciviis vacantes, quos non reputamus reſidentes, & nec aliquid juris habere in rebus Eccleſiarum; immo eas rapiendo ſpoliatores ſunt, & in foro animæ tenentur ad reſtitutionem omnium perceptorum. Reditus enim Eccleſiarum ſunt ſtipendia militantium, & cibus paſtorum, non luporum.

CAP. XXXVI.

Beneficiati ſuis expenſis providere debent Eccleſiæ, cujus curam habent.

ET ideo conſulimus ad ſalutem, quod quilibet ſua cura, & diligentia, & ſuis expenſis provideat, quod Eccleſia decenter officietur, & quod populus ſibi commiſſus ſufficienter regatur, & ipſe honeſtate vitæ, & morum bonum exemplum ſubditis oſtendat, & ipſe interdum per ſe accedens ad locum de ſufficientia hujuſmodi proviſionis certificetur, & per ſe officium divinum diligenter exolvat, & miniſtris ſecundum poſſibilitatem officii ſufficienter provideat. Melius tamen, & tutius, ſi ipſe per ſe hoc faciat, cum ſcit, & poteſt, nulla cauſſa neceſſaria, vel honeſta impeditus, vel ſi juſta cauſſa ſit abſens, poteſt ſervire per Vicarium, ut prædictum eſt, vel ſi ſine peccato ſuo factus eſt impotens ad ſerviendum, vel infirmus, vel ſi de licentia Epiſcopi abeſt cauſſa ſtudii, vel peregrinationis, vel jura ſuæ Eccleſiæ utiliter procurat, & fideliter, vel ſi eſt in ſervitio Papæ. Duo etiam ex Canonicis poſſunt ſervire Epiſcopo, & præſentes intelliguntur, niſi quoad victualia, quæ non conſueverunt abſentibus dari; vel propter inimicitias, vel propter periculum.

Et de ſufficientia hujus proviſionis certiorari debent; & quidem melius, & tutius, ſi id per ſe fecerint.

Niſi juſta de cauſſa abſint, vel ſine culpa facti ſint impotentes ad ſerviendum.

Epiſcopus autem reſidens cum Metropolitano ſuo, non videtur reſidens in Eccleſia ſua, ut quidam dicunt. Colligant autem ſe ipſi ad exequendum paſtorale officium propter ſubditorum ſalutem; Et ideo, ubi ſubditorum ſalus exigit perſonæ Paſtoris præſentiam, non debet Paſtor perſonaliter ſuum gregem deſerere, neque propter aliquod temporale commodum, neque etiam propter aliquod perſonale periculum imminens, cum bonus Paſtor animam ſuam ponere teneatur pro ovibus ſuis. Si tamen ſubditorum ſaluti poſſit ſufficienter in abſentia Paſtoris per alium provideri, tunc licet Paſtori, vel propter aliquod Eccleſiæ commodum, vel etiam propter perſonæ periculum, corporaliter gregem deſerere. Et ubi eſt tale periculum, conſulimus, ut Epiſcopi utantur tunc conſilio ſcripto in Clementina prima de foro competenti, quam hic cauſſa brevitatis interſerere omittimus.

Epiſcopus reſidens cum Metropolitano ſuo non videtur reſidens.

Reſidentiæ neceſſitas in paſtoribus.

Conſilium Clementinæ primæ *de foro competenti* hac in re præ oculis habendum.

CAP. XXXVII.

Quando Epiſcopus poteſt unum, vel duos coadjutores aſſumere?

DIcimus autem circa præmiſſa, quod Epiſcopus ſenio, aut infirmitate corporali gravatus cum perpetuo impedimento circa officium exercendum impeditus, cum conſilio, & aſſenſu ſui Capituli, poteſt unum, vel duos coadjutores aſſumere. Si vero Epiſcopus demens factus fuerit, tunc Capitulum, vel duæ partes ipſius dictos Coadjutores aſſumere poſſunt. Quod ſi in prædictis caſibus Epiſcopus ſic impeditus nolit Coadjutores aſſumere, tunc Capitulum fideliter, & explicite præmiſſa omnia, & circumſtantias, ac conditionem Eccleſiæ ad notitiam Sedis Apoſtolicæ ſignificare procuret; dicti autem Coadjutores de bonis Prælatorum ſumptus moderatos recipient: ſed de alienatione rerum Eccleſiæ nullatenus ſe intromittent.

Dictos coadjutores aſſumere poteſt capitulum, vel duæ ipſius partes, ſi Epiſcopus in amentia, inciderit.

Quid agendum, ſi Epiſcopus impeditus perpetuo impedimento nolit coadjutores aſſumere?

Coadjutores aſſumpti, quo pacto ſuſtentandi ſunt?

Prohibemus, ne Sacerdotes, aut alii in ſacris exiſtentes hujus Diœceſis, & aliarum noſtræ Provinciæ Diœceſium ad alias Diœceſes non ſuas, ſine noſtris litteris, aut ſuorum Epiſcoporum ſuæ promotionis ſe transferre præſumant; ſed * Sacerdotes aliarum Diœceſium incogniti ſine litteris ſui Epiſcopi ad celebrationem Miſſarum populo in hac Diœceſi, ſeu Diœceſibus Suffraganeorum noſtrorum admittantur, niſi forte ex devotione ſecrete voluerint celebrare, ſicut per noſtras conſtitutiones provinciales proviſum eſt. Quia ſæpe contingit, quod nonnulli vinculo excommunicationis adſtricti, aut apoſtatæ, vel irregulares, ſeu criminoſi, & ſacrorum participatione indigni ſuam patriam, in qua de eis habetur notitia, fugientes, ſe in Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana improbe ingerunt celebrationi Miſſarum, & populo præſumunt non ſine gravi offenſa Dei miniſtrare eccleſiaſtica Sacramenta; animarum ipſorum periculis obviare, & Chriſti fidelibus, ne decipiantur, ſuccurrere ex officii debito cupientes, ſtatuimus, quod nullus natione ignotus, vel forenſis, aut alterius civitatis, aut Diœceſis oriundus, quod de quolibet præſumatur, niſi ſaltem per famam ipſius origo bona, vel competentibus * *judiciis* approbetur, audeat, vel præſumat in Civitate, Diœceſi, & Provincia prædictis Miſſam celebrare, nec alicui miniſtrare eccleſiaſtica Sacramenta, niſi noſtra, vel Vicariorum ſuorum, prout ad eorum quemlibet pertinet, licentia ſpeciali. In contrarium facientes excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis. Judicamus autem dictam licentiam nullatenus eſſe de gratia concedendam, niſi de vita, ordinibus, & moribus plenarie ſit fides.

Prohibitio, ne Sacerdotes, aut alii in ſacris exiſtentes ex propria Diœceſi ad aliam ſe trasferant ſine legitima licentia.

Forſan * *ſed nec.*

Item ne Sacerdotes aliarum Diœceſium incogniti admittantur ad celebrationem Miſſarum.

Vel * *indiciis.*

Pœna excommunicationis ſtatuta in contrarium facientes.

Quo pacto credendum ſit aliquem ordinatũ fuiſſe, ſi quadraginta anni, vel plus ab ordinatione lapſi ſunt, nec exiſtunt teſtes, vel litteræ, vel inſtrumenta talia de ordinatione?

Si tamen ab ordinatione alicujus lapſi ſunt quadraginta anni, vel plus, nec exiſtunt teſtes, vel litteræ, aut inſtrumenta alia de ordinatione, conſtat tamen per illos, inter quos converſatus eſt, quod ſemper ſe geſſit ut Presbyter, ſic celebravit, ſic converſatus fuit, credere debemus eum ordinatum, dummodo alias bonæ famæ fuerit, & honeſtæ converſationis, ut ſic pro noto habeatur, ut poſſit ad celebrationem admitti.

TITULUS X.

De Sacramento Matrimonii.

Rubrica.

Licet Matrimonium magnum ſit in Eccleſia Sacramentum, & priuſquam alia Sacramenta a Deo fuerit in Paradiſo inſtitutum, quia non tantum per hoc Sacramentum confertur gratia curativa, ſed per alia Sacramenta, & quia in Eccleſia Dei primum locum obtinent virgines, ſecundum continentes, ultimum conjugati; ideo de hoc Sacramento ultimo eſt videndum.

CAP. I.

De Sponſalibus.

Et primo de quibuſdam præambulis ad matrimonium, ſcilicet de ſponſalibus, ſcilicet quid ſunt, & unde dicuntur, & quibus modis, & in qua ætate contrahuntur, & qualiter diſſolvuntur, & quis eſt effectus eorum?

Sponſalia quid ſint?

Sponſalia ſunt matrimonii inter virum, & mulierem futuri promiſſio, vel futurarum nuptiarum promiſſio. Dicuntur autem a ſpondendo, ideſt promittendo.

Quinque modis contrahuntur, & primo ſimplici, & nuda ſponſione D. Th. in ſup. 3. p q. 74. art. 1.

Contrahuntur autem quinque modis. Primo ſimplici, & nuda ſponſione, ut cum dicit vir mulieri: *Accipiam te in meam uxorem*. Et mulier: *Accipiam te in meum maritum*, vel alia verba æquipollentia, ut ſi dicat vir: *ducam te in uxorem*, vel *promitto, quod te accipiam*, vel *ducam in uxorem*. Et iſta vera ſponſalia, quæ per verba de futuro contrahuntur. Si vero per verba præſentis temporis contrahuntur, ut ſi vir dicat: *Accipio te in meam uxorem*, & illa reſpondet: *Accipio te in meum maritum*, vel conſimilia verba dicant, quæ mutuum conſenſum utriuſque de præſenti ſignificent, puta cum dicit: *Conſentio in te, tanquam in meam uxorem*, vel ſolum dicit: *Conſentio in te, tanquam in meam*: Et illa eadem dicit: *Conſentio in te, tanquam in meum maritum*, vel *in te, tanquam in meum*, vel cum dicit vir: *Ab iſto tempore tenebo te*, vel *habebo te pro mea uxore, & tibi fidem, ſicut uxori ſervabo*. Et eadem e converſo dicit uxor viro; talia dicuntur ſponſalia de præſenti; ſed improprie, quia vere eſt matrimonium, ita quod licet eam carnaliter non cognoſcat, tamen non licet alicui eorum nubere; multo minus ſi cognoverit; & ſi nupſerit, quamvis ſecundam carnaliter cognoſcat, antequam primam, ſive non, eſt ſeparandus ab ea, & compellendus redire ad primam, ſive juramentum ſit interpoſitum, ſive non.

In hoc caſu quando dicantur ſponſalia de futuro, hoc eſt vere ſponſalia?

Et quando dicantur ſponſalia de præſenti, hoc eſt improprie ſponſalia, hoc eſt vere matrimonium?

CAP. II.

De fidei datione.

Item fidei datione, ut cum immiſſa, vel injecta manu mulieris dicitur: *Do tibi fidem de accipiendo te in uxorem*, & illa reſpondet; ſi tunc mulier non reſponderet, ſed taceret, vel e contra; tunc quia ex una parte claudicarent, non poſſunt dici contracta ſponſalia, niſi enim voluerit, qui tacuit, compelli non poteſt. Et hoc verum, niſi aliquo ſigno, vel indicio illa tacens oſtendit ſibi placere, quod agebatur, & contractui ſponſalitiorum acquieſcere, quod præſumitur, ſi ante fidem ſic datam tractabatur continue inter eos de ſponſalibus, vel matrimonio contrahendo, ipſa non contradicente, ſed acquieſcente, præſertim, ſi ipſa requiſita ſponte dedit manum ad fidem recipiendam. Si autem vel non tractabatur de ſponſalibus, vel matrimonio ante, vel ſi tractabatur, ipſa tamen contradicebat, licet ille ſubito manu injecta dederit fidem, ut dictum eſt, non credendum eſſe præſumendum pro matrimonio, licet illa tacuerit ex ſimplicitate forte, vel ex verecundia.

In hoc caſu ſi mulier non reſpondeat, ſed taceat, quid ſentiendũ, aut agendum?

CAP. III.

De juramenti interpoſitione.

Item juramenti interpoſitione, ut cum aliquis promittit, vel fidem dat aliquam ducturum cum juramento, quo caſu, ſi non fuerint addita verba de præſenti, vel carnalis copula ſubſequuta, ubi vir ſe transfert, vel abſentat ad alias partes longas, mulier ſponſa alteri nubere poteſt, interpoſita de perjurio pœnitentia: etiamſi per eam ſteterit, quominus matrimonium fuerit conſummatum, vel ſi eſſet dubium. Si tamen per eam non ſteterit, non imputatur perjurium. Judicium tamen Eccleſiæ intervenire debet, & licentia.

In hoc caſu, ſi vir ſe abſentat ad partes longe remotas, quid agendum?

Item datis arrhis ſponſalitiis, ſcilicet aliqua pecunia, vel aliis rebus, quæ quidem arrhæ datæ nomine ſponſalitiorum reſtituendæ ſunt a ſponſo, vel ſponſa ſupervivente, niſi perſona defuncta cauſſam dederit, ut nuptiæ non ſequerentur. Et iſtæ arrhæ ſponſalitiæ datæ amittuntur ab ea parte, quæ cauſſam præſtat, quod

Quid itidem agendum, ſi datę fuerint arrhæ, & ſponſalia ſolvuntur?

nuptiæ,

nuptiæ non ſequantur. Et ideo eſt cautela, quod ſi burgenſis dives velit collocare in matrimonium filiam ſuam nobili potenti, ſed indigenti, ut det magnam quantitatem pecuniæ pro arrhis, & ſtipuletur ipſas in quadruplum; tunc enim ſi per donantem ſtet, quominus ſequatur matrimonium, amittit arrhas; ſi per recipientem, reſtituit, & de ſuo tantundem non amplius, niſi per ſpeciale pactum arrhæ in quadruplum fuerint ſtipulatæ, in tantum enim poteſt extendi ſtipulatio, & non ultra. Et hæc *arrbum* appoſitio favorabilis eſt, & allectiva ad conſentiendum in matrimonium, pœnæ autem odioſæ, & ideo non poſſunt apponi, ut infra dicetur.

Alias *arrharum*

CAP. IV.

De Anuli ſubarrhatione.

ITem anuli ſubarrhatione, quæ vulgo dicitur deſponſatio, ſed proprius ſubarrhatio nuncupatur, quæ fit per anuli immiſſionem, quæ eſt ſignum amoris, nec diſtinguimus cujuſcumque materiæ fuerit anulus, quia quandoque de palea, vel junco fieri conſuevit, maxime inter habitantes in caſalibus, & pecorarios, ſive ruſticos, ſicut de facto pluries habuimus.

Non refert ex qua materia fuerit annulus.

Et eſt notandum, quod anulus ſemper datur in ſponſalibus propter mutuæ dilectionis ſignum, qui in quarto digito ideo ponitur, quia in eo vena quædam ſanguinis ad cor uſque pervenit, ut ſic tali ſigno corda eorum fortius jungantur.

Cur datur anulus in ſponſalibus? Cur anulus in quarto digito ponatur?

Unde quidam Philoſophus ſapiens, Protheus nomine, primum ob amoris ſignum ferreum anulum fecit, & ibi * *adamationem* incluſit, & inde ſubarrhari ſponſas inſtituit, quia ſicut ferrum omnia domat, ſic amor omnia vincit, quia nihil amoris furore vehementius. Et ſicut adamas eſt infrangibilis, ſic & amor eſt inſuperabilis; *fortis eſt enim, ut mors dilectio*, & ideo in præfato digito, in quem vena procedit a corde, portari inſtituit. Poſtmodum vero pro ferreis ſunt aurei anuli conſtituti, & pro adamante gemmis aliis ornati: quia ſicut aurum cetera metalla, ſic amor cetera bona præcellit, & ſicut aurum gemma decoratur, ſic contingit ut amor ceteris virtutibus adornetur.

De Philopho, qui primus inſtituit ſubharrari ſponſas anulo ferreo, cui illigatus erat adamas. Forſan * *adamantem*.

Subarrhatio tamen fit non ſolum per immiſſionem anuli, ſed etiam per donationem aliarum rerum, vel aliorum inſignium, puta per oſculum. Et quandoque fit hujuſmodi ſubarrhatio interveniente conſenſu de præſenti, quandoque non interveniente. Sed ſive interveniat, ſive non, dummodo conſtet de ſubarrhatione, præſumuntur ſponſalia, ſi fiat ſubarrhatio hujuſmodi a patre; Si autem fiat a ſponſis, præſumuntur pro matrimonio, niſi probetur contrarium, vel niſi ætas repugnet, vel conſuetudo, vel ſi cauſſa joci factum eſſet, & hoc conſtaret legitime.

Subarrhatio per donationem etiam fit, & per alia itidem inſignia, puta per oſculum.

CAP. V.

De Sponſalibus ſub conditione contractis.

COntrahuntur autem ſponſalia quandoque ſub conditione, quo caſu, aut conditio apponitur per modum pœnæ, ut ſi dicat: *Promitto contrahere tecum ſub pœna centum unciarum, vel ſi non contraxero tecum, dabo tibi centum uncias*. Tunc quia matrimonia debent eſſe libera, nullius vigoris eſt, unde etiamſi non contrahat, non tenetur ad pœnam; aut apponitur, ut determinatio contractus, ſive conſenſus, tunc aut eſt conditio honeſta, ut ſi dicat vir: *Accipiam te in meam, ſi placuerit parentibus meis*. Vel contrahere volens cum ſclava, vel Judæa dicit: *Accipiam te in meam, ſi fueris Chriſtiana, vel ſi volueris converti ad fidem*; his caſibus, ſtante conditione, ſtant ſponſalia, aliter non. Aut conditio eſt inhoneſta quantum ad ſubſtantiam matrimonii, ut ſi dicat: *Accipiam te in meam, ſi venenis ſterilitatem procuraveris, vel ſi procreationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem, aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas*, aut aliud ſimile; tunc ſponſalia non tenent, & nulla eſt obligatio. Aut eſt conditio inhoneſta, non tamen contra bonum, aut ſubſtantiam matrimonii, ut ſi dicatur: *Accipiam te in meam, ſi furtis meis conſenſeris, vel ſi furata fueris, vel ſi Deum offenderis*, tunc tenent ſponſalia, & talis conditio pro non adjecta habetur.

Diſtinctio inter conditionem appoſitam per modum pœnæ, & appoſitam per modum determinationis contractus, vel conſenſus.

Diſtinctio item inter conditionem appoſitam, quæ ſit honeſta, & inter eam, quæ ſit inhoneſta.

Si ſit inhoneſta, at non contra bonum, aut ſubſtantiam Matrimonii, habetur pro non adjecta.

CAP. VI.

Ad vitandas fraudes in ſponſalibus, quid attendi debeat?

ET ideo propter fraudes, quæ fieri poſſent circa hoc, attendendum, quod ſi ſponſalia contracta fuerint ſub conditione honeſta etiam cum juramento, & pendente ea interveniat conſenſus de præſenti, vel carnalis copula ſubſequatur, tunc receſſum eſt a conditione, & eſt verum matrimonium inter eos, etiamſi ante coitum proteſtaretur, ſe nolle propter hoc a conditione recedere.

Ad vitandas fraudes, quid attendi hac in re debeat?

Et idem dicendum, ſi conditio fuerit inhoneſta, quia contra bonum matrimonii: nam ſi poſtea coram teſtibus demittatur, & ſic cognoſcit eam carnaliter, quia tunc proinde judicandum pro matrimonio, ac ſi per verba de præſenti conſenſiſſent.

Idem dicendum, ſi conditio fuerit inhoneſta.

Judicabitur etiam pro matrimonio, ſi unus conjugum ponit conditionem contra bonum matrimonii, & alter contradicit, vel tacet, quia non impeditur matrimo-

Judicandum etiam pro Matrimonio, ſi unus conjugum ponit conditionem contra bonum matrimonii, & alter contradicit, vel tacet.

trimo-

trimonium, niſi ambo in hanc conditionem conſentiant.

Item ſi conditio ſponſalibus appoſita fuerit hęc, *ſi permiſeris me habere rem cum te*, & ſubſequatur copula.

Judicabitur etiam pro matrimonio, ſi ſub hac conditione contrahantur ſponſalia, ſi permiſerit eum habere rem cum ea, & ſubſequatur carnalis copula; nam ſi conditio intelligatur de fornicario coitu, cum ſit turpis pro non adjecta habetur, & in primo coitu matrimonium præſumptum eſt. Si intelligatur de legitimo, multo fortius eſt matrimonium; potius enim videtur hortatio, ideſt, quod promittat ei ſecum rem habere, aut modus, aut cauſſa, quam vera conditio.

Idemque dicendum, ſi dicat: *Accipiam te, vel accipio in uxorem, ſi invenero te virginem, vel ſi in primo coitu mihi placueris*, ut ſubſequente carnali copula judicetur pro matrimonio propter ſcandalum, & propter defectum probationum.

An hoc procedat in judicio etiam Animæ?

In iudicio tamen animæ, dicunt quidam, ſi omnino ſit occultum, non eſſe matrimonium. Unde bonum eſſet, quod mulier, quæ ſcit veritatem, & in fraudem celat, ſic decepta remaneret, & huic ſubveniretur, qui forſan intendebat vitare bigamiam: quia nec conſenſit, niſi ſub conditione, quæ honeſta fuit, licet actus inhoneſtus.

Judicabitur etiam pro matrimonio, ſi quis dicat: *Promitto tibi, quod ſi unquam contraxero tecum, contrabam, ut permittas me coire tecum*: ſi ſequatur coitus, præſumendum eſt pro matrimonio, potiſſime ſi ponatur conditionaliter ſub hoc ſenſu, ideſt, ſi permittas me coire tecum, contraham tecum, quia tunc, ut eſt ſuperius dictum, illa conditio habetur pro non adjecta, quia videtur intelligere de coitu fornicario, & ideo ab illa conditione *ſi unquam*, &c. receſſum eſt per carnalem copulam ſubſequentem.

Idem ſentiendum, ſi ly permittas me coire tecum, non ſonet in conditionem.

Et idem ſi quod dicitur, permittas me coire tecum, non ſonet in conditionem, ſed potius ſit exhortatio, ſeu provocatio ad coitum, ut expreſſio modi, vel cauſſæ, ut ſic utroque caſu ſit pro matrimonio præſumendum.

CAP. VII.

In ſponſalibus advertendum, ſi conſenſus ſit de præſenti, & conditio de præterito, vel de præſenti.

ET de conditionibus appoſitis in ſponſalibus advertendum, quia ubi eſt de præſenti conſenſus, & conditio eſt de præterito, ut *Accipio te in meam, ſi mortuus eſt Pater tuus, vel de præſenti, ut accipio te in meam, ſi virgo es*; his caſibus, ſtante conditione, ſtet matrimonium.

Si conditio ſit de futuro neceſſario, ut *accipiat te in meam, ſi ſol oritur cras*, tunc eſt matrimonium, quia talia futura jam ſunt præſentia in cauſſis ſuis.

At ſi conditio de futuro ſit contingens, tunc non ſtat matrimonium, niſi ſequatur copula carnalis, quia tunc ſic promittens receſſiſſe intelligitur a conditione.

Si conditio ſit contingens, ut datio pecuniæ, vel acceptatio parentum, tunc non eſt matrimonium, eo quod conſenſus pendet de futuro, ſicut & conditio, & judicandum tunc, ſicut de futuro, niſi carnalis copula ſequeretur, quia tunc receſſiſſe intellige a conditione, ut ſuperius declaratum eſt, & idem, ſi diceret: *Contrabo tecum, ſi ſol erit in cancro in æſtate inſtanti*, non eſt matrimonium, antequam extet conditio. Et ſi medio tempore contraheret cum alia per verba de præſenti ſine conditione, tenet matrimonium, quia licet conſenſus fuerit de præſenti, ſed conditio de futuro, idem ſicut de conſenſu futuro, ut ſic ad omnia facta relatione intelligantur ſponſalia, vel matrimonium. Quibus circumſpectis, omni concordata opinione, non peccabit diligenter intuens mentem, & effectum verborum.

Non tenet matrimonium, ſi quis ſignificaverit patri abſenti, quod contraheret cum aliqua, ſi ille voluerit, ſed antequam pater conſentiat, voluntatem mutet.

Et circa præmiſſa notandum, quod ſi quis ſignificaverit patri abſenti, quod contraheret cum aliqua muliere, ſi ille voluerit, ſed antequam pater conſentiat, mutat voluntatem, dicens, quod nullo modo vult illam, etiamſi pater conſentiat, pater tamen hoc ignorans conſentit, eo caſu non eſt matrimonium inter illos, & ideo ſi contrahat cum alia, tenebit Matrimonium, quia non dicitur conſenſus, niſi duret tempus, quo pater conſentit; antequam tamen tranſeat ad ſecunda vota compelli debet, ut illam recipiat, ex quo ſemel in eam conſentit ſub conditione, quæ extitit.

In ejuſmodi caſu non habetur matrimonium præſumptum & ſi carnalis copula ſubſequatur.

Et ſi quis dicat: *accipio te*, vel *ducam te in uxorem*, vel *dabo tibi centum uncias, ſi permiſeris*, vel *ut permittas me coire tecum*; ſi carnalis copula ſubſequatur, non credimus matrimonium præſumptum, cum ille opinionem ſibi retinuerit, a qua non intelligitur recedere propter carnalem copulam.

In ejuſmodi caſu non præſumitur pro matrimonio poſt carnalem copulam ſubſecutam, niſi conſtet, quod taliter cōtrahentes intenderint per ejuſmodi verba ſponſalia contrahere.

Et ſi dicat: *Promitto tibi, quod non deficiam tibi ad vitam meam, ut permittas, vel ſi permittas, me coire tecum*, propter carnalem copulam ſubſecutam, non debet præſumi pro matrimonio, niſi taliter contrahentes intenderint per hujuſmodi verba ſponſalia contrahere, & de hoc Judici conſtet, cum per hujuſmodi verba negativa, & ſimilia non conſueverint contrahi matrimonia.

Secus ſi dicat: *Ego ducam te anno elapſo, ut permittas*, vel *ſi permittas me tecum coire*; & carnalis copula ſubſequatur, quo caſu præſumendum pro matrimonio, quia propter carnalem copulam videtur renunciaſſe dilationi temporis.

In his tamen, & ſimilibus caſibus non omnino in jure expreſſis non eſt precipitanda ſētentia.

In hujuſmodi autem caſibus, & ſimilibus, qui non ſunt omnino expreſſi in jure, conſulimus non eſſe præcipitandam ſententiam, nec adulterium pertinaciter aſſerendnm. Et ſi poſt hujuſmodi contractus conditionales tranſeant ad

alia

alia vota ſolemniter, forte tutius eſſet diſſimulare, aut Papam conſulere, quam Matrimonium contractum cum ſecunda ſolemniter dirimere.

Secundum matrimonium tenet cum quis contraxit cum una ſub conditione de futuro, & cum alia pure

Ubi vero quis contraheret cum una ſub conditione de futuro, & interim cum alia pure teneat Matrimonium, ſecundum non revocabitur, extante conditione in primo caſu appoſita.

CAP. VIII.

De tempore, quo Sponſalia contrahi poſſunt.

Sponſalia contrahuntur in ſeptennio completo, & a ſeptennio ſupra. ita D. Th. in ſup. 3. p. q. 74. art. 2. ad 7.

Contrahuntur autem ſponſalia in ſeptennio completo, & a ſeptennio ſupra, quoniam tunc incipiunt habere diſcretionem, & pueris, ac puellis ex tunc placere ſponſalia conſueverunt.

Quid dicendum de ſponſalibus contractis ante ſeptennium ſi malitia ſuppleat ætatem?

Si vero ante ſeptennium ipſi, vel parentes eorum nomine contrahant ſponſalia, nihil agunt, niſi malitia ſuppleret ætatem, & mulier tentata fuerit, quia in quibuſdam magis acceleratur rationis uſus. Licet quidam dicunt hoc locum habere in matrimonio, & non in ſponſalibus.

Sponſalia contracta ante ſeptennium, ſi incipiant placere, antequam ſeptennium advenerit, ex tunc valent.

Et ſi ante ſeptennium contrahant, ut quandoque magni viri faciunt, ſi antequam venerint ad ſeptennium, incipiunt eis placere, ex tunc valent, ita quod, quamvis ſponſus eam non cognoſcat carnaliter, conſanguineam ejus habere non poterit in uxorem, nec e contra.

Non valent ſponſalia, ſi unus ſit ſeptennis, alter infra ſeptennium, niſi poſtea ratificentur.

Si autem unus ſit ſeptennis, & alter infra, non valent ſponſalia, niſi poſtea ratificarentur. Unde dicimus, quod ſi adveniente ætate legitima contrahentes intelligunt, quod actum eſt, & habent ratum expreſſe, vel tacite, quod præſumitur in hoc ſolo, quod non contradicunt, ratificari videntur ſponſalia, vel matrimonium, præſertim ſi ſimul morabantur.

Si neque expreſſe, nec tacite conſentiunt, nulla omnino ſunt ſponſalia, nec publicæ honeſtatis juſtitiam inducunt.

Quod ſi nec tacite, nec expreſſe conſentiunt poſt ſeptennium, adeo invalida ſunt ſponſalia, quod nec publicæ honeſtatis juſtitia oritur ex eiſdem.

Quando ex ſponſalibus per parentes contractis oritur publicæ honeſtatis juſtitia, quando ſecus?

Sponſalia, ſive promiſſiones, quæ contrahuntur per parentes, non ligant, niſi expreſſe conſenſerint, vel tacite, vel ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, & ex eis oritur publicæ honeſtatis juſtitia. Et idem ſi filii erant tempore ſponſaliorum abſentes, & ignorantes, ſed poſt rata habent tacite, vel expreſſe, alias ex ſponſalibus talibus, nec ipſi filii obligantur, nec publicæ honeſtatis oritur juſtitia, niſi in ætate legitima conſtitutis pueris placeat id, quod pro eis factum eſt; & ſi reclamaverint, conſenſu non adhibito, non prohibetur alter conſanguineam alterius accipere.

CAP. IX.

Lapſus temporis non confirmat ſponſalia ante legitimam ætatem contracta, niſi liquido conſenſus appareat.

Et præmiſſis caſibus ſecundum juris novi determinationem dicimus lapſum temporis ſponſalia ſic contracta inter tales per ſe, vel per parentes ante ætatem legitimam amborum, vel alterius eorumdem non confirmare, niſi per cohabitationem eorum mutuam, ſeu alias verbo, vel facto ipſorum liquido appareat eos in eadē voluntate perdurare, ut dictum eſt; & etiam dicimus, quod cum ſint nulla ratione defectus conſenſus, non inducerent publicæ honeſtatis juſtitiam.

Lapſus temporis præciſe ſumptus, neque matrimonium confirmat per verba de præſenti contractū inter duos impuberes non proximos pubertati, in quibus malitia non ſupplet ætatem.

Lapſus etiam temporis, non confirmat matrimonium per verba de præſenti contractum inter duos impuberes, non proximos pubertati, aut in quibus ætatem malitia non ſupplebat, vel unum puberem, & alium impuberem: illa enim verba, licet haberent conſenſum de præſenti, juris tamen interpretatione propter defectum ætatis ſponſalia induxerunt dumtaxat: carnalis autem copula ſubſecuta, vel modus alius ſubſecutus, per quem notaretur perſeverantia, denotarent matrimonium; per dictum tamen contractum, qui valuit, ut potuit, publicæ honeſtatis juſtitia eſt inducta.

CAP. X.

Quid dicendum, cum quis jurat dare unam ex filiabus ſuis in uxorem, non nominando, cum plures habeat?

Et ſi juraſti mihi dare unam de filiabus tuis in uxorem, non nominatam, cum plures haberes, quamcumque dando liberaris, quia promiſſoris eſt electio ſemper, & ſi omnes moriantur, præter unam, ad illam dandam teneris.

Si quis unam obtulerit, & promiſſarius aliam acceptet, promiſſor liber eſt a juramento, & promiſſione. At ſi promiſſarius unam ex illis cognoverit, aliā habere non poteſt.

Et ſi unam obtuleris, & illam non accepto, ſed aliam, liberatus es a juramento, & promiſſione; ſed ſi unam ex illis cognovero, aliam habere non potero, & matrimonium præſumptum eſt cum illa, maxime ſi contemplatione contractus præcedentis ipſam cognoverim, & cogendus ſum conſentire.

Quod ſi juraſti mihi dare filiam tuam certam, & nominatam, cum haberes plures, & ſi non poſſem habere illam aliquo caſu interveniente, debuiſti dare aliam, vel tertiam, & ſic de aliis, teneris dare primam, & ad hoc laborare bona fide, quod ſi non potes facere, tunc ſi prima conſenſit, immo expreſſe, vel tacite, puta quia ipſa ſciente, præſente, & non contradicente fuerint contracta ſponſalia, ſecundam habere non poſſum; ſi tamen prima nullatenus conſenſit, tunc ſecun-

In ejuſmodi caſu ſi prima, conſenſit expreſſe, vel tacite non poſſunt haberi ſponſalia cum ſecunda.

ſecundam habere poſſum, & ad illam teneris, & ſic de aliis.

CAP. XI.

Sponſalia poſſunt per nuntium, vel per litteras contrahi, & quomodo.

CONtrahuntur etiam ſponſalia per nuntium, vel per litteras, & hoc quotidie videmus fieri, maxime inter magnates: conſtat enim abſentem abſenti deſponderi poſſe, ſi abſens hoc ſciat, quia nuntium miſit ibi de conſcientia ſua, vel poſtea ratum habuit, quamvis de hoc ab initio nihil ſciret. Verba autem nuntii hæc erunt. *Promitto tibi de mandato talis Domini mei, & nomine ejuſdem, quod ipſe te ducet in uxorem, & hoc in animam ſuam juro.* Verſa vice puella nuntio dicit, vel reſcribit: *Promitto tibi nomine Domini tui recipienti, & ſibi per te, quod ego ducam ipſum in virum, niſi per ipſum ſteterit, & hoc juro.*

Verba nuntii quænam eſſe debeant?

Quænam puellæ reſpondentis nuntio, vel reſcribentis?

Quod ſi pœniteat abſentem, antequam puella, ad quam mittebat, conſenſerit: ſed ipſa poſt pœnitentiam talem conſenſit, dicendum, quod ſi revocatio pervenit ad procuratorem, antequam mulier conſentiret, & ſic re integra, nihil actum eſt; ſi non pervenit poſtquam jam conſenſerat, & de hoc poteſt fieri fides Eccleſiæ, ſimiliter non valent ſponſalia, quia nec vere, nec interpretative concurrerunt conſenſus; quod ſi de mandato procuratoris, & conſenſu mulieris ſubſecuto fiat fides, ſic de diſſenſu, ſeu pœnitentia non liquet, ſtabit Eccleſia pro ſponſalibus, quia non judicat de occultis; quod ſi nec conſentit, nec diſſentit, nec de hoc cogitat is, qui nuntium miſit, tempore illo, quo puella conſentit, ſtandum eſt ſponſalibus cum favore matrimonii, tum quia non habet obicem contrariæ voluntatis, tum propter juris poteſtatem, quia inter abſentes ſponſalia contrahuntur.

Quid dicendum, ſi abſentis pœnitentia intercedat, antequam puella conſenſerit?

CAP. XII.

Dilui poſſunt ſponſalia per mutuum diſſenſum, accedente tamen Eccleſiæ auctoritate.

DIſſolvuntur autem ſponſalia communi diſſenſu, ſi mutui ſe abſolvent, auctoritate tamen Eccleſiæ, ideſt Epiſcopi, qui eorum diſſenſum, perſonas, & circumſtantias, ut circumſpectus Judex conſpiciat, & ſic admittat, vel non admittat diſſenſum, & maxime attendat, ſi quid ſiniſtrum, aut deterius poſſet ſequi, ſi non * *admittent* diſſenſus, puta ſi odium, vel inimicitiæ ortæ eſſent inter eos.

Alias * *admitteretur*.

Item propter affinitatem ſupervenientem, puta quia ſponſus cognoverit conſanguineam, vel e converſo: ad quod probandum ſufficit ſola fama, & etiam unus teſtis, nec eſſet matrimonium confirmatum per verba de præſenti. Et hoc caſu bonus Judex arbitrabitur inſpecta qualitate perſonarum. Utrum malitioſe, vel bona fide, vel a ſuſpecto, vel a non ſuſpecto hoc proponatur, & ſic admittat, vel non admittat. Et conſulimus, quod Judex ſecreto in talibus loquatur mulieri, quæ factum dicitur commiſiſſe; & ſi ſibi videtur, ipſam juramento adſtringat dicere veritatem. Et idem de aliis perſonis, quæ ipſum inſtruere poterunt in hac parte. Si quis autem malitioſum impedimentum objecerit, non effugiat canonicam ultionem, & hoc ſæpe de facto habuimus.

Diſſolvuntur etiam propter affinitatem ſupervenientem D. Th. in ſup 3 p q. 74 art. 3 ad 4.

In hoc caſu bonus Judex arbitrabitur pro qualitate perſonarum.

CAP. XIII.

Diſſolvuntur ſponſalia per corporalem, vel ſpiritualem infirmitatem ſupervenientem.

ITem propter infirmitatem corporalem, vel ſpiritualem ſupervenientem: corporalem, ut ſi naſum amiſerit, aut oculos alter ſponſorum, vel lepram incurrerit, vel paralyſim, vel aliam deformitatem, quæ perſonam reddat inhabilem, ſeu turpiorem, quibus caſibus, etiamſi juramentum interveniſſet, non tenetur implere: ductam tamen ante non poſſet dimittere: Spiritualem, ut ſi poſt eſt fornicata, vel facta hæretica, vel alias infidelis, & idem in ſponſo. Licet ex gratia maſculi facilius recipiantur a feminis, quia minus turpis videtur fornicatio maſculi, pro eo, quod frequentius accidit, non tamen hoc de jure.

Spiritualis infirmitas, quæ ſit.

Advertendum tamen eſt, quod ſi ſponſa de futuro invita, & contradicens corrumpitur, ſponſus non cogitur talem ducere, ſi proponit ordinari poſt mortem ejus, quod non poſſet, ſi corruptam duceret; alias compelli poſſet eam ducere, cum ipſa non fuerit in culpa; licet quidam ſimpliciter dicant, quod non debeat cogi, ut talem ducat.

Si ſponſa de futuro invita, & cõtradicens corrumpitur, ſponſus non cogitur talem ducere, ſi proponat ordinari poſt mortem ejus.

Quid ſi ipſa non fuerit in culpa?

Et idem ſi quis de futuro deſponſet corruptam, quam credit virginem, ſi hoc percepit ante carnalem copulam.

Quid ſi quis de futuro deſponſet corruptam, quam putat virginem?

Item propter fugam ſponſi, vel ſponſæ ſe ad aliam Provinciam transferentis, recepta tamen de perjurio, & promiſſione non ſervata pœnitentia, ſi per eam, vel eum ſteterit, quominus matrimonium fuerit conſummatum.

Diſſolvuntur etiam per fugam ſponſi, vel ſponſæ ſe ad aliam provinciam transferentis.

CAP. XIV.

Quamdiu expectandus ſponſus præſens in eadem Provincia?

CUm autem in ſponſalibus non ſit terminus appoſitus per jus Canonicum, licet lex ſtatuat ſponſum præſentem in eadem

eadem Provincia, expectandum per biennium, vel triennium: tamen melius videtur dicendum, quod bonus judex inſpecta qualitate perſonarum tempus legale poterit abbreviare, vel prorogare, quo lapſo, renitentem excommunicabit.

Bonus judex inſpecta qualitate perſonarum poteſt abbreviare tempus legale D. Th. in ſup. 3. p. q. 74. art. 3. ad 2.

Conſiderari etiam debet hoc caſu neceſſitas, puta infirmitas abſentis, mors parentum, ſeu capitalia crimina, aut longæ peregrinationes, quæ ex neceſſitate fiunt, ut * *ſimiliter* expectari debeat abſens, quouſque illa neceſſitas ceſſet.

Quænam expendi debeant in hujuſmodi caſu?

Vel potius * *ſcilicet*.

CAP. XV.

Majus vinculum ſuperveniens prima ſponſalia diſſolvit.

ITem propter majus vinculum ſuperveniens, ut ſi alter ſponſorum contraxit cum alio per verba de præſenti, vel per verba de futuro, & ſequitur carnalis copula, tunc enim ſolvuntur prima ſponſalia ipſo jure; ſed debet agere pœnitentiam de fide, vel promiſſione mentita. Si tamen ſponſam primam carnaliter cognoviſſet, ſecus eſſet, quia duraret.

Quod ſi adoleſcens ſponſam de futuro tentaverit, non tamen cognoverit, & ſequenter cum alia per verba de præſenti contraxerit, ſolvuntur ſponſalia, quia nihil obfuit conatus ſine effectu.

Hac in re nihil obeſt conatus ſine effectu.

Et ſi prima ſponſalia nuda ſunt, & ſimpliciter contracta per verba de futuro, ſecunda juramento firmata, debet ſervare prima, non obſtante juramento, quod vinculum iniquitatis eſſe non debet; agere tamen debet pœnitentiam de perjurio ſic commiſſo, quod verum intelligimus, niſi carnalis copula cum ſecunda interveniſſet, quæ carnalis copula, ſi præcedat ſponſalia, nihil operatur, alias ſic, ut ſæpe diximus.

Si prima ſponſalia nuda ſunt, & ſimpliciter contracta per verba de futuro, ſecunda vero juramento firmata, ſervari debent prima.

Item ſi dicatur fama inter ſponſos canonicum impedimentum, & de fama, vel ſcandalo doceatur. Item ſi alter ſponſorum ad religionem tranſivit, quod poteſt facere etiam altero invito ante carnalem copulam, & ille, qui remaneat in ſæculo, abſolvitur ipſo jure a vinculo ſponſalium, etiamſi fuerant ſponſalia de præſenti, potiſſime ſi convenienti tempore expectatus, & debito modo requiſitus, non revertitur.

Alii caſus, in quibus diſſolvuntur ſponſalia.

Sponſalia dirimuntur, cum quis ad Religionem confugit, etiam uno illorum invito. D. Th. in ſup. 3. p. q. 74. art. 3.

Item ſi contrahens ſponſalia ante pubertatem, quæ eſt quatuordecim annorum in maſculo, duodecim in muliere, veniens ad pubertatem contradicit, & petit abſolvi a vinculo ſponſalium. & dari ſibi licentiam nubendi alii.

De contrahente ſponſalia ante pubertatem, & contradicente, poſtquam ad pubertatem venit.

Et poteſt addi alius caſus, ubi aliquis uxoratus juravit alicui mulieri ipſam poſt mortem viri ſui ducere in uxorem.

Et idem, ſi mulier machinata eſt mortem viri, ut eum habere poſſet, cui ſidem dederat, nam & hi caſus dirimerent matrimonium jam contractum.

Hi caſus dirimerent matrimonium jam contractum.

Et notandum, quod prædictis caſibus, quibus ipſo jure non ſolvuntur ſponſalia, ſolvenda tamen ſunt judicio Eccleſiæ, ſcilicet auctoritate Epiſcopi, non autem propria auctoritate poſſunt ſe abſolvere.

In caſibus, quibus ipſo jure non ſolvuntur ſponſalia, ſolvenda ſunt judicio Eccleſiæ.

Et hæc verba dicimus, quando ſunt ſponſalia publice contracta. Si autem vir, & mulier ſecreto ſponſalia inter ſe contraxerint, non videmus rationem, quare ſine judicio Eccleſiæ non poſſunt diſſolvi in prædictis caſibus, cum ſecreta non ſubſint judicio militantis Eccleſiæ, niſi quoad forum pœnitentiæ. Hoc tamen caſu conſulimus Presbyteris, quibus hoc revelaretur, ut bene cauſſam examinent, tamquam ſi in foro contentioſo eſſent, & inducant tales perſonas ad matrimonium conſummandum, quantum poterunt.

Id tamen intelligendum, ſi ſponſalia ſint publice contracta.

CAP. XVI.

Cum agitur de diſſolutione ſponſaliorum pure contractorum, quid ſervandum?

EST autem notandum pro ſummaria declaratione præmiſſorum, cum agitur de diſſolutione ſponſaliorum pure contractorum, quoniam autem ſunt ambo majores, ideſt adulti, aut minores, ſcilicet infra duodecimum annum, vel decimum quartum, & ſupra ſeptennium, aut unus major, & alter minor. Primo caſu, etiamſi juramentum intervenerit, multis rejectis opinionibus, credimus, quod ſi probabiliter poteſt præſumi, quod per ſententiam excommunicationis ille, qui vult reſilire, inducatur ad obſervationem juramenti; vel ſi forte timeatur guerra, aut grave ſcandalum, niſi juramentum ſervetur, & ſi contraxerit etiam coactus, non timetur veriſimiliter uxoricidium, vel ſimile periculum, debet ad hoc eccleſiaſtica cenſura compelli, aliter enim non eſſet medicinalis excommunicatio, ſed mortalis, quod eſſe non debet, ſive enim plectendo, ſive ignoſcendo, hoc ſolum bene agitur, ut vita hominum corrigatur: alias autem coactiones fieri non debent, ubi pericula imminerent, cum difficiles exitus ſoleant maxime in matrimoniis habere, & tunc monendi ſunt potius, quam cogendi.

Coactiones hac in re fieri non debent, ubi pericula imminent.

Quo caſu attendendum, quod exiſtens in peccato mortali non cogitur ad pœnitentiam propter periculum, quod timetur. Item ſi talis excommunicaretur, & poſtea contrahat cum alia per verba de præſenti, injungetur ei pœnitentia de fide mentita, & de contumacia, & abſolvetur, licet non ſatisfaciat ſuper eo, pro quo fuit excommunicatus, & ideo, quia ſatisfacere non poteſt, quia ſoluta ſunt ſponſalia propter fortius vinculum ſuperveniens. Nos autem talem, qui dolo carere

Alia item hac in re ſervanda.

rere non videtur, acriter dicimus mulctandum, & puniendum. In aliis vero caſibus duobus, ille, qui major eſt, vel qui prius pervenit ad ætatem adultam, tenetur expectare minorem, donec perveniat ad ætatem legitimam ad Matrimonium contrahendum; & tunc ſi ille, qui minor erat tempore illo, quo fuerunt contracta ſponſalia, vel ambo, ſi ambo erant minores, reclamaverunt, vel conſentire noluerunt, judicio Eccleſiæ poterunt ab invicem ſeparari.

Qui prius pervenit ad ætatem adultam, tenetur expectare minorem.

Major autem, ſive pubes, qui contraxit ſponſalia, vel matrimonium cum impubere, reſilire non poterit, cum ille, qui minor fuerit, ad ætatem perveniens legitimam vult matrimonium conſummare, quia ex quo ſemel conſenſit in illud, non poterit amplius diſſentire. Non tamen intelligas, quod tenuerit matrimonium a principio, cum claudicare non poſſit, & conſenſus non concurrerint, ſed ex ſua obligantur promiſſione contrahere, & quantum in eo fuit, fecit.

Pubes, qui cum impubere contraxit ſponſalia, ex ſua promiſſione obligatur contrahere matrimonium. Matrimonium claudicare non poteſt.

CAP. XVII.

Mortaliter peccat, qui altero invito a ſponſalibus reſilit, niſi legitimum impedimentum interveniat.

PEccat autem mortaliter, qui altero invito reſilit a ſponſalibus poſt fidem interpoſitam, vel juramentum, niſi impedimentum legitimum interveniat; Et injungenda eſt pœnitentia pro peccato, licet in foro contentioſo non compellatur, quia matrimonia coacta conſueverunt malos exitus habere. Ideo autem ille, qui major eſt, vel qui prius pervenit ad ætatem legitimam, tenetur expectare minorem, quia interim poteſt mutare voluntatem, & placere ei, & iterum conſentire, ſicut dicimus de eo, qui vovit intrare monaſterium, licet ante ingreſſum pœniteat, tenetur tamen intrare, & probare ordinem, quia, probato ordine, poterit mutare voluntatem, & placere ei, quod diſplicuit, licet poſt hujuſmodi ingreſſum probationis, ſi ei diſpliceat, reſilire poſſit.

Cur teneatur expectare minorè, qui prius pervenerit ad ætatem legitimam?

Et ſi pubes, qui contraxit cum impubere non expectat, ſed mutata voluntate contrahit cum alio pubere per verba de præſenti, tenet ſecundum matrimonium.

Quod ſi impubes factus pubes ratificavit, ſed alius diſſentit, qui prius pubes conſenſerat, & vocatus ad judicium per Epiſcopum, contrahit cum alia per verba de præſenti, tenet ſecundum matrimonium, niſi ſponſa prima traducta eſſet in domum ſponſi, vel alias ſimul morarentur: traductio enim, & copula carnis æquiparantur.

Niſi ſponſa prima traducta eſſet in domum ſponſi.

Et ſi quis contrahit ſponſalia ante ſeptennium, & poſtea matrimonium ante annum pubertatis, tenent ſponſalia, quæ ante non valuerunt, quia videntur approbaſſe,

Quando teneant ſponſalia, quæ antea non valuerunt, quia videntur approbata.

Cum autem certum tempus in ſponſalibus apponitur, poſt lapſum temporis is, per quem non ſtetit, impune nubit, ſed alii dabitur pœnitentia de fide mentita. Et iſto caſu, ubi arrhæ eſſent datæ, ceſſaret pœna, de qua ſuperius diximus. Ceſſaret etiam in caſu alio, quando ſponſus fuit impeditus, dummodo cauſſam impedimenti non præſtitiſſet. Ceſſaret etiam propter cauſſam, vel conditionem legibus interdictam, ut cum de jure matrimonium ſequi non poteſt.

Poſt lapſum certi temporis in ſponſalibus appoſiti impune nubit is, per quem non ſtetit.

CAP. XVIII.

Sponſaliorum effectus quinam ſint?

EFfectus ſponſaliorum eſt, ut ea contrahens alii nubere prohibeatur, & matrimonium contrahere, & perficere per cenſuram Eccleſiæ compellatur, niſi in caſibus ſupra enumeratis, & aliis declaratis.

Ex ſponſalibus autem oritur quædam attinentia, quæ vocatur publicæ honeſtatis juſtitia, quæ impedit matrimonium, & dirimit jam contractum; ut puta, ſi aliquis contrahat matrimonium cum aliqua de cognatione illius uſque ad quartum gradum incluſive, quam olim habuit in ſponſam, & e converſo, quod matrimonium de jure non valet, quod impedimentum eſt ab Eccleſia introductum propter ipſius Eccleſiæ honeſtatem. Et intelligendum eſt de ſponſa ſeptenni, vel ultra, etiam non cognita, quoniam ſi ante ſeptennium contracta ſunt ſponſalia, nullius efficaciæ ſunt judicanda, niſi, ut ſuperius declaravimus, nec præſtant aliquod impedimentum, quia in talibus, tam animi, quam corporis eſt defectus, ſicque non generant hanc juſtitiam.

De impedimento publicæ honeſtatis ex ſponſalibus orto. Ante Concilium Tridentinū publicæ honeſtatis impedimentum extendebatur uſque ad quartum gradum, modo vero ex definitione Trid. ſeſ. 24. c. 3. tantum ad primum extenditur, & D. Th. in ſup. 3. p. q. 86. art. 4.

Sponſalia ante ſeptennium contracta nullius efficaciæ ſunt, nec ejuſmodi impedimentum præſtant.

Et ex hoc dicimus, quod conſanguineus furioſi continui ſponſam ejuſdem furioſi poterit ducere in uxorem, cum conſenſus deficiat.

Quid dicendum de conſanguinea furioſi continui?

Quod ſi ſponſalia non tenuerunt, quia non de jure, ſed de facto tantum contracta fuerunt verbi gratia, deſponſavit aliquis conſanguineam propriam, vel Monachus, vel Clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, vel frigidus, vel perpetuo maleficio maleficiatus, vel ſectus deſponſat aliquam de facto, his caſibus, & ſimilibus præſtatur impedimentum conſanguineis, & oritur publicæ honeſtatis juſtitia, quæ contrahitur per ſponſalia per verba de præſenti, vel de futuro, ſive de facto tantum contracta, licet non fuerit affinitas, quæ non contrahitur, niſi per carnalem copulam.

Hoc impedimentum oritur ex ſponſalibus ſive de jure, ſive de facto tantum contractis.

Ex ſponſalibus autem ſub conditione contractis non oritur publicæ honeſtatis juſti-

Non oritur ex ſponſalibus ſub conditione contractis.

juſtitia ; cum edictum de Matrimonio ſit prohibitorium, & nec in jure expreſſum reperitur.

CAP. XIX.

De Matrimonio, ejuſque Natura; Cauſſis, & effectibus.

Dicendorum ordo.

SEquitur videre de Matrimonio, ſcilicet quid ſit, & unde dicatur, & ubi, & a quo fuit inſtitutum, quis poſſit contrahere, qualiter contrahatur, & quare, quis ejus effectus, & qualiter diſſolvatur, ſeu quæ impediant Matrimonium contrahendum, & dirimant jam contractum.

Quid ſit Matrimonium?

Matrimonium eſt conjunctio maris, & feminæ, individuam vitæ conſuetudinem retinens Divini, & humani juris communicatione.

Matrimonium unde dicatur?

Cur denominetur magis a Matre, quam a Patre. D. Th. in ſup. 3. p. q. 75. art. 2.

Dicitur autem Matrimonium Matris munium, ideſt officium, quia dat mulieribus eſſe Matres, & denominatur magis a Matre, quam a Patre; quia in principaliori bono Matrimonii, ſcilicet in prole magis laborat, quam Pater: nam proles ante partum eſt Matri onerosa, in partu doloroſa, & poſt partum laborioſa. Eadem ratione ſubſtantia viri, & mulieris vocatur Patrimonium, quia Pater magis laborat in acquirendo, quam Mater.

Ubi fuit inſtitutum?

Fuit inſtitutum Matrimonium in Paradiſo a Deo, & ante peccatum per illa verba Adæ ore prophetico dicentis: *Gen. 2. hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro ex carne mea; & propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, ſcilicet unius pueri procreandi.

CAP. XX.

Quæ perſonæ Matrimonium contrahere poſſint?

POteſt autem contrahere Matrimonium quæcumque perſona apta ad conſentiendum, & coeundum; quod ideo dicimus, quia puer licet infra legitimam ætatem, ideſt quartum decimum annum, vel puella infra duodecimum dicat verba ad Matrimonium contrahendum apta, tamen quia conſentire non poteſt, nullum eſt Matrimonium. Et ille, qui caret utroque teſticulo, conſentire non poteſt in carnalem copulam cum effectu. Similiter furioſus, vel inſanus non contrahit, quia caret uſu rationis. Et hoc verum quamdiu eſt in furore, quoniam ſi habet lucida intervalla, & aliquando redit ad ſanam mentem, & nubere poteſt, & teſtari omnia, quæ alii poſſunt. In hoc tamen ſatis eſt advertendum, & magna diſcretio adhibenda, quando vere uſum rationis habere dicatur. Nam plerique in ſermonibus diſcreti apparent, qui furioſum exitum patiuntur.

Qui contrahere nequeant?

De furioſo, vel inſano, quid dicendum, & quid in eo advertendum?

Conc. Prov. Benev.

De meretrice incorrigibili.

Edictũ de Matrimonio eſt prohibitorium, unde omnis, qui non prohibetur contrahere, poteſt.

Meretrix quoque contrahere poteſt, ſi velit ſe corrigere; ſecus, ſi non ſit corrigibilis. Et breviter Edictum de Matrimoniis eſt prohibitorium, hoc eſt, quod omnis, qui non prohibetur contrahere, poteſt, & admittitur.

De ebrio, quid dicendum?

Ebrius autem, ſi ita ſit ebrius, quod nullo modo habet uſum rationis, neſciens omnino quod agit, quia deeſt conſenſus, idem, quod in furioſo dictum eſt. Et ſi poſt ebrietatem cognoſcat illam, quam deſponſaverat exiſtens in ebrietate per verba de præſenti, vel de futuro, credimus, quod propter hoc non ſit Matrimonium, ſi conſtiterit Eccleſiæ de tali ebrietate, niſi quod fecerit in tali ebrietate, ratum habuerit poſt ebrietatem. Si autem non fuerit tanta ebrietas, quod uſum rationis auferret, poſſunt tales Matrimonium contrahere, & ſponſalia. Et ſi poſt ſponſalia ſequatur carnalis copula, præſumitur pro Matrimonio.

Quid de excommunicato, qui cum excommunicata contrahit?

Excommunicatus autem, ſi cum excommunicata contrahat, Matrimonium tenet ex poſt facto, licet contrahere non debeant, cum actus legitimi talibus ſint prohibiti.

CAP. XXI.

Matrimonium quoque inter abſentes contrahi poteſt: & qua cum conditione?

INter abſentes quoque Matrimonium poteſt contrahi, ſicut de ſponſalibus diximus, & per omnia hic recita, quæ de conſenſu, & diſſenſu ibi notavimus, quoniam idem in Matrimonio, ſicut in ſponſalibus diximus, judicandum.

Quænam in hoc caſu eſſe debeant verba nũtii in Matrimonio de præſenti?

Verba nuntii in Matrimonio de præſenti erunt iſta. Nuntius viri dicet puellæ: *Talis Dominus meus ſalutat te, & mandat tibi, quod ipſe per me, ſive me mediante, & tibi nuntiante accipit te in ſuam, & conſentit in te, tanquam in uxorem.*

Quænam verba puellæ?

E contra puella reſpondebit: *Et Ego mediante te recipio Dominum tuum in meum, cum ipſe me in ſuam te nuntiante recipiat, & in ipſum conſentio, tanquam in Dominum, & maritum.* Vel brevius, ſi voluerit: *Conſentio in his, quæ mihi nuntiaſti.* Sicut fuit in ſalutatione Beatæ Mariæ Virginis, & Annuntiatione ſibi per Gabrielem Archangelum facta, cum dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quibus dictis ſic ſtatim Matrimonium contractum intelligitur, quia perinde eſt, ac ſi notificaretur mittenti, vel eſſet præſens.

Quid dicendum ſi illa, vel ille, cui mittuntur litteræ, nulli notificet ſenſum ſuum?

Quoniam autem mitterentur litteræ, cum verbis talibus, ſive agatur de ſponſalibus, ſive de Matrimonio per nuntium, qui nihil ſcit de facto, ſed tantum nudum miniſterium portandi litteras ei commiſſum eſt; ſi ille, vel illa, cui mittuntur litteræ hujuſmodi, nulli notificat conſenſum ſuum, credimus ſine præjudicio, quod

 quan-

quantumcumque conſentiat,non eſt contractum Matrimonium,niſi tunc demum, cum illi monſtraverit, ſive abſenti, qui miſit ei litteras, ſive alii. Et credimus ſufficere in hoc caſu, quod aliis notificet, vel alii.

CAP. XXII.

Matrimonium contrahitur conſenſu, & verbis.

COntrahitur autem Matrimonium conſenſu, & verbis, ut ſi dicant contrahentes: *Accipio te in meum*: *Accipio te in meam*. Vel *concedo tibi corpus meum in maritum.Et ego concedo tibi corpus meum in uxorem*,vel proferant verba æquipollentia conſenſum exprimentia de præſenti, qui in iis, qui poſsunt, neceſsaria ſunt quantum ad Eccleſiam.

Mutus conſenſum exprimere poteſt per indicia,vel ſigna

Mutus, qui verba proferre non poteſt, conſenſum exprimere poterit per indicia, vel ſigna. Et tale Matrimonium dicitur eſſe verum. Præſumptum vero vocatur, quando cognoſcit quis carnaliter ſponſam, cum qua ſponſalia fecerat de futuro.

Quando dicatur Matrimonium præſumptum?

Quibus nam in verbis recurrendum ſit ad intentionem?

Quod ſi dicerentur hæc verba: *Volo te habere de cetero in uxorem*, *vel volo*, *quod ſis uxor mea*, *vel te eſſe uxorem meam*, vel *volo te accipere in uxorem*, vel *volo in te conſentire,tanquam in meam*. In talibus dicimus ſemper recurrendum ad intentionem contrahentium,cum proferuntur hujusmodi verba, & ſecundum eorum intentionem judicandum eſt,vel præſumendum, ſi de ea conſtare poſſit, vel vere,vel præſumptive.

CAP. XXIII.

Si de intentione non conſtat, nec ſponſalia, nec Matrimonium contrahitur.

SI autem conſtare non poſſit,credimus, quod propter hæc verba:*volo te accipere in uxorem*, vel *volo in te conſentire*, nec contrahuntur ſponſalia, nec Matrimonium. Sponſalia non contrahuntur, quia hoc verbum,volo, nullam ſignificat promiſſionem,ſine qua ſponſalia non contrahuntur. Matrimonium etiam non contrahitur, quia hoc verbum, volo, ſecundum uſum frequentiorem loquendi, quando conjungitur cum infinitivo ſignante actionem,ſive actum,tunc ſumitur ad exprimendam voluntatem præcedentem ipſum actum potius, quam concomitantem. Ut cum dicitur,volo comedere,volo bibere. Cum autem hoc verbum, volo, conjungitur cum infinitivo verbi ſubſtantivi, vel cum hoc verbo habere, quod non videtur ſignare actum, ſed potius relationem, vel aliquod conſimile, tunc per hoc verbum, volo, potius ſolet exprimi voluntas concomitans, quam voluntas præcedens actum. Unde ſuper hæc verba,volo de cetero te habere in uxorem: Volo te eſſe uxorem meam: Volo, quod ſis uxor mea, vel quod ego ſim maritus tuus, cum proponuntur ex parte viri, & ſimilia proponuntur ex parte mulieris, præſumendum eſt Matrimonium eſſe contractum, præſertim, cum præcedit interrogatio hujusmodi: Vis ne habere iſtam in uxorem tuam, vel vis iſtam eſſe uxorem tuam; vel quod ſit uxor tua? Et ipſe reſpondet, *volo*,&c.& illa firmiter interrogata reſpondet,*volo*, &c.

Quando per verbum,volo,ſignificetur voluntas comitans?

Quod ſi in aliqua lingua verba prolata ſonant in futurum, & tamen ſecundum communem uſum loquendi ſolent accipi pro præſenti, non eſt negandum per talia verba Matrimonium contrahi, quia ad communem verbi intelligentiam ſemper in talibus recurritur. Nec curandum de illo verbo de cetero, vel ſi dicat ab iſto tempore, &c. nam pro Matrimonio judicamus, ut ſupra diximus in principio hujus tituli, maxime ubi contrahentes intendebant, quod judicabitur ex circumſtantiis, ut ſupra proxime diximus, ut ſit ſenſus incluſivus, quaſi dicat de cetero, vel ab iſto, modo te habeo, & de cetero, vel ab iſto tempore te habebo pro uxore: non enim eſt vis in verbis, dummodo de mente, & conſenſu conſtet.

Quid ſi in aliqua lingua verba prolata ſonẽt in futurum, & ſecundum communem uſum loquendi ſoleant accipi de præſenti?

Nulla vis in formula verborum, dummodo conſtet de mente, & conſenſu.

CAP. XXIV.

De aliis verborum formulis, & oſculo ſub nomine Matrimonii dato.

ET idem ſi dicat: Semper providebo tibi tanquam uxori, vel promitto, quod non dimittam te pro meliori,vel pro pejori, vel vis, vel placet tibi talis, & illa reſpondet, volo, vel placet, ſicut utitur hæc patria, quia aliud non poteſt, quam vox ſonet, niſi fiat alia proteſtatio,& ſunt apti ad contrahendum, vel ad hoc ſe diſponant; in talibus, & ſimilibus dubiis ſemper pro Matrimonio judicandum, & ita nos ſemel judicavimus.

Notandum eſt circa hoc,quod ſi poſt ſidem datam ad invicem de contrahendo, ſtatim dicant,oſculemur nos nomine Matrimonii, vel bibamus nomine Matrimonii, & ſic ſe oſculantur, vel bibunt, vel ad ſuggeſtionem aliorum hoc faciunt, non propter hoc eſt completum Matrimonium, niſi per certa indicia conſtiterit, quod per hujusmodi oſculum, vel potum voluerint recedere a ſponſalibus, & Matrimonium contrahere de præſenti. Et quod dicant, oſculemur nos, vel bibamus nomine Matrimonii, intelligendum,ſcilicet contrahendi potius,quam jam contracti, cum ſtatim ante actum ſit de ſponſalibus inter eos, non de Matrimonio. Quod ſi nihil actum eſſet ante de ſponſalibus, tunc poſt prædicta verba,oſculemur, &c.ſi ſequatur oſculum de communi conſenſu, judicandum eſt Matrimonium,maxime

De oſculo ſub nomine matrimonii, vel de potu ſub eodem nomine.

xime ſi hoc agerent contrahentes, & intenderent; alias non. Et hoc judicium colligitur ex circumſtantiis verborum præcedentium, & ſubſequentium, & aliis indiciis, quæ ſi nulla appareant, ſecus; præſertim, ſi uterque, vel alter illorum negat ſe habuiſſe intentionem contrahendi Matrimonium tali modo, aut ſi alter, vel uterque ad ſecunda vota tranſiſset.

Conſenſus tacitus, ſive interior ſine expreſſione verborum, aut alterius ſigni expreſſi, & exterioris non ſatis eſt ad Matrimonium. D. Th. in ſup. 3. p. q. 76. art. 5.

Eſt autem ſciendum pro clariori intelligentia totius hujus tractatus generaliter, quod ad Matrimonium contrahendum conſenſus tacitus, ſive interior ſine expreſſione verborum, aut alterius ſigni expreſſi, & exterioris non ſufficit; non enim conſenſus ſolus facit Matrimonium, ut prædictum eſt, maxime inter eos, qui ſui juris ſunt; nam in iis, qui alieni juris ſunt, ut in filia familias, ſufficit tacitus, cum expreſso eorum, in quorum ſunt poteſtate. Unde ſi vir dicat mulieri: *Accipio te in meam uxorem*, & mulier nihil reſpondet, & nulla alia apparent indicia de conſenſu ejus, non eſset Matrimonium. Si autem apparerent, ut quia tunc puella verecundabatur loqui, ſed tamen patiebatur ſe ſubarrhari per annuli immiſſionem, vel dotari, vel alias tangi, aut oſculari, tunc ipſa taciturnitate, & patientia conſenſus ejus exprimitur, quamvis lingua taceat, ſicut plenius ſupra in §. *Item fidei datione* poſuimus in ſponſalibus, quæ hic repetas. Verecundia namque debet præcedere nuptias, quo ipſum conjugium plus verecundia commendet, & magis expetita debet videri a viro, quam ipſa virum expetiſse. Illæ enim, quæ nubunt, caput propter verecundiam obnuere, non loqui ſolent, & ideo nuptiæ ab annuendo dictæ ſunt. Unde quoad eſsentiam Matrimonii, ſolum conſenſum requirit Eccleſia, verba autem requirit, ut conſenſus comprobetur, quæ ſi deficiant, ſufficiunt ſigna etiam in loquente, immo ſufficeret, ſi ſcriberet voluntatem ſuam ſine aliis verbis expreſſis. Et iſte conſenſus debet eſse conſenſus conjugalis ſocietatis, quia ideo primam mulierem Dominus de latere formavit, ut collateralis, & ſocia haberetur in Matrimonii inſeparabilitatem; unde conſenſus temporalis Matrimonium non faceret; & in hoc concordat definitio Matrimonii ſuperius poſita.

Unde nuptiæ dicantur?

Ad Matrimonium Eccleſia conſenſum requirit. D. Th. in ſup. 3. p. q. 76. art. 2.

Conſenſus debet eſſe conſenſus conjugalis ſocietatis.

Quod ſi aliqui videantur Matrimonium contrahere per verborum de preſenti expreſſionem, ſi uterque, vel alter animo diſsentiat, ſi ſignis evidentibus poſset probari, & apparere ſimilis actio, quia ſine conſenſu, tunc Eccleſia non judicaret pro Matrimonio; alias ſic, & compellet eos ſimul eſse, cum de verbis conſtiterit, ſi de intentione non poſset, nec credet eis, quia in fraudem Matrimonii hoc fieri poſset, & ſic quilibet ab uxore ſua ſeparari.

Si uterque, vel alter animo diſſentiat, non erit Matrimonium. At ſi conſtat de verbis, & de intentionis defectu non conſtet, Eccleſia compellet eos ſimul eſſe.

CAP. XXV.

Quid dicendum de eo, qui non habet propoſitum contrahendi, ſed decipiendi, & deinde mulierem carnaliter cognoſcit, & nunquam in eam, ut in uxorem conſentit?

CUM autem aliquis deſponſat aliquam per verba de præſenti, vel per verba de futuro, non habens propoſitum contrahendi, ſed decipiendi, ut ſic poſſit ab ea carnaliter copulam extorquere, deinde cognoſcat eam carnaliter, ſi tamen nunquam in eam conſenſit, nec propoſuit eam ducere in uxorem, ut dicunt quidam, non debet ex illo facto Matrimonium judicari; cum in eo ſubſtantia conjugalis contractus non valeat inveniri; quoniam ex altera parte dolus ſolummodo affuit, & defuit omnino conſenſus, ſine quo cetera nequeunt fœdus efficere conjugale; quo caſu ille, ex parte cujus non eſt dolus, excuſatur a peccato per ignorantiam. Deceptor autem ille, ſi veram vult agere pœnitentiam, neceſse habet illam ſine fictione ducere in uxorem, quantum in ea eſt, ſi poteſt, vel dare virum ſibi convenientem, vel aliter ſatisfacere ſibi ſecundum teſtimonium.

Quid deceptor agere tenetur, ſi vere pœnitens ſit?

Quod ſi Sponſus ſit multo melioris conditionis, aut aliquod ſignum evidens fraudis fuit, quia præſumi probabiliter poteſt, quod ſponſa non fuerit decepta, ſed ſe decipi finxerit, non tenetur ad iſta. Sed ſi ſint æqualis conditionis, vel ſponſa melioris conditionis, tenetur facere, quod dictum eſt; & hoc, ut dicunt, in foro cauſsarum. In foro autem pœnitentiali dicunt referre, aut cognoſcat eam animo conſummandi Matrimonium, utendo ea, ut jam ſua, & tunc conſummatur Matrimonium, dum tamen illa ſimilem intentionem habeat, & ſi tranſiret ad alia vota, tenetur ad primam redire, etiam in foro cauſsarum; aut ut utatur ea, intentione fornicaria, vel ut ſua in futurum, non ut in præſenti, tunc in foro pœnitentiali non eſset judicandum Matrimonium conſummatum, & ſi tranſivit ad ſecunda vota per conſenſum de præſenti, non eſt ei conſulendum, quod revertatur ad primam. In foro autem cauſsarum judicabitur in hoc caſu, ut revertatur ad primam, cum qua Eccleſia præſumit Matrimonium fuiſse conſummatum, ex qua præſumptione generatur impedimentum ſequenti Matrimonio, & etiam quoad ingreſsum Religionis; Eccleſia enim nunquam judicat de occultis.

Quid ſi in tali caſu intercedat ſignum aliquod evidens fraudis, unde præſumi probabiliter poſſit, ſponſam non fuiſſe deceptam?

Diverſitas fori diverſitatem judicii inducit.

Et huic opinioni adhæremus, tanquam veriori, & alias judicavimus, & eſt conſilium, quod ille, qui judicare habet, conſideret, & ponderet omnes circumſtantias facti; nec curandum, an ſit melior fortuna alterius eorum: nam ubi utitur verbis conſuetis ad Matrimonium, & ſequitur carnalis

Cuinam opinioni hæc in re adhærendum? Facti circumſtantiæ omnes conſiderandæ, & ponderandæ.

carnalis copula animo fornicandi, contra hujuſmodi præſumptum matrimonium non admittitur probatio in contrarium. Quando autem non eſſet forma conſueta verborum, admitteretur probatio in contrarium ad probandum fraudem, licet difficile ſit eam probare; qua probata pronuntiabitur matrimonium nullum fuiſſe, & poſſet tranſire ad ſecunda vota, vel ad Religionem. Jus enim non negat, quod de fraude hujuſmodi conſtare non poſſit; qualiter autem conſtet, non videt, & ſi conſtiterit, tunc habeant locum, quæ dicta ſunt, ſcilicet verſu *Deceptor autem*. Utile autem fuiſſet jus ſpeciale contra hujuſmodi deceptores per Papam conſtitui, cum multæ mulieres remaneant ſic deceptæ.

Jus non negat, quod de fraude ejuſmodi conſtare non poſſit.

CAP. XXVI.

De proteſtatione coram pluribus ab aliquo facta, quod quidquid faciet, vel dicet, non faciet animo contrahendi.

SI quis autem coram pluribus proteſtatur, quod quidquid faciet, vel dicet, non faciet animo contrahendi, & poſtea dicat ibidem mulieri: *Conſentio in te*, ſi de hoc conſtet Judici, pro matrimonio judicabit, quia ad communem intelligentiam verborum eſt recurrendum, & contra ipſum, qui dolum adhibet, interpretatio facienda; quamvis enim probet proteſtationem prædictam, potuit tamen in inſtanti recedere voluntarie, & conſentire in illam, immo per actum contrarium proteſtationi receſſiſſe intelligitur.

Si conſtet deinde, quod mulieri dixerit, conſentio in te, judicandum pro matrimonio.

Si vero in præſentia plurium filiarum Ludovici dicat Titius: *Promitto vobis omnibus, quod unam ex vobis ducam in uxorem*, & omnes reſpondent: *Placet*, & poſtea unam ex eis carnaliter cognoſcit, quia ipſo facto in illam videtur conſentire, pro matrimonio eſt judicandum, & compellitur eam accipere.

Si quis in præſentia plurium mulierum dicat, promitto vobis omnibus, quod unam ex vobis in uxorem ducam, & unam poſtea ex his carnaliter cognoverit, ipſo facto in hanc videtur conſentire

CAP. XXVII.

Matrimonii cauſſæ tum primariæ, tum ſecundariæ.

CAuſſæ vero matrimonii ſunt duæ principales, ſcilicet ſuſceptio ſobolis educandæ ad cultum Dei, & vitatio fornicationis: cauſſæ ſecundariæ ſunt pulchritudo mulieris, divitiæ, & ſimilia.

Et licet propter iſtas cauſſas ſecundarias Matrimonium contractum fuit, non obſtante, quod cauſſę moventes ſint inhoneſtæ, & turpes, tamen Matrimonium, ex quo intenderunt, & per verba de præſenti, nihilominus valet; quo caſu licet poſſit ſine peccato, aut ſaltem cum peccato veniali; ſi tamen principalis cauſſa fuiſſet libido pulchritudinis incſſrænata, non excuſaretur a peccato mortali.

Valet Matrimonium contractum propter cauſas etiam ſecundarias, etſi cauſæ moventes fuerint turpes.

CAP. XXVIII.

Matrimonii effectus quinam ſint?

EFfectus Matrimonii eſt, quia filii inde nati ſunt legitimi, & naturales, & in poteſtate patris conſtituti, & in ſolidum Patri, & Matri ſuccedunt. Item quod ex quo tenuit matrimonium, quod tamen fuit per carnis copulam conſummatum, uſque ad mortem nullo tempore diſſolvetur, niſi ſolummodo, quo ad thori ſeparationem, ſi alter conjugum fornicetur, etiamſi alter fiat hæreticus, cæcus, ſurdus, mutus, vel furioſus, vel leproſus, vel aliud quantumcumque horrendum incurrat. Et ſcias, quod lepra ſolvit ſponſalia de futuro: matrimonium vero legitimum contractum, non. Immo tenetur alter alteri debitum reddere. Leproſus etiam contrahere poteſt, ſi reperiat aliquam, quæ ſecum contrahere velit.

Et nota, quod licet ſanus teneatur debitum reddere leproſo, non tamen tenetur cohabitare ei: non enim ita cito inficitur ex coitu, ſicut ex cohabitatione frequenti; ſufficit enim leproſo, quod uxor ita prope ſit, quod propter loci diſtantiam ſuo debito non fraudetur, & e contra. Filii quoque leproſorum cum ſano remaneant, ne inficientur, cum ſit morbus contagioſus. Et ideo prohibemus, ne dicti leproſi infra Civitatem, vel loca populata morentur, ſed extra. Alioquin Præceptores, Gubernatores eorum diſtincte puniantur.

Ad quid teneatur leproſi uxor?

CAP. XXIX.

De obligatione reddendi debitum.

ITem quod poſt carnis copulam vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, & e converſo: Unde fit, quod alter non poteſt invito altero vitam mutare, nec Religionem intrare, & debet alter alteri debitum reddere etiam invitus. Item alter conjugum ſi velit tota die, aut tota nocte eſſe in oratione privata, vel in Eccleſia, vel pro magna parte, non poteſt ſine conſenſu alterius. Secus de oratione ſolemni Miſſæ, & tempore a canonibus, & univerſali Eccleſia indicto, nam tunc orationi vacare licet, & debet: nam licet, nec propter generalem, nec propter ſpecialem orationem petenti negandum ſit debitum etiam in Paſcha, tamen primo reddat, & poſtea vadat ad Eccleſiam, & exequatur, quæ facienda ſunt ſecundum exigentiam diei. Quod ſi dicat Conjux: Nolo, quod intres Eccleſiam, vel vadas, vel audias Divinum Officium, ſicut multi in Civitate noſtra faciunt, & in pluribus aliis circumvicinis, non permittentes mulieres ire ad Eccleſiam, non cogitantes, ſi pejora poſſunt committere in domibus, quam

Omni tempore, & ſolemnitate, quis reddere debitum tenetur etiam in Paſchate. D. Th. in ſup. q. 95. art. 4.

His, qui non permittunt, mulieres ad Eccleſiam ire, non eſt obediendum.

quam in Eccleſiis, quæ ſunt domus orationis, in quibus nulla boni hominis cadere debet ſuſpicio; non eſt ei obediendum, cum Dominus præcipiat contrarium. Sufficit ergo, quod reddat primo debitum, nec in hoc peccat reddens.

Hæc tamen obligatio reddendi debitum non continuo urget poſt contractum matrimonium, ſed datur ſpatium ſolum duorũ menſium, ut urgeat, idque triplicem ob cauſſam.

Et notandùm, quod poſt matrimonium initiatum per verbum de præſenti conjux exactus non tenetur ſtatim reddere debitum, ſed dabitur ſaltem tempus duorum menſium propter tria. Ut interim poſſit deliberare de tranſeundo ad Religionem; ut praeparentur, quæ ſunt neceſſaria ad ſolemnitatem nuptiarum; ut ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiravit dilatam, quo tempore elapſo cogetur, ſi non fuerit ingreſſa Religionem, per excommunicationem ſatisfacere viro. Et hoc intelligimus per modum honeſtum, ſcilicet celebratis nuptiis, & compulſio fiet ad hunc finem; tempus vero prædictum dicimus currere, poſtquam Epiſcopus audita defenſione puellæ, quod velit Religionem intrare, præfixerit ei hoc tempus, & non ante. Per Epiſcopum etiam juſtis ex cauſſis hoc tempus poterit prorogari, & reſtringi, & hoc tempus datur ad probationem Religionis, ut aliud non habeat, non autem tempus deliberationis ſolum. Si tamen in hoc non conſenſerit relictus in ſæculo, expectabit intrantem Religionem per annum, quem Jus concedit ei ad deliberationem, quod Epiſcopus per privatum auferre non poteſt. Si tamen interim voluntarie, vel per violentiam maritus eam cognoſceret, dummodo fuerit ſponſa de præſenti, & ante profeſſionem, non poterit intrare, aut profiteri Religionem contradicente marito, cum matrimonium fuerit conſummatum, & tempus aſſignatum ex tunc nihil poteſt operari.

CAP. XXX.

Excommunicatio in eos, qui mulieres ante ſolemnitatem matrimonii transducunt, aut carnaliter cognoſcunt etiam in domibus propriis.

ET quia vidimus, experientiaque docuit propter querelas inde ſuſceptas, quamplures mulieres ante ſolemnitatem matrimonii fuiſſe transductas, & carnaliter cognitas etiam in domibus propriis ante transductionem contra honeſtatem, & communem juris canonici diſpoſitionem, quas ſequebatur tanquam de concubinatu infamia, cum de matrimonio quandoque apud omnes fides non haberet; ideo per noſtras provinciales conſtitutiones ordinavimus, & decrevimus, quod nullus de Civitate, Diœceſi, aut Provincia noſtris, aliquam, cum qua matrimonium, ut præmittitur, per verba contraxerit de præſenti, in domum ſuam transducere audeat, aut alibi cum ea ipſa matrimonium carnaliter conſummare præſumat, niſi prius in facie Eccleſiæ juxta canonicas ſanctiones matrimonium ſolemnizaverit cum eadem, aut ſine noſtra, vel noſtri Vicarii, Suffraganeorum noſtrorum, eorumque Vicariorum in eorum Diœceſibus licentia ſpeciali, ſub pœna excommunicationis præmiſſa omnibus, & ſingulis inhibendo, præcipiendo, & mandando.

Hujus excommunicationis, & conſtitutionis cauſa.

Quæ conſtitutio non ſine cauſa poſita eſt: nam ſecundum ſententiam Doctorum Theologiæ, & Canonici juris quicumque cognoſcit uxorem ante benedictionem nuptialem, aut omiſſis aliis ſolemnitatibus conſuetis in locis, ubi hoc ſervatur, & facit ſine juſta cauſa abſque diſpenſatione Eccleſiæ, peccat mortaliter. Et idem, ſi antequam eam transducat, quo tunc pœnitentia unius anni eſt ei in dicenda.

CAP. XXXI.

Conjugalis actus, & ſi permiſſus, aliquando tamen non conficitur ſine peccato.

LIcet autem conjugalis actus ſit permiſſus, aliquando tamen eſt cum peccato; ideo dicendum, quod matrimonio ſolemnizato, & ſervatis ſervandis ſecundum morem civitatis, vel regionis, aliquando commiſcentur conjuges cauſſa prolis ſuſcipiendæ, aliquando cauſſa reddendi debitum, aliquando cauſſa incontinentiæ, ſive vitandæ fornicationis, aliquando cauſſa exſaturandæ libidinis. In primo, & ſecundo caſu nullum eſt peccatum, in tertio eſt veniale, in quarto eſt mortale. Tertium tamen ſane intelligimus, ſcilicet, cum quis propter voluptatem commiſcetur conjugi, & illa voluptas ſiſtit infra limites matrimonii, videlicet, quod cum alia muliere hoc non faceret; aliter enim, ſi in ea quæreret delectationem, ut in meretrice, extendendo ultra fines matrimonii, ita quod, ſi non eſſet uxor, tamen idem faceret, tunc mortale eſſet.

Actus conjugalis cauſſa incontinentiæ, ſeu vitandæ fornicationis eſt peccatum veniale: cauſſa exaturandæ libidinis mortale: docet, & explicat ad mẽtem D. Th. in ſup. 3. p. q. 80. art. 6.

Peccat qui propter ſanitatem corporalem uxorem cognoſcit: eſt in littera D. Th. in ſup. 3. p. q. 80. art. 5. ad 4.

Sed nec propter ſanitatem corporalem cognoſcenda eſt uxor, immo eſt peccatum, quia quæreretur ſanitas per id, quod ad id non eſt ordinatum: ſicut, qui per Sacramentum Baptiſmi tantum ſanitatem corporalem quæreret. Et multominus alia, quam uxor, propter ſanitatem cognoſcenda, nec excuſaretur a mortali, qui hoc faceret: cum melius ſit omnia mala pati &c. Et turpis eſſet talis excuſatio, quam ſemel quidam Prælatus in tempore viſitationis a Nobis de concubinatu increpatus, coram Nobis propoſuit, & turpiter fuit repulſa, & non ſine pœna: cum hoc maxime in Prælato damnandum.

Turpis excuſatio cujuſdam Prælati tempore viſitationis.

dum. Etiam ſi dies Natalis Domini, Paraſceve, vel reliquæ feſtivitates advenerint, dies proceſſionum, & jejuniorum, qui propter elevationem mentis a carnalibus ad ſpiritualia inſtituti ſunt, & orationi deputati, non ſolum ab infelici concubinarum conſortio, ſed etiam a propriis uxoribus eſt abſtinendum; exactus autem reddere debet, nec enim Eccleſia redditionem prohibet, aut diſſuadet, ſed qui exigit aliqua infirmitate ductus, ſine ullo contemptu, vel irreverentia temporis, vel exhortationis Eccleſiæ, ſive cauſſa prolis, ſive cauſſa incontinentiæ, venialiter peccat; ſi cauſſa exſaturandæ libidinis, mortaliter peccat, ſed plus his diebus.

In ſolemnibus diebus abſtinendum ab uxoribus.

Reddendum tamen erit in his diebus debitum, ſi exigatur.

Caveant etiam conjuges a loco ſacro; nam in hoc honeſtas debita exigitur, ſicut nec oporteret, quod in loco publico redderetur. Locus enim ſacer pollueretur, ſed ſi alius locus haberi non poſſit, reddat exactus cum dolore cordis, & etiam ſi exigat, cum planctu, quod ſine uſu matrimonii eſſe non poteſt, non tamen mortaliter peccat. Si alius locus haberi poſſet, mortaliter peccaret.

Quæ honeſtas hac in re attendi debet?

Tempore imprægnationis, ſi ſine periculo abortus fieri poſſit, & poteſt debitum a gravida reddi, & etiam exigi ſine mortali peccato, alias non.

De tempore, quo mulier uterum fert.

CAP. XXXII.

De tempore purificationis, & menſtruorum.

Tempore purificationis poſt partum de honeſtate, & conſilio abſtinendum, cum multa pericula ſequi poſſint, quæ exprimenda expertis relinquimus, ſalvo ſi timeretur de fornicatione.

Et quia opinio fallax in his potiſſime regnat partibus, nota, quod ſi mulieres poſt partum intrare volunt Eccleſiam ad agendum gratias Deo, non peccant, nec ſunt prohibendæ. Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abſtinere, devotio earum non eſt reprobanda.

Sane tempore menſtruorum, quod revelare tenetur uxor viro, abſtinendum eſſe dicimus, licet exigere ſit in voluntate conjugis, reddere de neceſſitate juris. Nam ſi paſſio naturalis ſic determinato tempore contingens, quia tunc concipi poſſunt, & concipi conſueverunt fœtus membri damnati, leproſi, & hujus ſimiles, nec licet exigere, nec licet reddere. Si paſſio ſit innaturalis, tunc ſaltem licet reddere. Nos tamen ſequendo quorumdam opinionem diceremus, & conſuleremus, nec reddendum, nec exigendum. Si tamen fieret, forſan a veniali peccato non eſſent excuſati. In foro autem pœnitentiali non eſt præcipitanda ſententia, nec deneganda abſolutio, ſi nolit conjugatus tempore menſtruorum continere. Sed via tutior eſt conſulenda, terror incutiendus ex periculo, ut prædiximus.

Tempus menſtruorum uxor viro revelare tenetur.

Caveant etiam viri, ne uxores cognoſcant modo non conſueto: nam dato, quod in vaſe naturali fieret, tamen ſi cauſſa ſolius voluptatis, quam ſic amplius quærerent, non excuſarentur a mortali. Si tamen ex alia neceſſitate, vel vitandi periculi cauſſa (licet longe tutius eſſet abſtinere, ſed habere, ut ſororem) non peccarent mortaliter. Hæc autem ex cauſſa, & propter eorum fœditatem omittimus declarare. Et præmiſſa omnia poſuimus, ut ſit doctrina erga pœnitentias audientes, ſuumque populum informantes; cum multa de his, & pejora, ac turpiora audiverimus.

Uxores non cognoſcēdę modo non conſueto

Uxor autem propter individuitatem vitæ virum ſequi tenetur quocumque jerit, ut vitetur periculum fornicationis, etiamſi ſit leproſus, cui, ut dictum eſt, debitum negare non debet.

Uxor virum tenetur ſequi, quocumque jerit.

CAP. XXXIII.

Tria Matrimonii bona, Fides, Proles, & Sacramentum.

Porro bona Matrimonii ſunt tria principalia, ſcilicet Fides, Proles, & Sacramentum.

Fides, ut ſe invicem diligant, & debitum reddant, ſeipſos fideliter, & incorrupte cuſtodiant, ne ſe alicui alii exponant, ne conjugi petenti debitum ſe defendat, & ſubtrahat, ne eidem aliquod peccatum ſuggerat, ſed animam ei, & corpus, & res fideliter cuſtodiat, & animam a Purgatorio eripiat, & conſilium, & auxilium juſtum præbeat.

In quo conſiſtat fides, explicatur juxta mētem D. Th. in ſup. 3. p. q. 49. art. 2.

Proles, ne conceptus impediatur, ut gratanter ſuſcipiatur, ideſt ſive ſit filius, ſive ſit filia, agat inde gratias Creatori, nec murmuret etiam præ nimia paupertate, ſicut quoſdam habuimus in pœnitentia propter nimios filios procurantes abortum, & ventrem ſtringentes, & concutientes. Item, ut ſtatim baptizetur, ut diximus ſupra in materia baptiſmi, ut diligenter amentur, & caute, fideliter, ac religioſe nutriantur in prima tenera ætate etiam, ſi lac habuerit, cum propriis mammis exemplo Beatæ Virginis, quæ puerum Jeſum propriis lactavit uberibus; infantiam corrigendo; *Pater noſter*, *Ave Maria*, & Symbolum edocendo, & ad Eccleſias, & prædicationes ducendo; ſi malum fecerit, dolendo, & caſtigando, ſi Religionem intraverit, vel aliud bonum fecerit, congaudendo. Sed hoc peſſime obſervari vidimus, & audivimus, & propterea multos irreverentes parentibus vidimus, & multas puellas male nutritas, & forſan ad turpia deſcendentes.

Quid Proles importet?

Sacramentum, & conjugium non ſeparetur,

Quid Sacramentum?

retur, licet enim ſeparatio corporalis fiat interdum cauſſa fornicationis, vel ex communi conſenſu cauſſa orationis, vel religionis; Sacramentalis tamen ſeparatio non poteſt fieri, niſi cum deſinit eſſe vinculum Matrimonii, puta per ingreſſum Religionis ante carnalem copulam, & poſt per mortem utriuſque, vel alterius, ut ſuperius diximus.

CAP. XXXIV.

De Matrimonii impedimentis.

Impedimenta, quæ matrimonium impediunt contrahendum, & dirimunt jam contractum.

IMpediunt autem Matrimonium contrahendum, & dirimunt jam contractum ea, quæ in verſibus continentur, latiuſque pro ignorantibus declarabitur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

De errore perſonæ.

Error, ſcilicet perſonæ, ut ſi contraho cum Meula, credens contrahere cum Ciocha; unde nullum eſt Matrimonium. Hoc autem impedimentum non ex conſtitutione Eccleſiæ, ſed potius ex ſui natura procedit. Errans enim non conſentit, & ſolus conſenſus Matrimonium facit. Sed ad hoc, ut iſte error tolerabilis ſit, neceſſe eſt, quod is, qui errat, habeat aliquam notitiam perſonæ, cum qua contrahere intendit, aut per viſum, aut per auditum, aut per famam, quia in penitus ignotam, non affectum, non conſenſum dirigere poſſumus.

Error fortunæ, vel qualitatis non impedit, quia nõ excludit conſenſum.

Error autem fortunæ, vel qualitatis, ut ſi mulier nubat pauperi, quem credit divitem, vel ſi quis contrahat cum meretrice, vel corrupta, quam credit caſtam, vel virginem, iſta non excludunt conſenſum, nec impediunt, quia ſunt circa accidentalia matrimonio. Quod ſi Joannes dicat, ſe eſſe Petrum, qui Petrus mortuus eſt, non eſt matrimonium. Quod ſi aliqua ſcit aliquem habere multos filios, quorum tamen nullus notus eſt ei, & unus illorum mentitur ſe eſſe primogenitum, & iſta conſentit in eum propter ſpem ſucceſſionis bonorum paternorum, quia non eſt error perſonæ, ſed fortunæ, ſive relationis, ſcilicet primogenituræ, non impeditur propterea matrimonium.

CAP. XXXV.

De impedimento conditionis.

COnditio, ut ſi contraham cum ſerva, credens contrahere cum libera, quod impedimentum introductum eſt ab Eccleſia in favorem libertatis, ne aliquis ſine culpa lædatur læſione gravi. Et præmiſſa vera ſunt, niſi ſcienter cum tali contraheretur, quia tunc tenet matrimonium. Et idem, ſi poſtquam cognovit

Hoc impedimentum introductum eſt ab Eccleſia in favorem libertatis

ejus conditionem eſſe talem, conſentit in eam verbo, vel facto, ſcilicet per carnalem copulam.

Nati filii ſequuntur conditionem Matris.

Et nota, quod hoc caſu nati filii ex talibus ſequuntur conditionem Matris: adeo quod ſufficit Matrem fuiſſe liberam, vel tempore conceptus, vel tempore partus, dum laborabat, vel medio tempore. De ſpeciali autem conſuetudine aliquarum terrarum ſemper ſequuntur conditionem Patris, ſicut in honoribus, muneribus, & municipiis, licet conſuetudo aliarum terrarum habeat, quod ſequantur deteriorem conditionem. Et quia iſta non habentur multum in uſu harum partium omitto etiam alia, quæ poſſent addi.

CAP. XXXVI.

De impedimento Voti.

VOtum, ut ſi poſt votum ſolemne contraham. Sed pro hujuſmodi materia melius intelligenda aliqua utilia interſeramus, potiſſime, quod alibi locus non habetur in hoc opere, quæ pro medicis animarum, & maxime Epiſcopis, qui Judices conſtituti ſunt, ut intelligant, quid perſcrutandum fuerit in foro utroque & judicandum, neceſſaria æſtimavimus, cum ſint quotidiana, & reperiantur aliqui illitterati, & minus ſapientes. Et ad evidentiam ponemus diffinitionem voti, rejectis aliis, quia magis placet.

Quid ſit votum?

Votum eſt alicujus boni cum deliberatione Deo facta promiſſio. Et hoc pro tanto dicitur, quod ſi fieret de re mala, prout a multis in pœnitentia audivimus, nec propter exemplum declaramus, vel etiam de bona, ſed ſine deliberatione, non obligat. Nam ſecundum Iſidorum *In malis promiſſis reſcinde fidem; in turpi voto muta decretum.*

Voti definitio extenditur etiā ad vota, quæ ſunt ſanctis.

Et hanc definitionem extendimus ad vota, quæ fiunt Sanctis, quia fiunt eis propter Deum, & ut ipſi apud Deum interceſſores exiſtant. Et attende, quod in voto requiritur deliberatio, propoſitum voluntatis, promiſſio, in qua votum perficitur, oris pronunciatio, quæ fit ad voti confirmationem, teſtimonium aliorum. Unde ſolum propoſitum non obligaret: nam etſi mulieres in partu, vel infirmitate, aut quacumque in anguſtia conſtituti habuerint intentionem obligandi ſe Deo, cogitantes de cauſſa, quæ movebat eos ad vovendum, ſcilicet de infirmitate, vel alio periculo, & de fine, ſcilicet de evaſione periculi, propter quod evitandum vovebant, voto obligati ſunt; licet in tribulatione, & tali perturbatione vota ſint emiſſa.

Ad votum plura requiri dicitur cum D. Th. 2.2.q.88.art.p.o.

Unde quia multi in votis emittendis fatuizant, ſicut experientia docuit, licet pro-

promiſſio de eo, quod neceſſarium eſt ad ſalutem, votum dici poſſit communiter loquendo, in quantum voluntarie fit, non tamen proprie dicitur votum: Nam votum proprie dictum tantum eſt de meliori bono, ideſt de eo, ad quod quis alias non tenebatur. Non ergo, ut diximus, poteſt fieri de malo, nec debet fieri de indifferenti, ſed tantum de bono, quod pertinet ad actum virtutis. Et quod in aliquo eventu eſt bonum, in aliquo malum, non obligat, niſi pro eventu bono. Et tale votum indiſcretum dici poteſt propter ſui indeterminationem, licet quoad emiſſionem voti ſit aliquid laudabile, ſcilicet devotio, & fides; tamen indeterminatio voti indiſcreta, & ubi ſequeretur executio in malum eventum, ipſum factum crudele eſt, & talis implendo non excuſaretur a peccato. Quare caveant omnes voventes circa diſcretionem habendam: Nam multos utriuſque ſexus audivimus, & comperimus potiſſime in viſitatione oberrantes, & indiſcretos, ac multa mala commiſiſſe, quorum declarationem omittimus, ne poſſint malum exemplum operari.

Votum proprie dictum tantum eſt de meliori bono. D. Th. 22. q. 88. art. 20.

Votum non poteſt fieri de malo, nec de indifferenti.

Diſcretio à voventibus habenda.

Dicimus etiam, quod maceratio corporis, vel abſtinentia ex voto promiſſa, implenda eſt rationabiliter, ita ut natura non nimis gravetur.

Maceratio corporis ex voto promiſſa implenda quidem eſt, ſed rationabiliter.

Conſilium hac in re.

Conſulendo, ut quia in iis, quæ ad ſe ipſum voventem pertinent, de facili homo fallitur in judicando, talia vota congruentius * ſunt arbitrium Superioris ſunt vel ſervanda, vel permittenda, ſi ejus copia haberi poſſit. Si tamen haberi non poſſet, tunc ut per ſe quis dimittere poſſit votum, vel Superior poſſit diſpenſare, ſufficiens cauſſa periculi eſt advertenda, ſicut paupertas, ut ſi voverit non comedere carnes, & cum mendicat, non dantur ſibi, niſi carnes, vel ea, quæ ſunt cum carnibus cocta, quæ ſi non comederet, inedia conſumeretur. Idem de infirmitate, ut ſi vovit non comedere hoc, aut illud, & poſt debilitatur, niſi comedat, his caſibus, & ſimilibus votum auctoritate Superioris frangi, vel commutari poteſt, vel per ſe ipſum, ubi Superior haberi non poſset, & ſine peccato.

Forſan * ſecundum.

CAP. XXXVII.

De votis quibuſdam ſtultis, vel fatuis.

Vota etiam hujuſmodi ſtulta, vel fatua, quæ potiſſime a mulieribus fiunt, & quibuſdam fatuis hominibus, de non pectinando caput * in Sabbato, vel lavando, & ſimilia, quia potius deridenda ſunt, etiamſi pro honore Sanctorum fiant, ſervanda non ſunt, quia ſimilitudinem quamdam habent cum idololatria.

Forſan * niſi.

Sed utinam cives noſtri capita ſua diebus Sabbatinis non lavarent omnibus aliis diebus omiſſis: nam ſi feſtum magnum, aut ſolemne occurrat in Sabbato, propterea capita ſua lavare non ceſſant; immo indiſcrete tunc lavant; ſed an peccent, non advertunt, & obſervatio illius diei non caret, ut putamus, ſcrupulo alterius idololatriæ, ſecundum quam obſervantur dies, & menſes; & ideo melius facerent ipſi, & alii convicini, & comprovinciales abſtinendo a talibus, & alium diem pro voto eligendo non feſtivum, quia, ut dicit Hieronymus; *cum infidelibus etiam nec nomina debemus habere communia*: & hæc etiam extendimus ad noviter converſos ad fidem, & eos, qui Chriſtiani novelli nuncupantur, ne et ipſi aliquid de ritu Judæorum præſumant obſervare, etiam circa eſum carnium porcinarum, & alia, de quibus quandoque contra eos murmurari audivimus, & pœna dignos, ſi verum reperiretur, judicamus, & tanquam contra ſchiſmaticos procedendum.

Perſtringitur quidam abuſus lavandi caput diebus Sabbatinis.

Cum infidelibus etiam nec nomina debemus habere cõmunia.

CAP. XXXVIII.

Votum licitum licet ſemper obliget; ſunt tamen quidam caſus, in quibus ceſſat obligatio voti.

Votum licitum ſemper obligat; quidquid autem votum faciendum impediret, ſi præſens eſſet, etiam voto facto, non obligat. Unde ſi aliquid poſſibile, cum vovetur, fiat poſtea impoſſibile, tollitur quoad hoc obligatio. Ut ſi quis dives voverit ædificare Eccleſiam, & paupertate ſuperveniente perficere non poſſet, excuſatus eſt a toto, ſi omnino impotens factus eſt; alias ad id, quod poteſt, & non ad aliud remanet obligatus; nam quantum poteſt, quilibet operam dare debet, ut votum impleat, etiamſi Religionem intrare voluerit, ut recipiatur: Cave tamen, quia ſi principaliter intendebat ad Religionis ingreſſum ſe obligare, ſed ex conſequenti elegit unam Religionem, vel unum locum, quaſi ſibi magis congruentem, tenetur, ſi non poteſt ibi recipi, aliam Religionem, vel alium locum intrare. Alias ſi illi, quos elegit, nolunt eum recipere, non tenetur.

Si quis vero ex culpa propria incidit in impoſſibilitatem votum implendi, tenetur facere quod poteſt, & de culpa præterita pœnitentiam agere.

Quid agendum, ſi quis ex culpa propria contrahat impoſſibilitatem implendi votum?

Et ubi quis dubitat de intentione, quam habuit, tutiorem viam tunc ſibi eligat, quia bonarum mentium hoc eſt proprium.

Quid agendum, ſi quis dubitet de intentione, quam habuit?

Si quis duo vota emiſit temporalia, quorum utrumque eſt alteri compoſſibile, debet utrumque ſervare, niſi auctoritate Superioris votum præcedens in melius ſequens commutaverit. Si autem ſecundum votum ſit omnino incompoſſibile

Quid, ſi quis duo emiſit vota temporalia incompoſſibilia?

ſibile primo, debet ſervare majus, & de minori ſecundum arbitrium Prælati ſatisfacere.

CAP. XXXIX.

Quæ perſonæ vovere non poſſint?

ET ad declarationem materiæ notandum, quæ perſonæ vovere non poſſunt, & dicendum, quod ſunt aliquæ, quæ quoad votum emittendum non habent liberam poteſtatem; nullus enim poteſt ſe firmiter obligare, niſi ad ea, quæ ſunt in poteſtate ſua, & non in poteſtate alterius; nam quantum ad id, in quo eſt ſubjectus ei, non eſt ſuæ poteſtatis facere, quod vult, ſed dependet ex voluntate alterius. Sicut Epiſcopus, qui non poteſt aliquod votum emmittere, per quod diſſolvatur vinculum matrimonii, quod eſt inter ipſum & Eccleſiam ſuam ſponſam, ſine licentia Papæ; ſed nec aliud, per quod grave præjudicium fieret ſponſæ ſuæ Eccleſiæ. Sed nec votum peregrinationis, per quod diu oporteret ab Eccleſia ſua abſentare; ſed ſi non diu, tunc ſufficeret licentia Archiepiſcopi: quodlibet autem votum abſtinentiæ, eleemoſynæ, temperantiæ, vel aliud, per quod bonum exemplum ſubditis præbeatur, quia ad hoc tenetur, emittere poteſt.

Quæ voti Epiſcopus non poteſt emittere?

Clericus quoque votum peregrinationis longinquæ, vel aliud, per quod oportet eum dimittere Eccleſiam ſuam, ſine licentia ſui Epiſcopi emittere non poteſt.

Quæ vota non poteſt Clericus emittere?

Vota autem alia caſtitatis, abſtinentiæ, & ſimilia poteſt per ſe facere. Vovens autem Religionem intrare, ſufficit licentiam petere.

Quæ poteſt emittere?

De conſuetudine autem Clerici non beneficiati in voto peregrinationis non tenentur licentiam petere, ſicut beneficiati, quos etiam pro modica peregrinatione, vel abſentia licentiam petere non adſtringimus. Sicut in declarationibus, per Nos dudum paulo poſt viſitationem Eccleſiæ Lucerinæ noſtræ Suffraganeæ, inter Epiſcopum & Canonicos orta materia quæſtionis, ſub Bulla noſtra factis, continetur.

Clerici non beneficiati in voto peregrinationis de conſuetudine non tenentur licentiam petere, ut fuit declaratum poſt Lucerinam viſitationem.

CAP. XL.

De votis a Religioſo emittendis, vel emiſſis.

REligioſus vero, cujuſcumque Religionis exiſtat, quia ſecundum profeſſionem regulæ, quantum ad ſuas operationes ſubjectus eſt ſuo Prælato, & nullum tempus exceptum eſt, in quo Prælatus non poſſit eum circa aliquid occupare, niſi de licentia Prælati vovere non poteſt. Et ſi fecerit, exequi non debet, ſine licentia Prælati, ne ſuper eum fratres ſcandalizentur, vel ne detur occaſio evagandi.

Votum a Religioſo emiſſum ſine ſui Prælati licentia non eſt firmum. loquitur cum D. Th. 2. 2. q. 86. art. 8. ad 3.

Votum tamen Religionis ſtrictioris, ad quam tranſire voluerit non ex levitate, vel ex temeritate in jacturam ſui ordinis, ſed ex charitate, & inſpiratione divina, ſi emiſerit, debet humiliter a ſuo Prælato licentiam poſtulare, & ipſa petita, ſive conceſſa fuerit, ſive non, poterit obſervare.

De voto Religionis ſtrictioris a Religioſo emiſſo.

Si tamen vovetur dicere unum Pſalterium, vel aliquam aliam orationem, vel pœnitentiam, ubi nihil mali poteſt contingere, ſervare tenetur.

Religioſus ſervare tenetur vota, in quibus nihil mali poteſt contingere.

CAP. XLI.

De votis ab impubere emiſſis.

IMpuberes abſque patris, aut tutoris auctoritate non habent auctoritatem ſe voto obligandi; & intelligendi ſunt impuberes maſculi uſque ad quatuordecim annos, & feminæ uſque ad duodecim completos. Cum enim ante pubertatem nondum habeat, ſeu habere præſumatur uſum rationis, nullo modo ſe poteſt ad aliquid voto obligare. Si tamen ante annum pubertatis attigerit uſum rationis, quantum in ipſo eſt, poteſt obligari, ſed per parentes, vel eos, quorum curæ remaneat adhuc ſubjectus, & poteſtati, tale votum irritari poteſt.

Vota impuberum emiſſa a parentibus irritari poſſunt: D. Th. 2. 2. q. 88. art. 6.

Quantumcumque tamen ſit doli capax, ante annos pubertatis non obligatur voto ſolemni Religionis propter ſtatutum Eccleſiæ, quæ reſpexit id, quod in pluribus accidit, licet poſt annos pubertatis poſſit voto ſolemni, vel non ſolemni Religionis ſe obligare ſine voluntate eorum, quorum voluntati ſubjectus eſt.

Votum ſolemne Religionis non obligat ante annos pubertatis, etiam ſi vovens ſit doli capax. loquitur cum D. Th. 2. 2. q. 88. art. 9.

Credimus tamen, quod ſi impubes doli capax votum abſtinentiæ, vel peregrinationis, vel aliud fecerit, debet illud adimplere, ſaltem poſtquam primam poteſtatem, vel aliam exiverit. Sicut enim diabolo potuit obligari, multo fortius Deo: cum talibus tamen facile diſpenſandum eſt, vel commutandum; & multos tales habuimus, cum quibus diſpenſavimus, eorum facilitate, & imbecillitate inſpecta; non enim multa cognoſcunt, cum ſint inexperti.

Quid facere debeat impubes, qui doli capax votum emiſit, poſtquam factus eſt ſui juris?

Conſulimus etiam, quod ſi quis impubes doli capax Religionem intraſſet, non exeat, vel ſi exiverit, redeat, niſi duxiſſet uxorem. Sed propter hujuſmodi conſilium ſupradicta non revocamus, & dicimus, quod ſi votum in minori ætate ratum haberetur, obligat tunc, & tenetur implere.

Votum in minori ætate emiſſum, ſi in majori ratum habeatur, tunc obligat.

Et notandum, quod quicumque alteri poteſtati ſubjecti, ſi votum ad mandatum illorum, quorum ſubſunt voluntati, fuerit ſemel revocatum, ipſis tamen mortuis, implere non tenentur, cum obligatio fuerit ſemel per revocationem extincta: Sed nec peccant tales revocando, cum eorum

jure, & juris beneficio, quo hoc poſſunt, utantur: nec peccant voventes poſt revocationem eorum factam a Superioribus, non implendo; in tali enim voto, tacita intelligitur conditio, ſcilicet, ſi ſuis Superioribus placuerit, vel ſi non remittantur: & hoc extendimus etiam, ſi tale votum, vel promiſſio fuerit juramento firmata.

Obligatio ſemel per revocationem extincta non reviviſcit.

Filius familias pubes votum Religionis emittere poteſt; aliud autem votum, per quod graviter præjudicaretur patriæ poteſtati, & pater inde ſcandalizaretur, non debet invito patre obſervare, cum jus patriæ poteſtatis fortiſſimum ſit. Sed nec votum peregrinationis ultramarinæ, & alterius peregrinationis neceſſariæ, & inevitabilis. Sicut ſi a canone excommunicatus haberet pro abſolutione ad Sedem Apoſtolicam ire. In his autem votis ſufficeret ſcientia patris, dummodo non contradicat; nam tunc conſentire tacite intelligitur.

Quæ vota poſſit, aut debeat filius familias pubes emittere?

CAP. XLII.

De votis ab uxoribus emiſſis.

UXores autem, ut veniamus ad noſtrum propoſitum principii hujuſmodi materiæ, vota facta abſtinentiæ, vel peregrinationis, vel continentiæ, vel aliquid aliud non debent frangere; viri tamen earum poſſunt ea irritare, etiamſi ante contractum matrimonium emiſerant, & nondum contracto matrimonio compleverant. Et etiamſi de conſenſu emiſſa eſſent hujuſmodi vota, ſi poſtea vir prohibeat, tenetur ei obedire. Caveat tamen vir, quia hoc caſu non excuſatur a peccato, licet uxor excuſetur, ut ſuperius in aliis generaliter diximus.

Et advertendum circa hoc, quod vir illa ſola vota uxoris abſtinentiæ revocare poteſt, quæ ipſa implere non poteſt ſine ſcandalo viri, ut de jejuniis, de ſurgendo ad matutinas, de jacendo de nocte in camiſia, & ſimilia alia; * *aut* quæ poteſt implere ſine ſcandalo viri, revocare non poteſt, nec uxor tenetur ei obedire in revocatione, ut ſi noverit, quod daret aliquid de proprio, ubi haberet bona ſeparata a dote, quæ parafrænalia dicuntur; vel ſi vovit aliquod genus orationis, quod diceretur ſingulis noctibus, vel quod de cetero non exiget debitum, vel quod non conſentiet adulterio.

Quæ vota ab uxore emiſſa revocare vir poſſit, quæ ſecus?

*Alias * at.*

Juramentum autem ab uxore præſtitum ſuper abſtinentia vir irritare poteſt; alia vero non: nam ſi ante matrimonium contractum obligavit ſe mulier alicui cum juramento, vir ejus non poſſet poſt contractum matrimonium; ſi uxor juraret aliquid alicui, quod poſſet ipſa facere contradicente marito, non poſſet maritus tale juramentum irritare, alias ſic.

Quid poſſit vir ſuper juramenta ab uxore præſtita?

Et ut plus hanc materiam declarando extendamus, dicimus, quod in votis continentiæ non judicantur ad imparia vir, & uxor. In votis vero abſtinentiæ, cum vir ſit caput mulieris poteſt talia facere vota, etiam invita uxore, niſi fieret per tale votum præjudicium uxori in debito ſibi reddendo.

Diſcrimen hac in re inter vota continentiæ, & vota abſtinentiæ.

In votis vero peregrinationis neuter conjugum poteſt altero invito facere, ſalvo voto Jeroſolymitano, quod propter favorem fidei Chriſtianæ, ac Terræ Sanctæ vir poſſet facere ſine licentia uxoris, & libere adimplere; uxor tamen, ut conſentiat, eſt hactenus admonenda, quod ſi nolit remanere, virum ſequatur. Uxor vero licet votum ultramarinum facere poſſit, & invito viro; tamen ſi ſit juvenis nimis, vel ſuſpecta, aut infamata, non exequetur invito viro perſonaliter, ſed votum redimat. Si tamen ſit vetus, quæ multum proceſſit in diebus ſuis, & matrona bonæ famæ, tunc vadat, nec votum redimat, ſi talis eſt mulier, quæ multos ſecum poſſit ducere bellatores, quia tunc videtur eadem ratio de viro, & de muliere.

In votis peregrinationis quid ſervandum?

CAP. XLIII.

Diſtinctio inter votum ſolemne, & non ſolemne, inter conditionale, & purum, ſeu abſolutum.

REvertendo autem ad materiam noſtram, diſtinguendum eſt de votis, quia aliud ſolemne, aliud non ſolemne, & iſtorum aliud conditionale, vel determinatum, aliud purum, & abſolutum.

Votum ſolemne eſt, quando poſt votum ſequitur ſolemnitas, quod poteſt fieri duobus modis ſecundum communem opinionem, ſcilicet per ſuſceptionem ſacri ordinis, & per profeſſionem ad certam regulam, videlicet in manu ejus, qui poteſt hanc profeſſionem recipere. Et in his duobus modis dirimitur matrimonium poſt votum contractum. Et idem dicimus ſi qua mulier, virgo, vel vidua velum virginitatis, vel viduitatis, & veſtem religioſam aſſumpſit, & in ſcriptis à ſe, vel alio factis, & ſubſignatis promiſit perpetuo continentiam ſervaturam. Et idem credimus, ſi ſine litteris in manu alicujus Religioſæ perſonæ fecerit votum, & veſtem mutaverit, vel alias apparentes ſolemnitates fecerit, etiamſi in privato fecerit; & idem in ſæculo remanendo fecerit votum caſtitatis ſolemne, conſentiendo de præſenti in perpetuam continentiam obſervandam, tradendo ſe in voti obſervantiam in manu publicæ perſonæ, transferendo in eum loco Chriſti quoad hoc poteſtatem, & vim corporis ſui, & animi, eadem perſona publica approbante, & recipiente hujuſmodi traditionem. Nam ſic conſummatur matrimonium

Quid ſit votum ſolemne?

Votum ſolemne dirimit matrimonium poſt votum contractum. D. Th. in ſup. 3. p. q. 84. art. 3.

monium ſpirituale cum Deo, quantum poteſt fieri in hoc ſæculo. Et intelligimus perſonam publicam Epiſcopum, vel eum, qui vices ejus gerit, aut alium, qui conſueviſſet hujuſmodi vota recipere.

Et dirimit etiã, ubi eſt profeſſio præſumpta.

Et idem ubi eſt profeſſio præſumpta, puta ſumendo habitum in Monaſterio, qui datur profitentibus, vel ſi non ſit habitus diſtinctus profeſſorum, & novitiorum, ipſe tamen in choro, Eccleſia, menſa, & aliis locis facit, ut profeſſus, quibus caſibus etiam juramento ſuo non crederetur, ſi vellet jurare, ſe non feciſſe animo profitendi. Et de hoc ſemel interrogati conſuluimus in perſonam cujuſdam Monialis volentis, quaſi retro reſpicientis ad carnalia, & temporalia, ad matrimonium, ſuis parentibus bene nobilibus mortuis, pertranſire; licet levitate ducta, & propter hæreditatem opulentam de ipſo conſilio non me curaverit, in vanum animam accipiendo.

CAP. XLIV.

Quibus ſignis, aut indiciis conſtare poſſit profeſſio dirimens matrimonium jam contractũ.

ET idem dicimus, cum per annum ſtat in Religione ſine reclamatione, aut cum apparerent alia ſigna evidentia, puta quia quando ingreditur, renuntiat ſæculo, vel facit teſtamentum, ac ſi mori deberet, & transfert omnia bona ſua in hæredes, & legatarios, & in pias cauſſas, & mutat habitum, quibus caſibus, & alias, ubi conſtare poteſt de mutatione vitæ, matrimonium dirimitur jam contractum, & habentur iſta pro profeſſione tacita, ut ſupra diximus.

Et hæc declaratio novi juris propter varias Doctorum opiniones, quod votum ſolemnizatum per ſuſceptionem ſacri ordinis, aut per profeſſionem expreſſam, vel tacitam factam alicui de Religionibus approbatis per Sedem Apoſtolicam, matrimonium poſt contractum dirimit. Reliqua vero vota, quamvis impediant matrimonium contrahendum, & quanto manifeſtius ſunt emiſſa, tanto propter plurium ſcandalum, & exemplum durior pœnitentia tranſgreſſoribus debeatur, non tamen reſcindere poſſunt matrimonia poſt contracta.

Reliqua vota impediunt Matrimonium contrahendum.

Quando emitti poſſit, aut debeat profeſſio?

Et notandum, quod ante annum profeſſionis elapſum fieri non debet in Ordinibus Mendicantium, immo a jure prohibetur. In aliis vero Religionibus profeſſio expreſſa, vel tacita fieri poteſt ante annum. Sed expreſſe emiſſa illi Religioni præciſe obligat, quam profitens eſt profeſſus, etiam ſæculari habitu non mutato. Profeſſio vero tacite facta infra probationis annum per ſuſceptionem habitus, qui profitentibus tantum datur, non illi ſpecialiter, cujus habitus eſt ſuſceptus; ſed generaliter Religioni alicui recipienti obligat, ſi aptæ ætatis ſit, & ſi ſciens, & voluntarius, ac triduo perſeveret: & ſic intelligantur ſuperius ſpecifice declarata.

Cui Religioni obliget profeſſio expreſſe facta, cui tacite facta?

CAP. XLV.

De voto non ſolemni, & conditionali.

Quale ſit votum ſimplex?

VOtum non ſolemne, ſive ſimplex eſt, quod ſimpliciter nulla ſolemnitate adhibita emittitur, ut cum dicitur: voveo continentiam, volo eſſe Monachus, & ſimilia, & non plus procedit. Et hujuſmodi vota apud Deum non minus obligant, quam ſolemne, quia utriuſque tranſgreſſor mortaliter peccat; gravius tamen peccat, & gravior pœnitentia imponenda frangenti votum ſolemne.

Quale ſit votum conditionatum?

Votum conditionale, vel determinatum eſt, cum dicit: voveo peregrinationem, ſi Dominus dederit mihi ſanitatem, vel uſque ad annum, & ſimilia, & iſtud non tenetur quis exequi, niſi extante conditione, vel die determinato, maxime ubi tota obligatio ponebatur in eventu conditionis. Aliter, ſi alias fuerit cum cauſſa, vel etiam ſi votum fecerit ob cauſſam, & publice, cauſſa non expreſſa; ſed votum tunc propter cauſſam, vel conſcientiam, & propter tollendum ſcandalum tenetur implere. Et idem ſi ſub duabus conditionibus, vel pluribus etiam cauſſis, & ex qualibet intelligitur obligatus.

CAP. XLVI.

De voto puro, & abſoluto.

VOtum purum, & abſolutum eſt, cum ſine conditione, ſine determinatione quis emittit votum abſtinentiæ, continentiæ, vel peregrinationis, vel ſimile; Et iſtud tenetur exequi ſtatim, cum poteſt, niſi in vovendo aliud in mente habuerit. Dabitur etiam tempus ad arbitrium boni viri ad diſponendum de rebus ſuis. Et in hoc multos vidimus, & audivimus maxime mulieres leves, ad vovendum leviores, non attendentes, quod ſcribitur. Deut. cap. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus tuus. Et ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Unde conſulimus in quocumque voto non adhiberi moram, quæ poteſt eſſe nociva. Nam qui probabiliter timet perpetuum impedimentum, tenetur ulterius votum non differre rationabiliter factum.

Vovens tenetur exequi, cum poteſt.

Votum ſimplex dirimit ſponſalia, quia ceteris paribus fortius eſt voti vinculum, quam matrimonii, quantum ad id, cui, & ad quod ligat. In ſponſalibus utrobique tantum eſt promiſſio, & non traditio; & ideo votum, tanquam fortius ſervandum; etiam ſi poſtea juravit uxorem ducere; & pro temerario juramento pœnitentiam agat.

Votum ſimplex dirimit ſponſalia, quia ceteris paribus fortius eſt voti vinculum, quam matrimonii. Loquitur cum D. Th. in ſup. 3. p. q. 84. art. 2. ad 1.

Sed

Si poſt votum ſimplex contrahatur matrimonium per verba de præſenti, non poteſt cognoſcere uxorem ſuam ſine peccato mortali. hoc dicit cum D. Th. in ſup. 3. p. q. 84. art. 1. ad 3.

Sed ſi poſt votum ſimplex, contrahat matrimonium per verba de præſenti, non poteſt cognoſcere uxorem carnaliter ſine peccato mortali, quia adhuc poteſt Religionem intrare. Poſt matrimonium vero conſummatum, jam factum eſt ei illicitum non reddere. Unde licet exigere non debeat, tamen reddere debet, ſive expreſſe petatur, ſive interpretative. Et ſecundum aliquos etiam petere poteſt, ne nimis oneroſum fiat matrimonium alteri, quando ſemper oportet petere, vel hoc dicatur interpretative.

Si quis juravit aliquam uxorem ducere, & poſt voveat perpetuã caſtitatem, prævalet juramentum; ſecus vero ſi primo vovit.

Quod ſi juravit aliquam uxorem ducere, & poſt voveat perpetuam caſtitatem, prævalet juramentum. Secus vero, ſi primo voviſſet, ut ſupra dictum eſt. Regulariter autem votum ex ſua ratione magis eſt obligatorium; Nam obligatio voti cauſſatur ex fidelitate, quam Deo debemus, ſcilicet ut ei promiſſionem ſolvamus; obligatio autem juramenti cauſatur ex reverentia, quam debemus ei, ex qua tenemur, quod verificemus id, quod per nomen ejus promittimus. Omnis autem infidelitas irreverentiam continet, ſed non convertitur; Videtur enim infidelitas ſubjecti ad dominum eſſe maxima irreverentia; unde votum ex ſua ratione magis obligatorium, quam juramentum; licet quandoque æqualis eſſe firmitatis cenſeatur; nam ſicut in juramento videtur eſſe excepta auctoritas Papæ, ſic & in voto.

Cur votum ex ratione ſua ſit magis obligatorium, quam juramentum. D. Th in ſup. 3. p. q. 84. art. 2. ad 2.

Votum magis obligatorium, quam juramentum.

CAP. XLVII.

Si carnalis copula ſecuta ſit inter virum & uxorem, non poteſt uxor religionem intrare, niſi maritus intret, & e converſo.

ET ex præmiſſis dicendum reſtat, quod ſi inter virum & uxorem ſecuta ſit carnalis copula, non poteſt uxor religionem intrare, niſi maritus intret, & e converſo. Vel ſi eſt vetus uxor, & non eſt ſuſpecta de incontinentia, licentiet virum, & promittat in manu, vel in præſentia Epiſcopi continentiam perpetuam. Sicque poterit vir intrare religionem; alias non, & idem e converſo.

Si carnalis copula non interceſſit, poteſt alter altero invito vel reclamante Religionem ingredi.

Si autem non interveniſſet carnalis copula, alter poteſt ingredi religionem invito altero, & contradicente. Ad heremum autem, vel recluſorium non, niſi ſolemniter ſæculo renuntiaret, & ad alia, quæ ſolemnis profeſſionis ſunt, & ejus obſervantiæ, ſe obligaret.

Unus conjugum ſine alterius conſenſu, non poteſt votum emittere de non reddendo debito.

Unus autem conjugum non poteſt ſine conſenſu alterius vovere, quod non reddat debitum, quia hoc eſſet ſacrificium de alieno offerre, & ſi factum fuerit, non valet. Sed nec de petitione debiti votum emitti debet, ne nimis oneroſum fiat alteri matrimonium, & verecundoſum ſemper petendo, & ſi factum fuerit, credimus, quod per Epiſcopum poſſit diſpenſari, & tunc arguendus eſt de ſtultitia, & fatuitate, & pœnitentia injuncta, debet abſolvi a voti obligatione; quia ſi ante matrimonium, melius eſt nubere, quam uri, multo magis in matrimonio erit hoc melius. Unde ſi intentio voventis feratur determinate ad non reddendum, nec exigendum debitum, tunc ſcienti jus eſt peccatum mortale; ſi fiat ex deliberatione, aut in communi, tunc non eſt mortale, quia ſalvari poteſt in eo, quod eſt licitum, ſcilicet in non exigendo ſemper; tamen reprehendendus eſt, qui quovis modo fecerit, quia contra bonum matrimonii, quod conſiſtit in procreatione filiorum, ſeu liberorum.

Nec votum de non petendo debito emitti debet.

CAP. XLVIII.

Perſtringitur abuſus quarumdam mulierum in emittendis ejuſmodi votis.

ET noſtris temporibus hos caſus in foro pœnitentiali habuimus, & quaſdam mulieres propter multiplicitatem liberorum ad hujuſmodi vota proceſſiſſe comperimus; quaſdam propter modicam delectationem, quam erga maritos habebant, propter paupertatem eorum, & alias turpitudinem perſonarum. Sed, & quamdam audivimus maritum ex his contemnentem, & petentem ab ipſo ſeparari, impotentiam ejus prætendentem, & ſe virginem aſſerentem, licet plures illicitos amatores retineret. Propter cujus utilitatem, & turpitudinem fuit audientia denegata, & utinam non plures valerent inveniri: quod dolentes referimus. Et ideo bene advertant Prælati, & alii pœnitentias audientes, ut reprehenſiones tales facere non omittant ſuis locis, & ne deterius, quam Sodomæ, & Gomorræ contingat.

Mulier maritum contemnens petit ab ipſo propter impotentiam ſeparari: & cur non fuit audita?

Cautio Prælatis, & confeſſionem audientibus.

CAP. XLIX.

Quam poteſtatem habeant inferiores Prælati, hoc eſt Epiſcopi, in ordine ad diſpenſandum in votis?

LIcet autem Papa hanc plenariam poteſtatem, & ſummam diſpenſandi in omnibus votis; tamen inferiores Prælati, ſcilicet Epiſcopi in votis, quæ communiter fiunt, & indigent frequenti diſpenſatione, ſicut ſunt vota peregrinationis, jejuniorum, & hujuſmodi ſimilia, & aliis, in quibus expreſſe a jure non ſunt prohibiti, diſpenſare poſſunt.

In votis vero majoribus, ut continentiæ, & Terræ Sanctæ, & aliis perpetuis, ut Religionis, non poſſunt, ſed ſoli Papæ reſervantur. Caveant tamen diſpenſantes, ut qualitatem perſonarum, & neceſſitatem, vel utilitatem penſando conſiderent.

In votis majoribus, ut continentiæ, Terræ ſanctæ, & Religionis, ſolus Papa poteſt diſpenſare.

Et circa commutationem votorum certa, aut generalis doctrina dari non poteſt, niſi circa redemptionem, de facili tamen

ex

De commutatione votorum, & quæ requirantur ſervari debent in votis commutandis?

ex variis circumſtantiis perſonarum hujusmodi redemptio, ſeu commutatio eſt taxanda, ut pauperi operario concedatur redimere jejunium ſecundæ feriæ uno denario; diviti autem aliqua magna eleemoſyna, vel aliquid magni eſt injungendum, quod recompenſet dolorem famis, quem ſuſtinere debuiſset in abſtinentia. In votis etiam jejuniorum habenda eſt ratio aſperitatis panis, & aquæ, & affluentiæ voventis, & omnium aliorum, quæ in voto fuerint comprehenſa.

De voto ultramarino.

In voto ultramarino, licet poſſit commutari in votum Religionis, tanquam melius, tamen facultates voventis, & animus conſiderari debet, cum temporale mutetur in perpetuum, & etiam, ſi primo ſit habilis, vel non, ad pugnam, vel conſilium, poſſit ducere bellatores, vel non, an ex facilitate animi juvenilis, vel alias; habendus eſt etiam reſpectus ad facultatem voventis, & ad expenſas, quas facturus eſſet, ſi votum impleret eundo, & redeundo, & morando, & ad laborem, aut ſi quid dandum eſſet ibi: nam hoc ſine diminutione tranſmittendum eſt per aliquem, vel per aliquos Religioſos. Et idem in voto peregrinationis Sancti Jacobi, & aliarum peregrinationum, ut mittatur oblatio, quam ibi eſſet facturus. Aliæ vero expenſæ cum omni compenſatione laboris in alia, quæ Deo magis placere debeant, converti poſſunt.

Quid cavere debeant Prælati in diſpenſationibus, aut commutationibus votorum?

Quia vero Prælati non ſunt poſiti in deſtructionem, ſed in ædificationem, ideo caveant, ne in diſpenſationibus, aut commutationibus faciles, aut nimium voluntarios ſe oſtendant: Sicut enim non poſſunt præcipere malum, ita nec impedire bonum, ſcilicet opera virtutis. Ad Prælatos tamen ſpectat dijudicare, quid ſit magis virtuoſum, & Deo magis acceptum, & ſic peccare vix poterunt. Et quæ circa hanc materiam votorum diximus, propter frequentiam in partibus poſuimus. Et ut, qui inſtructi non fuerint, aut libros non habuerint, facilius hic recurrant ad præmiſſa compendioſe poſita.

CAP. L.

De impedimento cognationis.

Cognatio triplex.

COgnatio triplex eſt, ſcilicet carnalis, ut conſanguinitas uſque ad quartum gradum incluſive: ſpiritualis, ut compaternitas: legalis, ut adoptio.

De cognatione carnali?

Circa cognationem carnalem notandum, quod ſi conſanguineus eſt in quarto gradu, & conſanguinea in quinto, poſſunt copulari. Et debet computari gradus a ſtipite, ideſt a patre duorum fratrum, vel ſororum, a quibus deſcenderunt illi, qui debent copulari. Stipes autem non facit gradum ſecundum Canones, ſed fratres, vel ſorores, & ſunt in primo gradu. Filii fratrum in ſecundo, filii filiorum fratrum in tertio, & illorum filii in quarto.

Unde in ejuſmodi cognatione computari debent gradus.

Stipes non facit gradum ſecundum canones.

Regula diligenter hac in re inſpicienda.

Quando vero vir eſt in quarto, vel infra ex una linea, & mulier in quinto, ut ſupra, ex alia linea quantum remotiori, ut mulier, quæ eſt in quinto, quantum diſtat a ſtipite, tantum diſtat hæc mulier a dicto viro, & a qualibet linea illius viri, & ideo poterit copulari. Et ut clarius hanc materiam intelligant, qui ignorant, & plurimi, & utinam non Prælati.

CAP. LI.

Quid ſit, & unde dicatur conſanguinitas?

Quid ſit conſanguinitas?

NOtandum, quod conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum, & dicitur a *con & ſanguine*. Unde conſanguinei dicuntur, quaſi communem ſanguinem habentes, vel de uno ſanguine procedentes.

Quid ſit ſtipes, quid linea?

Stipitem dicimus illam perſonam, a qua aliqui duxerunt originem; lineam dicimus ordinatam collationem perſonarum conſanguinitate conjunctarum ab eodem ſtipite deſcendentium, diverſos gradus continentem.

Linea triplex eſt.

Prima, quæ dicitur aſcendentium.

Lineæ vero ſunt tres, ſcilicet aſcendentium, deſcendentium, & collateralium. Sicut eſt triplex diverſitas propinquorum, ſeu cognatorum. Prima eſt aſcendentium, a quibus originem traximus, ſicut pater, mater, avus, avia, proavus, proavia, abavus, abavia.

Secunda, quæ dicitur deſcendentium.

Secunda deſcendentium, qui duxerunt originem a nobis, ſicut filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, abnepos, abneptis.

Tertia, quæ dicitur tranſverſalium.

Tertia tranſverſalium, ſeu a latere venientium, a quibus non duximus originem, nec ipſi a nobis, ut frater, ſoror, filii duorum fratrum, qui dicuntur fratres patrueles, vel duarum ſororum, qui dicuntur fratres conſobrini, & eorum filii, & nepotes.

Duæ lineæ deſcendentes faciunt unam tranſverſalem.

Sed notandum, quod duæ lineæ deſcendentes faciunt unam tranſverſalem, utpote filii duorum fratrum attinent ſibi linea tranſverſali, & tamen quilibet eorum deſcendit recta linea ab avo eorum communi, qui fuit communis ſtipes. Unde quilibet eſt in recta linea, alia ab alia. Et ſic ſunt in duabus lineis recte deſcendentibus, & una tranſverſali. Et ſic de omnibus aliis intelligendum eſt, tam remotioribus, quam propinquioribus.

CAP. LII.

Quæ perſona gradum faciat ſecundum legem, quæ ſecundum canones?

GRadum autem ſecundum legem facit quælibet perſona, ſed ſecundum canones, quibus in hac materia utimur, in

in tranſverſali linea duæ perſonæ faciunt gradum, ut puta duo fratres ſunt in primo gradu, & ſic de ſingulis, ut ſupra diximus.

Unde quantum ad præſentem materiam, ſcilicet quando conſanguinitas computari debet pro matrimonio conjungendo, vel diſiungendo, quia ex utraque parte perſonæ ſunt maritandæ, ſicut una proceſſit ex altera, & gradus computandi, & diſtinguendi ex utroque latere, ſufficiat ad præſens diffinitio.

Quid ſit gradus?

Gradus eſt habitudo diſtantium perſonarum, qua cognoſcitur quota generationis diſtantia duæ perſonæ inter ſe differant.

Quo pacto cõputentur gradus in linea aſcendenti?

Computatur autem gradus in hac materia hoc modo. In linea aſcendenti pater, & mater ſunt in primo gradu, avus, & avia in ſecundo; proavus, proavia in tertio; abavus, & abavia in quarto.

Quo pacto computentur in linea deſcendenti?

In deſcendenti vero hoc modo, filius, filia ſunt in primo gradu; nepos, neptis in ſecundo; pronepos, proneptis in tertio; abnepos, abneptis in quarto. Ultra quem gradum nulla hodie invenitur conſanguinitas, ſicut nec olim ultra * *ſeptennium*, ut duret prohibitio matrimonii; licet aliter ſecundum leges quoad jura ſucceſſionis ab inteſtato duo fratres faciant duos gradus, & quot ſunt ſucceſſores, tot ſunt gradus.

Forſan* *ſeptiennium*.

CAP. LIII.

Diviſio graduum conſanguinitatis.

Quo dignoſcetur pacto cõſanguinitas aliquorum, quantum inter ſe differant?

SI vis igitur ſcire conſanguinitatem aliquorum, quantum inter ſe differant, recurre ad communem perſonam, a qua traxerunt originem, ut Petrus genuit Sejum, & Titium. Ecce primus gradus. Si vero non potes ſcire, quis fuit Pater eorum, dicas Sejus, & Titius fuerunt fratres; hoc ideo, quia ut diximus, fratres ſemper ponendi ſunt in primo gradu, vel frater, & ſoror, vel duæ ſorores: deinde procede in computatione. Sejus genuit A, ecce ſecundus gradus. A genuit B, ecce tertius gradus. B genuit C, ecce quartus gradus, de quo nunc agitur. Modo revertaris ad alium fratrem, & procede ſic; Titius genuit G ecce ſecundus gradus, G genuit H, de quo nunc quæritur, & ita habes tertium gradum, & ſic iſti duo vir, & uxor uſualiter dicuntur attinere ſibi in una parte in tertio gradu, in alia vero in quarto. Uſualiter diximus, quia non attinent ſibi revera in tertio gradu, ſed in quarto tantum. Et illud idem faciendum eſt de iis, qui magis ſunt vicini in conſanguinitate, quam ſcilicet in tertio gradu, & quarto, ut dictum eſt.

Ita enim diſtinguendi ſunt gradus: nam & teſtes in hac materia perſonas expreſſas nominibus, vel demonſtratione, vel circumlocutione ſufficienti deſignare debent, ab utroque latere ſingulos gradus clara computatione diſtinguendo, & ſe a majoribus ſuis accepiſſe, quod deponunt, & ſe credere ita eſſe, & ſe vidiſſe perſonas, ſaltem in uno prædictorum graduum conſtitutas pro conſanguineis ſe habere, & ſic jurati deponere, alias eorum teſtimonium non valet. Tolerabilius enim eſt aliquos contra ſtatuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra ſtatuta Domini ſeparare. Et hoc pro clara doctrina poſuimus eorum, qui juris ſunt ignari, & in computatione minus experti, quia plures etiam de majoribus ſunt errantes, & ſeparationes matrimoniorum inconſulte facientes.

Teſtes in hac materia, quo pacto deponere debeant?

CAP. LIV.

In conſanguinitate ſtandum eſt remotiori perſonæ.

ET dicimus, quod ſi aliquæ perſonæ attineant ſibi in una parte in ſecundo, vel in tertio, ex alia vero in quinto, ſecundum computationem, quam ſupra monſtravimus, poterunt contrahere, quia ſemper ſtandum eſt remotiori perſonæ in conſanguinitate, quia quoto gradu remotior differt a ſtipite, toto differt, & a quolibet per aliam lineam deſcendentium. In hoc enim caſu remotior perſona extra metam conſanguinitatis exiſtit; unde non attinet illi, ex quo de ejus conſanguinitate non eſt.

Diſtantes in primo, & quinto nõ poſſunt matrimonium contrahere.

Sed ſi aliqui diſtent in primo gradu, & quinto, non poſſunt contrahere matrimonium, ut abnepos, qui quinto gradu diſtat a ſtipite, non poteſt contrahere cum filia ſtipitis, ſicut nec cum ſtipite poſſet, ut ſupra dictum eſt.

Temporis diuturnitas non minuit peccatum, ſed auget.

Cum autem temporis diuturnitas non minuat peccatum, ſed augeat, quia tanto fiunt graviora crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam; ideo, quia uſque ad quartum gradum incluſive, ut præmiſſum eſt, matrimonium eſt prohibitum, ſi quis aliter præſumpſerit copulari, nulla longinguitate temporis, ſeu annorum defendatur, quin fiat ſeparatio.

Cur Eccleſiæ prohibitio non extendatur ultra quartum conſanguinitatis gradum?

Ratio autem, quare non extenditur Eccleſiæ prohibitio eſt, quia uſque ad hunc gradum quartum ſatis communiter durat hominum memoria, ut ſciant gradus computare. Et inſuper, cum corpus humanum ex quatuor elementis componatur, & in generatione prolis fiat quædam commixtio cum alieno ſanguine, paulatim evaneſcit convenientia compoſitionis primæ; ita ut in prima generatione evaneſcat elementum ſubtilius, ideſt ignis, in ſecunda aer, in tertia aqua,

In generatione fit commixtio cum alieno ſanguine, quæ paulatim evaneſcit loquitur literaliter cum Divo Th. in ſup. 3. p. q. 85. art. 4. o.

aqua, in quarta terra. Nunc de cognatione ſpirituali dicamus.

CAP. LV.

De cognatione ſpirituali.

Quid ſit cognatio ſpiritualis?

EST autem cognatio ſpiritualis propinquitas proveniens ex Sacramenti datione, vel ad id, ſcilicet Sacramentum, tentione, ut cum aliquis tenet aliquem in baptiſmate, vel in confirmatione. Ut ecce Epiſcopus chriſmat puerum: Sacerdos baptizat puerum: tu eum præſentas, vel ſuſcipis. Uterque veſtrum eſt Pater ſpiritualis. Unde ſicut in generatione carnali contrahitur cognatio carnalis ex parte prolis, & matris, ita in generatione ſpirituali ex parte dantis, & tenentis. Unde conferens Sacramentum gerit perſonam Dei Patris; ſed tenens ad Sacramentum, gerit perſonam Matris Eccleſiæ.

Cognatio ſpiritualis triplex eſt.

Hæc autem ſpiritualis cognatio triplex eſt. Una ſcilicet compaternitas, quæ attenditur inter ſpiritualem Patrem, vel Matrem pueri baptizati, & carnalem. Unde ſi contraho cum matre carnali pueri, quem baptizavi, vel in baptiſmo tenui, non valet. Alia dicitur compaternitas in maſculo, vel commaternitas in femina, quæ attenditur inter eum, qui baptizat, vel tenet in baptiſmo, & eum, qui baptizatur, & inter tales ſimiliter non tenet matrimonium. Alia dicitur fraternitas, quæ attenditur inter filium meum ſpiritualem, quem baptizavi, vel in baptiſmo tenui, & filiam meam carnalem, inter quos ſimiliter non poteſt eſſe matrimonium. Et quæ dicta ſunt in contrahenda compaternitate ſpirituali per baptiſmum, eadem etiam cenſenda de confirmatione, ſeu frontis chriſmatione, ut illis, & eiſdem modis contrahatur ſpiritualis cognatio matrimonia contrahenda impediens, & dirimens jam contracta.

Cognatio ſpiritualis non habet gradus.

Sed hæc cognatio ſpiritualis non extenditur ad nepotes, & ulteriores, quia gradus non habet; filia enim mea ſpiritualis poteſt contrahere cum filio filii mei, licet non cum filio meo, quia non eſt prohibitum. Et credimus, quia non ſolum filio legitimo non poteſt copulari filia ſpiritualis, ſed nec illegitimo, filio autem adoptivo ſic. Duo autem levantes aliquem de fonte ſacro inter ſe contrahere non prohibentur.

CAP. LVI.

Reductio impedimenti cognationis ſpiritualis per jura nova facta.

HOdie vero per jura nova hæc materia compendioſe tractata ad hoc eſt reducta, ſcilicet, quod inter baptizatum, & eum, qui ſuſcepit de Baptiſmo, ac inter eumdem baptizatum, & ſuſcipientis, ſive ante, ſive poſt natos, & uxorem ante ſuſceptionem carnaliter cognitam ab eodem; item inter ſuſcipientem, patremque baptizati, & matrem cognatio ſpiritualis in baptiſmo contrahitur, quæ impedit matrimonium contrahendum, & dirimit poſtea contractum. Et eadem, quæ de ſuſcipiente ſunt dicta, eadem & de baptizante cenſenda. Per Catechiſmum autem, qui præcedit Baptiſmum, impeditur matrimonium contrahendum, ſed poſtea contractum, per illam cognationem minime ſeparatur. Ex datione etiam aliorum Sacramentorum cognatio ſpiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat, vel diſſolvat.

Per Catechiſmum impeditur matrimonium contrahendum, non contractum.

CAP. LVII.

Duæ compaternitatis ſpecies, altera directa, obliqua altera.

ET notandum, quod duæ ſunt ſpecies compaternitatis. Una directa, alia obliqua. Directa, ut cum ego ſuſcipio de ſacro fonte filium Catherinæ mulieris, vel ipſa meum. Iſtam nunquam potero habere in uxorem, & ſi accepero ſeparandum, eſt connubium. Obliqua, ſive indirecta, quando unus conjugum, poſt quam ſunt una caro effecti, filium aliorum ſuſcipit. In hoc caſu ambo parentes carnales infantis compatres efficiuntur etiam alteri conjugum, qui non ſuſcipit, quoniam communicant ſibi actiones.

Res hæc declaratur exemplo.

Ut autem clarius loquamur ponimus exemplum. Meulus duxit Adeliciam in uxorem, & Angelus Mariam: poſtmodum vero Angelus levavit de ſacro fonte filium Meuli, & Adeliciæ. Deinde mortuus eſt Angelus, & Adelicia; remanſit Meulus, & Maria, cui maritus ſuus acquiſierat compaternitatem per factum ſuum. Et ideo nullo modo dictus Meulus matrimonium poteſt contrahere cum Maria. Unde clare intelligenti reſtat, quod ſi uxor tua, poſtquam fuerit a te carnaliter cognita, ſuſcepit infantem alterius mulieris in Baptiſmo, vel in Confirmatione, illa, cujus infans erit, efficietur tibi commater per factum uxoris tuæ. Et ideo, mortua uxore tua, non poteris illam ducere in uxorem, & e converſo eamdem compaternitatem uxori acquiri intelligas per maritum.

CAP. LVIII.

Caſus, in quibus poteſt quis duas commatres unam poſt aliam habere in uxores, & poteſt aliqua duos compatres, unum poſt alium habere in maritos.

SI vero dictam ſuſceptionem fecit uxor tua, antequam eam cognoſceres, mortua uxore tua poteris illam in uxorem

rem ducere; ſi autem filium uxoris tuæ, quem ab alio generavit, antequam eam duceres, effectus una caro cum ea, aliqua mulier in Baptiſmo, vel Confirmatione tenuerit, illa mulier eſt commater uxoris tuæ, & non tua: Unde mortua uxore tua, talem commatrem ejus habere poteris in uxorem. Idem ſi filius ab aliquo ſuſcipiatur, quem genuiſti de aliqua muliere. Et ſic in tribus caſibus proximis aliquis duas commatres, unam poſt aliam habere poterit, & aliqua duos compatres, unum poſt alium habere poterit in maritos.

An in contrahenda hujuſmodi cognatione ſit inſpiciendus ſolus coitus cõjugalis, an etiam fornicarius?

Si quis autem cognoſcat mulierem fornicarie, quæ mulier levat poſt filium alterius de ſacro fonte. An poſſit illam, cujus fuit filius, habere in uxorem? quorumdam fuit opinio, quod ſic, quia in contrahenda cognatione, ut præmiſſum eſt, inſpicitur coitus conjugalis, non fornicarius, qui non eſt cauſſa acquirendæ compaternitatis fornicatori; licet alii dicant parem rationem utrobique, & ſatis nobis placet, ut reſtringatur, ratione vitii nimis communis. Et licet honeſtum foret non contrahere matrimonium, tam cum altera filia compatris, quam cum alia, ratione cujus compaternitas eſt contracta, tamen ſi contractum fuit, tenet.

Baptizatus a Presbytero non poteſt filiã carnalem Presbyteri ducere in uxorem.

Baptizatus autem a Presbytero, non poteſt filiam carnalem Presbyteri ducere in uxorem. Et idem dicimus de filia Epiſcopi carnali, vel filio, ut non poſſit contrahere matrimonium cum illo, vel illa, quam Epiſcopus chriſmavit, licet quidam dicant fore Papam conſulendum, cum videatur novus caſus. Nos tamen propter frequentiam non reputaremus novum: Sed utinam eſſet, & a talibus abſtineretur pro ſalubriori regimine, atque ſtatu. Et putamus naturam noſtri temporis obduratam in talibus, abſque aliis plurimis, quæ tacemus, erubeſcentes Pontificalis ſtatus, ac honoris, & dignitatis infamiam, ex inopia cordis potius procedentem.

Compaternitas ſpiritualis non contrahitur per receptionem ad pœnitentiam. Per catechiſmum debilis quædam ſpiritualis compaternitas contrahitur.

Per receptionem autem ad pœnitentiam non contrahitur compaternitas ſpiritualis. Licet enim eſſe ſpirituale conferatur, tamen magis aſſimilatur, quaſi miraculoſæ ſuſcitationi de morte ad vitam. Per catechiſmum autem debilis cognatio contrahitur, & vix impedit matrimonium contrahendum. Sed nullo modo dirimit contractum, quia eſt ſolum quædam diſpoſitio ad generationem. Catechiſmus autem appellatur, quidquid fit a Sacerdote circa puerum baptizandum, antequam immergatur in aquam, vel ſuper caput perfundatur.

CAP. LIX.

De cognatione legali.

Hæc ex adoptione provenit.

Quid ſit adoptio?

TRanſeamus nunc ad cognationem legalem. Eſt autem cognatio legalis quædam proximitas ex adoptione proveniens. Adoptio autem eſt legalis actio ad ſolatium eorum, qui liberos non habent, inducta, pene naturam imitans. Et licet facilius liberos non habentì concedatur, tamen etiam qui liberos habent, adoptare poſſent, ſive maſculi, ſive feminæ exiſtant. Unde provenit, quod qui filius non eſt, pro filio habetur. Adoptatur autem ille, qui eſt in poteſtate ſui Patris. Et tunc non tranſit in poteſtatem adoptantis, & hoc habet fieri imperio magiſtratus, ſcilicet eo auctorizante.

Quid ſit arrogatio?

Eſt alia ſpecies, ſcilicet Arrogatio. Arrogatur autem ille, qui ſui juris eſt, ideſt, qui Patrem non habet, vel ſi habet, emancipatus eſt, quo tunc tranſit in poteſtatem arrogantis. Et iſta habet fieri auctoritate Principis. Et exponunt quidam, quod eſt Arrogatio, cum is, qui adoptat, rogatur, ideſt interrogatur, an velit eum, quem adoptaturus eſt, juſtum filium eſſe, & is, qui adoptatur, interrogatur, an id fieri patiatur; & eſt mirabile, quod arrogatus cum omnibus rebus ſuis, & filiis, ſi habet, tranſit in poteſtatem arrogantis, & illi filii ſunt arrogati, tanquam nepotes.

Arrogatio deficiente ſolemnitate nihil valet.

Si tamen aliquis in domo per ſe, vel coram vicinis, ſicut ſæpe fit, recipit aliquam in filiam, non acquiritur jus ex tali filiatione aliquod, nec affertur impedimentum matrimonio contrahendo, quia ſolemnitas prædicta eſt de ſubſtantia, qua deficiente nihil agitur.

Ad quid teneatur Pater arrogator?

Et notandum, quod Pater arrogator tenetur relinquere filio arrogato quartam partem bonorum, quæ habet, ſive in teſtamento, ſive cum velit emancipare. Sed Pater adoptator filio adoptivo nihil tenetur relinquere, niſi velit; licet ab inteſtato bene ſuccederet.

Quando, & qualiter talis cognatio matrimonium impediat?

Quando autem, & qualiter talis cognatio matrimonium impediat? Advertendum, quod eis filiis ſolum cognatus efficitur ille, qui adoptatur, qui ſunt in poteſtate Patris adoptantis. Unde dicendum, quod ex adoptione veniunt quaſi tres ſpecies legalis cognationis. Una quaſi deſcendentium; alia quaſi a latere venientium; tertia, quæ legalis affinitas dici poteſt.

Ex adoptione veniunt quaſi tres ſpecies legalis cognationis.

Prima quaſi deſcendentium.

Prima quaſi deſcendentium attenditur inter me Patrem adoptantem, & filiam meam, & neptem adoptatam.

Secunda quaſi a latere venientium.

Secunda quaſi a latere venientium attenditur inter filium meum legitimum, & naturalem, & filiam meam adoptivam.

Tertia, quę legalis affinitas dici poteſt.

Tertia, ſcilicet legalis affinitas attenditur inter me, & uxorem filii mei adoptivi. Similiter inter filium meum adopti-

pti-

ptivum, & uxorem meam.

Cognatio legalis in ſecunda ſpecie, quid operetur ſecundum mentem D. Th. in ſup. 3. p. q. 88. art. 3?

Cognatio in ſecunda ſpecie impedit matrimonium, & dirimit jam contractum, quamdiu ſunt in ejuſdem Patris poteſtate. Soluta vero, emancipatione filii adoptivi, vel naturalis, poſtea non impedit.

Prima, & tertia ſpecies cognationis perpetuo impediunt matrimoniũ cũ D. Th. in ſup. 3. p. q. 58. art. 3.

In prima vero ſpecie, & tertia omni tempore impedit matrimonium indiſtincte, quoniam Pater adoptator non poteſt contrahere cum filia ſua adoptiva, vel nepte, vel cum illa, quæ fuit uxor filii ſui adoptivi, etiam poſt emancipationem. Similiter filius adoptivus poſt mortem Patris adoptivi non poteſt contrahere cum illa, quæ fuit uxor Patris adoptivi.

Iurà canonica non diſtinguunt inter adoptantem, & arrogantem.

Filius vero legitimus, vel filia Patris adoptivi poſſunt contrahere cum filio, vel filia adoptiva. Et præmiſſà intelligimus indiſtincte ſecundum Jura Canonica, quæ non diſtinguunt inter adoptantem, vel arrogantem.

Filii adoptivi contrahere inter ſe poſſunt.

Filii autem adoptivi inter ſe contrahere poſſunt, ſicut & filii ſpirituales, cum adoptivis.

Nulla contrà hitur cognatio, vel affinitas inter patrem adoptantis, & patrem, vel matrem adoptati.

Inter Patrem vero adoptantem, & Patrem, vel Matrem adoptati nulla omnino contrahitur cognatio, vel affinitas, quia iſti ſibi non cohabitant; nam propter cohabitationem inter prænominatos ſupra contrahitur cognatio. Sicut enim conſanguinei, & affines, ita adoptati in eadem familia ſolent cohabitare; & ideo lex civilis illas perſonas præcipue conjugio excludit, quas neceſſe eſt cohabitare; habita tamen differentia ſupra poſita, quia quoſdam ad tempus, quoſdam perpetuo.

CAP. LX.

De impedimento criminis.

Multa crimina propter enormitatem impediũt matrimoniũ cõtrahendum.

CRimen, ut clarius intelligatur, & quia ſæpe accidunt, ponimus multa crimina, ut medici animarum conſultius agant; propter enormitatem enim impediunt matrimonium contrahendum. Sicut inceſtus, puta ſi cum filiaſtra commiſceatur, vel cum duabus ſororibus, aut cum duobus fratribus, vel cum Patre, & filio, vel cum relicta fratris, vel cum nepote, vel noverca, aut nuru, aut conſobrina, aut filia avunculi, aut ejus relicta, aut privigna.

Secundo, & tertio, qui uxorem ſuam interfecit, aut qui rapuerit ſponſam alterius

Item ille, qui uxorem ſuam interficit, aliam uxorem accipere non debet. Item ille, qui rapuerit ſponſam alterius.

Quarto, qui proprium filium de ſacro fonte inſidioſe ſuſcipit, ut poſſit privare conjugem carnali debito.

Item, qui inſidiando matrimonio proprium filium de ſacro fonte ſuſcepit, ut poſſit privare conjugem carnali debito, & copia ſui.

Quinto, qui interficit Presbyterum.

Item ille, qui interficit Presbyterum, cui etiam imponitur pœnitentia duodecim annorum, & quod cingulo militiæ careat.

Sexto! ſolemniter pœnitens: Septimo, qui monialem ſcienter accepit uxorem.

Item ſolemniter pœnitens. Item ſi monialem ſcienter accipiat uxorem.

Hæc crimina impediunt quidem matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt contractum.

In his tamen diſpenſare poteſt Epiſcopus, & forte etiam proprius Sacerdos.

Perſtingitur quidam abuſus hac in re.

Licet autem hæc crimina matrimonium impediant contrahendum, non tamen dirimunt contractum. Immo etſi adoleſcentes ſint, & timeatur de incontinentia, debet Eccleſia eis concedere nubendi licentiam, hoc eſt Diœceſanus Epiſcopus; & forte quo ad hoc ſufficeret licentia proprii Sacerdotis, ſeu diſpenſatio. Licet etiam de conſuetudine non ſervetur iſte rigor petendi diſpenſationem in his caſibus, quod judicamus male factum, & corruptelam potius eſſe, maxime, quia nimium hæc frequentantur, ut noſtris temporibus audivimus: nos tamen in pœnitentia plures reprehendimus. Et ſic a ceteris conſulimus faciendum, ut multi retrahantur ab iis, quæ trahunt miſeram animam ad infernum.

CAP. LXI.

Crimina, quæ matrimonium dirimunt jam contractum.

Primo, ſi quis vivente uxore cognoverit aliã, & ei fidem dederit, quod mortua uxore contrahet cum illa, & contra.

SUnt tamen alia crimina, quæ dirimunt matrimonium jam contractum. Primum, quando vivente uxore cognovit aliam, & ei fidem dedit, quod mortua uxore contraheret cum illa, & e contra. Item ſi juravit, vel ſimpliciter promiſit, quia inter hæc nullam Deus facit differentiam; & eſt ratio, quia de re non vacante non debet fieri promiſſio, ſicut nec de beneficio, aut hæreditate viventis, ne forte quis deſideret, vel procuret citius mortem proximi ſui.

De re non vacante non debet fieri promiſſio.

Secundo, ſi vivente uxore cũ adultera contraxit, & eam cognovit.

Secundum, ſi vivente uxore cum adultera contraxit, & eam cognovit, quoniam plus eſt contrahere, quam fidem dare, & hoc utroque ſciente impedimentum.

Tertio, ſi quis machinatur mortem uxoris, & cum alia contrahere promittit, quam vivente uxore cognovit. D. Th. in ſup. 3. p. q. 91. art. 2.

Hæc tamen machinatio intelligi debet cũ effectu.

Tertium, ſi machinatus ſum mortem uxoris, & cum alia contrahere promitto, quam cognovi vivente uxore, & idem ſi uxor hoc fecerit. Hanc autem machinationem intelligimus cum effectu, ſcilicet, quod mors fuerit ſecuta. Si enim venenum propinavit, vel aliter occidere tentavit, ut ſunt multi, & multæ, non abhorrentes hoc facere, minorem conſcientiam facientes, quam de pullo; tunc propter hoc non dirimeretur matrimonium poſt contractum, etiam quacumque alia de cauſſa interficeretur. Licet maxime in partibus, ubi hoc nimium frequentatur, placuiſſet nobis, ſi jus hoc ſtatuiſſet, ut tolleretur tanta immanitas. Et idem, ſi mandavit, vel præcepit, vel conſuluit interfici, & fuerit factum, dirimitur matrimonium; non tamen propter ratihabitionem ſolam poſt ſecutam mortem; quia hic caſus a jure non reperitur expreſſus, & edictum matrimonii prohibitorium eſt. Et licet fuerint opiniones, tamen tene-

mus Nos cum majoribus, quod machinatio mortis cum effectu ſufficit ad dirimendum matrimonium, licet non interceſſit adulterina pollutio.

In ſecundo caſu requiritur utriusque ſcientia, ut tam adulter ſcilicet, quã adultera ſciat adultero uxorem ineſſe.

Sed advertendum, quod in ſecundo caſu ſupra poſito notanter diximus: *Utroque ſciente;* nam ſi illa adultera fuiſſet inſcia illum habere uxorem uſque ad mortem illius, tunc eſt in poteſtate ipſius adulteræ matrimonium ratificare, vel petere divortium, ne reus ex dolo ſuo commodum reportet, & ipſa damnum. Si tamen poſtquam ſemel certificata fuerit, carnali copulæ conſenſerit, non poterit de cetero reclamare. Nam etſi ab initio fuit ignorans, ſed adhuc vivente prima fuerit facta conſcia, non debet pati, quod cognoſcatur a viro, alias matrimonium in perpetuum impediret, & hoc caſu credendum eſt mulieri, quia in poteſtate ſua eſt, utrum divortium fiat, & quia de conſcientia ſua certior eſt, quam alius.

CAP. LXII.

Quid cavere debeat Judex in dictis caſibus?

CAveat tamen Judex, quod de primo matrimonio plenam fidem habeat, & an de jure tenuerit, diligenter inquirat: nam ſi non tenuiſſet, ceſſaret impedimentum; Si tamen primum matrimonium contractum in facie Eccleſiæ, & alter ante divortium per Eccleſiam celebratum, vel contra interdictum Eccleſiæ contrahit cum aliqua, peccat, & debet agere pœnitentiam, nihilominus tamen tenet matrimonium. Sed ſi mortua prima, antequam ſecundam cognoſcat, ducat tertiam, quia nullus fuit conſenſus habitus cum ſecunda legitime vivente, debet cum tertia remanere, cujus conſenſus non potuit impediri, etiam ſi jam ſecundam cognoviſſet poſt mortem primæ, dummodo ipſa ſecunda ignoraſſet mortem, & matrimonium primæ. Et idem ſi contraxit cum duabus, vel pluribus inſcis, priore vivente, erit enim locus gratificationi, quia quamcunque certificatam de morte prioris primo cognoverit, poſt mortem legitime retinebit illam.

Quænam uxor dicatur hac in re inſcia?

Inſciam autem intelligimus, ſi de remotis partibus veniat vir, puta ultramarinis, vel ultramontanis, fingens ſe ſolutum: nam & hoc caſu inſcia adulterium non commiſit, cum non fuerit in dolo. Unde filii, etiam legitima vivente, ſic ſuſcepti cenſentur legitimi, ſi tamen ſecundum matrimonium in facie Eccleſiæ fuerit celebratum, alias non.

Quid agendum, ſi quis mulierem conjugatam cognoverit, legitima ſuperſtite?

Dicimus autem, quod ſi quis mulierem conjugatam, ſive ante fidem datam, ſive matrimonium de facto contractum, ſive poſt, legitima tamen ſuperſtite, cognoverit, debent omnino ſeparari. Alias ſi nec ante, nec poſt intervenerit carnalis copula, quamvis utrique ipſorum pro eo, quod graviter peccarunt, ſit pœnitentia injungenda, non tamen eſt matrimonium cum ea contractum poſt uxoris obitum dirimendum.

Non licet, nec interficere, nec facere interfici extra judicium uxorem adulteram. hic loquitur cum D. Th. in ſup. 3. p. q. 91. art. p.

Et gratia hujus materiæ, quia etiam nimis, ut ſuperius diximus, a quibuſdam frequentatum eſt, dicimus, quod uxorem adulteram per judicium civile, non eccleſiaſticum convictam licitum eſt a Judice interfici, vel ſic puniri, dummodo vir hoc proſequatur amore juſtitiæ, non livore vindictæ. Extra judicium autem interficere, vel facere interfici non licet ſecundum legem divinam. Lex autem humana permittit, inventam in actu adulterii cum adultero interfici, & concedit mitius agi cum eo. In foro tamen pœnitentiali puniendus eſt; graviſſimum enim crimen eſt, & quoad aliquid major pœna imponetur uxorem interficienti, quam matrem propter majorem pravitatem in occidendo; licet majus peccatum ſit interficere matrem eo, quod magis naturæ repugnat.

Majus peccatum eſt occidere Matrem, quam uxorem cum D. Th. in ſup. 3. p. q. 91. art. 2. ad 2

CAP. LXIII.

De impedimento, quod dicitur cultus diſparitas.

CUltus diſparitas; Ut ſi Chriſtianus contrahat cum Judæa, vel Sarracena. Sed ut clarius intelligatur, dicimus, quod ſi fidelis contrahat cum infideli, tunc nullum eſt matrimonium. Sponſalia tamen poteſt fidelis cum infideli contrahere ſub conditione, ſi convertatur * *ad fidelem*. Sed matrimonium ſub conditione contrahere non poſſet eo, quod nil agitur propter diſparitatem, nec etiam ſponſalia, ſimpliciter contracta valerent. Et licet ſub conditione convertendi contracta fuerint, tamen poſt converſionem opus eſt novo conſenſu ad matrimonium.

Si fidelis contrahat cum infideli, nullum eſt matrimonium.

Forſan * *ad fidem*

Ejuſmodi matrimonium nec ſub conditione contrahi poteſt. Nec ſponſalia in ejuſmodi caſu ſimpliciter contracta valent.

Quid dicendum, ſi infideles inter ſe contrahant?

Sin autem infideles inter ſe contrahant, licet verum ſit matrimonium, tamen ſi alter eorum convertatur ad fidem, alter remaneat infidelis, tunc ſi infidelis non vult cohabitare fideli, vel ſi vult cohabitare, non tamen ſine injuria, & blaſphemia nominis Chriſtiani, vel ut eum pertrahat ad infidelitatem, vel ad aliud mortale peccatum: In iſtis caſibus contumelia Creatoris ſolvit jus matrimonii circa fidelem, & ideo poteſt licite contrahere fidelis.

Contumelia Creatoris.

Contumelia Creatoris ſolvit jus matrimonii in fidele. D. Th. in ſup. 3. p. q. 90. art. 5.

CAP. LXIV.

De cohabitatione fidelis cum infideli.

UBi autem infidelis vult cohabitare fideli ſine aliquo prædictorum, ſi fidelis velit cohabitare ei, bene facit, ſed in conſilium propter ſpem converſionis illius;

illius; tamen quia nunc nimium obſtinati infideles, & duræ converſionis, ſtatim debent ſeparari, ut ſit idem judicium, ſicut in caſu proximo, non enim compellendus eſt fidelis cohabitare: illa tamen vivente, non poterit cum alia contrahere, quoniam durat matrimonium. Et notandum, quod hoc caſu infidelis cognoſcens uxorem ſuam propter bonum matrimonii, aut fidei, qua tenetur uxori debitum reddere, cum ſit actus juſtitiæ, & temperantiæ, non peccat. Et quia hæc materia non multum in uſu, ideo omittimus ampliare.

CAP. LXV.

De impedimento, quod dicitur vis.

Violentia ex ſui natura, & ſine ordinatione Eccleſiæ matrimonialem conſenſum excludit.

VIs, ut contraho cum aliqua propter vim, vel metum, qui poſſit cadere in conſtantem virum. Ubi ſciendum, quod violentia ex ſui natura, & ſine ordinatione Eccleſiæ matrimonialem conſenſum excludit: ubi enim metus, vel coactio interceſſit, non poteſt locum habere conſenſus, & ſic nec matrimonium, quod ſolo conſenſu contrahitur.

Differentia inter vim, & metum. Item inter vim levem, & violentam.

Inter vim autem & vim, metum & metum magna eſt differentia. Ideo dicimus, quod vis eſt majoris rei impetus, qui repelli poteſt: metus autem eſt inſtantis, vel futuri periculi cauſſa mentis trepidatio. Coactio, ſive vis levis non excludit matrimonialem conſenſum, violenta autem excludit. Violentam intelligimus, cum quis capitur, vel trahitur, vel invitus ducitur, vel ligatur, & ſimilia ſiunt. Levem dicimus, quæ fit per minas verborum, ut ſi dicatur: niſi hoc feceris, non habebis gratiam meam, vel non diligam te, & ſimilia comminatoria.

De metu cadente in conſtantem virum.

Metus autem, qui cadit in conſtantem virum, ut metus mortis, cruciatus corporis, excludit, & excuſat conſenſum matrimonii. Nam & ſi quis in adulterio deprehenſus, furto, vel alio maleficio deprehenſori dedit, vel promiſit aliquid, ne perderetur, & quia timuit mortem, vincula, & pericula, & metus ſervitutis, talia excuſant. Sicut ſi daret vir, aut mulier, ne ſtuprum patiatur, & ad hoc eſſet materia parata, talia enim ſunt, quæ cadunt in conſtantem virum, & excuſant. Bonis enim viris major iſte metus, quam mortis eſſe debet.

Hac in re perſonarum conditio eſt inſpicienda.

Et notandum, quod perſonarum conditio eſt inſpicienda: nam talis metus caderet in virum, qui non caderet in alium, non enim homo claræ dignitatis in Urbe timere debuit, etiam Rex, Princeps, vel alius magnus homo, parvi militis, vel hominis metum timere debuit, ut ſic Judex animum ſuum ſecundum diverſitatem perſonarum, vel locorum, & rerum confirmet, & judicet de metu, & violentia, ac de matrimonio aliquo, vel nullo, attendendo etiam, quod minor metus excuſat feminam, quam hominem. Unde ſi præceſſit occaſio, & metus, qui poteſt cadere in conſtantem virum, ſed tamen ſic compulſus, factus eſt volens, credimus, quod non ſit matrimonium. Ex quo enim conſtat de occaſione, præſumitur non conſenſiſſe, niſi probetur contrarium. Secus, ſi poſtea libere conſentiret: nam ad eſſe matrimonium requiritur nedum conſenſus, ſed liber conſenſus. Unde ſi filia timore mortis patris ſui in aliquem conſentiat, non eſt matrimonium, quia non eſt liber conſenſus. Captivus quoque in vinculis pro pecunia extorquenda, ſi contrahat matrimonium: quia & tunc poſſet procuratorem conſtituere, niſi eſſet captus ab hoſtibus, & ſic ſervus factus, vel niſi captus, vel detentus eſſet ad tale matrimonium contrahendum.

Minor metus excuſat feminam, quam hominem.

Quid dicendum, ſi compulſus factus eſt volens?

CAP. LXVI.

Varii caſus, in quibus metus aliquando excuſat, aliquando non.

Varii caſus hac in re.

ET notandum circa hanc materiam, quod ſi mulier, quæ allegat metum, ſteterit per annum & dimidium cum marito, vel minori tempore, & tali pro arbitrio boni viri, præſumi debeat pro conſenſu. Vel conſenſerit ſemel in carnalem copulam, habita opportunitate reclamandi, non debet poſtea audiri, ſi allegat metum, vel violentiam, quia præſumitur tacite conſentire: Sed ſi cogatur ad carnalem copulam, & per vim abſolutam, tunc non eſt matrimonium: Si per vim conditionatam, ut illa, quæ fit per metum; aut ergo ſufficientem, & ſic non eſt matrimonium; aut inſufficientem, tunc in judicio fieri præſumitur matrimonium, ſi tamen non conſentit non eſt matrimonium, abſoluta enim coactio non cadit in conſenſum animi, licet poſſit cadere in copulam carnis.

Abſoluta coactio non cadit in conſenſum animi, licet cadere poſſit in carnalem copulam.

Quid, ſi ad conſenſum coactum apponatur juramentum?

Et attendendum, quod ſi ad conſenſum coactum apponatur juramentum ſecundum judicium fori, quo fit ſecundum ea, quæ reipublicæ expediunt, tale juramentum non eſt obligatorium ſecundum judicium poli, quo judicatur ſecundum ea, quæ magis ſaluti animæ confitentis, hoc eſt privatæ perſonæ, expediunt; conſulendum eſt, quod impleat juramentum, vel ſaltem per Superiorem impetret abſolutionis beneficium, ſi juramentum violavit, non enim eſt cogendus implere. Et idem ſi aliquid promiſiſſet dare per metum, qui caderet in conſtantem virum, concedimus, quod ubi eſſet indicium, per quod inveniri poſſet defenſio a Judice, etiam coactus debet ſolvere promiſſum, & competit ei actio ex lege, & ex canone, & Judex debet eum reſtituere in integrum

tegrum; ſi tamen defectus eſſet Judicis, non debet ſolvere,ſed aliquam levem propter cautelam facere pœnitentiam de promiſſo, præcipue ſi fides, vel juramentum non intervenerit, quo tunc ſervetur, ut dictum eſt.

Matrimonium, cum ſit quædam relatio,claudicare non poteſt:ac quidquid impedit in uno,impedit in alio.

Dicimus autem, quod conſenſus coactus ſaltem ex parte agentis non facit matrimonium,quod cum ſit quædam relatio, claudicare non poteſt, nam quidquid impedit in uno, impedit in alio: ſi autem poſtmodum conſentiret, eſſet matrimonium tunc, dummodo cogens adhuc in ſuo conſenſu remaneret. Si autem voluntatem mutavit, conſenſus ejus non poteſt facere matrimonium, quod ſi prius conſentiens poſtmodum vult diſſentire, cum alter conſentiat,compellendus eſt per Eccleſiam; præſumitur enim manere in eodem conſenſu, nec ei licet ſecundum Eccleſiæ judicium variare conſenſum.

Parentes non poſſunt cogere liberos ad contrahendum matrimonium, niſi cauſa aliqua neceſſaria ſubſit, ex qua liberi etiam ſine præcepto paterno teneantur contrahere.

Parentes, quoque non poſſunt cogere liberos ad matrimonium contrahendum cum aliqua muliere ſpecialiter, vel generaliter: niſi ſubeſſet cauſſa aliqua neceſſaria, ex qua etiam ſine præcepto paterno teneretur filius ad aliquod matrimonium contrahendum, ſed nec parentes temere urgeant matrimonia filiorum. Ex natura enim ipſius contractus intelligitur iſta conditio, ſcilicet, ſi liberi conſenſerint. Et ipſi parentes obligantur dumtaxat ad inducendum eos bona fide.

CAP. LXVII.

De impedimento Ordinis.

Alias* *exiſtentes*

Ordo, ut ſi exiſtens in ſacris ordinibus contraham matrimonium. In minoribus enim * *exiſtens* ordinibus licite contrahunt,niſi Monachi,aut Religioſi eſſent, qui continentiam profitentur. Sacer enim ordo impedit matrimonium contrahendum, & dirimit jam contractum. Immo tales contrahentes ſunt excommunicati ipſo jure, ſicut qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis, aut cum monialibus contrahunt.

Sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, & dirimit jam contractum.

Prælati tales faciant excommunicatos publice nominari in ſuis Eccleſiis.

Et circa hoc attendant maxime Prælati,quod tamdiu tales faciant excommunicatos publice nuntiari in eorum Eccleſiis, donec recognito errore ab invicem ſeparentur, & fecerint ſe abſolvi.Sed propter hoc pœnas juris alias contra ipſos ſtatutas non evitabunt.Intelligimus tamen, quod primo ſeparentur, antequam abſolvantur. Abſolutio autem fiet per Diœceſanum ordinarium,cum Papa ſibi non reſervaverit.

Cautio adhibenda in ejuſmodi excommunicatis publicandis.

De præmiſſis autem ſic excommunicatis publicandis intelligimus tunc, ubi per evidentiam facti, vel aliis probationibus, etiam nemine deferente, conſtiterit,parte tamen requiſita, & vocata,quia contra non citatum non procederetur, niſi contumaciter abeſſet. Immo nec ipſi, contra quos proceditur, debent præſtare difficultatem,nec diſputare de apicibus juris contra denuntiantes, vel inquirentes, cum agatur de correptione criminis.Ideo Prælati procedant in talibus, maxime ſi manifeſte exiſtat, nullis admiſſis teſtibus,nec cauſſa in judicium deducta. Si vero non eſſet manifeſtum, ex officio tunc inquirat, procedendo ſummarie, & de plano, nec debet admitti appellatio, cum de correptione agatur.

Epiſcopus cum iſtis; ſic contrahentibus diſpenſare poteſt, ſicut & abſolvere poſt condignam pœnitentiam.

Cum iſtis etiam Religioſis, vel in ſacris conſtitutis, vel ſic contrahentibus de facto matrimonia, poſſunt Epiſcopi diſpenſare poſt condignam pœnitentiam, ſicut & abſolvere:alius vero inferior non, cum ſint ipſo facto ſuſpenſi a beneficiis, & officiis.

In duobus tamen caſibus non poteſt.

Fallit tamen in duobus caſibus; primo, ſi forſan durante ſuſpenſione immiſceant ſe divinis. Secundo ſi ſic contrahendo tranſivit ad bigamiam, quibus caſibus ſolus Papa diſpenſabit. Notanter autem ſuperius poſuimus, ſcienter contraxerunt, nam ignorantia facti probabilis, & non affectata excuſaret a pœna prædicta. Licet enim ignorarent jus, ſcientes tamen gradum inter ſe,non excuſarentur: & ſi ignorans contraxit, & poſt ea tempora ſcivit, & nihilominus cohabitavit, non ligatur pœna juris, quæ ſolos contrahentes punit,non cohabitantes, vel inceſtuoſos; peccat tamen cognoſcendo illam, quam ſine judicio Eccleſiæ dimittere, vel admittere non poterat. Si tamen affectione * *mortali* cum ea cohabitaverit, credimus tunc locum pœnæ, cum novus videatur ſuperveniſſe conſenſus.

Ignorantia facti probabilis, & non affectata excuſaret ab ejuſmodi pœna.

Alias* *maritali.*

Quid dicendum, ſi quis contraxerit cum illa, quam credebat conſanguineam, vel affinem, vel monialem, & re vera non erat?

Sed ſi contraxit cum illa, quam credebat conſanguineam, vel affinem,vel monialem, ſed in veritate non erat, dicendum, quod propter conſcientiam ab initio debuit reputare ſe excommunicatum, & ligatum pœnis, ut conſcientiæ ſatisfaciat. Sed poſt certioratus, poteſt deponere conſcientiam, nec enim vere ligatus fuit. Præmiſſa intelligimus, cum matrimonialiter junguntur perſonæ prædictæ. Nam ſi ſponſalia dumtaxat fuerint facta, nec fuerit ſubſequuta carnalis copula, non eſſet locus pœnæ. Et idem, ſi contrahens pateretur defectum conſenſus, ut quia impubes, furioſus, & ſimile. Idem etiam in coactione habita in diſtinctione ſuperius poſita *in caſu violentiæ,&c.*

Sciens dumtaxat ligatur ejuſmodi pœnis.

Sed cave, quia ſi uterque contrahentium ſciat impedimentum, uterque ligatur;ſi neuter,neuter ligatur. Si unus ſciat, & alter ignoret, tunc ſciens, & non alius ligatur pœnis, & ſententiis ſupradictis.

CAP.

CAP. LXVIII.

De impedimento ligaminis.

Ligamen, ut ſi ego, qui habeo uxorem, ligatus contraham cum alia, ipſa vivente; quod impedimentum ſemper validum fuit, & antequam ab Eccleſia ſuper hoc aliquid conſtitueretur; nunquam enim alligatus uxori poteſt, vel potuit aliam accipere, vivente illa prima, & ſi quis hoc fecerit, adulterium commiſit, niſi cui Divina revelatione, vel inſtinctu Spiritus Sancti revelatum fuerit, ut fuit Patriarchis. Et ideo, quia quàmplures contractis matrimoniis legitime per verba de præſenti, præconceptam malitiam occultantes, cum aliis clandeſtine fugiunt, ut maritis adhærendo, aut ſecundo contrahendo, per conſtitutiones antiquas omnes, & ſinguli tales, eorum participes, & ad prædicta conſilium, auxiliumve præſtantes, & favorem, excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto.

Hoc impedimentum ſemper validum fuit, etiam antequam ab Eccleſia ſuper hoc aliquid conſtitueretur.

Cum hoc impedimento contrahentes excommunicationis pœnam incurrunt. Eamdemque incurrunt eorum participes, & conſilium, vel auxilium præſtantes, & faventes.

Et intelligimus hoc impedimentum, nedum in conjunctis matrimonialiter, & per verba de præſenti, & ſequuta carnali copula, ſed etiam in conjunctis per verba de futuro, & ſponſalia, nam non debet cum alia contrahere, nec illa cum alio, & ſi tantum contracta fuerint ſponſalia per verba de futuro, ſimiliter juramento firmata, debet dimittere ſecundam, & redire ad primam. Si tamen cum ſecunda contraxit per verba de præſenti, vel de futuro, ſed ſubſequeretur carnalis copula, tunc debet ſtare cum ſecunda, & agere pœnitentiam de fide mentita per judicium Eccleſiæ; alias autem nunquam licet uxorem dimittere, ſequuta carnali copula, niſi propter fornicationem judicio Eccleſiæ, quoad habitationem tantum, non tamen matrimonium propter hoc ſeparandum eſt. Si tamen non eſſet ſequuta carnalis copula, tunc poteſt alter altero invito religionem tranſire, & qui in ſæculo remanet, poteſt cum alia contrahere. Et quia ſuperius circa principium hujus materiæ latius poſuimus, hic pro repetitis habeantur.

Hoc impedimentum intelligitur etiam in conjunctis per verba de futuro.

CAP. LXIX.

Ignorantia facti hac in re exſcuſat ab adulterio, & fornicatione.

Et nota, quod ſi uxor credit virum non revertentem mortuum, & de facto contrahit cum alio, quamdiu ita credit, excuſatur ab adulterio, & fornicatione propter ignorantiam facti; & filii, ſi quos ex ſecundo ſuſceperit, judicantur legitimi.

Statim autem, cum revertitur primus, debet recedere a ſecundo, & redire ad primum, quod ſi non fecerit, adultera judicatur, primus autem tenetur eam recipere: quia ſi mulier credit primum non revertentem vivere, tunc pro conſcientia, circa redditionem debiti, quoad ſecundum ita tenet. Nam aut pro certo ſcit impedimentum, & tunc non debet exigere, nec reddere; aut credit, ſed credulitate levi, & temeraria, qua expulſa, licet ei reddere, & exigere; aut probabili, & diſcreta, tunc debet poſtulare.

Quid agendum uxori, quæ credidit virum non revertentē mortuum, cum is revertitur?

Quod ſi primus de nocte redeat, & ſic non poteſt judicium Eccleſiæ ſtatim adiri, tunc ea poteſt utrique debitum denegare ſine peccato; tamen in hoc caſu credimus, quod auctoritate propria poſſet redire ad primum. Et ſi Eccleſia nollet eam ſeparare a ſecundo, potius deberet pati excommunicationem, quam remanere cum ſecundo, ſaltem quoad commixtionem. Et ſi primo reverſo, permittat ſe cognoſci a ſecundo ſcienter, non compelleretur eam recipere primus, ſive fuerit juris ignorantia, credens ſibi licere, ſive in contemptum primi matrimonii, quia ignorantia juris naturalis eſt, quæ eam non excuſat.

Quid, ſi is de nocte redeat?

Si Eccleſia forſan falſis probationibus decepta nollet eam a ſecundo ſeparare, potius debet excommunicationem pati, quam cum illo manere.

Et ſi putans virum ſuum vivere, qui revera mortuus erat, cum alio contrahat, an ſit Matrimonium? dicunt quidam, quod ſi illa credebat ſibi licere contrahere cum alio, primo vivente, eſt matrimonium. Si non credebat, non eſt matrimonium, quia non maritali affectu, ſed potius adultero videtur feciſſe, ſicut dicitur de illo, qui contrahit cum illa, quam putat conſanguineam, & non eſt. Nos tamen credimus aliorum ſequentes opinionem, eſſe matrimonium in hoc caſu, non diſtincto, utrum contrahentes credant ſibi licere, vel non.

An ſit verum matrimonium, ſi uxor putans virum ſuum vivere, qui revera mortuus erat, cum alio contrahat?

CAP. LXX.

Uxor non poteſt cum alio contrahere, donec ſit certa de morte mariti abſentis.

In hac autem materia, quia multi potiſſime Laici errant, dicimus, quod ubi maritus eſt abſens, & multo tempore, vel in expeditione armorum, aut alibi quantocumque temporis ſpatio fuerit, eſto, quod nullum novum ſciatur, uxor non poteſt cum alio contrahere, etiam quantumcumque juvenis, donec ſit certa de morte mariti, nec etiam propter metum incontinentiæ diſpenſari poteſt per Epiſcopum. Certificari enim debet prius de morte viri, vel per juramentum illius, ſub quo militavit, vel ſociorum ejus, qui mortem ejus noverunt, vel viderunt ſepeliri, & poſt hujuſmodi probationes nubere poteſt, etiam infra tempus luctus, & abſque nota infamiæ. Sed hæc judicio Eccleſiaſtico ſunt facienda. Sufficit autem unus teſtis, ſi fama publica coadjuvet, immo ſola fama ſufficeret; ſi modo ex aliis præſumptionibus videretur veriſimile maritum eſſe mortuum, ut ſi multum diu ſtetit, vel ſi ſenex, & ægrotatus receſſit, & ſimilia, quæ arbitrio

Quo pacto certificari debeat de ejuſmodi morte?

trio bono præſidenti relinquimus.

Sacerdotes tales mulieres de morte mariti nondum certas contrahere non permittant.

Sacerdotes autem tales mulieres contrahere non permittant, alias ſi contrafecerint, aut matrimonia talium ſolemnizaverint, arbitrio noſtro, vel Epiſcopi ſui venient puniendi. Et nihilominus eis præcipimus, ut tales perſonas ad judicium Eccleſiæ remittant, & revelent.

CAP. LXXI.

De impedimento honeſtatis.

HOneſtas, ideſt publicæ honeſtatis juſtitia, ut ſi contraho cum aliqua conſanguinea uſque ad quartum gradum alicujus, quæ fuerit ſponſa mea.

Quid ſit publicæ honeſtatis juſtitia?

Eſt autem publicæ honeſtatis juſtitia propinquitas ex ſponſalibus proveniens, robur trahens ab inſtitu ione Eccleſiæ propter ejus honeſtatem. Et ideo, cum quis deſponſavit aliquam ſeptem annorum, vel ultra, licet eam non cognoſcat, tamen nullus de conſanguinitate ejus poterit eam habere in uxorem, nec ipſe aliquam ejus conſanguineam.

Ante ſeptennium contracta ſponſalia nullum inducunt publicæ honeſtatis impedimentum.

Niſi fuerint poſt ſeptennium approbata verbo, vel facto.

Ante ſeptennium autem contracta ſponſalia, nullius judicantur momenti, nec aliquod impedimentum præſtant, niſi poſt ſeptennium fuerint approbata verbo, ut puta, vocando ſe ſponſos invicem, vel facto, puta jacendo in eodem lecto, vel ſe oſculando, vel munera tribuendo. Hæc, & ſimilia ſolent conſenſum, & voluntatem oſtendere, vel per cohabitationem ſimul factam, prout ſuperius in materia propria tetigimus. Et his caſibus, cum ſint nulla ſponſalia propter defectum conſenſus, publicæ honeſtatis juſtitiam non inducunt.

Forſan licet non fuerit.*

Et circa hanc materiam * fuerit per jura antiqua, & Doctores ſcriptum, tamen hodie jure novo ſic tenetur, quod ex ſponſalibus puris, & certis, etiamſi conſanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, aut Religionis, aut alia quavis ratione ſint nulla, dummodo non ſint nulla ex conſenſus defectu, oritur efficax impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis ad impediendum, & dirimendum ſequentia ſponſalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvendum. Quare ille, qui ſponſalia pure, & determinate cum aliqua muliere contraxit, & poſtmodum cum ſecunda prioris conſanguinea idem fecit, ex priorum ſponſaliorum vigore, quibus per publicæ honeſtatis juſtitiam ex ſecundis ſponſalibus ſubſecutam minime derogatur, ad matrimonium contrahendum cum prima remanet obligatus. Ille vero, qui ſponſalia cum aliqua ſub conditione contraxit, ſi ante conditionis eventum cum alia prioris conſanguinea per verba contraxit de præſenti, ſecundam retinere debebit, quia prima ſponſalia, tanquam incerta, ante conditionis eventum conſenſum non habuerunt, & ideo nulla publicæ honeſtatis juſtitia fuit orta.

Ex ſponſalibus puris, & certis oritur hoc impedimentum; etiamſi nulla ſint ex aliquo defectu, modo non ſint nulla ex defectu conſenſus.

Conſanguineus furioſi ſponſam ejus in uxorem ducere poteſt defectu conſenſus. D. Th. in ſup. 3. p. q. 89. art. 3.

Et ſecundum hoc conſanguineus furioſi continui ſponſam ejuſmodi furioſi poſſet ducere in uxorem, cum conſenſus defecerit. Caute igitur in hac materia qui judicaturi ſunt, procedant.

Furia impedit matrimoniū defectu conſenſus. D. Th. in ſup. 3. p. q. 89. art. 3.

Senſus, ut ſi carens ſenſu, ut furioſus, matrimonium contrahat, & hujus ſimiles, nam propter defectum conſenſus nullum eſt matrimonium, quod conſenſu contrahitur. Et hic poteſt repeti, quod ſupra diximus in §. *Poteſt autem matrimonium, &c.*

De impedimento, quod dicitur affinis.

Affinis; non enim poſſum contrahere matrimonium cum aliqua de conſanguinitate uxoris meæ quondam uſque ad quartum gradum, quia omnes illæ ſunt mihi affines.

Quid ſit affinitas?

Eſt enim affinitas, proximitas perſonarum, ex carnali copula proveniens, omni carens parentela. Quæ affinitas contrahitur tam per fornicatoriam copulam, quam per legitimam, ſcilicet matrimonialem. Et ideo notanter diximus *ex carnali copula, &c.* Et hoc dummodo ex ordine naturæ cognoſcatur mulier, licet fornicarie. Si vero ex ordinarie, hoc eſt extra, vel citra vas debitum aliquis polluat aliquam, non contrahitur affinitas, nec impeditur ob hoc aliquis de conſanguinitate illius, qui ſic eam polluit illam ducere in uxorem, quamvis talis pollutio criminoſa ſit, & damnoſa, quod intelligimus, niſi pollutio illa facta fuiſſet matrimoniali conſenſu, quo tunc impediret, quia oritur publicæ honeſtatis juſtitia; alias non, cum non fuerit ſanguinis commixtio, nec carnis unitas, per quæ contrahitur affinitas.

Copula debet eſſe ordinarie inita, quia ex concubitu non habente commixtionem ſeminum nulla cauſatur affinitas. D. Th. in ſup. 3. p. q. 56. art. 3.

Debet etiam eſſe copula conſummata.

Et idem dicendum, ſi invaſit, & intravit clauſtrum pudoris, non tamen pervenit ad conſummationem operis, ſcilicet per ſeminis emiſſionem. Sed ſi vir emiſerit ſemen, & mulier non, dicunt quidam tunc non contrahi affinitatem emiſſione ſeminis alterius tantum, quia nec conſummatur matrimonium, nec, ut prædictum eſt, matrimoniali affectu fieret, quia, ut dicunt, requiritur ſeminum commixtio. Credimus tamen ſine præjudicio affinitatem contrahi, cnm qualiter de hoc conſtare poſſit, non videamus. Vir enim hoc ſecure jurare non poſſet, ſcilicet illam non emiſiſſe, & ideo in dubio ſecurior via erit tenenda. Nam & ſponſalia prius facta, etiamſi neuter emitteret, ratificarentur propter affectum matrimonialem, ſi ſint apti.

Quo pacto computentur gradus in affinitate?

Sed ſciendum, quod gradus dicuntur eſſe in affinitate, & computantur in ea ex parte conſanguinitatis tantum. Unde cum quæritur de affinitate aliquarum perſonarum, in quo gradu ſint, vel attineant, recurrendum eſt ad perſonam illam

Regula ad dignoſcendos affinitatis gradus cum verbis D. Th. in ſup. 3. p. q. 89. art. 7. o.

lam, qua mediante ventum fuit ad affinitatem, & quærendum eſt, quo gradu diſtat ab illa perſona, de qua agitur ſecundum regulam poſitam ſupra in tractatu de cognatione carnali: quoto enim gradu diſtat a ſtipite, quoto gradu diſtat a quolibet deſcendentium, nam & ſic in hac computandum; nam toto gradu diſtant in affinitate.

CAP. LXXII.

Ex qua perſona conſideretur, & contrahatur affinitas?

Conſideratur autem affinitas, ſicut contrahitur, ex perſona addita conſanguinitate per carnis copulam ſecundum regulam, quæ dicit: *Perſona addita perſonæ per carnis propagationem*, ideſt per carnalem procreationem prolis, *mutat gradum, non genus attinentiæ. Et perſona addita perſonæ per carnis copulam mutat genus attinentiæ, ſed non gradum.*

Ponitur exemplum pro clariori intellectu.

Pro meliori, & clariori intellectu ponatur exemplum. Ecce ego, & ſoror mea una conſanguinitas ſumus, ideſt de una conſanguinitate. Accipiat ſoror mea maritum, vel amaſium habeat, ſcilicet Ciochum; iſte Ciochus eſt addita perſona conſanguinitati meæ per carnalem copulam, & mutat genus attinentiæ, quia ipſe eſt mihi affinis, & non conſanguineus, ſicut ſoror mea eſt mihi conſanguinea, ſed non mutat gradum, quia ſicut ſoror mea eſt conſanguinea mihi in primo gradu, ſic & ipſe Ciochus eſt mihi affinis in primo gradu affinitatis genere, & in primo gradu. Et idem intelligendum in qualibet conſanguinea, & quolibet conſanguineo, quia omnes mariti conſanguinearum mearum ſunt mihi affines in primo genere affinitatis, & in illis gradibus, in quibus uxores eorum attinent mihi, quia ſi qua eſt mihi in ſecundo gradu conſanguinitatis, maritus ejus eſt mihi in primo genere affinitatis, & in ſecundo gradu, & ſic de ceteris gradibus, quoniam gradus computantur inter affines reſpectu conſanguinitatis tantum.

Gradus computantur inter affines reſpectu conſanguinitatis tantum.

Eadem eſt ratio de maritis conſanguinearũ, ac de uxoribus conſanguineorũ.

Quod autem dictum eſt de maritis conſanguinearum mearum, idem de uxoribus conſanguineorum meorum, quia ſunt affines omnes in primo genere affinitatis, & in illis gradibus, in quibus mariti earum ſunt mihi conſanguinei, & ego eis ſimiliter ſum affinis, & in eodem genere, & in eiſdem gradibus. Et etiam omnes conſanguinei uxoris meæ ſimili modo, & ſimili gradu ſunt affines mihi; & omnes conſanguinei mei ſunt etiam affines uxori meæ ſuper computatis gradibus, ut prædictum eſt.

Inter conſanguineos tamen uxoris meæ, & conſanguineos meos nulla propter hoc contrahitur affinitas, quin matrimonium inter ſe contrahere poſſint. Unde pater, & filius contrahere poſſunt cum matre, & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, avunculus, & nepos cum duabus ſororibus, & duo fratres cum duabus ſororibus. Unde concluditur in hac materia, quod ſicut debet abſtinere a matrimonio propriarum conſanguinearum, ſic & abſtinere debet a matrimonio conſanguinearum uxoris ſuæ uſque ad quartum gradum incluſive, ut prædictum eſt.

Inter conſanguineos uxoris, & conſanguineos mariti nulla contrahitur affinitas.

Et ſi moriatur conſanguineus, mediante quo contrahitur affinitas, nihilominus perſona, quæ ſupervivit, remanet affinis: nam nec alia copula conjugalis affinitatem prioris copulæ ſolvere valet.

Poſt mortem conſanguinei, quo mediante contrahitur affinitas, perſona, quæ ſupervivit remanet affinis.

CAP. LXXIII.

De impedimento ex impoſſibilitate coitus.

Si forte coire nequibis. Ut in frigidis, & maleficiatis; nam hæc impoſſibilitas maximum locum obtinet, quoniam ſui natura potius, quam conſtitutione Eccleſiæ introducitur, cum removeat utramque cauſam matrimonii contrahendi.

Unde proveniat hoc impedimentum?

Eſt enim vitium animi, vel corporis, vel utriuſque, quo quis impeditur alii carnaliter commiſceri; quia eſt defectus naturalis, ſeu accidentalis. Naturalis aliquando contingit propter defectum ætatis, tam in maſculo, quam in femina. Aliquando propter frigiditatem nimiam, & hoc in maſculo tantum. Aliquando propter nimiam arctationem, & hoc in femina tantum. Accidentalis, aliquando violenta, ut propter caſtrationem, aliquando occulta, ut propter maleficium, quod accidit propter ſortes, vel facturas. Naturalis impotentia in pueris matrimonium impedit, quamdiu durat illa ætas, prout ſuperius latius expreſſimus, & propter fragilitatem provenit. Si eſt perpetua impedit matrimonium contrahendum, & dirimit jam contractum.

Duplex eſt hic defectus, naturalis, & accidentalis. D. Th. in ſup. 3 p. q. 39. art. p.

Naturalis unde proveniat?

Accidentalis unde proveniat?

CAP. LXXIV.

Quid agendum, cum hoc impedimentum in muliere ex arctatione provenit?

Circa ea, quæ propter arctationem proveniunt in muliere, vel ſimile impedimentum naturaliter contractum, propter quod ad viriles amplexus mulier inepta redditur. Dicendum, quod ſi beneficio medicinæ poſſit ſuccurri, vel per aſſiduum uſum hominis proportionatæ naturæ illius mulieris, tunc non impedit matrimonium: nam & ipſa modicam violentiam ſuſtinere debet, gravem non, potiſſime, ſi cum periculo corporali eſſet. Et ideo ſi per arctationem ſeparata fuerit a pri-

Arctationi mulieris beneficio medicinę poteſt, & debet ſuccurri. D. Th. loco ſup. cit.

a primo, quia non poterat eam cognoſcere, & fuerit alteri copulata matrimonialiter, per cujus uſum fuerit apta facta, & idonea primo, ſi hoc conſtet per juramentum Matronarum, a quibus inſpiciuntur ipſa, & ipſe, vel ad minus ipſa, reddenda eſt ei, & ſeparanda a ſecundo. Sed ſi ipſa fuerit Religionem ingreſſa, primus vir remaneat cum ſecunda, cum qua contraxit poſt divortium ex cauſa prædicta factum.

Quid agendum, cum ſine periculo corporali mulieri impotenti ſuccurrere medicina non poteſt?

In caſu autem corporalis periculi, cum aliter ſubveniri non poteſt, ei matrimonium impeditur, & dirimit jam contractum. Sicut in caſu frigiditatis, & hoc quantum ad illum, reſpectu cujus ei ſubveniri non poteſt, non quantum ad alium, * cujus ſubveniri ei poſſet.

Forſan * *cujus reſpectu*.

Quænam mulier reddita primo viro reſtituenda ſit ſecundo?

Quod ſi reddita fuerit primo, & non invenerit eam aptam, ſecundum opinionem æquiorem ſtabunt per triennium, quaſi præſumatur maleficium, & ſi non potuerit eam cognoſcere, interim reſtituetur ſecundo, qui eam cognoverit, & ſine ſpe reſtitutionis. Et eſt ſecurum in hoc caſu attendere, an cognoſcibilis fuerit primo, ſicut ſecundo, hoc eſt, ſi homines ejuſdem naturæ, ſtaturæ, & conditionis, vel diverſarum, ut ſic uno caſu fiat reſtitutio primo, alio non. Ubi enim ſine corporali periculo a primo nullo modo cognoſci poterat, non fuit matrimonium, & ubi mulier ita arcta inveniretur, quod niſi per inciſionem poteſt fieri apta, ante inciſionem cum ea matrimonium non contrahitur, ſed poſt ſic.

Mulier ad contrahendum matrimonium ſemper apta reputatur reſpectu illius, cum quo poſſet ſine periculo commiſceri.

Et ſi de facto cum tali contractum fuerit ante inciſionem, ſi duret conſenſus poſt inciſionem, puta quia ſic carnaliter copulantur, non eſt opus novo conſenſu, quia ſublatum eſt impedimentum, propter quod conſenſus primus inefficax erat ad efficiendum matrimonium, nam & mulier ipſa ad contrahendum matrimonium ſemper apta reputatur quoad illum, cum quo poteſt ſine periculo commiſceri, & non quoad illum, cum quo non poſſet.

Mulier cogi non poſſet ad inciſionem, ubi periculum mortis timeretur.

Sed nec mulier poſſet cogi ad inciſionem poſt matrimonium contractum de facto, ubi periculum mortis timeretur, licet, ut prædiximus, modicam læſionem ſuſtinere debeat. Unde qualitercumque mulier impotens fuerit ad reddendum carnale debitum, ſi ignoranter cum tali contractum fuerit, matrimonium impeditur; ſi ſcienter, conſilium eſt, ut talem retineat, ſaltem ut ſororem: Sed neceſſitatis non eſt, niſi quamdiu placuerit. Aliter quantumcumque mulier defectuoſa fuerit, dummodo non quoad debitum carnis reddendum, non impeditur cum ea matrimonium contrahendum, nec contractum dirimitur.

Quo pacto hoc impedimentum propter caſtrationem inducatur?

Propter caſtrationem vero utriuſque teſtis quis ineptus redditur ad reddendum debitum, & ſic per conſequens ad matrimonium contrahendum, ſicut, & pueri, dirimitur jam contractum. Si tamen ſectio poſt matrimonium ſequatur, talis accidentalis impotentia non dirimit jam contractum.

CAP. LXXV.

De eodem impedimento, quod ex maleficio provenit.

Et ideo in quocumque alio impedimento ſuperveniente circa impotentiam, quæ provenit ex maleficio, dicendum, quod ſi maleficium ſupervenit matrimonio contracto, non dirimit illud, ſi præcedit, aut eſt impedimentum temporale, & non dirimit, aut perpetuum, & hoc dirimit, & impedit.

Duplex maleficiorum genus ex D. Th. in ſup. 3. p. q. 89. art. 2.

Et attende, quod aliquando maleficiantur homines ſic, quod redduntur impotentes omnibus mulieribus, præterquam uni; aliquando maleficiatur homo ſic, quod non poteſt cognoſcere uxorem ſuam, ſed bene cognoſcit alias.

Maleficium perpetuum quando matrimoniū impediat?

Maleficium ergo perpetuum tunc impediret matrimonium, quando quis maleficiatus eſt, ne cum iſta, cum qua volebat contrahere, poſſit aliquatenus rem habere. Si maleficiati enim per orationem ſanari nequeunt, ſeparari valebunt ab uxoribus, & ſi alias duxerint, eis viventibus, ad eas, quas reliquerant, non revertantur, etiamſi poſſibilitas coeundi eis reddita fuerit.

Si mulier maleficium procuraverit, divortium petere non poteſt.

Quod ſi mulier maleficium procuraverit, divortium petere non poteſt; quodlibet autem maleficium præſumitur temporale; nam omnis homo pubes aptus ad coitum præſumitur; ex quo tamen per triennium cohabitaverunt ſimul dantes operam ſtudioſam carnali copulæ, ſi duret adhuc impedimentum, præſumitur perpetuum maleficium; aliter enim præſtaret materiam homicidii, ſi homo ſtaret cum uxore, & eam cognoſcere non poſſet, & alias mulieres cognoſceret; Matrimonium enim fit * vitandæ incontinentiæ, & prolis ſuſcipiendæ.

Forſan * *cauſa*.

Si maleficium fuerit univerſale, redditus deinde ad potentiam redire debet ad primam.

Advertendum tamen, quod ſi maleficium fuerit univerſale reſpectu cujuslibet perſonæ faciens impotentiam coeundi, tunc ſi alteri nupſerit, rediens ad potentiam redire debet ad primam, quia oſtenditur impedimentum non perpetuum, & fuiſſe ſublatum. Secus ſi reſpectu unius ſpecialis perſonæ; nam cum tunc fuerit ſeparatum matrimonium, data licentia alteri nubendi, non tenetur redire ad primum matrimonium, quod nullum fuit, & ſecundum verum fuit; licet quidam dixerint utile ſuper hoc, Dominum Papam jura condidiſſe ratione tanti dubii, ut videtur.

Et

Et ut cautius in hac materia judices inſtruantur, ſciendum, quod ſi divortium petatur ob impotentiam cocundi ex parte viri, quia allegatur naturalis frigiditas, & maſculus major octodecim annorum hoc dicit, & uxor confitetur, quod maritus aſſerit, tunc arbitrarium tempus ſtatui debet, aut unius menſis, aut trium, aut anni, per quod tempus præcipiatur, ut ſimul morentur, & præſtabunt ſacramentum, in virtute cujus injungetur eis, ut ſimul cohabitent, & bona fide operam dent ad debitum carnale hinc inde reddendum, vir in proficiendo, mulier in patiendo; ita quod neuter aliquam fraudem adhibeat, nec per ipſum ſtet, quominus carnalis copula ſubſequatur. Quo tempore elapſo veniant iterum coram judice, quia rectum faciens judicium, iterato juramentum exiget, jurabitque maſculus, ſe non cognoſcere aliquam mulierem, nec moveri ad voluptatem coeundi. Mulier jurabit, quod nunquam vidit ipſum moveri, nec virgam erigi, licet omnem diligentiam adhibuerit, ut opus carnale ſequeretur infra tempus ſtatutum. Et uterque habebit ſeptem propinquos, vel ſi non habet, vicinos bonæ famæ, qui converſationem eorum cognoſcant, qui jurabunt ſe vere credere, quod conjuges juraverunt. Et ſic divortium celebrabitur. Dicimus tamen, quod membrum viri primitus eſt inſpiciendum per medicos probos, & hoc de facto in minoribus agentes habuimus. Et eadem dicimus, cum mulier provocat ad divortium, & vir confitetur.

Tempus arbitrarium aſſignatur.

Quæ dicere ad Judicem debent?

Vocentur propinqui ſeptem, aut vicini.

Cave tamen, ne mulier deceptione provocet, ſicut de facto etiam in minoribus agentes habuimus quamdam nobilem juvenem habentem virum ſenem, propterea ad divortium provocantem, & ſecum ducentem pro ſcutifero quemdam ſuum amatorem, & ſe virginem dicentem, & ut appareret matronis inſpicientibus, medicamina reſtrictiva adhibentem; verum per unam matronam mirabiliter fuit diſcooperta, & fraus reperta, virque inſpectus, & probatus cum aliis mulieribus potens. Et adhibitæ fuerunt cum eis matronæ ſtantes ſimul in lecto, & ad comprobandum fraudem, & ſic illuſa a noſtro judicio diſceſſit, cum illo viro remanendo.

Cavendum, ne mulier deceptione provocet ad divortium.

Sed non omittimus, quod ſi vir facto, ut præmiſſum eſt, divortio, cum alia contraxerit, & cognoverit, jurantes conjuges rei perjurii habebuntur, & poſt peractam pœnitentiam ad priora connubia revertentur: cum conſtet potius ſuggeſtione diabolica fore factum, nec diſtinguimus, utrum mulier virgo ſit, vel corrupta, ex quo uterque impotentiam confitetur.

Si fraus, & perjurium interceſſit, redeundum ad priora connubia.

C A P. LXXVI.

Non creditur viro contra matrimonium, ſed mulieri, quæ pro matrimonio eſt.

Quod ſi viro provocante ad divortium ex hac cauſſa mulier aſſerit ſe ab eo cognitam, ſtandum eſt verbo mulieris; vix enim aliqua inveniretur, quæ hoc aſſereret, niſi cum veritate, maxime propter præjudicium, quod ſibi generaretur ex hoc. Et multi, ut poſſent dividi ab uxoribus, incurrerent perjurium, ideo non creditur contra matrimonium, ſed mulieri, quæ pro matrimonio eſt.

Quod ſi mulier divortium petat, marito dicente ſe ipſam cognoviſſe, ſtatur verbo viri, qui eſt caput mulieris, niſi contrarium per aſpectum corporis appareret.

At ſi mulier divortium petat, ſtatur verbo mariti.

In hujuſmodi tamen inſpectionibus magna cautela eſt adhibenda, ut ſcilicet fiat per plures matronas honeſtas, & peritas in opere nuptiali, quia res occulta eſt, & ſic non prona viſui, & Nos audivimus plures, & diverſas contrarietates in judiciis examinantes, ut ſuperius diximus, & fraudes adhiberi poſſunt. Corrupta igitur vere non poteſt ſe virginem oſtendere. Adhibeatur etiam in talibus conſilium phyſicorum.

Magna cautela in ejuſmodi inſpectionibus adhibenda!

Quod ſi corrupta non poſſit per talem probationem, ſcilicet inſpectionis evadere, & vir dejerat, poteſt ſibi providere ſeorſum jacendo, ne ex impetitione viri ad libidinem provocetur, & pericula incontinentiæ immineant; quod ſi hoc vir ſibi negaret, non putamus, quod mulier annuere teneretur.

Quid agendum corruptæ, ſi nequeat per probationem inſpectionis evadere, & vir dejerat?

Sed ſi vir aſſerat ſe moveri ad coitum, vel quod alias mulieres cognoſcit; eo caſu, quia potius maleficium allegatur, tunc ad præceptum Judicis, ut ſupra dictum in alio caſu, triennium ſtandum eſt, ut ſimul morentur, præſtito juramento, ut ſupra cautum eſt. Sed quia quandoque infirmitas provenit ex peccato, prius confitebuntur peccata ſua ambo humiliter, & non ficte, ſicut quaſdam viles puellas in hoc tempore noſtro comperimus, potius turpem vitam eligentes, viros non patientes, ut requirit opus matrimoniale. Hoc autem triennium computatur a præcepto Judicis; nam licet ante per plures annos ſic ſteterint, non valentes complere matrimonium, imputandum eſt illi, qui hoc tacuit.

Caſus, in quo ſtandum eſt per triennium, ut impotentiæ veritas innoteſcat.

Intelligimus autem ſtare per triennium continuum, vel aliud tempus arbitrarium, ſcilicet, ut ſufficiat cohabitare ſimul per majorem partem temporis, & maxime tempore veris, quo tempore plus incaleſcit luxuria. In hoc autem tempore daretur reſtitutio, ſi infirmitas ſuperveniret, vel alia cauſſa impedimenti, & ſufficit bona fide operam dare.

Quo pacto intelligendum ſit ejuſmodi triennium.

Quo pacto procedendum ſit contra illum, per quem ſtat?

Contra illum autem, per quem ſtabit, procedendum eſt per ſententiam excommunicationis, & ut præſtet ſuper his perficiendis idoneam cautionem, & ſi neceſſe fuerit per curiam ſæcularem, & Nos dum in officio in minoribus agebamus, quoſdam recolimus incluſiſſe in carcerem * *lapſum* tamen, & cum omni beneplacito, & honore, & allectione, ut cujus foret malitia, comprobaretur.

Forſan* *laxum*.

Attendenda hæc in re conjugum ætas.

Attendat etiam in hoc bonus Judex ætatem ipſorum: nam in maſculo, ut ſit plena pubertas, requiruntur anni octodecim, in muliere ſeptendecim. Et ab illa ætate ultra eſt dandus terminus ſupradictus, & ſecundum qualitatem perſonarum: multi etenim per biennium, vel circa ſteterunt cum uxore, & ſtare poſſibile eſt non valentes complere, qui poſtea potentes facti ſunt, & fieri poſſunt, ac filiorum procreationem miniſtrare.

CAP. LXXVII.

De impotentia accidentali, & violenta.

Circa impotentiam accidentalem, & violentam, ut ſectionis, ſeu caſtrationis. Judex incontinenti facta inſpectione poterit cauſſam terminare; habita diſtinctione, ut ſupra dictum eſt in §. *Per caſtrationem*. Et idem ubi arctatio ex parte mulieris allegatur, adhibitis matronis expertis, ut dictum eſt, quæ referant veritatem, & inſpectionem occultam, & manuum tractationem ſub juramento, an fuerit corrupta, & an poſſit fieri mater. Et ſi dicant, ipſam poſſe fieri matrem, quia eſt præſumptio contra virum, procedatur ad inſpectionem ejus, & alia, quæ ſupra poſita ſunt in hoc articulo. Quod ſi dicant ipſam non poſſe fieri Matrem naturaliter, tunc incontinenti poteſt judicari, & dari licentia viro, cum alia contrahendi; mulieri autem indicetur continentia. Sed ſi inveniretur, qui poſſet ſeras ejus aperire, fiat, ut ſupra diximus.

Ad probationem frigiditatis tria debet bonus Judex advertere.

Notandum autem circa hanc materiam, quod tria ſunt, quæ breviter judex bonus advertere debet ad probationem frigiditatis, aſpectus corporis, juramenta ſeptimæ manus propinquorum, vel vicinorum, & triennium cohabitationis, providendo, utrum unum ſolum ſufficiat ad probationem veritatis, vel duo, vel omnia: nam cum in ſententia ſeparationis matrimonii periculum animæ vertatur, melius eſt, quod probationes ſuperabundent, quam deficiant.

Judex omnem hac in re diligentiam adhibeat; totum ejus arbitrio committitur.

Judex enim in hujuſmodi caſibus, & ſuperioribus, & omnibus aliis, qui poterunt evenire, omnem, quam poterit diligentiam, ſtudebit adhibere, arbitrando perſonas hinc inde, ſtatum, qualitatem, & famam, tam principalium, quam acceſſoriarum, quia totum arbitrio ejus committitur; & ſic via Regia incedat; non enim omnes caſus juris exprimi poſſunt.

Ubi tamen dubitaret, ſanum eſſet conſulere Principem, cum diverſitas caſuum, diverſitatem juris deciſionis non habeat clare deſcriptam: Vir enim quandoque poteſt * *ſcriptam erigi*, licet non perficiat, aut quam cito apponit virgam, ſemen ſpargit, aut immittit, ſed non perficit, aut erigit, ſed cum tangit, deficit, & poſſe amittit; ſicut hæc quaſi in facto habuimus, & alia. Unde ſi medicinis juvari poſſit, aut orationibus, confeſſione præmiſſa, planum eſt. Idem ſi quis duas virgas haberet, quarum una aliam impediret, quod potius monſtruoſum cenſemus, ſed ſi non poſſit aliquo modo conſuli, tunc, ut omnes concordant, ſanum, ſi Papa conſuleretur.

Forſan* *virgam erigere*.

Quando recurrendum eſt ad terminum triennii?

Si tamen puella eſſet virgo, & uterque confiteretur, recurrendum ad terminum triennii; eo vero elapſo, poſſet fieri diviſio, ſi nihil operatum eſſet, cum quaſi frigidus naturaliter cenſeretur.

Alius caſus expertorum judicio relinquendus.

Quod ſi mulier magnitudinem membri viri allegaret, & non poſſet tolerare, quod vix, aut numquam, ut Magiſtri dicunt, accidere poteſt, expertorum judicio relinquimus.

Quid ſi quis copulari cum Virgine non poſſit, ſed ſolum cum corrupta?

Sed ſi quis cum virgine copulari non poteſt, licet cum corrupta, ſic prout coram Nobis in facto habuimus de quodam, qui uxorem habuerat, & ex ea plures liberos, & ea mortua cum virgine contraxit, quam cognoſcere non poterat, non eſſet contra naturam, ſed medicinaliter aliquo inſtrumento poſſet clauſtrum aperiri honeſte, & ſecure, cum intentio non foret ad declarationem, ſed ad medicinam.

Quid item agendum, ſi quis moveatur ad pulchram mulierem, ſecus vero ad turpem?

Si quis vero moveretur ad pulchram mulierem, ad turpem non, hujuſmodi abominatio mulieris non naturalis, ſed accidentalis extrinſeca cenſeatur, ſicut in maleficiato judicaremus. Conſulimus autem, quod uterque prius moneatur, mulier, ut ſe exhibeat munditia, & ornatu, & affabilitate amabilem viro, vir, ut excogitet cauſſas, quibus amabilior, & placibilior feminæ videatur: nam etſi iſta, & ſimilia non prodeſſent, ſimile maleficio videretur.

Maleficium non eſt revocandum per aliud maleficium. D.Th. in ſup 3. p. q. 89. art. 2. ad 3.

Maleficium autem quoties apparet, non eſt revocandum per aliud maleficium, ut per dæmonis auxilium, vel aliud illicitum. Nam licet aliqua remedia vana, & ſuperſtitioſa videantur adinventa, quæ tolerari poſſunt ab Eccleſia, non tamen ea, quæ illicita eſſent. Sed recurrendum potius ad conſilium medicorum, & ad orationes Dei, & Sanctorum, & hoc ſæpe habentes diverſos caſus præ manibus pœnitentialiter, & alias conſulimus, ut

ceſſet

ceſſet omnis actus fornicarius, tanquam reprobatus, quominus communiter utantur gentes.

Vir frigidus, vel alias ineptus non poteſt petere ſeparationem a muliere, cum qua matrimonium contraxit, ſi hæc ſeparationem reſpuat.

Eſt autem ſciendum, quod ſi vir ſciens ſe frigidum, vel alias ineptum, matrimonium contraxerit, quamdiu ipſa mulier voluerit ei cohabitare, non poteſt petere ſeparationem. Sed caveat ſibi, ne ipſa ab aliis faciens ſe cognoſci, ut alias auditum eſt, hoc ſuſtineat fraudulenter filios generans, ut hæreditatem illius uſurpet.

Attendenda eſt ſcientia, aut ignorãtia hujus impedimenti.

Quod ſi mulier ſcienter cum tali contraxiſſet, ut quidam dicunt, ſi diu tacuerit, habebit ſibi imputare. Et idem ſi quis ſciens cum arcta contraxerit, ut ſaltem habeat, ut ſororem. Et idem ſi frigidus cum arcta contraheret, & ſcientes ambo impedimenta. Sed ſi alter iſtorum incontinenter viveret, aut alter inhoneſte, aut male tractaret alterum, & nollet corrigere ſe, aut is, qui potens eſſet, contraheret matrimonium cum alia perſona, matrimonium teneret; & prædictis caſibus is, ad quem judicium pertinet, occurrere debet, & attendat complacentiam prædictorum, & voluptatem, ac fraudes, ut ſic rei, quæ agitur, conſulere poſſit.

CAP. LXXVIII.

Sanctiones ad materiam Matrimonii ſpectantes.

PRæcipimus itaque ad hoc, ut dicta impedimenta, & alia pericula circa matrimonia ſciantur, & cognoſcantur, & cognita evitentur, ut matrimonia cum honore, & reverentia in conceſſis gradibus, non cum riſu, ſeu jocoſe, nec de nocte, ſeu clandeſtine, ſed publice in facie Eccleſiæ, velut moris eſt, in Civitate noſtra Beneventana celebrentur, prout etiam per conſtitutiones noſtræ Eccleſiæ Provinciales antiquitus fuit proviſum, per quas conſtitutiones matrimonia clandeſtina contrahentes excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto, cum clandeſtinus copulæ conjugalis contractus ſit a ſacris Canonibus reprobatus.

Matrimonia non de nocte, & clandeſtine, ſed publice, & in facie Eccleſiæ celebrentur.

Excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt, qui matrimonia clãdeſtina contrahunt, quæ conſtitutio roborata, & ampliata nunc eſt a Trid. ſeſ. 24. de reformatione cap. p.

Statuimus, ordinamus, & monemus ſub excommunicationis pœna omnes, & ſingulos Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, quod nullus matrimonium contrahat, aut contrahere præſumat, niſi publice, & quod ante per Parochialis Eccleſiæ Presbyterum banna, & edicta publice proponantur. Et ſi quis voluerit, ſeu ſciverit, & potuerit aliquod canonicum, & legitimum impedimentum opponere, illud opponat, & dicat coram Nobis, ſeu Vicario noſtro, vel Suffraganeis noſtris, ſeu eorum Vicariis infra competentem terminum per dictum Presbyterum ſtatuendum: Et hoc idem in antiquis conſtitutionibus vidimus contineri.

Antequam matrimonia contrahantur, banna, & edicta publice proponantur.

Et ut cautius in præmiſſis agatur, dicimus, & declaramus, ultra dictam conſtitutionem, dicta banna fieri debere, ſeu edicta per tres dies Dominicos, vel feſtivos, aut alios, quibus præſens erit populus, vel major pars ejus in Eccleſiis.

Dicta banna, ſeu edicta fieri debent per tres dies Dominicos, vel feſtivos.

Ipſi etiam Presbyteri inveſtigent nihilominus ultra an aliquod impedimentum obſiſtat, & cum apparuerit probabilis conjectura ſuper impedimento contra matrimonium contrahendum, interdicatur per Sacerdotes expreſſe contrahi, donec quid fieri debeat, fuerit declaratum.

Presbyteri etiam inveſtigent, an ſit aliquod impedimentum.

Adjicientes, ut Parochialis Sacerdos, vel alius Regularis, qui matrimonia clandeſtina inhibere contempſerit, aut eis intereſſe, per triennium ab officio ſuſpendatur; gravius etiam, ſi culpæ qualitas poſtulaverit, puniendus. Illis etiam, qui taliter copulari præſumpſerint, condigna pœnitentia injungatur. Sed per conſtitutiones antiquas, Sacerdotes dictum ordinem non ſervantes, & ipſi etiam contrahentes, excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto.

Sacerdos, qui clãdeſtina matrimonia non inhibet, aut eis intereſt, per triennium ab officio ſuſpenditur.

Immo cum ipſis contrahentibus excommunicationem incurrit.

Per quas etiam declaratum eſt matrimonium clandeſtinum eſſe, quod abſque teſtium præſentia contrahitur. Item quod contra interdictum Eccleſiæ, & mandatum Judicis. Item quod lite pendente contrahitur. Item quod temporibus a jure, & a præſentibus conſtitutionibus prohibitis in facie Eccleſiæ contrahitur, vel carnali copula conſummatur. Item quod conſummatur carnali copula, antequam in faciæ Eccleſiæ deſponſetur. Item quod contrahitur non præmiſſis bannis, & contra tenorem capituli. *Cum inhibit. extra de cland. deſpon.*

Quid ſit matrimonium clãdeſtinum, quod ſubjacet ejuſmodi pœnis?

CAP. LXXIX.

Sponſalia ipſa non contrahenda, interpoſito maxime juramento, niſi Sacerdote proprio adhibito, & præſentibus perſonis fide dignis.

PRohibeant etiam Presbyteri ſuis ſubditis, ne ſponſalia inter ſe contrahant interpoſito maxime juramento, vel fide, & niſi in loco honeſto, adhibito ſuo Sacerdote parochiali, & præſentibus perſonis fide dignis, ut eſt in noſtra Civitate fieri conſuetum, Judicibus, & Notariis adhibitis.

Caveant autem dicti Judices, ne in clandeſtinis matrimoniis intereſſe præſumant, quia matrimonia clandeſtina, ut præmiſſum eſt, ſolent ſcandala, & ſiniſtra plurima generare. Ideoque, cum ſint a jure prohibita, non ſunt per Eccleſiam toleranda. Propter quæ obviare volentes caſibus, quos probavimus dudum in Provinciali Concilio, ſtatuimus pravam conſuetudinem, immo potius corruptelam, & abuſum judicantes, & tollentes

Nova cautio hac in re adhibenda.

mo-

monuimus, ac etiam ordinavimus ſub excommunicationis pœna præcipiendo, mandantes, ne quis Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ cujuſcumque ſtatus, conditionis exiſtens matrimonium per verba de præſenti contrahat, nec in contractu ipſe Judex, aut Notarius intervenire præſumat, ſive teſtes, niſi primo in Eccleſia loci, ſive Parochiæ, ubi fuerit ipſum matrimonium contrahendum, publice banna præmiſſa fuerint per Presbyterum in Eccleſia, ut ſuperius eſt conſtitutum, ut poſſit ſciri prius, ſi aliquod fuerit impedimentum, aut fuerit contradictor.

Uxores non introducantur in domum, niſi prius matrimonium fuerit in facie Eccleſię ſolemnizatum.

Similique modo ſtatutum eſt, ne quis aliquam, cum qua matrimonium, ut præmiſſum eſt, contraxerit de præſenti per verba, in domum ſuam introducere audeat, aut alibi cum ea matrimonium carnaliter conſummare præſumat, & niſi prius in facie Eccleſiæ ſecundum inſtituta canonica matrimonium fuerit ſolemnizatum cum eadem, aut ſine noſtra, ſeu Ordinariorum licentia ſpeciali, quia multa audivimus non honeſta.

Neque contrahantur matrimonia ante ætatem legitimam, nec malitioſe prætendatur, quod malitia ſuppleat ætatem

Diſtricte etiam inhibemus, ne ante ætatem legitimam, quæ eſt quatuordecim annorum in maſculo, & duodecim in femina, matrimonia contrahantur, nec malitioſe prætendatur, quod malitia ſuppleat ætatem cum hujuſmodi cognitio ad Ordinarium pertinere noſcatur; & ne aliquis talibus matrimoniis intereſſe præſumat. Alioquin tam contrahentes, quam qui intererunt, arbitrio judicantis puniantur.

CAP. LXXX.

Ubi primum parochiales Sacerdotes ſciverint matrimonia illicite contracta, ſtatim Epiſcopo denuncient.

SAcerdotes quoque parochiales, quam cito ſciverint extra forum pœnitentiale in ſuis parochiis matrimonia eſſe illicite contracta, ſicut præmiſſum eſt, non poſtponant hoc intimare, alioquin graviter punientur.

Quid agere debeant, ſi id in foro pœnitentiali ſciant?

Si vero in foro pœnitentiali ambo conjuges confitentur impedimenta, quæ ſciunt pro certo eſſe inter eos, & erant antequam contraherent, ut quod alter eorum ante habebat conjugem, vel ante erant affines, vel conſanguinei, vel ante votum Religionis, vel aliud ſolemne votum emiſerant, tunc impoſita eis pœnitentia ſalutari, præcipiat eis Capellanus, ne ulterius carnaliter miſceantur, & eos inducat, ut ſuo ordinario Judici hæc denuntient, ut decernat in foro judiciali, tale matrimonium non tenere.

Quid agendum, ſi alter tantum conjugum impedimentū ſciat, idque Sacerdoti ſolum in foro pęnitentiali confiteat?

Si vero alter tantum conjugum tale impedimentum eſſe pro certo inter eos confiteatur in pœnitentia, injungendum eſt illi in foro illo, ne debitum carnale ab altero exigat, nec exactus exſolvat, etiamſi propter hoc ipſum excommunicari contingat. Et tunc Capellanus mittat illum ad excommunicatorem ſuum, qui in hoc foro pœnitentiæ debet ipſum abſolvere, & tam ipſe, quam Capellanus non debeant ipſum vitare ulterius in occulto judicio animarum, ex quo occulte eſt abſolutus, ſed publice vitabitur, & denuntiabitur, quouſque publice abſolutionem mereatur.

Quid, ſi impedimentum pro certo nō conſtet?

Sed ſi pro certo non ſciat hoc impedimentum, ſed credit hoc probabiliter, & diſcrete, tunc debitum non exiget, ſed exactus cum cordis contritione exſolvet. Si vero leviter, & temerarie, ſalva conſcientia debitum exigere, & ſolvere poterit, & debebit de conſilio Sacerdotis.

Quid, ſi affinitas poſt matrimonium ſupervenerit?

Si tamen affinitas poſt matrimonium ſupervenerit, ut quia alter conjugum durante matrimonio cognovit conſanguineam alterius conjugis, tunc injungendum eſt ei in foro pœnitentiæ, ut & a conjuge, & ab alia conſanguinea a carnali copula perpetuo abſtineat, etiamſi ab alio conjuge exigatur, prout ſupra proxime eſt dictum. Licet in judicio Eccleſiæ contentioſo præciperetur eidem, quod non exigeret, ſed cum cordis contritione * *exolvere* jam exactus. Tale vero matrimonium per carnis copulam conſummatum, quamdiu ambo conjuges vixerint, non ſolvetur, niſi quoad carnis copulam, ut eſt dictum.

Forſan * *exſolveret*.

Forum autem pœnitentiale, & non judiciale ad Presbyteros, utrumque vero ad Ordinarios, vel eorum Vicarios dignoſcitur pertinere.

CAP. LXXXI.

Mota quæſtione, neque matrimonia, neque ſponſalia celebrentur, donec Eccleſia determinaverit.

INhibemus itaque, & præcipimus, quod mota quæſtione ſuper matrimonio, vel ſponſalibus, non celebretur matrimonium, donec coram Judice Eccleſiæ quæſtio ipſa fuerit terminata.

Concubinarii, ſeu palam invicem ut vir, & uxor ſe tractantes infra ſpatium duorum menſium legitime contrahant.

Quia vero dudum comperimus, quamplures vitam ducentes miſeram, ſolutos ſolutis adhærere, & palam invicem ſe, ut vir, & uxor, ſe tractantes, ſimulque cohabitantes, & ut plurimum cum affectu matrimoniali, & quandoque inter eos commiſcentes per verba de præſenti contrahi, ut a præmiſſis, tanquam nefariis corrigantur culpabiles, ceterique deſiſtant, ſalubriter providere ſtatuimus, ut de cetero tales ſic commorantes procurent infra ſpatium duorum menſium matrimonialiter in facie Eccleſiæ copulari, & ſolemnia celebrare, ut ex hoc ſequatur peccati vitatio, & liberorum, ſi qui extiterint, legitimatio. Alioquin ſententiam

Secus excommunicationem, incurrunt.

etiam excommunicationis,tanquam publici concubinarii incurrant, & publice ſic vitentur.

Secunda ſponſalia non contrahenda, niſi priorum vinculum fuerit ſolutum.

Diſtrictius etiam prohibemus, ut aliqui, qui ſponſalia contraxerint, præſumant cum aliis ſecunda contrahere ſponſalia, ſeu matrimonia,niſi prius a vinculo illorum priorum ſponſaliorum coram Ordinario ſuo, ſe duxerint abſolvendos. Et ſi qui contra fecerint,talia ſecunda ſpōſalia, ſeu matrimonium non denuntientur in Eccleſia, nec taliter nubentibus detur benedictio nuptialis ſine Ordinariorum, aut eorum Vicariorum licentia ſpeciali; nolumus enim, quod talis malitia remaneat impunita.

Pœna contrafacientibus inflicta.

Si autem ſponſalia contrahentes coram Ordinario ſe voluntarie renuntiaverint ad invicem, Eccleſia in patientia ſuſtinebit.

Ignotas perſonas nullus Sacerdos matrimonialiter copulet.

Prohibemus autem, ne aliquis Sacerdos ignotas perſonas de remotis partibus venientes matrimonialiter copulare præſumat, ſive ambo ignoti fuerint, vel alter illorum, nec hujus matrimonium denuntietur in Eccleſia faciendum, niſi de Ordinarii Judicis, aut ſui Vicarii licentia ſpeciali.

Quo pacto recipiendi ſint,qui voluerint matrimonia clandeſtina in facie Eccleſiæ publicari.

Si vero perſonæ contrahentium matrimonia clandeſtina notæ fuerint, & ea voluerint in facie Eccleſiæ publicari, recipienda ſunt ab Eccleſia, & approbanda, tanquam a principio in facie Eccleſiæ contracta, reconciliatione prius ab Ordinario ſuo obtenta ſuper inobedientia, quam incurrerunt, ita quod bannis præmiſſis, ut moris eſt, confiteantur coram Sacerdote publice, & aliis pluribus perſonis, ſe matrimonium contraxiſſe, vel de novo in Eccleſia contrahant matrimonium de præſenti, eiſque detur, ſi poſtulaverint, benedictio nuptialis; niſi conſanguinitas, vel aliud juſtum impedimentum obſiſtat.

CAP. LXXXII.

Parochianus alterius non recipiendus eſt ad matrimonium contrahendum, ignorante proprio Sacerdote.

ITem prohibemus, ne aliquis parochialis Sacerdos recipiat ad matrimonium contrahendum parochianum, vel parochianam alterius, ignorante proprio Sacerdote.

Quid agendum ſi ſponſus, & ſponſa de diverſis parochiis fuerint.

Si vero ſponſus, & ſponſa de diverſis Parochiis fuerint, & banna præmiſſa fuerint, matrimonium poterunt contrahere, & benedictionem nuptialem recipere in quacumque Eccleſia voluerint, proviſo, quod certas litteras, vel nuncios ſuorum Presbyterorum habeant,& oſtendant,continentes, quod in Eccleſiis, quarum ſunt Parochiani,denuntiatum fuerit illud matrimonium contrahendum, & quod ipſi Præsbyteri nullum ſciunt,vel audiunt impedimentum conſiſtere inter eos.

Forma litterarum, quæ fieri debent in hoc caſu.

Litterarum autem, quæ fieri debent,ut prædictum eſt, forma talis erit. *Diſcreto viro Archipresbytero, Abbati,vel Cappellano talis Eccleſiæ, &c. Archipresbyter, Abbas, vel Cappellanus talis Eccleſiæ,&c. ſalutem in Domino. Noveritis nos in noſtra Eccleſia banna publice emiſiſſe, ut moris eſt, quod inter talem parochianam noſtram,& talem hominem eſt matrimonium contrahendum, in quo nullus apparuit contradictor. Et nos ipſam ad hoc aptam credimus, prout humana fragilitas noſtra novit. Datum tali loco, tali die.*

Si contradictor apparverit, quid agendum.

Si vero contradictor apparuerit, non procedat ad matrimonium Sacerdos, ſed citet contradicentem ad inſtantiam ejus, cui contradicetur ad diem competentem coram Ordinario ſuo,vel ejus Vicario,cui ſcribet hoc modo. *Reverendo in Chriſto Patri, & Domino, Domino tali, &c. Abbas, Archipresbyter, vel Rector, vel Cappellanus de tali loco,&c. ſalutem, & reverentiam cum honore. Noverit veſtra Reverenda Paternitas, vel Diſcretio, quod cum in Eccleſia mea publice banna emitterem, ut eſt moris,prout inter talem hominem, & talem mulierem erat matrimonium contrahendum,talis ſe oppoſuit, dicens hæc fieri non debere propter talem cauſſam, quare citavi peremptorie dictum contradicentem ad inſtantiam prædicti, cui contradixit, ut tali die coram vobis tali loco compareat proſecuturus cum prædicto, cui contradixit, canonice dictam cauſſam. Datum tali loco, tali die, Anno, &c.*

Quid item agendum, ſi fama ſit, vel dicatur a fide dignis, quod juſtum eſt impedimentum inter eos, qui matrimonium contrahere volunt.

Si vero ſit fama, vel dicatur a fide dignis, quod juſtum eſt impedimentum inter eos,qui matrimonium contrahere volunt, non tunc procedat ad matrimonium Presbyter, ſed citet eos peremptorie, ut die competenti coram Ordinario ſuo, vel Vicario compareant ſuper dicto impedimento juſtitiam recepturi.

CAP. LXXXIII.

Denunciatio matrimonii, qua in Parochia fieri debeat?

LIcet autem Parochianus alicujus Eccleſiæ eximatur a jure parochiali primæ Eccleſiæ per tranſlationem domicilii in parochiam alienam, nihilominus tamen fiat denunciatio matrimonii contrahendi in illa Eccleſia, in cujus Parochia volentes contrahere longam fecerunt moram,&etiam in illa,in quam ſuum tranſtulerint domicilium, & morantur, maxime ſi de novo in Parochiam alienam ſe tranſtulerint.

Quia vero ſæpe contingit, quod propter aliqua impedimenta ſponſus,& ſponſa volentes matrimonium contrahere poſt celebrationem Miſſarum ad Eccleſiam veniunt, & licet Miſſam non audierint, vel

vel propter horam incompetentem audire non poſſint die illa, benedictionem nuptialem poſtulant ſibi dari: nihilominus ipſa benedictio, prætermiſſo Miſſæ officio, poterit eis dari. Honeſtum tamen eſt, quod, ſi poſſit commode fieri, Miſſam prius audiant, & in fine Miſſæ benedictionem, poſtquam Sacerdos recepit Chriſti Corpus, & Sanguinem, prout in Miſſalibus continetur.

Benedictio nuptialis impertiri poteſt prætermiſſo miſſæ officio.

Miſſa tamen prius audienda, ſi fieri commode poteſt.

Accepta autem benedictione, honeſtum eſt, prout in Concilio Carthaginienſi ſtatutum fuit, ut eadem nocte pro reverentia benedictionis in virginitate ſponſus, & ſponſa permanerent. Et hæc benedictio fienda ex inſtitutione Evariſti Papæ proceſſit.

Benedictione accepta honeſtum eſt, ut eadem nocte ſponſus, & ſponſa pro reverentia benedictionis in virginitate permaneant.

Diſtrictius inhibentes, quod ſi ſemel vir, & uxor fuerint benedicti, & matrimonio per mortem diſſoluto, alter illorum conjugum ſecundum matrimonium contrahat cum perſona alia benedicta, vel non benedicta, etiam virgine, tunc nullatenus benedicantur taliter contrahentes, quia caro ſemel benedicta contraxit ad ſe non benedictam, cum per carnalem copulam effecti fuerint una caro, & ſic communicabunt actionem, ut ſic benedictioni nuptiali, quæ ſacramentalis eſt, nulla injuria per iterationem fieri videatur.

Benedictio nuptialis iterari non debet, etiam ſi matrimonio per mortem diſſoluto alter conjugum ſecundũ matrimonium contrahat.

Sacerdos vero, qui contrarium fecerit, ab officio, beneficioque ſuſpenſus de jure ad ſedem Apoſtolicam eſt mittendus: conſuetudinem autem quorumdam, vel coram Nobis allegatam judicamus potius corruptelam, niſi Dominus Papa eam expreſſe ſciens in illis locis toleraret. Sed nec unus ſolus eſſet benedicendus ſine altero. Duo tamen bigami ſecundo contrahentes invicem, qui nunquam fuiſſent benedicti, benedici poſſunt.

Pœna in Sacerdotem, qui benedictionem Nuptialem iterato confert.

Et ſi duo matrimonium contrahentes fuerint benedicti, & ante conſummationem per carnis copulam propter impedimentum conſanguinitatis, vel aliud canonicum ſit divortium, & uterque poſt ad ſecunda vota convolet, non erunt iterum benedicendi, cum intentio benedictionis, quoad dantem, & recipientes, non defecerit ab initio, ideo effectu carere non debet.

Nuptialis benedictio neque iteranda in caſu, quo duo fuerint benedicti, & diſſoluto matrimonio ante conſummationem ex impedimento aliquo ad ſecunda vota convolent.

Pro hac benedictione impendenda nihil exigendum eſt, obtentu etiam alicujus conſuetudinis, ne cadat in vitium Simoniæ.

Pro hujuſmodi benedictione impendenda nihil omnino exigi debet.

CAP. LXXXIV.

Tempora, in quibus ſolemnitates Matrimoniorum, & nuptiarum fieri non debent.

Sunt autem quædam tempora, in quibus ſolemnitates fieri non debent matrimoniorum, & nuptiarum, hoc eſt uxoris transductio, nuptiarum ſolemnitates, nuptialis benedictio, & carnalis copula; hæc enim a jure prohibentur. Licet ſponſalia, aut matrimonium, quod ſolo dumtaxat conſenſu contrahitur, fieri poſſint omni tempore.

Sponſalia tamen omni tempore fieri poſſunt.

Tempora vero hæc ſunt, videlicet ab Adventu Domini uſque ad octavam Epiphaniæ, & a Septuageſima uſque ad octavam Paſchæ, & a tribus diebus ante Aſcenſionem uſque ad Dominicam primam poſt Pentecoſten, in qua Dominica, ſecundum quorumdam opinionem, poſſunt ſolemnia matrimoniorum, & nuptiarum celebrari, & deinceps uſque ad Adventum Domini.

Per noſtras autem Beneventanæ Eccleſiæ Conſtitutiones antiquas ſtatutum, & mandatum eſt, quod nullus de Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventanis, cujuſcumque ſtatus, & conditionis exiſtat, nuptias celebret, ſeu ſolemnitatem nuptiarum temporibus prohibitis exequatur, videlicet a Dominica Adventus uſq; poſt octavam Epiphaniæ, & a Dominica Septuageſimæ uſque ad octavam Reſurrectionis Dominicæ, & a tribus diebus Rogationum ante Aſcenſionem Domini uſque ad octavam diem poſt Pentecoſten incluſive, prout jure canonico conſtat eſſe prohibitum. Contrarium vero facientes excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt.

Tempora iſthæc nota ſunt ex conſtitutionibus antiquis Beneventan. Eccleſiæ, reſpectu totius Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ.

Contrafacientes excommunicationem ipſo facto incurrunt.

Caveant igitur tam volentes contrahere matrimonia, aut per carnalem copulam conſummare, ſeu uxores ad domum ſolemniter transducere, ne in temporibus præfatis, ut vitent excommunicationis maculam, hæc faciant. Sed & Sacerdotes præcipimus potiſſime, ut populum ſuper hoc certificent, & inſtruant, ſicut per antiquas Conſtitutiones noſtræ Beneventanæ Eccleſiæ ſtatutum eſt, & injunctum Abbatibus, Archipreſbyteris, Prioribus, Decanis, Rectoribus, Preſbyteris, Cappellanis, ac Vicariis Eccleſiarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, ad quos cura ipſarum Eccleſiarum ſpectat, quod ſæpius moneant populum ſibi commiſſum publice, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur in Eccleſiis eorumdem, quod nullus celebret nuptias temporibus prohibitis ſupradictis. Banna, & alia, ut juris, & moris eſt præmittantur, nec ipſi Preſbyteri, ſeu Rectores, vel Cappellani, & alii ſupradicti celebrent, vel faciant celebrari Miſſas, vel benedictionem ſolemnem in ipſis ſponſalibus, ſive nuptiis, diebus, & temporibus prohibitis memoratis. Alioquin ſententiam excommunicationis incurrunt.

Sacerdotibus præcipitur, ut populum ſuper hac re certificent, & inſtruant.

Ad quas conſtitutiones ſumme advertendum, cum potiſſime viderimus indictis temporibus prohibitis transductiones ſolemnes uxorum fieri, & per carnis copulam matrimonia conſummari; & ſic præſumamus multos forte ligatos dictis ſententiis; quod potius evenire, & eveniſſe credimus propter ignorantiam, & negligentiam

Inculcatur harum conſtitutionum executio.

gentiam Sacerdotum, dictas conſtitutiones non edicentium populo ſibi commiſſo, qui & ipſi eaſdem propterea ſententias incurrunt.

TITULUS XI.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

RUBRICA.

EXpletis Sacramentis, & quæ de iis, & circa ea tractanda, & ponenda prævidimus, nunc ad eorum vitam, per quos pertractanda ſunt, tranſeamus.

CAP. I.

Quo pacto vivere debeant Epiſcopi, Abbates, & Clerici univerſi.

UT igitur Epiſcoporum, ac Clericorum mores, & actus in melius reformentur, continenter, & caſte ſtudeant vivere Epiſcopi, Abbates, & Clerici univerſi, præſertim in ſacris ordinibus conſtituti; iſti enim caſtitatem neceſſario ſervare tenentur, quam tacite voverunt Domino, ſacrum ordinem aſſumendo. Epiſcopi autem expreſſe, & Abbates voverunt Altiſſimo caſtitatem. Sed proh dolor! quot agnovimus ſui, & voti, & ſalutis prope immemores extitiſſe, & utinam in futurum non exiſtant.

Continenter, & caſte in primis vivere debent ob caſtitatem, quam vel tacite, vel expreſſe voverunt.

Epiſcopum enim oportet eſſe natura prudentem, docibilem, moribus temperatum, vita caſtum, ſobrium, ſuis negotiis ſemper caventem, humilem, affabilem, miſericordem, litteratum, in lege Domini inſtructum, in ſcripturarum ſenſibus acutum, & acceptum, in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatum, irreprehenſibilem, maturum, & providum; debet enim ſingulos juvare, prout poterit, ſingulos portare, & ſingulos relevare. Nihil autem in hac vita, & maxime noſtris temporibus difficilius, & laborioſius, & pericoloſius Epiſcopi officio; ſed nihil beatius apud Deum, ſi eo modo militetur, ut præcipitur, nilque facilius, nilque levius, nilque acceptabilius, ſed nil damnabilius, ſi perfunctorie res agatur. Sed quid dicamus? *Domine Deus meus adjuva me, & ſalvus ero*, Pſalm. 118. multa enim de prædictis, immo fere omnia in Nobis, & multis deficiunt. Qui habet aures audiendi audiat, & partem optimam appetere ſtudeat, *quia in inferno nulla eſt redemptio*; appetitus enim hujus dignitatis plus mœroribus afficit, quam honori conferat.

De Epiſcopo qualis eſſe debeat in ſe ipſo?

Qualis erga alios?

Cum ergo Prælati ſint tanquam ſignum ad ſagittam, caveant, & menti præmiſſa teneant. Nam, & ſi qui unctus eſt, peccaverit, faciet & ipſe delinquere populum; quod enim a Prælato agitur, facile trahitur in exemplum. Quod igitur ore prædicatum eſt, opere compleat ipſe prius, ne ſibi dicatur.

Prælati poſiti ſunt tanquam ſignum ad ſagittam.

Quod a Prælato agitur facile trahitur in exẽplum.

Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum.

Nam & de omnibus redditurus eſt Deo rationem. Non igitur pudeat nos errores noſtros corrigere, qui poſiti ſumus, ut aliorum errores corrigamus, quoniam *qua menſura menſi fuerimus, remetietur nobis*. Matth. 7.

Corrigantur igitur in nobis mores, maxime vivendo caſte, & honeſte, quoniam aliter hoc in ſubditis, quorum error, ut vilitas maxime invaluit, corrigere non valemus, qui ſumus Medici animarum; advertentes ne dicatur: *Medice cura te ipſum* Lucæ 4. nam, & in Prælatis fortius puniendum. Hæc non ſine myſterio ponimus, quoniam multos etiam ſenuiſſe in carnali vitio agnovimus, quos patres potuiſſemus nobis appellaſſe, ut de iis, quæ intrinſecus latent, taceamus.

CAP. II.

De divino officio quotidie recitando.

CLerici quoque, qui ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtentantur, & qui non habent beneficium, ſunt tamen in ſacris ordinibus conſtituti, debent quotidie dicere per ſeptem horas Divinum officium nocturnum pariter, & diurnum, prout dicitur in Eccleſia noſtra majori Beneventana, & in Breviariis ſecundum uſum Romanæ Curiæ continetur, ſcilicet Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas, & Completorium, niſi infirmitatis neceſſitas excuſaret. Et non cum ſyncopa, ſed diſtincte, & cum intentione ſollicita, & devota laudes iſtis temporibus Creatori noſtro ſuper judicia ſuæ juſtitiæ referentes. Et ſi per competentes horas dictæ non fuerint, tamen poſtea perſolvantur.

Epiſcopi autem, & Superiores propter bonum commune, vel utilitatem Eccleſiæ ſuæ, circa quæ occupantur, ſimul horas omnes de mane poſſunt dicere uſque ad Nonam incluſive. Et ſunt excuſati, quia in talibus melius eſt prævenire, quam præveniri, & hora matutinalis magis apta eſt ad devotionem. Et idem conſulimus pauperibus Clericis, quos ad opus rurale ut plurimum exire oportet; alii vero dicant, ut prædiximus.

Diſtributio officii recitandi quo pacto ab Epiſcopis, & Superioribus fieri poſſit?

Notandum tamen, quod ſi cauſſa infirmitatis dimiſſæ fuerint, tunc non tenetur de neceſſitate redicere, niſi ex devotione, vel majori cautela, quis facere vellet, quod ſatis laudamus. Si vero nuda voluntate, aut levitate vitæ, ut plures faciunt, fuerint omiſſæ, tunc tenetur redicere. Sed ſi confiteretur peccatum, ex quo contritus eſſet, ſufficeret abſolutio Sacerdotis. Æquum tamen judicamus, ut Sacerdos eidem pœnitentiam imponat in eo, in quo delinquit, videlicet in redicendo officium, quod

Horę infirmitatis cauſſa omiſſæ, non ſunt de neceſſitate redicendæ.

Quæ pœnitentia imponenda non recitanti officium?

omiſit, vel ſi magis credit ei proficere, in aliam pœnam mutet. Et idem faciendum, ubi eſſet multitudo horarum omiſſarum ſic, quod quaſi impoſſibile eſſet, quod commode ſufficeret ad redicendum.

CAP. III.

Præceptum de emptione Breviarii, & de modo recitandi horas Canonicas.

PRæcipimus igitur, ut ſuo ordini per unumquemque ſatisfiat, ut omnes in ſacris conſtituti procurent habere librum, ſive Breviarium, cum quo officium perſolvere valeant, ut dictum eſt, ſi indignationem Dei evitare voluerint, & pœnas ſupradictas. Alioquin ſi beneficiatus extiterit, fructus ſui beneficii, donec emerit, volumus poni in ſequeſtro, cum propter officium beneficium concedatur; ſi beneficiatus non fuerit, infra annum ex eo tempore, quo Sacerdotium accepit, emere teneatur: Alioquin donec emerit, inhabilis ad beneficium obtinendum habeatur.

Pœna in non ementes breviarium.

In Eccleſiis autem ſunt dicendæ horæ, ſi commode fieri poteſt; alias ubi fieri melius poterit, & honeſte.

Horæ in Eccleſiis dicendæ, ſi fieri commode poteſt.

In Eccleſiis autem Cathedralibus, & Collegiatis, ac in Monaſteriis, ut prædictæ horæ Canonicæ decantentur, præcipimus, & mandamus.

Canonicæ horæ decantentur in Cathedralibus & Collegiatis, & Monaſteriis.

Officium Beatæ Mariæ quilibet Clericus tenetur dicere: Nullus autem dicat ipſum induendo, vel calceando, ſed alias debite, & devote.

Debite, & devote officium B. Mariæ a quolibet Clerico perſolvatur.

Sacerdotes quoque Parochiales moneant Clericos ſuæ Parochiæ in minoribus conſtitutos ordinibus, ut ſingulis diebus ſaltem Beatæ Mariæ officium, ſive horas dicant, & commemorationem aliquam faciant pro defunctis.

Ad id Parochi moneant Clericos ſuæ Parochiæ.

Sacerdotes quoque, & alii in ſacris conſtituti officium defunctorum perſolvant prout habet uſus, & conſuetudo quarumlibet Eccleſiarum, & ordinatio Romanæ Eccleſiæ, cujus uſum ſequimur in aliis officiis, & ſub rubricis Breviarii continetur; alias graviter peccare dicuntur, non enim omittenda eſt *ſalubris, & ſancta oratio, ut a peccatis ſolvantur, & pro nobis intercedant 2. Machab. 12.*

Officium defunctorum, quo pacto a Sacerdotibus, & aliis conſtitutis in ſacris perſolvendum ſit?

CAP. IV.

De puritate animi, cum qua perſolvendum eſt officium.

NOtandum eſt autem, quod horæ prædictæ, ſive officium, cum puritate animi dicendæ ſunt; qui autem aliter dixerit, puta exiſtens in mortali peccato, nihil agit, quia ſine animi puritate. Advertant concubinarii Clerici, ſimoniaci, fures, prædones, & ſimiles. Scribitur enim in *Pſalmo 49. Peccatori autem dixi, quare tu enarras juſtitias meas?* Et licet talis melius faciat dicendo, quam ſi omitteret, ut Deus citius illuminet mentem ſuam, & convertatur a via ſua mala, & ne de peccato ſuo præmium valeat reportare, tamen conſulimus, ne pertinax in ipſo peccato, & obſtinatus a Deo habeatur, ut in modum privati officii dicat, & abſque *Dominus vobiſcum*, & alia ſolemnitate, ſicut dicitur in excommunicato, qui poteſt officium dicere iſto modo. Sed non propter hoc a judicio divino tales Deum irridentes excuſabuntur, quin immo fortius cruciabuntur, ſicut digni ſunt.

In vanum tamen laborant, qui prædicant eis: & ideo venit quotidie ira Dei in filios diffidentiæ; nam nec advertunt ipſi, qui ſic in limo, & turpitudine ſe ire delectantur, quoniam, & ipſi excommunicationis vinculo adhærendo, & participando concubinis in crimine criminoſis, & excommunicatis per conſtitutiones antiquas Beneventanæ Eccleſiæ ſunt irretiti a jure, & ſuſpenſi, & ex hoc remittendi ad Papam, maxime ſi Divina myſteria non erubuerint ſcienter celebrare, prout inferius latius declarabitur. Advertant igitur, qui ſalvari cupiunt.

Perſtringuntur qui polluto ore, & corde officium recitant.

Miſſas autem talium Sacerdotum, ſeu qui eſſent in notorio crimine diffamati, vel alias mali ſunt, publice audire non debet, quin immo vitari debent ab omnibus, & qui ſcienter contrarium faceret, mortaliter forte peccaret.

Miſſæ eorum, qui ſunt in notorio crimine diffamati non audiendæ.

CAP. V.

A quibus abſtinere potiſſimum Clerici debeant?

A Crapula, & ebrietate, & maxime in fraternitatibus, ſolemnitatibus nuptiarum, & aliis conviviis, & a comeſtionibus ſuperfluis, & confabulationibus illicitis omnes Clerici abſtineant, & vinum ſibi temperent, & ſe vino. Ac tabernas prorſus evitent, niſi forte cauſſa neceſſitatis in itinere conſtituti: alias, prout antiqua dictat conſtitutio, quia plerique Canonici Sacerdotes, & Clerici potius luxuriæ relaxatis habenis, quam fræno honeſtatis * *ortati*, more Laicorum per tabernas continue diſcurrere non verentur, denigrando modeſtiam ordinis Clericalis; Volentes cura * *Parrochialis* officii de ſalubri remedio providere, omnes, & ſingulos Canonicos, Sacerdotes, & Clericos bibentes, & comedentes in aliqua taberna, vel ante ipſam in Civitatibus, vel ſuburbiis earum, niſi itinerando, aut in caſtris, in quibus habitant, in floreno auri uno, vice qualibet Cameræ noſtræ, vel Suffraganeorum noſtrorum applicando, puniendos decernimus in his ſcriptis.

Abſtineant potiſſimum a crapula, & ebrietate. A comeſtionibus ſuperfluis, & a confabulationibus illicitis. Tabernas prorſus evitent.

Forſan * *arctati*.

Forſan * *paſtoralis*.

Pœna in Clericos bibentes, & comedentes in aliqua taberna, vel ante ipſam ex antiqua conſtitutione inflicta.

Ad aleas, taxillos, nec ludant, nec iſtis ludis interſint, alias, prout habet antiqua conſtitutio, ut Clericorum actus, & mo-

Abſtineant ab aleis, taxillis, & ſimilibus ludis.

& mores, quorum vita aliis debet eſſe magiſtra, in melius reformentur, omnes, & ſingulos Canonicos, Sacerdotes, & Clericos Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, & commorantes in eis in Auguſtale unum puniendos decrevimus vice qualibet in his ſcriptis, Cameræ noſtræ, & Suffraganeorum noſtrorum applicandum.

Pœna in contravenientes ſtatuta.

Sed nec ad luctas Laicorum accedant, mimis, & joculatoribus, ſive romanſatoribus non intendant. Et utinam nec Laici, maxime tempore quadrageſimali, hora maxime, qua fiunt per loca Religioſa, & alibi prædicationes; ſerviunt enim diabolo, qui illa hora intrat Civitatem, ne illa hora verba, & inſtructiones animæ audiantur.

Abſtineant ab acceſſu ad luctas laicorum, ad mimos, & joculatores, aliosque id generis.

CAP. VI.

De Corona, & Tonſura, & Habitu Clericorum.

Coronam, & tonſuram ſine comis, & ſine pileo congruentem deferre Clerici debent.

Eccleſiaſticis officiis non ſæcularibus operam voveant.

Coronam, & Tonſuram ſine comis, & ſine pileo deferant congruentem; nec officia, ſeu commercia ſæcularia exerceant, & maxime inhoneſta, ſed officia Eccleſiaſtica, & alia bona ſtudia exerceant diligenter. Nam dudum, quia inſinuatione frequenti noſtrorum fuerat Prædeceſſorum auribus intimatum, quod nonnulli Canonici, Sacerdotes, & alii Clerici Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ commorantes in eis in ſacris ordinibus conſtituti, mercantias, tabernas, & alia mercimonia exercere in opprobrium ordinis Clericalis, atque mali exempli perniciem, non verebantur, monuerunt, & nos confirmantes monuimus omnes, & ſingulos Canonicos, Sacerdotes, & Clericos ſupradictos, quatenus tabernam retinere, mercantiam, & alia mercimonia exercere ulterius non præſumant.

Perſtringuntur Clerici, qui mercimonia, & tabernas exercent.

Contrarium facientes in uncia auri una carolenorum argenti Cameræ noſtræ, vel Suffraganeorum noſtrorum applicanda decreverunt, & decernimus, ac decrevimus puniendos: declaraverunt autem noſtri Prædeceſſores, & declaramus non includi in conſtitutione prædicta vendentes vinum, & græcum, ſeu fructus tabernariis, vel aliis mercatoribus, licet dicti tabernarii, vel mercatores dictum græcum, vel vinum vendant, ſeu vendi faciant ad minutum, ſeu locatores ſuarum domorum, quamquam conductores ipſarum tabernarum in eiſdem voluerint exercere, dummodo in dictæ conſtitutionis fraudem nihil fiat.

Pœna in hoc ſtatuta.

Pannis rubeis, aut viridibus, & manicis conſuticis, aut ſotularibus roſtratis, ſeu cordellatis Clerici non utantur, & clauſa deferant deſuper indumenta: Nam & antiqua conſtitutione confirmata, & approbata a nobis ſub excommunicationis pœna moniti fuerunt, & monemus omnes, & ſingulos Archipresbyteros, Clericos, & Sacerdotes cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, ſeu dignitatis exiſtant, Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, quod veſtes decentes, & congruas Eccleſiaſticis perſonis portare, & deferre continue debeant non apertas, & buttunatas ex parte anteriori, vel cum gironibus pluribus circumdatas, vel breves, cum tales veſtes mere ſæcularibus competant, & non perſonis Eccleſiaſticis, nec in ſacris ordinibus conſtitutis.

Veſtes decentes, & congruas Eccleſiaſtici deferant.

Prohibentur vaſti abuſus hac in re & ex conſtitutione antiqua ſub pœna excõmunicationis.

Epiſcopi vero ſemper in publico, & in Eccleſia ſuper indumentis lineis rochettis utantur, niſi monachi, aut alterius Religionis fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem, aut ſuo ordini congruentem.

Epiſcopus, quæ deferre in publico indumenta debeat?

Sed nec anulos Clerici ferant, niſi quibus competit ex officio dignitatis, alias arbitrarie puniantur, maxime ſi in auribus portare præſumant more mulierum, ſicut multos vidimus.

Anulos Clerici non ferant, niſi competat ex officio dignitatis.

CAP. VII.

De Monachorum habitu, eorumque regulari obſervantia.

De Monachis vero, eorumque obſervantia regulari, maxime circa habitum, & veſtes, volumus, decernimus, & præcipimus, ut ſervetur per omnia Clementina Decretalis, quæ incipit: *Ne in agro*. De ſtatu Monachorum. Et mandamus omnibus Abbatibus immediate Nobis ſubjectis, ut tenorem, & copiam illius totam procuret quilibet in ſuis Monaſteriis habere deſcriptam in loco patenti, ut ab omnibus legi poſſit. Contrarium vero facientes in uncia una argenti noſtræ Cameræ applicanda decernimus puniendos. Et hoc idem in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus per noſtros Suffraganeos in ſibi ſubditis Monaſteriis obſervari, & mandari ſub ſimili pœna eorum Cameræ ſine gratia applicanda.

Servanda circa Monachorum habitum Clementina Decretalis, quæ incipit. Ne in agro. De ſtatu Monachorum.

Omnes Abbates habeant tenorem hujus Clementinæ deſcriptum in loco patenti.

Pœna in contravenientes ſtatuta.

Sed nec Prælati, aut alii Clerici frænis, ſellis, pectoralibus, & calcaribus deauratis utantur; baliſtas, arcus, lanceas, falſones, roncas, ſeu alia arma non deferant, niſi forte ex cauſſa rationabili probabilis timoris, vel guerræ, & cum licentia Superiorum. Nam & per conſtitutiones antiquas proviſum eſt, Clericos aliquod genus armorum pedites portantes per Civitatem, Diœceſim, vel Provinciam ſupradictas, niſi itinerando, in tar. 15. carolenorum argenti noſtræ, & ipſorum Suffraganeorum Curiæ perſolvendis, puniendos vice qualibet, niſi in caſibus a jure permiſſis.

Neque Prælati, neque Clerici frenis ſellis, pectoralibus, & calcaribus auratis utantur.

Neque ullum deferant armorum genus.

Pœnæ contravenientibus impoſitæ.

Quibus etiam ſub eadem pœna inhibitum eſt, maxime in ſacris ordinibus conſtitutis Clericis Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, quod non deferant, nec deferre præſumant capotia buttunata, ſeu cum buttonibus, ſed alias ſuta, ut decet Clericos, & honeſte.

Eadem pœna extenditur in Clericos, qui capotia buttunata deferunt.

Rurſus Religioſi, Sacerdotes, & alii in ſacris ordinibus conſtituti, præſertim beneficiati a mercimoniis, mercaturis, & aliis ſæcularibus negotiis abſtineant ſub pœna excommunicationis.

Inſuper prohibemus, ne conventus, collegia, aut quæcumque perſonæ ſæculares litteris Apoſtolicis abutantur, potiſſime, ut adverſarios ſuos in cauſſam trahant quoquo modo, quocumque colore contra tenorem illius Conſtitutionis *Statutum de reſcriptis lib. 6.* Si qui vero contrafecerint, ſi ſunt Collegia, vel Conventus, ſuſpenſionis; in ſingulares vero perſonas Judices, & Conſiliarios, ſi ſcienter, & malitioſe fecerint, excommunicationis ſententiam proferimus in his ſcriptis, pœnis in dicto..... contentis in ſuo robore valituris.

Collegia, conventus, aut quæcumque perſonæ ſæculares litteris Apoſtolicis ne abutantur.

Pœna in contravenientes.

Quoniam vero nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei; quia nonnulli in Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana præmiſſa advertere non curantes, poſtquam Religionem aliquam de approbatis intraverint, regulari profeſſione facta per eos, habitum Religionis aſſumptum apoſtatando abjicere, & dimittere præſumpſerunt, & præſumunt in animarum ſuarum periculum: ideo per antiquas conſtitutiones ex officii debito ſalubriter conſtitutum, & ſtatutum fuit, quod talis quicumque ſit, & undecumque infra menſem habitum præfatum inconſulte dimiſſum reaſſumat, aut de Civitate, Diœceſi, & Provincia exeat infra dictum terminum, & recedat. Alias elapſo dicto termino excommunicationis ſententiam, & pœnas carceris incurrat ipſo facto, & nihilominus dignitate, perſonatu, Eccleſia, & beneficiis, ſi qua obtineret, ſit privatus, niſi infra dictum terminum coram Nobis, aut Curia, ſeu Diœceſano fidem fecerit, quod ante ætatem legitimam, vel ante profeſſionem tacitam, vel expreſſam Religionem exiverit, vel habitum dimiſerit, aut ad Religionem ſtrictiorem tranſiverit, quibus caſibus conſtitutio ſibi locum non vendicabit. Quia vero id ſolum bene agitur, ut vita hominum corrigatur, ac in noſtris Civitate, Diœceſi, & Provincia multos in Religione quaſi girovagos reperimus contra ſubſtantiam ordinis, ſic errantes, quod Religione penitus deficiunt.....

Pœna in eos, qui habitum Religionis aſſumptum apoſtatando abjiciunt.

CAP. VIII.

Varia ſtatuta pro regulari obſervantia.

STatuimus, quod in Choro, Capitulo, Refectorio, & Dormitorio regulam obſervent: nullus cameram propriam habeat, præter infirmarias, niſi neceſſitas officii id expoſcat, in qua ſibi jacere, & non comedere licebit, niſi de Abbatis licentia ſpeciali, quod raro, & cum magna cauſſa fiat. Eiſdem veſtibus, & ejuſdem coloris, quibus Religioſus in ſuo loco utatur. Inhibentes ne Monachi, niſi ſint in adminiſtratione conſtituti, habeant ſub aliquo colore proprium, etiam de licentia Abbatis, cum licentia Abbatis in his, non valeat ſuffragari eiſdem. Et ſi Abbates contra noſtram præſentem inhibitionem fecerint, graviter puniantur.

Monachi proprium ſub nullo colore habeant, niſi ſint in adminiſtratione conſtituti.

Prohibemus etiam, ne aliquis Monachus etiam adminiſtrationem habens mutuum contrahat ultra ſummam unius Auguſtalis, niſi de conſenſu, & auctoritate Abbatis ſui, vel alterius Superioris, cum multos audiverimus querelantes.

Monachus etiā in adminiſtratione conſtitutus mutuum ne contrahat ultra certam ſummā, niſi de Superioris licentia.

Si quis vero contra noſtram inhibitionem, & denuntiationem mutuaverit Monachis ipſis, ſciat ipſos ex tali mutuo non teneri, niſi evidenter conſtare poſſet ipſam pecuniam in utilitatem Eccleſiæ, aut Monaſterii fuiſſe converſam.

Pœna mutuanti impoſita.

Caveant etiam diligenter Abbates, & Priores, ut domos ſuas faciant congrue reparari; alioquin ad ſequeſtrationem fructuum, prout exegerit, procedi per eorum Superiores præcipimus, & mandamus.

Abbates domos ſuas congrue reparent. Pœna contravenientibus impoſita.

De mulieribus autem in domibus Monachorum, ſeu infra ſepta Monaſteriorum, etiam aliorum Religioſorum, ne debeant commorari, & ne ſuſpectas habeant ſub excommunicationis pœna, & alia arbitraria prohibemus.

Præcipimus etiam, ut Abbates, & Priores Conventuales in ſuis Monaſteriis reſidentiam faciant principalem, & nullam dent ſuis Monachis materiam evagandi, alioquin, juſta cauſſa ceſſante, per ſuos Superiores durius puniantur.

Abbates, & Priores Conventuales in ſuis monaſteriis principaliter reſideant.

CAP. IX.

De Monialibus.

PRæterea ordinamus, quod Moniales non comedant, nec bibant extra ſepta Monaſteriorum, ſeu Prioratuum ſuorum, ſi ſint Civitatis, Villæ, vel Burgi, aut Suburgi, niſi neceſſitas immineat, aut de licentia Superiorum ſuorum, alias contra ipſas, & earum Superiores duriſſime procedatur. Sic dudum in conſtitutionibus noſtris cautum eſt, & ſtatutum, & quod nec aliquis de locis, ubi degunt

Moniales neque comedant, neque bibant extra ſepta.

gunt ad comedendum, vel bibendum eaſdem admittat in domo ſua ſub pœna unius unciæ noſtræ Curiæ, vel Suffraganeorum noſtrorum in eorum Diœceſibus applicandæ.

Excommunicationis pœnam incurrunt contrarium facientes.

Per conſtitutiones quoque antiquas, ut omnis materia egrediendi Monialibus, & Abbatiſſæ tolleretur, omnes, & ſinguli contrarium facientes in caſu prædicto excommunicationis ſententiam incurrebant ipſo facto.

Omnes item, & ſinguli Clerici, qui eas aſſociant.

Item omnes, & ſinguli Clerici, & Laici ipſas Moniales aſſociantes, ſeu comitantes ad domum alicujus conſanguinei, vel amici, niſi ex cauſſa rationabili ſuadente de noſtra licentia, vel Ordinariorum egrederentur de Monaſterio ſuo.

Nullus inter earum ſepta comedat ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrẽda, ſi hoc fiat ſine legitima licentia.

Item, quod nullus comedat infra dicta ſepta, vel bibat ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto incurrat, niſi de licentia noſtra, aut Vicarii noſtri, Suffraganeorum noſtrorum, aut eorum Vicariorum in eorum Diœceſibus petita, & obtenta.

Sub eadem excommunicationis pœna inhibetur ingreſſus in Monaſteria Monialium.

Monentes inſuper, ſicut hactenus per eaſdem conſtitutiones monuimus, omnes, & ſingulos Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, & eis ſub excommunicationis pœna mandamus, quam contrarium facientes incurrere volumus ipſo facto, quatenus nullus maſculus, aut femina ingredi audeat Monaſterium monialium cujuſcumque ſtatus, ordinis, & conditionis exiſtat, niſi ex cauſſa legitima, & rationabili, & cum licentia noſtrâ, ſeu Vicarii noſtri, Suffraganeorum noſtrorum, vel Vicariorum ſuorum in eorum Diœceſi ſuper hoc prius habita, & obtenta, quam pœnam omnes Cappellanos, & Procuratores, & alios talia loca fictis coloribus frequentantes ſine licentia ſupradicta petita, & obtenta incurrere volumus ipſo facto. Præmiſſam autem conſtitutionem extendi volumus, & declaramus etiam ad Religioſos, qui in hoc caſu ligantur, tanquam extra eorum loca exempta delinquentes.

Conſtitutio Bonifacii Papę VIII de reducendis ad clauſtrum monialibus, quæ non ſunt ſub clauſura.

Quia vero Bonifacius Papa VIII. conſtitutione, quæ incipit: *Periculoſa ſatis.* conſcientias Ordinariorum oneravit, ut Moniales, quæ non eſſent ſub Clauſura, ſaltem meliori modo, quo poſſet, reducerentur, ideo conſtitutionem in Concilio Provinciali dudum editam per Dominum A. quam uſque ad hæc tempora non videramus, quia ſatis plena circa mentem Juris eſt, & facti, hic interſerimus, & eſt talis.

CAP. X.

Conſtitutio in Concilio Provinciali dudum edita juxta mentem prædictæ conſtitutionis Bonifacii Papæ VIII.

Item, ſicut evidentia facti notoria manifeſtat, Moniales Monaſteriorũ Civitatis Beneventanæ extra ſua Monaſteria per habitacula ſæcularium perſonarum effrenate diſcurrunt, & intra ipſarum Monaſteria perſonas quaslibet indifferenter admittunt in illius, cui ſuam integritatem devoverunt, gravem offenſam, Religionis opprobrium, & ſcandalum plurimorum. Volentes ſuper his, prout ſollicitat nos cura Paſtoralis officii, & Juris præceptum, ſalubriter providere, præſenti Edicto publico, quod in dictis Monaſteriis publice divulgari, & in hoſpitiis eorumdem Monaſteriorum affigi juſſimus, ut nemini ſit occultum, requirimus, monemus, atque hortamur omnes & ſingulas Abbatiſſas, & Moniales dictorum Monaſteriorum, quatenus deinceps Moniales eædem non egrediantur ipſarum monaſteria quacumq; ratione, vel cauſſa. Et præfatæ Abbatiſſæ contra hæc aliquatenus non permittant.

Prohibetur ſingulis Monialibus omnis egreſſus extra Monaſteria quacumque ratione, vel cauſſa.

Et ſi qua Monialis, vel Abbatiſſa ad præſens extra ſuum Monaſterium fuerit infra triduum, ſeu trium dierum terminum a die publicationis præſentium computandum, redire debeant, cum effectu ad clauſtrum Monaſterii prælibati.

Indicitur eiſdem reditus ad clauſtra infra triduũ a die publicationis præſentis conſtitutionis.

Et ſi forſan cauſſa rationabilis egrediendi Monaſterium ſuaderet, eo caſu, volumus pro parte ipſarum Monialium, ad Nos, ut Ordinarios, recurſum haberi pro egrediendi licentia obtinenda.

Urgente cauſſa rationabili egrediendi, ad ordinarium habeatur recurſus pro licentia.

Et ut præſcriptæ Moniales liberius Deo ſervire valeant, & mundanis conſpectibus ſeparari, eaſdem Moniales, & Abbatiſſas, ut ſupra requirimus, & monemus, quatenus nulla Abbatiſſa, vel Monialis intra Monaſteria earumdem, ut intra domos ipſis deputatas, ſub prætextu audiendarum Confeſſionum, ſeu prædicationum, vel celebrationis Divini officii, recipiat, vel intrare permittat aliquem Religioſum, vel Sæcularem Clericum, etiam prætextu exercendarum procurationum, cujuſcumque Dignitatis, aut præeminentiæ, conditionis, vel ſtatus exiſtat, etiamſi Pontificali, vel quacumque præfulgeat dignitate, vel etiam Laicum quocumque prætextu, & nullus prædictorum intrare audeat, vel præſumat ſine noſtra licentia ſpeciali. Excipimus Religioſos, vel Sæculares Clericos, ſive laicos in die conſecrationis alicujus Abbatiſſæ, vel Monialis, dum Miſſa ibidem celebratur in diebus peculiarium feſtivitatum ipſarum a primis Veſperis, uſque ad ſecundas veſperas tunc proxime ſequentes, & in die funeris, dum Officium

Moniales nullum omnino ſeu Religioſum, ſeu Clericum ſecularem, ſeu Laicum ſub quovis prætextu intra domos ipſis deputatas admittant.

Nullus item in eaſdem intrare audeat, vel præſumat ſine licentia ſpeciali.

Excipiuntur aliqui dies peculiari feſtivitate inſignes.

ſicium mortuorum celebratur, & prædicatur. Et medicos ex cauſſa rationabili ſeu minutionis, vel phlebotomationis, ſive conſanguineos ipſarum uſque ad tertium gradum, & de licentia Abbatiſsæ ad præſcriptum Monaſterium accedentes, dummodo in prædictis nihil fraudis, ſive doli fingatur.

Excipiuntur item Medici, & Monialium conſanguinei uſque ad tertium gradum, & de licentia Abbatiſſæ.

Monemus inſuper pro primo, ſecundo, tertio, & ultimo peremptorio quamlibet dictarum perſonarum, de quibus in genere, vel in ſpecie fecimus mentionem, eiſdem ſub excommunicationis pœna infraſcripta mandantes, ut prædicta, & ipſorum quodlibet debeant obſervare. Alioquin ipſos, & quemlibet negligentiam, vel contemptum committentes contra modum, & formas prædictas, excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto, præter Epiſcopos, quos ex hujuſmodi contemptu ob reverentiam dignitatis interdictum ingreſſus Eccleſiæ tantum incurrere decernimus in his ſcriptis.

Pœna contravenientibus inflicta.

CAP. XI.

Quid peculiariter Clericis inhibitum, aut injunctum?

Clerici quoque, & Religioſi venationibus, aut aucupationibus non intendant; Religioſi quam maxime per Decretalem *Ne in agro* ſuperius allegatam, graviter punientur.

Venationibus, aut aucupationibus non intendant.

Inhibemus diſtricte, ne Prælati, aut alii Clerici feminas teneant, de quibus ſuſpicio incontinentiæ poſſit eſse. Sed nec Rectores Eccleſiarum, Abbates, vel Archipresbyteri juvenes matres, ſorores, amicas, conſanguineas ſecum in domibus Eccleſiarum, vel aliis, in quibus habitant, tenere præſumant, ſed alibi, ſi pauperes fuerint, eis, ſi voluerint, neceſsaria ſubminiſtrent; & juxta ſtatutum Provincialis Concilii antiquum *nullus Sacerdos, vel Clericus beneficiatus mulierem habeat in domo ſuſpectam*; Monentes quoſcumque habentes, ut a ſe abjectent infra dies quindecim.

Neque feminas teneant, de quibus incontinentiæ ſuſpicio eſſe poſſit.

Rectores Eccleſiarum, Abbates, & Archipresbyteri, ne Matres quidem, ſorores, ſeu amitas in domibus, in quibus habitant, teneant, ex antiquo Provincialis Concilii ſtatuto.

Alioquin præter pœnas juris inobediens in una uncia danda Curiæ noſtræ, & Curiis Suffraganeorum noſtrorum per eorum ſubditos in piis uſibus convertenda puniatur. Præcipientes ſub pœna prædicta omnibus, & ſingulis Abbatibus, & Archipresbyteris Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, ut dictos Sacerdotes, & Clericos tales mulieres habentes, & a ſe non abdicantes, Nobis, & Suffraganeis noſtris infra decem dies revelent, & in ſcriptis tradant, & aſſignent nomina eorumdem.

Pœna contravenientibus inflicta.

Ex eodem quoque Concilio ſtatutum, & ordinatum eſt, quod nullus Clericus in quocumque Ordine conſtitutus, vel Eccleſiaſtica perſona Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ publice Concubinam in domo ſua, vel aliena, ſuis expenſis audeat retinere, ne pollutis manibus, quæ ſancta ſunt, adminiſtret. Sed a ſe totaliter abdicare, & amovere eas, vel alias debeat deinceps nullatenus admiſsurus.

Concubinas totaliter a ſe abdicent, & amoveant.

Quod ſi contra factum fuerit, Sacerdos, Eccleſiæ Rector, ſeu Prælatus, qui majori præeminet dignitate, cujus exemplo alii tam Laici, quam Clerici poſſent ad ſimilia provocari, quatuor unciarum Nobis, & Curiæ noſtræ, ſeu Suffraganeis noſtris, & eorum Curiæ, in eorum Diœceſi applicandarum; Diaconus vero trium unciarum; alii vero inferioris ordinis unius unciæ pœnas incurrant convertendas, erogandas, & expendendas in pios uſus, prout Nobis, & dictis Suffraganeis viſum fuerit expedire.

Pœna in hujus criminis reos ex Concilio Provinciali ſtatuta.

Verum, quia Nos docuit experientia, præfatos Sacerdotes, & Clericos in fraudem hujus conſtitutionis ſuas fornicarias fictitie abjeciſſe, & cum viſitantur, aut alias requiritur contra eos, eas abjiciunt, aut abjicere promittunt, animo autem eas ſemper retinuerunt, & retinent tanquam canes ad vomitum redeuntes, non advertentes, quod de jure præſcripto cautum eſt, animum ſolum facere concubinatum: ideo ne ex tali fraude glorientur, ſtatuimus, declaramus, & ordinamus tales animo ſolo concubinas retinentes, vel eis ubicumque moram trahant ſe immiſcentes, pœnas conſtitutionis non evadere; quin immo ipſas pœnas eo ipſo incurrere decernimus, cum dicat conſtitutio: *deinceps nullatenus admiſſuri*.

Hæc pœna extenditur etiam in eos, qui concubinas falſo abjiciunt, eaſque animo retinent, & deinde tanquam canes redeunt ad vomitum.

Et quia in Epiſcopis audivimus hujuſmodi vitia, & per ipſos confoveri, non advertentes, quod ipſi ſunt tanquam ſignum ad ſagittam, & ſuper gregem Dominicum Paſtores conſtituti; iccirco in ipſis præmiſſum vitium deteſtabile abhorrentes, auctoritate præſentis Concilii eiſdem hujuſmodi vitium concubinatus inhibemus, quod ſi contra fecerint, pœnam decem unciarum auri eos taliter delinquentes incurrere volumus, ipſo facto noſtræ Curiæ applicandarum, prout viſum fuerit in pios uſus erogandarum.

Extenditur etiã ad Epiſcopus ſub graviori mulcta.

Si quis autem Sacerdotum, aut aliorum Clericorum, ſeu Prælatorum tertio correptus, animo indurato perſiſtens, ut non ſit ſpes correptionis ejus, ut de multis probavimus, quorum filii ſunt novellæ olivarum in circuitu menſæ Domini, hoc eſt altaris; Si beneficium habeat, eo ipſo privandum declaramus; Si vero beneficiatus non fuerit, talem eo caſu ab obtinendis beneficiis ad triennium ſuſpendimus, & volumus eſſe ſuſpenſum, niſi cum talibus ex juſta cauſſa, & probabili duxerimus, vel noſtri Suffraganei duxerint cum ſuis ſubditis diſpenſandum.

Aliæ pœnæ iis inflictæ, qui animo indurato in hoc vitio perſiſtunt.

CAP. XII.

CAP. XII.

Nulli Clerico, aut Sacerdoti concubinario beneficium Eccleſiaſticum conferatur.

INhibentes, & diſtricte præcipiendo mandantes omnibus noſtris Suffraganeis, & aliis quibuſcumque per noſtram Civitatem, & Diœceſim, ac Provinciam conſtitutis, ad quos beneficiorum Eccleſiaſticorum collatio, ſeu quævis alia diſpenſatio pertinet quovis modo, ne cuiquam Clerico, aut Sacerdoti Concubinario manifeſto beneficium aliquod Eccleſiaſticum conferre præſumant, aut præſentato confirmare; quod ſi ſecus factum fuerit, tenore præſentis Concilii irritum decernimus, & inane, ad alias pœnas, ſi neceſſe fuerit, proceſſuri.

Filii illegitimi nati ex Prælatis Presbyteris, Clericis beneficiatis & Religioſis in domibus propriis ne nutriantur.

Filios autem illegitime natos Prælatorum, Presbyterorum, & Clericorum beneficiatorum, ſeu Religioſorum nutriri in domibus propriis eorum penitus prohibemus; quod ſi contra fecerint puniantur arbitrio ſuorum Prælatorum.

Extenduntur hæc ſtatuta ad Monachos etiã & Religioſos.

De Monachis autem, & aliis Religioſis qui fornicarias concubinas inverecunde, & in opprobrium Dei, ac Religionis ſuæ retinere non verentur, eadem per omnia, quæ de aliis Clericis ſtatuimus, & de ipſis.

Pœnæ in concubinarios latius ſtatutæ.

Sane per eaſdem veteres conſtitutiones in Provinciali Concilio lectas, & confirmatas ſtatuimus, & una monitione pro tribus, & peremptorie monuimus, & monemus, quod nullus de Civitate, Diœceſi, & Provincia cujuſcumque ſtatus, & conditionis exiſtat, etiam habens uxorem propriam retinere debeat, & recipere concubinam. Sed nec mulieres maritum habentes, aut aliæ debeant aliquibus concubinaliter adhærere; Alias in contrarium facientes poſt menſem unum ex tunc in antea computandum, dicta canonica monitione præmiſſa, & dicto lapſo termino, excommunicationis ſententiam ex nunc, prout ex tunc tulimus, & ferimus in his ſcriptis, ipſoſque, & ipſas per ſingulos Archipresbyteros, Abbates, Curatos, & aliarum Eccleſiarum Rectores, tanquam excommunicatos vitari præcipimus a Divinis, quouſque a nobis, ſeu Suffraganeis noſtris, aut Vicariis abſolutionis beneficium meruerint obtinere.

CAP. XIII.

Omnes adulteri, & adulteræ manifeſti per Conſtitutiones Provinciales ſunt excommunicati.

PEr Conſtitutiones quoque Provinciales Domini. A. excommunicati ſunt omnes adulteri, & adulteræ manifeſti, quos per Rectores parochiales præcipimus in eorum Parochiis publicari. Advertant igitur quicumque Sacerdotes, Prælati, & Clerici tenentes concubinas. Nam cum ipſæ concubinæ ſint excommunicationis vinculo ligatæ, ipſi participando cum eis in peccato, & ſic in crimine criminoſo eadem ſententia ligantur, & per conſequens celebrando divina, aut ſe immiſcendo irregularitatem incurrunt, nec poteſt cum eis diſpenſari, niſi per Papam, aut ejus Pœnitentiarium. Quilibet igitur ex talibus ad cor, & rectam conſcientiam revertatur, & bene agat abſtinendo.

Admonentur hac in re Sacerdotes, Prælati, vel Clerici, ne participent in crimine criminoſo, & ſic eamdem excommunicationem incurrant, & deinde celebrando divina irregulares fiant.

Pœnæ in Clericum beneficiatum, qui per annum in excommũicatione perſiſtit.

Clericus beneficiatus, qui per annum in excommunicatione perſiſtit, & in petenda abſolutione negligens fuerit, ſtatuimus, omni beneficio jam adepto privetur, niſi cum eo per ſuum Diœceſanum fuerit diſpenſatum.

Clericus neque truncationem membrorum faciat, neque judicet faciendam, neque ſententiam ſanguinis vel proferat, vel ſcribat, idque ſub excõmunicationis pœna, immo irregularitatem etiam incurreret.

Sub pœna excommunicationis prohibemus diſtricte, ne aliquis Clericus truncationem membrorum faciat, aut judicet faciendam, dictando ſententiam ſanguinis, vel proferendo, vel ſcribendo, alioquin irregularitatem incurreret, nec in loco, ubi talia exercentur, dum fuerit, intereſſe præſumat.

Nullus item Clericus in ſacro ordine conſtitutus chirurgiam exerceat, quæ ad uſtionem, vel inciſionem inducat.

Nullus quoque Clericus in Sacro Ordine conſtitutus aliquam chirurgiæ artem exerceat, quæ ad uſtionem, vel inciſionem inducat, nec Tabellionatus fungatur officio in curia ſæculari.

CAP. XIV.

Clerici beneficiati, aut in Sacro ordine conſtituti procurationes, aut judicaturas ſæculares non exerceant, nec nundinas frequentent.

NUlli Clerici beneficiati, aut in ſacro ordine conſtituti procurationes, ſeu baylivias Civitatum, Villarum, ſeu Caſtrorum, aut judicaturas ſæcularium perſonarum recipere, aut tenere præſumant, vel Procuratores exiſtere quorumlibet Laicorum, aut tutores, ſeu curatores, ſeu advocati in Curia ſæculari, niſi pro ſeipſis, & Eccleſiis ſuis, & pro perſonis miſerabilibus, vel conſanguineis ſuis, & univerſis Religioſis, & Sacerdotibus. Alioquin extraordinarie arbitrio Diœceſanorum puniantur.

Niſi pro ſeipſis, aut Eccleſiis ſuis & pro perſonis miſerabilibus, & cõſanguineis ſuis

Clerici nundinas ſine rationabili cauſa non frequentent.

Præcipientes, ut Clerici, & præcipue Sacerdotes mercata, ſeu nundinas non frequentent ſine rationabili cauſſa, & probabili, & tunc incedant in decenti habitu honeſto.

Qui parochialem habet Eccleſiam per ſeipſum, & non per Vicarium illi inſerviat

Qui vero parochialem habet Eccleſiam non per Vicarium, ſed per ſeipſum illi deſerviat in ordine, quem ipſius Eccleſiæ cura requirit, in ipſa Parochia reſidendo, ſicut jura præcipiunt, & requirunt, niſi cum eis ex cauſſa rationabili ad tempus duxerimus, vel ſui Diœceſani duxerint diſpenſandum: & tunc Nobis præſentent, vel ſuis Diœceſanis Vicarios,

quos

quos non admittemus, aut Diœceſani non admittent, niſi præmiſſa examinatione illos invenerimus vitæ laudabilis, & converſationis honeſtæ, & qui ſciant conſtruere, aut competenter legere, & cantare.

Ex antiquis ſtatutis excommunicationem incurrit qui cappellam habens propriã, ubi certis temporibus celebrare ipſum oporteat, alterũ hac in ea ſubſtituit.

Vigore quoque ſtatutorum antiquorum ſententiam excommunicationis incurrit quicumque habens Cappellam propriam, ſeu Altare, in qua, ſeu quo quotidie, ſeu certis diebus in hebdomada oporteat ipſum celebrare, faciet in ea per ſubſtitutum ſervire. Et ubi in caſu neceſſitatis, vel de licentia ſui Diœceſani oporteat ipſum abſentare....

CAP. XV.

De reſidentia requiſita in eo, qui tenet Eccleſiam curam animarum habentem, & de hoſpitalitate exercenda.

Si ex cauſsa rationabili diſpenſetur illi ad tempus in reſidentia, Vicarium Ordinario præſentet.

ET juxta ſtatuta Provincialia quicumque tenet Eccleſiam curam animarum habentem, ſeu Eccleſiam parochialem limitatam, ſi ſit abſens a loco, ubi dicta Eccleſia conſiſtit, tenetur infra trium menſium ſpatium ad ipſum locum redire, & poſt reditum ſuum in ipſa Eccleſia parochialiter reſidere temporibus, & horis congruis, & debitis in Divinis Officiis ſerviendo, alias ſi non redierit, vel poſt reditum ſuum ceſſaverit per menſem in Divinis officiis ſerviendo perſonaliter in ipſa Eccleſia reſidere, eo ipſo dicta Eccleſia privatus exiſtat; niſi in noſtra majori Eccleſia, aut alia Cathedrali noſtræ Provinciæ in Divinis officiis perſonaliter deſerviret, quo caſu in ſua parochiali Eccleſia per Vicarium, ut præmiſſum eſt, faciat deſerviri, qui Vicarius, aut ſubſtitutus Nobis, aut noſtræ Curiæ, vel Suffraganeorum infra unum menſem præſentetur approbandus: Alioquin auctoritate dicti Concilii ipſo beneficio ſit ipſo jure privatus.

Pœna in non reſidentem.

Hoſpitalitatem quoque in Eccleſiis teneant Prælati, Abbates, & alii beneficiati Clerici, & maxime in caſtris, & caſalibus exiſtentes, ſecundum quod facultates eorum poterunt commode ſuſtinere, & præcipue circa Fratres Minores, & Prædicatores, & alios Mendicantes, cum cauſſa prædicationis, vel alia ad eas contigerit ipſos declinare; eos enim diſtricte præcipimus ab omnibus Abbatibus, Archipresbyteris, Rectoribus Eccleſiarum, & Presbyteris noſtrarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ charitative recipi, & benigne.

Præcipue circa fratres Minores, & Prædicatores, & alios mendicantes.

CAP. XVI.

De Clericis conjugatis, veſtitu, & privilegiis eorum.

Clerici conjugati tonſuram, ſeu coronã portent, modeſteque habitum uſurpent, ſi gaudere velint privilegio Clericali.

DIſtricte præcipimus, ut Clerici conjugati, qui tamen non ſunt bigami, volentes gaudere privilegio clericali, tonſuram, ſeu coronam portent, vilia officia non exerceant, neque portent veſtes virides, rubeas, ſeu virgatas; tales enim Clerici pro commiſſis ab eis exceſſibus, vel delictis contrahi non poſſunt criminaliter, aut civiliter ad judicium ſæculare, nec ab ipſis Judicibus ſæcularibus debent etiam pecunialiter condemnari.

Clerici conjugati non poſſunt eſſe Vicarii, vel Officiales Epiſcoporum, vel commiſſarii in cauſſis ſpiritualibus.

Clerici tamen iſti conjugati non poſſunt eſſe Vicarii, vel Officiales Epiſcoporum, nec Commiſſarii in cauſſis ſpiritualibus, quod peſſime, & inadvertenter in his potiſſime partibus audivimus obſervari. Et ideo cavendum a Prælatis, nam ſententiæ a talibus latæ non valerent, nec proceſſus coram eis facti: quoad hoc enim reputantur ſæculares potius, quam Clerici, durante ipſo conjugio: nam mortua uxore, dummodo, ut dictum eſt, bigami non exiſtant, omnia Clericorum privilegia recuperant, & retinent, ſi vitam, & habitum Clericalem reaſſument: ſolum enim de conjugatis Clericis, non bigamis loquimur, qui etiam privilegium fori in cauſſis civilibus more non retinent, nec circa tutelas, aut curas non recipiendas, nec circa juramentum calumniæ per alium præſtandum, nec in pedagiis non ſolvendis, aut immunitatibus ab exactionibus, & collectis.

Verberans, vel injuria afficiens Clericum conjugatum non bigamum incurrit excommunicationem; a cenſura latam.

Si quis autem tales Clericos conjugatos non bigamos verberaret, vel injuriaretur, ſententiam excommunicationis latam a Canone incurreret. Sed noſtri Cives, & Provinciales, ac Regnicolæ, qui tonſuram abhorrent, præfata privilegia, tam laudabilia, atque magna non advertunt, nec in quantum eis juvari poſſent, quod non laudamus, poſſet enim in caſu eis dici.

Regnicolæ tonſuram abhorrent.

Quod potui nolui, & quod volui adimplere nequivi, & de multis probavimus ſic.

Clerici actiones ſibi cedi a Laicis non faciant, ut adverſarios ad Eccleſiaſticum forum trahant.

Quidam Clerici dono, vel pretio a laicis ſibi cedi faciunt actiones, ut adverſarios ad Eccleſiaſticum forum trahant, & eos, quouſque cum eis compoſuerint, fatigent laboribus, & expenſis, quod omnino fieri prohibemus.

Quo pacto Parochi erga Parochianos ſuos ſe gerere debeant?

Quilibet Parochialis Sacerdos ſuos Parochianos filiali affectione diligat, nec damno aliquo illos afficiat: ſed ipſos dirigat verbis, factis pariter, & exemplis, & ſe eis exhibeat patientem, humilem, & benignum, ut per ipſius Sacerdotis vitam laudabilem, & humilitatis exemplum eos invitet ad devotionem Divini officii, & peccatorum ſuorum confeſſionem, eidem Sacerdoti libentius, & ſecurius faciendã.

CAP.

CAP. XVII.

Nullus perſonam Eccleſiaſticam clericaliter viventem ad judicium Curiæ ſæcularis evocet: & pœnæ Clericis delinquentibus ſtatuuntur.

Præſertim juribus inhærere volentes prohibemus, ne quis perſonam Eccleſiaſticam clericaliter viventem pro aliqua cauſſa ad judicium Curiæ evocet ſæcularis, vel evocari procuret clam, vel palam; quod ſi ſecus fecerit in capitula, vel conventus, ſuſpenſionis; in regulares perſonas ſuper hoc culpabiles, excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis.

Pœna in contravenientes.

Sententiæ tenor in Clericos delinquentes.

Cum ex officii noſtri debito teneamur exceſſus corrigere ſubditorum, ne ſanguis ipſorum, ideſt anima de noſtris manibus requiratur, & ſæpius eveniat, quod Clerici atrocia perpetrantes, propter noſtrorum vel Ordinariorum aliorum abſentiam miniſtrorum, fugiunt, & evadunt, & ſic crimina remanent impunita, ſub pœna excommunicationis diſtricte præcipimus, ut ſi quis Clericus homicidium, ſacrilegium, incendium, vel furtum, raptum mulieris cujuſcumque, incantationem, vel aruſpicium, vel aliud delictum, quod captionem requirat, in noſtris Civitate, Diœceſi, vel Provincia commiſerit, vel aliquem atrociter, niſi defendendo ſe, vulneraverit, per Archidiaconum, vel Archipresbyterum, vel Abbatem, vel ſi aliquis iſtorum præſens non fuerit, per Priorem, ſeu Rectorem, vel Cappellanum illius Eccleſiæ, in cujus Parochia dicta crimina commiſſa fuerint, capiatur, & captus ad nos, vel ſuum Ordinarium, & Diœceſanum, in cujus Diœceſi deliquerit, ad expenſas noſtras, vel dicti Diœceſani per Clericos adducatur ſub fida cuſtodia pariter, & cautela, adhibito ad hoc, ſi opus fuerit, brachio ſæculari. Hoc autem fieri volumus, & mandamus ſine fraude, ut Clerici ab illicitis arceantur, & laicorum ſcandalum ex impunitate Clericorum delinquentium proveniens evitetur. Si quis autem prænominatorum negligentiam, vel fraudem commiſerit, arbitrio Ordinarii veniat puniendus.

Pœnæ ejuſmodi, & mulctæ in pias cauſas expendendæ.

Statuimus a Clericis delinquentibus tales pœnas, ſeu mulctas per noſtros, & aliorum Ordinariorum officiales, & curiales exigi, & levari in pias cauſſas, & licitas noſtro, vel Vicarii noſtri, aut ipſorum Ordinariorum arbitrio expendendas, pro bannis ſcilicet fructuum ſubtractorum, aut aliis, pro eundo de nocte ſine lumine poſt tertium ſonum campanæ, vel tubæ, & pro cruentationibus, & ictibus violentis, & aliis caſibus contingentibus, de quibus per antiquas conſtitutiones, & inſtituta Provincialia certa pœna impoſita non habetur, quales a Laicis in hujusmodi caſibus conſuetum eſt exigi, & levari per Curiam temporalem, & ſæculares Dominos in Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana, ſeu alias pœnas, de quibus Nobis, aut Vicario noſtro, vel ſingulis Suffraganeis noſtris, aut eorum Vicariis videbitur faciendum, & nihilominus damna paſſis ſatisfactionem facere teneantur.

Satisfactio ſtatuta fiat damna paſſis.

Pœna, in Clericum, vel Eccleſiaſticum, qui furtum, violentiam, ſeu rapinam commiſerit.

In conſtitutionibus quoque antiquis cavetur, quod quicumque Clericus, vel perſona Eccleſiaſtica furtum commiſerit, violentiam, vel rapinam in re valente unciam auri unam, vel infra, in quinque unciis ſupra: in re valente ab una uncia ſupra uſque ad quinque, in decem unciis venit puniendus: ſi in re valente uncias quinque, arbitrio Diœceſani puniatur, quas pœnas ipſo facto incurrunt, & plus, aut minus puniendæ ſunt perſonæ, furti, rapinæ, violentiæ qualitatibus inſpectis ad arbitrium judicantis.

CAP. XVIII.

Parochi Ordinarios, vel eorum Vicarios informent de Clericorum criminibus.

Sacerdotes Parochiales bono zelo, & non odio de Clericis ſuæ Parochiæ vitio incontinentiæ, ſeu aliis gravioribus criminibus manifeſte diffamatis, Nos vel Vicarium noſtrum, aut Suffraganeos noſtros, vel eorum Vicarios ſecrete informare procurent, ut erga correptionem eorum celeriter occuratur; & hoc in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus, & mandamus, licet per ſtatuta antiqua Provincialia ad pœnam etiam unius unciæ, noſtræ, & Suffraganeorum Curiæ applicandæ, omnibus Archipresbyteris dudum præceptum fuerit, & per nos confirmatum eſt, ut omnes Clericos cujuſcumque ſtatus, aut conditionis exiſtant, in eorum Civitatibus, ſive Caſtris, aut locis commorantes concubinarios infra dies decem, poſtquam ſciverint, revelare teneantur, quæ ſtatuta præſentibus confirmamus.

Pœnæ non revelantibus inflictæ.

CAP. XIX.

De Clericis, qui ab omni privilegio Clericali ſunt excluſi, ob habitum dimiſſum.

Illi autem Clerici, qui dimittunt tonſuram, & habitum Clericalem & ex iniquitate, & malitia contra Deum, & juſtitiam, & honeſtatem Cleri armis acceptis inverecunde crudelitati, & enormitati ſcelerum ſe immiſcent, & ibi deprehenduntur, etiam nulla monitione præmiſſa, quouſque ſe corrigant.

Item, ſi gobardia, vel * *iſtrionatu* per annum fuerint, vel breviori tempore, & ter moniti non deſiſtunt.

*Forſan * hiſtrionatu.*

Item bigami, a foro Eccleſiaſtico omni Clericali privilegio ſunt excluſi.

Clerici etiam, qui non dimiſſo habitu Clericali, ut Laici mercantias, & negotiationes Clericis prohibitas exercent, privilegium de non præſtandis talliis in muneribus laicalibus poſt trinam monitionem amittunt.

Quid requiratur ad hoc, ut perdatur Clericale privilegium?

Unde ad hoc, ut perdatur Clericale privilegium, oportet, quod ad actum penitus contrarium ordini tranſeatur. Si enim non eſſet actus prorſus contrarius, puta ducendo virginem in uxorem, vel faciendo ſe militem, dummodo ſæva non exerceat, & ex officio, puta recipiendo officium occidendi, vel mutilandi condemnatos a Judice ſæculari, vel torquendi reos, vel officium advocationis iu cauſis criminalibus, poteſt clericaliter vivere, & gaudere privilegiis Clericalibus, licet non promoveri.

Et idem ſi quis ex ira, vel impetu aliquem occiderit, vel mutilaverit; non enim propter hoc amittit privilegium Clericale, etiamſi in Apoſtaſiam hoc fecerit, vel ſi in officio exiſtens fecerit, dummodo non dimiſerit tonſuram, vel habitum Clericalem, niſi ter admonitus ſe corrigere noluiſſet.

Pœna in eos, qui ſe Clericos ſimulant, cum te vera non ſint.

E converſo vero, quia nonnulli, cum non ſint Clerici, in opprobrium ordinis clericalis, & quandoque eluſionem, & ſubterfugium Judicis ſæcnlaris, quaſi clericali charactere inſigniti, incedunt cum tonſura, & habitu clericali, per ſtatuta antiqua, quibus hoc prohibitum eſt, in una uncia auri veniunt per ſui Diœceſani Curiam puniendi.

CAP. XX.

De Beneficiorum collatione.

Diſtricte prohibemus, ne aliquis Rectoriam, ſeu Vicariam alicujus Eccleſiæ hujus Diœceſis, vel aliarum Diœceſium in Provincia Beneventana præſumat ab aliquo recipere, niſi prius præſentatus fuerit Nobis, vel Diœceſanis, vel Suffraganeis, & a Nobis, vel dictis Suffraganeis curam recipiat animarum, cũ de jure nullus, præterquam Ordinarius Epiſcopus, curam poſſit committere animarum, & ideo quantumcumque beneficium conferatur ab alio, quam Diœceſano, licet ex conſuetudine, tamen is, cui collatum eſt, adminiſtrare non debet, nec poſſeſſionem adipiſci beneficii ſibi collati, niſi auctoritate Diœceſani. Conſuetudinem vero contrariam judicamus corruptelam, & ideo talis a cura removendus eſt, niſi Diœceſanus ſecum duxerit diſpenſandum. Et hoc intelligimus in Prioratibus conventualibus, & Eccleſijs curam animarum habentibus: Simplicia enim beneficia, & jura alia poſſunt de conſuetudine conferri, & eorum poſſeſſio adipiſci abſque Diœceſani auctoritate, ubi de privilegio, vel conſuetudine præſcripta legitima hoc appareret. Sed hoc ſatis corruptum comperimus in noſtris Diœceſi, & Provincia, & animos multorum induratos, & quia vertitur in periculum animarum, ſatis correptione indiget, & nos quædam, ut potuimus, ſanius reducendo correximus.

Nemo dignitatem ullam Eccleſiaſticam invadere, aut occupare, aut detinere præſumat auctoritate propria, neque per ſe, neque per alium abſque inſtitutione canonica.

Per ſtatuta quoque antiqua Provincialia monitione canonica præcedente inde ſolemniter publicata, prohibitum eſt, ne quis Clericus, aut Laicus cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, vel dignitatis exiſtat, præſumat, vel attentet accipere, occupare, invadere, vel detinere dignitatem, perſonatum Eccleſiarum, ſeu aliud quodcumque beneficium Eccleſiaſticum auctoritate propria per ſe, vel alium, aut poſſeſſiones, fructus, reditus, & proventus eorumdem abſque inſtitutione canonica, ſeu collatione Prælati, ad quem noſcitur pertinere; aut de adminiſtratione Abbatiarum, & Eccleſiarum ipſarum ſe aliquatenus intromittat, aut de juribus earum aliquid recipiat, vel tractet, etiamſi jus aliquod patronatus, vel electionis, aut præſentationis habeat in eiſdem, abſque voluntate, & mandato Rectorum Eccleſiarum illarum, quibus Rectoribus eædem dignitates, perſonatus, vel officia, ſeu beneficia conceſſa fuerunt per Prælatos eoſdem: Alioquin tales præſumptores, invaſores, & detentores beneficiorum, & Eccleſiarum, & bonorum ipſarum abſque conceſſione, & licentia ſpeciali ſupradicta, & poſſeſſionem acceptantes, & Cappellani pro eis in divinis ſervientes in dictis dignitatibus, perſonatibus, Eccleſiis, & beneficiis, niſi infra menſem deſtiterint, excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto. Fructuum quoque reſtitutionem, quos ſuos non fecerunt, facecere tenentur.

Pœna ejuſmodi invaſoribus, & detentoribus inflicta.

Prohibemus inſuper, ne aliquis curam, ſeu Vicariam curam animarum audeat ſuſcipere, vel dimittere, noſtra licentia, vel Diœceſani ſui non obtenta. Unde merito in Provinciali Concilio conſtitutum eſt, quod quicumque inſtitutus, ſeu confirmatus Abbas, Archipresbyter, vel Rector, antequam poſſeſſionem adipiſcatur Abbatiæ, Archipresbyteratus, vel Rectoriæ, ſeu beneficii cujuſcumque, litteras ſuæ collationis, inſtitutionis, vel confirmationis habere cum effectu procuret, in teſtimonium Juris ſibi competentis a Nobis, vel Diœceſano ſuo, aut ab illo, ad quem ipſius beneficii cujuſcumque collatio & inſtitutio ſpectabat, vel confirmatio, ſigillatas. Alioquin collationes, inſtitutiones, ſeu confirmationes, ſi quis contra præfatam ordinationem facere præſumpſerit, nullæ, irritæ ſunt ipſo jure, omnique jure eiſdem præſumptoribus acquiſito eo ipſo privati, nulluſque eiſdem tanquam Abbatibus, Archipresbyteris, aut

Litteras ſuæ collationis, inſtitutionis, vel confirmationis habere quiſque cum effectu procuret.

Secus irritæ erunt collationes, inſtitutiones, ſeu confirmationes.

aut Rectoribus obedire tenetur, aut aliquo modo reſpondere. Supradictis quoque adjicimus, ne aliquis recipiat duas, niſi eſſent in Eccleſiis annexatis.

Excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrit, qui beneficia ad Ordinarii collationem ſpectantia abſque juſto titulo recipit.

Per conſtitutiones quoque Provincialis Concilii proviſum eſt, nequis beneficium, vel beneficia ad noſtram collationem, vel cujuslibet alterius Ordinarii ſpectantia, ut commendata, ſeu aliter abſque juſto titulo recipiat: Alioquin excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrit. Eamdem quoque excommunicationis ſententiam incurrunt tenentes unum beneficium curatum, & aliud ſimile præſumentes recipere, non reſignantes prius Nobis, aut illis, ad quos ſpectat collatio eorumdem. Scientes etiam, & non revelantes infra menſem eodem modo in excommunicationem incurrant. Recipientes vero beneficium cum cura, habendo aliud ſimile beneficium ſine diſpenſatione legitima, ipſis beneficiis privati ſunt ipſo facto.

Pœna in eos, qui alicui Eccleſiæ curatæ alterius nomine ſerviunt: nam ad eos ſpectat propriæ Eccleſiæ cura.

Diſtricte ſub pœna privationis beneficii, & unius unciæ prohibentes, ne quis beneficium habens, cui cura animarum imminet, ad ſerviendum aliquam Eccleſiam curatam alterius nomine, ſive cum petitione, ſive ſine petitione accipere, abſque ſui Diœceſani licentia, ſeu Curiæ ſuæ præſumat quoquo modo; cum in hoc verſetur ambitionis vitium, & deſertio ſervitii ſui proprii beneficii, quod quandoque aliis committitur minus dignis, & unuſquiſq; debet manere in ea vocatione, qua vocatus eſt, legitima cauſſa ceſſante.

Quibus commendari debeãt Eccleſiæ Parochiales?

Notandum quoque circa prædicta, quod Eccleſiæ Parochiales nulli debent commendari, niſi eis, qui ſunt ætatis legitimæ, & in ſacrario conſtituti; nec eſt commendanda Eccleſia, niſi uni una, & neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ ſuadente; nec debet excedi commendata ultra ſex menſium ſpatium; quidquid aliter autem actum eſt, nullius eſt firmitatis, immo irritum nunciamus ipſo jure. Et licet talis ſic recipiens in commendam Procurator potius cenſeatur, quam Prælatus, vel Rector, tamen interim ipſa Eccleſia vacare non dicitur, quia titulum canonicum habet, & de fructibus Eccleſiæ ſibi, ac miniſtris providere poteſt, & quod ſupereſt in utilitatem Eccleſiæ convertere debet.

Commendator Eccleſiam habens, ſi aliud beneficium impetrare velit, debet de commendata facere mentionem.

Caveat quandoque commendatam Eccleſiam habens, quod ſi aliud beneficium impetrare velit, tenetur de commendata facere mentionem. Et ſi talis Eccleſia ſit de jure patronatus, in facienda commenda vocetur Patronus, vel alius, qui ex tali commenda lædi poſſet: morte vero commendantis, commenda ipſa nunquam expirat.

Duas commendatas Eccleſias habere non licet.

Duas quoque commendatas Eccleſias habere non licet, ſicut nec duas intitulatas: permittitur tamen habere unam commendatam, & aliam intitulatam.

Reſcinditur abuſus eorum, qui ultra ſeptẽ Miſſas in hebdomada in beneficiũ aſſecuti fuerint.

Et quia dudum ad noſtrorum Prædeceſſorum, & noſtrum pervenit auditum, quod nonnulli Canonici, & Sacerdotes, tam in noſtra majori Beneventana Eccleſia, quam aliis Eccleſiis Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, lucris temporalibus potius inhiantes, non quæ Jeſu Chriſti ſunt quærentes, ultra ſeptem Miſſas in hebdomada in beneficium fuerunt aſſecuti, & aſſequi nitebantur, & tanquam non valentes perſonaliter deſervire, ut tenebantur, per ſubſtitutos etiam minus legitime ſervire faciebant, contra tenorem, & mentem ſacrorum Canonum; ideo auctoritate Provincialis Concilii ſalubriter conſtitutum eſt, canonica monitione præmiſſa, ut infra quindecim dierum ſpatium a die publicationis ex tunc computandorum, quicumque Canonici, & Sacerdotes Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ etiam in eis commorantes, deberent Nobis, aut noſtro Vicario, ſeu Diœceſanis, vel eorum Vicariis numerum dictarum Miſſarum revelare, & nihilominus Miſſas ultra ſeptem numero, & ipſarum beneficia obtinentes deberent in manibus eorum ad quos ſpectaret collatio, ſeu præſentatio, reſignare; & ne in futurum ultra præfatum numerum debeant, ſeu debeat aliquis de prædictis Canonicis, ſeu Sacerdotibus acceptare, ſeu retinere, alioquin ex tunc Nos, & ex nunc Miſſis omnibus, & infra numerum prædictum privatos nuntiamus, ac privatos eſſe volumus, & decernimus in his ſcriptis, & ad fructuum, ſeu emolumentorum ex dicta cauſſa perceptorum reſtitutionem eos teneri declaramus, quos in fabricam cujuslibet Cathedralis Eccleſiæ converti volumus, & applicari.

Monentur ii, ad quos cappellarum & Miſſarum præſentatio, ſeu inſtitutio ſpectat, ne plures Miſſas, ſeu Cappellas numero, quam ſuperius expreſſum eſt, conferant.

Secus præſentatio, ſeu inſtitutio nulla erit ipſo facto.

Similique modo moniti fuerunt, & in præſenti etiam nos monemus omnes, & ſingulos Clericos, & Laicos Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, ad quos Cappellarum, & Miſſarum præſentatio, ſeu inſtitutio in quibuſcumque Eccleſiis, etiam in noſtra majori Beneventana pertinet, ne de cetero Canonicis, & Sacerdotibus plures Miſſas, ſeu Cappellas numero, quam ſuperius eſt expreſſum, conferant. Alioquin præſentationem, ſeu inſtitutionem nullam decernimus ipſo facto, & de fructibus ſimili modo, ut proxime, diſponimus, ac etiam ordinamus.

Statuta quædam ad vitandum in præſentationibus ſimoniæ periculum.

Nullus Clericus juramentum, ſeu promiſſionem aliquam faciat Patronis, antequam præſentetur, propter periculum ſimoniæ. Unde antiquis ſtatutum eſt conſtitutionibus, quod nullus Patronus Eccleſiæ, Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, cujuſcumque ſtatus, preæminentiæ, aut dignitatis exiſtat, litteras collationis, ſeu inſtitutionis Eccleſiæ præſentati, ſeu in futurum præſentandi penes ſe habeat, ſeu

retineat quoquo modo,imo penes inſtitutum, donec vixerit, debeant remanere.

Et quod nullus Patronus Eccleſiæ, Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ quocumq; quæſito colore recipiat, nec recipere poſſit quotam aliquam fructuum, ſeu redituum ipſius Eccleſiæ ab inſtituto prædicto, nec aliquid annuum ab hujusmodi præſentato, ſeu præſentando per eum. Contrarium vero facientes in præmiſſis caſibus tam dantes, quam recipientes excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto, & nihilominus ipſi præſentati, vel inſtituti eisdem beneficiis ſunt privati, & nos privatos ipſo facto nuntiamus.

Pœnæ tranſgreſſoribus irrogatæ.

Quia vero docuit experientia, quod * *nulli* Clerici beneficiati Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ noſtræ, dum movetur eis quæſtio ſuper beneficiis per alios Clericos, vel ex terrore Domini temporalis, veniunt ad tranſactiones, & compoſitiones, & diviſiones fructuum per ſe ipſos, ſeu laicis intervenientibus beneficia ipſa, ſeu fructus dividentes, ſeu certam quotam quæſtionem moventi promittentes, non inſpecto, ſi titulum habet, aut cauſſam juſtam, quæ propter ſervitium Eccleſiæ diminuitur, & alia illicita propterea inſequuntur, quia beneficia eccleſiaſtica ſine diminutione conferuntur, & tales diviſiones a jure improbantur, iccirco tranſactiones, & compoſitiones tales, & ſimilia fieri abſque Diœceſani Epiſcopi, ſeu Curiæ ſuæ licentia, & auctoritate prohibemus, & aliter factas, irritas, & nullas pronuntiamus, & declaramus. Contrarium vero deinceps præſumentes, tam provocantes, quam ſuſtinentes, ipſis beneficiis, ſuper quibus factæ fuerunt, auctoritate præſentis Concilii privatos fore declaramus ipſo facto.

Alias * *multi*.

Tranſact.ones nullæ, ſeu compoſitiones, ſi fiat, a beneficiatis, dum movetur eis quæſtio ſuper beneficiis, abſque Ordinarii licentia.

Pœna in eos, qui contrafaciunt.

Et quia nonnulli vitio ambitionis irretiti, dum beneficia vacant, Dominos temporales, aliosque magnates adeunt, litteras eorum, & preces importunas ad Prælatos, & ad alios, ad quos beneficiorum ipſorum collatio, & inſtitutio ſpectat, impetrantes, propter quod ſæpe ipſi Prælati, & alii indignationem, & odium ipſorum potentum, & laicorum incurrunt cum periculo corporali, & detrimento Eccleſiarum ipſarum non modico, & quod pejus eſt, propterea, ſicut experientia docuit, ut plurimum beneficia ipſa conferuntur indignis, quæ non diſcrepant, nec fieri contingunt abſque vitio ſimoniæ; Eiſdem ſtatutis provincialibus ſtatutum eſt, ut quicumque Clericus, quocumque ſit quæſito colore, litteras Dominorum, potiſſime temporalium, ut præmiſſum eſt, pro aliquo * *interpretando*, vel obtinendo beneficio impetraverit, vel alias obtinuerit per ſe, vel per alium directe, vel indirecte, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, & collatio, ſeu inſtitutio vigore dictarum litterarum facta, nulla, caſſa, & irrita permaneat, ipſeque ſic inſtitutus amovendus eſt, tamquam indignus, & nihilominus fructus inde perceptos, ut reſtituere teneatur, declaratum.

Clerici, dum beneficia vacant, ad Dominos temporales ne recurrant, ut ab iis litteras pro obtinendo beneficio impetrent.

Pœna ex Provincialibus ſtatutis delinquentibus inflicta.

Alias * *impetrando*.

TITULUS XII.

De Veneratione Eccleſiarum, & Immunitate, & rerum eccleſiaſticarum alienatione.

CAP. I.

De veneratione Eccleſiarum.

Quia quidam Clerici ſic exponunt ſupellectilibus, & aſinis propriis, & alienis * ut potius domus laicæ, quam Dei Baſilicæ videantur; Iccirco firmiter prohibemus, ne hujusmodi ſupellectilia, & aſinæ in Eccleſiis admittantur, niſi propter guerram, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates urgentes ad eas oporteat habere refugium; ſed tamen quod neceſſitate ceſſante res in loca priſtina reportentur. Arcas etiam, & vegetes pro grano, aut pro vino retinendis præcipimus penitus amoveri, alioquin poſt annum in uſus pauperum converti faciemus. In tempore autem neceſſitatis hæc fieri ſuſtinemus, & ea dumtaxat durante.

Forſan * *Eccleſias*.

Eccleſia ſupellectilibus, animantibus brutis non exponenda.

Per conſtitutiones quoque antiquas, cum Eccleſiæ orationum, non repoſitoriæ domus eſſe debeant, excommunicationis incurrunt ſententiam omnes, & ſinguli, vegetes, & trabes, & quæcumque alia ad divinum cultum non pertinentia reponentes, aut facientes reponi. Hanc autem Conſtitutionem ad proxime dicta reducimus interpretandam, *ut inſpiciatur neceſſitas, &c.*

Neque in ea retinendæ trabes, &. quæ ad divinum cultum non pertinent, niſi neceſſitas urgeat.

Idque ſub excommunicationis pœna ex antiquis conſtitutionibus.

Eccleſiæ quoque cum omnibus ornamentis ſuis debent teneri mundæ; nec debent ibi fieri convivia, vel homines jacere, niſi propter hoſtiles incurſus.

Nec in ea convivia celebranda.

Per ſtatuta itaque antiqua convivia in Eccleſiis facientes, ad pilam, vel taxillos ludentes, choreas exercentes, lenocinia, fornicationes, adulteria, inceſtus, ſtuprum, necnon nefandam libidinem perpetrare reprobis auſibus non verentes, & participes in prædictis, vel aliquo præmiſſorum, auxilium, conſilium, vel favorem præſtantes, maxime in majori Beneventana Eccleſia, aut infra domos, ſeu cappellas ipſarum Eccleſiarum ad divinum officium deputatas, vel in cœmeteriis, ſeu campanilibus, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt,

Pœnæ in eos ſtatutæ, qui convivia in Eccleſiis celebrant, vel in iis ludos, choreas, vel alia vitia exercent.

Hæ pœnæ comprehendunt participes etiã, & eos, qui auxilium, conſilium, vel favorem præſtant.

Laici quoque ludentes ad azardum in majori Beneventana Eccleſia, vel ambi-

Pœna Laicis inflicta ludentibus ibidem ad azardum.

tibus

tibus ſuis, vel in aliis Eccleſiis Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ in tarinis auri duobus Cameræ Archiepiſcopali, ſeu Diœceſani cujuslibet in ſua Diœceſi applicandis vice qualibet puniantur.

Alia inſuper pœna iiſdem inflicta.

Et quia ſæpe contingit ex nefario ludo hujusmodi blaſphemias provenire, & quod pejus eſt, iidem ludentes quandoque Sanctorum imagines, ſeu picturas devaſtare, & deturpare præſumunt, in eorum animarũ periculum, & opprobrium Dei, & Sanctorum, & Sanctarum; ideo per eadem ſtatuta in uncia auri una dictæ Cameræ applicanda, ſunt puniendi, præter pœnam fuſtigationis aliis conſtitutionibus impoſitam, quæ, quia vix ſine ſanguinis effuſione fieri poſſet, ut ſtet talis delinquens in ſcala, quando dicetur Miſſa in Epiſcopatu, committimus, prout viſum fuerit judicanti.

Eccleſiæ incaſtellari, ſeu murari non debent in belli uſum.

Niſi id fiat in favorem fidei.

Nullo etiam modo debent Eccleſiæ incaſtellari, vel murari, ut inde fiat guerra, vel ut ibi recipiantur illi, qui faciunt, vel facere volunt guerram, & præcipue malandreni; propter metum autem paganorum, hæreticorum, & piratarum, ſeu prædonum poſſet bene, auctoritate tamen Epiſcopi præcedente, Eccleſia incaſtellari, & muniri, ut inde fiat guerra, & poſſent refugium ibi habere Clerici, & Laici, potiſſime Parochiani, & alii innocentes, defendendo ipſam Eccleſiam, & ea, quæ intus ſunt; ceſſante tamen neceſſitate, ſicut prædictum eſt, ceſſet & ipſa incaſtellatio. Sic de facto dudum ordinavimus de Eccleſia Civitatenſi noſtra Suffraganea, dum viſitabamus.

CAP. II.

Veſtimenta, ligna, ſeu lapides Eccleſiarum ad uſus profanos non transferantur.

Ligna, ſeu lapides Eccleſiarum in aliis uſibus non ponantur, niſi in ædificatione, ſeu reparatione alterius Eccleſiæ, vel hoſpitalis, ſeu clauſtri, vel dormitorii, vel in clauſura cœmeterii, ſeu in alio honeſto ædificio ad opus Clericorum Eccleſiis ſervientium deputato, vel in palatio Epiſcopi, non tamen in coquina, aut in vineis paſtinandis, vel ſimilibus. In laicorum autem ædificiis, ſeu uſibus non ponantur. Sed nec in ſæculare habitaculum de cetero convertantur, ſive ſint Monaſteria, ſive Eccleſiæ, ſive hoſpitalia auctoritate Epiſcopi ſui fundata, vel ædificata. Quod enim ſemel Deo dedicatum eſt, amplius ad uſus humanos non eſt convertendum.

Et idem obſervetur de veſtimentis, cortinis, vaſis, & aliis eccleſiaſticis ornamentis, quæ non debent pollui nuptiarum conviviis, vel aliis ſtallarum uſibus, ne transgredientes ſentiant ultionem, quæ Balthazar Regem percuſſit.

Idem de veſtimentis ſervandum, aliiſque ſacris ornamentis.

Credimus tamen, quod ſi Legatus Apoſtolicæ Sedis, vel Archiepiſcopus, vel Epiſcopus reciperetur ab Epiſcopo, vel Capitulo, vel Archipresbytero, vel Abbate, aut Monaſterio, tunc bene poſſit ordinari Domus Eccleſiaſtica, in qua reciperetur, cortinis, & ornamentis Eccleſiæ, ubi alia non eſſent ornamenta.

Præcipientes, ut Eccleſiæ vaſa miniſterii Altaris, corporalia, pallæ, & veſtimenta miniſtrorum munda, & nitida obſerventur ad pœnam unius auguſtalis. Ad corporale autem lavandum proprium habeatur vas, in quo nihil aliud fiat, & lavetur per Sacerdotem, vel Diaconum tantum, & aqua ablutionis infra Eccleſiam, ubi conculcari non poſſit, abſcondatur.

De mundicia vaſorum & ornamentorum Eccleſiæ, aut altari inſervientiũ.

CAP. III.

A quibus benedicenda, & conſervanda ſint veſtimenta, ac ornamenta Eccleſiæ, & Altari inſervientia?

Veſtimenta, & ornamenta miniſtrorum Eccleſiarum, & Altaris, Cruces, & calices, & imagines, & iconiæ, & hujuſmodi eccleſiaſtica ornamenta benedici, & conſecrari debent per Epiſcopum, antequam divino officio deputentur, nec poſt conſecrationem debent a Laicis contrectari. Abbates quoque harum rerum benedictiones facere non debent, quia benedictio eſt ordinis Epiſcopalis, & fortius recipit benedictionem res inanimata, quam animata, quia inanimata, ſi furtive conſecrata fuerit, non reſtituitur, animata vero ſic, & hoc verum, niſi in eorum privilegiis caveretur; præſcriptio enim non juvaret, quia hoc proprie proprium eſt Superioris, & Ordinis epiſcopalis, & ſic inpræſcriptibile. Quidam tamen abutuntur, ſed quo jure, neſcimus, niſi abuſivo, ut in multis aliis excedere comprobavimus.

Fortius recipit benedictionem res inanimata, quam animata.

Corporale, palla Altaris, & veſtimenta Eccleſiæ miniſtrorum, vela, cortinæ, cathedræ, & vaſa ad uſus profanos, ſeu laicorum nullatenus convertantur, ſed ſi fuerint vetuſtate conſumpta, vel attrita, quod in aliis uſibus Eccleſiaſticis non fuerint apta, debent comburi, & cineres infra Eccleſiam ſub Baptiſterio, vel in aliquo alio loco tuto, & honeſto, ubi nullus tranſitus fiat, recondantur, ne introeuntium pedibus conculcentur.

Quid fieri debeat de ejuſmodi ornamentis, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, vel attrita.

Poſſunt tamen vaſa Eccleſiæ per neceſſitatem vendi alii Eccleſiæ, etiam in eadem forma, vel conflata, ſed non ſine auctoritate epiſcopali.

In quo caſu poſſint vaſa Eccleſiæ vendi, vel conflata, vel in eadem etiam forma?

Per ſtatuta quoque antiqua Provincialia excommunicationis ſententiam incurrunt omnes, & ſinguli Prælati, Archipresbyteri, & Rectores Eccleſiarum, ceterique Clerici Civitatis, Diœceſis, & Pro-

Excommunicatio in eos lata, qui poſſeſſiones, aut bona Eccleſiarum ſuarum vendunt, alienant, & locant, aut emunt, vel ſic recipiunt ſine ſolĕnitatibus legitimis.

Provinciæ vendentes, alienantes, & locantes poſſeſſiones, aut bona Eccleſiarum ſuarum, & ab eis ſic recipientes abſque manifeſta utilitate ipſarum, & omiſſis juris ſolemnitatibus in hujuſmodi contractibus alias obſervatis, & venditiones, alienationes, locationes ſic factæ irritæ ſunt, & nullæ ipſo jure.

Excommunicantur item, qui ejuſmodi bona ſubtrahunt omneſque, & ſinguli ſacrilegi.

Per eaſdem quoque conſtitutiones excommunicati ſunt omnes, & ſinguli ſubtrahentes de Eccleſiis, ſeu Cappellis Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ Calices, libros, vel veſtimenta Sacerdotalia, ſeu paramenta Altaris, thuribulum, ſive cruces, candelabra, ſi aliquod prædictorum, vel aliquid aliud ad divinum officium, & obſequium deputatum, & generaliter omnes, & ſinguli ſacrilegi, eorumque participes in crimine memorato.

CAP. IV.

Quid ſit ſacrilegium, & quotuplex?

EST autem ſacrilegium ſacræ rei violatio, vel ejuſdem uſurpatio, & committitur quandoque ratione perſonæ, ut cum quis verberat Clericum, vel perſonam Religioſam: quandoque ratione loci, ut cum Eccleſiæ, vel cœmeterii, vel Palatii Epiſcopalis immunitas violatur: quandoque ratione rei, ut cum res conſecrata, vel ſacro uſui deputata uſurpatur, ut ſupra eſt dictum.

Quotuplex ſit?

Sacrilegium enim committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro; quicumque etiam rem datam Eccleſiæ retinuerit, vel acceperit contra ejus voluntatem, ſacrilegium committit.

Quodnam gravius, quod graviſſimum ſit ſacrilegium? loquitur per totū cum D. Th. 2. 2. q. 99. art. 3. in o.

Quandoque tamen gravius ſecundum quod res ſacra, in quam peccatur, majorem obtinet ſanctitatem; unde gravius peccatur injuriando perſonam ſacram, quam injuriando locum ſacrum, quia ſanctitas loci ordinatur ad ſanctitatem hominis, & tanto ſunt graviora delicta, quanto perſona, & locus ſunt ſanctiora. Item graviſſimum eſt ſacrilegium, quod committitur contra Sacramentum Euchariſtiæ, quia hoc continet Jeſum Chriſtum; deinde quod committitur contra alia Sacramenta. Poſt Sacramenta autem ſecundum locum obtinent in ſanctitate vaſa conſecrata ad Sacramentorum ſuſceptionem, ut calix, & ſimilia: deinde ea, quæ pertinent ad ſuſtentationem miniſtrorum, ſive ſint mobilia, ſive immobilia.

Sacrilegii pœna duplex eſt cum D. Th. 2. 2. q. 99. art. 4. in o.

Pœna autem Sacrilegii, licet ſecundum leges ubi atrox injuria infertur perſonæ Eccleſiaſticæ, ſit decapitatio, alias arbitrio judicis reſervatur pro qualitate perſonæ, rei, temporis, & loci diverſitate; moderanda tamen ſecundum canones. Duplex eſt pœna una ſpiritualis, ſcilicet excommunicatio, quæ infligitur per conſtitutiones hujus Eccleſiæ Provincialis, ut ſupra dictum eſt, & a jure etiam præter pœnitentiam, cum diſtinctione tamen, quia pro injuria facta in perſonam Eccleſiaſticam eſt major excommunicatio ipſo jure: pro injuria commiſſa in rebus eſt minor excommunicatio, niſi quis incenderet Eccleſiam, vel frangeret, quod plenius declarabitur *in titulo de ſententia excommunicationis*. Alia eſt pecuniaria, & hæc qualis, & quanta ſit a jure diverſimode traditur: nam pœna fractæ immunitatis Eccleſiæ ſolvenda eſt ipſi Eccleſiæ: pœna violatæ Eccleſiæ debet eſſe Eccleſiarum ſolidum, cum publica pœnitentia; alias pœna debet eſſe triginta librarum ab excommunicato argenti ſolvenda Epiſcopis, vel Abbatibus, aut aliis perſonis, quibus ſacrilegii querimonia juſta pertinet.

Pœna illius, qui percuſſit Epiſcopum, aut Presbyterum, vel Clericum.

Pœna illius, qui percuſſit Epiſcopum, eſt, ut bona ſua in manus Eccleſiæ ipſius Epiſcopi tradantur: & ſi in Clericum, vel Presbyterum hoc præſumpſerit pœnitentiæ, & depoſitioni ſubjaceat, & hoc expreſſum *in titulo de ſententia excommunicationis* latius. Circa tamen has diverſitates, ut quidam dicunt, conſuetudines Eccleſiarum attendantur, & arbitrium judicantis.

CAP. V.

Veſtes, vel vaſa ſacra, dum reficiuntur, non debent iterum conſecrari: nec reliquiæ antiquæ oſtendantur extra capſas.

Veſtes, vel vaſa ſacra, dum reficiuntur, nō debent iterum cōſecrari, quamdiu in iis non mutatur forma.

ET notandum, quod veſtes ſacræ, ſi ruptæ fuerint, poſſunt reparari, & refici, nec eſt opus, eas iterato, ſeu de novo conſecrari, etiam ſi apponatur pannus non ſacratus, vel filum nōn ſacratum; nam quamdiu remanet forma ſacræ veſtis, licet per plures partes reficitur, ſemper eadem, & prima cenſetur. Non ſic, ſi forma mutetur, vel ſolvatur, & idem de calice: nam ſi reparatione indigeat, dummodo non moveatur cuppa ſuperior, vel illa non patiatur martello, vel alio inſtrumento in reparatione, non eſt opus nova conſecratione, alias ſic.

Laici veſtimentis benedictis non utantur.

Inhibemus, ne Laici intra Eccleſiam, vel extra ad proceſſionem, vel ad aliud divinum officium utantur veſtimentis benedictis; nec laici, qui neſciunt cantare, vel legere infra cancellos in Choro cum Clericis ſtent, vel ſedeant, dum divina officia celebrantur: ſed propter generalem conſuetudinem ad milites, & Magnates, & eorum uxores hoc non extendimus.

Antiquæ reliquiæ nō oſtendantur extra capſas. Neque exponantur venales, eaſdemque inventas nemo publice venerari præſumat abſque Summi Pontificis auctoritate.

Prohibemus, ne antiquæ reliquiæ amodo extra capſas ullatenus oſtendantur, ſed nec exponantur venales, inventaſque de novo publice venerari nemo præſumat,

mat, niſi prius auctoritate Summi Pontificis fuerint approbatæ.

Prælati quoque, aut Archipresbyteri, & Abbates non permittant eos, qui ad eorum Eccleſias cauſſa venerationis accedunt propter miracula, quæ ibi fiunt, variis figmentis, aut falſis documentis decipi; ſicut occaſione quæſtus in plerisque locis fieri conſuevit, prout noſtris vidimus temporibus de Eccleſia Sanctæ Mariæ prope Capuam, ubi multi concurſum propter falſa privilegia de plena indulgentia habuerunt, quæ privilegia fuerunt Romæ de mandato Domini Urbani Papæ V. tanquam falſa combuſta, & nos locum combuſtionis vidimus. Sed non negamus, quin cuilibet liceat alicui defuncto, quem credebat bonum virum, porrigere preces, ut pro eo intercederet ad Deum, quia Deus fidem attendit illorum, ſicut in præſenti vidimus, & videmus magnum ante noſtros oculos fidei teſtimonium de præfato Urbano Beatiſſimo Papa vita functo, cujus bonitatem vitæ claris miraculis oſtendit Altiſſimus invocantibus, & deprecantibus eum. Venerationes igitur, quæ fiunt ſibi, & picturę improbari non deberent, aut deſpici. Sed bene credimus, quod pro talibus, donec canonizati fuerint, & catalogo ſanctorum adjuncti, non licet facere officium ſolemne, vel preces ſolemnes.

Conficta miracula non proponenda, neque falſa privilegia in materia de indulgentiis.

Laus Urbani Papæ V.

Quæ veneratio fieri poſſit defunctis, quos credimus bonos viros?

Corpora Sanctorum, quæ ſunt perpetuæ tradita ſepulturæ, non ſunt de loco ad locum transferenda ſine licentia Summi Pontificis, niſi neceſſitate imminente, & tunc auctoritate Epiſcopi; & * *quandoque* non eſt perpetua ſepultura, etiam ſine cujuſcumque auctoritate, ut quidam aſſerunt.

Corpora Sanctorum perpetuæ tradita ſepulturæ non ſunt de loco ad locũ transferenda.

Alias * *quando*.

CAP. VI.

De pollutione Eccleſiæ, ejuſque benedictione.

ITem prohibemus, ne in Eccleſia conſecrata ſanguinis violenti, aut humani ſeminis effuſione polluta, priuſquam per Epiſcopum reconciliata fuerit, divina officia celebrentur. Si vero in Eccleſia non conſecrata hoc fieri contingat, aqua per Epiſcopum exorcizata primo aſpergatur, & reconcilietur per ſimplicem Sacerdotem, auctoritate tamen Epiſcopi, antequam in ea divina officia celebrentur, & quamcito fieri poterit, conſecretur.

In Eccleſia polluta non ſunt celebranda divina officia, niſi prius reconcilietur.

Alia reconciliatio requiritur, ſi ejuſmodi Eccleſia erat conſecrata, alia ſi non erat conſecrata.

Intelligimus autem aquam exorcizatam illam, quæ fit cum vino, ſale, & cinere, & ſic utimur, prout in rationabili Divinorum officiorum clarius ponitur. Licet quidam de alia aqua, & per ſimplicem Sacerdotem, ut moris eſt in diebus Dominicis, benedicta intelligant.

Quænam ſit aqua exorcizata?

Si autem in cœmeterio hæc fieri contigerit, ante reconciliationem per Epiſcopum factam, non ſepeliantur corpora defunctorum in eo; & intelligimus prædicta, quando cœmeterium eſt conjunctum Eccleſiæ conſecratæ; nam ſuper uno polluto, vel violato aliud, & aliud pollutum, ſeu violatum cenſetur; ſecus ſi ſeparatum; ſed in caſu converſo ſecus eſt: nam polluto cœmeterio Eccleſiæ contiguo, non debet Eccleſia reputari polluta. Et ſi plura ſint cęmeteria, pariete tamen intermedio conjuncta, uno violato, non cenſetur aliud violatum, licet etiam inter ipſa ſit oſtium, vel tranſitur de uno ad aliud: Et hoc vide in Pontificali libro, ubi ordinatur reconciliatio præmiſſa.

Quid agendum, ſi polluitur cęmeterium conjunctum Eccleſiæ, & cęmeterium ab Eccleſia ſeparatum?

Ubi autem caſu fortuito, qui non imputandus, accideret violatio, tunc alia erit reconciliatio Eccleſiæ, alia cęmeterii, ſicut dicitur in conſecratione Eccleſiæ, & Altaris, & quia hæc materia ſatis quotidiana in his maxime partibus, in quibus quilibet vult habere ſuam Eccleſiam, & ſic multæ collapſæ remanent, & utinam ſola devotione erga Deum moveantur, qui etiam, quæ ſunt ſua reddere ſibi nolunt, in peccato viventes, decimis, & oblationibus Deum, & Eccleſias fraudantes, & in ultimis non reſtituentes; quod potius fieri, aut antiquas Eccleſias reparari, quam novas fabricare laudaremus: ipſaque materia ſatis ignoratur, ideo aliqua circa hæc interſerimus.

Quid ſi pollutio, ſeu violatio accidat ex caſu fortuito non imputando?

CAP. VII.

Nullus Eccleſias, vel cappellas, vel oratoria, vel hoſpitalia, aut alia loca ſacra ædificare, aut Altare erigere præſumat ſine ſpeciali Diœceſani licentia.

DIſtricte inhibentes, ut nullus præſumat Eccleſias ædificare, cappellas, vel oratoria, hoſpitalia, vel alia loca religioſa in Civitatibus, & Diœceſibus Provinciæ Beneventanæ, nec in noſtris Civitate, & Diœceſi, ſeu Altaria erigere ſine licentia ſpeciali noſtra, vel Diœceſani cujuslibet, etiamſi ad id moveretur propter ſomnia, vel inanes revelationes, aut quamlibet aliam cauſſam.

Epiſcopus enim debet primo crucem figere, & atrium deſignare, & primarium lapidem ponere, & dotem competentem facere aſſignari, & ſic quod ſufficiat ad luminaria, & ad vitam miniſtrorum, & hoſpitalitatem, & jura Epiſcopalia; licet hodie in iſtis modicis cappellis non curetur de tanta dote, quia non exiguntur jura Epiſcopalia, nec hoſpitalitas, niſi forſan Epiſcopus ratione Cathedratici aliquid, vel ſuperioritatis velit reſervare. Si tamen talis Eccleſia, vel Cappella proveniret ad pinguiorem fortunam, poſſet tunc Epiſcopus etiam viſitare. Et ſi iſta non intervéniſſent, non debet talis Eccleſia conſecrari; quod ſi omiſſum fuerit peti, & aſſi-

Quid facere debet Epiſcopus, cum prædicta ædificantur, vel eriguntur?

& aſſignari, in conſecratione ſuppleatur; alias, etiamſi in conſecratione omiſſum fuerit, compellatur fundator, vel ejus hæredes per Epiſcopum, quia ad hoc tenentur, ſi ſolvendo ſunt.

Quid agendum, ſi Epiſcopus prædicta omiſerit?

Forſan * *ſuppleri.*

Quod ſi omiſerit Epiſcopus primarium lapidem ponere, & Crucem figere, & alia ſupradicta dicimus, quod poteſt * *ſepeliri* poſtea, & ſufficit, quod ſine deſtructione ædificii fiat circuitus, & modicum rumpatur murus, & ibi lapis benedictus per Epiſcopum ponatur, & dicantur omnia, prout in Pontificali habentur, tanquam ſi modo hoc factum eſſet. Et hoc ſæpe de facto habuimus, & paucos reperimus, qui hoc ſcirent, etiam, ubi cavetur in jure.

Quo in loco Eccleſia ædificari debeat?

Item Eccleſia non debet fieri, niſi in loco utili, & honeſto, & fundo proprio, & quamvis in alieno ſolo privati fabricata fuerit, ignorante Domino ſoli, nihilominus Eccleſia remanebit, nec efficietur propter hoc cenſualis, vel tributaria, ſed alias Dominus ſoli ſervabitur indemnis per eum, qui conſtruxit, vel per Epiſcopum, cujus auctoritate facta eſt, vel conſecrata, ſi hoc diligenter, ſicut debet, non inquiſivit.

Quid agendum, ſi nova Eccleſia ædificata fuerit in ſolo alterius Eccleſiæ?

Si vero ſolum erat alterius Eccleſiæ, tunc illa ſic fabricata remanebit illi Eccleſiæ, cujus ſolum erat, ratione juris patronatus ſubjecta; ſi tamen Dominus ſoli Laicus fuerit, ſciens, & non contradicens, tunc ſibi imputetur, quia non contradixit.

CAP. VIII.

Quæ requirantur, ut quis cenſeatur Eccleſiæ Patronus?

UT autem quis patronus cenſeatur, requiruntur hæc, quæ in hoc verſu continentur.

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus; quod ſi Eccleſia fuerit ſine auctoritate Epiſcopi ædificata, ipſe Epiſcopus Diœceſanus poteſt ſibi eam vendicare, quia ſibi applicatur in odium ſic ædificantis.

Oratorium privatum cuicumque privato permittitur.

Permittitur autem cuilibet privato habere Oratorium privatum in domo ſua, & ibi orare, ſicut habet communis harum partium obſervantia. Sed multum cavere deberent ſic facientes, ne in cameris ſuis, aut locis, ubi tenent, & faciunt Oratoria, quidquam inhoneſtum, aut turpe exercerent.

Nihil tamen inhoneſtum, aut turpe in ejuſmodi oratoriis exercendum.

Neque celebratur in iis Miſſa ſine auctoritate Epiſcopi.

In talibus autem oratoriis privatorum fidelium non debet Miſſa celebrari ſine auctoritate Epiſcopi, & propter neceſſitatem, & tunc ſine præjudicio juris Parochialis Eccleſiæ, nec in feſtis præcipuis, ſed aliis diebus, & hoc debet continere licentia, quando * *proceditur* a Diœceſano. Clericus vero, qui aliter ibi celebraret in tali loco, deponendus eſſet. Oratorium autem in forma Eccleſiæ nulli licet fabricare, vel habere ſine auctoritate Epiſcopi generali, vel ſpeciali. Hoſpitale vero ſine oratorio ad recipiendum pauperes poteſt quilibet auctoritate propria facere; tamen talis locus non gaudet Eccleſiaſtica libertate; ideo emi, & vendi poteſt.

Forſan * *conceditur.*

CAP. IX.

Deſtruenda, nec conſtruenda ſunt Altaria ſine licentia Epiſcopi.

ALtaria autem in Eccleſia non conſecrata inſtruere, & erigere, ſeu fabricare licet Presbyteris; in conſecrata vero non ſine auctoritate Epiſcopi; deſtruenda tamen non ſunt Altaria ſine conſenſu Epiſcopi.

Quæ requirantur, ut poſſit quis fabricare, aut erigere altare intra aliquam Eccleſiam?

Dicimus autem, quod nulli licet fabricare, ſeu erigere altare intra aliquam Eccleſiam ſive cum dote, ſive ſine dote, aut cum retentione juris patronatus, ut multi fecerunt, niſi interveniat conſenſus Rectoris Eccleſiæ, cum auctoritate Diœceſani, ſicut nec intra Parochiam alicujus Eccleſiæ altera Eccleſia ædificari, propter præjudicium Juris Parochialis; & quia Eccleſia, & ſolum ejus ad Rectorem ſpectat, nullus poteſt ſibi intra jus acquirere ſine ipſius voluntate, & conſenſu.

Quæ item requirantur, ut poſſit quis jura patronatus de novo in aliqua Eccleſia acquirere?

Prohibemus itaque ne quis jura patronatus de novo in aliqua Eccleſia præſumat acquirere, ſeu ſibi vendicare, aut poſſeſſionem ipſius juris, ſeu quaſi de novo tanquam hæres, vel alias accipere, niſi cum conſenſu, & licentia cujuslibet Ordinarii, ſeu Curiæ ſuæ, cujus præjudicium tangitur; alioquin privandum declaramus, niſi ex juſta cauſſa remittatur. Multos enim audivimus talia præſumpſiſſe, qui nullum jus habebant, niſi ex uſurpatione, & tyrannide, quibus quam plures utuntur in hac parte in ſuarum periculum animarum. Super quibus advertant Diœceſani, de quorum præjudicio agitur, ut velint clare ſcire, ſi jus patronatus competat, & ex qua cauſſa.

Advertant Epiſcopi, ut perſpicue ſciant, ſi juſpatronatus vere competat, & ex qua cauſſa.

CAP. X.

De Eccleſiarum, ſeu Altarium conſecratione.

ET licet Altaria infixa in Eccleſiis non poſſint conſecrari ſine Reliquiis, altaria tamen viatica ſine tabula poſſunt etiam ſine reliquiis conſecrari. Nos tamen contrarium ſervavimus, quia ſic videtur habuiſſe antiqua prædeceſſorum noſtrorum obſervantia, & communiter appponuntur, & hoc volumus obſervari, ut in majori veneratione habeantur.

Altaria viatica ſine reliquiis conſecrari poſſunt.

Epiſcopus autem poteſt ſimul in una Eccleſia plura Altaria fixa conſecrare, & etiam tabulas, ſive Altaria Viatica, ſicut poſſunt plures Epiſcopi ſimul conſecrari.

Epiſcopus poteſt ſimul in una Eccleſia plura altaria fixa conſecrare, & plures ſimul tabulas, ſive Altaria viatica.

Eccle-

Eccleſiæ conſecratio non poteſt, niſi Epiſcopo delegari.

Eccleſiam ſolus Epiſcopus conſecrare poterit, nec poteſt alteri, niſi Epiſcopo delegare, ſicut nec reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ, quia ea, quæ ſunt ordinis, & dignitatis, alteri inferiori delegari non poſſunt.

Quibus diebus conſecrari poſſit, aut debeat Eccleſia?

Conſecrari autem poteſt Eccleſia Dominicis diebus, & etiam privatis, licet honeſtius credamus de Dominicis diebus, & feſtivis. Hæc omnia, & forma conſecrationis in Pontificali libro plenius continentur.

Non ſunt iterato reconcilianda Eccleſiæ conſecratæ, ſeu altaria, ſi ſervata fuerit debita forma.

Et ſciendum, quod ex quo Eccleſia fuit ſemel conſecrata, vel altare, non ſunt iterato reconcilianda, dummodo forma debita fuerit obſervata.

Caſus, in quibus Eccleſiæ cōſecratæ ſunt iterato conſecrandæ.

Si tamen Eccleſia conſecrata, & ſit totaliter combuſta, ſicque etiam parietes combuſti, & dirupti ſunt omnes, vel major pars, & poſt de novo reparata, ſive ex eiſdem lapidibus, ſive aliis, tunc iterato erit conſecranda. Et idem ſi tota ſit funditus dirupta, vel major pars, vel per aduſtionem deſtructa, ſive devaſtata enormiter, & in his caſibus omnes ſolemnitates ſunt adhibendæ.

Caſus, in quibus non ſunt iterato conſecrandæ.

Si autem parietes ſunt ſucceſſive reparati, quia eadem cenſetur Eccleſia, non eſt reconſecranda, ſed ſufficit aquæ aſperſio cum ſolemnitate Miſſæ per modum reconciliationis. Sed ſi ſolummodo tectum, vel aliqua pars ejus combuſta eſt, & remanent parietes integri, tunc non eſt, finita reparatione, reconſecranda Eccleſia.

Reconſecratur Eccleſia, quando dubitatur, an fuerit conſecrata.

Item reconſecratur Eccleſia, quando dubitatur an fuerit conſecrata, puta ſi non apparet aliqua ſcriptura de hoc in inſtrumento dotationis, vel in libro Eccleſiæ, vel in aliqua columna, vel tabula marmorea, nec apparet etiam unus teſtis de viſu, vel auditu; quælibet enim iſtarum probationum ſufficeret * ubi eſſet de hoc contentio, per quam tolleretur probatio, vel niſi alteri fieret præjudicium, ſi adhiberetur fides tali probationi.

Quæ probationes conſecrationem Eccleſiæ ſufficienter probent?

*Forſan * niſi.*

CAP. XI.

Quibus ex cauſis Eccleſiæ ſint reconciliandæ?

PRopter homicidium autem, vel adulterium, vel enormem ſanguinis effuſionem violentam, vel fornicationem, licet Eccleſia non ſit reconſecranda, tamen reconcilianda eſt, cum ſit ex præmiſſis polluta, & contaminata. Et ideo notanter de enormi, & violenta ſanguinis effuſione poſuimus, ut intelligamus de facta per contentionem, & ex animo; nam ſi eſſet modica, vel levis, ut ſi quis forte dum * *contemnit* cum aliquo in Eccleſia, impetu facto, offendat eum in naribus, vel cum ungue excoriet aliquantulum ſanguinis effuſione, & ſine animo effundendi ſanguinem, vel in ore leviter, non eſſet Eccleſia reconcilianda; & idem ſi de lapide, vel ligno, vel alio cadente de Eccleſia fortuito caſu aliquis occidatur in ea, vel ſi aliquis furioſus ſe ibi præcipitaverit, aut ictu proprio occiſus fuerit.

*Forſan * contendit.*

Martyris occiſi ſanguine nō polluitur Eccleſia, ſed potius conſecratur.

Idem ſi Martyr infra Eccleſiam occidatur; nam ejus ſanguine non polluitur Eccleſia, ſed potius conſecratur.

Polluitur Eccleſia, ſi quis ibi lethaliter vulneretur, etiam ſi extra Eccleſiam deinde moriatur.

At non polluitur propter pollutionem in ſomnis habitam.

Si tamen aliquis in Eccleſia lethaliter vulneratur, & poſt moriatur extra Eccleſiam in domo ſua, vel alibi, quia ibi mori intelligitur, ubi cauſſam mortis accepit, reconciliabitur Eccleſia. Propter pollutionem in ſomnis habitam infra Eccleſiam, non reconciliabitur.

An polluatur ſi conjux conjugi debitum reddat, vel ibi coeat prolis cauſſa?

Si vir infra Eccleſiam debitum reddat uxori, vel e converſo, aut cauſſa prolis cojerit: licet quidam dicant, quia videtur occultum, potius Papam conſulendum, quam reconciliandam Eccleſiam; tamen dicimus cum aliis eſſe reconciliandam, & idem pro vitio Sodomitico ibi perpetrato.

An polluatur propter occultam fornicationem, aut adulterium?

Propter occultam autem fornicationem, aut adulterium infra Eccleſiam commiſſum, ſuper quo pluries fuimus conſulti, non reconciliabitur Eccleſia, ſed propter manifeſtam, & quando publica fama eſſet de hoc, & uterque delinquentium, vel alter eorum publice crimen confiteretur * *Abſolutionum* enim, & difficile ſatis videtur propter hujuſmodi occultas pollutiones, cum forſan potiſſime in his partibus ſæpius a quibuſdam viliſſimis Preſbyteris, & aliis quandoque in vigiliis Sanctorum committantur, teſte Domino, & noſtra conſcientia, cui pluries revelatum eſt, de quibus nulla fama, aut ſcandalum eſt, per Epiſcopum, qui non poteſt alii committere, fieri ſolemnes reconciliationes Eccleſiæ conſecratæ, quia ſic oportet quotidie diſcurrere. Quidam tamen conſulunt tutius eſſe, ſi fiat reconciliatio in omni eventu, etiam ſi non ſit publicum; & hoc ideo, ut is, qui ibi peccavit, conteratur, et confundatur, et alii hoc videntes terreantur, et arceantur a ſimili, et ut Eccleſia in majori reverentia habeatur. Cavendum tamen, ne etiam ſigno pœnitens denudetur.

*Forſan * Abſ[illegible]num.*

Quid agendum a Confeſſario, qui pollutionem Eccleſiæ per confeſſionem ſcit?

Sacerdos autem, qui hoc ſcit per confeſſionem, tutius faciet, ſi Epiſcopo revelet in genere, ſic dicendo: Talis Eccleſia indiget reconciliatione; nihil plus quæratis a me. Talis autem Sacerdos ſic ſciens hoc in confeſſione, ſalva conſcientia poterit ibi celebrare, non tamen ubi alias eſſet violata, vel polluta, cum interim organa ſint ſuſpenſa. Sed ſi de facto celebraret, licet graviter peccaret, non tamen eſſet irregularis, niſi fuiſſet propter hoc Eccleſia ipſa interdicta per Epiſcopum, puta dicendo: *Interdicimus talem Eccleſiam propter violationem, &c.* Nam ex generali regula celebrans in loco interdicto irregularis eſt.

Celebrans in loco interdicto eſt irregularis.

Eſt autem attendendum, quod ſicut ad Epiſcopum ſpectat Eccleſiarum conſecratio, ſic & reconciliatio, vel poteſt alteri Epiſcopo delegare, non diſtincto a quo fuerit aqua benedicta. Nam unus Epiſcopus poteſt aquam benedicere, & alter reconciliare. Et hoc tenendum de Eccleſia conſecrata.

Auctoritate Papæ poteſt committi ſimplici Sacerdoti recōciliatio Eccleſię conſecratæ.

Si vero non ſit conſecrata, tunc poteſt committi ſimplici Sacerdoti, ut ſuperius expreſſimus. Auctoritate autem Papæ etiam poſſet committi de Eccleſia conſecrata, ſicut multos vidimus impetrantes.

CAP. XII.

Quando iterum Altaria conſecranda ſunt?

Altaria quoque ſemel conſecrata non debent iterum conſecrari, niſi ſigillum Altaris, ideſt lapidis, cum quo ſigillantur reliquiæ, quod quandoque ponitur in medio tabulæ, ſive menſæ, quandoque retro, quandoque ante, quandoque a latere, quandoque ſub tabula, & clauditur ipſa tabula, fractum fuerit, vel amotum, vel diminutum, vel tabula ipſa ſuperior moveatur, vel rumpatur; his enim caſibus altare reaptandum eſt, & iterum conſecrandum, etiam ſi fuerit in Eccleſia conſecrata: quia alia conſecratio Eccleſiæ, alia Altaris. Et idem dicimus, ſi mota fuerit junctura, quæ adhæret ſtipiti. Unde ſi aliquis de lapidibus principalibus ſtipitis tangentibus menſam, ut puta ſi ſuper quatuor columnas fundata ſit menſa Altaris, & una illarum movetur, menſa nihilominus remanente immota, reconſecrari debet Altare, ſecus de lapidibus parietis, vel de ipſo pariete, cum lateraliter compaginatum eſt Altare, ſicut eſt in pluribus Eccleſiis: nam propter motionem parietis, aut lapidum, dummodo Altare immotum remaneat, non reconciliabitur Altare.

Altaris ſemel conſecrata non debent iterum conſecrari, niſi ſigillum Altaris fractum fuerit, vel amotum, vel diminutum, vel tabula ipſa ſuperior moveatur, vel rumpatur.

Idem dicendum, ſi mota fuerit junctura, quæ adhæret ſtipiti.

Quod ſi menſa, vel tabula enormiter fracta fuerit, puta in angulo, vel cornu, cum in angulis, vel cornibus fiat conſecratio, reconſecrari debet, & reaptari. Quod ſi menſa tota cum ſibi adhærentibus moveatur, non oportet conſecrari, ſicut de Altari portatili, qui de loco ad locum movetur, & portatur. Et hoc dummodo lapis ſuperior non ſeparetur ab eo, cui compaginatum eſt, quod ſi aliquid additum fuerit ad longitudinem, vel latitudinem Altaris, ſic tamen, quod formam non amitteret, non eſt reconſecrandum. Et idem de Altaribus conſecratis, in quibus Presbyteri degradati celebraſſent; & ſic dicimus de indumentis Sacerdotalibus, in quibus Presbyteri degradati, vel ſchiſmatici celebraſſent, non ſunt propter hoc iterum benedicenda. Corpora etiam mortuorum a talibus ſepulta, non ſunt propter hoc exhumanda.

Vel ſi menſa tota cum ſuis adhærentibus moveatur.

CAP. XIII.

Quæ Cœmeteria conſecrari non debent?

Cœmeteria vero, in quibus corpora Paganorum, vel Hæreticorum ſunt ſepulta, conſecrari non debent. Et idem de excommunicatis. Et ſi excommunicati ſepulti eſſent in cœmeterio conſecrato, corpora, vel oſſa, ſi diſcerni poſſunt, exhumari debent, & expelli procul. Et ſi in Eccleſia, quæ tunc reconciliatione indiget, parietes radendi ſunt: facta vero abſolutione a ſententia excommunicationis de mandato Diœceſani ſolemni, ſicut viverent, poſſunt reduci ad priſtinam ſepulturam: prius tamen, ut diximus, facta reconciliatione.

Conſecrari non debent Cœmeteria, in quibus corpora Paganorum, vel Hæreticorum ſunt ſepulta.

Item ſi Eccleſia, vel Cœmeterium, vel aliud quodcumque ſacrum ab Epiſcopo publice excommunicato conſecratur, vel benedicitur, reconciliatione indiget, antequam fideles utantur talibus, tanquam ſacris.

Reconciliatione indiget Eccleſia, vel quælibet alia res ſacra ab Epiſcopo publice excommunicato conſecrata.

Præcipientes, ut in qualibet Parochiali Eccleſia noſtrarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, calix cum patena argenteus, ſi commode fieri poterit, habeatur.

Altaria etiam viatica ſint tantæ longitudinis, & latitudinis, ut poſſint capere hoſtiam, & calicem, alias nullus celebrare præſumat.

CAP. XIV.

De Eccleſiaſtica Immunitate.

Item prohibemus, ne Judices, Bajuli, Officiales Juſtitiarii ſæculares, ſeu Nuntii eorum, Commiſſarii in Eccleſiis, maxime Cathedralibus, vel Cœmeteriis cauſſas, contentiones, lites, ſeu placita audiant Laicorum. Non fiant in Eccleſiis Societates, & publica parlamenta, ceſſent vana, & profana colloquia, non permittant Sacerdotes talia fieri in Eccleſiis, vel cœmeteriis, aut in hoſpitalibus, ſed nec incarcerationes hominum Laicorum per Judices, aut Dominos temporales ibi fiant. Sed nec negotiationes, & præcipue nundinarum, nec fori cujuſcumque tumultus, nec edicta, ſive banna per Laicos: nam proceſſus ſæcularium Judicum, & ſententiæ prolatæ in locis illis ipſo jure non valent.

Judices, ſeu Officiales ſæculares in Eccleſiis, vel cœmeteriis Laicorum cauſſas, & lites non audiant.

Neque fiant in iiſdem ſocietates, vel publica parlamenta.

Neque incarcerationes hominum laicorū per judices, aut Dominos temporales.

Neque negotiationes, neque nundinæ, neque edicta.

Proceſſus, & ſententiæ ſæcularium judicum in ejuſmodi locis prolatæ ipſo jure non valent.

Sed nec permittant Sacerdotes in locis prædictis choreas fieri, nec dici cantilenas profanas, & ſæculares.

Neque in ejuſmodi locis celebrentur choreæ, neque recitentur cantilenæ profanæ.

Ludos etiam theatrales, & cum larvis in Eccleſiis fieri prohibemus, & cauſſa ludibrii, ſicut in rocchulis vidimus, uti veſtibus, ſive habitu Canonicorum, Monachorum, & aliorum Religioſorum: alioquin graviter punientur tam veſtientes, quam eis compræſtantes; non tamen prohibemus fieri repræſentationes ſecundum feſtivitates, ſicut præſepe Domini, Ma-

Ludi theatrales cum larvis arceantur ab Eccleſiis.

Neque repræſentationes ibi fiant cum abuſu veſtium Canonicorum, aut Religioſorum.

Non tamen prohibemus repræſentationes ſecundum feſtivitates ad compunctionem inducentes.

riam, & Joſeph, Herodem, & Magos,& ſimilia, quæ magis ad compunctionem inducunt, quam ad laſciviam, vel aliam voluptatem.

Non ſunt extrahendi ab Eccleſiis,qui ad eas confugiunt ſine ſpeciali Diœceſani licentia.

Item præcipimus, quod nullus Laicorum, ſeu Officialium Curiæ ſæcularis, ſeu quicumque alius hominem, ſeu mulierem,ſeu bona eorum de Eccleſia, Cœmeterio, hoſpitali,vel domo Religioſa extrahat violenter, ſed quod a Rectoribus, & Clericis, & aliis Gubernatoribus locorum prædictorum defendantur; & alimenta eis,ſi indigent caritative præſtentur, nec ab aliquo extrahantur, ſine noſtra,aut cujuslibet Diœceſani licentia ſpeciali, niſi publicus latro, vel nocturnus depopulator agrorum, ſeu qui homicidium, vel mutilationes membrorum in dictis locis committere non verentur, quæ niſi ad prædicta loca,ad quæ confugiunt,crederent defendi, nullatenus ipſa maleficia in dictis locis fuerant commiſſuri. Et hoc ſemper eſt præſumendum in iſto caſu, niſi de contrario conſtaret per evidentia **judicia*.

Neque eorumdem bona.

Vel * *indicia*.

Pœna excommunicationis ipſo facto inflicta iis,qui hanc immunitatem violant.

Quorumdam itaque inſolentia perverſorum, qui Dominum Jeſum Chriſtum verbis tantummodo profitentur, nec Deum timere, nec homines revereri pro ſuorum atrocitate factorum manifeſtiſſime convincuntur, in tantam accepimus temeritatis infamiam prorupiſſe, quod confugientes ad Eccleſiarum, & locorum prædictorum tutelam contra juris utriuſque ſtatuta,& Eccleſiaſticam libertatem inde extrahunt, aut ibidem vulnerant,ſeu mutilare præſumunt, & nonnunquam ultimum eis ſupplicium inferentes,aut iſta fieri præcipiunt, vel procurant,vel conſilium, vel opem adhibent in tantis ſceleribus perpetrandis. Nos hujusmodi ſacrilegorum exceſſus deteſtabiles,& horrendos, quos non ſolum rei evidentia docet exercuiſſe inhumaniter, ſed inoleviſſe jam præſumptione damnabili recenſita præteritorum memoria comprobat,& declarat, caſtigatione canonica prohibere volentes,duximus ſtatuendum, quod taliter delinquentes excommunicationis ſententiæ, quam in ipſos deferimus in his ſcriptis, ſubjaceant ipſo facto.

Quam quidem ſententiam locorum Ordinarii præſentis auctoritate Concilii, & alii noſtri ſubditi ſolemniter in ſubjectis ſibi Eccleſiis denuntiari faciant, & uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari, & feuda,ac beneficia, quæ in illis Eccleſiis obtinent, protinus ipſis Eccleſiis committantur; filii quoque eorum ad Eccleſiaſtica beneficia obtinenda eo ipſo reddantur inhabiles, & indigni, niſi per Sedem Apoſtolicam cum eis fuerit diſpenſatum.

CAP. XV.

Ad quæ alia loca privilegium immunitatis extendatur?

Hoc privilegium, & violationis pœna extenditur ad Eccleſias etiam nō conſecratas,fundatas tamen auctoritate Epiſcopi.

Et ad Eccleſias etiam interdictas.

ET præmiſſum privilegium immunitatis, & pœnam violationis extendimus per omnia ad Eccleſias etiam non conſecratas, dummodo auctoritate Epiſcopi fundatæ fuerint, & ædificatæ. Et idem de Eccleſiis interdictis, cum ſit Dei privilegium principaliter, qui non peccat.

Extenditur etiā in caſo, quo quis confugit ad CorpusChriſti,eique adhæret, cum portatur a Sacerdote.

Et ad Palatium Epiſcopi.

Oratoria privata non habent talem immunitatem.

Et idem de confugiente, & adhærente ad Corpus Chriſti, etiam dum portatur a Sacerdote. Et idem de palatio Epiſcopi, ut confugientes habeant defenſionem ſimilem, & violantes eamdem pœnam incurrant, non habita diſtinctione, an adhæreant Eccleſiæ, vel non: Oratoria vero privata non habent talem immunitatem, cum poſſint quotidie ad aliam formam mutari.

Ad Eccleſiam confugiens quo pacto detinendus ibi ſit?

Et notandum circa hanc materiam, quod quamdiu eſt infra dicta loca confugiens, non eſt detinendus, nec conſtringendus, ſeu vinculandus, nec veſtis, nec requies, nec victualia deneganda, quæ miniſtrabit Eccleſia, vel major loci illius, ſi aliud non habeat: ſicut Rector carceris habet, & tenetur providere captivis, ſi aliunde non habeant, & ſub eadem immunitate exire poterit Eccleſiam ad requiſitæ naturæ uſum in debitis locis, etiam infra quadraginta paſſus, ſi ſit Cathedralis, & Matrix Eccleſia, vel infra triginta, ſi ſit alia Eccleſia, non tamen intelligimus hoc de Cappellis, quæ ſunt infra ambitum murorum Civitatis, Caſtri, vel Villæ.

Judæi quoque, & Pagani immunitate gaudent, ſi propter crimen ad Eccleſiam confugiunt.

Judæi quoque, Pagani, & excommunicati, ſi propter crimen commiſſum confugiunt ad dicta loca, gaudent immunitate.

CAP. XVI.

In Eccleſiis Parochialibus, in quibus habitant Monachi, per Monachum populus non regatur; nec novi cenſus Eccleſiis imponantur.

ITem in Eccleſiis Parochialibus, in quibus habitant Monachi,populus per Monachum non regatur. & ſic prohibemus.

Eccleſiis novi cenſus non imponantur, neque veteres augeantur.

Item prohibemus, ne Eccleſiis novi cenſus imponantur; vel veteres augeantur, nec partem redituum Eccleſiarum, ſeu ipſas Eccleſias præſumant de novo Religioſi ſuis uſibus applicare, nec portionem debitam, & antiquam Rectorum, ſeu Cappellanorum diminuant, nulluſque ad præſentationem Religioſorum, ad curam alicujus Eccleſiæ admittatur, niſi tantum ei aſſignatum fuerit de proventibus Eccleſiæ, quod inde poſſit jura Epi-

Epiſcopalia ſolvere, hoſpitalitatem tenere, & congruam ſuſtentationem habere.

CAP. XVII.

De alienatione rerum eccleſiaſticarum.

ITem diſtricte prohibemus, bona mobilia, calices, libros, & alia ornamenta Eccleſiarum vendi, obligari, ſeu alienari ſine noſtra licentia ſpeciali, aut Diœceſani. Nec etiam ſine noſtra licentia, aut cujuslibet Diœceſani alicui titulum, ſeu ſtipendium in Eccleſiis per aliquem aſſignari; contrarium vero facientes in præmiſſis, ſi Prælatus fuerit, unius unciæ, ſi inferior, tarc. 15. pœnam incurrere volumus ipſo facto, noſtro arbitrio, vel Diœceſani erogandam.

Nec etiam ſine ejuſdem licentia poteſt alicui titulus, ſeu ſtipendium in Eccleſiis aſſignari.

Pœna tranſgreſſoribus irrogata.

Quia vero nonnulli Prælati, Abbates, tam regulares, quam ſæculares, atque Capitula, & Collegia, Archipresbyteri Eccleſiarum, Rectores, & alii Clerici, eccleſiaſticæque perſonæ Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ noſtræ juriſdictionis, cupiditatis vitio laborantes, domus, hortos, vineas, terras, & alia eccleſiaſtica bona immobilia ad longum tempus locare, in emphiteuſim concedere, & alienare etiam ad quinquennium, permutare, vel transferre qualitercumque abſque legitima cauſa præſumunt, in ipſius contractus initio, & tractatu recipientes aliquam pecuniæ quantitatem in fraudem, ut poſt annis ſingulis ſub nomine petitionis, vel cenſus longe minorem quantitatem recipiant, quam fructus, ſeu proventus ipſorum bonorum valeant, in damnum, & præjudicium ipſarum Eccleſiarum, nulla juris ſolemnitate ſervata: ideo, ut fraudibus talibus obvietur, ſtatutis antiquis provincialibus indemnitati Eccleſiarum conſultiſſime proviſum eſt, & ordinatum, ne quivis perſonarum ſupra nominatarum actus hujuſmodi acceptare præſumat, ſeu aliquem contractum quinquennalem, ſeu alterius temporis celebrare, aut pecuniam recipere, etiam in caſibus a jure permiſſis abſque ſpeciali licentia noſtra, vel Diœceſani, & ſervata ſolemnitate juris, & forma Curiæ noſtræ conſueta.

Circa bona immobilia nemo prorſus poteſt contractum ullum alienationis exercere, aut acceptare, neque contractũ quinquennalem celebrare, ſeu alterius temporis, etiam in caſibus a jure permiſſis, ſine ſpeciali Diœceſani licentia, ac ſervata juris ſolemnitate, & forma Curiæ Beneventanæ conſueta.

Contrarium vero facientes excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrunt, & nihilominus pœna arbitraria puniantur. Contractus ipſe, qualiſcumque fuerit, nullus ſit, & irritus ipſo jure, pœnæ etiam adjectio, juramentum, aut alia quælibet promiſſio, vel obligatio nullius efficaciæ, & momenti exiſtat. Et hoc ſalubre Concilium diligenter obſervari præcipimus, cum multos viderimus deviantes.

Excommunicationis ſententiam tranſgreſſores eo ipſo incurrunt.

Contractus vero, qualiſcumque ſit, nullus eſt, & ipſo jure irritus.

Nulla itidem pœnæ adjectio, nullius efficaciæ juramentum, aut quælibet promiſſio, vel obligatio.

CAP. XVIII.

Nullus nomine ſuo, vel alieno emat poſſeſſiones, ſeu reditus pecunia de bonis Eccleſiæ acquiſita: nec ab eccleſiaſticis ſeculares talliam petant.

PRohibemus etiam, ne Prælatus, Archipresbyter, Prior, ſeu Rector alicujus Eccleſiæ per ſe, vel alium emat de pecunia de bonis Eccleſiæ acquiſita poſſeſſiones, ſeu reditus ſuo nomine, ſeu etiam alieno, ſed tantummodo nomine ipſius Eccleſiæ, & ad opus ejuſdem; qui enim contrafecerit, de jure tanquam ſacrilegus punietur, & pœnam amiſſionis ſui beneficii poterit merito formidare.

Tranſgreſſor tanquam ſacrilegus punietur, & amiſſionem beneficii merito formidet.

Item præcipimus, quod ſi Domini ſæculares petant talliam, vel ſubſidium a Rectoribus Eccleſiarum, vel aliis perſonis eccleſiaſticis, nihil eis conferre præſumant.

Talliam, ſeu ſubſidium, ſi Domini ſeculares petant, Rectores Eccleſiarum nõ conferant.

Sed nec aliquod novum eiſdem Rectoribus a Parochianis, ſeu aliis imponatur, aut exigatur, ſicut multi fecerunt de pane benedicto, & candelis Purificationis, nolentes aliter dare decimas, vel jura ſua, quod improbum eſt, & a jure devium; & hoc, niſi fuerit ab antiquo conſuetum, vel niſi Nos, vel Diœceſani ex cauſſa rationabili hoc duxerimus concedendum, ne latenter in eis aliqua ſervitus inducatur. Alioquin contrafacientes puniri mandamus in eadem ſumma, quam Dominis prædictis dederint.

Pœna tranſgreſſoribus irrogata.

Per ſtatuta quidem provincialia dudum celebrata excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt omnes, & ſinguli cujuſcumque præeminentiæ, conditionis, vel ſtatus exiſtant, qui Prælatis, Eccleſiis, eccleſiaſticiſque perſonis, regularibus, aut ſæcularibus impoſuerunt, vel imponunt onera gravia, ipſoſque talliant, & eis, vel ipſorum alicui collectas imponunt, & ſuorum proventuum dimidiam, decimam, vel vigeſimam, vel quamvis aliam portionem, vel quotam exigunt, vel extorquent, ipſis invitis, eoſque moliuntur multifarie ſubjacere ſervituti, ſuæque ſubmittere ditioni: Qui etiam apud ædes ſacras depoſita, ſeu alia bona eccleſiaſtica, Eccleſiarum, eccleſiaſticarumque perſonarum ubilibet in Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventanis ſiſtentia arreſtaverint, ſeu arreſtari mandaverint, vel fecerint, ſanciverint, vel occupaverint, aut occupata, ſancita, vel arreſtata receperint, nec non omnes, & ſinguli, qui ſcienter in præmiſſis conſilium, auxilium, vel favorem publice, vel occulte præſtiterint, niſi infra quindecim dierum terminum reſipiſcant, eamdem excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt.

Univerſitates quoque, quæ in his culpabiles

Univerſitates in his culpabiles Eccleſiaſtico ſuppoſitæ ſunt interdicto.

pabiles reperirentur, eccleſiaſtico ſuppoſitæ ſunt interdicto.

Et quia experientia docuit, perſonas eccleſiaſticas fuiſſe collectizatas pro muris de novo faciendis, & pro reparatione antiquorum, nec non & pro acquiſitione terrarum per Dominos temporales, & ſcimus quoſdam Clericos fuiſſe propterea incarceratos, & male tractatos; idcirco præfatas pœnas ad hos etiam caſus duximus extendendas.

CAP. XIX.

Eccleſiaſticæ Perſonæ fatigari non debent angariis, nec ſordidis muneribus gravari.

ECcleſiaſticæ etiam perſonæ non debent fatigari angariis, ideſt ſervitutibus perſonarum, nec pro angariis, ideſt ſervitutibus perſonarum, & rerum, ſcilicet quas facit quis ſua perſona, & ſumptu. Concedimus tamen, quod ſi aliqua civitas eſſet obſeſſa, vel timeretur capi ab hoſtibus, non debet pati Eccleſia ſuos ruſticos defendi aliquo privilegio a vigiliis murorum; ideo debet eos compellere ad hoc, ſi neceſſe eſt, ut cunctis vigilantibus civitas melius cuſtodiatur. Cum auctoritate tamen Diœceſani poſſunt eccleſiaſticæ perſonæ, ubi tantum eſſet periculum, adſtringi ad dictam cuſtodiam faciendam. Sic ſæpe de facto vidimus.

Quid concedendum, ſi civitas aliqua ſit obſeſſa, vel inſtat periculum, ne capiatur ab hoſtibus?

Non debent autem gravari perſonæ eccleſiaſticæ pro rebus eccleſiaſticis ſordidis muneribus, ut arenæ faciendæ, cloacæ purgandæ, calcis coquendæ, & ſimilibus. Honeſtis vero muneribus, ordinariis tamen, ut tributis annuis, gravari poſſunt, quia ad talia tenentur prædia Eccleſiarum, niſi in decimis, oblationibus, domibus, atriis, & hortis, vel aliis poſſeſſionibus juxta Eccleſiam poſitis, & in manſo, in quo Eccleſia ſita eſt, vel de quo eſt dotata, de quibus nullum tributum dari debet, de aliis ſic, niſi remiſſa expreſſe probetur ab eo, qui potuit; res enim tranſit cum onere: ad ſuperinducta, ideſt impoſita de novo propter ſupervenientem utilitatem, vel cauſſam, non tenetur.

Eccleſiaſticæ perſonæ ſordidis muneribus gravari non debent.

Tributis tamen annuis gravari poſſunt, & quibus in caſibus.

CAP. XX.

Alii caſus extraordinarii, in quibus Eccleſiaſtici conferre aliquid debent.

AD extraordinaria, ideſt, quæ ſubito injunguntur, non tenentur, niſi reſpicerent pietatem, puta contra Sarracenos, vel Paganos, vel hæreticos, vel conſtructionem pontium, & ſimilia, & his caſibus humiliter ab Epiſcopo, & Clericis poſtulandum eſt. Et ſi ipſi viderint tantam neceſſitatem, vel utilitatem, ubi laicorum non ſuppetunt facultates, arbitrio ſuo poſſunt aliqua conferre. In auxilium vero Principum, vel Dominorum nihil, niſi prius conſulto Papa.

Et ſi aliqua poſſeſſio de novo pervenerit ad Eccleſiam, vel eccleſiaſticam perſonam, quæ tenebatur certum ſervitium facere certo modo, ut albergium, vel quid aliud, teneretur Eccleſia, vel perſona, ad quam pervenerit, illud facere. Omne enim certum ſervitium poſſeſſionis aut ſolvat Eccleſia, vel perſona eccleſiaſtica, aut extra manum ponat.

Poſſeſſio cum onere veniens ad Eccleſiam, vel Eccleſiaſticam perſonam, remanet cum eodem onere.

Laici autem albergium, ſeu hoſpitium violentum tanquam ex debito non poſſunt exigere ab Eccleſia: Caritativum autem denegandum non eſt. Sed ſi aliquis ſæcularis, vel eccleſiaſtica perſona reſervaſſet ſibi pro recognitione beneficiorum aliquod hoſpitium in aliqua Eccleſia, tunc bene debetur. In fundatione quoque alicujus Eccleſiæ, ſive Monaſterio exempto applicetur, ſive non, poteſt retineri per Ordinarium certus cenſus, vel præſtatio aliqua annua, & tenetur ſolvere, licet ad Monaſterium exemptum, vel locum perveniat.

Hoſpitium violentum exigere ab Eccleſia laici non poſſunt; caritativum Eccleſia denegare non debet.

Inſuper prohibemus, ne Priores, Rectores, & alii Eccleſiarum Prælati, vel Clerici eorum bona eccleſiaſtica mobilia de novo ſubmittant laicis, ſeu recognoſcant ſe tenere ab eis. Quod ſi ſecus egerint, recognitio nulla erit, & ipſi recognoſcentes ab officio, & beneficio triennio a Canone noverint ſe ſuſpenſos. Laici vero, ſi ad hoc ipſos * *compellerint*, niſi legitime moniti deſtiterint, & quod factum eſt revocaverint, eo ipſo a Canone excommunicationis ſententiam incurrunt.

Eccleſiaſtica bona immobilia non ſubmittant de novo laicis, neque recognoſcant ſe ab eis tenere.

Pœna tranſgreſſoribus irrogata.

Alias * *compulerint*.

CAP. XXI.

Prælati, & Rectores Eccleſiarum recognitiones fieri faciant, & publica inſtrumenta de iis, quæ tenent laici, & clerici ſub dominio Eccleſiæ.

STatuimus etiam, ut de iis, quæ tenent clerici, & laici ſub dominio Eccleſiæ, & juriſdictione Eccleſiarum, Prælati, & Rectores ipſarum faciant fieri recognitiones, & publica inſtrumenta, ut ſic in futurum Eccleſiarum indemnitatibus conſulatur, cum aliter multi occupatores, & detentores inveniantur.

Et quia nonnulli dudum terras, prata, terras, molendina, ſilvas, nemora, domos, apothecas, cenſus inſtrumenta, acta, regeſta, privilegia, & alia bona ad Nos, & Beneventanam Eccleſiam, & ejus Capitulum, & alias Eccleſias Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ pleno jure ſpectantia detinuerunt occupata, ſeu alias indebite quovis modo, & ea ſolvere, & reſtituere neglexerunt in eorum periculum animarum, in provinciali Concilio moniti fuerunt ad excom-

Pœna excommunicationis inflicta iis, qui bona Eccleſiaſtica detinent, nec reſtituunt, vel nõ revelant detentores non reſtituentes.

excommunicationis pœnam, ut infra menſem deberent reddere, & reſtituere, & revelare detentores non reſtituentes, alias ſententiam excommunicationis incurrerent. Nos itaque confirmantes præmiſſa, omnes tales detentores non reſtituentes, & non revelantes, eorumque participes excommunicatos auctoritate præſentis Provincialis Concilii nunciamus, & declaramus.

Eadem excommunicatio inflicta indebite turbatoribus, & moleſtatoribus poſſeſſionum, & bonorum, quæ ad Eccleſias in hac Civitate Diœceſi, & Provincia attinent.

Hæc excommunicatio ligat participes etiam, & eos, qui conſilium, auxilium, aut favorem ad hoc præſtant.

Item eamdem excommunicationis ſententiam per ſtatuta ejuſdem Provincialis Concilii incurrunt omnes, & ſinguli indebite turbatores, moleſtatores poſſeſſionum, & bonorum Majoris Beneventanæ Eccleſiæ, & ejus Capituli, & aliarum Eccleſiarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, tam mobilium, quam ſtabilium, nec non jurium, redditúum, cenſuum, & aliorum proventuum ſcientes, eorumque participes, aut auxilium, conſilium, vel favorem ad hoc præſtantes.

CAP. XXII.

Prælati Eccleſiarum ædificiis earum, & reparationibus operam impendant: nec Prædicatores, Minores, & alii Religioſi nova loca recipiant ſine Papæ licentia.

ITem cum in officiis charitatis, vel primo loco ſimus obnoxii a quibus recognoſcimus beneficia recepiſſe, diſtricte præcipimus, ut Epiſcopi, Prælati, Abbates, Archipresbyteri, Rectores Eccleſiarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ in ædificiis, & reparationibus ipſarum, & domorum earumdem, & in libris, & ornamentis, & aliis divino cultui neceſſariis juxta facultates ipſarum ſtudeant, cum opus fuerit taliter ſe habere, quod eorum exemplo ceteri invitentur, cum ad hoc teneantur, cogi etiam poſſint, & debeant ſecundum Canonicas ſanctiones, prout Nos etiam in noſtra Viſitatione multas ordinationes, & injunctiones fecimus, quibus ordinationibus, & injunctionibus factis, & in poſterum per Nos, aut ſucceſſores noſtros, ſeu per quoſlibet Ordinarios in eorum Diœceſibus faciendis, pareri volumus, & mandamus.

Epiſcopi, & Rectores Eccleſiarum ædificiis earum, & reparationibus pro facultate operam impendant, nec non libris, & ornamentis earumdem.

Et ne quiſquam, quo minus fiant, impediat per ſe, vel alium directe, vel indirecte ſub excommunicationis pœna prohibemus. Negligentes autem pœnis adjectis in ipſis ordinationibus coerceri, & puniri jubemus.

Pœna impedientibus irrogata, & negligentibus.

Præſentibus adjicimus, quod circa reparationes prædictas ceſſante quacumque ordinatione Superioris, per quam fieri debeant, conſuetudo cujuſcumque Eccleſiæ obſervetur, cum in quibuſdam locis quarta pars fructuum ad fabricam Eccleſiarum, & reparationem applicetur; quod ſi non ſufficeret, tunc Clerici ſecundum quod percipiunt, conferre teneantur ſecundum diſpoſitionem cujuslibet Diœceſani; quod ſi etiam ipſi non * deficerent, tunc laici ad contribuendum compellantur auctoritate Diœceſani, ſicut in quibuſdam Regionibus de conſuetudine contribuunt, quæ ſervanda eſt; ipſorum enim intereſt, cum ibi percipiant Eccleſiaſtica Sacramenta, & audiant divina, & hoc maxime dicimus in his partibus, & aliis, ubi male, imo peſſime in detrimentum animarum decimas perſolvunt. Ceſſante autem neceſſitate reparationis, quarta, ſi conſueta fuerit dari, penes eum, qui tenetur, remanebit.

Circa reparationes prædictas conſuetudo cujuſcumque Eccleſiæ obſervetur.

Forſan * ſufficerent.

Prædicatores, Minores, & alii mendicantes Religioſi non debent nova loca recipere in aliqua Civitate, vel loco, nec antiqua mutare, aut quocumque alienationis titulo transferre in aliquem ſine licentia Papæ, plenam, & expreſſam mentionem de hujuſmodi prohibitione faciente.

Mendicantes non debent mutare ſine licentia Summi Pontificis.

Exempti etiam non debent conſtruere Oratoria, vel Cappellas, ſeu Eccleſias in locis non exemptis ſine licentia Diœceſani Epiſcopi, nec in ſic conſtructis cebrare, nec tempore interdicti celebrent, niſi in caſibus a jure expreſſis, alioquin per Ordinarios compeſci poſſunt. Et ſi per eorum Conſervatores contra Ordinarios proceſſus fiant, vel ſententiæ excommunicationis ferantur, irritæ ſunt, atque nullæ, & a jure revocatæ. Ipſi etiam Religioſi in locis ſuis exemptis interdictum ſervare tenentur, niſi ſuper hoc privilegium haberent ſpeciale, alias pœnas incurrunt, de quibus in titulo *De ſententia excommunicationis, & interdicti* exprimitur.

Exempti non debent conſtruere Oratoria vel cappellas, vel Eccleſias in locis non exemptis ſine Diœceſani licentia.

TITULUS XIII.

De Teſtamentis.

CAP. I.

De Teſtamenti executione.

QUoniam ſecundum Canones, & Leges ſæculares defenſio Teſtamentorum ad Epiſcopos noſcitur pertinere; iccirco diſtricte præcipimus, quod Rectores Parochiales, Abbates, Archipresbyteri, & Sacerdotes Eccleſiarum ſuos Parochianos non ſolum in generali, ſed in ſpeciali nomine ſuo, & illorum, quorum intereſt, moneant, & inducant, quod teſtamenta, & ultimas voluntates defunctorum, & maxime in relictis ad pias cauſſas, prout ad eos pertinet, compleant, & obſervent, de quibus relictis ad pias cauſſas, & aliis, quæ * expectant ad emendas, & reſtitutiones defuncti, copiam ſibi fieri petant. De dicta vero monitione facta in ſpeciali, & de petitione dictæ copiæ præcipimus, ſi haberi poſſit Notarii copia

Defenſio teſtamentorum ſecundum Canones ad Epiſcopum pertinet.

Rectores Parochiales, Abbates &c. non ſolum in genere, ſed etiam in ſpeciali Parochianos moneant de ultima voluntate defunctorũ inviolate ſervanda.

Maxime in relictis ad pias cauſſas, & aliis, quæ ſpectant ad emendas, & reſtitutiones.

Alias * ſpectant.

Cautio hac in re adhibenda.

copia; fieri inſtrumentum, alias coram duobus, aut tribus teſtibus bonæ opinionis. Et ſi forte ipſos negligentes, aut rebelles invenerint, Nobis intimare procurent. Et ad hoc per cenſuram Eccleſiæ, prout juſtum fuerit, compellamus, & idem per Provinciam noſtram a Diœceſanis volumus obſervari. Pœnam etiam ſubituri, prout jura ſuadent, omiſſionis emolumenti, quod ex illis teſtamentis fuerunt habituri, ſi infra annum a tempore dictæ monitionis computandum contenta in illis teſtamentis neglexerint adimplere.

Quid agendum ſi Parochianos negligentes, aut rebelles invenerint?

Per conſtitutiones quoque Provincialis Concilii omnes tam Clerici, quam Sæculares, mares, aut feminæ cujuſcumque ſtatus, aut conditionis exiſtant, executores teſtamentorum quorumcumque, & hæredes decedentium ſucceſſores, ſive bonorum poſſeſſores teſtamenta, ſeu ultimas voluntates infra annum a tempore mortis, vel extantis conditionis, ſi fuerit addita, proxime computandum, perficere tenentur. Lapſo vero anno ad quemlibet Ordinarium, & ejus Curiam executio noſcitur pertinere, ſicut eſt de jure. Nec poſt dictum annum aliquatenus ſe habent intromittere dicti executores, vel hæredes de executione teſtamentorum, nec etiam infra dictum annum de executione male ablatorum incertorum. Contrarium vero facientes in præmiſſis caſibus ipſo facto in ſententiam excommunicationis incurrunt, cujus abſolutio cuilibet Ordinario, ſeu ejus Vicario reſervatur.

Tam Clerici, quam Sæculares executores teſtamentorum, & defunctorũ hæredes intra annum perficere tenentur ultimas voluntates.

Pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda tranſgreſſoribus inflicta.

Ejuſdem quoque Provincialis Concilii ordinatione ſententiam excommunicationis incurrit quicumque, quocumque quæſito colore, directe, vel indirecte, publice, vel occulte impedit, aut impedire nititur, quominus infra præfata tempora executiones teſtamentorum, ſeu ultimarum voluntatum compleantur, ſeu perficiantur. Injungimus autem Epiſcopis, ut præfatas determinationes obſervari procurent in ſuis Diœceſibus.

Eadem excommunicationis pœna infligitur impedientibus, quo minus infra prædictum tempus executio teſtamenti perficiatur.

Eiſdem Prælatis, & executoribus teſtamentorum quibuſcumque ſub interminatione Divini Judicii injungentes firmiter inhibemus, ne quid de bonis decedentium, præterquam rationis fuerit, aut a jure, ſeu conſtitutionibus permiſſum fuerit, in proprios uſus convertere, vel etiam detinere præſumant.

Prælatis injungitur, ne quid de bonis decedentium ad proprios uſus detorqueant.

Statuentes, quod ſi qui executores id, quod ſibi deberi aſſerunt, propria auctoritate uſurpandum duxerint, illud reſtituere compellantur, actione, ſi qua ſibi ſuper eodem debito competierit, ſua temeritate privati, niſi id reſtituerint, ex quo ſuper hoc moniti fuerint cõpetenter.

Executores id, quod ſibi deberi aſſerunt, propria auctoritate non uſurpent.

Item ſtatuimus, quod executores titulo emptionis, vel alio nihil de bonis retineant teſtatoris. Alioquin pretium amittant, niſi ab ipſo Teſtatore legatum ſibi fuerit, vel alias conceſſum expreſſe; & ſi ex alia cauſſa præſumpſerit, arbitrio Ordinarii puniatur.

Iidem executores titulo emptionis, vel alio, nihil de bonis Teſtatoris retineant.

In Provinciali dudum Concilio ſtatutum eſt, quod nulla perſona Religioſa cujuſcumque Ordinis, vel conditionis exiſtat, in Civitate, Diœceſi, aut Provincia, pro executore in Teſtamento a quocumque ordinata, vel diſtributore, aut alias de executione, vel diſtributione teſtamenti ullo modo intromittat ſe, aut præſumat, vel bona quæcumque teſtatorum ad manus ſuas recipiat, vel de ipſis diſponat quocumque modo, niſi prius coram Ordinariis Diœceſanis, ſeu Vicariis idoneam cautionem dederit uſque ad valorem bonorum diſtribuendorum, & de executione ipſa fideliter facienda; quia plerique ſibi ipſi bona ipſa appropriant, vel ſe transferunt ad remota. Contrarium vero facientes excommunicationis vinculo ſunt nodati.

Si fecerit ſecus, excommunicationis vinculo innodatur.

CAP. II.

De Teſtamenti confectione.

Sacerdotibus Parochialibus præcipimus, ut Parochianos ſuos moneant, & inducant, quod in confectione ſuorum teſtamentorum præſentiam ipſorum Sacerdotum, a quibus recipiunt Eccleſiaſtica Sacramenta, advocent, & requirant, ut per ipſos inducantur ad emendas, & reſtitutiones, & ad legandum ad pias cauſſas, & alia, prout ſaluti animarum viderint expedire.

Parochi Parochianos moneant, & inducant, ut in confectione ſuorum teſtamentorum Sacerdotes advocent, a quibus Eccleſiaſtica Sacramenta accipiunt.

Et quia ſecundum canonicas ſanctiones, quæ in teſtamento coram Parochiali Presbytero, & duobus, vel tribus teſtibus pro ſalute relinquitur, obtinere debet perpetuo firmitatem, ideo volumus, & præcipimus ab omnibus hujuſmodi ſtatutum ſciri, & publicari (non enim omnes poſſent Notarios pro conficiendis teſtamentis convocare) ut nullus teſtamentum condere præſumat, quin prius ſuum Parochialem Sacerdotem habeat in præſentia ſua, cum hoc non modicum reſpiciat ad ſalutem animarum.

Nullus teſtamentum condat, quin prius proprium Parochum habeat in præſentia.

Statuto quoque Provinciali cautum eſt, & præceptum monendo ſub excommunicationis pœna facto, quatenus omnes, & ſinguli Notarii, Presbyteri, & Clerici Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, qui interfuerint in teſtamentis, ſive in ſcripturis, ſive in ſcriptis confectis pro Notariis, aut pro teſtibus, infra menſem poſt mortem illorum teſtantium, ſive ultimas voluntates diſponentium debeant Nobis, aut Vicario noſtro, ſeu cuilibet Diœceſano, aut ejus Vicario, aut eis, quibus mandatum fuerit ſpecialiter, nomina teſtatorum decedentium, hæredum, & executorum ipſorum teſta-

Notarii, & teſtes ultimas teſtantium voluntates Diœceſano, vel ejus Vicario revelare debent.

Et ſpeciatim nomina teſtatorum, hæredum, & executorum.

teſtamentorum dare, & aſſignare in ſcriptis.

CAP. III.

Executores Teſtamentorum, & Hæredes quartam, ſeu canonicam portionem a jure Epiſcopis conceſſam integre aſſignent.

Juris diſpoſitione quarta, ſeu Canonica portio Teſtamentorum Diœceſanis eſt conceſſa.

Executores Teſtamentorũ, & hæredes ejuſmodi quartam, ſeu Canonicam portionem integre aſſignent intra annum.

QUia vero juris diſpoſitione omnibus Diœceſanis quarta, ſeu canonica portio teſtamentorum eſt conceſſa, ideo eodem Provinciali Concilio dudum conſtitutum, monitione canonica præcedente, quatenus omnes, & ſinguli executores, & hæredes, ſeu ſucceſſores, & poſſeſſores bonorum defunctorum quorumcumque Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ quartam ipſam, ſeu canonicam portionem de jure debitam Nobis, & ceteris Diœceſanis, prout ad eos ſpectat, Clericis, & Eccleſiis aliis, quibus debetur infra annum a die conditi teſtamenti integraliter debeant aſſignare. Alioquin excommunicationis ſententiam ipſo facto lapſo termino prædicto incurrunt.

Excommunicationis pœnam ipſo facto incurrunt, qui lapſo termino prædicto ejuſmodi quartam verbo, ſigno, vel facto, vel quocumque quæſito colore impediunt.

Auctoritate etiam dicti Concilii ſententiam excommunicationis incurrunt ipſo facto omnes, & ſinguli Abbates, Archipresbyteri, Rectores Eccleſiarum, Presbyteri, Cappellani, aliique Clerici cujuſcumque ordinis, vel conditionis exiſtant, necnon omnes, & ſinguli Notarii, Judices, & Scriptores, ac alii quicumque fuerint, tam mares, quam mulieres dictarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ confectioni alicujus maris, vel feminæ teſtantis intereſſentes, quolibet modo, vel colore quæſito, verbo, ſigno, vel facto fraudulenter impedientes, ſeu perturbantes, inſtruentes, docentes, facientes, ſeu condentes teſtamentum, ſeu teſtamenta, clauſulam aliquam, ſeu verba apponendo, aut apponi faciendo diſtincte, vel indiſtincte per quamcumque formam verborum, vel per taciturnitatem, ſeu alias quovis modo, quominus Nos, & noſtra Curia, vel Diœceſani, & eorum Curiæ, Eccleſiæ, Eccleſiaſticæve perſonæ dictam quartam, ſeu canonicam portionem cum aliis juribus competentibus, prout juris habet diſpoſitio, habeamus, ſeu habeant Diœceſani, & alii ſupradicti.

Excommunicati ſunt etiam ipſo facto, qui legata pia occupant, ſeu occupata tenuerint.

Per eadem quoque ſtatuta Concilii excommunicati ſunt ipſo facto omnes, & ſinguli cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtentes, qui pecuniam, & bona alia legata dimiſſa, & quocumque modo debita, ſeu relicta in ultimis voluntatibus, & teſtamentis, Nobis, & operi, ſeu fabricæ majoris noſtræ Beneventanæ Eccleſiæ, ac Prælatis, Capitulis, & Clericis earumdem, occupaverint, ſeu occupata tenuerint, non ſolvendo ea infra annum a tempore conditi teſtamenti perſonis prædictis, & Eccleſiis, quibus debebuntur.

Nullus teſtamenta reprobet ex eo quod auctoritas, vel præſentia Judicis ſecularis non intervenerit, modo alias legitime fuerint confecta.

Nullus tantæ temeritatis exiſtat, qui reprobare, aut repugnare audeat teſtamenta, ſeu ultimas voluntates quorumcumque, pro eo quod auctoritas, & præſentia Judicis non interveniſſet: non enim ex hoc perdere dicuntur aliquam roboris firmitatem, dummodo alias legitime fuerint ordinata, & conſcripta, vel in præſentia Sacerdotis, ut ſuperius expreſſimus, quoad ea, quæ * *concurrunt* pietatem.

Forſan * *concernunt*.

CAP. IV.

Uſurarii teſtamenti confectione carent; nec ad ſepulturam recipiantur.

Ex conſtitutionibus Provincialibus nullus Notarius ſcribere poteſt teſtamentũ publica uſurarii nota laborantis.

USurarii autem teſtamenti factionem non habent; idque in deteſtationem criminis per conſtitutiones Provinciales dudum ſtatutum, & ordinatum eſt, quod nullus Notarius, ſeu Scriptor ſcribere audeat, vel præſumat teſtamentum alicujus, de quo publica fama ſit, quod ſit uſurarius, vel fuerit. Nulluſque Clericus, vel laicus cujuſcumque ſtatus, ordinis, conditionis, ſexus, vel dignitatis exiſtat pro Judice, aut teſte in talium teſtamentis interveniat, aut eiſdem uſurariis auxilium, conſilium, vel favorem in condendis teſtamentis præſtet, vel in Eccleſiis ad ſepulturam recipiat, niſi in quolibet dictorum caſuum primo de uſuris ſatisfiat, aut dicti Judices, vel Notarii tanquam publicæ perſonæ pro omnibus, quorum intererit, ſtipulentur de ſatisfaciendo infra certum terminum, & nihilominus coram ſuo Diœceſano, aut ejus Vicario, ſeu Viceſgerente de his præſtent idoneam cautionem. Contrarium vero facientes excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt, aliis pœnis a jure ſtatutis in ſuo robore nihilominus duraturis.

Tranſgreſſores excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt.

CAP. V.

Defunctorum voluntates ne defraudatæ ſint, relicta pro Miſſis celebrandis ipſis celebrantibus ſtatim aſſignentur.

ADvertentes propenſius, ne defunctorum voluntates, ſeu intentiones, maxime in iis, quæ occurrunt ſalutem animarum, defraudentur, per eaſdem conſtitutiones conſtitutum eſt, & decretum, ne quis executor teſtamenti, vel alius, cui fuerit commiſſum, domos, poſſeſſiones, terras, vel alia pro miſſa canenda deputata ſpecialiter, dando certam pecuniam Miſſas celebrare debentibus, tenere, aut poſſidere audeat, ſed eaſdem domos, & poſſeſſiones eiſdem celebrantibus aſſignare infra menſem procuret, niſi per teſtatores eſſet aliud ordinatum, de qua ordinatione infra dictum menſem coram ſuo Diœceſano, vel Vicario ejus executores, vel hæredes fidem facere teneantur.

Peculiaris eadem in re cautio in ordine ad res ſpecialiter deputatas pro certa pecunia danda, ut Miſſæ pro defunctis celebrentur.

Tranſgreſſores excommunicationis pœnam ipſo facto incurrunt.

tur. Contrarium vero facientes excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto, lapſo termino ſubſcripto.

CAP. VI.

Quinam Clerici teſtamenta conficere poſſunt?

Religioſus in Epiſcopum promotus non poteſt condere teſtamentum.

Niſi adſit Papæ concellio.

Religioſus in Epiſcopum promotus nullo modo teſtamentum facere poteſt, quia ſola diſpenſatio rerum Eccleſiaſticarum ei committitur, quæ morte finitur, quo tunc incipit teſtamentum valere; niſi ex conceſſione Papæ hoc faceret, quo tunc proprie teſtamentum facere non intelligitur, ſed ſuæ diſpenſationis poteſtas auctoritate Papæ intelligitur ampliata, ut poſt mortem valeat. Et hoc a paucis advertitur Religioſis, quorum conſcientia forſan in pleriſque ædificat ad gehennam.

De Clericis autem decedentibus dicimus ſic debere ſervari, videlicet, quod Clericus ſæcularis beneficiatus, vel non beneficiatus de bonis mobilibus, & immobilibus, quæ ad ipſum pervenerint ex ſucceſſione parentum, vel propinquorum, vel aliorum, vel ex artificio, ſeu doctrina, vel officio advocationis, vel practicæ phyſicalis, vel donatione, vel legato, vel aliunde intuitu perſonæ, non tamen intuitu Eccleſiæ ſuæ teſtari poteſt, & in morte, ac in vita diſponere, ſicut laicus pro ſuo libito voluntatis.

Ad quem ejuſmodi bona, de quibus teſtari poteſt, devolvantur, ſi is deceſſerit inteſtatus?

Si vero deceſſerit inteſtatus, dicta bona devolvuntur ad deſcendentes, ſi habet, deinde ad aſcendentes, deinde ad collaterales, poſtea ad uxorem, ſi habet: iſtis deficientibus ſuccederet ei Eccleſia, ſicut ejus, & ſicut ſibi propinquus, quia ipſum Domino ſociavit, & tunc ordinabit de illis bonis Epiſcopus, prout ſuo bono arbitrio viderit faciendum.

CAP. VII.

De quibus Clericus teſtari non poteſt? & quid agendum, ſi non appareat, quæ ſint bona Eccleſiæ, aut ejus intuitu acquiſita?

Bona autem Clericorum intuitu Eccleſiæ acquiſita, ſi ſunt immobilia, ad Eccleſiam devolvuntur, nec de his in morte, vel in vita aliquid diſponere poterit, vel teſtari: Si ſunt mobilia intuitu Eccleſiæ acquiſita, licet de jure in alios pro arbitrio morientis transferri non poſſint, conſuetudinis tamen eſt approbatæ, ut pauperibus, & locis Religioſis, & iis, qui Clerico viventi ſervierunt honeſte, ſive ſint conſanguinei, ſive alii aliqua juxta ſervitii meritum ipſe Clericus beneficiatus conferat, & aſſignet, vel per ſucceſſorem ſuum conferri præcipiat, prout moderate duxerit ſtatuendum, quod moderamen, cum non ſit diffinitum a jure, arbitrio Epiſcopi dicimus relinquendum.

Conſuetudo quid hac in re tulerit?

In quibuſdam tamen partibus de conſuetudine teſtatur de rebus mobilibus Eccleſiarum pro libito voluntatis.

Quid agendum, ſi non appareat quæ ſint bona Eccleſiæ, vel ejus intuitu acquiſita, & quæ contemplatione perſonæ?

Quod ſi non apparet, quæ ſint bona Eccleſiæ, vel ejus intuitu acquiſita, & quæ contemplatione perſonæ Clerici, ſive quanta fuerint, tunc in dubio præſumitur pro Eccleſia, niſi contrarium probetur, maxime ubi dubitatur, an habuit aliqua per ſe; vel autem, ubi conſtat habuiſſe, ſed quæ, vel quanta fuerint, ignoratur, tunc præſumitur pro eo, qui eſt in poſſeſſione ejus, de quo eſt quæſtio: nam ſi Eccleſia ſit in poſſeſſione poſt mortem Prælati, vel Clerici, hæredibus incumbet probatio: ſed ſi hæredes ſunt in poſſeſſione, probabit Eccleſia.

Clericus in poteſtate Patris conſtitutus teſtari poteſt.

Quartam tamen Patri ex jure naturali debitam relinquat.

Ex ſpeciali privilegio juris Clericus in poteſtate Patris conſtitutus teſtari poteſt ratione ordinis, quod alias non poſſet, niſi de adventitiis. Caveat tamen, ut Patri quartam juris naturæ debitam relinquat: alias quoad inſtitutionem teſtamentum nullum, ſicut eſt e converſo caſu.

TITULUS XIV.

De Sepulturis.

CAP. I.

De Jure Sepulturæ.

Quid ſit jus ſepulturæ?

Jus Sepulturæ eſt jus competens Eccleſiæ ad ſepeliendos aliquos in cœmeterio ſuo ex Pontificis aſſignatione proveniens.

Quibus competat?

Competit autem Eccleſiis Parochialibus, & aliis, quibus a jure, vel privilegio eſt conceſſum. Cappellis autem privatis, niſi habeant cœmeterium in loco religioſo, Hoſpitali, vel Templo, niſi Eccleſiam habeant, vel privilegium, nullo modo competit, quia cum cœmeterium debeat eſſe conſecratum, loco non conſecrato nullo modo accedere poteſt. In uno autem cœmeterio multæ Eccleſiæ poſſunt habere jus ſepeliendi Parochianos ſuos.

Ubi quiſque ſepeliendus ſit?

Quiſque ſepeliendus eſt in cœmeterio Eccleſiæ, in qua audit Divina, & recipit Eccleſiaſtica Sacramenta, niſi diſcrete, & cum ſana intentione elegerit ſepeliri in loco magis religioſo, vel in ſepulcro parentum ſuorum, vel in Eccleſia Cathedrali, in quibus tribus caſibus canonica portio erit Parochiali Eccleſiæ reſtituenda. Et ſi non reſtituatur corpus, & ea, quæ obvenerunt ejus intuitu, a loco, ubi ſepultum, recuperare debebit.

Proprius Sacerdos non debet ſuum Parochianum, qui alibi elegit ſepeliri, ſeu corpus ejus violenter capere, alias ſua jura perdit.

CAP. II.

De Portione Canonica.

Quanta ſit canonica portio, quæ Parochiali Eccleſiæ competit, cum quis ſepulturam alibi eligit?

PОrtio vero prædicta ſecundum conſuetudinem diverſarum Eccleſiarum aliquando eſt media, aliquando eſt tertia, aliquando eſt quarta, ſed ſemper quartam deberi dicimus, ubi de conſuetudine non apparet, & ita utimur hic.

Ex quibus eadem portio deducenda non ſit?

Nec eſt dicta portio deducenda de relictis per defunctum illi Eccleſiæ, in qua ſepeliri elegit, pro fabrica, pro luminaribus, pro ornamentis, ſeu pro aliis ad perpetuum cultum relictis, ſeu pro anniverſario, vel novenario in illa Eccleſia faciendo, vel de equis, & armis, & aliis relictis in ſubſidium Terræ Sanctæ, nec de relictis intuitu perſonarum, puta pauperibus, conſanguineis, vel amicis pro ſalute animæ, de quibus dicta portio non deducitur, ſi abſque fraude Epiſcopi, vel Parochialis Eccleſiæ, ideſt proprio motu, & propria devotione defuncti ſine inſtigatione alterius relinquantur.

De omnibus vero aliis, quæ intuitu defuncti obvenerunt Eccleſiæ, in qua ſepeliri elegit, Parochiali Eccleſiæ canonica portio eſt reddenda de jure, quæ ſi negligens fuerit in petendo, tunc petat Epiſcopus nomine Eccleſiæ, quia pro Eccleſiis ſibi ſubjectis Epiſcopus agere poteſt, quia eſt defenſor legitimus.

Epiſcopi legitimi defenſores Eccleſiarum.

Quod ſi Rex, Dux, Comes, vel alia magna perſona moritur, & ſepelitur alicubi, Epiſcopus data pro ſepultura omnia recipiet, & partem dabit Eccleſiæ, ubi ſepelitur, reſiduum dividet inter Eccleſias, ubi per circulum anni percipiebat Eccleſiaſtica Sacramenta. Tales enim Magnates vix morantur in uno loco, & ideo Parochiani unius Eccleſiæ magis dici non debent, quam alterius.

Quid agendum, cum Rex, Dux, Comes, vel alia eximia perſona moritur, & ſepelitur alicubi?

CAP. III.

Loca exempta, Fratres Minores, & Prædicatores ad ſolutionem canonicæ portionis tenentur.

De exemptis, & non exemptis ab iſta Canonica portione.

AB iſta autem canonica portione danda Eccleſiis Parochialibus, vel Epiſcopis non ſunt exempta Monaſteria, nec alia loca exempta de jure communi, niſi in privilegiis eorum contineatur.

Sed nec Fratres Minores, ſeu Prædicatores ſunt exempti jure noviſſimo, quo cavetur expreſſe, quod de obventionibus omnibus, tam funeralibus, quam de quibuſcumque, & quomodocumque relictis, diſtincte, vel indiſtincte ad quoſcumque certos, vel determinatos uſus, de quibus etiam quarta, ſeu canonica portio dari, ſive exigi non conſuevit, vel non debet de jure, nec datis, vel qualitercumque donatis in morte, ſeu mortis articulo, in infirmitate donantis, vel dantis, de qua deceſſit, quomodocumque directe, vel indirecte fratribus ipſis, vel aliis pro eiſdem, quartam partem Parochialibus Sacerdotibus, & Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Curatis largiri integre tenentur, nulla fraude ſuper hoc per ipſos fratres adhibenda, alias ad reſtitutionem tenentur in foro animæ, & ad rationem reddendam Deo.

Quid poſſit ordinarius hac in re, exemptionis privilegio nō obſtante?

Quin immo dicimus, quod non obſtante exemptionis privilegio poſſunt per Ordinarium coerceri ad reddendam quartam, aut id, quod tenuiſſent fraudulose, vel doloſe, cum Ordinarii hujuſmodi juris publici, & notorii ſint executores. Si enim prætextu privilegii non excuſantur a datione quartæ, per conſequens, nec ab acceſſoriis, licet quidam dixerint aliter. Sed hoc putamus verius, cum aliter non poſſet bona ratio haberi ab eiſdem.

CAP. IV.

Quæ computari non debent in quarta?

ET in iſta quarta non computabuntur relicta Eccleſiæ Parochiali, vel alias ſibi obvenientia ratione funeris, puta ſi conſuetudo eſſet, quod primo funus portaretur ad Eccleſiam Parochialem, & ibi * *audiret* Miſſam, ut ſit in Civitate Rathenenſi originis noſtræ, nam quæ ibi offeruntur, non computantur, nec Eccleſia Parochialis de iis, quæ ibi portantur, tunc aliquid petet, cum ſua quarta ſit taxata, & limitata a jure, * & illa uterque continentur.

Forſan * *audirent*.

* *ſenſus obſcurus*

Et ſi defunctus ſepultus apud fratres eis nihil reliquiſſet, ſed alteri Eccleſiæ bona ſua dimiſiſſet, de illis Parochialis nihil habebit; nec de bonis relictis fratribus, ſi alibi elegit ſepeliri, quam apud fratres.

Et quia iſta quarta in bonis Eccleſiarum cenſetur Parochialium, ideo poterunt Curati, quibus debetur, inhibere hæredibus, vel executoribus, vel per fidei commiſſum gravatis, ne illam ſolvant fratribus, præcipue cum illos merito poſſint habere ſuſpectos; ſed Curatis ſolvant dicti hæredes, vel diſtributores, ſeu gravati; immo etiam Epiſcopus poſſet agere pro iſta quarta, quatenus ſua intereſt, non petente Curato.

Quid Curati poſſint pro ejuſmodi quarta?

CAP. V.

Relicta Regularibus, eorumque locis Hæredes non perſolvant, niſi præſente Parochiali Rectore.

PEr conſtitutiones quoque antiquas univerſis, & ſingulis hæredibus, & teſtamentorum executoribus defunctorum infra Civitatem, Diœceſim, & Provinciam Beneventanam conſtituitur, mandatur, & præcipitur, ut omnia tam funeralia, quam alia quæcumque, & quomodocumque relicta dictis fratribus, ſive

Nulla omnino neque funeralia, neque alia quæcumque fratribus relicta, vel Religioſis perſolvantur abſque præſentia Parochi.

ſive locis, prout exprimitur, abſque præſentia Parochialis Rectoris, ſeu Presbyteri ejus nullatenus dent, & perſolvant. Sed data * *autem* omnia per ipſorum hæredum, vel executorum manus Parochiali Rectori, vel Sacerdoti ejus de omnibus ſupradictis canonica portione, partes alias reſtantes dent, & perſolvant Religioſis, & Fratribus antedictis.

Alias* *ante*.

Transgreſſores excommunicationem ipſo facto incurrunt.

Omnes autem, & ſinguli contrarium facientes poſt duos menſes auctoritate conſtitutionis prædictæ excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt. Et nihilominus ipſi hæredes, vel executores dictam quartam reſtituere, & ſolvere dicto Rectori Parochiali, qua fuit fraudatus, tenentur.

Epiſcopus in iſto caſu quid agere debeat?

Epiſcopus vero in hoc caſu ratione quartæ nihil habebit ab iſtis Fratribus, ſed habebit pro quarta quartæ actionem contra Curatum, cui illa quarta debetur dumtaxat, licet alius Epiſcopus recipiat quartam a Fratribus, ubi defunctus eſset viator, vel exterus non habens domicilium in Civitate, vel loco, vel peregrinus, & ſepeliretur apud Fratres, prout habet communis obſervantia, & conſuetudo jure fundata.

CAP. VI.

Nullus Religioſus, vel Clericus ſæcularis cum aliquo blanditiis, & donis pactum faciat, ut in ſuo Cœmeterio, vel Eccleſia ſepulturam eligat.

NUllus autem Religioſus, vel Clericus ſæcularis pactum faciat cum aliquo in ſanitate conſtituto, nec aliqua infirmitate conſtitutum blanditiis, ſive munuſculis, ſive donis, vel deceptionibus inducat, ut in ſuo cœmeterio, vel Eccleſia eligat ſepulturam; quod ſi fecerit, pactum non tenet, nec electio ſepulturæ, quinimmo, & corpus, & quidquid occaſione ſepulturæ perceptum fuerit, totaliter Parochiali Eccleſiæ reſtituatur. Alioquin ex nunc Eccleſia, & cœmeterium, ubi facta erit ſepultura, eo ipſo maneant interdicta, quouſque dicta reſtitutio fuerit plene facta.

Ejuſmodi pactum ſi fecerit, irritum non tenet, neque tenet electio.

Pœna transgreſſoribus irrogata.

CAP. VII.

Quibus in caſibus non debeatur quarta de bonis illius, qui Religionem intrat?

SI vero aliquis in ſanitate, vel infirmitate, de qua non moritur, intrat Religionem, ſe, & ſua reddendo, non debet Parochialis Eccleſia de bonis illius habere canonicam portionem. Si autem in infirmitate, de qua moritur, Religionem intrat, de bonis ſibi oblatis Parochialis Eccleſia, de qua ſumptus eſt, debet habere canonicam portionem.

Si vero quis aſſumatur in Confratrem alicujus loci Religioſi, bonis ſuis retentis, necnon oblatis, ubicumque ſepeliatur, Parochialis Eccleſia debet habere canonicam portionem, quia talis nec exemptus eſt ab Epiſcopali juriſdictione.

Quid dicendum de eo, qui aſſumitur in confratrē alicujus loci Religioſi?

Si quis intrat Religionem cauſſa probationis, ſi infra tempus probationis decedit in Religione, quamvis non Monachus, quia non profeſſus, tamen Religionis remanſit moriens, & ideo Eccleſia Parochialis non habebit Canonicam portionem.

Quid de novitio, qui moritur infra tempus probationis?

De leproſis autem intrantibus domos leproſorum Eccleſia Parochialis non poteſt petere Canonicam portionem, quia per judicium, ac ſi tranſiſſent ſani in Religionem, multi enim moriuntur cum lepra, niſi forte ex violentia lepræ morerentur. In his tamen dicimus potius conſuetudinem tenendam regionis.

Quid de leproſis intrantibus leproſorum domos?

CAP. VIII.

Cui nam Parocho, ſeu Parochiali Eccleſia competat quartæ jus?

NE autem lites ex litibus oriantur, ſciendum eſt, quod ſi Parochianus alicujus Eccleſiæ transfert domicilium ſuum in aliam Parochiam, & ibi moratur, ſtatim Parochianus fit illius Eccleſiæ, ad quam transfert domicilium, & illi Eccleſiæ ſubjectus erit quoad jus Parochiale, videlicet in Divinis Officiis audiendis, oblationibus, pœnitentiis recipiendis ibidem, ſepulturis, mortuariis, & recipiendis Eccleſiaſticis Sacramentis. Et in his omnibus ſubtrahitur incontinenti, & eximitur per translationem domicilii a jure illius Eccleſiæ Parochialis, in qua ante translatum domicilium morabatur.

Quod ſi quis audit Divina in una Eccleſia, vel Cappella, & habet ſepulturam in alia de jure, quia percipit Eccleſiaſtica Sacramenta, vel eſt baptiſmalis, ſi elegit ſibi ſepulturam in alio Monaſterio, vel alia Eccleſia, illa Eccleſia, in qua debebat ſepeliri de jure, habebit Canonicam portionem, quia nulla injuria fit Eccleſiæ, in qua audit divina propter ſepulturam alibi electam. Si tamen illa Eccleſia, in qua audiebat, ſolebat aliquid percipere de judicio, ſive teſtimonio ſui Parochiani, cum ſepeliebatur in illa Eccleſia, ubi de jure, vel conſuetudine habebat ſepulturam; tunc pro rata ejus, quod ſolet accipere, nunc accipiet de Canonica portione illa Eccleſia, in qua divina audivit, licet quidam dicant, & forte æquius, quod in utroque caſuum prædictorum dividere debeant illam canonicam portionem, ſicut dicimus, quando in duobus locis æqualiter quis moriatur.

Quid agendum in caſu, quo quis audit Divina in una Eccleſia, & habet ſepulturam in alia?

Quid in caſu, quo duobus in locis æqualiter quis moriatur?

Si vero Parochianus alicujus Eccleſiæ, ſive in ſanitate, ſive in infirmitate ad aliam

Quid in caſu, quo Parochianus ad aliam vicinã Parochiam iverit abſque animo domicilium mutandi, & ibi moriatur ſine electione ſepulturæ?

aliam vicinam Parochiam iverit, ſive tranſierit, non animo domicilium mutandi, ſed forte cauſſa recreationis, vel ut utilia exerceat, & ibi aliqua cauſſa ſine electione ſepulturæ moritur, ad ſuam Parochialem Eccleſiam deportetur, vel ſepeliatur in illa Eccleſia, in qua mortuus eſt, ſi parentes ejus, vel conſanguinei, & ſua Parochialis Eccleſia hoc duxerint concedendum. Sed illa Eccleſia, in cujus Parochia mortuus fuerit, non poteſt petere Canonicam ab Eccleſia Parochiali illius defuncti de illis, * *qui* occaſione ſepulturæ, vel legati pervenerunt ad eamdem.

Alias * *quæ*.

Et eſt notandum in hac materia, quod ubi eſſet conſuetudo, vel allegaretur, quod nihil daretur pro canonica portione, non eſt tenenda, tanquam contra rationem, & naturalem æquitatem, nec juvaret præſcriptio, niſi titulus probaretur.

Conſuetudo nihil dandi pro Canonica portione non eſt tenenda.

CAP. IX.

Ubi quiſque ſepeliendus eſt, & de Sepulturæ electione.

PEregrinus vero, vel Viator de remotis partibus veniens, ubicumque deceſſerit, niſi alibi ſepulcrum elegerit, ibi poteſt licite ſepeliri. Si tamen poſſet ſine fœtore ad propriam portari, humanum eſſet, niſi eſſet contraria conſuetudo. Et ſecundum quoſdam eſſet ſepeliendus in Eccleſia Cathedrali, ſi in Civitatibus moreretur, non electa ſepultura, ut a pleriſque ſervatur.

Ubi ſepeliendus eſt peregrinus, decedens, vel viator de remotis partibus veniens?

Bona autem Peregrinorum, vel Viatorum, nulla per eos facta ordinatione, Epiſcopo ſunt aſſignanda, qui ea in pauperes, aut pios uſus diſtribuere debet. Et idem dicimus de pauperibus, qui extra Hoſpitalia morantur.

Idem dicendum de pauperibus extra Hoſpitalia morantibus.

Quia vero dudum multorum clamoroſa habuit inſinuatio, quod nonnulli pauperes, & egeni decedentes in Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana propter eorum inopiam pluribus diebus carebant Eccleſiaſtica ſepultura; Ideo per Concilium Provinciale ſalubriter, & humaniter ordinatum eſt, quatenus ſub excommunicationis pœna, & unius unciæ omnes, & ſinguli Rectores Eccleſiarum locorum prædictorum Parochialem Eccleſiam funeralem habentes, quam primum ad eorum notitiam pervenerit de morte prædictorum decedentium, ſublato moræ prædio, ſtatim ad eorum expenſas, ut convenit, ſepeliri faciant corpora defunctorum in cœmeteriis Eccleſiarum ipſarum. Canonici autem, ac ceteri Clerici locorum prædictorum quam citius ad eorum notitiam pervenerit, niſi alias ad eos ſpectet ſepelire, de more notificare debeant ad eandem pœnam Rectoribus ſupradictis.

A quibus danda eſt ſepultura pauperibus, & egenis decedentibus in Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventana, & quidem ſub excommunicationis pœna, & inſuper unius unciæ?

CAP. X.

A quibus, & de quibus fieri debeant funeris expenſæ?

ET pro dubiis, quæ poſſent oriri, dicimus, quod regulariter funeris expenſas hæredes facere tenentur, & ab ipſis peti poſſunt, & ipſi ante eas deducere poſſunt.

Et ſi mulier dotem habet, de ipſa ſepelienda; alias maritus tenetur eam de ſuo facere ſepeliri, ne in injuriam ſui mulier inſepulta remaneat.

Sepultura autem propter debita defuncti impediri non debet, dummodo reconciliatus Eccleſiæ exiſtat, vel ſigna pœnitentiæ in eo apparuerint. Nec creditor appellans audiri debet, ſeu ejus admitti appellatio.

Nam & religioſius, & humanitatis cauſſa ſtatutum eſt, ut ante novem dies ab obitu numerandos, nulla fiat prorſus moleſtia adverſus * *quemlibet* ex perſona defuncti: Et ne quis exequias prohibeat, aut ad domum defuncti accedat, vel rebus ejus ſigna imponat; qui enim hoc facerent ab actione cadunt, & in tantumdem hæredibus injuriati condemnantur, & tertia pars bonorum eorumdem publicantur, & infames ſunt jure civili. Et idem ſi contra funus peccatur. Sepultura tamen bene poteſt in certis caſibus, quos in diverſis partibus hujus operis poſuimus, impediri.

Ante novem dies ab obitu numerãdos nulla prorſus moleſtia cuilibet irroganda ex perſona defuncti.

Potius * *quantumlibet*.

Pœna impedientibus funus irrogata.

Poteſt tamen in certis caſibus impediri funus.

Spoliare mortuos prohibitum eſt: nam latronibus hoc facientes numerantur.

Spoliare mortuos quã immane ſcelus ſit?

CAP. XI.

Ubi ſepeliendi ſint Clerici, & quis poteſt ſepulturam eligere?

CLerici in Eccleſiis, ubi ſunt Clerici ſepeliendi ſunt, niſi aliud elegerint: quod ſi in diverſis Eccleſiis eſſent, Clericos tunc dicimus in majori ſepeliendos, & digniori, niſi aliud elegiſſent.

Mulier autem conſtante matrimonio, & etiam mortuo viro ſuo eligere poteſt ſepulturam, ſicut vir, ubi vult. Si vero ſine electione ſepulturæ deceſſerit, in cœmeterio Eccleſiæ Parochialis ſepeliatur cum viro. Unaquæque enim mulier virum ſequatur ſive in vita, ſive in morte. Quæ ſi plures maritos habuit, ſequatur ultimi mariti ſepulturam, niſi eſſet conſuetudo contraria, quæ obſervanda.

Mulier ubi ſepelienda ſit, ſi decedat mortuo viro ſine electione ſepulturę? Quid ſi plures viros habuerit?

Pater autem filio impubi, cujus voluntas diſcerni non poteſt, eligere poterit ſepulturam, ſicut, & pro eo teſtari. Si vero * elegerit, ſepelietur impubes in cœmeterio Eccleſiæ Parochialis, vel in ſepulcro parentum. Et quod poſſit pater, hoc eſt, ſi conſuetudo terræ id habeat: hoc tamen non poteſt, ubi conſuetudo non habetur, Filius tamen familias poteſt libere ſepulturam

Forſan * *non*

turam

Filius familias abſque Patris aſſenſu ſepulturam libere eligere poteſt.

turam eligere abſque patris aſſenſu. Sed pro anima ſua, præter ejus aſſenſum, non poteſt aliquid legare, niſi habeat peculium caſtrenſe.

Religioſi ſunt apud ſua Monaſteria tumulandi.

Religioſi, niſi a propriis Monaſteriis adeo forſan ſint remoti, quod ad Monaſterium, cum moriuntur, commode deportari non poſſunt, nequeunt, cum velle, vel nolle non habeant, ſibi eligere ſepulturam, ſed ſunt apud ſua monaſteria tumulandi.

CAP. XII.

Nullus aliquem ad electionem ſepulturæ voto, vel juramento obliget.

Si ſecus fiat, electio erit nulla, & ſic eligens non poterit ulterius aliam alicubi eligere ſepulturam.

NOtandum quoque, quod non debet aliquis alium obligare voto, juramento, fide, promiſſione, inductione, ut apud Eccleſiam inducentis eligat ſepulturam, vel electam non immutet; quod ſi ſecus fiat, nulla eſt electio, & ulterius alicubi aliam non poterit eligere ſepulturam. Sed contradictione quacumque ceſſante ſepeliendus eſt apud Parochialem Eccleſiam, ad quam, ſi aliam non elegiſſet, fuiſſet ſepeliendus de jure.

Pœna inducentibus irrogata.

Inducenteſque, ſi illum ſepelierint, corpus, & ea, quæ ſibi ab hoc obvenerunt, infra decem dies reſtituere tenentur. Alioquin, & cœmeterium, & Eccleſia, ubi erit ſepultus ex tunc, & tamdiu ſtabunt interdicta, quouſque reſtitutio facta erit, prout ſupra de Religioſis diximus.

Idipſum Rectores populo explanent.

Et quia dubitamus, quod propter ſimplicitatem laicorum hoc jus ignorantium, multi decipiantur per Religioſos maxime inducti, præcipimus hoc ſæpius per Rectores populo in vulgari explanari, & dici.

CAP. XIII.

Quibus denegari debeat Eccleſiaſtica ſepultura?

SUnt autem quidam, quibus debet denegari Eccleſiaſtica ſepultura, ſcilicet Judæis, Hæreticis, Sarracenis, Excommunicatis majori excommunicatione, & minori, notorie tamen, interdictis, etiamſi injuſte, & illis, qui in torneamentis moriuntur pugnantes, vel ſi ibi vulnus lethale acceperint. Nam quamvis poſtea ſupervixerint aliquamdiu, licet pœnitentia, & Euchariſtia eis negari non debeat, tamen negabitur ſepultura Eccleſiaſtica, & illis, qui ſe interfecerunt, ſuſpenderunt, præcipitaverunt deſperatione, aut indignatione, aut iracundia: non tamen ex furore, vel a caſu. Et idem ſi fugiens, quia credebat poſſe evadere, vel ſimili cauſſa, ſe præcipitaret in aquam, non imputatur, etiamſi contrarium eveniat, dummodo pro bono, & licito hoc faciat; & uſurariis, & concubinariis, & prædonibus manifeſtis, & violatoribus Eccleſiarum, & generaliter omnibus, quos manifeſtum eſſe conſtiterit in peccato deceſſiſſe mortali notorio.

Hæc tamen quo pacto intelligenda ſint?

Quid agendum cum excommunicato, in quo apparverint ſigna pœnitentiæ manifeſta, & morte præventus non poterit abſolutionem habere?

A quo, & quo pacto is abſolvi poſt mortem poſſit?

Hæc autem intelligenda ſunt, & ſervanda, niſi eſſent reconciliati Eccleſiæ, vel niſi in morte apparuerint ſigna pœnitentiæ manifeſta, videlicet, quod petierint Presbyterum, vel pœnitentiam, vel alia ſigna pœnitentiæ oſtenderint, dum jam amiſerũt loquelam. Et ſi talis habens talia ſigna erat excommunicatus, vel interdictus, & præventus morte non potuerit abſolutionem habere, poteſt, & debet ab illa ſententia poſt mortem abſolvi, ab illo tamen Prælato, vel Judice, per quem dum viveret, fuerat abſolvendus; tamen ante abſolutionem non debet in cœmeterio, vel Eccleſia ſepeliri, ſed juxta cœmeterium, vel Eccleſiam poni poterit ſub terra, vel in aliquo ligneo monumento. Et poſtmodum, cum debebit abſolvi, debet exhumari, & abſolvi in forma Eccleſiæ conſueta, ſicut ſi viveret, & in Eccleſia, vel cœmeterio ſepeliri.

Et ad probanda ſigna pœnitentiæ ſufficiet unus teſtis, ſi plures nequeunt inveniri.

CAP. XIV.

Tradendi ſunt Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quos non conſtat in peccato mortali deceſſiſſe.

ILli vero, qui mortui reperiuntur, quos non conſtat in peccato deceſſiſſe mortali, nec conſtat etiam ſigna pœnitentiæ habuiſſe, tradendi ſunt Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Et hoc maxime, ſi noti ſunt, quia non eſt veriſimile, quod fuerint ſuæ ſalutis * *memores*; communicabamus vivis, communicemus, & mortuis, ut in meliorem, & humaniorem partem interpretemur, niſi eſſet aliqua probabilitas de oppoſito. Et idem dicendum, ſi dubitaretur de cadavere, an eſſet Chriſtiani, vel Pagani, vel excommunicati, licet quidam aliter teneant, & tales ſepeliant in via, vel prope, ubi mortui reperti ſunt, quod non laudamus.

Alias * *immemores*.

Quid agendum, ſi corpus alicujus excommunicati ſepeliri contigerit in Eccleſia, vel cœmeterio, idque plane conſtiterit?

Si vero corpus alicujus excommunicati in cœmeterio, vel Eccleſia aliquo caſu contigerit ſepeliri, cum de hoc plane conſtiterit, ſtatim extumulentur oſſa excommunicati, ſi diſcerni poterunt ab oſſibus fidelium, & quouſque Cœmeterium, vel Eccleſia reconciliatur, vel reconciliata fuerit aſperſione aquæ per Epiſcopum benedictæ ſolemniter, & parietes raſi, non ſepeliantur in eis corpora defunctorum. Et ideo multum ſibi caveant Sacerdotes, ne corpora excommunicatorum in cœmeteriis ſepelire præſumant. Et ſi quis præciperet corpus ſuum non ſepeliri, non eſt ſervandum.

In locis, ubi ſunt cœmeteria extra Eccleſiam, intra Eccleſiam ſepeliri nequeunt, niſi accedat ſpecialis Diœceſani licentia.

Prohibemus quoque in locis, ubi ſunt cœmeteria extra Eccleſiam, laicos intra Eccleſiam ſepeliri ſine licentia Diœceſani ſpe-

ſpeciali, niſi antiquam ibi habuerint ſepulturam.

CAP. XV.

Uſurarii manifeſti non ſunt admittendi ad Eccleſiaſticam ſepulturam, niſi prius ſatisfecerint de uſuris: & ſub pœna excommunicationis infra decem dies manifeſtandi ſunt Epiſcopis.

Sciendum eſt etiam, quod uſurarii manifeſti non ſunt admittendi ad Eccleſiaſticam ſepulturam, nec ad confeſſionem, nec poſſunt facere teſtimonium, nec eorum oblationes ſunt admittendæ, niſi prius ſatisfecerint de uſuris illis, quibus tenentur, vel eis idonee de hoc caverint pro ſuarum viribus facultatum, vel eis, quibus tenentur, abſentibus, loci Ordinario, vel Rectori Parochialis Eccleſiæ pro eiſdem.

Pœna iis irrogata, qui tales uſurarios aliter ad Eccleſiaſticam ſepulturam admiſerint.

Qui autem tales uſurarios aliter ad Eccleſiaſticam ſepulturam admiſerit, vel oblationes ab eis acceperit, quouſque ad arbitrium Epiſcopi illas reſtituerit, maneat Jure hoc ſtatuente, ab officii ſui executione ſuſpenſus.

Excommunicationem incurrunt, qui publicos uſurarios, & manifeſtos intra decem dies Diœceſano, vel ejus Vicario non revelant.

In deteſtationem etiam tantæ labis criminis, per Provinciale Concilium præceptum eſt, ut omnis utriuſque ſexus uſurarios publicos, & manifeſtos ubicumque degentes in Civitate, Diœceſi, vel Provincia, cuilibet Ordinario, ſeu Vicariis eorum, poſtquam ſciverit, infra decem dies debeat revelare, & denunciare. Contrarium vero facientes auctoritate dicti Concilii excommunicationis ſententiam incurrunt.

Excommunicationi etiam ſubjacent ſepelientes ſcienter hæreticos, credentes, fautores, receptatores, & defenſores eorumdem. Forſan* *neque*. Sic excommunicati, quid agere debeant, ut abſolutionis beneficium mereantur?

Sepelientes ſcienter hæreticos, credentes, fautores, receptatores, defenſores eorum quouſque non dederint ſatiſfactionē idoneam, excommunicationi de jure ſubjacent, * *niſi* beneficium abſolutionis habere merentur, niſi prius propriis manibus publice extumulent, & projiciant hujuſmodi corpora damnatorum. Et locus ille perpetuo caret ſepultura.

Præcipimus, quod quilibet Sacerdos veſtes Sacerdotales proprias habeat, cum quibus ſepeliatur. Nolumus enim, quod veſtimenta, quæ ſunt Eccleſiæ, propter hoc devaſtentur. Et ſi contingat aliquem ſepeliri cum illis, de bonis ſic ſepulti ſatiſfacere ipſi Eccleſiæ hæredes ejuſdem * *teneant*, & per Ordinarios compellantur.

Alias * *teneantur*.

CAP. XVI.

Corpora ſuſpenſorum tradi poſſunt Eccleſiaſticæ ſepulturæ, non vero Raptorum, & Violatorum Eccleſiæ, quod Epiſcopi, & Parochi advertere debent.

Forſan * *ſi in morte*.

Item corpora ſuſpenſorum, ſeu alia capitali pœna damnatorum * *ſi morte* pœnitentes confeſſi fuerint, & Dominus temporalis, qui eos damnavit, permiſerit, deferri poterunt ad Eccleſiam, & Miſſa pro eis celebrari, & oblationes offerri, & tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ, nam & talibus vere pœnitentibus Euchariſtia non negatur.

An, & quando Eccleſiaſtica ſepultura donari debeat, vel non debeat Raptoribus & violatoribus Eccleſiæ?

De raptore manifeſto, ſeu violatore Eccleſiæ publico, qui uſque ad mortem in ſua pertinacia perſeverat, licet tali pœnitentiam agenti Viaticum, hoc eſt Corpus Chriſti, non negatur, tamen nullus Clericus ejus ſepulturæ intereſſe debet, nec ejus eleemoſynam recipere. Quod ſi in morte ſatiſfacere non poteſt, vel non vult cautionem præſtare, vel non poteſt, tunc ad terrorem, vel confuſionem hæredum, ut per hoc ad ſatiſfactionem inducantur, vel propinqui, ad quos bona perveniunt, qui etiam, ut ſatiſfaciant ſunt cenſura Eccleſiaſtica compellendi, ſepultura denegatur, maxime cum monitus fuit de ſatiſfaciendo.

Si vero non eſſet monitus, vel fuit, ſed modico tempore fuit contumax, vel in morte ſatiſfacere promittit, vel cautionem præſtat, tunc non negatur ſepultura, ſed hæredes ad ſatiſfactionem ſunt compellendi. Et hoc idem ſervatur in excommunicato pro hujuſmodi criminibus, vel aliis defuncto, ut ejus hæredes compellantur Eccleſiaſtica cenſura ad ſolvendum. Et hoc de facto ſervavimus.

Advertant igitur Epiſcopi, & alii Parochiales, qui habent ſepulturas, ut circa mortuos ſepeliendos, & potiſſime excommunicatos a Jure, vel Conſtitutionibus, præmiſſa advertant, & obſervare procurent, alias pœnas juris de facili incurrere poſſunt, & graviter puniendi: nam & irregularitatem de facili incurrere poſſunt.

CAP. XVII.

An mulier prægnans mortua ſepeliri cum partu debeat, ſtatuitur.

De muliere prægnante mortua, an cum partu ſepeliri debeat, ſic dicimus, quod ſi pro certo conſtat partum mortuum, tunc ſepeliatur; ſi autem certum eſt partum vivere, tunc mulier ſcindi debet, & ſi vivat partus, baptizetur, aliter extra cœmeterium partus ſepeliatur, & mulier intra, & idem, quando eſt dubium: conſilium autem eſt, ut ſtatim mulieri ponatur * in ore, ne partus poſſit aliter ſuffocari, ſi vivat.

Forſan* *aliquid*.

CAP.

CAP. XVIII.

Quibus caſibus in exequiis mortuorum ſimoniæ labes contrahatur?

UT autem non omittamus propter conſcientiam, quæ quotidiana ſunt circa ſepulturas, cum ſcriptum ſit, quod pro exequiis mortuorunm, & benedictione nubentium, & ſimilibus nihil exigatur, piæ tamen conſuetudines obſerventur, Dicimus, quod ſi taxatum ſit pro quanta pecunia ponatur quis in cœmeterio, ſimonia eſt. Item ſi crux ſpecialis portetur ad funus dato pretio. Item ſi fiat pactum de legendo pſalterio per noctem ad defunctum. Secus ſi Clericus accipiat pecuniam, ut vigilet defunctum per noctem, licet ad vigilias ſequatur oratio, vel legatur pſalterium.

Et ubi eſſet conſuetum, quod Clerici deberent habere lectum, pannos, vel ſimile de moriente, ſi ante deportationem corporis pactum fiat de hoc redimendo, licitum eſt, quia hæc temporalia ſunt; ſed ſi nollent ſepelire corpus, niſi fieret eis certitudo de hoc reddendo, quia ſpecies mali eſt, non licet, & eſſet ſimonia, ſed, ut ſuperius in *titulo de Sacramentis* diximus, in iſtis caſibus, & ſimilibus primo ſepeliatur corpus, & omnia ſpiritualia conferantur, & poſtea agatur contra hæredes, vel detentores.

CAP. XIX.

Quando in proceſſionibus, quas faciunt Cathedrales Eccleſiæ, vel Conventuales, ſimoniæ vitium includitur?

Quid dicendum de proceſſionibus, quas faciunt Cathedrales Eccleſiæ, vel conventuales, ſi non ſit factum ſtatutum ſuper hoc?

IN proceſſionibus autem, quas faciunt Cathedrales Eccleſiæ, vel conventuales, aut aliæ in exequiis defunctorum, data, vel promiſſa pecunia, alias non facturæ, ſi non ſit factum ſtatutum ſuper hoc, & teneantur alias ad hujuſmodi proceſſionem, ſimonia eſt.

Quid, ſi ſtatutum ſit factum?

Si vero ſit ſtatutum, tunc per hæc, vel æquipollentia verba, quod quicumque reliquerit capitulo, vel conventui X. habeat proceſſionem, ſi ratione laboris intenderit habere, nec alias tenebantur ad proceſſionem, non eſt ſimonia; quod ſi per hæc verba, vel æquipollentia, quod nulli fiat proceſſio, niſi relinquat Capitulo, vel Conventui X., non valet ſtatutum, & eſt ſimonia, quia removet officium pietatis, videlicet, quod non fiat gratis aliqua proceſſio, vel pro minori ſumma; alias autem ubi nullum ſtatutum eſſet in his, & ſimilibus, ubi daretur, vel acciperetur temporale pro ſpirituali, diſtinguimus, prout poſuimus in dicto titulo de Sacramentis, ad quæ advertant maxime qui habent intereſſe extremæ unctioni, vel dant reditus, aut relinquunt, vel recipiunt pro faciendis anniverſariis, vel annuali, vel tricenario, vel pro Miſſis celebrandis, vel qui dant pauperibus, ut orent pro eis, & hujuſmodi ſimilibus.

Quid advertí debeat, ne contrahatur ſimonia?

TITULUS XV.

De Decimis, & Primitiis.

CAP. I.

Quid ſint Decimæ, & quando, & a quibus ſolvendæ?

Quid ſit decima?

DEcima eſt omnium bonorum juſte quæſitorum talis pars, ſcilicet decima. Cum Dominus expreſſe dari præcipiat decimas, & primitias, atque ſolvi; & nolentes ſolvere ſint excommunicationis vinculo innodandi, diſtricte præcipimus, ut decimæ, & primitiæ ſolvantur integraliter parochialibus Eccleſiis, in quarum Parochiis prædicta, ex quibus fructus proveniunt, fuerint conſtituta: de jure autem ſolvi debent ſtatim cum fructus percipiuntur, & antequam inde ſegregeutur cenſus, vel tributa, ſeu taſſæ, ideſt quintum, vel quartum debitum Domino temporali. Si tamen primo facta fuerit talis ſeparatio, ſicut agricola tenetur decimare, & primitiare quod ibi remanet, ita Dominus, quod de acervo non decimato accepit.

Decimæ, & primitiæ ſolvi omnino debent integraliter.

Et quidem ſtatim, cum fructus percipiuntur.

Per Concilium quoque Provinciale antiquum Domini Arnaldi, & poſt per nos renovatum, omnes, & ſinguli Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ Eccleſiarum Parochialium, decimas tam prædiales, quam perſonales divino jure debitas ſuis Eccleſiis non ſolvẽtes, ſaltem per totum menſem Octobris, excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto: & item ſi de non ſolutis non ſatisfecerint competenter. Et hoc debet ſingulis diebus dominicis, cum Divina celebrantur officia, per Curatos publicari.

Non ſolventes decimas tam prædiales, quam perſonales ſaltem per totum menſem Octobris, excommunicationem ipſo facto incurrunt ex Concilio Provinciali.

Id Curati ſingulis diebus Dominicis publicari curent.

Per eaſdem quoque Conſtitutiones ordinatum fuit, ut omnes Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, cujuſcumque ſtatus, & conditionis exiſtentes, de gabellis, proventibus, pedagiis, reditibus, & fructibus terrarum, poſſeſſionum, & bonorum omnium ipſorum, & aliter, undecumque provenerint, quolibet anno per totum menſem Septembris Epiſcopis, & Prælatis Eccleſiarum Rectoribus, & Eccleſiis, & illis, quibus decimæ debentur, integre dent, & aſſignent. Alias auctoritate dictæ Conſtitutionis excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant.

Ejuſdem excommunicationis extenſio.

CAP.

CAP. II.

Cum venditur res non decimata, a quo poſſit decima exigi?

SI vero qui decimam dare tenetur, vendat acervum grani, vel bladi non decimatum, vel aliam rem non decimatam, de qua decima debet dari, poteſt Eccleſia, vel Rector decimam petere a venditore, ſi voluerit, quia pretium ſuccedit, vel etiam ab emptore, quia res tranſit cum onere ſuo ad quemlibet poſſeſſorem: uno tamen ſolvente, alter liberatus eſt. Verum ſi emptor fuit bonæ fidei, & ſoluit decimam, tenetur ei venditor; ſi fuit malæ fidei, non tenetur, niſi expreſſe cautum fuiſſet; uterque tamen agat pœnitentiam de dolo, & quaſi de furto. In foro tamen pœnitentiali venditor tenetur emptori reſtituere id, quod ſolvit Eccleſiæ, dummodo in contractu affuerit fraus, & dolus, nec deceptus fuerit ultra dimidiam juſti pretii, licet quidam de hoc non curent, dicentes tutius eſſe reſtitutionem.

Decima poteſt exigi, vel a vendente, vel emente.

CAP. III.

Quid agendum, ſi res non decimatæ furto ablatæ fuerint, & Eccleſia in exactione fuerit in mora?

SI vero acervum furtivo modo, vel armata manu ante ſolutionem portatum fuerit, tunc ſi ruſticus erat in mora tempore violentiæ, tenetur ad totam decimam Eccleſiæ: dabit tamen Eccleſia ruſtico ſuas actiones contra violentum, vel furem.

Si vero Eccleſia erat in mora, non tenetus ruſticus, niſi de reſiduo, ſi fuerit: Sed ſi propter moram Eccleſiæ, ſine cujus licentia ruſticus non audebat tangere fructus, quos alias repoſuiſſet in locum ſecurum, tunc quidquid portatur cedit in periculum Eccleſiæ ad minus uſque ad complementum decimæ, ideſt ſi plus, vel tantum aſportatum eſt, quantum valet decima; immo ſi de conſuetudine, vel conſtitutione hoc eſſet, ut in partibus noſtris, quod non liceret ruſtico tollere de fundo, & reponere fructus, niſi de licentia Eccleſiæ, ſi Eccleſia fuit in mora dandi licentiam, vel noluerit dare, Eccleſia tenebitur ruſtico ad reſtitutionem totius damni. Si tamen ruſticus non fuit in mora, & non potuit prohibere, vel defendere, quin auferretur violenter, tunc non teneretur, ſed Eccleſia, ſi velit, agat contra raptorem. Semper tamen dicimus, quod ultima mora nocet ei, qui commiſit eam.

Quid ſi in ejuſmodi caſu Eccleſia fuerit in mora?

Ultima mora nocet ei, qui commiſit eam.

CAP. IV.

Perſolvendæ fideliter decimæ agnorum, hædorum, pullorum, &c. nec ante ſolutionem illarum expenſæ deducendæ ſunt.

DEcima autem agnorum, hædorum, caſeorum, lanæ, porcellorum, & pullorum non melior, nec deterior, ſed mediocris Eccleſiis, quibus conſuetum eſt, fideliter perſolvatur, vel ſicut tranſcunt ſub virga paſtoris, quod decimum fuerit, ſanctificabitur Domino.

Antequam ſolvantur decimæ, non ſunt deducendæ expenſæ, ſed neque ſemen, contra pravam conſuetudinem harum partium, ubi ſolvunt, ſicut placet, & male.

Quo pacto perſolvendæ ſint decimæ in agnis, hædis, &c.

CAP. V.

Decimæ ad quem de jure communi pertinent?

SCiendum eſt, quod decimæ, primitiæ, oblationes, mortuaria, jus ſepeliendi, & jus, ut Parochiani in Eccleſia Parochiali juſto impedimento ceſſante diebus Dominicis, & feſtivis conveniant ad Divina, & jus miniſtrandi eis Sacramenta, & Sacramentalia, & curam habere Animarum ipſorum, pro quibus tenentur orare Sacerdotes, & in die judicii Deo reddere rationem, & alia jura parochialia ad Rectorem, ſeu Sacerdotem parochialem de jure communi pertinere noſcuntur, niſi privilegio, conſuetudine, præſcriptione, ſeu jure alio ſpeciali contrarium inducatur, & hoc per quoſcumq; excolentur terræ, Laicos, vel Clericos, qui de patrimonialibus bonis decimas dare tenetur, alias per Conſtitutiones antiquas ſpeciales excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto: Religioſos exemptos, vel non exemptos, niſi eſſent pro dote alicui Eccleſiæ aſſignatæ, vel de Menſa Epiſcopali, vel pactum, vel compoſitio etiam cum Laicis.

CAP. VI.

Religioſi, ſive exempti, ſive non, quo pacto ad decimas teneantur?

CIrca Religioſos dicimus, quod ſi ex privilegio percipiant decimas etiam novalium, parochiali Eccleſiæ debentur, tali præſcriptione non obſtante, maximè cum conſtat infra limites ejus eſſe; Et debetur Canonica Epiſcopo, alias, ſi non conſtet de limitibus, poteſt Epiſcopus gratificare cui vult, vel ſibi retinere. Jure etiam novo cavetur, quod Religioſi pro eo, quod fortè in aliquibus Parochiis omnes majores decimas, ſeu partem acquirunt de manibus Laicorum, non poſ-

Religioſi ſive exempti, ſive nō exempti quo pacto teneantur etiam ad decimas?

poſſunt pro eadem, vel ſimili portione, ſi de novo poſtmodum fiant novalia, impetere, vel recipere novalium decimas earumdem; niſi alia rationabili cauſa, per quam hoc facere poſſunt, ſubſit.

Laicis non eſt conceſſum tenere decimas in præjudicium Eccleſiarum Parochialium.

Niſi habeant privilegiũ à Papa conceſſum.

Ejuſmodi privilegium multiplici ex capite poteſt facile perdi.

Quod diximus de conſuetudine, ſeu præſcriptione, intelligimus cum perſona Eccleſiaſtica nomine ſuæ Eccleſiæ: Nam Laicis non eſt conceſſum tenere decimas in præjudicium Eccleſiarum parochialium, quibus debentur, niſi haberent ex privilegio a Papa conceſſo. Et hoc privilegium faciliter perdere poſſunt, impugnando ſcilicet Eccleſiam, quam defendere tenebantur, vel non juvando pro poſſe contra Paganos ad præliandum cultum Chriſtianum, propter quæ privilegium conceſſum, vel ſuſtinendo, quod Eccleſia percipiat decimas per XXX. annos, ſic ſcienter contra privilegium veniendo, vel ſi propter illud privilegium gravatur nimium Eccleſia, vel ſi expreſsè renuntiaverint privilegio, vel ſi aliquid enorme contra Eccleſiam commiſerint, occidendo forte, vel mutilando auſu temerario per ſe, vel alios Rectorem, vel Clericum illius Eccleſiæ, vel ſi cum auctoritate Epiſcopi jus ſuum alteri Eccleſiæ dederint.

CAP. VII.

Quibus dandæ decimæ perſonales, quibus prædiales, & quænam ſint decimæ perſonales, & prædiales?

Decimæ igitur prædiales dandæ ſunt Eccleſiis, infra cujus Parochiam ſitum eſt prædium. Perſonales dandæ ſunt Eccleſiæ Parochiali, ſive Baptiſmali de jure communi, ideſt illi, in qua quis divina audit, & recipit Sacramenta, niſi aliud induxerit conſuetudo, vel in caſibus ſupra proximè expreſſatis.

Quæ ſint decimæ prædiales, quæ perſonales, quæ miſtæ?

Prædiales ſunt, quæ ex ipſis prædiis proveniunt, & perſonales, quæ ex negotiatione, artificio, ſcientia, vel militia, ſeu venatione. Quæ vero ex animalibus, & fœtibus, lana, lacte, & ſimilibus proveniunt, miſtæ dicuntur. Et licet de iſtis non deberet fieri ſermo, quia non ſolvuntur in his partibus, & male, ſicut & aliarum rerum peſſime, propter quod, ut venamur, veniunt omnes diſſenſiones, & turbationes, ac partialitates juxta ea, quæ leguntur in decreto *revertimini*: tamen ſi eſſet aliqua terra, ubi darentur, aut Altiſſimus inſpiraret ſuum Populum, aut novum produceret Populum, ſeu ſpiritum, quia diverſæ ſunt opiniones, ut fiat concordia, credimus ſic tenendum; quia, aut loquimur de pretio, quod de feris venator accipit, & tunc tanquam de perſonali ſolvat decimam, & hoc de feris excluſis; ſi loquimur de incluſis, puta * *agricolis*, daymis, cervis, capreolis, & ſimilibus in clauſura alicujus foreſtæ detentis, quæ poſt venduntur, tunc de prædiali ſolvat decimam.

Alias * *agreſtibus*.

Si autem loquimur de domeſticis animalibus, tunc, aut loquimur de pretio paſcuorum, tunc tanquam de prædiali ſolvat decimam, & ſic illi Eccleſiæ, cui ſolventur, ſi ex illa herba fœnum fieret; aut loquimur de fœtu, agnis, lana, lacte, tunc etiam prædialis cenſetur, & ſic Eccleſiæ Parochiali. Si vero loquamur de mercede, quam lucratur paſtor cuſtodiendo animalia, tunc tanquam de perſonali, & ſic Eccleſiæ, ubi divina audit, & ſicut miles de militia.

Aliud diſcrimen, cum ſermo eſt de domeſticis animalibus.

Si loquimur de animalibus, quæ in diverſis Parochiis paſcuntur, & dormiunt, tunc ſervari dicimus conſuetudinem; alias fiat diviſio inter Eccleſias, qualitate, & quantitate temporis inſpectis.

Cum animalia diverſis in Parochiis paſcuntur, & dormiunt, tunc ſervetur conſuetudo, alias fiat diviſio accommoda.

Reges autem, & Principes, & magni Domini, qui habent diverſa domicilia, perſonales decimas ſolvant Epiſcopis, alias illi Epiſcopo, in cujus Diœceſi principale domicilium habent.

Magni Domini, qui diverſa habent domicilia, quibus ſolvere decimas perſonales debeant?

CAP. VIII.

De Oblationibus, & Primitiis.

Tres caſus, in quibus oblationes exigi poſſunt a Parochiano, etiam invito.

Oblationes autem in tribus caſibus à Parochiano, etiam invito, exigi poſſunt, implorando Epiſcopi officium, qui cogere poteſt eos ad tenendum, & obſervandum pias conſuetudines. Primo cum aliquid donatur, legatur, ut offeratur Eccleſiæ. Secundo quando Sacerdos parochialis non habet unde vivat. Tertio cum de laudabili conſuetudine Eccleſiarum eſt aliquid neceſſario offerendum, maxime in præcipuis feſtis, ſcilicet Natalis Domini, Epiphaniæ, Reſurrectionis Domini, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, Aſſumptionis B. Mariæ, Omnium Sanctorum, cujuſcumque Sancti Patroni cujuſque Parochialis Eccleſiæ, & Dedicationis ejuſdem. Et idem dicimus ſi præcedat conventio, ut cum fundus Eccleſiæ concederetur alicui, ut certis temporibus, vel diebus certam oblationem faceret, quòd magis cenſus reputatur.

In quibuſdam tamen Eccleſiis non cenſentur eſſe præcipua omnia iſta feſta.

De oblationibus voluntariis.

Aliæ verò oblationes ſunt voluntariæ; ſed tamen in noſtra Civitate, quod diſplicenter referimus, utroque tempore ſunt * *voluntariæ*, & indevotæ, & potius offertur romanſatoribus, & hiſtrionibus, ſeu buffonibus, quam Sacerdotibus, aut Religioſis domibus, non reducentes ad memoriam verbum Dei Exod. 23. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*. Et quod dicit decretum: *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre*.

Aliàs * *involuntariæ*.

CAP. IX.

A quibuſdam perſonis oblationes ante reconciliationem recipiendæ non ſunt.

A certis tamen perſonis ante reconciliationem oblationes recipiendæ non ſunt.

Enumerantur ejuſmodi perſonæ.

Scilicet ab eo, qui eſt notorie in odio.
Item ab eo, qui opprimit pauperes.
Item a raptore obſtinato.
Item ab uſurario manifeſto.
Item a publicè excommunicato.
Item a publica meretrice.
Item ab eo, & ſua familia, qui fugientem ad Eccleſiam, ab ea violenter extraxit.
Item à ſacrilego, qui invaſit Eccleſiam, & deprædavit.
Item ab hæretico, hæreſiſve fautore. Sed forte noſtri temporis Presbyteri, & Religioſi non ſic diſcernunt, dicentes: *Date nobis, & orabimus pro vobis; nam beati qui apportant*; quod quoad conſcientiam juvare eos non credimus, ſicut in iis, quæ recipiunt indebite, & detinent de ſepulturis peregrinorum, & aliorum male mortuorum.

CAP. X.

Quid ſint Primitiæ?

PRimitiæ ſunt prima pars, ſeu prima obventio fructuum Domino offerenda, & debentur ex præcepto Divino Exod. 23. *Primitias frugum terræ tuæ deferas in domum Dei tui*. Hæ autem ſolvuntur ſecundùm conſuetudinem Terrarum, & indigentiam Miniſtrorum Eccleſiæ; dandæ autem, & dividendæ ſunt, ſicut de decimis dictum eſt.

Dandæ, ac dividendæ ſunt perinde, ut de decimis dictum eſt.

CAP. XI.

An ſi Clerici mali ſint, aut divites, ſolvi eis decimæ debeant?

ET ut tollamus opiniones quorumdam Laicorum, quas audivimus, dicimus, quod quantumcumque Clerici mali ſint, & viles, licite decimæ ſolvi debent, & ipſi recipere, etiam quantumcumque divites ſint; ſed ſi in malos uſus expendunt, utpote in concubinis, eis eſt ad aggravationem peccati, quia licitis illicite abutuntur, & ſic veniunt puniendi.

Clericis utcunque malis decimæ ſolvi debent, & utcunque divites Clerici ſint.

Quidam autem dixerunt, quod ſi Clericus non facit ſervitium Eccleſiæ, ut debet, vel eſt notorius fornicator, Laicus non tenetur ei dare decimam, ſed proximo Superiori, & ille in utilitatem Eccleſiæ convertere debet; ſecus, ſi occultus.

Quorumdam hac in re opinio.

Et attendant hic concubinarii Clerici, nam ſic expendentes bona Eccleſiaſtica rapinam, & ſacrilegium committunt. Focariæ etiam eorum quidquid recipiunt, reſtituere tenentur, niſi, cum eſſent in extrema neceſſitate, datum eſſet. Et talis reſtitutio facienda eſt Eccleſiis, vel pauperibus illius loci de bonis patrimonialibus, vel aliundè, ſi habeant.

Clerici male expendentes bona Eccleſiaſtica, rapinam, & ſacrilegium committunt.

Qui recipiunt ejuſmodi bona à Clericis ſic expenſa reſtituere tenentur.

Sed advertendum in foro pœnitentiali, quod mulier, ſi recipiat pro opere carnali ab alio, quàm Clerico, vel de rebus propriis Clerici, etiamſi eſt Monialis, non tenetur reſtituere, ſed acquiritur Monaſterio, & Monaſterium ſibi non retineat, ſed in pios uſus eroget; ſi autem receperit a Regulari adminiſtrationem habente, tunc Monaſterio, vel Prioratui eſt facienda reſtitutio, etiamſi ſimplex clauſura exiſtat. Et idem ſi vir regularis recipit aliquid a muliere regulari. Vir autem ſæcularis, quod recipit à muliere conjugata pro opere carnali, marito reſtituere debet, ſi fuerit de rebus dotalibus, vel communibus. Si autem de parafrenalibus, ut ſi mulier ſoluta dat de rebus propriis amaſio ſuo, licet honeſtum eſſet, quod in uſus pios expenderentur, non tamen tenetur, niſi velit. Credimus tamen, quòd melius faciet, ſi reſtituat ei, qui dedit, ſi pœniteat, vel egeat. Et hæc quotidiana valdè notanda, & mente tenenda dicimus.

Quibus in caſibus facienda ſit ejuſmodi reſtitutio, vel non facienda, & cui fieri debeat?

CAP. XII.

De præmiis ſolventium decimas, & de pœnis non ſolventium, & quem locum habeant hac in re præſcriptio, vel conſuetudo?

QUicumque bene, & fideliter, ac devote decimas, primitias, & oblationes Deo dederit, & ſolverit, ut tenetur, remunerationem multiplicem accipiet, ſcilicet abundantiam fructuum, item ſanitatem corporis, item indulgentiam peccatorum, item cæleſte Regnum. Qui vero non dederit, contraria præmiſſorum reportabit. Unde Dominus per Malachiam cap. 3. *Quia mihi non reddidiſtis decimas, & primitias, iccirco in fame, & penuria maledicti eſtis*. Et Auguſtinus. *Hæc eſt Domini juſtiſſima conſuetudo, ut ſi tu decimam illi non dederis, tu ad decimam reverteris*, ideſt amittes novem partes; *dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti*. Et alibi. *Majores noſtri ideo copiis omnibus abundabant, quia decimas Deo dabant, & Cæſari cenſum reddebant. Modo autem, quia diſceſſit devotio fidei, acceſſit indictio fiſci*, ideſt extorſio facta per fiſcum; *nolumus cum Deo partiri decimas; hoc tollit fiſcus, quod non capit Chriſtus*, cur * vigilate in dandis decimis.

Præmia ſolventium fideliter, & devote decimas.

Pœna non ſolventium.

Alias * quare.

CAP.

CAP. XIII.

Quid agendum in caſu, quo quis longo tempore retinuerit decimas, & ad ſatisfactionem venire velit?

ET notandum circa hanc materiam, quòd ſi aliquis longo tempore retinuerit decimas, ſed nunc vult venire ad ſatisfactionem, aſſerendo ſe ignoranter, ac ſimpliciter peccaſſe, vel etiam ſcienter, & ideo poſtulat ab Eccleſia ſibi remitti intuitu Dei, & eleemoſynæ, quod accepit, vel retinuit in tempore præterito, cum aliter ipſum cum ſua familia oportet mendicare; licèt Eccleſia poſſit juſtè petere, quod retinuit: tamen ſi videat ipſum contritum, & preces ſuas niti veritate, quia ſcilicet oporteret mendicare eum, ſi totum reſtitueret, tunc poteſt ei totum remittere, tanquam pauperi Epiſcopus, unde vivat, cum hoc idem datura eſſet Eccleſia ei poſtea. Sed imponendum, ut ſi ad pinguiorem fortunam venerit, reſtituat. Et credimus, quòd licet dives eſſet, poſſit Epiſcopus, ad quem hoc pertinet, gratis ei dimittere partem, vel totum ejus, quod malè acceptum eſt, dummodo in poſterum velit ceſſare a tali retentione, vel receptione, & Eccleſiam reſtituere juri ſuo.

Taleſ, ſi divites ſint, vel ſolvant, vel ſaltem auctoritate Epiſcopi, vel Eccleſiarum, ad quas ſolutio attinet, ſibi addicant.

Conſulimus ergo talibus, ut vel ſolvant, vel ſaltem auctoritate Epiſcopi, vel Eccleſiarum, quibus eſſent perſolvendæ maxime perſonales, quæ quandoque de conſuetudine non ſolvuntur, erogent ſimul, vel faciendo eleemoſynas quotidianas in uſus pauperum, vel petantur remitti ſibi intuitu Dei, & eleemoſynæ, ut diximus, pro ſalute multorum. Laici decimas præſcribere non poſſunt, nec quo minus ſatisfaciant aliqua conſuetudine ſe tueri poſſunt.

CAP. XIV.

Quo pacto Clerici parochiales contra parochiales, & una Eccleſia in alio Epiſcopatu præſcribere decimas poſſit.

CLerici vero parochiales contra parochiales præſcribere poſſunt, nec eſt neceſſe titulum oſtendere, dummodo tanto tempore poſſederint, de quo in contrarium memoria non exiſtat, nam ſufficit, quod dicat Rector: neſcio quo titulo hoc ad prædeceſſores noſtros pervenerit, ſed & credere debeo, quod juſto titulo ex quo* *tantu* ſine contradictione poſſederunt. Dicimus etiam, quod una Eccleſia decimas preſcribere poteſt in alio Epiſcopatu, dummodo terra illa non ſit in limitibus.

Aliàs* *tamdiu*.

Quo pacto una Eccleſia præſcribere decimas poſſit in alio Epiſcopatu?

Duæ etiam Eccleſiæ in eadem terra poſſunt ex aliqua cauſſa, vel conſuetudine percipere decimas, ſicut ex eadem annuatim diverſæ decimæ percipi poſſunt; ſicut in terra laboris de arboribus, & ſegetibus, quæ in eodem campo ſunt, & quamvis terra mutetur, vel ejus conditio, non tollitur ex hoc decima, quia licet mutetur qualitas terræ, non tamen ſubſtantia.

Duæ Eccleſiæ in eadem terra percipere decimas poſſunt, vel ex conſuetudine, vel ex alia cauſſa.

CAP. XV.

Quem locum habeat conſuetudo ſolvendi minus, vel conventio decimarum?

ET eſt ſciendum pro exoneratione conſcientiæ eorum, qui minus decimas ſolvunt, quod ſi ſuper hoc ſit facta compoſitio cum eis auctoritate Epiſcopi, & Eccleſiæ, cujus intereſt, vel ſi ita conceptum eſt à tempore, cujus non extat memoria, tunc excuſantur minus ſolvendo, quàm aſcendat decima; nec poſſunt auctoritate Epiſcopi illi, qui fecerunt compoſitionem, aut ſine contradictione ſuſtinuerunt hujuſmodi conſuetudinem, vel ſucceſſores eorum aliquid plus ſolito exigere, vel de rebus illis, de quibus non conſueverunt decimæ ſolvi, de nouo aliquid exigere; nec Domini prædiorum ultra ſolitum tenentur aliquid ſolvere, niſi Eccleſia ad inopiam redigatur, vel niſi auctoritate Papæ hoc fiat, ex certa ſcientia revocantis compoſitionem, vel conſuetudinem.

Quo ad illos vero, qui ex antiqua conſuetudine nihil penitus ſolverunt, licet Eccleſia poſſit requirere, tamen laudabiliter facit, ſi non requirat, maxime ubi requiſitio ſcandalum poſſit generare. Nec illi, qui non ſolvunt, ſunt in ſtatu damnationis in locis illis, in quibus Eccleſia non petit, niſi fortè propter obſtinationem animi haberent voluntatem non ſolvendi, etiam ſi ab illis peteretur.

Quid agendum, ſi conſuetudo ſit nihil penitus ſolvendi?

Et ideo caveant ſibi regnicolæ, & etiam noſtri cives in conſcientia; nam de ſcripto jure in hoc, quod non ſolvantur decimæ, vel minus plenè ſolvantur, nulla conſuetudo valet, immo nec compoſitio, vel pactum, niſi eſſet perſonale.

De jure ſcripto nulla conſuetudo valet, neque compoſitio neque pactum, niſi eſſet perſonale, de non ſolvendis decimis, vel de iiſdē minus ſolvendis.

Et caveant Abbates, Archipresbyteri, & alii Sacerdotes parochiales, ne ſine auctoritate Epiſcopali compoſitiones faciant, quia non tenerent, tanquàm factæ in præjudicium Epiſcoporum propter quartam Nobis, & eis debitam; quod ſi fecerint, ipſi de ſuo reſarcire tenentur, & ita quoad plures ſervavimus.

CAP. XVI.

Sanctiones quędam ad materiam decimarum ſpectantes.

SUb excommunicationis pœna prohibemus, ne Priores, ſeu Rectores Eccleſiarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, ſive ſint Regulares, ſiue ſæculares occaſione decimarum, vel primitiarum

inter ſe cum Clericis, nec etiam cum Laicis occaſione qualibet prælientur.

Pœna in eos, qui ſic ſpoliare præſumunt.

Nec Clericus aliquis à poſſeſſione percipiendi decimas, ſeù primitias, vel alios quoslibet fructus poſſeſſorem, ſeu poſſidentem præſumat auctoritate propria ſpoliare.

Si quis autem contra præſentem prohibitionem poſſeſſionem alterius in hoc caſu invadere præſumpſerit, fructus, quos per invaſionem, ſeu violentiam abſtulerit, ipſo facto amittat, & reſtituat ſpoliato; in expenſas, quas ob hoc ſpecialiter feciſſe conſtiterit, condemnandus, etiam ſi jus proprietatis percipiendi hujuſmodi decimas, vel primitias, vel alios redditus temporales noſcitur ad ſpoliatores, vel ad ſuam Eccleſiam, vel hæreditatem propriam pertinere, gravius etiam, ſi culpæ qualitas poſtulaverit, puniendus; non enim juſtum eſt, neque bonum, quod quis in cauſa propria jus ſibi dicat.

Quæſtio quo pacto hac in re decidenda?

Sed ſi contra aliquem Poſſeſſor, ſeu Rector alicujus Eccleſiæ pro decimis, vel primitiis habuerit quęſtionem coram Ordinario, ſeù Curia ſua, ſeu aliis perſonis Eccleſiaſticis communitèr ab utraque parte electis, ſecundum jus amicabiliter ſuam juſtitiam proſequatur. Generaliter prohibentes, ne ſuper decimis, & primitiis, vel aliis juribus ſpiritualibus Clerici in Laicos compromittant, quamvis in ipſos Laicos de rebus temporalibus ad Eccleſias pertinentibus valeat compromitti.

Prohibetur omnis cōpromiſſio Clerici in Laicos ſuper decimis, vel aliis Iuribus ſpiritualibus.

Dudum ſiquidem multis ad decimas occupandas, & minus juſte, & incompetenter recipiendas manus, tanquam in meſſem alienam falcem imponendo, extendentibus, quod etiam hodiernis temporibus correctum non invenimus in grande animarum periculum, & Eccleſiarum maximum detrimentum. Ideo tunc per Provinciale Concilium monitione præcedente in omnes, & ſingulos tam mares, quam mulieres, & etiam Religioſos quoſcumque, cujuſcumque ordinis, ſtatus, & conditionis exiſtant, Civitatis Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ, vel domicilium, Caſtra, Terras, & loca in eis infra habentes, vel habitantes, vel moram trahentes in ipſis, decimas Clericis, & Eccleſiis dictarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ jure Divino debitas per ſe, vel alio quoquo modo accipientes, occupantes, invadentes, aut ſibi appropriantes, ſeu retinentes, aút ad eas manus ſuas temerarias extendentes directe, vel indirecte, publice, vel occulte, & ipſas ſic occupatas, & detentas Clericis, & Rectoribus Eccleſiarum, quibus debentur, infra duos menſes a die publicationis conſtitutionis ipſius non reddentes, aut reſtituentes, excommunicationis ſententia lata fuit, & † *declaratio* dictam excommunicationis ſententiam ipſo facto incurriſſe, lapſo termino ſupradicto.

Excommunicatio ipſo facto incurrenda in eos lata, qui decimas Clericis, & Eccleſiis debitas quoquo modo accipiunt, occupant, invadunt, aut ſibi appropriant.

† Forſan declaratum.

Et nihilominus in eodem Concilio declaratum, ut dicti Religioſi de poſſeſſionibus eorum, & de fructibus ex ipſis obvenientibus decimas perſolvant Rectoribus Eccleſiarum, in quarum Parochiis loca ipſorum Religioſorum, & poſſeſſiones ipſæ ſunt ſituatæ, niſi ſuper hoc privilegiati exiſtant, de cujus tenore privilegii coram Diœceſanis fidem, ſi voluerint, facere teneantur infra duos menſes; alioquin in ſingulos excommunicationis ſententia promulgata.

Extenditur hæc excommunicatio in Religioſos etiā non ſolvētes decimas rectoribus Eccleſiarum de fructibus ſibi ex propriis poſſeſſionibus obvenientibus.

Et quia, ut præmiſimus, nullam proinde emendationem probavimus, iccircò ejuſdem Concilii determinationem in omnibus, & ſingulis confirmavimus, in omneſque, & ſingulos contrafacientes excommunicationis ſententiam promulgamus.

Confirmatio euſdem conſtitutionis, & excōmunicationis.

Injungentes in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna unius Auguſtalis Diœceſano cuilibet applicandi, omnibus, & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, quatenus pro defenſione Eccleſiarum ſuarum, & præſentis Conſtitutionis ſtatim, cum ſciverint, dictos Religioſos occupatores, & præſumptores eoſdem cum cautela debita, ſeu præſentia teſtium, requirant ſolemniter terminum præfatum duorum menſium ad reſtitutionem faciendam aſſignando. Quod ſi reſtituere recuſaverint, lapſo dicto termino, abſque alterius expectatione mandati, nominatim, & in ſpecie eoſdem Religioſos vigore, & auctoritate præſentis Conſtitutionis, & Concilii in corpore juris clauſi excommunicatos publicent, & faciant ubique publicari.

Verum ſi ex aliquo Indulto Apoſtolico de perceptione decimarum adeo gravari contingeret Parochiales Eccleſias, quòd Rectores earum non poſſent de ipſarum reditibus congrue ſuſtentari, & commodè jura Epiſcopalia exhibere; provideatur per locorum Ordinarios, ſicut poſſunt de jure, & ordinetur quantum de illarum proventibus relinquatur Rectoribus earumdem, quod exinde competentem ſuſtentationem habere, & jura Epiſcopalia ſolvere valeant, aliaque onera debita ſupportare.

Quid agendum ordinariis, cum ex aliquo indulto Apoſtolico de perceptione decimarum parochiales Eccleſiæ adeo gravantur, ut Rectores earū commode ſuſtentari nequeant, aut jura Epiſcopalia exhibere

CAP. XVII.

De Privilegiis Ciſtercienſium, & Hoſpitalariorum Monachorum, Canonicorum Regularium, & Leproſorum.

Privilegiati autem ſunt Ciſtercienſes, & Hoſpitalarii, ne teneantur dare decimas de poſſeſſionibus ſuis, quas propriis manibus, vel ſumptibus excolunt, quas videlicet ante Concilium Lateranenſe acquiſiverunt. De poſt ipſum Conſilium acquiſitis, vel gratis collatis etiam

pro

Aliàs * *fundatis.*

pro Monaſteriis de novo * *mundatis*, tenentur dare decimas, etiam ſi propriis manibus, vel ſumptibus excolant.

De privilegiis, quæ hac in re competunt, vel non competunt Monachis, nigris, Canonicis regularibus, & aliis religioſis.

De Monachis vero nigris, Canonicis Regularibus, & aliis Religioſis tenendum, quod decimas ſolvere non teneantur de novalibus, quæ propriis manibus excolunt, & nutrimentis, id eſt fœtibus animalium, & hortis, & hoc cum vivunt in communi, & quando Populum non habent. Si enim haberent Populum, poſſent ipſi recipere decimas infra limites ſuæ Parochiæ tam prædiales, quam perſonales, & hæc procedunt de jure communi. Secus ſi priuilegia majora haberent, ad quæ exhibenda compelli poſſunt, ut ſupra præmiſimus.

Ad quid in hac materia teneantur leproſi, qui in cõmuni vivunt?

Leproſi autem, qui in communi vivunt, decimas dare tenentur; non tamen de hortis, vel nutrimentis animalium. Leproſus vero ſolitarius maxime dives non gaudet hoc privilegio.

CAP. XVIII.

Clerici Sæculares, & Religioſi per recurſum ad Dominos ſæculares impedientes Epiſcopos, ne jura ſua exerceant, excommunicantur.

Cum ventilatur quæſtio ſuper decimis, aut ſuper aliis juribus ſpiritualibus, ab eo, qui quæſtionem movet, non eſt apponenda hæc Clauſula: quod non poſſit ordinarius in præmiſſis Cenſurã Eccleſiæ exercere, vel juriſdictionem Eccleſiaſticam.

AD hoc, quia frequenter occurrit, quod inter aliquos Religioſos, vel Clericos ſæculares noſtrarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ quæſtio ventilatur ſuper decimis, vel primitiis, vel aliis juribus ſpiritualibus, ſeù ſuper Eccleſia, Prælatura, vel Prioratu, vel alio Eccleſiaſtico beneficio, ſeu poſſeſſione ipſorum, ſeu inter Ordinarium aliquem Prælatum, Priorem, Archipresbyterum, Rectorem, ſeu Cappellanum, quia fortè ad privationem ſuæ dignitatis, vel beneficii ex officio, vel alias intenditur ex juſtis, & ſufficientibus cauſis; ſed is, qui movet, vel is, qui patitur quæſtionem, bannum, titulum, ſeu manum, aut aliud obſtaculum ſæcularis Curiæ, & Domini, in eo, & ſuper eo, de quo eſt quæſtio, facit, & procurat apponi, ut per potentiam Domini, & Curiæ ſecularis non poſſit Ordinarius quilibet commode in præmiſſis cenſuram Eccleſiæ exercere, vel juriſdictionem Eccleſiaſticam, & ut is, qui præmiſſa procurat, poſſit facilius res, vel jura, de quibus eſt quæſtio, obtinere, vel etiam retinere, proindè duximus ſtatuendum, quod quicumque Religioſus, vel ſæcularis Clericus prædictis modis in rebus, ſeu juribus Eccleſiaſticis ſpiritualibus apponi fecerit, ſeu procuraverit quidquam de præmiſſis, cujuslibet Ordinarii, aut ſui Vicarii licentia non obtenta, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrat, & ſi fortè is, qui appoſuit talia, canonice monitus infra menſem illud non revocaverit, vel ea occaſione accepta, vel retenta, non reſtituerit, eadem excommunicationis ſententia ſit ligatus.

Idque ſub pœna excõmunicationis ipſo facto incurrendæ.

Clerici nihil omnino decimare præſumant, niſi præſentibus dominis rerum.

Diſtrictè etiam prohibemus, ne aliqui Clerici bladum, hortalia, vel quælibet alia decimare præſumant, niſi præſentibus, & ſuper hoc vocatis Dominis rerum illarum, de quibus decima debet dari, niſi ſuper hoc diu requiſiti malitioſè ad decimandum venire noluerint, nec decimam ſolvere, ut tenentur.

Non ſolventes ordinariis quartiliam decimarum, & mortualiorum, & oblationũ per totum menſem Octobris, aut ad ſummum Novebris, ſunt excommunicati ipſo facto.

Abbates, Archipresbyteri, Rectores, & Cappellani Eccleſiarum, Civitatis, & Diœceſis, ac Provinciæ Beneventanæ, qui quartiliam decimarum, & mortuariorum, & oblationum Nobis, & dictæ Beneventanæ Eccleſiæ, & aliis Epiſcopis Ordinariis eorum integraliter ſolvere debent annis ſingulis per totum menſem Octobris, vel ad tardius per totum menſem Novembris, aliquando jam moniti per Provinciale Concilium, non ſolventes, ſententiam excommunicationis incurrunt.

TITULUS XVI.

De Sententia Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti.

CAP. I.

De excommunicatione in genere.

CUm excommunicatio medicinalis ſit ab initio, non mortalis, diſciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit non contemnat, ſed ex hoc ad correptionem veniat, prout debet, alioquin mors conſequitur.

Caute provideant Sacerdotes, ut non ſolum excommunicationis ſententiam diligenter obſervent, & faciant obſervari, ſed & Parochianos ſuos excommunicatos ſæpe moneant, & inducant, ut hac medicina humiliter, & devote correpti, abſolutionis beneficium obtinere procurent, ne per privationem Sacramentorum, & Orationum a communione fidelium, a quibus excluſi ſunt, animarum ſuarum ſalvatio devietur.

Et ideo, quia nonnulli excommunicationis vinculo innodati claves Eccleſiæ contemnentes in excommunicatione ipſa perſiſtere non verebantur, & eam indurato animo ſuſtinere, quod grave viſum eſt, & perniciosum exemplo: ne ipſorum contemptus tranſiret impunitus, optime in Provinciali Concilio dudum ſtatutum, & ordinatum eſt, quod quicumque ſcienter in ſententia excommunicationis per dies quindecim (qui dies alias in antiquis Conſtitutionibus erant menſes) duxerit permanendum, niſi in mortis articulo, nullatenus abſolvatur, donec idonee, & legitime cavens de adimplendo pœnitentiam noſtro, vel Vicarii noſtri, vel cujuslibet Ordinarii, ſeu eorum mandato, & arbi-

Pœna in eos, qui per dies quindecim in excommunicatione perſiſtunt.

arbitrio imponendam, quæ erat expreſſa in antiquis Conſtitutionibus, ut ſcilicet ad loca diſtantia a Civitate per duas dietas peregrinari deberet, & alias in floreno uno Curiæ applicando puniatur.

Alias * *perſtiterit*.

Item in eos, qui in eadem perſiſtunt per unum menſem.

Si vero uno menſe in excommunicatione ſic pertinaciter * *perſiſterit* animo indurato, in florenis duobus, & ſic per conſequens duplicando puniatur ad alias pœnas, ſi opus fuerit, ut cedat ad terrorem, & exemplum procedendo.

Ut autem periculis, quæ circa excommunicationum ſententias concurrunt, quotidiè obvietur, & Sacerdotes ſuper iis ignorantiam non prætendant,

CAP. II.

Duæ excommunicationis ſpecies.

SCiendum eſt, quod duæ ſunt ſpecies excommunicationis. Una ſpecies excommunicationis eſt, quæ vocatur major excommunicatio. Alia, quæ vocatur minor excommunicatio.

Major excommunicatio quotuplex ſit?

Major excommunicatio aliquando infligitur ab homine, ſeu Judice, aliquando à jure, ſeu Canone, ut inferius apparebit.

Infligitur autem excommunicatio major ab homine, id eſt à Judice, cum Epiſcopus, vel Vicarius, aut Officialis, aut alius habens ad hoc poteſtatem ſubditum ſuum excommunicat dicendo: *illum excommunicamus in his ſcriptis pro tali cauſſa, vel per talem cauſſam*, quam exprimere debet, *vel te excommunico*.

Nec abſolvere in iis, quæ cauſæ cognitionem requirunt.

Et advertant Prælati maxime, quia extra ſuam juriſdictionem, ſeu Diœceſim non poſſunt ea, quæ juriſdictionis ſunt, exercere, nec ſedere pro tribunali, nec aliquid diſponere, quod cauſſæ cognitionem requirat, & ſic nec excommunicare, quia cauſſæ cognitionem requirit, nec abſolvere in iis, quæ cauſſæ cognitionem requirunt. Alia vero, quæ ſunt voluntariæ juriſdictionis, poſſunt in aliena Diœceſi exercere.

Epiſcopi vero expulſi a ſua Civitate, vel Diœceſi poſſunt quæcumquæ juriſdictionis utriuſque exercere in Diœceſi aliena.

Excommunicatus excommunicare non poteſt, nec intruſus, nec ſuſpenſus à juriſdictione.

Prælatus vero in locis, ubi habet temporalem dumtaxat iuriſdictionem, excommunicare non poteſt. Sic excommunicatus non poteſt excommunicare, nec intruſus, nec ſuſpenſus à juriſdictione, nec ille, qui interdictum violavit, nec Hæreticus Schiſmaticus apoſtata à Fide.

CAP. III.

Præmitti debet trina monitio, antequam feratur excommunicationis ſententia.

CUm autem ferenda eſt ſententia excommunicationis, præmitti debet triplex monitio, vel una pro tribus, alias eſt injuſta, & Judex proferens eſt ſuſpenſus per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, & debet habere convenientia temporum intervalla, niſi facti neceſſitas aliter ſuaſerit; debet fieri in ſcriptis continentibus cauſſam excommunicationis, alias Excommunicator eſt ſuſpenſus non ſolum ab ingreſſu Eccleſiæ, ſed etiam à Divinis per menſem: quæ quidem ſi exequeretur, irregularis efficitur, nec niſi per Papam poterit cum eo diſpenſari, ſed hæ pœnæ non tangunt Epiſcopos, &c.

Et debet fieri in ſcriptis continentibus excommunicationis cauſſâ.

De excommunicatione inflicta à jure, vel à Canone.

A Jure vero, vel Canone infligitur excommunicatio, cum jus ſcriptum, Papa, vel Conſtitutio Legati, vel Concilium Provinciale Archiepiſcopi, vel Synodus Epiſcopalis aliquid ſtatuit, prohibet, & in tranſgreſſores excommunicationis ſententiam profert.

CAP. IV.

Majoris excommunicationis effectus.

ET qui excommunicatione majori ligatus eſt, ſive lata ab homine, vel à jure, non debet ea durante recipere aliqua Sacramenta, nec intrare Eccleſiam ad orandum, ſive dum aguntur ibi Divina officia, tranſire tamen poteſt, vel prædicationem audire, & ea finita ſtatim exire debet; nec debet aliquis communicare cum eo in oratione, nec in ſermone, nec in cibo, nec in potu, nec in conſilio, nec in ſalutatione, nec alia communione, niſi loquendo ſibi de ſalute animæ ſuæ, vel ipſum inducendo ad bonum, nec poteſt accipere dignitatem, ſeu aliquod beneficium Eccleſiæ, nec poteſt eligere, vel eligi, vel beneficia conferre, nec poteſt etiam eſſe Judex, nec procurator, aut teſtis, aut advocatus, & breviter omnis actus legitimus eſt interdictus ſibi, nec adverſarii ſui tenentur ſibi in judicio reſpondere, tenetur tamen ipſe ſuis adverſariis reſpondere; ipſe ſi eſt in ſacris, vel beneficiatus, dicere debet horas canonicas, quamdiu vero in mora habendi abſolutionem perſiſtit, de beneficiis ſuis nihil percipiat.

Per appellationem ſequentem, non ſuſpenditur excommunicatio.

Excommunicatus vero ſi impetret aliquod reſcriptum ſuper alio, quam excommunicationis, vel appellationis articulo, non valet. Per appellationem autem ſequentem non ſuſpenditur excommunicatio, aut interdictum.

Excommunicationem majorem contrahit, cum quis participat in crimine criminoſo cum excommunicato majori excommunicatione.

Item contrahitur major excommunicatio, cum aliquis cum excommunicato majori excommunicatione pro crimine participat cum eodem in crimine, præſtando ſibi in eodem crimine, vel dando conſilium, vel juvamen.

Cur dicatur anathema, & quando.

Major autem excommunicatio aliquando dicitur anathema, id eſt ſolemnis excommunicatio, ut cum propter magnitudinem, & immanitatem criminis, vel per-

perſonarum, vel propter magnam inobedientiam Epiſcopus, & non inferior, indutus Pontificalibus, adſtantibus ſibi duodecim Sacerdotibus, candelas in manibus tenentibus, aliquem publice excommunicat, qua excommunicatione prolata debent candelæ in terram projici, & pedibus conculcari.

CAP. V.

Excommunicatus ab homine, vel a jure, a quo abſolvi debeat?

Quicumque igitur excommunicatus fuerit ab homine, id eſt a Judice majori excommunicatione, ab eodem, vel ejus mandato a Viceſgerente, & non ab alio abſolvi debebit.

Excommunicatus à jure poteſt per Diœceſanum abſolvi, niſi ſuperior, qui illud jus condidit, ſibi ſpecialiter reſervaverit.

Excommunicatus vero majori excommunicatione à jure, quod eſt in caſibus pluribus, qui infra ponentur, per Epiſcopum Diœceſanum abſolvi poterit, niſi ſuperior, qui illud jus condidit, abſolutionem ſibi ſpecialiter reſervaverit, ſicut in dictis caſibus videbitur.

In mortis articulo quivis & a quocumque excõmunicatus abſolvi poteſt à quocumque ſimplici Sacerdote.

Excommunicatus autem à quocumque ſive a jure, ſive a Judice in mortis articulo conſtitutus, a quocumque abſolvi poterit ſimplici Sacerdote.

Judices autem ſæculares compellendi ſunt ab Eccleſiaſticis Judicibus repellere excommunicatos ab agendo, patrocinando, & teſtificando in ſuis Curiis.

Minor excommunicatio a jure quando contrahitur?

Minor vero excommunicatio a jure contrahitur, ut cum aliquis cum aliquo excommunicato majori excommunicatione participat ſcienter loquendo, comedendo, bibendo, ſalutando, ſecum orando, contrahendo, vel alias communicando cum ipſo, niſi ipſum inducendo ad bonum, & niſi in caſibus infra contentis.

Qui excommunicatus minore excõmunicatione Euchariſtiam, vel alia Sacramenta recipit, graviter peccat.

Et qui talem excommunicationem contrahit, graviter peccat, & antequam confiteatur de hoc, non debet recipere Euchariſtiam, vel alia Sacramenta.

Si tamen Presbyter minori excommunicatione ratione participationis cum excommunicato ligatus celebret, vel confert Eccleſiaſtica Sacramenta, non propter hoc irregularis exiſtet, & quicumque tali excommunicatione ligatus à ſuo abſolvi poterit Sacerdote. Nec excommunicationem contrahit, qui cum excommunicato * *majori* excommunicatione participat, quia excommunicatio in perſonam tertiam non tranſit.

Forſan * *minori*.

De excommunicatione majori lata a Judice conſtat per litteras ipſius Judicis. De illa vero majori excomunicatione, quæ fertur a Jure, hic notitiam tibi trado, ponendo caſus, in quibus quis ipſo facto excommunicatur à jure.

CAP. VI.

Caſus, in quibus quis ipſo facto excommunicatur à Jure.

Et primo, cum quis in Hæreſim incidit.

Videlicet cum quis incidit in hæreſim, vel ſcienter defendit, ſive receptat Hæreticos.

Item ſi quis Romanam Eccleſiam dicit non eſſe caput, & ei ut capiti obedire recuſat.

Item cum quis manus ſuas injicit, vel violentas, vel temerarias in Clericum, vel Religioſum, vel Converſum, niſi in caſibus infraſcriptis, & abſolutio ſoli Papæ hic reſervatur, niſi in caſibus infra contentis. Et intelligimus Converſos, qui ſe, & ſua Deo tradiderunt, & totaliter tranſlati ſunt, quia ſunt Eccleſiaſticæ perſonæ, ſive Eccleſia ſit regularis, ſive ſæcularis. Nam tales gaudent Eccleſiaſtica libertate. Secus ſi eſſet Converſus remanens in ſæculo, vel domo propria, tanquam Laicus.

Quinam ſint veri converſi?

Idem dicimus de Eremitis, & recluſis non ſubjectis alicui Religioni approbatæ.

Item cum quis non defendit Clericum a violenta manuum injectione, dum poterat eum defendere prætextu ſuæ poteſtatis, vel officii, ut Prælatus, vel Judex, vel alius Superior, & idem in quocumque, qui in non defendendo, cum poſſet, dolum committeret.

Item cum quis Clericum invitum retinet, ponendo ei fortes cuſtodes, vel infra carcerem, vel domum includendo.

Item Poteſtates, Conſules, & Rectores Civitatum, & aliorum locorum, qui Eccleſias, & Viros Eccleſiaſticos angariis, talliis, ſeu collectis, & aliis exactionibus prohibitis aggravare nituntur, & moniti nolunt deſiſtere, & ſucceſſores prædictorum, niſi infra menſem exceſſum prædeceſſorum ſuorum purgaverint, dicta monitione jure novo remota; & nihilominus Clerici talia promittentes, vel ſolventes.

Item depoſita apud ædes ſacras, & Eccleſias impedientes excommunicati ſunt ipſo facto, & Univerſitates de hoc culpabiles interdictæ, à quibus ſolus Papa abſolvet.

Item illi, qui faciunt ſtatuta, vel conſuetudines contra Eccleſiæ libertatem, & qui ea ſcribunt, & ſecundum ea præſumpſerint judicare, & qui ea fecerint obſervari, & non ea de ſuis libris infra duos menſes poſt hujuſmodi publicationem ſententiæ fecerint aboleri; & etiam Conſules, & Rectores, & Conſiliarii locorum, ubi talia ſtatuta edita fuerunt, excommunicati ſunt ipſo facto.

Item incendiarii, & fractores Eccleſiarum, locorum Religioſorum, aut cæmeteriorum ipſo facto ſunt excommunicati. Incendiarii vero aliarum rerum

ſunt

Diverſitas incendiariorum.

ſunt excommunicandi, & ex quo erunt excommunicati, & per Eccleſiam publicati, ſive iſti, ſive incendiarii Eccleſiarum, & locorum prædictorum, ſunt ad Papam pro abſolutione mittendi. Ante vero denuntiationem poſſunt à ſuo Epiſcopo abſolvi. Et hoc intelligas de denuntiatione facta, ſive in ſpeciali, ſive in generali, ut dictum eſt. Excommunicatos denuntiamus omnes, qui tale incendium fecerint, vel talem effractionem.

Et idem ſecundum quoſdam, cum quis per violentiam multam enormia in Eccleſia committit, diruendo Altare, vel frangendo Crucem, vel enormiter tractando Corpus Chriſti: credunt tamen, quod tales proxime dicti poſſint per ſuum Epiſcopum abſolvi in caſibus iſtis.

Item quando quis a paucioribus, quam a duabus partibus Cardinalium in Papam electus, pro Papa ſe gerit, & humiliter noluerit abſtinere, excommunicatus eſt ipſo facto.

Item cum quis per ſe, vel per alium falſat litteras Domini Papæ cum fautoribus, & defenſoribus ſuis, erit abſolvendus a Papa, & is, qui ſcienter utitur litteris Apoſtolicis, etiam ab alio falſatis, & deferunt arma, ferrum, ligna, galeas, naves Sarracenis, vel regimen navium ſuarum exercent, vel aliud ſubſidium eis impendunt in diſpendium Terræ Sanctæ, vel Chriſtianorum.

Item Religioſi Leges, vel Phyſicam audientes.

Item Archidiaconi, Decani, Plebani, Præpoſiti, Cantores, & alii Clerici perſonatus habentes, nec non Presbyteri Leges, vel Phyſicam audientes, niſi infra duorum menſium ſpatium ab hujuſmodi ſtudio duxerint deſiſtendum.

Item cum quis excommunicatus propter crimen participat ei in crimine illo, & tunc participans ab Eccommunicatore abſolvi debebit.

Item aſſaſſini, & qui per eos faciunt interfici aliquem, vel mandant, quamvis mors non ſequatur, & defenſores, & receptores ipſorum.

Item qui ſponte, & ſcienter participat in Divinis officiis cum excommunicato à Papa, & ab ipſo tantum abſolvetur, non tamen eſſet excommunicatus ipſo facto, ſi participaret in hoc caſu cum excommunicato à jure condito per Papam.

Item qui Chriſtianos exiſtentes in navigio pro mercatura, vel aliis honeſtis cauſſis capere, aut rebus ſpoliare, aut naufragium paſſos damnare præſumunt, & moniti non ſatisfaciunt.

Item illi, qui ſtatuunt, vel exigunt nova pædagia.

Item illi, qui nituntur ordinationibus, vel alienationibus à Schiſmaticis factis, & iſte caſus cavetur in extravaganti Innocentii, quæ incipit *Gravis*.

Item Religioſi non deferentes habitum extra Monaſterium ſuum, qualem eſſent infra Monaſterium geſtaturi, vel accedentes ad ſtudium ſine licentia Prælati, cum conſilio Conventus, & Doctor talium.

Item, qui per vim, vel violentiam, vel metum compellit Judicem Eccleſiaſticum, ut abſolvat, vel revocet ſententiam excommunicationis, interdicti, vel ſuſpenſionis, excommunicatus eſt ipſo facto, & etiam ipſa abſolutio, vel revocatio nulla eſt ipſo jure.

Item Laici, qui compellunt Clericos, quod ab eis recognoſcant res Eccleſiaſticas ſe tenere, & qui olim compulerunt ad talem recognitionem faciendam, niſi moniti revocaverint, & qui occaſione talium recognitionum aliquid de bonis uſurpaverint, niſi moniti reſtituerint.

Item qui dant licentiam damnificandi in perſonis, vel rebus Judicis Eccleſiaſtici pro eo, quod tulit in aliquos ſententiam excommunicationis, interdicti, vel ſuſpenſionis, ſeu damnificandi eos, qui tales obſervant ſententias, niſi dictam licentiam re integra revocaverint, vel ſi occaſione dictæ licentiæ bona accepta fuerint, & infra octo dies minime reſtituta, & qui dicta utentur licentia, excommunicati ſunt ipſo facto, & ſi in illa ſententia per duos menſes permanſerint, ex tunc ab alio abſolvi non poterunt, quam à Papa.

Item Prælati, Collegiati, & Clerici, qui uſurarios publicos non oriundos de terris ipſorum, in terris ſuis domos conducere, vel habitare permittunt, & infra tres menſes de terris ſuis non expellunt, vel ſi eis domos locant, vel alio titulo concedunt ad fœnus exercendum, ſi ſunt Epiſcopi, vel Superiores ſuſpenſionis: ſi vero ſunt Collegia, ſententiam interdicti ipſo facto incurrunt, quam ſi per menſem ſuſtinuerint, & terra ipſorum erit ipſo facto nihilominus interdicta.

Item perſona ſingularis ipſo facto excommunicata eſt, & Univerſitas interdicta, quæ concedit repreſalias, ſive marchias fieri contra perſonas Eccleſiaſticas, vel bona ipſarum, niſi conceſſionem hujuſmodi revocaverint infra menſem.

Item, qui novam Religionem invenerit, & Religioſi, quorum Religio per Dominum Gregorium X. fuit augeri prohibita in Concilio Lugdunenſi, ſi denuo domum acquirerent, vel Fratres reciperent, vel domos antiquas alienarent, excommunicati ſunt ipſo facto.

Item, qui Regaliam, ſeu Guardiam in Eccleſiis, & Monaſteriis vacantibus de novo habere conantes, bona ſua uſurpant, & qui hoc procurant, excommunicati ſunt ipſo facto.

Item

Item ille, qui gravat eos, ad quos ſpectat electio, quia ad ejus voluntatem aliquem non elegerunt,

Item, qui litigantes, ſeu litigare volentes in foro Eccleſiæ ſuper cauſſis mere eccleſiaſticis, vel quæ ad forum Eccleſiæ pertinent de antiquata, & approbata conſuetudine, & hactenus pacifice obſervata, ad deſiſtendum compellunt per ipſorum, vel propinquorum ſuorum, vel rerum ſuarum captionem, vel modis aliis quibuſcumque.

Item Judex ex fraude accedens perſonaliter ad mulierem pro teſtimonio recipiendo ab ea.

Item Domini temporales interdicentes ſuis ſubditis, ne cum Clericis contrahant, vel alias participent.

Item qui tradunt Hæreticos, vel fautores eorum eccleſiaſticæ ſepulturæ.

Item Domini temporales, ſi requiſiti ab Inquiſitoribus hæreſis, non parent eis in negotio Inquiſitionis, vel ſi de hoc crimine cognoſcunt, vel captos pro hæreſi liberant, vel alias impediunt negotium Inquiſitionis.

Item illi, qui ab Eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis pro rebus propriis, quas non negotiandi, vel matrimonii cauſa per terram, vel aquam deferri faciunt, vel deferunt, vel tranſmittunt, pedagia, ſuo, vel alieno nomine exigunt, vel extorquent, & Univerſitates interdicti ſententiam incurrunt ipſo facto. Epiſcopi vero, poſtquam de hoc ipſis conſtiterit, tales debent publicare excommunicatos, & interdictos a jure, & a ſuis Subditis facere publicari, donec exacta reſtituerint, & de tranſgreſſione ſatisfecerint competenter.

Item, & illi, qui interdicti tempore, in caſibus non conceſſis à jure, defunctos, aut qui excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, vel uſurarios ſcienter in Cœmeteriis ſepelire præſumunt; a qua nullatenus abſolvantur, niſi priùs, ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi, eis, quibus præmiſſa fuerit injuria irrogata, ſatisfecerint competenter, nullo exceptionis privilegio, vel quovis alio ſub quacumque forma verborum conceſſo, aliqualiter ſuffragante.

Item Religioſi quicumque, etiam Hoſpitalarii, & Ciſtercien. Donati, & Oblati cum effectu eorum, utriuſque ſexus, qui novalium, aut alias decimas Eccleſiis debitas, ad eos cauſa legitima non ſpectantes, ſibi appropriare, aut uſurpare præſumpſerint, exquiſitis fraudibus, ſive coloribus, ſeu qui de animalibus familiarium, aut paſtorum, aut aliorum eorum gregibus ſua animalia immiſcentium, ſeu qui de animalibus, quæ in fraudem Eccleſiarum in pluribus locis emunt, emptaque tradunt venditoribus, vel aliis excolenda, decimas ſolvi Eccleſiis non permittunt, aut prohibuerint, niſi requiſiti per eos, quorum intereſt, infra menſem, aut ſi de uſurpatis, & damnis infra duos menſes, ab officiis, & beneficiis, ac adminiſtrationibus, donec deſtiterint, & ſatisfecerint, ſunt ſuſpenſi: non habentes vero adminiſtrationes, & beneficia, eiſdem caſibus excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto, ante ſatisfactionem nullatenùs abſolvendi, privilegiis non obſtantibus quibuſcumque.

Item Monachi, aut Regulares Canonici adminiſtrationem aliquam non habentes, qui ad Curiàs Principum, abſque ſpeciali Prælatorum ſuorum licentia, ſe transferre præſumunt, ut ſuis Prælatis, aut Monaſteriis damnum aliquod inferant, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt.

Item Monachi infra ſepta Monaſteriorum, ſine licentia Abbatum ſuorum, arma tenentes.

Item & illi, qui impediunt Ordinarios, & alios, ad quos ſpectat Monaſteria Monialium, ſive Civitatis, aut Diœceſis viſitare, niſi moniti deſiſtant, privilegiis, ſtatutis, & conſuetudinibus non obſtantibus quibuſcumque.

Item vocati ad dirigendas Moniales in electionibus, niſi abſtineant ab iis, per quæ poſſet in eis diſcordia oriri, vel nutriri.

Item & mulieres legitimæ, vulgariter nuncupatæ, quæ quaſi perductæ in mentis inſaniam de Summa Trinitate, & Divina eſſentia diſputare, & prædicare, aut circa articulos fidei, & Eccleſiaſtica Sacramenta opiniones Catholicæ fidei contrarias introducere præſumunt, licet ſtatum hujuſmodi aſſumptum ſectentur, vel aſſumant de novo; & Religioſi, qui alias mulieres prædictum ſtatum dudum aſſumptum ſectantes, aut de novo aſſumentes quocumque modo admittunt, ipſas ſuper eos ſectando, vel aſſumendo, præbentes ullo modo conſilium, auxilium, vel favorem, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt, nullo obſtante privilegio contra præmiſſa, aliàs autem* *honeſtatem* converſationem facere poſſunt. Alias * honeſtam

Item ſcienter in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis conſtitutione canonica interdictis, Religioſi, & Moniales, & Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti de facto matrimonia, & cum Monialibus contrahentes. Eccleſiarum quoque Prælati, tales, de quibus conſtiterit ſic contraxiſſe, excommunicatos publice tenentur facere denunciari, donec fuerint ſeparati, & abſolutionis beneficium meruerint obtinere, & propter hoc aliis juris pœnis derogatur.

Item Inquiſitores hæreticæ pravitatis, ſi odii,

odii, gratiæ, vel amoris, lucri, & commodi obtentu ſpeciali contra juſtitiam, & conſcientiam ſuam omiſerint contra quemquam procedere, ubi fuerit procedendum ſuper hujuſmodi pravitate: & ſi obtentu eodem pravitatem ipſam, vel impedimentum ſui officii alicui imponendo, eum ſuper iis quoquo modo vexare præſumpſerint, ſi Epiſcopi, aut Superiores fuerint, ſuſpenſionis per triennium; alii vero excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrunt, a qua excommunicationis ſententia, niſi per Romanum Pontificem, nequeunt, præterquam in mortis articulo, & tunc ſatisfactione præmiſſa, abſolutionis beneficium obtinere.

Item excommunicati ſunt Inquiſitores hæreticæ pravitatis, & officiales tam ipſorum, quam Epiſcoporũ, & Capitulorũ, Sede vacante, ſi prætextu officii Inquiſitionis quibuſvis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorquent, ſeu ſcienter acceptant; aut ſi Eccleſiarum bona ob delictum Clericorum ſingularium prædicti occaſione officii fiſco applicant, nec poſſunt abſolvi, præterquam in mortis articulo, donec illis, à quibus extorſerint, plene ſatisfecerint, nullis privilegiis, pactis, aut remiſſionibus ſuper hoc valituris.

Item excommunicati ſunt Poteſtates, Capitanei, Rectores, Conſules, Judices, Conſiliarii, & quivis alii Officiarii, qui ſtatuta facere, ſcribere, vel dictare præſumpſerint, quod ſolvantur uſuræ, vel quod ſolutæ, cum repetentur, non reſtituantur plene, ac libere, ſi ſcienter ſecundum hoc præſumpſerint judicare. Eamdem etiam ſententiam incurrunt, niſi ſtatuta hujuſmodi hactenus edita, de libris communitatum ſuarum, ſi ſuper hoc habeant poteſtatem, intra tres menſes deleverint, aut ſi ſecundum ſtatuta ipſa, ſive conſuetudines effectum eorum habentes, quoquo modo præſumpſerint obſervare. Uſurarii quoque ſuarum rationum codices compelli poſſunt cenſura Eccleſiaſtica exhibere.

Item excommunicationem eo ipſo incurrunt Religioſi, qui Clericis, vel Laicis Sacramentum extremæ Unctionis, vel Euchariſtiæ miniſtrare, vel matrimonia ſolemnizare præſumunt, non habita ſuper his parochialis Presbyteri licentia ſpeciali.

Item, & Religioſi, qui excommunicatos a Canone, præterquam in caſibus a jure expreſſis, vel ex privilegiis Sedis Apoſtolicæ conceſſis eiſdem, a ſententiis per ſtatuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis, ſeu, ut verbis eorum utamur, a pœna, & a culpa abſolvere quemquam præſumpſerint, excommunicati ſunt ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi: quos locorum Ordinarii, poſtquam de hoc eis conſtiterit, debent facere excommunicatos publice nunciari, donec de eorum abſolutione ipſis fuerit facta fides, nullo Religioſis eiſdem ſuper hoc exemptionis privilegio, vel alio ſuffragante. Ipſis etiam Religioſis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione ſalutis æternæ diſtrictius inhibetur a jure, ne in ſermonibus ſuis Prælatis Eccleſiarum detrahant, nec Laicos retrahant ab Eccleſiarum ſuarum frequentia, vel acceſſu, nec indulgentias pronuncient indiſcretas, neque cum intererunt factionibus Teſtamentorum, a reſtitutionibus debitis, aut a legatis Matricibus Eccleſiis faciendis, retrahant Teſtatores, nec legata, vel debita, aut male ablata incerta ſibi, aut aliis ſingularibus ſui Ordinis Fratribus, vel Conventibus in aliorum præjudicium fieri, vel erogari procurent, quibus caſibus Teſtatores hoc ad petitionem multorum dictorum Religioſorum facientes, per Conſtitutiones antiquas ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrunt: Et quod in caſibus Sedi Apoſtolicæ, vel locorum Ordinariis reſervatis quemquam abſolvere non præſumant; Prælati quoque eorum, ſi requiſiti, ſatisfactionem plenariam læſis non exibuerint in præmiſſis, infra menſem ſuſpenſionis ſententiam eo ipſo incurrunt, privilegiis, aut ſtatutis non obſtantibus quibuſcumque.

Religioſi detrahentes Eccleſiarum Prælatis excõmunicantur.

Item ſi quis ſuadente Diabolo, in hoc ſacrilegii genus prorupit, quod ejus, vel quemvis Pontificem injurioſe, vel temere percuſſerit, aut banniverit, vel hoc fieri mandaverit, aut facta ab aliis rata habuerit, vel ſocius in his fuerit facientium, aut conſilium in his dederit, aut favorem, ſeu ſcienter defenſaverit facientem, eſt in illis caſibus de prædictis anathematis mucrone percuſſus, in quibus, juxta antiquos Canones excommunicationem ſubiret, conſuetudine quacumque non obſtante, a qua non poteſt, præterquam in mortis articulo, citra Sedem Apoſtolicam, abſolvi, a feudis, locationibus, officiis, & beneficiis ſpiritualibus, quæ ab Eccleſia, cujus fuerit Epiſcopus offenſus, tenet, hoc ipſo cadit, & ad Eccleſiã libere revertuntur: filii talium per maſculinam deſcendentes lineam uſque ad ſecundam generationem, ſine ſpe diſpenſationis, eo ipſo inhabiles ſunt ad obtinenda Eccleſiaſtica beneficia in illa Civitate: locus ipſe, ubi detinebitur Epiſcopus, & terra facientium, quamdiu duraverit detentio, eccleſiaſtico ſubjacent interdicto: Civitas etiam, ſi culpabilis fuerit in præmiſſis, Poteſtates, Conſiliarii, Bailivi, Scabini, Advocati, Rectores, Conſules, & Officiales quicumque culpabiles, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt, non

Filii percutientium Epiſcopos pœnis pluribus ſubjacent.

non aliter, quam præmiſſum eſt, abſolvendi, pœnis aliis a jure ſtatutis, & gravioribus, ſi viſum fuerit, infligendis propterea non ſublatis, & qui in mortis articulo fuerit abſolutus, poſtquam fuerit ſanitati reſtitutus, Apoſtolico conſpectui ſe præſentet, alias in eaſdem ſententias, & pœnas reincidit ipſo facto.

Item capientes perſonas Eccleſiaſticas, donec ſua reſignent beneficia, vel ne citati ad Curiam Romanam poſſint accedere, nedum ſunt excommunicati ipſo facto, immo, ſi Prælati ſunt, perceptione fructuum beneficiorum ſuorum triennio ſunt ſuſpenſi: inferiores vero ſuis beneficiis ſunt privati. Idem de illis, qui ob præmiſſa ſe curaverint detineri, a quibus ſic factæ reſignationes irritæ ſunt ipſo facto. Epiſcopi quoque præmiſſa, poſtquam conſtiterit, publicare ex debito ſunt adſtricti.

Item tranſgreſſores Conſtitutionis, quæ Mendicantibus domos ad habitandum, vel loca quæcumque denuo recipere, aut recepta nunc uſque mutare, vel ea transferre in alios, cujuſvis alienationis titulo, interdicit, excommunicati ſunt ipſo facto. Illi etiam Religioſi, qui aliqua in ſermonibus ſuis, vel alibi proferre præſumunt, ut audientes a decimarum Eccleſiis debitarum ſolutione retrahant; qui vero ſcienter poſtpoſuerint confitentibus conſcientiam facere de ſolvendis decimis, ab officio prædicationis tamdiu maneant ſuſpenſi, donec confitentibus ipſis, ſi hoc ipſis dicendi facultatem commode habuerint, conſcientiam fecerint, exinde excommunicationis ſententiam incurſuri ipſo facto, qui prædicare præſumpſerint prædicta, negligentia non purgata; ad Religioſos tamen Monaſteriorum decimas percipientium pœnæ hujuſmodi non extenduntur. Religioſi etiam in prædicationibus, quas faciunt Dominicis diebus, & feſtis potiſſime ſolemnibus, maxime ſi requiſiti fuerint, facere conſcientiam Populo tenentur, quod decimas ſolvere non omittant, alioquin maledictioni æternæ ſubjacent ſub oſtentatione Divini judicii, & per ſuos Superiores, ſi ſcienter omiſerint, graviter ſunt corrigendi.

Item Religioſi, & Clerici, qui aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita promittendum inducunt, ut ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel jam electam ulterius non immutent, ultra pœnas alias a iure ſtatutas, eo ipſo excommunicationem incurrunt, a Sede tantum Apoſtolica, præterquam in mortis articulo, abſolvendi, nullis privilegiis, aut ſtatutis cujuſcumque tenoris ſuper iis valituris.

Item excommunicati ſunt Religioſi, qui exquiſitis coloribus, & frivolis excuſationibus non ſervant, aut violant interdictum per Sedem Apoſtolicam, vel Ordinarium loci, vel generalem ceſſationem Divinorum factam, vel per Provinciale Concilium, vel eum, qui hoc poſſit, ſervatam per Cathedralem, vel Matricem Eccleſiam loci, ubi ſciverint, vel viderint obſervari, ſervata tamen moderatione Decretalis *Alma*, non obſtantibus privilegiis, conſuetudinibus, conventionibus, aut ſtatutis quibuſcumque.

Item Domini temporales, & quicunque alii, qui cogunt aliquos in loco interdicto celebrare Divina, vel qui per præcones, vel alias faciunt tunc ad illa audienda Populum evocari, vel prohibent, ne publice excommunicati, aut interdicti ſuper hoc per illos, qui Miſſas celebrant, moniti Eccleſias exeant, & ipſi nominatim moniti, qui non exeunt, excommunicati ſunt, & per Papam abſolvendi.

Item Fratres Minores in ſuis recipientes Eccleſiis ad audienda Divina Officia, tempore interdicti, Fratres, & Sorores de ordine tertio, quem Beatus Franciſcus ſtatuit, ſunt excommunicati, nec poſſunt abſolvi per alium, quam per Papam, vel per locorum Ordinarios, ſatisfactione præmiſſa, qui in hac parte auctoritate Apoſtolica fungi poſſunt.

Eiuſmodi excõmunicationes cõtrahuntur ipſo facto.

In omnibus enim prædictis caſibus major excommunicatio infligitur ipſo facto a jure per ſummos Pontifices conſtituto.

Nec deſunt aliæ ex conſtitutionibus antiquis, & novis Provincialibus Conciliorum Beneventanæ Eccleſiæ.

Per conſtitutiones quoque antiquas, & novas Provinciales Conciliorum Beneventanæ Eccleſiæ excommunicationem ipſo facto incurrunt quamplures, prout ſuperius ſecundum diverſos caſus emergentes in qualibet materia particulariter poteſt reperiri, & inferius apparebit, quos hic recolligere cauſſa brevitatis omittimus.

In eiuſmodi caſibus poteſt Epiſcopus abſolvere, niſi expreſſè abſolutio Summo Pontifici, vel eius legato reſervetur.

In omnibus autem caſibus prædictis, in quibus excommunicatio ipſo facto a jure irrogatur, Epiſcopus abſolvere poterit, niſi in illis caſibus, de quibus expreſſe dictum eſt, quod Domino Papæ, vel legato eius abſolutio reſervatur.

CAP. VII.

Ennumerantur caſus, in quibus non incurritur Canon de percutiente Clericum.

Quod dictum eſt de percutiente Clericum, & alia ex cauſa excommunicationẽ ipſo facto contrahente, fallit in quibuſdam caſibus.

QUod autem dictum eſt, quod percutiens Clericum Religioſum, vel Converſum ipſo facto excommunicationem incurrit, fallit in quibuſdam, videlicet in Clerico apoſtata comam nutriente, qui a percuſſore Clericus ignoratur.

Item in Clerico militaria arma gerente, & tertio monito per ſuum Diœceſanum, nolente ſe corrigere.

Item ſi nec in modo tonſuræ, nec in ve-

veſtium forma, nec in qualitate negotiorum de Clerico quidquam oſtendit, & etiam monitus per Diœceſanum ſe non corrigit.

Item, ſecundum quorumdam opinionem, in Clerico exercente negotia ſæcularia, & etiam ter monitus per ſuum Diœceſanum ſe non corrigit.

Item in Clericis publice ducentibus uxores, ut fraudent Dominos ſuos ſæculares juribus ſuis, nec habent ſpem redeundi ad Clericatum, nec Epiſcopus tales ſub foro retinuit, nec beneficium ſaltem diſpenſative conceſſit.

In illo, qui habitu Clericali dimiſſo tyrannidi, & crudelitati ſe immiſcet, vel ſeditionem, & guerram movet, vel publice atrociter delinquit.

Item in illo, qui contra prohibitionem Diœceſani publice factam recipit adminiſtrationem ſæcularium perſonarum, ſi talis propter fraudulentam rationem capiatur.

Item in illis, qui non ex odio, nec invidia, nec ex indignatione, ſed jocaria levitate percutiunt.

Item in magiſtro moderate percutiente cauſa correptionis, vel diſciplinæ.

Item in illo, qui temperate ſe defendit, vel illas perſonas tantum, per quas intelligitur nobis fieri injuria, ſicut uxoris, filii, & ſervi, & patris, & matris.

Si tamen percutiat, vel in actu ipſo, vel ſtatim poſt actum.

Item in illo, qui invenit Clericum cum uxore, matre, ſorore, vel filia propria turpiter agentem, quod intelligimus dum ſunt in actu, vel ſtatim poſt actum, de quo conſtaret per aperta ſigna, & propinqua negotia, alias ſi non incontinenti, vel poſtquam Clericus a loco diſceſſit, verberans incidet in canonem.

At ſi is mutilet, vel interficiat, incidit in Canonem.

Mutilans autem, vel interficiens indiſtincte incidit in canonem, quia non licet eum perimere, ſi aliud fieri poteſt.

Aut ſi maritus procuret Clericũ ab uxore ſua vocari ad turpem actum.

Et idem de illo, qui procurat Clericum vocari ab uxore ſua ad turpem actum, & taliter vocatum verberat, talis enim, & uxor incidunt in Canonem, cum nil poſſit imputari Clerico; maritus autem poteſt utrumque, ſcilicet Clericum turpiter agentem, & uxorem tenere invitam, ſine excommunicatione, ut vocet teſtes, per quos adulterium probare poſſit.

Quid dicendum de muliere percutiente Clericũ eam impetentem ad coitum?

Mulier autem percutiens cum tizone ardenti, vel aliquo alio Clericum impetentem eam pro coitu, ſi ſolum verbis eam impetat, incidit in canonem. Si autem invitam, aut vim inferat corporalem, tunc non videtur incidere, cum zelo caſtitatis, & juſta indignatione mota hoc facit. Securius tamen credimus, ſi ad cautelam per Epiſcopum ſe faciat abſolvi.

Alii caſus ſubſequentes ad ſupradictos.

Item in illo, qui hoc facit de mandato Prælati proprii; quamvis enim Clericus, non debeat verberari, etiam cauſa correctionis per laicum, quando Clericus poteſt ad hoc commode haberi, alioquin præceptor, & verberator in excommunicationem incidunt, tamen de mandato Prælatorum per laicos capi poſſunt, & incarcerari, & ad judicium trahi etiam violenter, dum tamen capientium violentia non amplius ſe extendat, quam exigat rebellio Clericorum.

Item in Presbytero, vel alio, ad quem pertinet ejicere de Eccleſia Clericum turbantem Divinum officium.

Item in eo, qui ratione officii, quod in Eccleſia habet, Clericum percutit.

Item in ſermone Eccleſiæ, qui cauſſa devotionis hoc facit.

Item in Prælato leviter corrigente.

Item in Domino famulum corrigente.

Item in propinquo, vel parente hoc idem faciente.

Item in Clerico depoſito, & tradito Curiæ ſæculari.

Item in illo, qui tranſit ad actum prorſus contrarium, puta militiam dimiſſa tonſura.

Item in bigamo notorio, ut quia contraxit cum vidua, vel corrupta, vel habuit, & cognovit duas Uxores.

CAP. VIII.

Enumerantur Caſus, in quibus percutiens Clericum poteſt ab Epiſcopo abſolvi.

In certis caſibus poteſt percutiens Clericum ab Epiſcopo etiã abſolvi.

ILlud etiam, quod eſt, quod percutiens Clericum eſt a Papa ſolum abſolvendus, fallit, quia ab Epiſcopo poterit in certis caſibus abſolvi, ſcilicet, ſi habet in itinere Sedis Apoſtolicæ inimicos capitales, vel alias cauſſas, vel excuſationes, quare ire non poteſt.

Idem eſt in Oſtiario Magnatis, qui prætextu officii Clericum, non tamen graviter, læſit.

Idem in officiali, qui arcendo turbam non ex propoſito Clericum percuſſit.

Idem in mulieribus.

Idem in ſenibus, & valetudinariis.

Idem in deſtitutis membris ſuis, ita quod ire non poſſint.

Idem in infirmis, quando non eſt ſpes de convaleſcentia.

Idem in paupere, quando non habet de quo * *vadat*, niſi quæreret oſtiatim, quod non conſuevit.

Forſan * *vivat*.

Idem in Religioſis, & communiter viventibus.

Idem in iis, qui non ſunt ſui juris, ut filii familias, vel ſervi, & pater, vel dominus grave damnum pateretur, ſi illi ad Papam accederent. Sed debet illis in recompenſationem laboris alia ſatisfactio injungi.

Idem in Monialibus.

Idem in Hoſpitalariis Sancti Joannis Hieroſolymitani.

Idem

Idem in iis, qui levem, & modicam, non enormem Clericis injuriam irrogarunt, quæ autem ſit levis, arbitrio Epiſcopi jus relinquit.

Idem in eo, qui eſt in mortis articulo conſtitutus, qui abſolvi poteſt a quolibet Sacerdote, cui injungendum, ſi fuit gravis injectio, quod, ſi evadat, vadat ad Papam, mandatum ſuum ſuper hoc recepturus.

CAP. IX.

Caſus, in quibus communicans cum excommunicato excommunicatione majori, minorem excommunicationem non contrahit.

Qui nam licite participare poſſint cum excommunicatis excommunicatione majori?

QUod etiam ſupra dictum eſt, quod qui cum excommunicato majori excommunicatione participat, non tamen in crimine, pro quo fuerat excommunicatus, nec etiam in Divinis, quando erat excommunicatus per litteras Papæ, ſed alias cum eo in verbo, cibo, & potu, vel aliter participat, minorem excommunicationem incurrit, fallit in quibuſdam perſonis, quæ poſſunt licite participare cum eo, ut uxores cum maritis excommunicatis, in quorum ſunt poteſtate.

Item Servi, & Ancillæ, vel Sarraceni, vel Sclavi olim, nunc baptizati cum ſuis Dominis excommunicatis.

Item ſervientes, ut paſtores pedicetæ, & alii mercenarii cum ſuis Dominis excommunicatis, antequam inciperent morari cum eis. Finito vero termino ſervitii, vel conductionis debent ab eis recedere, alias minorem excommunicationem incurrunt.

Item nepotes, conſanguinei, nutrices, & ſimiles, qui, ſi a Dominis excommunicatis recederent, non haberent, unde viverent.

Item qui participat ignoranter cum excommunicato.

Item peregrini, & viatores poſſunt emere ſua neceſſaria ab excommunicatis, dum tranſeunt per terram ipſorum.

Item licite poteſt dari excommunicato eleemoſyna, ne fame pereat, & peti ab eo debitum, & in judicio conveniri, & ſibi prædicari, & loqui cum eo de ſalute animæ ſuæ, licet alia verba incidenter interponantur aliquando, ut quis magis proficiat apud ipſum.

Et licet in prædictis caſibus non teneatur quis præciſe vitare excommunicatū, tamen in quantum bono modo fieri poterit, eſt vitandus.

In his ipſis caſibus excipe, ſi ſpecialiter mihi cum excommunicato communio fuerit interdicta.

Item quod dictum eſt, quod in dictis caſibus vitare non teneor excommunicatum, verum eſt, niſi mihi ſpecialiter ejus communio fuerit interdicta, quod ex cauſſa fieri poſſet, niſi in fame pereunte.

Pater, & Dominus tenentur vitare filium, aut ſervum excommunicatum.

Verumtamen ſi filii mei, vel ſervi, vel alii mihi ſubjecti ratione patriæ poteſtatis, vel dominii, vel ratione officii ſunt excommunicati, debeo vitare ipſos, alias minorem excommunicationem incurro. Et hoc ideo eſt, ut citius eorum abſolutionem procurem ego: Uxorem etiam excommunicatam vitare debeo* *ſi* forte ad carnis debitum.

Vir etiam uxorem, niſi in petitione debiti.

Alias * *niſi*.

Item mercenarium excommunicatum vitare debeo, ſi abſque magno incommodo hoc facere poſſum, alias non teneor.

CAP. X.

Quinam ſint hic per Conſtitutiones Provinciales dudum excommunicati?

PEr Conſtitutiones etiam Provinciales Concilii dudum * *Beneventum* celebrati excommunicati ſunt omnes, & ſinguli fractores, & violatores Eccleſiarum, & Monachorum, & aliorum Religioſorum, & piorum locorum, ac omnes, & ſinguli incendiarii domorum, fundorum, & aliarum rerum Eccleſiaſticarum, ac etiam aliarum perſonarum publicarum, & privatarum, falſarii litterarum Apoſtolicarum, & litterarum Archiepiſcopalium, & Epiſcopalium, proditoreſque Apoſtolicæ Sedis, & Officialium ejus, proditores etiam Archiepiſcoporum Beneventanorum, & Beneventanæ Eccleſiæ, & Suffraganeorum, ac fautores eorumdem.

Alias * *Beneventi*.

Fractores, & Violatores Eccleſiarum Monachorum, Religioſorum, & piorum locorum.

Incendiarii, & Falſarii litterarū Apoſtolicarum, & Archiepiſcopaliū, & Epiſcopalium.

Proditores earumdem, & Apoſtolicæ Sedis, & officialium ejus.

Proditoresq; Beneventanę Eccleſiæ, & Archiepiſcoporum ejus, & Suffraganeorum.

Fautores eorumdem.

Item excommunicati ſunt ipſo facto omnes, & ſinguli Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtant, per ſe, vel alium ſub quocumque contractus titulo, vel ſine contractu, quocumque modo, colore, vel via uſuras committentes, vel exercentes; & ſi per menſem in ipſa ſententia excommunicationis permanſerint, pœnam etiam pecuniariam arbitrio Diœceſani incurrunt.

Uſuras committentes, vel exercentes, ſive per ſe, ſive per alios.

Item excommunicati ſunt omnes, & ſinguli Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ locantes, ſeu donantes, vel alio quocumque titulo concedentes ſcienter uſurariis exercentibus domos, ſeu volentibus exercere fœnus, ſeu uſuras, vel permittentes eoſdem uſurarios ſub quocumque colore in eorum domibus, in quibus habitationem habent, vel aliquod jus, aliquatenus habitare.

Locantes, vel alio modo concedentes Uſurariis domos, vel habitationem propriā iiſdem permittentes.

Item excommunicati ſunt * *prohibentes*, ſeu producentes falſum teſtimonium, vel falſos teſtes, & utentes falſis teſtibus, & atteſtationibus, vel quibuſlibet Inſtrumentis falſis ſcienter in quacumque Curia Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, & nihilominus talibus ſic delinquentibus præter excommunicationis pœnam in noſtra Archiepiſcopali Curia, & aliis Curiis, ubi reperti fuerint delinquentes, pœna arbitraria infligatur.

Forſan * *exhibentes*.

Producentes falſum teſtimoniū, vel falſos teſtes.

Utentes falſis teſtibus, vel quibuſvis atteſtationibus aut inſtrumentis falſis in Curia Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ.

Item eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrunt temporale dominium obti-

Mandantes, ne Prælatis, Clericis, vel perſonæ Ec-

clesiaſticis vendantur merces, aut ab iiſdem emantur.

obtinentes, qui in terris eorum ſuis ſubditis præcipiunt, atque mandant, ne Prælatis, aut Clericis, vel perſonis Eccleſiaſticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab eis, neque ipſis granum, & blada molant, coquant panem, aut alia obſequia eis præſtent, ſeù exhibeant, interdicunt, & prohibent, cum talia ſint, & præſumantur in derogationem Eccleſiaſticæ libertatis.

Subtractores cujuſcumque ſcripturæ ex Curiis Eccleſiaſticis, ſi id furtive, & malitioſe faciant.

Item eo ipſo excommunicationis vinculo innodantur quicumque auſu ſacrilego præſumentes Inſtrumenta, ſcripturas, regeſta ſpecialitèr de actis, quæ in noſtra Curia, & Curiis ſuffraganeorum noſtrorum ventilantur, furtive, vel malitioſe ſubtrahere, vel doloſo modo aliàs rapere, cum tanquàm ſacrilegus, & Eccleſiaſticæ rei ſubtractor habeatur, & cenſeatur.

CAP. XI.

De cenſuris, earumque tenore, & rigore ſervando.

Quænam appellentur Eccleſiaſticæ cenſuræ?

Sciendum eſt autem, quod ſententia excommunicationis, & ſententia interdicti, & ſuſpenſionis, cenſura Eccleſiaſtica appellantur.

Nulla prorſus cenſuræ ſententia proferatur, ſine Diœceſani, aut eius, Vicarii licentia ſpeciali.

Omnibus autem Abbatibus, Archipreſbyteris, & Sacerdotibus Parochialibus, & eorum Vicariis diſtrictiſſime prohibemus, ne in aliquem excommunicationis, interdicti, vel ſuſpenſionis ſententiam proferre præſumant, ſine noſtrâ, Vicarii noſtri, vel cujuslibet Diœceſani, vel eorum Vicariorum, vel Superiorum noſtrorum licentia ſpeciali.

Quid agere debeat is, cui cenſura proferenda committitur?

Et ſi fortè nos, vel Vicarii noſtri, aut Diœceſanus, vel Vicarius ejus, aut noſter, & eorum Superior eis ſpecialiter duxerimus, vel duxerint committendum, quòd per cenſuram Eccleſiæ compellant aliquem, vel aliquos ad aliquid faciendum, caveant diligenter, quod ex cauſa rationabili, & trina monitione præmiſſa, vel una peremptoria pro omnibus, illam ſententiam, ſive generaliter, ſive ſpecialiter proferatur, in ſcriptis proferant, & in illo ſcripto cauſſam, quare illã proferant, expreſſe conſcribant, & eam ſcriptam in manibus teneant, & eam legant, & tranſcriptum illius ſcripturæ tradant illi, contra quem lata eſt ſententia infra menſem, ex quo fuerint requiſiti. Et ſi aliter ferant dictam ſententiam, ab ingreſſu Eccleſiæ, & Divinis officiis ſuſpenſi ſunt ipſo jure, & illis, contrà quos lata eſt, tenentur ad intereſſe; & ſi dicta ſuſpenſione durante, ſe Divinis officiis ingeſſerint, ſicut prius, irregulares exiſtent, nec cum eis niſi per Sedem Apoſtolicam, poterit diſpenſari. Sententia vero in hoc caſu formari poterit in hunc modum.

Cenſuræ proferendæ tenor.

Cum Ego P. Rector, vel Cappellanus talis Eccleſiæ Commiſſarius, ut ſupra, auctoritate commiſſionis mihi factæ per talem, &c. canonice monuerim talem, &c. ut de talibus decimis, vel de talibus rebus, &c. ſatisfaceret tali Eccleſiæ, vel tali, &c. & non curaverit obedire, ideo propter eius contumaciam in his ſcriptis ſuppono ipſum Eccleſiaſtico interdicto, & ſi per octo dies interdictum ſuſtinuerit, ipſum ex nunc, prout ex tunc, in his ſcriptis excommunico. Si vero ſententia ſit in genere ferenda dicatur ſic.

Alia cenſuræ formula.

Cum Ego P. Rector, vel Cappellanus talis Eccleſiæ canonice monuerim in tali Eccleſia omnes generaliter, ut quicumque fecerit tale furtum, vel ignem appoſuerit, ſatisfaceret infra menſem, vel talem diem jam elapſum, & nullus ſatisfecerit; ideo illum, qui talia fecerit, ſuppono Eccleſiaſtico interdicto, & ſi per octo dies interdictum ſuſtinuerit, ex nunc, prout ex tunc illum excommunico.

CAP. XII.

Quid agendum, ſi excommunicatus publice majori excommunicatione Divinis officiis interſit, & monitus, quod exeat, exire noluerit?

Ad hæc ſi excommunicatus publice majori excommunicatione intereſt, cum Divinum officium celebratur, publice moneatur, quod exeat, & ſi exire noluerit, officium * *dimittat*, niſi Sacerdos canonem incœperit, quia tunc perficere debet officium jam incœptum, ſed omnes alii, qui tunc in Eccleſia fuerint, debent exire de Eccleſia, præter ipſum Presbyterum celebrantem, & unum, vel duos Clericos, qui pro ſerviendo eidem Presbytero poſſunt, & debent in Eccleſia remanere. Completo autem canone, & ſumptis corpore, & ſanguine Jeſu Chriſti præſente excommunicato, non eſt in miſſa amplius procedendum, ſed ſi Eccleſia juriſdictionem in loco habeat temporalem, poteſt ipſum expellere violenter, etiam ſi talis excommunicatus ſit Clericus, & dummodo habeat tantam poteſtatem, quod abſque effuſione ſanguinis hoc facere poſſit. Si non habet juriſdictionem, & excommunicatus noluerit exire de dicta Eccleſia, tunc poteſt Eccleſia, vel Sacerdos requirere Dominum temporalem, quod ipſum expellat, quamvis videat ſanguinis effuſionem imminere poſſe. Et hæc ſervanda ſunt in illo, qui nominatim, & publice eſt excommunicatus.

Alias * *dimittatur*.

Si Eccleſia temporalem juriſdictionem habet, excõmunicatum violenter expellat.

Verum ſi occultum eſt illum eſſe excommunicatum majori excommunicatione, qui intrat Eccleſiam, & eſt ibi aliquis, qui ſecrete ſciat, eum eſſe excommunicatum, tunc monendus eſt ab eo ſecrete, ut exeat caute de Eccleſia, & ſi monitus exire noluerit, tunc ille, qui ſcit ſecrete eum excommunicatum, exeat caute de Eccleſia, ita quod alii, qui eum excommunicatum ignorant, non poſſint hoc cognoſcere, quia cum occulte ſciat eum excom-

Quid item agẽdum, ſi ejuſmodi excommunicatus non ſit publice excommunicatus?

communicatum, in occulto vitandus eſt ab eo, ut ſaltem verecundiæ rubore confuſus, pro latenti exceſſu ſatisfacere compellatur; ſed publice, ſeu manifeſte talis excommunicatus vitari non debet, ne propter hoc ipſius peccatum, & excommunicatio aliis reveletur.

CAP. XIII.

Quo pacto ſe gerere Sacerdos debeat, ſi ſciat aliquem eſſe excommunicatum majori excommunicatione?

EOdem modo ſi Sacerdos ſciat aliquem eſſe excommunicatum majori excommunicatione, non debet eum vitare publice, ſeu manifeſte in Eccleſia, vel extra, niſi poſſit per teſtes, vel alio modo legitime hoc probare; tunc enim poteſt, & debet eum vitare publice, videlicet quia ipſe ſolus vidit, vel cum uno teſte tantum, ſed tunc ipſe in ſecreto ſibi dicere debet, & monere eum ſecrete ita, quod à nemine cognoſcatur, ſicut ſupra proxime eſt expreſſum.

Quid, ſi id ipſum ex dicto alterius ſciat?

Item ſi dicatur alicui Sacerdoti in Eccleſia, vel extra, quod aliquis ſuus Parochianus ſit excommunicatus, quia percuſſit Clericum, vel alia de cauſſa, & plures aſſerunt, non tamen Sacerdos debet eum tanquam excommunicatum vitare in Eccleſia, vel extra, niſi coram eo, & coram teſtibus confeſſus fuerit, vel niſi publica fama fuerit ipſum eſſe excommunicatum, vel niſi Sacerdos hoc viderit, & probare poſſit, vel niſi aliquis Judex Eccleſiaſticus ſibi mandaverit, quod eum tanquam excommunicatum faciat evitari: quamvis eum aliqui vellent coram Sacerdote probare talem eſſe excommunicatum, non debet Sacerdos auctoritate ſua teſtes ſuper hoc recipere, cum ſuper hoc non habeat poteſtatem.

Excommunicatus à diverſis Judicibus, & pro cauſſis diverſis, ſi ab una dumtaxat fuerit abſolutus, remanet adhuc excommunicatus, & vitandus.

Sane quia aliquando excommunicatur aliquis a diverſis Judicibus juriſdictionem in eum habentibus, & pro cauſſis diverſis. Si ab uno de illis Judicibus fuerit abſolutus, adhuc tamen tanquam excommunicatus vitandus eſt, quouſque ab omnibus Judicibus fuerit abſolutus.

Idem dicendũ de excommunicato ab uno Judice ob diverſas cauſſas, ſi in abſolutione vna tantum cauſſa exprimatur.

Si autem ab uno Judice tantum pro cauſſis diverſis fuerit excommunicatus, & ille Judex abſolvat eum, una cauſſa tantummodo in abſolutione expreſſa, adhuc remanet excommunicatus, & vitari debet, quouſque de omnibus cauſſis, pro quibus excommunicatus fuerat, ſatisfaciat, & faciat pro omnibus ſe abſolvi.

CAP. XIV.

Quo pacto vitandi ſint in Divinis officijs, & Eccleſiaſticis Sacramentis excommunicati, & nominatim interdicti a Diœceſanis, ſive aliis quibuſcumque Judicibus.

EXcommunicatos quoque, & nominatim interdictos, ſive a Nobis, ſive a Diœceſanis, ſive aliis quibuſcumque Judicibus fuerint excommunicati, vel nominatim interdicti, per totam noſtram Diœceſim, vel aliorum Diœceſanorum, ab omnibus Regularibus, & Sæcularibus exemptis, & non exemptis diſtricte præcipimus evitari in Divinis officiis, & Eccleſiaſticis Sacramentis, quia nonnulli * *poſſunt* Apoſtolicis litteris, ſeu privilegiis ſe juvari, vel tueri, quominus excommunicatos, & nominatim interdictos teneantur, & debeant in Divinis officiis evitare.

Forſitan *putant*

Poena Regularibus inflicta, etiã exemptis, qui excõmunicatos, aut interdictos recipere præſumpſerint ad divina, vel ad Eccleſiaſticam ſepulturam, aut celebrare præſumpſerint in Eccleſia interdicta.

Quod ſi Hoſpitalarij, vel alii Regulares quicumque, etiam exempti, excommunicatos, etiam interdictos recipere præſumpſerint ad Divina, vel ad Eccleſiaſticam Sepulturam, aut celebrare in Eccleſia interdicta, ingreſſum Eccleſiæ ſibi noverint interdictum præter pœnas a jure ſtatutas, & Eccleſiæ, in quibus talia præſumpſerint, Eccleſiaſtico ſubiiciantur interdicto, quouſque prolatoribus ſententiarum hujuſmodi, quarum auctoritatem contempſerint, de contemptu, & aliis de ſuo intereſſe ſatisfecerint competenter, ſalvis privilegiis Hoſpitalariorum, quibus, ut dicitur, à Sede Apoſtolica eſt indultum, ut ſemel in anno ad Eccleſiaſtica officia admittantur in Eccleſia interdicta, ita tamen quod tunc non ſepeliantur corpora defunctorum.

Salvo tamen quoſam Hoſpitalariorum privilegio.

Religioſorum quorumdam prava ſententia, & pravus uſus in tradendo Eccleſiaſticæ ſepulturæ Excommunicatos ex futili prætextu, quod fuerint per aliquem Presbyterum in infirmitate abſoluti.

Sanè quia nonnulli Religioſi motivis ſui ſenſus potiùs innitentes quandoque, quam conſiderare volentes, quàm grave, & periculoſum ſit aliquid attentare potiſſimè majorum noſtrorum terminos tranſgrediendo in contemptum clavium, & fractionem, Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradendo eos, qui ab Ordinariis ſuis excommunicati, ſuis culpis exigentibus, per tempora multa in ſua contumacia, & rebellione perſiſtunt, cenſuram Eccleſiaſticæ poteſtatis, & claves Eccleſiæ graviter contemnendo in detrimentum animarum, & ſcandalum plurimorum ſicque, abſolutione non obtenta a dictis Ordinariis, nec etiam petita, finiunt dies ſuos, ab eiſdem Religioſis colore aſſumpto aliquoties, dum talium corpora tradunt Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quod * *antequam* ipſam ſepulturam, ipſos intelligunt fuiſſe per aliquem Presbyterum in gravi infirmitate abſolutos, qua evaſione utuntur, nec dum ſi non plenè conſtet, immo etiam ſi non ſufficienter, formam juris non attendentes in his, nec advertentes, quod certis ex cauſſis quandoque illis, quibus abſolutionis beneficium impenſum eſt

Forſan * *ante*.

Certis ex cauſſis juſtè denegatur, ſive differtur Eccleſiaſtica ſepultura, etiam iis, quibus abſolutionis beneficium impenſum eſt, & cum ſignis veræ pœnitentiæ obierunt.

eſt, & qui cum ſignis pœnitentiæ veræ abiverunt, juſtè denegatur, ſive differtur Eccleſiaſtica ſepultura.

Statutum ſuper hac re. & excommunicatio contravenientibus inflicta.

Nos igitur remedia congrua adhibentes, cum Eccleſiaſtica ſepultura defuncto non noceat, ſicut neque vilis, aut nulla, ſtatuimus, ne quis Presbyter, aut Religioſus, vel quicumque alius cujuſcumque ſtatus, aut ordinis exiſtat, excommunicatum auctoritate ordinaria, quamquàm in articulo mortis abſolutus dicatur, tradat Eccleſiaſticæ ſepulturæ, donec ab Ordinario defuncti obtenta fuerit licentia ſpecialis. Si vero in contrarium de ſic defunctis aliquid attentetur a quibuſcumque, çujuſcumque conditionis exiſtant, tam in eos, quam in cooperatores, & qui opem, conſilium, ſeu conſenſum dederint, & qui expenſas miniſtraverint, & qui præſentes ſcienter huiuſmodi fuerint, excommunicationis ſententiam promulgamus.

Indicitur ejuſmodi ſtatuti publicatio, & certioratio.

Cappellanis autem Eccleſiarum Parochialium diſtrictè præcipimus, quòd de hujuſmodi ſtatuto, & tenore ipſius plene, & publice certificent illos, qui vellent talia attentare, ne fortaſſis, & ignorantia prætendatur.

Et hoc idem per Suffraganeos noſtros in ſuis Diœceſibus ſuis Cappellanis præcipiatur.

CAP. XV.

Quid agere debeant Cappellani, ſi viderint aliquem participantem cum excommunicatis in menſa, aut domo, aut commerciis, & quid cum iis, qui per annum ſententiam excommunicationis ſuſtinuerint?

EIſdem quoque Cappellanis per Suffraganeos præcipi in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, quod ſi viderint aliquem participantem cum excommunicatis in menſa, vel domo, aut commerciis, vel conſulendo, moneant ipſos, alio non expectato mandato, ut deſiſtant, & nomina talium Diœceſanis, vel Officialibus eorum per ſuas litteras mittant; circa quæ Cappellani ſollicite, & diligenter ſe habeant, ſecuri, quod ſi in hoc remiſſi inveniantur, vel deſides, graviter punientur.

Statutum contra perſiſtentes per annum in excommunicatione.

Statuimus ut ſinguli, qui per annum, & ampliùs publicam ſuſtinuerunt excommunicationis ſententiam, moneantur diligenter, ut infra duos menſes à tempore monitionis faciant ſe abſolvi, denuntiando eis, quod, ſi omiſerint facere, nullo modo parcetur eis de emenda, & pœna ſtatuta in Provinciali conſtitutione, quin integre levetur ab eis, de qua monitione, denuntiatione, & die fiant litteræ illorum, per quos monebunt, nomina continentes, cum adhibitione teſtium, qui ſimilitèr ſcribant.

Et ſi elapſis dictis duobus menſibus prædicti excommunicati moniti equidem excommunicationis ſententiam ſuſtinuerint, prædictæ litteræ mittantur Nobis, aut Diœceſano, vel ejus Vicario, qui procedant contra ipſos hoc modo.

Monebuntur ſæculares poteſtates, & compellentur, ſi opus fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam, ut tales excommunicatos redire compellant ad Eccleſiæ unitatem, injiciendo manus in perſonas, & bona eorum.

Item monitione competenti præmiſſa, excommunicabuntur participantes cum eis.

Item citabuntur dicti excommunicati ad proximum Provinciale Concilium in feſto glorioſi Patroni noſtri Beati Bartholomæi celebrari conſuetum, vel in aliis Diœceſibus ad proximam Synodum fieri conſuetam, tanquam ſuſpecti de fide reſponſuri. Et ſi non comparuerint, procedetur contra eos tanquam ſuſpectos de fide, & excommunicabuntur, & nihilominus citabuntur ad conſequens Concilium, vel ad conſequentem Synodum pro meritis recepturi, niſi interim faciant ſe abſolvi.

Quid agendum cum iis, qui minus anno excommunicatione ſuſtinent?

De iis autem, qui minus anno excommunicationem ſuſtinent, juxta qualitatem perſonarum, & temporis, levetur emenda ſecundum tenorem conſtitutionis antiquatæ.

CAP. XVI.

Qualiter, & a quibus infirmi excommunicati, & interdicti ſint abſolvendi?

In mortis articulo abſolvantur à quolibet Sacerdote, ſervata tamen abſolutionis forma.

NUnc videndum qualiter, & a quibus infirmi excommunicati, & interdicti in mortis articulo ſint abſolvendi. Et quidem ſi infirmus, vel aliquis alius in mortis articulo conſtitutus, excommunicatus, vel interdictus fuerat occulte, vel manifeſte propter violentam manuum injectionem in Clericos factam, vel propter violationem Eccleſiarum, incendium, furtum, contumaciam, vel propter aliam quamlibet cauſſam, ſive excommunicatus, vel interdictus à Papa, Archiepiſcopo, vel Judice delegato, ſive aliquo Ordinario, vel a jure, abſolvat eum Sacerdos, ſive ſit Parochianus ejus, ſive non, vel etiam quilibet, ſi Sacerdos haberi non poteſt, ſervando diligenter abſolutionis formam, quæ inferiùs proxime ponetur. Non quod ſecundum opinionem quorumdam ab alio abſolvi poſſit, quam a Sacerdote, ſed propter fidem, quam habuit, abſolvetur poſt mortem a proprio Sacerdote.

Quid agendum, ſi conſtitutus in mortis articulo ſit occulte excommunicatus, aut interdictus, & ad ſatisfaciendum, ſeu reſtituendum teneatur?

Si tamen propter violentiam Eccleſiarum, incendium, furtum, rapinam, decimas, primitias, legata debita, tallias, vel propter damna aliqua contra juſtitiam illata, infirmus in mortis articulo conſtitutus ſit excommunicatus occulte, vel

vel interdictus, & occulte ſibi petat a Sacerdote abſolutionem, & pœnitentiam exhiberi, præcipiat ei Sacerdos occulte, antequam abſolvat eum, quod ſi habet illam rem, quæ debet reſtitui, illam incontinenti reſtituat, vel ejus pretium, ſi res illa haberi non poteſt, & reſtituatur per ipſum Sacerdotem, ſuppreſſo nomine pœnitentis; & ſi in toto non poteſt ſatisfacere, ſatisfaciat juxta poſſe, & præcipiat ſuis hæredibus, quod ſi de illa infirmitate contigerit ipſum mori, ad cognitionem Sacerdotis ſatisfacient pro eodem, & recepto juramento ab infirmo interdicto, vel excommunicato.

Quod ſi ſtabit mandatis Eccleſiæ abſolvat eum occulte Sacerdos, dicendo pſal. *Miſerere mei Deus, vel miſereatur noſtri, &c.. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter* totum cum verſu *ſalvum fac ſervum tuum*. ℟. *Deus meus ſperantem in te. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, & famulum tuum, vel ancillam tuam, quam delictorum excommunicationis catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Et poſtea dicat. *Auctoritate omnipotentis Dei, qua fungor, abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, & ſpecialiter de ſententia interdicti, qua ligatus eras pro tali facto, & præcipio tibi, quod de cetero talia, vel conſimilia non committas.* Et ſub eadem forma abſolvatur interdictus, vel excommunicatus, quando erit abſolvendus.

Quid, ſi mortis periculum immineat Infirmo, & occaſione reſtitutionis faciendæ non poteſt differri abſolutio?

Si autem propter gravem infirmitatem mortis periculum immineat excommunicato, & occaſione reſtitutionis faciendæ non poteſt differri abſolutio ſine magno periculo; ſi excommunicatus reſtituendi habeat voluntatem, recipiat Sacerdos ab ipſo excommunicato juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, & abſolvat eum, occulte ſibi præcipiendo ſub pœna præſtiti juramenti, quod quam cito commode poterit, ſatisfaciat juxta poſſe, & quod præcipiat ſuis hæredibus, quod ſatisfaciant pro eodem.

Cum ejuſmodi infirmus non habet, unde in toto, vel in parte ſatisfacere poſſit, quid agendum?

Si vero talis infirmus occulte interdictus, vel excommunicatus tam pauper ſit, quod non habeat, unde in toto, vel in parte ſatisfacere poſſit, recepto ab eo juramento occulte de ſtando mandatis Eccleſiæ, injungat ei Sacerdos, quod, ſi convaluerit, & contingat ad fortunam pinguiorem venire, ſatisfaciat juxta poſſe, & abſolvat eum juxta formam prædictam.

Quid, ſi manifeſtum fuerit excommunicatum infirmum, vel interdictum teneri ad reſtitutionem, vel emendam?

Verumtamen, ſi manifeſtum fuerit aliquem infirmum excommunicatum eſſe, vel interdictum propter rapinam, decimas, primitias, debita, vel aliqua alia ex cauſſa, ad quorum reſtitutionem, vel emendam tenetur, præcipiendum eſt ei manifeſte, quod reſtitutionem, vel ſolutionem incontinenti faciat juxta poſſe, & ſi non poteſt incontinenti ſatisfacere, quia forte non habet rem, quæ debet reſtitui, nec ejus pretium, vel non eſt præſens ille, cui ſolutio, vel reſtitutio eſt facienda, recipiat Sacerdos firmam ſecuritatem ab ipſo infirmo per fidejuſſores, ſeu pignora, quod ipſe, vel hæredes ſui reſtitutionem, vel emendam facient juxta poſſe. Et facta ſecuritate, recipiat nihilominus Sacramentum Sacerdos ab ipſo publice excommunicato, vel interdicto, quod ſtabit mandatis Eccleſiæ, vel Judicis, ſi propter hoc a Judice erat excommunicatus, & abſolvat eum juxta formam prædictam.

Si autem infirmus talis manifeſte excommunicatus, aut interdictus tam pauper ſit, quod nec reſtitutionem in toto, vel in parte poſſit facere, nec ſecuritatem dare, recepto juramento ab ipſo de ſtando mandatis Eccleſiæ, vel Judicis, ſi propter hoc a Judice excommunicatus erat, injungat ei in virtute juramenti præſtiti, quod, ſi convaluerit, compareat quam cito commode poterit coram illo Judice, facturus, quod de jure fuerit faciendum.

CAP. XVII.

Quomodo infirmus, qui Clericum percuſſit, abſolvi debeat: & quid agendum, ſi fuerit ſimulata infirmitas?

Et ubi convaluerit, accedat perſonaliter ad Papam, vel ejus legatum.

Si vero propter verberationem Clerici, vel alicujus Religioſæ perſonæ infirmus excommunicatus fuerit, recipiet Sacerdos ſimpliciter Sacramentum ab eo, quod ſtabit mandatis Eccleſiæ, & abſolvet eum, præcipiendo ſibi, quod ſi convaluerit, accedet perſonaliter ad Dominum Papam, vel ejus legatum, mandatum ipſius humiliter recepturus.

Si tamen talis excommunicatus ſit ſenex, vel femina, vel unum pedem tantum habens, aut puer infra quatuordecim annos conſtitutus, prædicto juramento ab ipſis recepto, & abſolutione præſtita, præcipiendum eſt eis, quod ſi convaluerint, ad ſuum Epiſcopum accedant mandatum ejus humiliter recepturi.

Petet inſuper a Clerico veniã de illata injuria, ſi præſens eſt, vel haberi commode poteſt.

Ne vero ipſum infirmum, licet abſolutum, mori contingat nulla præſtita ſatisfactione Clerico injuriam paſſo, & ab eodem Clerico venia non petita, præcipiat Sacerdos eidem, quod ab ipſo Clerico ſi præſens eſt, vel haberi commode poteſt, petat veniam de injuria, quam ſibi fecit, & alia omnia damna, ſi qua propter hoc paſſus eſt, ei reſtituat, vel, ſi non poteſt incontinenti de expenſis, & damnis datis ſatisfacere, ſi haberi non poteſt Clericus injuriam paſſus, præcipiat infirmus ſuis hæredibus, quod ipſi ſatisfaciant pro eodem.

Sic abſolutis certus terminus præfigatur, infra quem recuperata ſanitate, ſe præſentent, &c.

Si autem excommunicati in infirmitate vera conſtituti, vel alias canonice impediti juxta formas prædictas fuerint abſoluti, recuperata ſanitate, ut quam cito poterunt excommunicatori ſe præſentent, ipſis pro abſolutione certus terminus præfigatur, infra quem coram excommunicatore ſe præſentent ſatisfacturi de iis, pro quibus fuerant excommunicati, & ſi infra illum terminum denuntiatum per Cappellanum non ſatisfecerint, per excommunicatorem de novo in priſtinam ſententiam ſine alia monitione reducantur.

Secus in priſtinam ſententiam ſine alia monitione reducantur.

Quid agendum, ſi fuerit ſimulata infirmitas, & de hoc conſtet?

Si vero fuerit ſimulata infirmitas, & de hoc conſtet, denuntiandus eſt juxta ſtatuta antiqua excommunicatus, ut prius, quia abſolutio nulla fuit.

Verum, licet aliquis excommunicatus ſanus, vel infirmus, de ſtando mandatis Eccleſiæ, vel Judicis præſtiterit juramentum, vel aliam cautionem, vel etiam adverſario ſuo ſatisfecerit de eo, de quo fuerat excommunicatus, non tamen communicandum eidem, quouſque fuerit abſolutus.

Abſolutione indiget monitus nominatim excommunicatus, etiamſi principalis fuerit abſolutus.

Monitus etiam nominatim excommunicatus participatione, abſolutione indiget, licet principalis fuerit abſolutus.

CAP. XVIII.

Caſus, in quibus excommunicatus nulla abſolutione indiget.

Aliquando autem excommunicatus abſolutione non indiget, quia eſt ſententia nulla, nec in aliquo obſervanda, ut ſi lata ſit a non ſuo Judice.

Item ſi feratur ab excommunicato.

Item ſi ab intruſo.

Item ſi ab eo, qui eſt juriſdictione ſuſpenſus.

Item ſi feratur poſt legitimam appellationem.

Item ſi contineat in ſe intolerabilem errorem, ut ſi dicatur *excommunico te, niſi feceris tale peccatum.*

Item ſi Judex delegatus excommunicet pro alia cauſſa, quam pro ea, quæ eſt ſibi commiſſa, vel contra intentionem delegantis.

Item ſi a Prælato, qui violaverat interdictum a ſuo Judice in ſe latum, in his caſibus excommunicatio nulla eſt, & ideo non ſervanda, nec ligat.

CAP. XIX.

De ſententia interdicti, & ſuſpenſionis.

Interdicti nomen generale eſt, & cadit tum in laicos, tum in clericos, tum in perſonas, tum in res exanimes.

De ſententia interdicti, & ſuſpenſionis aliqua ſunt notanda.

Et eſt ſciendum, quod interdictum eſt nomen juris, & nomen generale, quia interdicitur non ſolum laicus, ſed & clericus, & non ſolum perſonæ, ut dictum eſt, ſed etiam res inanimata, ut Eccleſia, villa, parochia, caſtrum, locus, univerſitas, collegium. Sed clericus proprie dicitur ſuſpendi, ut cum ſuſpenditur ab officio, vel beneficio, vel utroque; laicus enim non poteſt ſuſpendi proprie, cum non habeat officium, vel beneficium, quod poſſit eſſe in ſuſpenſo, & idem vides de re inanimata.

Laicus non poteſt proprie ſuſpendi, & ſuſpenſio proprie dicta non cadit, niſi in clericum.

Sciendum eſt etiam, quod interdictum, ſive ſuſpenſio aliquando fertur ab homine, ſicut videtur quotidie de judicibus, qui ferunt ſententias interdicti, vel ſuſpenſionis; aliquando a jure per tranſgreſſionem juris, vel delictum, ut in illo, qui contra conſcientiam, & juſtitiam judicat per gratiam, vel per ſordes, qui per annum a ſuo officio eſt a jure ſuſpenſus.

Interdictum, ſive ſuſpenſio quandoque eſt ab homine, quandoque a jure.

Item qui ſine ſcriptis, & cauſſa ibi non expreſſa, excommunicat, vel interdicit, vel ſuſpendit, per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ eſt ſuſpenſus.

Variæ ſuſpenſiones a jure.

Item qui benedicit contrahentes ſecundum matrimonium, ſi ambo, vel alter eorum alias fuerint benedicti, ab officio, & beneficio eſt ſuſpenſus.

Item recipiens oblationes ab uſurario publico, quouſque illas reſtituerit ad arbitrium Epiſcopi, ab officio eſt ſuſpenſus.

Item recipientes uſurarium publicum ad ſepulturam.

Item Epiſcopus confirmatus differens petere conſecrationem ultra ſex menſes.

Item violans interdictum, ſeu ſcienter ingerens ſe in Divinis in loco interdicto.

Item Epiſcopus permittens habitare in terra ſua uſurarios publicos aliunde oriundos ad fœnus exercendum, vel eis locans domum, vel alio titulo concedens, ſuſpenſus eſt. Collegium vero, vel Univerſitas interdicta, quamdiu morabuntur ibidem.

Item Epiſcopus ſuſpenſus eſt per annum a collatione Ordinum, qui ſcienter affectata ignorantia, vel alio figmento quæſito * *ordinant* clericum alienum ſine licentia ſui Epiſcopi.

Alias * *ordinavit.*

Item ſuſpenſus eſt is, in cujus ordinatione aliquid neceſſarium omiſſum eſt, vel ſi per ſaltum quis promoveatur. Sed Epiſcopus in hoc poterit diſpenſare, niſi miniſtraverit in ordine ſic ſuſcepto, quia tunc ſolus Papa.

Item dans pecuniam, vel aliam rem pro ſuo ingreſſu religionis, ſuſpenſus eſt, ne ad ordines ſacros aſcendat.

Item Epiſcopus relaxans pœnitentiam contra incendiarios conſtitutam in *decreto XXIII. q. ultim. c.* ubi habetur, quod non abſolvat, niſi prius damnum paſſum ſatisfaciat, & juret ſe ignem ulterius non appoſiturum; pœnitentia autem ei detur, ut Hieroſolymis, aut * *Hiſpaniam* in ſervitio Dei per annum integrum per-

Alias * in *Hiſpania.*

Videtur ſuperfluum.

permaneat * peſſimam, ſuſpenſus eſt ab officio epiſcopali per annum.

Item ſuſpenſus eſt uxorem ſuam cognoſcens adulteram.

Item omnis interdictus, vel excommunicatus majori excommunicatione, ſive ſit Epiſcopus, ſive alius quicumque.

Item ordinans, & ordinatus ad ſacros ordines extra tempora conſtituta,

Item ſuſpenſus eſt ab officio, & beneficio, qui gravat, vel obligat Eccleſiam ſuam pro debitis alienis.

Item in caſu, qui *eſt. 5. eti. §. excommunicatos quoque* in fine.

Item homicida ſuſpenſus eſt, & irregularis, niſi ad corporis ſui defenſionem inevitabiliter interficiat.

Item ſcienter conferens, vel recipiens per ſimoniam, aliquo dato, vel promiſſo dignitatem, vel beneficium, eſt ſuſpenſus.

Item dimittens ſine neceſſitate miſſam incompletam, ſuſpenſus eſt a communicatione Corporis, & Sanguinis Domini.

Item quicumque celebrat, & non ſumit tenens Corpus, & Sanguinem Domini, ſuſpenſus eſt per annum a communione altaris.

Item Epiſcopus, qui ordinat clericum invitum, ſuſpenſus eſt per annum a communione altaris.

Item qui duos ordines, vel ſubdiaconatum cum minoribus ordinibus recipit una die, miniſtrare non debet in ſuſceptis, nec aſcendere ad majores. Sed cum eo forte poterit Epiſcopus diſpenſare, niſi eſſet promotus poſt ſententiam excommunicationis latam ab Ordinatore, ne quis furtive ad ordines aſcenderet, quia tunc ſolus Papa.

Item ſuſpenſus eſt clericus ultramontanus ab Epiſcopo Italico ordinatus ſine litteris Papæ, vel Epiſcopi ſui, & in hoc ſolus Papa diſpenſat.

Item Conſervator, etiam ſi ſit Epiſcopus, ad alia, quam notoria, ſcienter ſuam extendens poteſtatem, per annum ab officio eſt ſuſpenſus, & pars, quæ hoc procurat, excommunicata.

Item qui ſponte de tenendo ſchiſmate juramentum fecerunt.

Item dictans, vel exercens ſententiam ſanguinis, vel in hoc auctoritatem, vel conſilium præſtans, ſuſpenſus eſt, & irregularis ſine ſpe diſpenſationis.

Item Prælatus, ſeu Rector Eccleſiæ recognoſcens ſe bona immobilia eccleſiaſtica tenere a quocumque domino temporali, & ea ſibi ſubmittens, ſuſpenſus eſt ab officio, & adminiſtratione triennio; & clerici, qui hoc ſcientes non denuntiant Superiori, triennio ab officiis, quæ ab Eccleſia obtinent, ſunt ſuſpenſi.

Item Epiſcopi ſunt ſuſpenſi ab ingreſſu Eccleſiæ, niſi infra menſem reſtituant duplum ejus, quod receperunt, etiam a volente, ultra expenſas moderatas nomine procuratoris ab Eccleſiis, quas viſitant, vel ſi in propria perſona viſitationis officium non impendunt. Inferiores vero Epiſcopis ab officio, & beneficio ſunt ſuſpenſi, quouſque ſit redditum eis duplum.

Item univerſitas, quæ concedit, vel extendit reprehenſalias, ſeu marchias contra perſonas eccleſiaſticas, vel bona ipſarum, niſi hoc revocaverit infra menſem, ipſo jure eſt interdicta.

Item Epiſcopus, qui infanti non intranti religionem, vel ei, qui eſt alterius Diœceſis, ſine licentia ſui Epiſcopi, vel conjugato, qui religionem, vel ſacrum ordinem non aſſumit, vel illitterato clericalem confert tonſuram, per annum ſuſpenſus eſt a collatione tonſuræ.

Item quibuſcumque, etiam exemptis, celebrantibus in locis interdictis ab homine, vel a jure, niſi quando a jure conceditur, vel publice excommunicatos, vel interdictos recipientibus ad divina, eſt ingreſſu Eccleſiæ interdictus, donec de hoc ſatisfecerint ad ejus arbitrium, cujus ſententiam contempſerunt.

Item junge hic caſum, qui eſt in titulo de ſepulturis. *§. nullus autem*.

Item is, cui eſt Eccleſiæ interdictus ingreſſus, ſi ingerat ſe in ea in Divinis, irregularitatem incurrit.

Plures alii caſus, in quibus ſuſpenſio infligitur, brevitatis cauſſa omittuntur.

Item in pluribus aliis caſibus in jure diſperſis, ſuſpenſio infligitur ipſo jure, quos cauſſa brevitatis omittimus; præcedentes tamen, tanquam quotidie contingentes hic poſuimus.

Et notandum, quod ſuſpenſus ab officio per judicem, quia forte ſecus, ſi a jure, per conſequens, durante ſuſpenſione, a beneficio eſt ſuſpenſus, ſed non e converſo.

Unde ſuſpenſus a beneficio, ſi ingerat ſe Divinis, non propter hoc irregularitatem incurrit.

Epiſcopi nullam ſuſpenſionem, aut interdictum ipſo jure incurrunt, niſi ibi de Epiſcopis caveatur.

Item notandum, quod Epiſcopi nullam ſententiam interdicti, vel ſuſpenſionis ipſo jure incurrunt, niſi de Epiſcopis caveatur ibidem, ſed caveant, quia in pluribus juribus de Epiſcopis cavetur expreſſe.

CAP. XX.

Cur iſta materia ita prolixe tractetur, & quo pacto ferri debeat ſententia excommunicationis, & interdicti?

Et advertendum, quod iſte titulus ita prolixe tractatur ea ratione, ut ſciant Prælati caſus contingentes debita medela compeſcere, & promoti ab irregularitatum laqueis præcavere, quibus involverentur, ſi excommunicati, interdicti, vel ſuſpenſi, ſcienter ingererent ſe Divi-

Divinis, nec poſſet cum eis, citra Sedem Apoſtolicam, diſpenſari.

Aliquando autem fertur ſuſpenſio a Deo, ut in quolibet mortaliter peccante, qui quo ad ſe ratione peccati mortalis a Deo principaliter, licet jure cooperante, ſuſpenſus eſt a Divinis.

Notandum quoque eſt, quod ſententia interdicti, vel ſuſpenſionis ferenda eſt in ſcriptis ex cauſſa rationabili, & trina monitione præmiſſa, vel una pro omnibus peremptoria, ſicut de excommunicationis ſententia ſuperius dictum eſt in §. *ſciendum eſt autem*.

Illud etiam ſciendum, quod interdicti non debent ſe Divinis ingerere, nec recipere, nec miniſtrare Eccleſiaſtica Sacramenta, nec intrare Eccleſiam; tamen qui cum talibus participant, nullam excommunicationem incurrunt, quia interdicti a communicatione fidelium minime ſunt excluſi, ſed ſolummodo Divinorum.

CAP. XXI.

Quibus caſibus irregularitatem quis incurrit?

SI quis autem Clericus, ſciens ſe excommunicatum majori excommunicatione, ſive ſit lata a Judice, ſive a jure, ingerendo ſe Divinis, puta Presbyter celebrando Miſſam, vel legendo Epiſtolam Subdiaconus, vel Evangelium Diaconus, vel Sacramenta Eccleſiæ miniſtrando, vel aliter officiando in iis, quæ ſpiritualiter ſunt annexa, ſicut ante excommunicationem faciebat, vel alius in minoribus ordinibus conſtitutus.

Puta Acolythus portat Cereos, vel alia facit, vel dicit, quæ non conſueverunt, niſi per Acolythos, vel aliquis recipit ſacros ordines excommunicatus, irregularis efficitur; nec poteſt cum eo, niſi per Sedem Apoſtolicam diſpenſari.

Idem dicendum de Clerico interdicto, & ab officio, ſeu a Divinis ſuſpenſo: & de eo, qui divinis ſe ingerit in Eccleſia interdicta.

Illud idem dicendum de interdicto, vel ab officio, ſeu Divinis ſuſpenſo, ſive ſit interdictus, vel ſuſpenſus a Judice, vel propter juris transgreſſionem, vel delictum a jure.

Et idem ſimiliter de illo, qui non eſt alias interdictus, vel ſuſpenſus, ſed prædictis modis officiat in Eccleſia interdicta.

Eamdem irregularitatẽ incurrit dubitans, probabil. de ſua excommunicatione, maxime quando eſt ſibi conſcius de culpa ſua, ob quam juſte potuit excommunicari; vel habens ignorãtiam craſſam, vel ſupinam, ſi ſe divinis ingeret.

Dubitans etiam probabiliter de ſua excommunicatione, maxime quando conſcius eſt de culpa ſua, propter quam juſte potuit excommunicari, neſcius tamen exponit ſe diſcrimini, & celebrat excommunicatus, vel habens ignorantiam craſſam, & ſupinam, ut quia citatus peremptorie non ivit, nec miſit, & ſic excommunicatus celebrat, licet nihil de excommunicatione ſciat, irregularis exiſtit; ſecus, ſi hoc faciat ignoranter.

Pœna vero hujus irregularitatis eſt, quod deponuntur, & ſuis beneficiis ſpolientur, niſi cum eis per Sedem Apoſtolicam fuerit diſpenſatum.

CAP. XXII.

Quibus caſibus irregularis quis non efficitur?

SUſpenſus autem a Deo propter peccatum mortale, non efficitur irregularis officiando, vel ingerendo ſe Divinis, licet aliter graviter peccet; nec etiam eſt irregularis, licet graviter peccet, qui officiat, vel celebrat in Eccleſia, ſanguinis, vel ſeminis effuſione violata, quia non eſt proprie interdicta. Sed quouſque reconciliata fuerit, organa ſunt ſuſpenſa, nec qui ſepelit in cœmeterio, ubi excommunicatorum corpora ſunt ſepulta, vel aliter violato; cum hoc cautum non reperiatur in jure, & non ſunt irregularitatum laquei ampliandi.

Irregularitatum laquei non ſunt ampliandi, niſi contineantur in jure.

Subdiaconus etiam, ſeu Diaconus, vel Presbyter excommunicatus, vel interdictus, officians in Eccleſia in iis, quæ non ſunt ſuo certo ordini ſpecialiter deputata, licet graviter peccet, non tamen irregularis exiſtit, puta parando (non dico miniſtrando, vel benedicendo) vinum, vel aquam, vel lumen in Altari, dum celebratur ibidem, vel legendo lectiones, reſponſoria cantando, vel Epiſtolam legendo ſine apparatu in Eccleſia, in quacumque ſolemnitate per Subdiaconum legi Epiſtola conſuevit, vel baptizando, ſicut laicus, vel benedicendo, vel antiphonam, vel *alleluja* cantando, vel pſalmos legendo, vel conſimilia exercendo, vel ſi Acolythus, vel qui eſt in ſacris, legat, vel cantet ea, quæ indiſtincte etiam per ſimplicem Clericum legi ibidem conſuetum eſt, vel cantari.

Ut hanc irregularitatem cõtrahat Clericus, debet officiare in Eccleſia in iis, quæ ſunt ſuo certo ordini deputata.

Alii autem Clerici in ſimplici tonſura conſtituti interdicti, vel excommunicati, miniſtrando in ſuo officio, an efficiantur irregulares, Doctores juris ſuper hoc diverſi varia opinantur.

An efficiantur irregulares Clerici, in ſimplici tonſura conſtituti miniſtrantes in ſuo officio?

CAP. XXIII.

Cum locus aliquis eſt interdictus, non ſolum Clerici illius loci, ſed etiam alienigenæ officiare ibi non poſſunt, niſi ſint privilegiati.

RUrſus etiam notandum eſt, quod ſi Civitas, Villa, Caſtrum, Parochia, vel Cives Civitatis, vel Univerſitas Villæ, vel Collegium, vel locus ſint interdicti, non ſolum Clerici illius loci prohibentur ibi celebrare, & officiare, & alta voce, & ſubmiſſa, vel etiam januis clauſis, & apertis, ſed etiam alienigenæ, niſi eſſent privilegiati: Clerici tamen illius loci, ſi cauſſam non præſtiterint interdicto, officiare poterunt in aliis locis non interdictis, ſed laici ibidem, vel aliis locis, etiam non interdictis, cenſentur eſſe interdicti.

Si

Poſſunt Clerici Eccleſiæ interdictæ officiare, vel audire divina in aliis locis non interdictis, ſi cauſsā interdicto non dederint.

Laici Eccleſię interdictæ nulli debent ad divina admitti, ſi Univerſitas, vel Dominus illius loci cauſsam interdicto dederit.

Si autem ſit Eccleſia interdicta, Clerici illius Eccleſiæ, ſi cauſſam non præſtiterint interdicto, poterunt licite in aliis locis non interdictis officiare, & audire Divina. Sed laici illius Eccleſiæ, quæ eſt interdicta, ob culpam Univerſitatis, vel Domini illius loci, nec ibi, nec alibi debebunt ad Divina admitti. Sed ſi ſit interdicta ob culpam Clericorum illius Eccleſiæ, vel ex ſanguinis effuſione, vel aliter violata, poterunt tunc laici illius Eccleſiæ in alio loco non interdicto recipi ad Divina.

Cum aliqua Eccleſia eſt interdicta ob culpam contumaciæ Rectoris Cappellā &c. Indulgetur in hac Civitate & Diœceſi, & Provincia, ut conferri poſſint Parochianis ejuſdem Eccleſiæ Eccleſiaſtica Sacramenta; at miſſa, & horæ canonicæ celebrari in ea nequeunt.

Volumus tamen, & concedimus, ut laicorum ſcandalum evitetur, ut cum aliqua Eccleſia noſtrarum Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ ob culpam contumaciæ Prioris, Abbatis, Archipresbyteri, vel Rectoris, ſeu Cappellani illius Eccleſiæ fuerit a Nobis, vel Diœceſano, vel Vicariis ſuppoſita interdicto, conferantur nihilominus ibidem omnibus Parochianis ejuſdem Eccleſiæ Eccleſiaſtica Sacramenta, præter miſſam, & alias horas canonicas, quas prohibemus in ipſa, quamdiu interdicta fuerit, celebrari.

Indulgetur itidem, ut Parochiani defuncti mittantur in Eccleſiam, & poſtmodum in cœmeterio tumulentur, at citra campanarū pulſum, & citra ſigna conſueta, & ſolēnitates, quę ſiunt intus Eccleſiam.

Et ſi aliquem parochianorum mori contigerit, ſine campanarum pulſatione, & ceſſantibus aliis ſignis, & ſolemnitatibus, quæ fiunt infra Eccleſiam in exequiis mortuorum, ſimpliciter mittatur in Eccleſiam, & poſtmodum in cœmeterio tumuletur.

CAP. XXIV.

Quæ ſervanda ſint in generali interdicto?

Cum autem generale interdictum profertur, videlicet in Regnum, Comitatum, Provinciam, Civitatem, Villam, Caſtrum, vel Parochiam, Univerſitatem, Populum, vel Collegium ab homine, vel a jure, vel quando fit ceſſatio a Divinis propter captionem Clericorum, vel ex alia juſta cauſſa, omnibus Parochianis denegentur omnia Eccleſiaſtica Sacramenta, & Sacramentalia, a quibus ceſſandum eſt & a Divinis officiis; ab hac tamen generalitate excipit jus quædam Sacramenta, quæ, non obſtante tali Interdicto, poſſunt conferri, ſcilicet Baptiſma parvulorum, & Sacramentum Euchariſtiæ, & pœnitentiæ * *pro monentibus* tantum, & Confirmatio Epiſcopalis, ſive chriſmatio puerorum, confectio chriſmatis in die Cœnæ Domini, prædicatio Verbi Dei, Sacramentum pœnitentiæ ſanis, qui tamen de cauſſa interdicti culpabiles non fuerint.

Forſan * *pro morientibus*.

Si tamen culpabiles de cauſſa interdicti de ea ſatisfecerint, ſi ſint tales, quod id facere valeant, vel de faciendo bonos fidejuſſores, ſeu bona pignora dederint, aut ſi ſatisfacere, vel hujuſmodi cautiones præſtare nequeunt, juraverint, quod cum potuerint, ſatisfacient, & alios culpabiles ad ſatisfaciendum affectuoſe inducent, & fideliter circa hoc laborabunt, iſtis ſervatis, diligenter pœnitentiæ Sacramentum iſtis culpabilibus erit etiam concedendum.

Quinam dicantur culpabiles in materia interdicti, & iſtis culpabilibus, quid, & quo pacto indulgendum?

Culpabiles autem dicuntur illi, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem latum eſt interdictum, vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occaſione latum eſt interdictum, dederint auxilium, conſilium, vel favorem.

CAP. XXV.

Interdicto generaliter lato, quo pacto celebrari januis clauſis Divina officia, & miſſæ poſſint?

Necnon prædicto lato interdicto generaliter, & ubi eſt indicta ceſſatio a Divinis, poterunt dici Divina officia, & Miſſæ etiam celebrari januis clauſis Eccleſiæ, vel Monaſterii, & eorum foraminibus, atque feneſtris, voce ſubmiſſa ſic, quod extra non audiatur, & campanis non pulſatis, excommunicatis, & interdictis, ac etiam Parochianis propriis excluſis, per Epiſcopum, ipſo præſente, vel per alium, etiam extra ſuam Diœceſim exiſtente, ſua familia domeſtica tantum audiente, & etiam per proprios Presbyteros, Clericos, & Religioſos ipſius Eccleſiæ, vel Monaſterii, ipſorum tamen Presbyterorum, Clericorum, & Religioſorum familiaribus, vel aliis extraneis non admiſſis, niſi ſuper hoc haberent privilegium ſpeciale. Tali quoque conceſſione non poteſt gaudere ille, cujus culpa latum eſt interdictum, ſeu cujus favore, auxilio, vel conſilio perpetratum fuerit delictum, cujus occaſione latum fuerit interdictum.

Clerici vero decedentes illius Eccleſiæ, vel Monaſterii, qui interdictum hujuſmodi ſervaverunt, & non fuerunt culpabiles, in cœmeterio Eccleſiæ ſine pulſatione campanarum, ceſſantibus ſolemnitatibus tempore talis interdicti tumulentur.

CAP. XXVI.

In generali interdicto quid indulgetur in Feſtivitatibus Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ?

In feſtivitatibus etiam Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ apertis januis Eccleſiæ, vel Monaſterii alta voce, ac pulſatis campanis Divina officia ſolemniter ibi poterunt celebrari, inchoando in primis Veſperis, & finiendo in Completorio ipſius feſti incluſive, excluſis excommunicatis majori excommunicatione, vel ſpecialiter interdictis, ſed interdictis ex illo generali interdicto admiſſis, dum tamen,

men, qui fuerint culpabiles, ſe altari nullatenus appropinquent.

Et notandum, quod cum Eccleſia eſt ſingulariter interdicta in pœnam populi, etiamſi multi ex eis non deliquerint, ſed forte univerſitas, vel magna pars, vel forte dominus, tunc parochiani non poſſunt in alia Eccleſia, etiam non interdicta, eligere ſepulturam, niſi forte ex privilegio; ſi vero eſſet interdicta propter delictum clericorum tantum, vel fuerit violata, tunc poſſunt in alia non interdicta eligere ſepulturam, & audire Divina.

Cum Eccleſia eſt ſingulariter interdicta in pœnam populi, parochiani non poſſunt in Eccleſia etiam non interdicta ſepulturam eligere.

Secus vero, ſi fuerit interdicta propter delictum clericorum tantum, vel ſi fuerit violata.

Item ſciendum eſt, quod clero ſolo generaliter interdicto, non eſt populus interdictus, nec e converſo; ideoque populo interdicto, clerici alta voce pulſatis campanis, & apertis januis poſſunt celebrare, & divina officia exercere, excommunicatis tamen, & interdictis excluſis, & ab Eccleſia in tantum remotis, quod cantantes, vel legentes audire non poſſint.

Clero generatim interdicto non eſt populus interdictus, neque e converſo.

Epiſcopi, & Superiores nullam ſententiam ſuſpenſionis, vel interdicti incurrunt ipſo jure, ſicut nec excommunicationis, niſi de eis fiat expreſſa mentio.

Epiſcoporum privilegium.

Item cum civitas, vel locus ſunt interdicti ab homine, vel a jure, illorum ſuburbia, & continentia ædificia ſunt interdicta. Et ſimiliter, ſi Eccleſia ſit interdicta, celebrari in cappella, & ſepeliri in cœmeterio contiguis Eccleſiæ non debebit; ſecus, ſi contigua eidem Eccleſiæ non exiſtant.

Interdicta Civitate, ſeu loco ſuburbia etiam, & continentia ædificia ſunt interdicta

Similiter Eccleſia interdicta celebrari in cappella, & ſepeliri in cœmeteriis Eccleſiæ contiguis non debet.

Item notandum, quod interdictum Eccleſiæ, vel alterius loci nequit relaxari, ad cautelam tamen per proferentes poterit ad tempus ſuſpendi, & poſt lapſum tempus non erit neceſſe illud, cum adhuc duret, iterum promulgari; illud autem ſuſpendi non poterit, quod pro delicto proprio, vel contumacia in hominem eſt prolatum, ſicut excommunicatio ſuſpendi non poteſt.

Interdictum Eccleſiæ, vel alterius loci ſuſpendi relaxari non poteſt.

CAP. XXVII.

Quid ſervandum, cum relaxantur interdicta in totum, vel ſuſpenſio tollitur?

ET attende, quod cum relaxantur in totum interdicta, vel ſuſpenſio tollitur, ſive nudo verbo, ſive in ſcriptis, debet fieri cum juramento, quia jurabit non amplius contravenire is, propter cujus culpam latum eſt interdictum.

Si vero culpabilis fuit, tanquam conſiliarius, licet accipiatur cautio ab eo, & injungatur pœnitentia, tamen non relaxabitur interdictum. Quod ſi non propter ejus culpam latum eſt, ipſe quidem punitur, ſed ejus ſatisfactio non requiritur.

Tempore interdicti poteſt ſacerdos benedicere peram, & baculum peregrinorum, & benedicere Miſſam, & aquam benedictam facere, ſecrete tamen hoc ultimum, ſicut & ſecrete celebrare Miſſam. Introductio tamen mulierum poſt partum in Eccleſiam non debet, nec benedictio nuptiarum.

Tempore interdicti quid fieri poſſit?

CAP. XXVIII.

Pœnæ in eos, qui violant interdictum.

ET notandum, quod ſcienter celebrans in Eccleſia, aut quocumque loco interdicto, niſi ſit privilegiatus in hoc, vel niſi in caſibus a jure conceſſis, irregularitatem incurrit, a qua, niſi per Papam, abſolvi non poteſt, nec poteſt eligi, nec eligere, & ſuſpenſus eſt etiam clericus interdictum violans; ideo beneficia conferre non poteſt, nec poſtulari, & removendus eſt a beneficio. Recipiens etiam publice interdictos ad divina, ſeu ſacramenta, vel ſepulturam, interdictus eſt ab ingreſſu Eccleſiæ, & idem, ſi celebret præſentibus interdictis.

Interdictus autem nominatim celebrans divina, irregularis eſt, & deponendus perpetuo; quod ſi multi ſunt, tunc principales deponendi ſunt: cum aliis ſuper irregularitate per Papam dumtaxat poterit diſpenſari. Laicus autem violans interdictum, quia pœnas prædictas non poteſt incurrere, tamen puniendus eſt excommunicatione, & ſi contempſerit emendari, poteſt gravius per Epiſcopum puniri, & invocari brachium ſæculare, ut exilio condemnetur. Accuſatio autem violationis interdicti publica eſt, & non cuilibet de populo competit.

Pœnæ in eum, qui nominatim interdictus interdictum violat

SCHOLION.

De executionibus mandatorum, & de diverſis articulis ſecundum varios eventus locorum, & eccleſiarum in hoc titulo collocandis.

CAP. I.

De executione celeri, humili, integra mandatorum.

STatuimus, ut Prælati, Abbates, Archipresbyteri, Priores, Rectores, Sacerdotes parochiales Eccleſiarum, & alii clerici, eorumque locatenentes mandata noſtra, & Succeſſorum noſtrorum, & quorumlibet Diœceſanorum, & Vicariorum ſuorum diligenter, & celeriter, reverenter, & humiliter, & integre ſine juris præjudicio exequantur.

Statuimus etiam, prout alias in Concilio provinciali ſtatutum fuit, quod Sacerdotes parochiales quicumque, & eorum locatenentes habeant rotulos, ſive chartularia, quilibet ſuum, in quo ſcribant omnia nomina excommunicatorum ſuæ parochiæ, & quorum auctoritate, & ad quorum

De ſcribendis nominibus excommunicatorũ vel eorum, qui ſubjacent interdicto iiſdemque delendis poſt abſolutionem.

quorum inſtantiam ſunt excommunicati, & tempus receptionis litteræ excommunicationis, vel interdicti, & eos excommunicatos diebus dominicis in Eccleſiis ſuis publice denuntiare procurent, inhibendo parochianis ſuis, ne cum eis participent.

Alioquin noverint, quod contra eos durius procedetur, & cum fuerint abſoluti, de illis rotulis, ſive chartulariis abradantur.

In principio autem dicti rotuli, ſive chartularii ponatur, & omnibus diebus dominicis per cappellanos in Eccleſiis publicetur, quod ſequitur.

De publicandis ejuſmodi excommunicatis omnibus diebus Dominicis.

Denuntiamus excommunicatos hæreticos, & fautores eorum.

Item omnes juriſdictionem, libertatem, & immunitatem Eccleſiarum, & eccleſiaſticam impedientes, & turbantes, & ad hoc conſilium, auxilium, aut favorem quoquo modo præſtantes.

Item concubinarios, & uſurarios manifeſtos.

Item detinentes decimas ſine licentia Eccleſiæ, & injuſte.

Item retinentes, & capientes clericos, ſui Diœceſani, vel ejus Vicarii licentia non obtenta: deinde denuntientur excommunicati omnes alii in rotulo, & officio curiæ, vel ad partis inſtantiam expreſſati.

CAP. II.

De ſigillo proprio Eccleſiæ cum ſubſcriptione appoſita.

Diſtricte præcipimus, quod in qualibet Archipresbyterali Eccleſia, & ubi fieri poterit, in alia qualibet parochiali ſit ſigillum proprium Eccleſiæ cum tali ſubſcriptione: *Sigillum Abbatis, Archipresbyteri, vel Cappellani talis Eccleſiæ*, & nihil aliud ponatur in ſubſcriptione, nec nomen Abbatis, Archipresbyteri, vel Cappellani, & appenſione talis ſigilli de mandato cujuslibet executionis conſtabit, ne, ſicut ſæpius probavimus, teſtes, aut inſtrumenta, vel ipſum Archipresbyterum, ſeu Cappellanum propter hoc venire, aut producere oporteat, quod non ſine magnis expenſis fieri poſſet, maxime in noſtra Diœceſi, quæ ſatis eſt diffuſa.

De fide danda ejuſmodi ſigillis.

Volumus enim, & decernimus talibus ſigillis fidem dari quoad præmiſſa, tanquam teſtibus, aut inſtrumentis publicis. Sacerdotes vero parochiales, & eorum Vicarii pro ſigillandis talibus litteris, contra ſuos parochianos, ſeu contra Abbates, Archipresbyteros, Rectores, vel alios convicinos a Nobis, vel Curia noſtra, ſeu Suffraganeis in eorum Diœceſibus emanandis, nihil exigant, ſive levent, niſi forte nuntius deferens litteras particulares una die uni portaret ad ſigillandum, & exequendum, & tunc recipiatur pro valore ceræ dumtaxat, vel pro expenſis aliis, ſi quas in exequendo mandato facere oporteret.

Pro ſigillo apponendo nihil exigi debet.

Licet quidam Prælati, & etiam Curati, & Clerici ita formidoloſi, & timidi exiſtant quandoque, quod quaſcumque litteras ſub nomine Superiorum ſuorum, vel Judicum delegatorum, licet notorie falſas, vel nullas, ſeu evidenter ſuſpectas, ſtatim, cum requiruntur, ſigillant, & mandata in eis contenta protinus * *exequentur*, timentes vexari ab iis, quorum ſunt litteræ, cum * *autem* propter timorem, vel metum non ſit a juſtitia deviandum, ſed nec obediendum Superiori, quando contra jus ſcriptum quidquam præcipitur, vel evidenter injuſtum.

In apponendo ſigillo prudentia adhibenda, nec deviandum a juſtitia propter timorem, & metum.

Alias * *exequuntur*.

Forſan * *tamen*.

CAP. III.

Mandatum injuſtum, quod non eſt evidenter iniquum, meri executores exequi tenentur.

Licet mandatum injuſtum, quod non eſt evidenter iniquum, merus executor, ut eſt Cappellanus, vel ille, cui tales litteræ diriguntur, exequi nihilominus teneatur; obediendum enim eſt Superioribus humiliter, & devote, cum obedientia melior, quam victima cenſeatur; in ſuperioribus tamen caſibus tales litteras nullatenus ſigillent, & mandata in eis contenta nullatenus exequantur. Immo ſub excommunicationis, & ſuſpenſionis pœna hoc fieri prohibemus.

Pœna excommunicationis, & ſuſpenſionis iis inflicta, qui litteras Superiorum notorie falſas, vel nullas ſeu evidenter ſuſpectas ſigillant.

Sed ſuper his, cum caſus fuerit, dicti Prælati, & alii Curati, qui fuerint tanquam executores requiſiti, ſe habeant, & reſpondeant, ut infra dicetur.

CAP. IV.

Subjiciuntur hic aliquæ falſitatis notæ in ejuſmodi litteris.

Sed ut clarius hoc ab omnibus intelligatur, ſubjicimus aliqua exempla; non enim debent Prælati, aut alii exequi mandata litterarum Apoſtolicarum auctoritate, ſi falſa Bulla falſis litteris ſit appenſa.

Item ſi filum de vera Bulla ſit extractum ex toto, & per aliud filum immiſſum falſis litteris eiſdem dicta Bulla inſeratur.

Item ſi filum ab ea parte, in qua charta plicatur inciſum cum vera Bulla falſis litteris immittatur ſub eadem plicatura, cum filo ſimilis canapis reſtauratum.

Itém ſi a parte ſuperiori Bullæ altera pars fili ſub plumbo reſcinditur, & per idem filum junctura reducitur infra plumbum.

Item ſi habeat raſuram in loco ſuſpecto,

cto, puta in nominibus citandorum, vel Judicis, vel in data, vel ubi eſt jus quæſtionis.

Item, cum ſcriptura litterarum, quibus fuerat appoſita vera Bulla, cum aqua, vel vino univerſaliter abolita, ſeu deleta, eadem charta de novo deſcribitur.

Item, cum chartæ totaliter abolitæ, cui appoſita fuerat vera Bulla, alia ſubtiliſſima charta ejuſdem quantitatis ſcripta, cum tenaciſſimo glutinio counitur.

Item ſi Bulla non ſit æqualis, ſed alicubi magis tumida, alicubi magis depreſſa.

Item in adjunctione filorum, in junctione Bullæ, vel obtunſione, & aliis modis poterit falſitas deprehendi, ſicut plures caſus de præmiſſis vidimus, & coram Nobis aliquos habuimus. Ideo caute advertendum circa litteras, & ſigilla, nam & pejora commiſſa alias audivimus, & comperimus, quæ brevitatis cauſſa non exprimimus.

Item ſi præſumuntur eſſe falſæ litteræ Apoſtolicæ, vel falſam latinitatem contineant.

Item dicuntur falſæ, ſi Papa vocet in eis filium Epiſcopum, vel Superiorem, hos enim vocat Fratres.

Item ſi vocat Fratres, Abbates, Regem, vel Principem, vel quoſcumque alios Clericos, vel Laicos; hos enim omnes, & conſimiles debet vocare filios.

Item ſi uni perſonæ ſcribit in plurali, non enim dicit uni perſonæ, quantumcumque ſit Epiſcopus, vel Rex, vel alius: Mandamus vobis, ſed mandamus tibi; per tales enim falſas litteras, ſi ſit evidens, & manifeſtum, non debet aliquis Prælatus, Cappellanus, vel Clericus aliquatenus exequi, quod mandatur.

CAP. V.

Præſentator ejuſmodi litterarum retinendus eſt, & ad Superiorem mittendus.

ET præſentator talium litterarum, etiam noſtrarum litterarum falſarum, vel Vicarii noſtri, vel Suffraganeorum noſtrorum, vel aliorum Judicum retinendus eſt, & ad Nos, vel Diœceſanum mittendus, adhibito ad hoc, ſi opus fuerit, brachio ſæculari.

Quæſtores ſæpius litteras falſas portant.

Et hoc potiſſime volumus attendi circa quæſtores, qui ſæpius litteras Apoſtolicas Legatorum, noſtras, vel alias falſas portant, quos ſic repertos per quoſcumque Clericos noſtræ, aut aliorum Diœceſanorum juriſdictioni ſubjectos, ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ capi præcipimus, & mandamus, etiam, ut dictum eſt, & remitti.

CAP. VI.

Notæ, unde dignoſci poſſit litteras Apoſtolicas eſſe non quidem falſas, ſed evidenter nullas, aut evidenter ſuſpectas, aut evidenter abuſivas.

SI vero litteræ Apoſtolicæ prædictis modis, vel aliis non ſint falſæ, ſed aliter evidenter ſunt nullæ, vel evidenter ſuſpectæ, vel evidenter abuſivæ, ſic procedi conſulimus, & mandamus, ut ſi notorium ſit, & evidens, quod ille, qui ſe dicit Judicem delegatum a Sede Apoſtolica, vel Legato, non eſt in dignitate, vel perſonatu in Eccleſia Cathedrali inſtitutus, vel locus, ad quem ſit citatio, eſt vilis, nec ibi poteſt haberi commode Juris copia peritorum, vel quod eſt extra Civitatem, vel Diœceſim, cum de eadem Civitate, vel Diœceſi ſunt Actor, & Reus, & non eſt cauſſa Epiſcopi, vel Univerſitatis; vel cum Actor, & Reus ſunt Civitatis, & Diœceſis diverſarum, diſtat a fine Diœceſis ultra unam dietam, ſeu eſt infra Civitatem, vel Diœceſim ejuſdem actoris, vel quod per illam clauſulam ſuper terris debitis, poſſeſſionibus, & aliis rebus citatur aliquis ſuper decimis, vel injuriis, vel uſuris, vel aliis gravioribus cauſſis, & hoc apparet per litteram citationis, & tamen in littera Apoſtolica de his mentio non habetur.

Et hujuſmodi caſibus, & conſimilibus littera Apoſtolica non exprimat, quod de aſſenſu * *pertinet* fuerit impetrata, nec dicitur ibi, *non obſtante jure ſuper hoc edito*, vel ſi littera citationis ſit ſub illa forma, quos lator præſentium nominabit, & nominentur aliqui in authentico non expreſſi, vel ſub illa forma, ſcilicet pro teſtimonio in cauſſa aliqua * *probibendo*, cujus cauſſæ ſtatus teſtium productionem non requirit, vel etiam notorium eſt illum Papam, qui cauſſam commiſit, deceſſiſſe eo tempore, quo littera citatoria præſentatur, nec tamen apparet tempore illius Papæ citatos fuiſſe, qui nunc citari petuntur, vel etiam appareat evidenter, quod litteræ, vel proceſſus ſunt ſuſpecti, utpote quando quis litteras obtentas a Papa ſub nomine ſuo tradit alteri ejuſdem nominis, qui quos vult, fatigat indebite per eaſdem, vel facit aliquem ad judicium evocari, contra quem non habet aliquid quæſtionis, vel qui litteras tales trahit ad futuras quæſtiones, & controverſias, quæ non erant tempore impetrationis exortæ, vel quando ſuper uno negotio, vel malitioſe ſuper pluribus perſonalibus actionibus, quæ ſub uno Judice poſſent tractari commodius, per varias litteras coram diverſis Judicibus aliquis trahitur.

Forſan * *pertinenti*.

Forſan * *perhibendo*.

CAP.

CAP. VII.

In ſupra dictis caſibus, & ſimilibus, quid agere debeant Cappellani, vel alii, quibus prænominatæ litteræ diriguntur?

ITem quando Reus reconvenit Actorem in diverſis locis, vel coram alio Judice, vel citari procurat ſuum adverſarium ad Villam, quæ habet commune vocabulum pluribus ejuſdem Provinciæ Villis, nec determinatur certo modo Villa in citatione, vel ſi aliter ſint litteræ ſuſpectæ evidenter de abuſu, in iſtis caſibus, & ſimilibus, notoriis tamen, & evidentibus, Cappellani, vel alii, quibus diriguntur, Nobis, vel Vicario in noſtris Civitate, & Diœceſi inconſultis, tales litteras citationis, vel alias aliquatenus non ſigillent, nec mandata in eis contenta exequantur, ſed offeratur præſentatoribus talium litterarum ſigillare, & humiliter obedire, ſi Nos, vel Vicarius, vel Diœceſanus, vel Vicarius hoc eis duxerimus conſulendum, & ipſi præſentatores, ſi voluerint, Nos, vel Vicarium Diœceſanum, vel Vicarium ſuper his certificare procurent. Et nihilominus Cappellani, aut alii, quibus diriguntur, ſtatim appellent, aut provocent ad Sedem Apoſtolicam, vel ad illum, ad quem de jure eſt appellandum, coram Notario, ſi commode poteſt haberi; Alioquin coram bonis perſonis pro eo, quia merito ſuſpicantur, quod Judex datus in illis litteris præſumet procedere contra eos, & fiet appellatio in hunc modum.

Cappellani ſtatim appellationem faciant.

Ego talis Abbas, Archipresbyter, vel Cappellanus, vel Rector, &c. ſentiens, & ſuſpicans me gravari per talem, qui ſe dicit Judicem datum a Domino Papa, pro eo, quia mihi præcepit evidenter injuſte, ut ego talem citarem auctoritate ſua ad talem locum, & notorium ſit, & evidens, quod ſua jurisdictio expiravit per mortem dicti Domini Papæ, cum non conſtet, quod eo vivente dictus Judex uti cœperit ſua jurisdictione, vel per aliquam aliam cauſam de prædictis, &c. vel exprimendo eam. Ideo a dicto Judice ad Sedem Apoſtolicam, vel ad illum, ad quem de jure eſt appellandum, in his ſcriptis, provoco, & appello, & peto Apoſtolos mihi dari, & hoc facio coram Notario, & perſonis infraſcriptis, quia dicti Iudicis copiam commode habere non poſſem.

Formula appellationis in ſupradictis cauſis facienda.

CAP. VIII.

Quid agendum Sacerdoti, vel Clerico, cui mandatum citationis dirigitur in caſu, quo Judex datus in litteris abuſivis citari mandaverit, quia ſupradictas ſuſpectas litteras noluit exequi?

SI autem Judex ille datus in litteris abuſivis evidenter ſuſpectis, vel nullis citari mandaverit, prætextu inobedientiæ, illum, vel alium, qui eas dicta occaſione, ut dictum eſt, noluit exequi, Sacerdos, vel Clericus, cui hoc mandatum citationis dirigetur, appellet, ut de alio ſupra dictum eſt, ac etiam Diœceſano, vel Vicario ſuo inconſultis mandata hujuſmodi nullatenus exequatur, & ſi contrarium fecerit, per annum ſuo beneficio, non tamen ab officio, auctoritate noſtra, & præſentis Concilii ſuſpenſus ſit ipſo facto, de cujus anni fructibus nihil ſibi relinquens, diſponat quilibet Diœceſanus, prout videbitur diſponendum, dummodo ad uſum proprium non retineat.

Si vero is, cui mandatum hoc citationis dirigetur, non obſtante prohibitione hujuſmodi, mandatum illud compleat, vel forte aliquis Cappellanus alterius Diœceſis hoc faciat, & ideo per Judicem illum de facto diſtringatur per cenſuram Eccleſiæ, dictus Cappellanus citatus pro eo, quod dictas litteras abuſivas, ſeu nullas noluit ſigillare, defendat ſe viriliter cum noſtro, vel Diœceſani ſui conſilio, & auxilio, & illum Judicem adeat, & per viam juris ſuper his procedat cum conſilio ſapientum.

Quod ſi is de facto citet, Cappellanus citatus defendat ſe viriliter.

Nos enim de expenſis, cum fiat iſtud negotium pro communi utilitate omnium, ordinamus, quod omnes Rectores, & Clerici illius Archipresbyteratus, ſeu Abbatiæ in dictis expenſis contribuant, prout Nos, vel Diœceſanus, aut Vicarius duxerimus, vel duxerit ordinandum, præcipientes noſtro Vicario, ejuſque ſucceſſoribus, & omnibus, & ſingulis Suffraganeis noſtris, & eorum Vicariis, ut ſuper præmiſſis invigilent, & intendant, nam multos circa talia, & ſimilia ſatis deſides, & negligentes comperimus, & requiſiti ſatisfieri faciant de dictis expenſis, aliter litem ſuam facient, & de proprio illas reſtituere ſint adſtricti.

Omnes doctores, & Clerici illius loci contribuant expenſis, quas ejuſmodi Cappellanus citatus faciet, ut ſe viriliter defendat.

CAP. IX.

Quid agendum in caſu, quo Cappellanus mandatum aliquod exequutus eſt, & poſtmodum auctoritate alterius Judicis ſibi contrarium demandatur?

SI autem contigerit, quod auctoritate noſtra, vel Vicarii noſtri, vel Diœceſani, aut ſui Vicarii, vel alterius Judicis mandatum aliquod, puta de citando, vel excommunicando aliquem, Cappellanus fuerit executus, & poſtmodum auctoritate alterius Judicis ſibi contrarium demandetur. Si ſecundum mandatum ipſo jure nullum, vel falſum appareat evidenter, ſtatim illud reſpuat, & repellat. Si vero dubium ſit, an ſit exequendum, vel non, Nos ſuper hoc, vel Diœceſanum, ſeu Vicarium conſulat, quid ei ſuper hoc ſit agendum, antequam ad exequendum ſecundum mandatum procedat.

CAP. X.

Citandi munus, & jus reſtringitur.

NUllus auctoritate propria abſque noſtro, vel Vicarii noſtri, Diœceſanorum, vel Vicariorum, ſeu Superiorum noſtrorum mandato aliquem citare præſumat, niſi contradicentes matrimoniis contrahendis, quos, & illos, quibus contradicent, citet quilibet Curatus peremptorie, ut coram ſuo Judice compareant certa die competenti, ſuper cauſa contradictionis debite proceſſuri. De qua citatione idem Curatus per ſuas litteras Judicem certificare procuret.

Sententiæ excommunicationis ab ordinariis prolatæ, vel ab eorum Vicariis, quando vires ſuas obtineant?

Sententias excommunicationis a Nobis, vel Vicario noſtro, ſeu a quolibet Ordinario, vel eorum Vicariis prolatas, non ante ſtatuimus vires obtinere, quam litteræ ſuper hoc concedendæ, cum ſigillo noſtro, vel Curiæ, vel cujuslibet Diœceſani Ordinarii, vel Vicarii fuerint ſigillatæ, niſi forte eſſent de illis ſententiis, quæ in vim ſtatuti in Conciliis Provincialibus, vel Synodis generaliter proferuntur.

Sententias vero interdicti a Nobis, vel Vicario, ſeu aliis Ordinariis prolatas, & litteras monitorias pro re judicata excommunicationem continentes, & etiam litteras abſolutionum, in quibus ita dicitur: *Mandamus tibi, quatenus talem abſolvas*: non enim de illis loquimur, in quibus dicitur: *Remittimus abſolutum*: Licet prædictæ litteræ interdictorum, & monitionum, & abſolutionum fuerint ſigillo noſtro, vel Curiæ noſtræ, vel aliorum Ordinariorum ſigillatæ, habere ſtatuimus, & volumus nullum robur, niſi infra quindecim dies, computandos a tempore datæ litterarum illarum, illis, quibus diriguntur, fuerint præſentatæ.

CAP. XI.

De litteris citatoriis, quæ ab Ordinariis, vel eorum Vicariis emanant, quando ſigillari, & executioni mandari debeant?

PRæcipimus omnibus Abbatibus, Archipresbyteris, & Sacerdotibus Parochialibus, & aliis Clericis, quod litteras citatorias a Nobis, vel Vicario noſtro, ſeu aliis Suffraganeis, & eorum Vicariis emanandas non ſigillent, ſeu exequantur, quouſque habuerint copias hujuſmodi litterarum, ſeu ſaltem in effectu, quas tradant illis, qui citabuntur, ſcilicet unicuique citato ſuam, niſi forte plures conrei eſſent in una domo habitantes, qui pro uno facto, vel negotio citarentur, quia tunc una copia ſufficeret omnibus illis.

Copias vero litterarum Domini Papæ, & aliorum Judicum Delegatorum ex integro retineant, videlicet authentici, ſubdelegationis, monitionis, citationis, & eas tradant illis, qui citabuntur, ſuo ſigillo ſigillatas.

CAP. XII.

Quid agere debet Sacerdos, cui mandatur, ut aliquem ab excommunicatione, vel interdicto abſolvat?

QUidam Sacerdotum ita rudes, & ignari exiſtunt, quod cum mandatur, ut aliquem abſolvant ab excommunicationis ſententia, vel interdicti, credunt, quod ſit ſtatim abſolutus obtenta tali abſolutionis littera, & ipſe excommunicatus aliquando exiſtimat idem eſſe; quod tamen verum non eſſe, nullus ſanæ mentis ignorat.

Unde præcipimus eiſdem Sacerdotibus, quod cum eis mandatur, quod aliquem abſolvant, tunc eo prius reconciliato extra Eccleſiam ante fores, ſive portas, illum abſolvant ſecundum formam traditam, ſcilicet *in Titulo de ſententia excommunicationis*, quæ ſolemnitas non eſt ſervanda, nec abſolutio impendenda, cum aliquis excommunicatus, vel interdictus remittitur abſolutus, ſed ſtatim debebit nuntiari publice abſolutus.

Sciendum eſt autem, quod quamvis non Sacerdos poſſit excommunicare, & etiam abſolvere a ſententia judiciali, debet tamen dicere abſoluto, ut oſtendat ſe Sacerdoti, qui ratione clavis ipſum abſolvere debet, quantum ad ſolemnem Eccleſiæ reconciliationem, & ſatisfactionem.

Unde caveant Epiſcopi, vel Judices delegati, nam non Sacerdotes in foro pœnitentiali abſolvere non poſſunt, licet in contentioſo ſic, & tunc committatur Sacerdoti.

Cavendum hac in re, a quibus, & ſub qua forma verborum mandata ejuſmodi recipiantur.

Caveant igitur Sacerdotes, a quibus, & ſub qua forma verborum mandata hujuſmodi recipiunt, ut diligenter exequi poſſint, ut ſuperius in *Titulo de Pœnitentiis* circa finem, *§. Impoſita vero pœnitentia* tetigimus.

Curati idoneos Cappellanos ſibi ſubſtituant, dum ipſos ex aliqua cauſſa juſta, & neceſſaria abeſſe contigerit.

Diſtricte præcipimus, ut omnes Curati, ſeu eorum locatenentes reſidentes, cujuſcumque ſtatus ſint, dum ipſos ex aliqua juſta cauſſa, & neceſſaria abeſſe contigerit, tales Cappellanos in loco ſui dimittant, qui ſciant, & poſſint, & velint mandata noſtra, vel Suffraganeorum noſtrorum, ſeu Vicariorum, ac Superiorum exequi reverenter.

Alioquin tam ipſos, quam illos locum tenentes, graviter puniri volumus, & mandamus.

CAP.

CAP. XIII.

De canonica monitione ſemel, iterum, & tertio facienda cum intervallo inter unam, & aliam, vel ſaltem de una peremptoria pro tribus.

DEbent autem omnes Prælati, Rectores, & Clerici advertere diligenter, ut cum mandatur eiſdem, ut aliquem ad faciendum aliquid moneant, vel canonice moneant, ſemel, ſecundo, & tertio monitionem illam faciant, ita quod inter unam monitionem, & aliam ſit dierum aliquot intervallum. Vel ſaltem unam peremptoriam pro tribus monitionem faciant, dicendo. *Ego moneo vos peremptorie, ut infra terminum in litteris monitionis comprehenſum contenta in illis litteris compleatis.* Vel ſi in illis litteris non eſt terminus appoſitus, nec continentur ibi *viſis præſentibus litteris, &c.* tunc Sacerdos apponat terminum juxta negotii qualitatem.

Quia nos docet experientia temporale Dominium ubique contra honorem, & ſtatum Apoſtolicæ Sedis, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ juriſdictionem, & libertatem temere veniendo in perſonas, & bona Clericorum manus ſuas nefarias extendere, etiam ad diverſas requiſitiones, & monitiones propterea factas non relaxando, excommunicationum ſententias non verendo, ſed vias tranſverſas exquirendo ad oppreſſiones. Iccirco, cum pluries remedia adhibentes viderimus non prodeſſe, ſub excommunicationis pœna, & in virtute ſanctæ obedientiæ præſentis auctoritate Concilii ſtatuendo præcipimus, quod in Civitatibus, Diœceſibus Provinciæ noſtræ Beneventanæ, & in noſtris Civitate, & Diœceſi, Caſtris, Villis, locis, & Parochiis, in quibus Clericos, vel Eccleſiaſticas perſonas, vel eorum bona mobilia, ſeu pignora contra voluntatem ipſorum, ſeu homines, vel mulieres Eccleſiarum injuſte occupata, capta, arreſtata, ſeu laizata per ſæcularem, vel laicalem potentiam abſque noſtri, vel Vicarii noſtri, vel cujuslibet noſtrorum Suffraganeorum, vel Vicariorum ſuorum licentia conſtiterit detineri, tamdiu ceſſetur penitus a Divinis, quouſque priſtino ſtatui fuerint plenarie reſtituta. Et hoc ita ſervetur in locis, in quibus occupatores, vel pignoratores hujuſmodi præſentes extiterint, ſi requiſiti dicta bona, ſeu pignora, vel perſonas priſtino ſtatui non reſtituerint ſine mora; Cappellani vero, & Clerici, qui contra prædicta non ceſſaverint, præter pœnas a Jure ſtatutas juxta noſtrum, vel Vicarii noſtri, vel Suffraganeorum, vel eorum Vicariorum arbitrium pœna pecuniaria, vel alia punientur in pios uſus, & licitos convertenda.

Pœna Cappellanis & Clericis inflicta, ſi in tali caſu non ceſſent a divinis

CAP. XIV.

De Concionatoribus, & Confeſſariis, ne prædicare, aut confeſſiones audire, aut abſolvere a reſervatis, vel a cenſuris ſine facultate legitima præſumant.

ITem perpetuo prohibemus edicto, ne aliquis prædicare, vel confeſſiones audire præſumat, niſi auctoritate legitima pertineat ad eumdem, vel mittatur ab eo, qui mittendi ad hoc habeat poteſtatem, nec alii, niſi ſint de Pœnitentiariis noſtris, vel aliis, quibus etiam caſus Epiſcopales duxerimus committendos, a ſententiis interdicti, ſuſpenſionis, vel excommunicationis latis a Nobis, vel Vicario noſtro, Suffraganeis, vel eorum Vicariis, ſeu Provinciali Concilio, vel hujus Eccleſiæ Conſtitutionibus, quemquam abſolvere præſumant, niſi ſuper hoc a Nobis, vel Vicario noſtro, Suffraganeis, vel eorum Vicariis mandatum receperint ſpeciale. Alioquin abſolutionem talem decernimus non tenere.

Caveant igitur Religioſi, & alii, quibus ſiunt Commiſſiones, quia dubitamus multos extendere ſimbrias ſuas quo ad abſolutionem ſententiarum latarum per conſtitutiones, de quibus non intelligitur data poteſtas, niſi exprimatur ſpecialiter.

Non intelligitur data poteſtas ad abſolvendum a ſententiis per conſtitutiones latis, niſi exprimatur ſpecialiter.

CAP. XV.

Quo pacto beneficia Eccleſiaſtica debeant reſignari?

NUllus beneficium Eccleſiaſticum, niſi coram Nobis, vel Suffraganeis reſignare præſumat; hujuſmodi autem renuntiatio, ſive reſignatio debet eſſe voluntaria, pura, & abſoluta, alias, ſi aliquo dato, vel promiſſo, ſimonia eſſet; quod ſi non præcederet datio, vel promiſſio, ſed ſola intentio, tunc mentalis ſimonia committeretur, licet per pœnitentiam aboleretur; debet etiam fieri convenienter in ſcriptis. Epiſcopus autem non poteſt renuntiare, etiam ſi ſit electus, confirmatus, niſi in manu Papæ, & eſt hoc regulare, quod reſignatio debet fieri in manu illius, a quo habetur inſtitutio, vel confirmatio.

CAP. XVI.

De Religioſis exemptis, quibus in caſibus a juriſdictione Ordinariorum non eximantur.

LIcet Religioſi exempti a juriſdictione Ordinariorum Judicum regulariter eximantur a Jure, in quibusdam tamen caſibus, videlicet, cum in loco non exempto delinquunt, vel contrahunt, vel aliquid poſſident, & etiam ratione Eccleſiarum, & Cappellarum ſuarum non ex-

emptarum, & cum aliquid tenent ab Ordinariis, coram ipſis reſpondere tenentur, in quibus caſibus ſi aliquis per exemptos oppreſſus fuerit, ad Nos, vel Vicarium, vel ad Suffraganeos, & eorum Vicarios contra ipſos recurrat pro juſtitia obtinenda, & ad hoc per Nos, vel Vicarium noſtrum, ſeu Suffraganeos, vel eorum Vicarios ipſos per cenſuram Eccleſiæ compellemus, & compelli jubemus. Et ſi forte ſententias noſtras, Suffraganeorum, vel Vicariorum noſtrorum propter hoc in ſe latas renuerint obſervare, de quo Sacerdotes parochiales Nos, vel Suffraganeos, vel Vicarios certificare procurent, ipſos, ut inobedientes, & irregulares puniri mandamus, pro ut de Jure fuerit ſeveriter faciendum.

Regulares requiſiti ſua privilegia oſtendere tenentur.

Et quia quotidianum, advertendum, quod qui dicunt ſe exemptos, & allegant privilegia, requiſiti ab Ordinariis oſtendere tenentur coram eis, vel electis ab eis, & etiam tradere tranſcripta articulorum, de quibus fuerit controverſia. Quod ſi ad exemptionem allegent ſolam præſcriptionem, debent de hoc facere fidem. Si vero allegant utrumque, tunc ſi privilegium non ad plenum ſufficiat, ſi tamen cauſſam præbeat præſcribendi, tenentur præſcriptionem probare, & probatione pendente non turbentur; quod ſi non allegant, nec exhibent ſaltem tale privilegium, quod cauſſam præſcribendi præbeat, Diœceſani tunc utantur jure ſuo.

Cum Eccleſia ſit exempta, qui nam in ea intelliguntur exempti, qui ſecus?

Item attendendum, quod exempta Eccleſia, & Monachi, vel Canonici, & perpetuo oblati intelliguntur exempti, non autem Presbyter, qui parochianorum curam habet, quo ad ea, quæ ad ipſam curam pertinent, nec ipſi Parochiani: & ſi eximantur Monachi, vel Canonici alicujus Eccleſiæ, non propter hoc ſunt exempti Clerici, ſunt bene e converſo, ſed ipſa Eccleſia non eſt propter hoc exempta.

Ideo conſulimus, cum hujuſmodi exemptiones allegabuntur, diligenter attendantur verba privilegiorum, & teneatur modus ſupradictus. Legatus vero de latere bene poteſt cognoſcere contra exemptos, ſecus tamen de aliis Legatis.

Quantumcumque exempti, & privilegiati non poſſunt intrare Monialium Monaſteria, contra prohibitionem Provincialium conſtitutionum.

Caveant autem intrantes Monaſteria Monialium contra tenorem, & prohibitionem provincialium conſtitutionum, quod quantumcumque exempti, ſeu privilegiati nihilominus ſententias in ipſis provincialibus conſtitutionibus incurrunt, quod male advertunt plures, potiſſime in Civitate noſtra.

CAP. XVII.

Neque clam, neque palam perſona Eccleſiaſtica clericaliter vivens ad judicium Curiæ ſæcularis evocari poteſt: enumerantur exceſſus, qui contra libertatem Eccleſiaſticam ſolent committi.

Idque ſub pœna ſuſpenſionis in Capitula, ſeu Conventus, excommunicationis in ſingulas perſonas.

PRæſertim juribus, & ſtatutis antiquis inhærere volentes, prohibemus, ne perſonam Eccleſiaſticam clericaliter viventem quis pro re aliqua ad judicium Curiæ evocet ſæcularis, vel evocari procuret clam, vel palam; quod ſi ſecus fecerit, in Capitula, vel Conventus ſuſpenſionis, in ſingulares perſonas ſuper hoc culpabiles excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis.

Enumerantur varii exceſſus contra Iuriſdictionem, libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam.

Ceterum, quia nonnulli temporale dominium obtinentes, vel ſæcularis judiciariæ poteſtatis gerentes officium in juriſdictionem, libertatem, ſeu immunitatem Eccleſiaſticam moliuntur, maxime in caſibus, qui ſequentur, videlicet, quod in ſuis terris, & locis aliquoties palam, & publice proclamaverint, & inhibuerint in judicio, & extra, ſeu clam inhibere fecerint, & quotidie faciunt, ne aliqui ſubditorum ſuorum alter alterum ad forum vetitum Eccleſiaſticum reputantes, quoquomodo præſumant trahere de cauſis, ſeu quæſtionibus, ſuper quibus ad idem forum Eccleſiaſticum ſpectat cognitio, tam de conſuetudine, & privilegio, quam de jure; & cauſis inchoatis, & incœptis in Curia Eccleſiaſtica litigantes ad deſiſtendum compulere pluries, & compellunt, aut proclamare, & inhibere fecerunt, aut faciunt modo ſimili, ne ipſi ſubditi, aliquive ipſorum ſuper recipiendis contractibus ab eis de cetero ineundis ad Notarios, & Juratos Curiæ Eccleſiaſticæ recurrere ullatenus auſi eſſent, cum gravium temporalium adjectione pœnarum in contrarium facientes.

Et inſuper creditores, ad quorum inſtantiam debitores excommunicati ſunt auctoritate dictæ Curiæ Eccleſiaſticæ, nunc per minas horrendas, nunc per preces inordinatas aliter, & aliter indirecte, aliquoties directe compellunt ad conſentiendum abſolutionibus debitorum, & litteras excommunicatorias, ſeu originales, aut alias ab invitis creditoribus faciunt exhibere, & exhibitas quandoque lacerant, & faciunt lacerari.

Aliquando ipſas per ſe, vel alium retinent contra voluntatem hujuſmodi creditorum, & quandoqne acta in ſuis ponunt, ut ita dicamus, carceribus, maxime citationes, & eas ibidem cuſtodiunt, donec dies aſſignata in eiſdem ſit elapſa, aſſerentes, quod perſonas portantes non capiunt, ſed litteras.

Et quandoque, quod deteſtabilius eſt, portatores ipſos nudos capiunt, verberant,

rant, & compellunt comedere litteras, & ſigilla, & quam plures ex ipſis creditoribus hac de cauſſa, videlicet, quia fecerunt ſibi debitores ſuos ſub coercitione dictæ Curiæ Eccleſiaſticæ obligari, ad emendas trahunt, & nituntur trahere omni die.

Et, quod deterius eſt ſentiendum, Sacerdotes Clericos, & Eccleſiaſticas perſonas quam plures, uxores, parentes, amicos fraudulenter retroactis temporibus ceperunt, arreſtaverunt, incarceraverunt, capi, & arreſtari, & incarcerari fecerunt, mandaverunt, & procuraverunt, ac bona etiam eorumdem.

In impedientibus, ſeu impedire conantibus ne juriſdictio Eccleſiaſtica extra loca ſacra exerceatur.

Item impediunt, & impedire conantur, ne in ipſorum diſtrictu extra loca ſacra juriſdictio exerceatur Eccleſiaſtica, quod eſt contra Jura expreſse, cum quolibet loco ſuæ Diœceſis non exempto valeat exerceri.

Rurſus ceperunt, & incarceraverunt perſonas Eccleſiaſticas, & licet tamen requiſiti, nolunt reſtituere Curiæ ſpirituali: ſed quandoque per ſe relaxaverunt, & abire fecerunt quandoque de loco ad locum, & etiam extra Diœceſim transferre, ut perſonas ipſas Eccleſiaſticas magis afficiant, & affligant; quandoque differunt reſtituere, & propter hoc ab ipſis quandoque pecuniam exigunt, & ſic abire permittunt.

Et, quod pejus eſt, fovent illos quandoque poſtmodum, & ſuſtinent, ne puniri poſſint de ſuis delictis per ſuum Judicem Eccleſiaſticum, maxime committentes in Curiæ Eccleſiaſticæ facultatem, & eidem rebelles.

Ceterum, ſi perſonæ Eccleſiaſticæ, & aliæ, quarum punitio, & correptio ad Judicem Eccleſiaſticum noſcitur pertinere, pro ſuis facinoribus a ſuis Judicibus capiantur, ſi ad forum ſæculare provocent, ſeu appellent, cogunt Judices ſæculares Eccleſiaſticos Judices, quod ſibi reſtituantur, occaſione appellationis frivolæ interjectæ.

Porro cum perſonas Eccleſiaſticas captas per ipſos ſæculares Judici Eccleſiaſtico reſtituunt, tanquam ſibi infeſti, prolixa crimina eisdem imponere falſe, & doloſe præſumunt, & nihilominus compellunt Judices Eccleſiaſticos, & perſonas ipſas captas ad ſatisfaciendum ſibi de cuſtodia, Carcerario, Caſtellano, Porterio, ſeu Gulario, & de expenſis factis ſuperfluis occaſione perſonarum prædictarum.

Forſan *; quando.

Diverſæ violentiæ, quas in reſtitutione Clericorum exercent.

Rurſus *quandoque* reſtituunt, ipſos vituperoſe remittunt, bonaque mobilia cum eis capta retinent, & reſtituere contradicunt, ac nonnunquam Clericos per ipſos captos cum habitu, & tonſura clericali in carceribus ſuis radi faciunt & indui veſtibus radiatis, ſeu partitis, compellentes eosdem, & inducentes fraudulenter ad recognoſcendum ſe non eſſe Clericos, & abnegandum de facto privilegium Clericale.

Item perſonas Eccleſiaſticas per bonorum ſuorum captionem, & quandoque per arreſtum corporum, & carcerem ſuis creditoribus ſatisfacere compellunt. Et quandoque in caſu, ſi tales perſonas remittant ad Eccleſiaſticum Judicem, niſi Judex ipſas perſonas in carcere, vel arreſto detineat, Judicem ipſum per captionem bonorum temporalium debitum ſolvere compellunt, ceſſionem etiam bonorum principalium debitorum recuſantes.

Interdum etiam perſonas Eccleſiaſticas compellunt ad contribuendum talliis, nihilominus ipſarum perſonarum Eccleſiaſticarum domorum oſtia aperta in parietem, ſeu murum in fraudem ſigillant, aut filum ex transverſo oſtii ipſorum cum ſigillo in utroque capite ipſius apponunt, ne domos valeant intrare, ut ſic fatigati reſpondeant coram ipſis, aut ſuæ ſatisfaciant voluntati.

In compellendis Clericis ſuper titulum Eccleſiarum litigantibus, ut coram ſe rem hanc oſtendant, &c.

Quandoque ſuper titulum Eccleſiarum ipſos Clericos litigantes compellunt coram ſe oſtendere, cognitionem habere volentes, & determinationes, non ſinentes eos coram Eccleſiaſtico Judice comparere. Et quod pejus eſt, niſi eisdem ſuper factis cauſſis, & quæſtionibus Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticis ipſi Clerici obediant, bonis temporalibus eosdem privant, ea ad ſuas manus capiendo, & ipſis Clericis, ut de terris ipſorum exeant, & ne in eorum diſtrictu habitare præſumant, ſed nec in Eccleſiis, aut poſſeſſionibus Eccleſiarum remaneant, comminando, & ſub formidabilibus inauditis pœnis præcipiendo, & quandoque verberando, & verberari propterea faciendo, eorumque amicis, & parentibus injurias, & damna inferendo.

Et etiam, cum perſonæ Eccleſiaſticæ coram ipſis Judicibus ſæcularibus in actionibus perſonalibus, & aliis, in quibus ad ipſos ſæculares Judices non ſpectat cognitio, reſpondere recuſant, ipſos de facto ponunt in contumacia, vel in defectu, & deinde compellunt eas in præmiſſis modis, & alias ad ſolvendum emendas, occaſione prædicti defectus. Et ſuper his, ut deſiſtant, per Eccleſiaſticum Judicem requiſiti, contemnunt, ſed quandoque pejora faciunt in præmiſſis.

Alias *requiruntur.

In judicib. ſæcularibus denegantib. Eccleſiæ auxilium ex imminente neceſſitate requiſiti.

Et inſuper, cum prædicti Judices ſæculares *requirunt* per Eccleſiam, imminente neceſſitate, auxilium ſuum denegant impertiri.

Admittunt etiam Judices ſæculares coram ſe judicialiter excommunicatos ad agendum, teſtificandum, & patrocinandum, licet, ut tales repellant, legitime requirantur.

Exercent etiam juriſdictionem in Eccleſiis, ſeu eorum ſubporticis, Hoſpitalibus, ſive aliis locis Religioſis, aut ſacris, & Deo deputatis, & forum, ſeu mercatum tenent in eiſdem.

Item

præmiſſis ſine mora, vel difficultate qualibet debeant abſtinere, & ſi contra fecerint, & a præmiſſis non ceſſaverint, excommunicationis ſententiam in contra facientes protulimus, & nunc proferimus in his ſcriptis.

CAP. XIX.

Inhibitio, ne quis in præjudicium Beneventanæ Eccleſiæ, vel Epiſcoporum Suffraganeorum præſumat beneficia conferre, & quibuſcumque de cauſſis cognoſcere ad juriſdictionem Eccleſiaſticam ſpectantibus, niſi prædicta ſibi de jure, aut de ſpeciali privilegio ſibi competere conſtet.

AUſus etiam temerarios refrænando per eaſdem Provinciales Conſtitutiones ſtatutum, & ſancitum eſt, quod nullus de Civitate, Diœceſi, & Provincia Beneventanis, cujuſcumque ſtatus, præeminentiæ, conditionis, Ordinis, ſeu Dignitatis exiſtat, in prædictis Civitate, Diœceſi, & Provincia in præjudicium noſtræ Beneventanæ Eccleſiæ, & Suffraganeorum noſtrorum conferre beneficia, de cauſſis quibuſcumque cognoſcere, ac alia exercere, quæ ad noſtram, noſtrorumque Suffraganeorum * *inteddictionem* legitime pertinere noſcuntur, ſeu quælibet attentare præſumat, niſi prædicta ſibi a jure, ſeu ex ſpeciali privilegio, vel aliqua cauſſa legitima pertinere noſcantur, de quibus Nobis, aut dictis Suffraganeis duorum menſium ſpatio fidem ſufficientem facere, & plenarie debeat informare.

Alias * *Juriſdictionem*.

Contrarium vero facientes excommunicationis ſententiam, ac beneficii, quodcumque obtinuerint, privationem ipſo facto incurrerent, collationeſque beneficiorum quorumcumque, cauſſarum cognitiones, & proceſſus, & acta quæcumque, per quas, & quæ noſtra, ſeu Suffraganeorum juriſdictio impediretur, ſeu læderetur in aliquo hactenus facta, & in poſterum facienda, nullius eſſent valoris, ac firmitatis.

Excommunicationis ſententia cum beneficiorum privatione contravenientibus inflicta.

Et quia pauci fuerunt, qui poſt publicationem dictæ Conſtitutionis fidem facerent, ſeu aliqua privilegia, aut aliam juſtam cauſſam allegarent, licet multi prætenderent in pluribus juriſdictionem habere, & habere debere, & conferendi beneficia poteſtatem habere.

In pœnas, & ſententias hujuſmodi conſtitutionis declarantur incidiſſe, qui poſt publicationem prædictæ conſtitutionis, privilegia, ſeu juſtam cauſſam non allegarunt.

Iccirco in poſt ſequenti tunc Provinciali Concilio ſolemniter declaravimus omnes illos, qui infra præfatum tempus nihil docuerant de præmiſſis, in pœnas, & ſententias præfatæ conſtitutionis incidiſſe, nihilominus inhibendo eiſdem, ne de cetero de aliquo * *præmiſſorum* intromittentes noſtram, ſeu cujuslibet juriſdictionem occupando, ſeu ad ea manus * *oſtendere* quoquo modo auderent, alias omnes collationes beneficiorum, cauſſarum cognitiones, proceſſuſque eorum nullas, & nullos decernimus, & declaravimus, ipſoſque excommunicatos pronuntiavimus, & in his ſcriptis, præmiſſa omnia confirmando etiam declaramus, exceptis illis, de quibus apud acta noſtræ Curiæ, vel alias fidem de ſuis juribus feciſſe legitime poterit apparere.

Innovatur in eiſdem inhibitio. Vel * *præmiſſis*.

Alias * *extendere*

CAP. XX.

Perſtringuntur ii, qui decedere inteſtati volunt.

CÆca cordis ambitio ſic quorumdam interiores oculos ſævienti obtexit caligine, ut quid de jure liceat, non advertant, quidve de honeſtate deceat, non attendant, quinimmo timore Divino poſtpoſito in ſuarum periculum animarum ſcienter in his, quæ Divina, & humana lege, conſtitutione etiam Provinciali ſtatuta ſunt, ſatagunt contraire, Eccleſiaſticam cenſuram contemnendo. Jure ſiquidem permittente, habet unuſquiſque mentis compos licentiam, * *bonorum*, quæ obtinuit, decedens relinquere. Nihil enim eſt, quod magis hominibus debeatur, quam, ut ſupremæ voluntatis, poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtilus, & licitum, quod iterum non redit in arbitrium.

Perſtringuntur ii, qui decedere inteſtati volunt.

Alias * *bona*.

Habet autem vera inſinuatio, quod ut plurimum hodiernis temporibus decedentes, ignorantiæ juris, & facti, velut inteſtabiles inhærendo, ſcienter potius decedere cupiunt inteſtati, licet tempus habeant ordinandi, & ſana mente conſiſtant, ſuo proprio quandoque ducti, quin potius ſeducti conſilio plerumque alieno, animam ſuam fraudando obſequiis, piiſque ſuffragiis relictorum, quaſi ſuæ ſalutis immemores, & honoris pauperes, Eccleſias, & pia loca contemnendo, male ablata, ſine quibus vix aliquis invenitur, retinendo, proximum proinde, & alias lædendo, portione a jure tradita, ceteriſque juribus ſuum Paſtorem, & Epiſcopum defraudando. Attendentes igitur præmiſſa in * *evericationem* Juris, & Conſtitutionum antiquarum, quæ de teſtamentis poſitæ ſunt, machinari, dignum reputantes noſtro Paſtorali incumbere officio, ſi ea, quæ ſtatuta ſunt, tueantur, cum parum prodeſſet alias ea ſtatuiſſe pro ſalubri ſtatu animarum, requirimus, monemus, & hortamur in Domino omnes utriuſque ſexus, cujuſcumque ſtatus, habiles ad teſtandum, Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ, & in eis habitantes, ut præfatas Conſtitutiones obſervantes, dum ſanæ mentis in ſua infirmitate, vel alias fuerint, ſua teſtamenta condere, ac pro rebus ſuis pro libito diſponere ad ſalutem animarum procurent, nullatenus inteſtati decedentes. Quod ſi machinatione

Forſan * *prævaricationem*.

Admonitio vehemens ad condenda tempeſtive, & pie teſtamenta.

Interdicitur Eccleſiaſtica ſepultura his, qui doloſe, aut ex ignorantia affectata inteſtati decedunt.

Pœna conſilium, auxilium, &c. ſuper hac re dantib. inflicta.

tione, arte, ingenio, aut fraude, doloſitate, ſive affectata ignavia, per ſe, vel alia inteſtati decedere maluerint, auctoritate præſentis Concilii, eo ipſo, ſi ſic decedant, Eccleſiaſticam eis interdicimus ſepulturam, & aliis, qui ſuper hoc eiſdem, vel aliquibus conſilium præſtiterint, auxilium, perſuaſionemve quoquo modo: ſub pœna unius Auguſtalis præcipientes omnibus Eccleſias Curatas habentibus, ut in vulgari præſentem noſtram Conſtitutionem exponentes Populo in Eccleſiis eorum congregato, ipſum moneant, & inducant circa factionem teſtamentorum, & ne contra tenorem hujus Conſtitutionis quemquam ad ſepulturam admittant.

CAP. XXI.

Excommunicationis ſententia ipſo facto incurrendæ in eos lata, qui licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, mutilandi, vel quovis modo gravandi eos, qui ſententiam excommunicationis in aliquos protulerint, vel eos, quorum occaſione ejuſmodi ſententia prolata fuit.

QUicumque pro eo, quod in Reges, Principes, Comites, Barones, Nobiles, Rectores, Juſtitiarios, Bajulos, vel quoslibet miniſtros eorum, aut quoſcumque alios excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti ſententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, mutilandi, verberandi, ſeu aliter in perſonis, aut bonis ſuis, vel ſuorum gravandi, qui tales ſententias protulerint, ſive quorum ſunt occaſione prolatæ, vel eaſdem ſententias obſervantes, ſeu taliter excommunicatis communicare nolentes, niſi licentiam ipſam in integrum revocaverint, vel ſi ad captionem bonorum occaſione ipſius licentiæ ſit proceſſum, niſi bona ipſa fuerint infra octo dierum ſpatium reſtituta, aut ſatiſfactio pro eis impenſa, in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto.

Extenditur excommunicatio in eos, qui auſi fuerint prædicta licentia uti.

Eadem quoque ſint ſententia innodati omnes, qui auſi fuerint prædicta licentia data uti, vel aliquo præmiſſorum, ad quæ committenda licentiam dari prohibemus, & alias committere per ſe ipſos; qui autem in eadem ſententia permanſerit duorum menſium ſpatio, ex tunc ab ea non poſſit, niſi per Sedem Apoſtolicam, abſolutionis beneficium obtinere.

Excommunicationis ſententiæ ſubjacent ipſo facto, qui nuncios, aut executores Eccleſiaſticorum Judicum, aut deferentes eorumdem litteras, vel acta judiciaria verberant, detinent, mutilant, & occidunt.

Sacri proviſione Concilii duximus ſtatuendum, quod ſi quis cujuſcumque dignitatis, aut conditionis exiſtat Nuntios, aut executores Eccleſiaſticorum Judicum, aut alios litteras eorumdem, actave judicaria deferentes hac occaſione verberare, detinere, capere, occultare, carceri mancipare, mutilare, aut, quod gravius cenſendum, interficere, litteras, vel acta prædictis perſonis auferre, rumpere, cancellare, aut alias deſtruere quoquo modo, vel ſic ablata celare præſumpſerit, aut, ut iſta fiant, procuraverit, vel facientibus conſilium, vel opem duxerit adhibendam, excommunicationis ſententiæ, quam ex nunc proferimus, ſubjaceat ipſo facto, a qua, niſi prius Judici, cujus auctoritatem contempſerit, & paſſo injuriam, & ceteris, quorum intererit, pro ut exceſſus poſtulabit atrocitas, ſatisfaciat competenter, nullatenus abſolvatur.

Nec poſſunt abſolvi, niſi ſatisfiat prius parti læſæ.

CAP. XXII.

Quid agere debent Suffraganei, aut eorum Vicarii, aut alii Ordinarii, cum Judex Eccleſiaſticus excommunicat quemcumque Juriſdictionem ſæcularem habentem, aut exercentem pro eo quod juriſdictionem Eccleſiaſticam violet?

ITem ſtatuimus, quod, ſi Judex Eccleſiaſticus excommunicet quemcumque juriſdictionem temporalem habentem, ſeu exercentem, pro eo, quod juriſdictionem Eccleſiaſticam minuere, aut enervare, ſeu uſurpare nituntur, omnes Suffraganei, aut eorum Vicarii, aut alii Ordinarii, qui ſuper hoc fuerint requiſiti, illam ſententiam executioni demandent, & publicent, & ſi ſuper hoc fuerit appellatum ad Nos, vel Vicarium noſtrum, ſtatuimus, quod noſter Vicarius hujuſmodi appellationem non admittat, ſi eidem conſtet ſuper dicto caſu appellatum fuiſſe, immo appellationem pronuntiet frivolam, atque nullam, & ſententias Ordinariorum executioni demandet, niſi alia cauſa ſufficiens, quare appellatio admitti debeat, allegetur.

Parti, aut advocato bona fide appellantib. nullam moleſtiã inferant.

Pœna contravenientibus inflicta.

Item præcipimus, ut Suffraganei, & eorum Vicarii, & alii inferiores Judices humiliter appellationibus deferant, quibus fuerit deferendum; neque propter hoc parti, aut Advocato bona fide appellantibus moleſti exiſtant, nec aliquam pœnam infligant; qui vero ſcienter, & malitioſe contra fecerint, ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem noverint ſe ſuſpenſos. Advocatos autem qui ſcienter, & ſic malitioſe contra ſtatutum hujuſmodi ſubtraxerint, aut ex favore illicito, excommunicationis vinculo innodamus.

Sub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem.

Sub pœna etiam excommũicationis advocatis inflicta, qui contra ſtatutum hoc malitioſe fieri procuraverint.

Item præcipiendo ſtatuimus, quod Vicarius noſter Beneventanus, & alii Officiales noſtri juriſdictionem Suffraganeorum, & aliorum Eccleſiaſticorum Judicum, & ſubjectorum noſtrorum ſcienter per malitiam non impediant; alioquin per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ noverint ſe ſuſpenſos. Advocatos autem, qui malitioſe contra ſtatutum hujuſmodi fieri procuraverint, excommunicationis ſententia innodamus.

Cap. XXIII.

In electionibus celebrandis potiſſime libertatis puritas ſervanda eſt.

Cum in electionibus celebrandis potiſſime libertatis puritas ſit ſervanda, quia, pro ut ſæpe palpavimus, in eiſdem electionibus quarumcumque Eccleſiarum, etiam Cathedralium, & Monaſteriorum, quæ in noſtris, Civitate, Diœceſi, & Provincia pro libertate datur impreſſio, & quaſi pro auro plumbum, honores in contumelias convertuntur, adeo quod in pleriſque locis, & Civitatibus, cum imminent electiones Paſtorum celebrandæ, aut etiam Canonicorum creationes, & inſtitutiones, propter iniquitatis filios convertuntur Electores ad ineptas electiones faciendas pro multitudine, quandoque populi minis, quandoque nobilium, & aliis impreſſionibus, & ſimoniacis, ac particularibus tractatibus intervenientibus.

Conſtitutiones ſuper eadem re editæ. Forſan * *contagione*.

Igitur novis morbis, & utinam non inveteratis, nova remedia præparantes, ne morbus tam pernicioſus obrepat, & ſui * *cogitatione* trahatur a poſteris in exemplum: Hujus proviſione Concilii duximus ſtatuendum, quod quicumque de cetero per ſeditioſam conſpirationem, vel conventionem habitam ſimul cum aliis, quacumque firmitate vallatam, impedimentum latens, aut patens præſtiterit, quo minus Eccleſiis ſæcularibus, vel regularibus, dignitatibus, perſonatibus, aut adminiſtrationibus quibuslibet, aut Canonicatibus per illos, ad quos locorum ipſorum, vel dignitatum, ſeu adminiſtrationum, vel Canonicatuum per viam electionis, ſeu poſtulationis, vel alias ſpectat proviſio, eiſdem locis, dignitatibus, perſonatibus, ſeu adminiſtrationibus, aut Canonicatibus de perſonis idoneis, undecumque extiterint oriundæ, & alias libere per electionem, aut poſtulationem canonicam valeat provideri, excommunicationis ſententiam, quam in ipſos proferimus, ipſo facto incurrant, a qua niſi per Nos, aut noſtros Succeſſores nullatenus abſolvantur, & ſi opus fuerit, ſecundum exceſſus enormitatem, gravius tam Clericos, & regulares, ac laicos puniemus, & per eos, ad quos ſpectabit, puniri mandabimus.

Excommunicationis ſententia lata in õnes, qui impedimentum latens, aut patens liberæ electioni præbent.

Cap. XXIV.

In creatione, & electione Canonicorum nullus Canonicus vocem ſuam alibi, quam in Capitulo dare præſumat.

Et quia in creatione, & electione Canonicorum potiſſime in noſtra majori Eccleſia Beneventana vidimus quamplures diſſenſiones exortas, & ſcandala propter impreſſionem laicorum, &

ipſorum Canonicorum inordinatas voluntates.

Ideo, ut omnis majoris tollatur materia ſcandali in futurum, ſtatuimus, ut dum caſus creationis, & electionis ad locum vacantem evenerit, nullus Canonicorum vocem ſuam alibi, quam in Capitulo dare præſumat, ſed omnibus in unum congregatis in Capitulo, aut loco ad id ſolito, & more, pro ut Spiritus Sanctus dederit unicuique loqui, ita & electio, ac creatio de perſona idonea ſuo marte ſubſequatur, niſi ex ordinatione alicujus Eccleſiæ ſecundum prioritatem, & poſterioritatem receptorum, electio, creatio, aut nominatio fieri deberet, illam enim volumus illibate ſervari.

Si quis autem præmiſſorum contradictor extiterit, & aliter attentare præſumpſerit, ipſo facto auctoritate præſentis Concilii excommunicationem incurrat.

Præmiſſorum contradictor excommunicationem ipſo facto incurrit.

Si vero Canonicus, aut alterius conditionis clericus extiterit, ingreſſu Eccleſiæ, & fructu beneficiorum ſuorum per annum volumus eſſe ſuſpenſum, ipſoſque fructus dicti temporis fabricæ noſtræ majoris Eccleſiæ Beneventanæ, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum fabricis applicamus.

Canonico autem, aut Clerico alia pœna indicitur.

Cap. XXV.

Inhibetur laicis, ne Prælatos quovis modo impediant, quominus officii ſui debitum exequantur.

Ut Prælatorum officium eo fructuoſius, quo liberius valeat exerceri, præſenti ſtatuto Laicis quibuſcumque duximus inhibendum, ne Nos, aut Prælatos quoſcumque impedire, vel turbare præſumant, quo minus in locis religioſis, aut regularibus, vel aliis eiſdem Prælatis quovis modo ſubjectis, officii ſui debitum exequantur; ipſis ad hoc per Nos, & eoſdem Prælatos Suffraganeos auctoritate præſentis Concilii, competenti monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, ſi res exegerit, compellendis.

Monaſteria quippe Monialium, etiam ſi ſint exempta, debent ſingulis annis per Ordinarios viſitari, niſi ſubjecta eſſent immediate alteri, quam Domino Papæ, & Sedi Apoſtolicæ, quo caſu per illos viſitari debent, quibus ſubjecta immediate exiſtunt.

Monaſteria Monialium ſingulis annis per Ordinarios viſitari debent, niſi fuerint immediate Sedi Apoſtolicæ ſubjecta.

Cum nonnulli temporale dominium obtinentes, ſeu ſæcularis judiciariæ poteſtatis officium gerentes juriſdictionem Sanctæ Matris Eccleſiæ ſubvertere, vel minuere exquiſitis aſtutiis moliantur, ſicut & ipſi probavimus, Nos eorum malitias ultione canonica reprimentes, juris diſpoſitioni, non omnibus notæ, inhærentes.

Statuimus, ne quis in foro Eccleſiaſtico

liti-

Excommunicationis ſententia ipſo facto innodantur, qui litigantes, vel litigare volentes in foro Eccleſiaſtico ſuper cauſſis mere Eccleſiaſticis ad deſiſtendum, ſive directe, ſive indirecte compellunt.

litigantes, vel litigare volentes ſuper cauſſis mere Eccleſiaſticis, ſive, quæ ad forum Eccleſiæ de antiqua, & probata conſuetudine, & hactenus pacifice obſervata pertinere noſcuntur, ad deſiſtendum compellat per ipſorum, vel parentum, ac conſanguineorum, ſive rerum eorum, vel perſonarum hujuſmodi captionem, vel modis aliis quibuſcumque. Si quis vero contra præſumpſerit, excommunicationis ſententiæ præſentis auctoritate Concilii, noverit ſe ſubjacere, præter pœnas Canonis, quas damnabiliter incurrit ipſo facto.

CAP. XXVI.

Solemnes Litaniæ, & Proceſſiones a jure, vel ab Ordinariis quomodolibet indictæ, quo pacto celebrandæ?

SOlemnes Litanias, prout hactenus ſolitum eſt, in noſtra majori, & aliis Cathedralibus, & locorum inſignium Eccleſiis celebrari præcipimus, & ſtatutis antiquis inhærentes, ut ſinguli Canonici noſtræ, & aliarum Suffraganearum Eccleſiarum in eis ad præſens degentes, & qui in futurum morabuntur, & ceteri alii Presbyteri Curati in ipſis Civitatibus, & locis degentes, & in futurum Nobis, & Eccleſiis præfatis ſubjecti ſingulis diebus, quibus præfatæ ſolemnes Litaniæ, & Rogationes, ſive Proceſſiones a Jure, vel a Nobis, vel Suffragraneis quomodolibet indicentur, induti ſuperpelliceis, ſive cottis, ad ſonum campanæ ipſarum Eccleſiarum, in eiſdem, vel alibi, ſi aliud fuerit ordinatum, convenire perſonaliter teneantur, ituri ad locum ordinatum, & audituri, & celebraturi Litanias antedictas in locis patentibus, permanſuri honeſte ſui debiti officium perſolventes, & inde non diſceſſuri, quouſque fuerit officium totum completum, & reverſum ad primum locum.

Contrarium vero facientes, pro quolibet pœnam trium tarenorum noſtræ, & Suffraganeorum Curiæ applicandorum, incurrerint, & incurrant ipſo facto.

Idque ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda

Quia vero multoties Angelus Satanæ in lucis Angelum ſe transformat, ne mentes fidelium ſimplicium prætextu liciti ad illicita, & nefaria retorqueantur, Sacri approbatione Concilii dudum conſtitutum eſt, ne quis Civitatis, Diœceſis, & Provinciæ Beneventanæ etiam habitator, quocumque colore quæſito, vel cauſſa, aliquam novam Regulam, & Congregationem, obſervantiam, ſive ſectam aliquatenus tenere, invenire, aut etiam obſervare præſumat, niſi illam, & illas per Sanctam Romanam Eccleſiam, matrem omnium fidelium, & magiſtram, expreſſe approbatas, & approbatam. Alioquin excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat, & nihilominus ad alias pœnas, etiam per Suffraganeos, procedatur juxta culpæ qualitatem.

CAP. XXVII.

Solitariam, vel eremiticam vitam ducentibus, ſub excommunicationis pœna, & perpetui carceris præcipitur, ut mandata, quæ hic enumerantur, obſervent.

PEr Conſtitutiones quoque Domini Fratris Hugonis Prædeceſſoris noſtri immediati in Concilio Provinciali per ipſum celebrato, quia compertum fuerat quoſdam ſolitariam vitam ducentes, & in nemoribus habitantes, ubique Eccleſias, ſeu Oratoria habentes, in quibus aliqui ſolitarie, aliqui in ſocietate plurium ſuam ducebant vitam, & moram trahebant. Verum, quia ipſos non invenit de fide Catholica ſuſpectos, aut de ſecta illa, quæ Fraticellorum, vel de paupere vita dicitur, ſed nec Nos poſt viſitantes invenimus, niſi paucos, quorum pœnitentiam vidit omnis populus, permiſit idem noſter Prædeceſſor, & Nos permiſimus, & permittimus, ut in locis præfatis libere poſſint remanere; & ſicut ſanctione per idem Concilium ordinatum eſt, & Nos volumus, & talibus, ac ſingulis eorumdem ſolitariam, vel eremiticam vitam in præfatis locis ducentibus, & habitantibus, ſub excommunicationis pœna, & perpetui carceris, mandamus, & præcipimus, quatenus Conſtitutiones, & mandata tunc eis facta, & infraſcripta obſervent futuris temporibus, & cuſtodiant, & ipſi in ſuis locis dictorum ſtatutorum copiam recipiant tenoris ſubſequentis.

Citatur Concilium Fratris Hugonis de Bruxeo Ord. Præd. toto poſſe requiſitum, & non repertum, temporis forſan vetuſtate conſumptum: objit anno 1365. Rexit Eccleſiam hanc per biennium completum.

In primis ſiquidem, ut dictæ perſonæ in præfatis locis habitantes, & vitam prædictam ducentes, duorum numerum non excedant: loca ipſorum, ſaltem per unum miliare, diſtent inter ſe, alias pro uno loco dumtaxat habeantur, & non poſſint, nec debeant numerum perſonarum præfatum excedere, licet infra præfatum ſpatium fuerint loca plura, & ſic per totam Diœceſim, & Provinciam obſervari mandamus.

Referuntur mandata eiuſmodi ſolitariis, & eremiticam vitam ducentibus facta.

Item, quod ſingulis menſibus dictæ perſonæ coram Nobis, aut noſtro Vicario, & coram noſtris Suffraganeis, aut eorum Vicariis, ſicut habitaverint, ſe perſonaliter habeant ſub pœnis prædictis præſentare, ita quod de eorum præſentatione apud acta Curiæ noſtræ, vel Suffraganeorum, actus, & fides fiat in ſcriptis.

Item quod nullus dictarum perſonarum librum aliquem, ſeu ſcripturam retinere audeat, niſi prius Nobis, aut Curiæ noſtræ, & Suffraganeorum noſtrorum in ſuis Diœceſibus illos manifeſtet publice, & oſtendat.

Ut nullum librum, aut ſcripturam retineant, niſi prius illos Ordinariis, aut eorum Curiis publice oſtenderint.

Item

Item quod nullus de prædictis cuiquam adminiſtrare audeat, aut præſumat Eccleſiaſtica Sacramenta, etiam de licentia, & mandato Rectoris Parochialis Eccleſiæ, in qua degunt: Sed nec ipſi audeant alicui confiteri, vel recipere Eccleſiaſtica Sacramenta ab aliquo, niſi a Rectore Parochialis Eccleſiæ, in cujus Parochia habitant, vel deputato ab eo, niſi ſuper his a Nobis, vel Vicario noſtro, ſeu Suffraganeis, vel eorum Vicariis ſpecialem licentiam per litteras ſpeciales haberent.

Item quod nulli talium ſub prædictis pœnis liceat recipere, aut receptare quamcumque perſonam hoſpitem, & externam in loco, ſeu habitaculo ſuo venientem, niſi per unum diem naturalem dumtaxat, niſi a Nobis, aut noſtro Vicario, ſeu Suffraganeis, vel eorum Vicariis in ſuis Diœceſibus de majori tempore licentiam haberent ſpecialem.

Injungitur, ne perſonas ſuſpectas in ſuis locis recipiant.

Et ſi talis perſona ad eos declinans videretur ſuſpecta de aliqua ſecta, vel ritu, opinione, vel erroribus Fraticellorum, vel alias de fide, permittimus eis, & eorum cuilibet talem auctoritate propria capere, & captam Nobis, vel Diœceſano adducere, & præſentare. Si tamen non poſſent capere de facto, tunc tenentur Nobis, aut Diœceſano indilate notificare: & ſi propter locorum diſtantiam non poſſent, vel propter aliud periculum, tunc debent notificare Sacerdoti Parochialis Eccleſiæ, in cujus territorio fuerint; cui Rectori licitum eſt tales capere, & Diœceſano adducere, & præſentare, vel eorum Curiæ, aut ſi non poſſent commode facere, tunc notificent per litteras, vel per Nuntium ſpecialem; alias noſtro arbitrio, & Diœceſani veniant puniendi.

Item, ut dictæ perſonæ ſint diſſimiles a ritu, erroribus, & aliis Fraticellorum, hæreticorumque aliorum, portent, & deferant deſuper cappam manicatam, ſeu mantellos a latere fiſos, aut veſtem aliam honeſtam, prout ſtatui, vel ordini magis conveniet, ac Nobis, ſeu Suffraganeis viſum fuerit expedire. Sic tamen, ut in locis, ubi duo ſimul habitaverint, ſit in ipſo habitu diſſimilitudo aliqualis in forma veſtium, aut colore; ipſas autem veſtes, vel habitum ad arbitrium noſtrum, vel Diœceſanum teneantur gerere, dimittere, & mutare.

Ut nullo pacto miſſas celebrent, niſi prius apud Ordinarium, ubi degunt, fidem fecerint de Sacerdotii ordine rite ſuſcepto.

Item quod nullus ex eis prætendens ſe in ordine Sacerdotali infra noſtram Diœceſim, vel Provinciam, ſub pœnis prædictis celebrare audeat, vel in ſacris ordinibus minſtrare, niſi prius fidem fecerit in noſtra Curia, vel in Curiis Suffraganeorum, in quorum Diœceſibus fuerint habitantes, per legitima documenta de ordine prædicto legitime ſuſcepto. Archipresbyteri autem, & Rectores Eccleſiarum, maxime in quorum terris habitant, non permittant eos celebrare, aut ordinibus miniſtrare, niſi a Nobis, vel Suffraganeis, ſeu Vicariis ſuper his litteras receperint teſtimoniales.

Ut ſlocum ex loco non mutent, niſi de Ordinarii, aut ejus Vicarii licentia.

Item, ut omnis inſtabilitatis materia talibus perſonis auferatur, non liceat eis, poſtquam in uno loco habitare cœperint, alibi ſe transferre, niſi cum licentia, & litteris noſtris, ſeu Suffraganeorum, vel Vicariorum ſpeciali petitis, & obtentis in teſtimonium præmiſſorum.

CAP. XXVIII.

Indicitur Curatis, & Eccleſiarum Rectoribus, ut diligenter explorent, an aliqui ex huiusmodi ſolitariis in ſua loca venerint, & ad Ordinarios, vel eorum Vicarios rem omnem deferant.

ITem quod ſinguli Archipresbyteri, Abbates, Rectores Parochiales, & Curati ſollicite, & diligenter explorent, & ſciant, ac ſcire teneantur, ſi qui talium perſonarum in ſuis parochiis, ſive terris venerint, vel veniant ad habitandum, ſive morandum, & tam de ipſis perſonis, quam de locis, ubi tales morari contigerit, ſtudeant Nos, vel Vicarium, ſeu Diœceſanos quoslibet, vel eorum Vicarios, quam citius poterunt, informare, ut ſciri poſſit, ſi perſonæ hujusmodi fuerint de erroribus aliquibus ſuſpectæ, vel notatæ, cum quandoque quamplures de ſecta Fraticellorum, & aliorum hæreticorum conſueverint latitare, & ſe in talibus locis remotis occultare.

Suſpectis; de ritu, & ſecta fraticellorum, & aliorum hæreticorũ, immo etiã non ſuſpectis, nemo favorem dare, aut conſilium; aut auxilium, aut habitationem in ſuis terris, vel ſilvis præſumat, niſi fuerint ab ordinariis approbati, & ab iis habitandi licentiam obtinuerint.

Idque ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda

Et his addimus ne quis cujuſcumque dignitatis, præeminentiæ, conditionis, ſtatusve exiſtat, præfatis perſonis ſic ſuſpectis de ritu, & ſecta præmiſſis, aut aliis quibuſcumque, etiam non ſuſpectis, dare favorem, conſilium, auxilium, ſuccurſum, vel habitationem in terris ſuis, ſive ſilvis, vel alias audeat, ſeu præſumat, donec per Nos, aut noſtros Suffraganeos in eorum Diœceſibus fuerint approbati, & eis conceſſa licentia habitandi. Alioquin contrarium facientes auctoritate præſentis Concilii excommunicationis ſententiam, quam in ipſos, & ſingulos in his ſcriptis proferimus, ipſo facto incurrant, & ſi propter hoc non deſtiterint, contra ipſos, velut ſuſpectos, & fautores Fraticellorum, & hæreticorum, pro ut de jure fuerit, vel alias videtur, procedi præcipimus, volumus, & mandamus.

CAP. XXIX.

Quædam utiliter adjecta ad materiam Interdicti ſpectantia:

Celebrans in Eccleſia interdicta quibus caſibus non eſt irregularis?

REdeuntes ad materiam interdicti quædam utilia noviter concepta, quia in facto quotidie poſſunt evenire, adjicimus, tamquam advertenda. Si enim

propter diſcordiam Patronorũ Epiſcopus claudit oſtia Eccleſiæ, tollit idem reliquias, & præcipit in ea nullo modo ſacra myſteria celebrari, donec ad concordiam reducantur, celebrans in ea contra dictum præceptum non eſſet irregularis. Et hoc verum, niſi prohibendo uteretur verbo, interdicto, vel interdicimus, quod eſt nomen juris, & plus importat, quam, ubi proprietas ſonet. Et idem dicimus, ſi Eccleſia fuerit ſimoniace conſecrata, vel ſi principaliter fuerit pro quæſtu, non pro Divino cultu conſecrata, vel ſi Eccleſia fuerit conſtructa ſine licentia Diœceſani Epiſcopi, vel ſine reliquiis, vel in loco deſerto, & numquam habitato fuerit dedicata; licet enim in prædictis caſibus in tali Eccleſia de jure non debeat celebrari, tamen celebrans de facto non eſſet irregularis, quia jure non cavetur: tamen ſi Epiſcopus Diœceſanus propter aliquam cauſſam de prædictis Eccleſiam interdiceret, tunc, ut in alio caſu, celebrans eſſet irregularis.

CAP. XXX.

Differentia inter interdictum generale, & ſpeciale traditur.

Cum vero videtur ceſſatio Divinorum, ſervata forma juris, in aliqua Eccleſia Cathedrali, vel alia, licet quidam dicant celebrantem in ea non eſſe irregularem, niſi eſſet indicta ceſſatio auctoritate Legati, vel Epiſcopi, vel Delegati, ſicut celebrans in terra, in qua ſunt organa ſuſpenſa ad tempus, tamen omiſſa illa differentia, dicendum cum aliis ſanius, jura concordando, quod non irregularis, licet de tranſgreſſione veniat puniendus; celebrans tamen tempore ceſſationis generaliter indictæ in loco ab eo, qui poteſt, quia tunc officium interdicti obtinet, eſſet irregularis; nam inter hæc eſt differentia; generales enim ceſſationes, quia æquiparantur interdictis, omnes ſervare tenentur, etiam Religioſi exempti, alias pœnam juris incurrunt, de qua ſupra in titulo de ſententia excommunicationis §. *Item excommunicati ſunt Religioſi*; ſpecialem vero, non ſervando, non incurrunt.

[e] Differentia inter interdictum ſpeciale, & generale.

Ex quibus dicimus, quod ſi propter decimas, vel præparationes Legatorum, vel ſimilia omnes Eccleſiæ Civitatis, vel Provinciæ interdicantur, cenſetur interdictum ſpeciale, non proprie generale, quia proinde eſt, ac ſi diceretur: interdicimus hanc, & aliam Eccleſiam. Talis enim Univerſitas convertitur in ſpecialitates, & ſicut infertur, quod ſervata forma *Alma* non poſſent in talibus Eccleſiis celebrari Divina; ſic nec in una ſpecialiter interdicta, cum dicta decretalis loquatur de interdicto generali Civitatis, Loci, &c. ut ſuperius tetigimus.

[f] Si propter decimas, vel præparationes legatorum interdicuntur Eccleſiæ, erit interdictum ſpeciale.

Baptizari autem, vel in fronte chriſmari in Eccleſia ſpecialiter interdicta, licet poſſit, quia a quovis interdicto talia ſunt exempta, tamen, niſi incommoditas aliud ſuaderet, honeſtius eſſet alibi prædicta expediri, ne aliqua nota poſſit adſcribi facienti.

Generale interdictum in loco pro pecuniario debito ferri non debet; ſpeciale vero in Eccleſia, vel alias poteſt ferri.

CAP. XXXI.

Quibus Caſibus violatur interdictum, & violator irregularitatem incurrit?

Cum tempore interdicti Divinorum celebratio permittatur januis clauſis, ſubmiſſa voce, non pulſatis campanis, excommunicatis, & interdictis excluſis, ſi quodlibet iſtorum per ſe ſervatum non fuerit, violatur interdictum, & incurrit irregularitatem illo in loco celebrans, vel agens in ordine ſuo, uno illorum dumtaxat non ſervato; quodlibet enim iſtorum per ſe prohibetur a jure, ſicut violat interdictum celebrans in Eccleſia januis perforatis, vel feneſtris factis in eis, ita quod exiſtentes extra poſſint audire, vel videre Corpus Chriſti. Unde ſi Clericus in loco interdicto alterũ, aliis faceret celebrantibus, puta ſonaret campanas, vel aperiret portas Eccleſiæ, vel adduceret excommunicatum, vel interdictum ad officium, quia participaret crimini crimino ſo, irregularitatem incurreret; ſecus ſi faceret alterum prædictorum, quando non celebrantur Divina, irregularitas enim requirit actum perfectum. Irregularis etiam eſt non ſervans interdictum ſcienter, licet non publicatum per denuntiationem, niſi alias occultum eſſet, licet ſatis fuiſſet expediens proviſio Juris, Clericos non teneri ad obſervantiam interdictorum prolatorum a jure, niſi primo fieret ipſorum declaratio. Laici de Populo interdicto in die Paraſceves poſſunt accedere ad Crucem, & orare, cum nullum Divinum officium celebretur. Verumtamen officium, quod ea die ſit propter Crucem, fieri non poteſt, niſi ſicut alia cum moderatione Juris; unde Clericus contrafaciens eſſet irregularis.

Quibus caſibus violatur interdictum?

Interdictum juris notificari debet Clericis, ut obſervent.

Facientes autem officium pro Baptiſmo pro Sabbato ſancto, vel pro confectione Chriſmatis in die Cœnæ Domini, vel pro anniverſario defuncti, ſive ſint Clerici interdicti, ſive non interdicti, irregularitatem incurrunt, niſi ſervetur moderatio Juris, quia proprie prædicta ſunt Divina officia alicui ordini deputata. Et idem per omnia de benedictione Calicis, vel Paramentorum, vel Corporalium, & ſimilium, & de benedictione Candelarum

rum in die Purificationis Beatæ Mariæ, & Palmarum. ac Olivarum in feſto, cum tales benedictiones ab Epiſcopo, vel Sacerdote fiant, & idem de conſecratione Eccleſiarum, & Altarium manentium, vel Viatorum.

Epiſcopus autem benedictionem ſolemnē in loco interdicto facere non debet, & ſi propter delictum populi latum eſt interdictum, etiam a ſimplici benedictione debent Epiſcopi, & Superiores abſtinere.

CAP. XXXII.

Quænam poſſunt fieri tempore interdicti, quæ vero non?

Quæ poſſunt fieri tempore interdicti?

TEmpore etiam interdicti poteſt fieri officium commendationis animarum, quaſi annexum ad officium abſolutionis, quæ in pœnitentia fit, & pœnitentia permittitur; legi etiam reſidentibus ad menſam poteſt, & in loco interdicto poteſt prædicari verbum Dei, & campanæ propter hoc pulſari.

Quando pulſari poſſunt tēpore interdicti campanæ?

Pro Miſſa autem, vel pro horis canonicis campanæ, quæ eſſent extra Eccleſiam, pulſari non debent tempore interdicti, quia alias fraus fieret, ſed nec debent pulſari pro horis notificandis, puta Tertia, Nona, ut ſupra, a Clericis, Laici vero ſuas campanas poſſent; pro oſtenſione autem Reliquiarum, vel in adventu alicujus magnæ Perſonæ, vel Prælati licitum eſt Clericis, vel pro cauſſa ſimili ſonare campanas: parvas autem campanellas pro Divinis Officiis celebrandis, ut faciunt ſæpe Religioſi mendicantes, non licet; alia autem ſigna, puta tabulæ, vel baculi liceret facere. Pro *Ave Maria* vero de mane, & de ſero, ut habet laudabilis conſuetudo primitus adinventa a recolendæ memoriæ Joanne Papa XXII. poſſunt pulſari, & intelligendum eſt in hac materia, quod ea, quæ ſunt permiſſa tempore interdicti, ſcilicet Baptiſmus, & alia ſupra poſita ſimilia poſſunt fieri, & debent, quodlibet cum officio ordinato.

Campanarum pulſatio de mane, & de ſero a Joanne XXII. adinventa fuit.

Corpus Chriſti quibus poſſit miniſtrari in generali interdicto

Damnatis ad mortem tempore interdicti Euchariſtia dari poteſt, & quibuſcumque morti proximis, excepto Presbytero Miſſam celebrante, qui ſemper in Miſſa ſumere debet Corpus Chriſti, aliis autem ſanis dari non debet, quod eſt contra Religioſos dantes ſuis Religioſis: & ſic judicandum de mulieribus prægnantibus, quæ male poſſunt dici decedentes, licet partui appropinquantes. Ideo, niſi aliud immineat, eſt tempore interdicti abſtinendum; & idem de iis, qui intrant mare, vel bellum campeſtre.

Interdicti, quorum culpa latum eſt, quamdiu durat, non gaudent indulgentiis, & idem, ſi ſint nominatim interdicti, alii ſic.

Nec ordinationes fieri poſſunt.

Et advertant Prælati, quod tempore interdicti non poſſunt ordinari, ſive ſint Clerici, ſive Laici, id enim eſſet percipere Sacramenta, a quorum perceptione ſunt remoti, niſi in caſibus ſuperius expreſſis; nec in loco interdicto poſſunt ordines conferri aliquibus, ſive Clericis, aut Laicis, quia ibi prohibentur Eccleſiaſtica Sacramenta, exceptis quibuſdam caſibus, de quibus iſte non eſt.

Et ſi quidem loci populus eſt interdictus, cum propter hoc Clerus non intelligatur interdictus, Clerici illius loci, extra locum interdictum, ab Epiſcopo, qui ipſos de jure valeat ordinare, vel de ipſius licentia ab alio ad ſuperiores ordines poterunt promoveri.

Si vero locus tantum ſit interdictus, tunc laici, qui quomodolibet non fuerint culpabiles delicti, propter quod latum eſt interdictum, extra locum interdictum, etiam per Epiſcopum loci poterunt ordinari, vel per alium de ejus licentia, niſi propter delictum Univerſitatis latum eſſet Interdictum in loco; tunc enim omnes cenſentur interdicti.

CAP. XXXIII.

Quando Epiſcopus irregularitatem incurrit?

Quibus caſibus Epiſcopus irregularitatem incurrit?

CAveant etiam, quod Epiſcopus ſuſpenſus, vel interdictus a Pontificalibus, ſi exercet officium Sacerdotis, etiam cum Pontificalibus, non eſt irregularis. Sed ſi exercet aliquid, quod per ſe ſpectat ad officium Epiſcopi reſpectu conſecrationis Epiſcopalis, ſive cum Miſſa, ut conſecrare, vel ordinare, quod debet fieri cum Miſſa, vel ſine Miſſa, ut confirmare pueros in fronte, vel primam tonſuram conferre, tunc eſſet irregularis.

Tale enim interdictum ſuſpendit Epiſcopum a collatione Sacramentorum, ſicut a celebratione Divinorum, & in collatione talium, ſive exercitio Epiſcopus utitur orationibus, & benedictionibus ſibi ratione Epiſcopalis conſecrationis competentibus, & hoc eſt ſatis, dato, quod talia, vel ſimilia non ſint Miſſa, vel aliqua de ſeptem horis canonicis.

Extrema unctio tempore interdicti eſt prohibita.

Extrema unctio Incunctanter tempore interdicti prohibita eſt, etiam Clericis, Religioſis, maribus, & feminis de loco interdicto, etiam non interdictis, licet interdictum ſervaverint; licet multi potiſſime Religioſi hoc non ſervent, & male.

Et licet, ut prædiximus, relaxetur a jure celebratio Divinorum in præmiſſis quatuor Feſtivitatibus, tamen Corpus Chriſti, & extrema unctio non relaxantur; propter hoc, & jure ſtant inconcuſſæ, ſicut in aliis diebus, cum hoc jus non dicat, ſicut de celebratione Miſſæ, & Divinorum permittit.

Alia autem Miſſa, præterquam de feſto

Quæ benedictiones fieri poſſunt?

ſto in dictis feſtivitatibus poſſet celebrari. Poteſt autem in dictis feſtivitatibus aqua benedici ſolemniter, & aſperſio fieri, panis, & fructus benedici, & laicis etiam interdictis miniſtrari: prædicta enim de ſe non prohibentur, ſed ipſorum benedictio, quæ eſt officium Divinum, quod generaliter in dictis feſtivitatibus permittitur.

CAP. XXXIV.

Quæ tempore interdicti, & poſt relaxationem ipſius circa ſepulturam mortuorum ſervari debeant?

An mortui poſſint tempore interdicti ſepeliri eſt in dubio.

AN autem in dictis feſtivitatibus poſſint mortui ſepeliri, quidam Doctores dixerunt, quod non; alii credunt, quod ſic, quia ea ratione, qua poteſt Divinum officium ſolemniter celebrari, ea ratione & ſepultura Eccleſiaſtica miniſtrari; cum in hac materia ſumamus Eccleſiaſticam ſepulturam pro officio ſepulturæ, tunc accedat ad Divinum officium, ad quod viventes admittuntur, multo fortius ratione humanitatis erga morientes.

Nuptiæ etiam in dicto feſto Aſcenſionis benedici poſſent, alias non, quia ſunt infra tempora prohibita.

Quando locus deputatus ad ſepulcrum dicatur cœmeterium?

Et quia non ſufficit, quod locus ſit ad ſepulcrum deputatus, niſi auctoritate Epiſcopi fuerit deputatus, & benedictus, & tunc debet, & non ante, cœmeterium appellari.

Dicimus, quod ſi tempore interdicti extra Eccleſiam, & in cœmeterio ſine Divino officio ſepeliatur defunctus, ſive fuerit interdictus, ſive non, non violatur interdictum, quia ſola prohibitio ad Eccleſiam, & cœmeterium protenditur, cum quorumcumque corpora exhumata remanere non debeant.

Si vero cum officio Divino ſepeliatur, vel locus, in quo ſepelitur, eſt interdictus, clerici hoc facientes violant interdictum, & efficiuntur irregulares.

Laici etiam non interdicti in cœmeterio ſito in loco interdicto, cum clericorum officio ſub ſilentio, & ceſſantibus omnibus ſolemnitatibus aliis, ſepeliri non poſſunt, cum ex gratia dumtaxat hoc clericis concedatur.

Relaxato interdicto quę defunctorum corpora in Eccleſiis & cœmeterio ſepeliri poſſunt?

Defuncti quoque tempore interdicti, & propterea extra Eccleſiam, vel cœmeterium ſepulti, relaxato interdicto, ſi in eis tempore mortis apparuerint ſigna contritionis, & pœnitentiæ, poterunt in Eccleſia, vel cœmeterio ſepeliri. Si vero defunctus interdictus, vel non interdictus, tempore interdicti fuerit ſepultus in cœmeterio, dummodo fuerit pœntens, relaxato interdicto, non exhumabitur, ſed ibi remanebit, quia res venit ad caſum, in quo id fieri potuit.

Clericis quidem ab interdictis pœnitentibus, vel non pœnitentibus ſecundum quoſdam licitum eſt poſt pœnitentiam mortuaria recipere relicta in morte, & ea, quæ darentur cum funere in cœmeterio ſepulto, relaxato interdicto, & pro eis eſt orandum; ſed ante pœnitentiam ſuſceptam, quia pro eis non eſt orandum, nec mortuaria recipienda, nec funeralia, quæ darentur cum funere in cœmeterio ſepulto de facto tempore interdicti, quia tunc recipientes participarent delicto; aliæ vero oblationes ab interdictis pœnitentibus, etiam in loco interdicto, recipi poſſunt.

Omnes vero cooperantes in ſepultura cœmeterii defuncti nominatim interdicti, vel alicujus ſepulti tempore interdicti, caſu non expreſſo in jure, puta aperientes ſepulcrum, vel fabricantes, vel fodientes terram, ponentes in ſepulcro, vel fovea, portantes Crucem, & Cereos, vel portantes funus, vel aſſociantes cauſſa honoris, vel amicitiæ, vel clerici Divinum officium facientes, vel non prohibentes, cum poſſunt, procul dubio, ſi cum Divino officio ſepultus eſt, quia hoc caſu omnes ſunt participes criminis, ſive cooperantes, excommunicationis pœna a jure ligantur. Si vero, ſine officio Divino, licet tutius ſit dicere etiam omnes tales fore ligatos, tamen quidam aſſerunt illa pœna non ligari, ſed alia pœna arbitraria, etiam per Judicem Eccleſiaſticum puniri poterunt, quia videntur contemnere generalem juris prohibitionem. Si ſuper funus clerici dicant officium tempore interdicti, & poſtea deponentes funus in loco ſecreto, non ponunt in humo, vel in alio ſepulcro, dicimus, quod ſunt excommunicati, licet actus non ſit perfectus tradendo humi, vel ſepulcro, quia ſic poſſet fieri cautela ſuper durante interdicto, ſaltem de nobilibus, & ſolemnibus perſonis, & ſic jus delubrio factum: quidam autem voluerunt tenere, quod non, niſi actus totaliter perficiatur, quod nos non concedimus, præſumentes per rationem prædictam.

Clerici divinum officium facientes in ſepultura mortuorum tempore interdicti excommunicatione ligantur.

TITULUS XVII.

De Feſtivitatibus, Jejuniis, notitia Lunæ, & Biſſexti, & Adventus.

CAP. I.

De Feſtivitatibus.

GLorioſus Deus in Sanctis ſuis, & in majeſtate mirabilis, ideoque circumſpecta Sedis Apoſtolicæ prudentia, actibus intenta ſalubribus, libenter, & ſolemniter exequens, quæ ſunt Dei, feſtivitates ſolemniorum myſteriorum, atq; Sanctorũ introduxit, quarum Sancta Eccleſia Catholica fieri celebrationem ad Divini honorẽ nominis, & gloriam, & exaltationem fidei

Catho-

Catholicæ, ſalutemque fidelium rite providit: Ideoque ſalubriter in Provinciali dudum Concilio celebrato, ſub pœna unius Auguſtalis omnibus Curatis præceptum eſt, ut diebus Dominicis in Miſſa publice populo feſta colenda, & jeiunia obſervanda debeant nuntiare.

Diebus Dominicis Curati omnes in miſſa publice populo feſta colenda, & jejunia obſervanda nuntiare debent.

Feſta vero colenda ſunt hæc, videlicet, dies Natalis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis Evangeliſtæ, Innocentum, Sancti Silveſtri, Circumciſionis Domini, Epiphaniæ, Sancti Antonii Abbatis, Converſionis Sancti Pauli, Sancti Blaſii Epiſcopi, & Martyris, Sancti Barbati Epiſcopi Beneventani Confeſſoris, Sancti Januarii Epiſcopi Beneventani, & Martyris, Cathedra Sancti Petri, feſta omnium Apoſtolorum, & omnium Evangeliſtarum, quatuor feſta Beatæ Mariæ Virginis, ſcilicet Purificatio, Annuntiatio, Aſſumptio, & Nativitas, Sancti Benedicti, dies Jovis Cœnæ Domini, dies Veneris Sanctæ Paſſionis Domini, feſtum Reſurrectionis Domini cum duobus diebus ſequentibus, feſtum Inventionis Sanctæ Crucis, feſtum Joannis ante portam Latinam, feſtum Aſcenſionis Domini, feſtum Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, feſtum Corporis Chriſti, Nativitas Sancti Joannis Baptiſtæ, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Vincula Sancti Petri, Transfiguratio Domini, ſive Sancti Salvatoris, feſtum Nivis, Sancti Laurentii, Decollatio Sancti Joannis Baptiſtæ, Exaltatio Sanctæ Crucis, Dedicatio Sancti Michaelis, feſtum Omnium Sanctorum, Sancti Martini, Sanctæ Catharinæ virginis, feſtum Conceptionis Dominæ Noſtræ, feſtum cujuslibet Sancti, & Sanctæ Patroni, ſeu Patronæ cujuslibet Eccleſiæ Parochialis in Parochia illa, ſi, & prout eſt alias ibi fieri conſuetum.

Recenſentur feſta colenda.

CAP. II.

Enumerantur alia feſta, quæ in hac Civitate, Diœceſi, & Provincia conſueverunt ex devotione coli.

ITem alia feſta, quæ infra Civitatem, Diœceſim, & Provinciam Beneventanam conſueverunt ab antiquo ex devotione coli, & per populum obſervari, & potiſſime feſtum translationis Beati Bartholomæi de Indiis in Liparim, quod celebratur de menſe Junio, & feſtum translationis de Lipari Beneventum, quod celebratur de menſe Octobri. Dicta feſta colenda abſque mercatis, & alio ſervili opere, cum devotione, & reverentia præcipimus obſervari, ſub excommunicationis pœna. In aliis vero feſtis nullus Curatus præcipiat abſtinere, niſi prout eſt, & fuit hactenus conſuetum.

Per conſtitutiones quoque antiquas Beneventanæ Eccleſiæ excommunicati ſunt omnes, & ſinguli tenentes apothecas apertas ad vendendum quæcumque mercimonia, vel publice laborantes in arte ſua diebus Dominicis, ſeu ſolemnibus Feſtivitatibus Nativitatis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Dominicæ, in die Veneris Sancto, Euchariſtiæ, Pentecoſtes, in quatuor Feſtivitatibus Beatæ Mariæ Virginis, & Beati Joannis Baptiſtæ, & ſolemnitatibus Apoſtolorum; comeſtibilia, aut potabilia, vel medicinalia, ſine metu excommunicationis, vendi poſſunt dictis diebus.

Excommunicationis ſententia in eos lata, qui tenent apotheeas apertas ad vendendum quæcũque mercimonia, vel publice laborant in arte ſua diebus Dominicis, & quibuſdam feſtivitatibus ſolemnibus.

Enumerantur ejuſmodi feſtivitates.

Hæc tamen ſententia non comprehendit vendentes comeſtibilia, aut potabilia, vel medicinalia.

Statutum fuit etiam ſub excommunicationis pœna, ne quis in Nativitate, & Reſurrectione Domini de die, vel de nocte, ob reverentiam tantarum Feſtivitatum ad azardum ludere audeat, vel præſumat.

Excommunicatio in eos, qui in Nativitate, & Reſurrectione Domini de die, vel de nocte ad azardum ludunt.

CAP. III.

De feſto commemorationis animarum defunctorum.

FEſtum commemorationis animarum defunctorum generaliter celebratur in craſtinum omnium Sanctorum, & in quibuſdam partibus in craſtinum Beati Hilarii, & etiam de conſuetudine ſpeciali quorundam locorum in craſtinum octavarum Paſchæ, & octavarum Pentecoſtes, & ſi ubique fieret, laudabile, & ſanctum ſatis eſſet, quoniam *ſalubris eſt oratio pro defunctis, ut a peccatis ſolvantur*, & ad hoc quilibet tenetur, & animari debet, tum quia omnia, quæ poſſidemus, defunctorum fuerunt, tum quia ſperamus pro nobis orationes fieri, omnes enim morimur, tum quia mortui etiam pro orantibus orant, & pro non orantibus imprecantur, tanquam male contenti, potiſſime, qui hæredes, & ſucceſſores divites reliquerunt; propter quod ad preces defunctorum Deus quandoque multas tribulationes mittit ad multos, & Nos plures caſus habuimus a multis, etiam palam revelatos. Et ſi in prædictis diebus commemorationis defunctorum feſtum aliquod duplex caderet, transfertur ipſa commemoratio in diem ſequentem: Feſta hæc commemorationis Defunctorum celebrantur uſque poſt Miſſas, & ex tunc laborari poterit ſine offenſa, ſed propter hujuſmodi officium Defunctorum non debet omitti dictis diebus officium regulare.

CAP. IV.

Quænam opera in feſtis prohibentur, & quæ non?

EſT autem notandum pro inſtructione, quod licet feſtorum initium, & finis celebretur juxta eorum qualitatem, & regio-

De initio feſtorum, & fine, quo pacto computetur?

regionum conſuetudines, & prout magnitudo ipſorum requirit, tamen a veſpera in veſperam quantum ad rectam feriationem computatur; ut ſic, illo durante ſpatio, ſit abſtinendum ab omni eo, quod de ſe peccatum eſt, quia magis peccatur in feſtis, quam aliis diebus.

Non prohibetur autem quis facere opera, quæ pertinent ad providentiam neceſſariorum, tam ſibi, quam proximis, ſicut ſervando perſonam, vel res, ſeu quodcumque damnum vitando; immo etiam, ſi jacentibus ſegetibus in agro, vel fœnis in pratis, immineret tempeſtas, poſſunt inde removeri: ſed nec peccant carnifices, aut pincernæ, qui præparant victualia, ut ſequenti die vendant, ſi prius non poterant commode præparare, aut præparanda ſervare.

Barberii vero, & minutores, etiam ferratores equorum, ſi in feſtis hoc faciant, principaliter propter neceſſitatem eorum, quibus ſerviunt, poſſunt excuſari, alias non, & ſimiliter illi, qui eos requirunt de talibus, propter neceſſitatem excuſantur, aliter non.

In molendinis quæ ad ventum, vel aquam ſunt, Molendinarii ſervent conſuetudinem regionis.

Molendarii vero in molendinis, quæ ad ventum, vel aquam ſunt, & etiam abſq; magna opera hominis exercentur, ſervent conſuetudinem regionis non prohibitam a Prælatis, ſicut eſt in hac noſtra Civitate Beneventana, ubi eſt pœna pecuniaria, quam noſtro tempore, quo Rector ejuſdem fuimus, levari vidimus, & componi in Curia temporali, licet in noſtra ſpirituali Curia pœnitentia perſonalis imponeretur. Molendina vero, quæ ſunt cum Jumentis, ceſſare debent.

At molendina, quæ ſunt cum jumentis, ceſſare debent.

De euntibus ad mercata in feſtis.

Euntes autem ad mercata in feſtis, ſi pro neceſſitate, non peccant mortaliter, ſi conſuetudine, vel lucrandi cauſſa, ſubtrahendo ſe maxime a Divinis, vel ſi mercata ſint prohibita a Prælatis, mortaliter peccant; mercata enim, quæ fiunt de victualibus, & quadam neceſſitate ad diem aliquem, non ſunt illicita, dummodo euntes propter hoc non ſe ſubtrahant a Divinis.

Dominicis diebus, aut aliis majoribus feſtivitatibus arare pro eleemoſyna, vel alia opera pauperum facere, non eſt licitum.

In minoribus autem feſtis, ſicut ante, & infra octavam Paſchæ, & ſimilibus, ſi paupertas illorum hoc exigat, aut non fiat ſpe remunerationis, vel propter carnalem affectionem, poſſunt fieri ſecundum conſuetudinem regionis, dummodo non ſe ſubtrahant a Divinis.

Circa ædificationem Eccleſiarum, & hujuſmodi, præcipue ad opus miniſtrorum pauperum, qui non habent reditus ſibi ſuppetentes, licet in feſtis intendere, dummodo hoc non ſit uſque ad ultimam fatigationem, vel non dimittantur Divina. Poſt celebrationem vero Divinorum modica opera poſſent exerceri, ut purgare modicum in vinea, quæ reſtaſſent per incuriam, aut modicam fracturam reparare: ſcriptores autem vacare debent.

Vecturas autem bladorum a debentibus Dominis facere non licet, niſi alia neceſſitas compelleret.

Vecturarii autem mercium, aut alimentorum, aut perſonarum ad loca remota, cum aliud non poſſunt ſine gravi incommodo, excuſantur, & ſimile de Viatoribus, & Curſoribus.

CAP. V.

De jejuniis obſervandis.

Jejunia obſervanda ſunt hæc, ſcilicet, tempore Quadrageſimali, & jejunia quatuor temporum, & vigilia Natalis Domini, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ, & omnium Apoſtolorum, exceptis vigilia Sancti Joannis Evangeliſtæ, ob reverentiam octavarum Natalis Domini, & Apoſtolorum Philippi, & Jacobi ob reverentiam ſolemnitatis Paſchalis, & Sancti Barnabæ, qui non fuit de numero duodecim Apoſtolorum, & in vigilia Aſcenſionis Domini, & Pentecoſtes, & Sancti Joannis Baptiſtæ, & Sancti Laurentii, & omnium Sanctorum.

Quæ jejunia ab omnibus, qui erunt ætatis ſufficientis ad jejunandum, præcipimus obſervari; niſi forte ex cauſa debilitatis, infirmitatis, peregrinationis, vel alterius laboris neceſſarii, de conſilio tamen Sacerdotum ſuorum prandere oporteat neceſſitate urgente.

Honeſtum autem eſſet, & pium, ut Clerici in ſacris ordinibus conſtituti, & maxime Prælati, & Sacerdotes in diebus Adventus Domini, & in diebus lunæ, & martis ante cineres, & in diebus lunæ, & martis ante feſtum Aſcenſionis Domini jejunarent, aut ſaltem a carnibus abſtinerent. Et idem dicimus de vigiliis Purificationis, & Nativitatis Beatæ Mariæ, etiam ſi a toto Populo obſervaretur.

CAP. VI.

De jejuniis quatuor temporum.

Jejunia quatuor temporum quater in anno obſervantur, ſcilicet in die mercurii poſt feſtum Sanctæ Luciæ, cum diebus veneris, & ſabbati ſequentibus. Item die mercurii poſt cineres, ſeu primum Quadrageſimæ, cum veneris, & Sabbati ſequentibus. In die mercurii poſt Pentecoſtem, cum diebus veneris, & ſabbati ſequentibus. In die mercurii poſt feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis, cum diebus veneris, & ſabbati ſequentibus; unde verſus:

Dat Crux, Lucia, Cineres, cariſmata Dia.

Ut

Ut ſit in angaria quarta ſequens feria.

Diebus etiam lunæ, martis, & mercurii ante feſtum Aſcenſionis Domini eſset generaliter ab eſu carnium abſtinendum, & in die mercurii jejunandum eſt, ut prædiximus. Nos vero pluries indiximus hæc, ſed paucos invenimus, qui facerent bene, quorum Deus venter eſt, & gloria eorum erit in confuſione.

Uxores propter prohibitionem virorum jejunia dimittere non debent, niſi propter ſcandalum vitandum, & tunc Sacerdos diſpenſare poſſet.

Curſores Dominorum excuſantur a jejunio, niſi quando ſunt in quiete.

Servitores Prælatorum, aut Nobilium, ſi præbibant modicum, vel ex cauſſà præveniant horam comedendi, non peccant, cum quaſi propter continuationem temporis totum poſſit reputari, quaſi una menſa. Sicut non peccant prægustantes cibaria Dominorum ad cautelam veneni, nec qui ſurgunt de menſa, ut portent vinum, vel encænia, & hoc idem de Lectoribus in menſa, & hoc, dummodo cum licentia Prælati; ubicumque cauſſalis eſt neceſſitas, jejunia redimi, vel commutari poſſunt.

Poſſet etiam ſtatui, ut in jejuniis bis parum comederetur propter ſcandalum, & charitatem ſervandam, nec propter hoc jejunia indicta per Eccleſiam ſolvuntur.

Jejunia vero voluntaria, ad quæ voto, vel propoſito aliqui ſe adſtringunt, vel quæ in pœnitentia a Sacerdotibus imponuntur, poſſunt commutari, & redimi pecunia, etiam ſi nulla cauſſa ſubſit, dummodo utilior ſit compenſatio, prout in materia voti ſupra poſuimus.

Si Nativitas Domini ſexta feria venerit, poſſunt comedi carnes, niſi per illos, qui voto, vel Religione ad jejunandum ſunt adſtricti.

Transferentes etiam ſe ad alienas regiones, moribus, & conſuetudinibus illorum ſe debent conformare, niſi alias voto, vel abſtinentia regulari ad abſtinendum, vel alia ſint adſtricti.

CAP. VII.

De notitia Adventus, Septuageſimæ, & Paſchæ.

NOtitiam Adventus Domini ſic habebis, licet ex rubricis Breviarii, ad quas pauci accedunt, quia non habent, ſatis conſtet. Reſpice feſtum Sancti Andreæ, & Dominicam illi feſto proximiorem, in qua, ſive præcedat, ſive ſequatur ipſum feſtum, incipiet Adventus Domini. Si vero dictum feſtum ſit in Dominica, in eadem Dominica Adventus Domini celebratur.

Conc. Prov. Benev.

De notitia Septuageſimæ, & Paſchæ ſic tenebis, quod ubicumque inveneris lunam decimam poſt medium menſem Januarii, in Dominica proxima Septuageſima celebrabitur.

Et ſi luna decima inveniatur in Dominica tunc ſequenti, & tunc Dominica LXX. erit: & tunc *Alleluja*, & *Te Deum laudamus*, & *Gloria in excelſis Deo*, & *Ite Miſſa eſt*, niſi in diebus feſtivis, & matrimonia ceſſant.

In Dominica vero, quæ poſt Septuageſimam per novem ſeptimanas tantum eſt, feſtum Paſchæ celebratur.

Dies vero jovis Corporis Chriſti in ſeptimana ſecunda poſt Pentecoſtem celebratur.

CAP. VIII.

De notitia Biſſexti.

DE Biſſexto ſic tenebis, quod eſt de quatuor in quatuor annis; nam cum dies naturalis conſtet ex viginti quatuor horis, & annus conſtet ex trecentis ſexaginta quinque diebus, & ſex horis, iſtæ ſex horæ per quatuor annos collectæ faciunt unam diem, quæ dies collocatur in unoquoque anno quarto, & annus ille Biſſextilis, & dicitur Biſſextus, eo quod illa dies ſic collecta bis ſedet, collocatur, & computatur in ſexto Kalendas Martii, ſcilicet in feſto Beati Matthiæ Apoſtoli. Illa enim dies, & ſequens dies cenſentur eſſe ſolum unus diei, & ſub una littera alphabeti in Kalendario includuntur, ſcilicet ſub illa littera, in qua ſignatur dictum feſtum, & utraque dies pronuntiatur ſexto Kalendas Martii.

Luna tamen in ſuo curſu procedit & in prima die illarum dierum ſit jejunium, in ultima vero die feſtum Apoſtoli celebratur.

Igitur ſi vis ſcire, quando eſt annus Biſſextilis, ſume annos Domini, & computando divide omnes per quatuor, & ſi ultima * *computando* ſit de uno, ſumus in primo anno poſt annum Biſſextilem; Si de duobus, ſumus in ſecundo; Si de tribus, ſumus in tertio; Si autem nil remanet, ſed eſt ultima computatio de quatuor, ſumus in anno Biſſextili; & incipit in feſto Circumciſionis, quia tunc incipit annus, licet ſubſequenter cadat Biſsextus in feſto Beati Matthiæ, & anni Domini in feſto Annuntiationis.

Forſan computatio.*

CAP. IX.

De notitia curſus Cycli Lunæ.

DE curſu cycli lunæ ſciendum eſt, quod cyclus Lunæ currat per numerum incluſive a I. uſque ad XIX. & currit annuatim per totum annum per aliquem annum de dictis XIX. ſicut potes videre in

Kalendario, & in illo numero, qui eſt ante litteram Alphabeti; & quando curſus eſt completus per totum annum ſupradictum de XIX. ad principium, ſcilicet ad I., iterum redeundum, & ideo dicitur cyclus, ideſt circulus, quia ad modum circuli redit ad ſe ipſum.

Igitur, ſi vis ſcire, in quo nunc de dictis currit annuatim cyclus Lunæ, ſume annos Incarnationis Domini, & adde illis plus unum annum, & computando divide omnes annos iſtos per XIX.; ſi ultima computatio remanet in XIX., cyclus Lunæ curret illo anno in numero XIX. Si vero remanet in numero minori, curret in conſimili modo cyclus Lunæ illo anno.

Sciens, quod anni Domini MCCCLXXIV. ſunt diviſi per XIX. & ideo ſufficit illos annos ſolum, qui ſuperſunt plus uno addito dividere, ut prædixi, & ſic recte diviſis reſtat numerus VII. qui eſt hoc anno cycli Lunæ.

Ita etiam, quod in feſto Circumciſionis Domini, ubi mutatur numerus lunaris, incipias quo ad hoc computare numerum annorum Domini, qui erit in feſto Annuntiationis proxime tunc ſequenti.

Et quando ſcies, per quem numerum currit cyclus Lunæ, reſpice de illo numero, quam litteram alphabeti habet coram ſe in Kalendario, & illa die erit prima Luna, & in ſequenti die erit ſecunda Luna, in tertio tertia Luna, & ſic de aliis, quouſque ad lunationem aliam menſis alterius ſit deventum.

Et nota, quod numerus lunaris, & littera Dominicalis mutatur annuatim in feſto Annuntiationis Beatæ Mariæ, & in quibuſdam regionibus in feſto Natalis Domini, & hoc ſervat Curia Romana.

In anno tamen Biſſextili, non obſtante mutatione litteræ Dominicalis facta in feſto Circumciſionis, mutatur iterum ipſa littera Dominicalis in feſto Beati Matthię, quia in illo feſto, quando eſt biſſextus, duo dies in una littera includuntur.

Nota etiam, quod immutatio numeri lunaris fit ſubſequendo, ut ſi hoc anno currit cyclus Lunæ per numerum VII., anno ſequenti curret per numerum VIII.

Mutatio vero litteræ Dominicalis fit retrocedendo, ut ſi hoc anno currit Dominica per A. anno ſequenti curret per G. & non per B. & ſic de aliis.

Et quia de numero, & cognitione cycli lunaris tetigimus, ut per illud plenius, & clarius, quam ſupra poſuerimus, demus regulam ad inveniendum Paſcha, & alia feſta, & per conſequens, & tempora, ponimus regulam talem.

In anno illo, quo circulus lunæ currit per I. tunc poſt nonas Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per II. tunc poſt octavo Kalendas Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per III. tunc poſt idus Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per IV. tunc poſt quarto nonas Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per V. tunc poſt nono Kalendas Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per VI. tunc poſt quarto idus Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per VII. tunc poſt tertio Kalendas Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per VIII. tunc poſt quartodecimo Kal. Maii prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per IX. tunc poſt ſexto idus Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per X. tunc poſt ſexto Kalendas Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per XI. tunc poſt decimo tertio Kal. Maii prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per XII. tunc poſt pridie nonas Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per XIII. tunc poſt nono Kal. Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per XIV. tunc poſt pridie idus Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per XV. tunc poſt Kalendas Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per XVI. tunc poſt duodecimo Kalendas Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, qun currit per XVII. tunc poſt quinto idus Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per XVIII. tunc poſt XIII. alias IV. Kalendas Aprilis prima Dominica fac Paſcha. In anno illo, quo currit per XIX. tunc poſt undecimo Kalendas Maii prima Dominica fac Paſcha.

Et iſta eſt tabula infallibilis, ſive ſit Biſſextus, ſive non, & probatiſſima, licet multæ aliæ ponantur, & bene; hæc tamen tanquã magis clara, potiſſime iis, qui ignorant tabulas Lunares, præ alia magis obſcure, ſeu incertius poſita per auctores, & magiſtros, potius Nobis placet.

CAP. X.

Totius operis Epilogus.

Sicut autem dudum conſtitutum, & retentum eſt in Provincialibus Conſtitutionibus, ſic, & nunc in omnibus ſupra ſcriptis, & in libro reductis, auctoritate præſentis Concilii, retinemus, conſtituimus, & decernimus, ut præfatas Conſtitutiones antiquas, & novas, etiam in poſterum edendas, & omnia quę in hoc libro provinciali poſita, & recollecta poſuimus, Nos dumtaxat, & noſtri Succeſſores canonice intrantes, interpretari, declarare, intellectũ dare, corrigere, addere, minuere, & ſuper eis diſpenſare poſſimus, ſi, & quoties viſum, aut opus fuerit, ſine tamen juris offenſa; cuicumq; alteri hanc poteſtatem inhibentes. Du-

Ad quos ſpectet harum conſtitutionum interpretatio, declaratio, correctio, diminutio, additio, diſpenſatio?

Dudum ſiquidem in Concilio Provinciali celebrato in noſtra majori Eccleſia in feſto Sanctiſſimi Patroni noſtri Apoſtoli Beati Bartholomæi de Anno Dom. MCCCLXXIII.undecima Indictione,de vigore, & auctoritate ſupra proxime recitatæ, & poſitæ antiquæ conſtitutionis, quia nonnullos percepimus dubitantes, qui, & cujus conditionis viri Eccleſiaſtici Eccleſias, & Eccleſiaſtica beneficia obtinentes ad Concilium, ſeu Synodum venire teneantur, licet non eſſet hæſitandum, tamen ipſam antiquam conſtitutionem interpretari, & claram reddere cupientes declaravimus, & ſic in principio hujus operis poſuimus omnes Epiſcopos Suffraganeos, Abbates regulares,& ſæculares, Archipresbyteros, Priores,Præpoſitos, & quoſcumque Eccleſiarum curatarum Rectores,Civitatis,& Diœceſis Beneventanæ ad ipſum Concilium, & feſtivitatem venire debere,præfatam antiquam conſtitutionem ſic interpretando, & declarando extendentes ad omnes præfatos, alias contrarium faciendo pœna ejusdem Conſtitutionis feriendos, atque mulctandos decrevimus.

Cur in principio operis poſitum fuerit omnes Suffraganeos, Abbates Regulares & Sæculares, Archipresbyteros, Priores,Præpoſitos, & quoſcumque Eccleſiarum Curatarum Rectores ad Provinciale Concilium venire debere?

Ut igitur noſtri labores cunctis per noſtram Provinciam,& ditionem exiſtentibus manifeſti fiant, & per omne tempus obtineant, hoc opus ad frequentiſſimum ordinem CoepiſcoporumSuffraganeorum, & Subditorum omnium duximus deſtinandum, quod Deo auctore, noſtrumque gubernante ingenium peregimus. Res quidem nobis difficillima, immo quaſi impoſſibilis viſa eſt; ſed manibus ad Cœlum erectis, æterno auxilio invocato,non noſtro confiſi ingenio, eam curam noſtris repoſuimus annis, Deo referri, qui & res deſperatas donare,&conſummare ſuæ virtutis magnitudine poteſt, & tale Altiſſimo ſacrificium offerentes ad proximorum ſalutem, & zelum animarum miniſterii noſtri, facilemque doctrinam.

Operis hujus difficultas,& arduitas, ſed Altiſſimi ope deducta in planum.

Verum, quia ſicut homo errare potui, & inter minores ſcholaſticæ doctrinæ ſentio me minimum, icciroo ſuper quibuslibet non bene dictis, aut poſitis, vel omiſſis, pium præſtolor correctorem.

Proteſtatio auctoris errorum correctionem præſtolantis.

Ceterum, ut majoris auctoritatis fulgeat hoc opus munimine, ac etiam roborentur, quæ in ipſo dudum, & a Nobis conſtituta redacta ſunt, & pro ſalubri ſtatu totius Provinciæ Eccleſiarum, ac omnium ſubjectorum ordinata, decreta, declarata, & poſita. Icciroo nos Hugo ſupradictus hodie videlicet XVII. die, quæ fuit lunæ menſis Aprilis, ſecunda videlicet die continuati Concilii, Provinciale Concilium celebrantes in noſtra majori Beneventana Cathedrali Sede, una cum Reverendis in Chriſto Patribus Dominis Epiſcopis.

Fratre Nicolao Avellinen.
Fratre Thoma Vulturarien.
Fratre Conſtantino Montis Corbini.
Fratre Bartholomæo Vivinen.
Fratre Nicolao Sanctæ Agathen.
Simone Florentino.
Fratre Joanne Vicanen.
Jacobo Frequentin.
Fratre Dominico Arian.
Fratre Antonio Montismaran. noſtris, & Eccleſiæ noſtræ Suffraganeis,ac in præſentia noſtri Capituli,de mandato expreſſo, & voluntate SS. ac Beatiſſimi Patris, & Domini noſtri Domini Gregorii XI. Divina ordinante Clementia,Sacroſanctæ Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ Summi Pontificis, prout per ſuas Bullas Apoſtolicas infraſcriptas latius conſtat, quas ad futuram fidem, & memoriam hic inſeri juſſimus. Omnia univerſa, & ſingula Statuta, & Conſtitutiones, ac Ordinationes ſupraſcriptas, & in hoc libro clauſas Apoſtolica auctoritate, & Metropolitica, & hunc librum publicamus, roboramus, confirmamus,& approbamus,ab omnibus præcipientes, ſub pœnis per ſingula contentis, teneri, & etiam obſervari eadem auctoritate Apoſtolica pro obedientia oſtendenda. Statuentes,& antiquam ſuper hoc editam Conſtitutionem confirmantes, ut futuris perpetuo temporibus Provinciale Concilium annis ſingulis celebretur in feſto glorioſi Apoſtoli, & Patroni noſtri Beati Bartholomæi de menſe Auguſti, quo tunc etiam ad viſitandum ejus limina omnes Suffraganei, & alii de Diœceſi venire tenentur. Licet in eodem feſto etiam retro temporibus conſueverit celebrari, de quo non videtur Dominus Papa fuiſſe certificatus per ſuas Apoſtolicas litteras noſtrum omnium officium excitando.

Operis publicatio,roboratio, & confirmatio de mandato expreſſo, & voluntate Gregorii Pontificis optimi maximi.

Statutum antiquam ſuper hoc editam cōſtitutionem reſervans de Provinciali Concilio ſingulis annis celebrando in feſto glorioſiſſimi Apoſtoli S. Bartholomæi.

Tenor vero Apoſtolicarum litterarum prædictarum noſcitur eſſe ſub his verbis.

Litterarum Apoſtolicarum tenor Provincialis ejuſmodi Concilii Archiepiſcopo Beneventano inculcantium.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabili Fratri Archiepiſcopo Beneventano ſalutem,& Apoſtolicam benedictionem.

Licet pro obſervatione Sacrorum Canonū ad reformationē morum,præſertim Cleri ſit a Sāctis Patribus inſtitutum,quod Metropolitani cum ſuis Suffraganeis non omittant Provincialia Concilia celebrare, quia tamen celebratio hujuſmodi fere ubique Terrarum, quod dolenter referimus, longis temporibus eſt negligenter omiſſa, propter quod idem Clerus ab honeſtate ſui primævi ſtatus non modicum excidit, multipliciterque in devium declinavit; Nos de opportuno reformationis illius remedio cogitantes,non videmus, quod hujuſmodi reformatio poſſit citius, & effi-

efficacius fieri, quam per novas celebrationes Conciliorum Provincialium prædictorum, ut ſuper obſervantia inſtitutorum antiquorum, noviſque caſibus in Clero ſæpius evenientibus, manifeſtandis, in eiſdem Conciliis opportuna remedia præbeantur. Ideo Fraternitati Tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Provinciale Concilium tuæ Provinciæ, in quo conveniant tecum Suffraganei tui, & alii Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prælati dictæ Provinciæ, ad id ſolum convocari infra ſex menſium ſpatium, poſt præſentationem præſentium Tibi, ſeu publice apud Eccleſiam tuam factam, ſtudeas in ipſa tua Eccleſia, vel alibi infra dictam Provinciam celebrare, ubi per Te, ac eoſdem Suffraganeos de iis, quæ erunt ad laudem Dei, ac pro reformatione vitæ, & morum Cleri, & populi, nec non pro neceſſitatibus, & commodis Eccleſiarum, aliorumque piorum locorum provida examinatione tractetur, & etiam ſtatuatur, prout Tu, & iidem Suffraganei videritis expedire, ad Apoſtolicam Sedem pro ejus auctoritate, ac favoribus, ubi opportunum fuerit, cum fiducia recurſuri, & ut dicti Suffraganei venientes ad hujuſmodi Concilium de agendis in eo ſint plenius informati, volumus, quod eis mandes ex parte noſtra, quod ante ipſum Concilium ſtudeant ſuas Synodos celebrare, in eis ſuper corrigendis exceſſibus, ſupplendis defectibus, ac promovendis utilitatibus Eccleſiaſticis plenius tractaturi. Secuturis vero annis hujuſmodi Concilium convoces, & celebres, prout in Sacris Canonibus eſt ſtatutum, Nobis de convocatione, & celebratione hujuſmodi, cum eas feceris, ut ſciamus, ſi hujuſmodi noſtro mandato parueris, reſcripturus. Datum Avinione 11. Kal. Julii Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Dies, ac tempus, quo Concilium hoc actum, & datum fuit.

Actum, & datum in dicta noſtra Majori Cathedrali Beneventana Eccleſia in Provinciali Concilio, de mandato, & auctoritate Apoſtolica celebrato die prædicta XVII. Aprilis Anno Domini MCCCLXXIV. Indictione XII. Pontificatus præfati Sanctiſſimi Domini noſtri Gregorii XI. Anno Quarto. Noſtri vero Archiepiſcopatus Anno Nono. Deo gratias.

Præſentibus Venerabilibus Fratribus

Singulorum nomina, qui huic interfuere Concilio.

Dominis Fratre Luca Abbate Monaſterii Sanctæ Mariæ de Campobaſſo Boyanen. Beneventanæ Provinciæ, Vicario Domini Berardi Epiſcopi Boyanen., pro eo ad ipſum Concilium comparente.

Fratre Rogerio Sanctæ Mariæ de Strata.

Fratre Benedicto Sanctæ Mariæ de Fayfolis.

Fratre Rogerio Sanctæ Mariæ de Heremitorio.

Fratre Petro Sancti Petri de Planiſio.

Fratre Luca Sancti Laurentii de Apicio.

Fratre Nicolao Sanctæ Mariæ de Guilleto.

Fratre Joanne Sanctæ Mariæ de Venticano.

Fratre Antonio Sanctæ Mariæ de Rocha, prope Montem Rotanum Monaſteriorum Abbatibus.

Fratre Petro Priore Sancti Fortunati.

Venerabilibus viris Domino Joanne de Sancto Maximo Archidiacono.

Abbate Egidio de Enea Archipresbytero.

Abbate Antonio Bove Primicerio majore.

Abbate Joanne de Helena Primicerio minore.

Abbate Joanne Panacolono Bibliothecario Canonicis Beneventanis.

Domino Petro Archipresbytero Archicanonico Beneventano, & Vicario noſtro in ſpiritualibus.

Domino Michaele de Montilio Archipresbytero Sancti Gregorii de Molinaria.

Domino Perrino Decoliato Archipresbytero Porcariæ.

Domino Berardo de Maſculo Rectore Sancti Cornelii de Benevento.

Abbate Petro Aliman Rectore Sancti Conſtancii.

Abbate Franciſco Archipresbytero Farneti Montisfortis.

Canonicis Beneventanis, & quampluribus aliis Archipresbyteris, Abbatibus, Eccleſiarum Rectoribus, & Clericis, ac Laicis numero copioſo.

Requiſitio a Notario Apoſtolico facta, ut de actis in hoc Provinciali Concilio publica inſtrumenta conficeret.

Egidio Adaems Apoſtolica auctoritate Notario, & Scriba noſtræ Curiæ, & Secretario, qui de præmiſſis, & aliis actis in dicto Concilio Provinciali requiſitus fuit, ut conficeret publica Inſtrumenta.

HUGO

Idem Archiepiſcopus aliam Provincialem Synodum coegit anno Domini MCCCLXXVIII., *cujus vetuſtiſſimum, ac fere conſumptum apographum anno* MDCCIII. *in ſancta oppidi Limuſani viſitatione per Cardinalem Urſinum Archiepiſcopum habita, apud Parochialem S. Stephani repertum, plurimis tamen amanuenſis mendis inquinatum, idem Archiepiſcopus in* XIX. *Diœceſana Synodo ann.* MDCCIV. *promulgavit, atque in ejuſdem appendice, cum præcipuis errorum correctionibus, ac ſummariis ad ſingulos numeros appoſitis, imprimi curavit.*

CONCILIUM PROVINCIALE SEPTIMUM

Habitum anno 1378. ab Hugone II. Guidardio Archiepiſcopo,

Et hic impreſſum omnino, prout erat in memorato apographo tranſcriptum.

In prima hujuſce Synodici Provincialis editione ann. MDCLXXXXV. *hoc Concilium ignorabatur, utpote poſt ſeptem ab illa annos, ut ſupra, repertum.*

Præfatio.

HUgo Dei, & Apoſtolice Sedis gratia Archiepiſcopus Beneventanus, una cum Venerabilibus Fratribus Suffraganeis noſtris, & Venerabili Capitulo noſtre Beneventane Eccleſie Conſilium Provinciale, & Synodale tenentes, conſtitutiones, & ſtatuta per ipſos predeceſſores noſtros retroactis temporibus in ſuis Provincialibus Conſiliis edita, & ſalubriter ordinata, ne quis pretextu ignorantie ab obſervatione ipſorum ſe valeat excuſare, aut pretextu tarde publicationis earum forte arderet in deſuetudinem abiiſſe, una cum dictis Suffraganeis, & Capitulo noſtris de voluntate eorum, conſilio pariter & aſſenſu approbamus, innovamus, & ea perpetuis futuris temporibus irrefragabilitèr obſervari volumus, & mandamus. Et quia Paſtoralis Officii Nos cura ſollicitat, ſit utilitatibus ſubiectorum in illis præcipue, que animarum ſaluti conſulunt, ſollicite providere, quedam alia ſtatuta, monita ſalubria, & mandata ad honorem Omnipotentis Dei, totiuſque celeſtis Curie utilitatem paritèr, & tranquillitatem totius Provincie de nouo ſtatuimus, ſanſimus, & ordinamus de voluntate pariter, & aſſenſu totius Capituli noſtre Beneventane Eccleſie, & Reverendorum in Chriſto Patrum Epiſcoporum Suffraganeorum noſtrorum infraſcriptorum, auctoritateque Metropolitana ab omnibus legi ſepè, & intelligi, diligentèrque, & firmitèr obſervari precipimus, & mandamus, quatenus tranſgreſſionem ipſorum, qui inobedientiam incurrerent, caſtigatione debita, prout res exegerit, meritis puniemus, niſi fortè alitèr alicui obviarent ſupra quod diſponere, ſeù quidquam facere non valemus, tunc volumus pro non ſtatutis haberi.

II. In primis namque dapnamus, & perpetuo reprobamus omnem hereſim, & hereticam pravitatem extollentem ſe adverſus ſanctam Orthodoxam, & Catholicam Fidem in hiis ſcriptis excommunicatos publicè nunciamus omnes hereticos Patarenos, Gazatores, pauperes de Ludino, Paſſaginos, Ceſalpinos, Manicheos, Amadiſtas, Spenoneſtos, & alios omnes quibuſcumque nominibus nuncupentur, & credeutes eiſdem, ut adeo ſint excommunicati, & perpetuo maledicti, & bona ipſorum ſint Nobis, & noſtre Curie confiſcata, & Suffraganeorum noſtrorum, prout ſpectat ad Nos, & quemlibet eorumdem.

Hæretici omnes damnãtur: ipſorum bona Curiæ Fiſco applicantur.

III. Item ſtatuimus, & ordinamus, & ſub excommunicationis pena, & unius auguſtalis noſtre Curie, & noſtrorum Suffraganeorum dictorum applicanda, quod nullus de Civitate, Dyoceſi, & Provincia Beneventana Clericus, ſivè Laycus, mas, vel femina audeat blaſfemare, vel preſumat Deum, Beatam Virginem ejus Matrem, Sanctos, vel aliquem Sanctorum, nec in picturis, & imaginibus eorum, vel alibi depictis, vel extra iniuriam facere aliqualem.

Excommunicationis, & unius auguſtalis pœna contra blaſphemos infligitur.

IV. Item preſenti conſtitutione monemus una monitione pro tribus, & peremptoriè, quod nullus de Civitate, Dyoceſi, & Provincia Beneventana cujuſcumque ſtatus, ordinis, vel conditione * exiſtat, preſumat depingere, ſeù depingi facere ſignum, ſeù imaginem alicujus in Eccleſiis, & locis aliis quibuſcunque ſub nomine Sancti, qui non fuerit expreſsè per Sedem Apoſtolicam approbatus, & canonizatus, cum Romana Eccleſia Mater ſit fidelium, & Magiſtra, nec liceat à capite membra * diſcedere, ne populus exindè novo decipiatur herrore, alias in omnes, & ſingulos in contrariũ facientes ex nunc, prout ex tunc excõmunicationis ſentẽtiã ferimus in hiis ſcriptis.

Pęna excommunicationis contra depingentes in Eccleſiis imagines Sanctorum, nondum ab Eccleſia canonizatorum: ac item contra fures ſacrilegos. Alias* *conditionis*.

Aliàs* *diſſidere*

Item ſacrilegorum nefandam hereſim repu-

reputantes excommunicamus ſententialitèr in hiis ſcriptis omnes, & ſingulos ſubtrahentes de Eccleſiis, ſivè Capellis Civitate *, Dyoceſis, & Prov. Benev. calices, ſeù libros, vel veſtimenta Sacerdotalia, ſeù paramenta Altaris, turribulum . . . Crucem, candelabra, ſivè aliquod predictorum ad divinum obſequium deputatum, & generalitèr omnes, & ſingulos ſacrilegos, eorumque participes in crimine momorato. *

Alias* *Civitatis.*

Alias* *memorato*

Pæna excommunicationis contra maleficos, & ſacrilegos. Parochi eoſdem, ſi qui fuerint in eorum Parœcia, ſingulis Dominicis populo denuncient

V. Item preſenti conſtitutione ſtatuimus, & mandamus, quod nullus de Civitate, Dyoc. & Provinc. Benev. Clericus, ſive Laycus, maſculus, vel femina preſumat aliquam ſpetiem divinationis, ſive invocationis demonum, vel ſpetiem aliquam maleficii * faci nomine, vel fatture aliquatenus exercere, nec facere exerceri, nec cum exercitoribus ſcientèr in ipſo exercitio * intereſſe. Omnes autem, & ſingulos contrarium facientes ex nunc, prout ex tunc in hiis ſcriptis excommunicationis vinculo ſententialitèr invadamus * aliis penis à jure ſtatutis per Nos, aut Suffraganeos noſtros, prout ad quemlibet eorum pertinet noſtro, vel eorum arbitrio infligendis ſpiritualibus, vel pecuniariis juxtà perſonarum qualitates, & . . . . . delictus * in ſuo robore duraturis. Mandamus nihilominus univerſis, & ſingulis Archipresbiteris, Eccleſiarum Paſtoribus, Presbiteris, & Cappellanis Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. ſub excom. pena, quam ſcientèr contrarium facientes incurrere volumus ipſo facto, quod ſingulis diebus Dominicis divinatores, aurnſpices, & alios ſupra nominatos in eorum Eccleſiis publicè denuncient excommunicationis vinculo innodatos campanis, * extinctis, dum divina officia celebrantur.

Alias * *facti.*

Alias* *exercitio.*

Forſan* *innodamus.*

Alias * *delictorum.*

Adde, & candelis

VI. Item addicienter precipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis Abbatibus, Archipresbiteris, Eccleſiarum Rectoribus, & aliis ſuperius nominatis ſub pena predicta excommunicationis, ut criſma, oleum ſanctum, & alia ſacramenta, ſeù liquores, ita, & talitèr cuſtodire procurent, quod nullus ſacramenta ipſa, ſeù eorum aliquid accipere valeat ſine eorum expreſſa licentia, & permiſſu; in contrarium autem preſumentes, tàm permictentes, quàm recipientes excommunicationis ſententiam ferimus in hiis ſcriptis; volentes, & etiam mandantes expreſsè eiſdem, ut vaſa, in quibus ſanctum criſma, & oleum reponuntur, fiant de cetero, & ſint de ſtagno, vel metallo, & non de vitro, ita quod facilitèr frangi non poſſint, nec liquores effundi.

Sacramenta, & Sacramentalia diligenter cuſtodiantur; eorum vaſa vitrea de cetero non habeantur.

VII. Item denunciamus excommunicatos omnes, & ſingulos fractores, & molitores Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & aliorum locorum Religioſorum, & piorum locorum, & omnes & ſingulos incendiarios, falſarios litterarum Apoſtolicarum, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, Proditores Apoſtolice Sedis, & Officialium ejus, at * noſtrorum, & noſtre Beneventane Eccleſie, & Suffraganeorum noſtrorum, & fautores eorumdem, qui omnes tam diù excommunicationis ſententie ſubiaceant, donec ad gremium S. Matris Eccleſie veniant, abſolutionem, & miſericordiam petituri.

Eccleſiarum, & aliorum piorum locorum molitores, incendiari, litterarum Apoſtolicarum, & aliorum Ordinariorum falſarii, eorumque proditores, & fautores excommunicantur.

Alias * *ac.*

VIII. Item ſtatuimus, conſtituimus, monemus, & ordinamus, quod nullus in Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. cujuſcumque conditionis, & ſtatu * exiſtat per ſe, vel alium ſub quocunque contractus titulo, vel ſine contractu, quocumque colore, vel viam * quodcumque genus uſurarum debent * commictere, vel exercere: alioquin omnes, & ſingulos contrarium facientes poſt dies quindecim ex nunc in antea computandos excommunicationis ſententie ſint vinculo innodati, & ſi per menſem unum in dicta ſententia permanſerint, teneantur, & puniantur, ultra predictam penam, ad penam pecuniariam noſtro arbitrio, & ipſorum Suffraganeorum infligendam, noſtro, * & ipſorum Suffraganeorum Curiis applicandam.

Contractus omnes uſurarii ſub excommunicationis pœna prohibentur.

Alias * *ſtatus.*

Alias * *via.*

Alias* *debeat.*

Alias * *noſtre.*

IX. Item denunciamus excommunicatos ipſo jure omnes, & ſingulos de Civitate, Dyoceſi, & Provinc. Benev. locantes, ſeù donantes, vel alio quocunque titulo concedentes, ſcientèr uſurariis exercentibus, ſeù volentibus fenus, ſeù uſuras exercere, vel eoſdem uſurarios permictentes ſub quocunque colore in eorum domibus, in quibus habitationem habent, vel jus aliquod aliqualiter habitant. *

Uſurarii cum eorum fautoribus excommunicati denunciantur.

Alias*. *habeant*

X. Item ſtatuimus, ordinamus, ac etiam una monitione pro tribus, & peremptorie omnes, & ſingulos Notarios, & Scriptores Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. quod nullus teſtamenta uſurariorum Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. contra quos publica forma * laborat, quod uſurarii ſint, ſcribant, nulluſque Clericus, vel Laycus cujuſcunque ordinis, vel conditionis, & ſtatus, aut dignitatis exiſtat pro teſte eorum teſtamentis interſit, aut eiſdem uſurariis preſtet auxilium, conſilium, & favorem in condendis hujuſmodi Teſtamentis, Codicillis, vel quibuſcunque ultimum * voluntatibus, niſi ſatisfaciant priùs de uſuris perceptis per ipſos. Dictique Notarii, qui ſcribere hujuſmodi Teſtamenta, tanquam perſone publice, nomine quorum intereſt, ſtipulentur, & * de ſatisfaciendo preſtent Nobis, & noſtris Suffraganeis ydoneam cautionem. Contrarium verò facientes, dicta monitione premiſſa, excommunica-

Sub pœna excommunicationis teſtamenta publicorum uſurariorum, niſi data cautione de ſatisfaciendo, non conficiantur.

Alias* *fama.*

Alias* *ultimis;*

Ideſt * *etiam.*

nica-

nicationis ſententie vinculo volumus ſubjacere.

Sub pæna excommunicationis uſurarii omnes infra dies decem denuncientur.

XI. Item ſtatuimus, & ordinamus, & ſub excommunicationis pena, quam in contrarium facientes hac noſtra canonica monitione premiſſa, & una pro omnibus ferimus in hiis ſcriptis in deteſtationem tante labis, & criminis, precipimus, quod omnes utriuſque ſexus dictos uſurarios puplicos, & manifeſtos ubicumque degentes in noſtris Civitatibus, Dyoc. & Provinc. Nobis, aut Vicario noſtro, Suffraganeis noſtris, aut eorum Vicariis infra decem dierum ſpatium revelare, & denunciare procurent.

Pœna excommunicationis fertur contra falſos teſtes, falſiſque ſcripturis utentes.

XII. Item temeritatem effrenatam falſorum teſtium reprimentes, excommunicamus ſententialiter in hiis ſcriptis omnes, & ſingulos perhibentes, ſeu producentes falſum teſtimonium, vel falſos teſtes, vel utentes teſtibus, ſeu acteſtationibus quibuslibet, Inſtrumentis falſis ſcienter in quacumque Curia Civitat. Dyoc. & Provinc. Benev. & nichilominus, preter excommunicationis penam predictam, delinquentes in aliquo predictorum in noſtra Archiepiſcopali Curia, noſtro, vel aliorum, in quorum Curiis delinquentes reperti fuerint, arbitrio, eorum * decernimus puniendos.

Alias * etiam.

Beneficia ſimoniace procurantes excõmunicantur. Patroni ne aliquid annuum ex pacto a preſentatis accipiant ſub eadem Pœna.

XIII. Item, ut error ſymoniace pravitatis, & labes ejus funditus extirpentur, monemus ſub excommunicationis pena, & ordinamus, atque ſtatuimus, quod nullus de Civitate, Dyoc. & Provinc. Benev. pro aliquo beneficio obtinendo aliquod ſpirituale ex pacto, vel juramento, vel aliquod temporale, pecuniam, vel aliqua bona promictat, ſeu donet alicui Epiſcopo, Abbati, vel * aliquo Domino ſpirituali, nec non Comiti, Baroni, aliiſque perſonis ſecularibus, cujuſcumque exiſtant preheminentie, ſeu patronis Eccleſiarum quarumcumque, vel ſue familie; vel etiam alicui alteri mediatori, vel procuratori, quocumque queſito colore, vel etiam per aliquam tranſactionem cujuſcumque beneficii Eccleſiaſtici, ſeu permutationem, niſi in quantum jura permictunt; ſupradicti autem ſic ſymoniam commictentes, tam dantes, quam recipientes, quam etiam mediatores, ac etiam promictentes, & jurantes ſint beneficiis Eccleſiaſticis, que obtinent, ipſo facto privati, & nichilominus ſententiam excommunicationis incurrant. Adjicientes nichilominus, & mandantes, quod nullus patronus Eccleſie Civit. Dyoc. & Provinc. predictarum, cujuſcumque ſtatus, preheminentie, aut conditionis exiſtat, litteras collationis dicte Eccleſie, ſeu inſtitutionis preſentati ad dictam Eccleſiam, ſeu in poſterum preſentandi, penes ſe retineat, ſeu habeat quoquo modo. Immo ipſas eſſe volumus penes inſtitutum predictum, donec vixerit, & quod nullus patronus Eccleſie cujuſcumque predictarum Civitat. Dyoceſ. & Provinc. quocumque queſito colore recipiat, aut recipere poſſit quotam alienam fructuum, ſeu redituum ipſius Eccleſie ab inſtituto predicto, nec aliquod annuum ab hujuſmodi preſentato, ſeu preſentando per eum. Contrarium vero facientes tam dantes, quam accipientes penas eaſdem incurrere volumus ipſo facto.

Alias * alicui.

Forſan * phrenetici.

Pœna excomunicationis fertur contra impetrantes literas commendatitias Patronorum pro beneficiis obtinendis. Et ſi conferantur vi, vel timoris impulſu, collatio nulla ſit & irrita.

XIV. Item quia nonnulli ambitionis vitio * furetici viam rectam obherrantes, ut ceci, & ovile per oſtium non intrantes, dum beneficia vacant, Dominos temporales, & alios Magnates, & Potentes adeunt, ad Prelatos, & alios, ad quos ſpectat collatio, & inſtitutio Beneficiorum, ipſorum preces, & licentias exigunt, & requirunt importunas; unde contingit, qood Prelati ipſi Dominos temporales, & eorum indignationes verentes, ſepe indignis beneficia conferunt, & ſi non conferunt, & aliter per eos nominatis, ipſorum Dominorum, & Potentum odium, & indignationem incurrunt, ex quo, prout ſepe experientia docuit, Prelatorum, & Eccleſiarum non modicum ſequitur detrimentum. Nos volentes huic morbo, quod ſine ſymonie vitio vix accidit, illam, quam poſſumus, adhibere medelam, preſenti Conſtitutione in noſtris Civitatibus Dyoc. & Provinc. predictarum perpetuo valitura ſanſimus, ut quicumque Clericus Civitat. Dyoc. & Provinc. predictarum preces, vel litteras Dominorum, & Potentum hujusmodi pro aliquo beneficio obtinendo impetraverit, vel obtinuerit per ſe, vel alium directe, vel indirecte, quocumque colore, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, & nichilominus, ſi vi, vel timore compulſus beneficia ipſi conferat, vel alios in eis inſtituat, declaramus auctoritate preſentis Conſtitutionis, collationem, ſeu inſtitutionem hujuſmodi non valere, & inſtitutum modo premiſſo, tanquam indignum fore penitus amovendum, ipſumque teneri ad reſtitutionem perceptorum.

Executiones teſtamentorum infra annum omnino fiant, quo elapſo executiones ipſæ ad Curiam devolvuntur, & in eis ſub pœna excommunicationis nemo ſe intromittat.

XV. Item preſenti conſtitutione ſub excommunicationis pena monemus omnes, & ſingulos Clericos, & laycos, cujuſcunque ordinis, ſtatus, & dignitatis exiſtant, Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. qui executiones debent facere teſtamentorum, & ultimarum voluntatum, vel in futurum debebunt, & tam heredes, quam quoſcumque Succeſſores, & Poſſeſſores bonorum decedentium predictorum condentium teſtamenta, ut executiones heredum perficiant infra annum a die mortis, vel conditionis teſtamenti proximum computandum, decernentes ex nunc hujuſmodi executiones elapſo anno,

vel

vel conditione adveniente, prout jura volunt, ad Nos, & noſtram Curiam, ſeu Suffraganeorum noſtrorum, & eorum Curias fore legitimum * devolutas, preſenti etiam conſtitutione monentes heredes, & executores predeceſſores, ut dicto elapſo anno de executione ipſa nullatenus intromictant ſe, nec etiam interim de executione quorumcumque malorū ablatorum incertorum, quovis queſito colore. Contrarium vero facientes ipſo facto excommunicationis ſententie vinculo innodamus, abſolutione eorum Nobis, ac noſtris Suffraganeis, prout ad Nos, & ipſos ſpectat, ac noſtro, & eorum Vicariis tantummodo reſervata.

*Alias * legitime*

Impedientes teſtamentorum executiones excommunicantur

XVI. Item monemus ſub excommunicationis pena, quod nullus impediat directe, publice, vel occulte, quocumque queſito colore, quo minus executiones predicte perficiantur in terminis ſupradictis, alioquin dictam ſententiam excommunicationis incurrat ipſo facto.

Notariis, & teſtibus teſtamenta, & ultimas teſtatorum voluntates ſcribentibus, illorum notitiam infra menſem Epiſcopis deferre ſub excōmunicationis pœna præcipitur. *Alias * factis.*

XVII. Item monemus ſub excommunicationis pena, ut ſupra, omnes, & ſingulos Notarios, Presbiteros, & Clericos Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. qui teſtamentis, ſeu ultimis voluntatibus quibuſcunque facere * jam, vel ex nunc in antea faciendis pro Notariis, ſeu ſcriptoribus, & ubi ipſa ſcribantur, pro teſtibus tunc fuerint, quod infra menſem unum poſt mortem illorum, quorum ſcripſerint teſtamenta, vel alias quaſcumque ultimas voluntates, ſeu, ut premittitur, in non ſcripto pro teſtibus tunc fuerint, debeant Nobis, aut alteri, cui mandaverimus, aut noſtris Suffraganeis, vel eorum Vicariis, ſeu aliis quibuſcumque mandaverint, nomina teſtatorum decedentium, & executorum teſtamentorum ipſorum dare, & aſſignare in ſcriptis.

Confectioni teſtamentorū cujuſcunque conditionis intereſſentes, verbo, vel ſigno mentes teſtatorum turbantes excommunicantur.

XVIII. Item monemus, ut ſupra, omnes, & ſingulos Archipresbit. Rectores Eccleſiarum, & Presbiteros, ac Cappellanos, alioſque Rectores cujuſcumque Ordinis, vel conditionis exiſtant, nec non omnes, & ſingulos Notarios, Judices, ſcriptores, & alios quoſcumque tam mares, quam mulieres Civitatis, Dyoc. & Provinc. Benev. qui ex nunc intererunt, ſeu aſſiſtent confectioni teſtamenti, ſeu teſtamentorum maris, vel femine Civitatum, Dyoc. & Provinc. predictarum, quatenus nullo quolibet queſito colore, verbo, ſigno, vel facto impediant, ſeu turbent, vel aliter fraudulenter inſtruant, vel doceant facientes, ſeu condentes teſtamenta, ut ipſi teſtatores aliquam clauſulam, ſeu verbum apponant, vel alias apponi faciant directe, vel indirecte ſub quacumque forma verborum, vel per taciturnitatem, ſeu alio modo quocumque, per quem Nos, & noſtra Curia * defraudemur, & defraudentur portione canonica, & aliis juribus Nobis, & eis competentibus, prout jura volunt, & mandant. Contrarium vero facientes excommunicationis ſententie ſubjacere volumus ipſo facto.

*Alias * noſtra Curia.*

Religioſis perſonis executio cujuſcunque teſtamenti prohibetur, niſi prius de iis exequendis fideliter, & legaliter cautionem dederint: contrarium facientes excommunicantur. *Alias * ſtatus.*

XIX. Item preſenti conſtitutione ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod nulla perſona religioſa cujuſcumque cujus * vel conditionis exiſtat, que in Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. in teſtamentis, ſeu ultimis voluntatibus pro executore, aut diſtributore teſtamentario, alias quocumque nomine nuncupetur, per teſtatores, vel decedentes fuerint ordinata, de executione teſtamentorum ipſorum, aut ultimarum voluntatum ſe audeat intromictere, vel preſumat, aut bona quecumque eorumdem ad ſuas manus recipere, vel de ipſis diſponere quoquo modo, niſi prius coram Nobis, aut Suffraganeis noſtris, aut noſtro, vel eorum Vicariis dederit ydoneam cautionem uſque ad valorem bonorum per eum diſtribuendorum de dicta executione fideliter, & legaliter facienda, maxime quia plerique bona ipſorum ſibi appropriant, aut de locis, in quibus eſt executio facienda, ſe transferunt ad remota, unde voluntates decedentium defraudantur. Contrarium vero facientes excommunicationis vinculo innodamus.

Male ablatorum incertorum diſpoſitio non ad executores teſtamentorum, ſed ad Ordinarios loci ſpectare ſtatuitur. *Alias * juris.*

XX. Item quamquam aliorum Doctorum Jure * Canonici ſint opiniones diverſæ, an diſpoſitio male ablatorum incertorum ſpectet ad Dyoceſanum, vel ad executores teſtamentorum defunctorum, Nos opinionem illam, tanquam magis juri conſonam, & Doctorum plurimorum in hoc concordantium amplectentes, videlicet, quod diſpoſitio male ablatorum incertorum ad Ordinarium, ac Dyoceſanum, & Epiſcopum loci ſpectet tantum, & non ad executores teſtamentorum ipſorum, hac perpetua conſtitutione ſtatuimus, ac etiam ordinamus, quod ipſorum male ablatorum incertorum diſpoſitio, & executio ſub quacumque forma verborum dimiſſorum, etiam ſi per ipſos teſtatores predicta male oblata * incerta ad certos, & determinatos uſus deputata ſint, vel in poſterum deputentur, quas deputationes ex nunc decernimus irritas, & inanes, & nichilominus, etiam ſi ipſorum executorum per teſtatores ipſos ſuper diſpoſitione eadem induſtria eligatur, ad Nos, & Succeſſores noſtros, aut Suffraganeos noſtros, prout ad quemlibet eorum, pertinere, & ſpectare debeat, atque ſpectet. Monemus omnes, & ſingulos executores, & heredes quorumcūque Teſtamentorum *, qui deceſſerunt, & in poſterum decedent in Civit. Dyoc. & Prov. Benev. una canonica monitione pro omnibus, & peremptorie, ut de male ablatis incertis quali-

*Alias * ablata.*

*Alias * Teſtatorum.*

qualitercunque dimiſſis, vel dimittendis in poſterum, infra menſes duos computandos a die obitus decendentium eorundem, Nobis, aut Suffraganeis noſtris, ac noſtris, vel eorum Officialibus ad hoc deputatis, vel deputandis ſatisfaciant, cum effectu diſponendis, & exequendis per Nos, vel ipſos Suffraganeos noſtros, prout Nobis, & ipſis pro ſalute animarum teſtatorum ipſorum ſalubrius viſum fuerit expedire. Contrarium vero facientes, dicta monitione premiſſa, ipſo facto excommunicationis ſententie decernimus ſubjacere.

Bonorum defunctorum Poſſeſſores infra annũ quartam Eccleſiis ſolvere ſub excommunicationis poena coguntur.

XXI. Item monemus, ut ſupra, omnes, & ſingulos executores, & heredes, ſeù ſucceſſores, & poſſeſſores bonorum defunctorum Civit. Dyoc. & Provinc. Beneu. qui infra annum à die conditi teſtamenti quartam, ſeù canonicam portionem Nobis, & Epiſcopis Suffraganeis, & noſtre, & eorum Eccleſiis prædictarum Civitat. Dyoc. & Provinc. de jure debitam non ſolverunt, quartam ipſam Nobis, & ipſis Suffraganeis, Clericis, & Eccleſiis aliis, quibus tamdem * debent, integralitèr debeant aſſignare, alioquin in contrarium facientes, canonica monitione premiſſa, ſententiam excommunicationis proferimus in hiis ſcriptis.

* Alias eandem.

Bona legata, Eccleſiiſque relicta occupantes, & occupata retinentes, excommunicati denunciantur.

XXII. Item ſtatuimus, & monemus una monitione pro tribus, & peremptoriè, ac etiam excommunicamus, & excommunicatos in hiis ſcriptis denunciamus omnes illos cujuſcunque ſtatus, ordinis, & conditionis exiſtant, qui pecuniam, & alia bona legata, dimiſſa, & quomodocunque debita, ſeù relicta in ultimis voluntatibus, & teſtamentis, Nobis, opere fabrice majoris Eccleſie Beneventane, ac Prelatis, Clericis, & Cappellanis earundem, occupaverint, ſeù occupata tenuerint, non ſolvendo illa infra annum a tempore conditi teſtamenti, & tamdiu excommunicati exiſtant, donec Nobis, Epiſcopis, Prelatis, Clericis, & Cappellanis ipſis legatariis ſatisfecerint cum effectu.

Occupantes bona ſtabilia, inſtrumenta, acta, & privilegia ad Metropolitanam, aliaſque Eccleſias ſpectantia, ſi infra menſem non reddiderint, excommunicantur.

XXIII. Item, quia ſunt nonnulli, prout multorum habet oſſervatio, qui terras, prata, paſcua, molendinos, ſilvas, nemora, domos, cenſus, inſtrumenta, acta, regeſtra, privilegia, & bona alia, & jura ad Nos, & Beneventanam Eccleſiam, & ad ejus Capitulum, & alias Eccleſias Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. pleno jure ſpectantia, detinent occupata, ſeù alias indebitè quovis modo, & ea ſolvere, & reſtituere negligunt in ipſorum animarum periculum, predictarumque Eccleſiarum prejudicium, & jacturam. Nos indepnitati eorundem ex cura ſuſcepti regiminis providere volentes, requirimus, & monemus omnes, & ſingulos occupatores, & detentores hujuſmodi, & eorum participes, & ſcientes, ut infra unum menſem, a die publicationis preſentium in antea computandum, tunc * eis pro monitione canonica, & termino peremptorio aſſignamus, ſub excommunicationis pena, quam contra detemtores, eorumque participes, & ſcientes, ſi ſecùs fecerint, ex nunc ſententialitèr ferimus in hiis ſcriptis, predicta reſignare, perſolvere, & reſtituere predictis Eccleſiis, vel eis, ad quos eorum gubernatio ſpectare dignoſcitur, ac participes, & ſcientes debeant revelare.

* Alias quem.

Turbantes poſſeſſiones, & iura Metropolitanæ, ipſius Capituli, aliarumue Eccleſiarum, excommunicati declarantur.

XXIV. Item excommunicamus ſententialitèr in hiis ſcriptis omnes, & ſingulos, indebitè turbantes, & moleſtantes poſſeſſiones, & bona majoris Eccleſ. Benev. & ejus Capituli, & aliarum Eccleſiarum Dyoc. & Provinc. Benev. tàm mobilium, quàm ſtabilium, nec non jurium, redituum, cenſuum, & aliorum proventuum dicte Eccleſ. Benev. & Capituli ſuprad. & aliarum Eccleſiarum Dyoc. & Provinc. ſuprad. ſcientes, eorumque participes, & ſcientes, quicumque ad predicta dederint conſilium, auxilium, & favorem.

Eccleſiaſticis perſonis Collectas, & Decimas imponentes, ſi infra dies quindecim non abſtulerint, excõmunicantur: & Vniverſitates interdicuntur.

XXV. Item preſenti Conſtitutione monemus una monitione pro omnibus, & peremptoriè omnes, & ſingulos cujuſcumque preheminentie, conditionis, & ſtatus exiſtant, qui Prelatis, perſoniſque Eccleſiaſticis, Regularibus, & ſecularibus imponunt, impoſuerunt, vel impoſuerint in futurum onera gravia quecunque, ipſoſque talliant, &. collectam eis imponunt, & ſuorum proventuum dimidiam decimam, vel quamvis aliam pertinentem, aut quotam exigunt, & requirunt, eoſque moliuntur ſubiicere ſervituti, ſueque ſubmictere ditioni, & qui talia impoſuernnt, vel exegerint à Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis, ipſis invitis, aut apud edes ſacras depoſita, ſeù alia bona Eccleſiaſtica Eccleſiarum, Eccleſiaſticarumque perſonarum ubicunque in Civit. Dyoc. & Provinc. arreſtaverint, ſanſiverint, ſeù acceperint, vel arreſtari, ſanſiri, aut occupari mandaverint, aut occupata, ſanxita, vel arreſtata receperint puplicè, vel occultè, aut preſtaverint in premiſſis, & premiſſorum quomodolibet, infra quindecim dierum terminum recipiſcant *, quem terminum eis pro ultimo, & peremptorio termino aſſignamus: omnes autem, & ſingulos contrarium facientes ex nunc, prout ex tunc ipſo elaxo termino, ſententiam excommunicationis incurrant, volumus ipſo facto: Univerſitates quoque, que in hiis culpabiles fuerint, ex nunc, prout ex tunc, Eccleſiaſtico ſuſpendimus Interdicto.

* Alias reſipiſcant.

Temporales Domini, ſuis ſubditis præcipientes ne Eccleſiaſticis obſequia præſtent.

XXVI. Item denunciamus, & decernimus eo ipſo Excommunicationis ſententie ſubjacere omnes, & ſingulos tempo-

excommunicationis ſententiæ ſubjecti denunciantur.

porale · · iniium obtinentes, qui in terris eorum ſuis ſubditis precipiunt, atque mandant, ne Prelatis, aut Clericis, vel perſonis Eccleſiaſticis quibuſcumque vendant panem, & alia obſequia eis preſtent, interdicunt, & prohibent, cum talia in derogationem libertatis Eccleſiaſtice preſumantur.

Metropolitanæ Curiæ, aliarumque Beneventanę Provin. ſcripturas, ſi quis rapuerit, excommunicationis ſententia innodatur.

XXVII. Item ſtatuimus, & preſenti conſtitutione ſanſimus, quod ſi quis auſu ſacrilego preſumpſerit aliqua Inſtrumenta, vel Scripturas, & ſpetialitèr de actis, que in noſtra Curia, aut Suffraganeorum noſtrorum, & aliorum Ordinariorum Provinc. Benev. ventilantur, furtive, vel malitioſè ſubtrahere, vel doloſò modo rapuerit, tanquam ſacrilegus, & Eccleſiaſtice rei ſuttractor, eo ipſo ſit excommunicationis ſententie incidatur.*

* Alias *ſententia innodatus*.

Impedientes juriſdictionem, Officiumque Metropolitanæ Curiæ, & Suffraganeorũ, excommunicationis ſententia feriuntur.

XXVIII. Item ſtatuentes monemus in hiis ſcriptis pro primo, ſecundo, tertio, ac peremptorio, ac monitorio termino, & edicto, & una monitione pro tribus omnes, & ſingulos tàm Clericos, quàm Laycos, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, impedientes, vel impedire impoſterum preſumentes, vel fieri facientes, aut mandantes; aut impedientibus dantibus* conſilium, auxilium, & favorem, officium noſtrum, & noſtre Curie, & noſtrorum Suffraganeorum, & aliorum Ordinariorum Provinc. Benev. juriſdictionem, & utilitatem nobis, & eis noſtrarum, & eorum Eccleſiis debitam de jure, publicè, vel occultè, vel impedire volentes directè, vel indirectè, que perſone de predictis ſine mora, vel difficultate qualibet ſe debeant abſtinere, etſi contra fecerint, & à predictis ſe non abſtinuerint, ex nunc, prout ex tunc in contrarium facientes excommunicationis ſententiam ferimus in hiis ſcriptis.

* Alias *dantes*.

Conferentes beneficia, cauſſaſque cognoſcentes ad Beneventanam, & Suffraganeorũ Eccleſias pertinentia, excommunicantur: & hujuſmodi beneficia vacare declaratur.

XXIX. Item quia, ſicut ab antiquorum relatione percepimus, ſunt nonnulli de pred. Civitate, Dyoc. & Provinc., qui contra debitum rationis in prejudicium noſtre Benev. Eccleſ. & Suffraganeorum noſtrorum predictorum conferunt beneficia, de cauſis quibuſcunque cognoſcere, & alia exercere, que ad juriſdictionem noſtram, noſtrorumque Suffraganeorum predict. legitimè pertinere noſcuntur, auſu temerario non verentur. Volentes igitur ſuper iis de opportuno remedio providere, hac conſtitutione in perpetuum valitura ſanſimus, quod nullus de Civit. Dyoc. & Prov. Benev. cujuſcunque ſtatus, preheminentie, & conditionis exiſtat, in predictis Civitatibus, Dyoc., & Provinc. talia quomodolibet obtentare preſumat, niſi predicta ſibi à jure, ſeu ſpeciali privilegio, vel aliqua cauſa legitima pertinere noſcantur, de quibus Nobis, aut dictis Suffraganeis noſtris infra duorum menſium ſpatium fidem ſufficientem dare procuret, & plenariè informare. Contrarium verò facientes, quia exceſſus, & Henormitas hoc requirit, excommunicationis ſententiam, ac beneficii, quodcunque * obtinent, privationem incurrere volumus ipſo facto. Collationem autenticam * quoruncunque beneficiorum, ſeù cauſarum cognitiones, & proceſſus, ac quecunque pro * quorum, ſeù qua noſtra juriſdictio, ſeù Suffraganeorum noſtrorum valeat impediri, ſeù ledatur in aliquo, per ipſos attenus facta, vel in poſterum facienda, omni robore vacuamus, & nullius eſſe volumus firmitate.*

* Alias *quod*.

* Alias *autem*.

* Alias *pro quibus*.

* Alias *firmitatis*.

Obtinentes dignitates, & beneficia abſque canonica Inſtitutione, excommunicationis vinculo innodantur.

XXX. Item ſtatuimus, & preſenti conſtitutione monemus una monitione pro tribus, & peremptoriè omnes, & ſingulos Clericos, & Laycos Dyoc. & Provinc. Benev. cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel dignitatis exiſtant, quod nullus preſumat, vel attentet occupare, detinere dignitatum*, vel perſonatum, Eccleſiam, ſeù quodcunque beneficium Eccleſiaſticum auctoritate propria per ſe, vel alium, aut poſſeſſiones, fructus, redditus, & proventus eorundem abſque inſtitutione canonica, ſeù collatione Prelati, ad quem dignoſcitur pertinere, aut de adminiſtratione Abbatiarum, & Eccleſiarum ſe aliquatenus intromictat, vel de juribus eorum aliquod recipiat abſque voluntate, & mandato Rectorum Eccleſiarum illarum, quibus Rectoribus hujuſmodi dignitates, perſonatus, vel benef. conceſſa fuerint per Prelatos eoſdem, etiam ſi jus aliquod patronatus, vel electionis habeat in eiſdem, alioquin in omnes, & ſingulos ſupradictos, qui poſt menſem unum in antea computandum, predicta, vel aliquod predictorum accipere, occupare, aut invadere preſumſerint, vel occupata, ſeu ſuttracta olim tenuerint, vel teneant abſque collatione, & licentia ſpeciali, ut eſt dictum, & Cappellanos ſervientes in divinis Officiis poſt menſem unum in antea numerandum, in predictis dignitatibus, perſonatibus, Eccleſiis, & beneficiis nomine predictorum occupatorum, vel detentorum quorumlibet ſine licentia ſpetiali, in hiis ſcriptis excommunicationis ſententie vinculo innodamus; preſenti quoque conſtitutione adicientes, quod quicunque per Nos, aut Suffraganeos noſtros, ſeù alium, ad quem ſpectat, in Abbatem, Archipresbiterum, Rectoremque confirmatus, ſeù inſtitutus fuerit, antequam predictorum Abbatie, Archipresbiteratus, ac Rectorie, vel alterius beneficii cujuſcunque poſſeſſionem adipiſcatur, literas noſtras, vel aliorum, ad quos ſpectabit, beneficium conferre, noſtro, vel eorum ſigillatas ſigillis*, quod ſi aliquis eorum contrarium

* Alias *dignitatem*:

* Adde *obtineat*.

* Alias *Inſtitutiones*.
* Adde, &

rium fecerit, confirmationes, reſtitutiones*, & collationes predicte ſint irrite ipſo jure, & omni jure, per ipſos confirmatos, * inſtitutos propterea acquiſito, eo ipſo priventur, nulluſque interim tanquam Abbatibus, Archipresbiteris, aut Rectoribus obediat, vel intendat.

Habentes commendata beneficia ſine juſto titulo, vel unum beneficium curatum obtinentes, ſi aliud præſumant, excommunicantur, beneficiiſque ipſis privantur.

XXXI. Item quia nonnulli in Civitate, Dyoceſi, & Provinc. Benev. beneficia, ſeù beneficium, ut commodata, detinere noſcuntur, que ad collationem noſtram, aut Suffraganeorum noſtrorum vel aliorum Ordinariorum noſcuntur iure ordinario pertinere, excommunicamus ſententialiter in hiis ſcriptis tenentes recommendata taliter, ſeù aliter dicta beneficia, vel eorum aliquod abſque juſto titulo, vel tenentes unum beneficium curatum, & aliud preſumentes recipere, habens curam eamdem, & non reſignantes Nobis, aut illis, ad quos ſpectant eadem beneficia, & ſcientes, & non revelantes Nobis, & illis infra menſem unum, à die publicationis preſentium computandum, quem eis pro termino peremptorio, & monitione canonica aſſignamus, addentes conſtitutioni predicte, quod nichilominus recipientes beneficium cum cura animarum habendo *, & aliud ſimile beneficium ſine diſpenſatione legitima, ſint ipſis beneficiis ipſo facto privati.

*Forſan *hujuſmodi*.

Obtinentes dignitates, & Eccleſias curam animarum habentes, ſi infra annum requiſitos Ordines non ſuſceperint, ipſis beneficiis privantur.
* Alias *Abbatiā*.

XXXII. Item preſenti conſtitutione monemus omnes, & ſingulos de Civitat. Dyoc. & Provinc. Benev. Decanatum, Archipresbiteratum, Abbatum *, Prioratum, perſonatum, vel dignitatem curam animatum habentem anexam, aut Parochiales Eccleſias obtinentes, quod infra annum ex nunc à tempore, quo in antea hujuſmodi dignitatum, perſonatuum, & beneficiorum poſſeſſionem habuerint, ſi Archidiaconus, ſaltim in Dyaconum, ſupradicti verò alii ad Presbiteratus ordinem ſe faciant promoveri, & nullus promoveatur ad aliquem predictorum ordinum, vel jam promotus obtineat, niſi viceſimum annum quintum ſue etatis attigerit, vel habuerit, & de legitimo matrimonio procreatus, moribus, & ſcientia commendatus exiſtat, alioquin contrarium facientes, decernimus, & declaramus predictis beneficiis, perſonatibus, dignitatibus, & beneficiis ſupradictis eſſe ipſo facto privatos.

Abſentes ad ſuas Eccleſias vocantur, & infra menſem non redeuntes, nec reſidentes, beneficiis, Eccleſiiſque privantur.

XXXIII. Item quicunque in Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. habet, vel tenet Eccleſiam aliquam, curam animarum habentem, ſeu Eccleſiam Parochialem limitatam, ſi ſit abſens à Civit. vel loco, ubi Eccleſia ipſa conſiſtat, teneatur infra trium menſium ſpatium, poſt puplicationem preſentium, ad ipſam Civitatem, vel locum redire, & poſt reditum in ipſa Eccleſia in divinis Officiis, temporibus, & horis conſuetis, & congruis, ac debitis ſerviendo perſonaliter reſidere, alias ſi non redierit, vel ſi poſt ipſum reditum ceſſaverit per menſem in ipſa Eccleſia in dictis divinis Officiis ſerviendo perſonaliter reſidere, decernimus in punto ipſo dicta Eccleſia fore privatum, niſi habens predictam Eccleſiam in majori Beneventana Eccleſia, vel aliis Cathedralibus Eccleſiis noſtre Provinc. in divinis Officiis ſerviendo faciat reſidentiam perſonalem; quo caſu in Parochiali Eccleſia, ut attenus eſt conſuetum, faciat deſerviri, niſi de noſtra, ſeù Suffraganeorum, & aliorum Ordinariorum, & Superiorum ſuorum mandato, & licentia ſpeciali; quo caſu volumus, quod ille, qui dicte Eccleſie deſerviet, per Nos, & noſtram Curiam, aut Suffraganeos noſtros, & eorum Curias approbetur, ne cura animarum committatur minus ydoneo; & quod dictus ſubſtitutus, ſeu deſerviens, Nobis, aut noſtre Curie, vel ipſorum Suffraganeorum, infra unum menſem a publicatione preſentis conſtitutionis, preſentetur, per Nos, vel eos approbandus, alioquin dicto beneficio ſit ipſo jure privatus.

Licentie pro abſentia ab Eccleſiis revocantur.
* Alias *abſentiā*.

XXXIV. Item conſiderantes, quod propter abſentum * beneficiatorum noſtre Dyoc. & propter licentiam, & diſpenſationes per Nos, & Predeceſſores noſtros, ſeù per Vicarios noſtros, & dictorum Predeceſſorum de non ſerviendo in eiſdem beneficiis attenus conceſſas, in eiſdem beneficiis divinus cultus minori cura negligitur, eleemoſine, & hoſpitalitates pereunt, edificia diſſolvuntur, & corruunt, jura, & bona eorundem beneficiorum indebite uſurpantur, & remanent indefenſa, & multa alia mala ſequuntur, prout nos docet experientia, & evidentia facti demonſtrat; idcirco omnes licentias, & diſpenſationes predictas tam per Nos, quàm Predeceſſores noſtros, vel Vicarios predictos, ſeu alios quoſcunque auctoritate noſtra, vel predictorum Predeceſſorum noſtrorū ex quibuſcumque cauſis, & ſub quacumque forma, vel expreſſione verborum attenus conceſſas, factas, vel donatas, in hac preſenti Sinodo revocamus omnino, & pro revocatis, & nullis de cetero haberi volumus, niſi ſint conceſſe reſidentibus in ſervitio D.N. Pape, vel Dominorum Cardinalium, vel in noſtro.

Canonici, & curam animarum habentes, Proceſſiones adire cogantur: Inobedientes trium carolenorum pœna mulctantur.

XXXV. Item hac perpetua, & irrefragabili conſtitutione ſanſimus, quatenus ſinguli Canonici noſtre Beneventane Eccleſie, ac alii Presbiteri curam animarum habentes, infra Civit. Benev. degentes ad preſens, & qui ibidem in poſterum morabuntur, nec non, & ſinguli Canonici Suffraganearum noſtrarum Eccleſiarum, & Presbiteri alii curam animarum habentes, degentes infra Civitatem*,

* Alias *Civitates*.
* Verbum *redundans*.

tem *, in quibus ſunt inter * predicte Suffraganee, & Cathedrales Eccleſie ſituate, & qui ibidem in poſterum morabuntur, Nobis tantum, & Eccleſie noſtre ſubiecti, ſingulis diebus, quibus ſollepnes Rogationes, Letanie, ſeu Proceſſiones a jure, vel a Nobis, aut a noſtris Suffraganeis quomodolibet indicantur, vel etiam indicentur, induti ſuperpelliceis ad ſonum Campane dicte noſtre majoris Eccleſie, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Suffraganeorum noſtrorum, in dicta noſtra Eccleſia, vel aliis Cathedralibus ſupradictis, vel alibi, ſi aliud duxerimus, ſeu duxerint dicti noſtri Suffraganei mandandum, convenire perſonaliter teneantur, ituri ad locum, & audituri Letanias, ſeu Proceſſiones, ſi, & prout Canonici dicte noſtre Beneventane Eccleſie, ſeu aliarum predictarum Eccleſiarum duxerint faciendum. Contrarium vero facientes pro quolibet pena trium carolenorum noſtre Curie, ſeu Suffraganeorum noſtrorum predictorum Curiis applicanda, tenore preſentium fore plectendos *.

* Adde *decernimus*.

Locationes, alienationeſque bonorum Eccleſiarum ſine ſolemnitatibus cōtractæ, nullæ, & irritæ declarantur.

XXXVI. Item ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod nullus Archipreſbiter, vel Prelatus, ſeu Rector alicujus Eccleſie, vel quivis alius Clericus Civit., Dyoc., & Provincie Beneventane poſſeſſiones, & bona ſue Eccleſie vendere, alienare alicui audeat, vel locare, niſi manifeſta utilitas Eccleſie inde appareat, & proveniat, jure * ſolemnitatibus in contractibus obſervatis, alias in contrarium facientes, tam dantes, quam recipientes, excommunicationis ſententiam proferimus in hiis ſcriptis, & ipſa locatio, venditio, & alienatio ſit, & ſint nulla, & nulle, & ipſo jure irritam, & caſſam, & ipſam, & ipſas ex nunc ſuis viribus vacuamus.

* Alias *juris*.

Bonorum Eccleſiarum locationes, & conceſſiones in Emphiteuſim, ſine Prælatorum licentia facientes, excommunicantur; ipſique contractus irriti denunciantur.

XXXVII. Item, quia nonnulli Abbates, tam Regulares, quam Seculares, atque Capitula, & Collegia, & Archipreſbiteri, Eccleſiarum Rectores, & alii Clerici, Eccleſiaſticeque perſone Civitatis, Dyoc., & Provinc. Benev. Juriſdictioni noſtre ſubjecti, Abbatias, vel Eccleſias, ſeu Beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, cupiditates * vitio laborantes, domos, ortos, vineas, & alia Eccleſiaſtica bona immobilia ad longum tempus locare, in emphiteoſim concedere, & alienare abſque legitima cauſſa preſumunt, in ipſius contractus inicio recipientes aliquam pecunie quantitatem ſub nomine penſionis, & poſtmodum annis ſingulis recipiunt longe minorem quantitatem ſub nomine penſionis, vel cenſus, quam ipſorum bonorum, ſeu poſſeſſionum fructus valere noſcuntur, propter que Eccleſiis ipſis maximum prejudicium generatur. Unde Eccleſiarum indepnitati, & ſtatuta * providere volentes; quamvis ſuper hoc ſit ſatis a jure proviſum, hac conſultiſſima conſtitutione apertius declaramus, quod Abbates tam Regulares, quam Seculares, Archipreſbiteri, Eccleſiarum Rectores, & alii Curati, Eccleſiaſticeque perſone Civit., Dyoc., & Provinc. Benev., ſeu ipſorum aliquis domos, apothecas, ortos, vel vineas, ſeu alia Eccleſiaſtica bona immobilia locare, etiam ad quinquendium, vel in emphiteoſim concedere, permutare, vel alias qualitercumque alienare, etiam in caſibus a jure permiſſis, abſque ſpeciali licentia noſtra, & conſenſu expreſſo, vel Suffraganeorum noſtrorum, ut ſpectat ad eos, nullo modo preſumant ex quinquennali locatione, vel in emphiteoſim conceſſione, vel prolixiori quinquennio, vel* noſter, vel eorum conſenſus accedat, pecuniam nullam recipiant, *niſi ſicut tanguntur cum ſinguli locationis predicte* *; contrarium vero facientes in aliquo premiſſorum eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant, & nichilominus penam pecuniariam pro noſtro, vel ipſorum Suffraganeorum arbitrio infligendam non evadant, & locatio, permutatio, & in emphiteoſim conceſſio, vel alias quicunque contractus, qui aliter celebrabitur ſuper bonis Eccleſiaſticis ſupradictis nulla, & nulli ipſo jure exiſtant, & nullam obtineant roboris firmitatem, nec pene abitio, vel juramentum, ſeu aliqua alia obligatio, vel promiſſio intervenientes in premiſſis teneant, vel valeant, ſed penitus nullius exiſtant momenti, non intendentes propterea aliis ſolepnitatibus, que intervenire debent in Eccleſiarum rerum alienatione aliquatenus derogare.

* Alias *ſtatui*.
* Alias *niſi*.
* Obſcura *lectio*.

Exteros ſine Curiæ licentia, ad celebrationem miſſarum, ſacramentorumve adminiſtrationes nō admitti jubetur, ſub excommunicationis poena, niſi ſtatus, & morum probationes habeant.

* Adde, *ſe*.

XXXVIII. Item ſepe contingit, quod nonnulli vinculo excommunicationis adſtricti, ut Apoſtate, vel irregulares, ſeu criminoſi, & Sacramentorum indigni, patriam, unde de eis habetur notitia, fugientes, in Civit. Dyoc., & Provinc. Benev. improbe* ingerunt celebrationi Miſſarum, populo preſumunt, non ſine gravi offenſa Dei, etiam miniſtrare Eccleſiaſtica ſacramenta. Nos igitur animarum ipſorum periculis oviare, & Chriſtifidelibus, ne decipiantur, ſuccurrere ex officio debito cupientes, ſanſimus, quod nullus nationis ignotus*, vel forenſis, aut alicujus Civitatis, vel Dyoceſis oriundus, quod de quolibet preſumatur, niſi ſaltim per famam ipſius origo bona, vel competentibus indiciis approbetur, audeat, vel preſumat in Civit. Dyoc., & Provinc. Benev. præd. Miſſam, vel Miſſas celebrare, nec alicui miniſtrare Eccleſiaſtica ſacramenta, ſine noſtra, vel Vicariorum noſtrorum, aut Suffraganeorum noſtrorum, vel Vicariorum ſuorum, prout ad eorum quemlibet pertinet, licentia ſpeciali.

* Alias *ignota*.

ciali. In contrarium vero facientes excommunicationis ſententiam ferimns in hiis ſcriptis. Indicamus autem licentiam nullatenus eſſe de gratia concedendam, niſi de vita, ordinibus, & moribus plenarie fiat fides.

Aſſequentes in beneficium ultra ſeptem Miſſas in qualibet hebdomada, ſub pena privationis, majorem numerum debeant reſignare.

* Verbum *redundans*.

XXXIX. Item, quia prout ad noſtrum pervenit auditum, plerique Canonici Civitatis, Dyoceſis, & Provinc. Benev. non que Jheſu Chriſti ſunt querentes, lucris temporalibus inherentes in Civit. Dyoc., & Provinc. ſupradictis, ſpetialiter in noſtra Benev. majori Eccleſia, que * ultra ſeptem Miſſas in eorum Hedomada in beneficium aſſecuntur, qui non valentes perſonaliter ſervire eiſdem, per ſubſtitutos minùs legitime ſerviunt, quinimmò deſerviunt contra ſacrorum Canonum inſtituta; volentes, prout officii debitum Nos compellit, de ſalubri remedio providere, monemus omnes, & ſingulos Canonicos, ac Sacerdotes Civit. Dyoc., & Prov. Benevent., & in eis commorantes, una monitione pro omnibus, quatenus infra quindecim dies à die puplicationis preſentium computandos, miſſas ultra ſeptem numero ſupradictarum, & ipſorum beneficia in noſtris manibus, vel eorum, ad quos ſpectat, Capitulo, & preſentatis earumdem debeant aſſignare, & in futurum ultra predictum numerum, & ſtipendiis eorundem privamus, & privatos eſſe volumus, & decernimus in hiis ſcriptis; mandantes nichilominus ſub pena predicta omnibus, & ſingulis Clericis noſtrarum Civitatum, Dyoc., & Provinc. quod hujuſmodi Miſſis * Nobis, aut noſtro Vicario, qui pro tempore fuerit, & Suffraganeis noſtris, aut eorum Vicariis in ſcriptis notificare, & revelare procurent.

* Alias *miſſas*.

Præſentatio, ſeu inſtitutio contra ſupradicta, nulla decernitur ipſo facto.

XL. Item monemus omnes, & ſingulos Abbates, Archipresbiteros, & Laycos Civitatis, Dyoc., & Provinc. Benev. ad quos Capellarum, & Miſſarum predictarum preſentatio, ſeù inſtitutio pertinet, tam in noſtra Benev. majori Eccleſia, quàm in aliis Eccleſiis predictarum Dyoc., & Provinc. ut de cetero ſolicitè advertant, ut ne Canonicis Sacerdotibus habentibus Miſſas plures in ejuſmodi, prout ſuperius proximè fit * expreſſum, conferunt *, & ſi contra monitionem noſtram fecerint, preſentationem, ſeù inſtitutionem ipſam nullam decernimus ipſo facto.

* Alias *fuit*.
* Alias *conferant*.

Bona ſtabilia pro miſſis celebrandis legata ne ſint penes executores teſtamentarios; verum Celebrantibus aſſignari decernitur.

XLI. Item advertentes perpenſius, ne defunctorum intentio defraudetur, decernimus, quod non liceat executori alicui teſtamentario, vel alteri, qui diſpoſitionem, ſeù commiſſionem habeat, aliquas Miſſas facere celebrari, domos, terras, vel poſſeſſiones ad hoc ſpetialiter deputatas tenere, certam dando pecuniam Miſſas celebrantibus ſupradictas, ſed domos, & poſſeſſiones predictas infra unius menſis ſpacium, a die puplicationis preſentium * conſtitutionis in antea computandum, celebrantibus dictas Miſſas aſſignare, niſi per teſtatorem aliud fuerit ordinatum, de qua ordinatione infra menſem predictum coram Nobis, vel aliis Ordinariis, aut noſtra, vel eorum Curiis executores, & hæredes prædicti fidem facere teneantur; in omnes, & ſingulos autem contrarium facientes in hiis ſcriptis excommunicationis ſententiam promulgamus.

* Alias *præſentis*.

Caſus reſervati enunciantur, quorũ abſolutio Epiſcopis reſervatur.

XLII. Item monemus omnes, & ſingulos Abbates, Archipresbyteros, & Religioſos quoſcunque, & Rectores Eccleſiarum, ac Clericos Civit. Dyoc., & Provinc. Benev. cujuſcunque ordinis, ſtatus, conditionis exiſtant, quod nullus in ſubſcriptis caſibus Archipresbyter in ipſis a jure ſpeciali reſervatis, videlicet de Hereticis, Sodomitis, falſis Teſtibus, & Perjuriis, Inceſtuoſis, Sacrilegiis *, & Monialium corruptoribus, & aliarum Virginnm violatoribus, aut de Monialibus egredientibus extra ſua Monaſteria, contra Decretalem Bonifacii Pape VIII., & ingredientibus in Monaſteriis earumdem, niſi ex cauſa legitima, & rationabili, de blaſfematoribus Dei, B. Virginis, & Sanctorum ſacrilegis, permutationibus votorum quorumlibet, de excommunicatis majori excommunicatione, de diſpoſitoribus male ablatorum incertorum, de Matrimoniis clandeſtinis, vel contra Interdictum Eccleſiæ factis, de ſuffogationibus, & oppreſſionibus filiorum ex propoſito, vel caſualiter, de incendiariis, de divinatoribus, & detemtoribus bonorum Eccleſiarum, de muliere, que de adulterio concepit infantem, quem maritus credit eſſe ſuum, propter quem heredes legitimi hereditate fraudantur, de mulieribus, & aliis procurantibus abortum, item de illis, qui contractis ſponſalibus cum Sacramento, & non diſſolutis, contrahunt cum aliis, & de peccato luxurie commiſſo inter mulierem, & Confeſſorem ſuum, vel proprium Sacerdotem, & aliis criminibus puplicis, qui caſus ſunt Nobis, & Epiſcopis reſervati, abſolvere delinquentem preſumant, vel ſe de talibus intromittant, ſed ipſos ad Nos, aut ſuos Ordinarios remittant, abſque noſtra, vel ipſorum Ordinariorum ſpeciali mandato, niſi in articulo mortis, & tunc ſi copie Ordinarii commode haberi non poſſint, vel poſſit, & predicti delinquentes ſatiſfecerint primo ubi tenentur, vel de ſatiſfaciendo preſtaverint ydoneam cautionem: & nichilominus adiungendo Conſtitutioni predicte ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus Religioſus pretextu executionis, vel alterius perſone Civit. Dyoc., & Prov. Benev. audire confeſſionem

* Alias *ſagrilegis*.

nem preſumat, aut etiam abſolvere, vel ligare, niſi Nobis, & noſtris Suffraganeis, prout ad eos ſpectat, fuerit preſentatus, & per Nos, & eos approbatus, ut Conſtitutio Bonifacii VIII. ſuper hoc edita, & per Clementem V. confirmata mandat expreſſe. Omnes autem Religioſos extra eorum Monaſteria, & loca infra dictam Civitatem, Dyoc., & Provinciam noſtras, confeſſiones audientes, & contrarium facientes, tanquam in delinquentes in loco Juriſdictionis noſtre, & Suffraganeorum noſtrorum penam a jure ſtatutam incurrere volumus, addicentes Conſtitutioni predicte, quod nullus vigore, ſeu auctoritate cujuſcunque commiſſionis per Nos, vel Suffraganeos noſtros, aut noſtrum, vel eorum Vicarios facte, vel forſitan faciende de audiendis Confeſſionibus, & de poteſtate abſolvendi a predictis caſibus, & aliis Nobis, & eiſdem Suffraganeis de jure, vel de conſuetudine reſervatis, ſe aliquando intromittat, niſi ſuper hoc licentias noſtras, aut Suffraganeorum noſtrorum, ſeu Curie, vel eorum Curie habeant, in quibus caſus, qui committuntur, diſtincte, & particulariter ſint expreſſi, alioquin Commiſſionem predictam decernimus non valere: Literas autem, & licentias, que ſuper hujuſmodi per Predeceſſores noſtros emanarunt, tenore preſentium revocamus.

Decimæ ſtatuto tempore ſolvantur ſub excommunicationis pœna, & ſub eadem pœna ſingulis diebus Dominicis hęc conſtitutio publicetur.

XLIII. Item preſenti Conſtitutione monemus ſub excommunicationis pena, quam ſi ſecus fecerint, incurrere volumus, ipſo facto, omnes, & ſingulos Cives Beneventanos, quod decimas tam prediales, quam perſonales Eccleſiarum, quarum ſunt Parochiani, jure divino debitas, ſolvant ipſarum Eccleſiarum Rectoribus annis ſingulis per totum menſem Octobris, & de non ſolutis, ut tenentur, ſatisfaciant competenter: mandamus nichilominus ſub pena predicta omnibus, & ſingulis Archipresbyteris, Eccleſiarum Rectoribus, & cunctis predictarum Civitat. Dyoc., & Provinc., quod ſingulis diebus Dominicis in eorum Eccleſiis, cum Divina officia celebrantur, preſentem Conſtitutionem debeant puplicare.

Decimas non ſolventes, vel occupantes, quicumque ſint, etiam Regulares, infra duos menſes reſtituant ſub pœna excommunicationis.

XLIV. Item preſenti Conſtitutione monemus pro primo, ſecundo, tertio, & peremptorio termino omnes, & ſingulos tam mares, quam mulieres, & Religioſos quoſcunque cujuſcunque ordinis, ſtatus, & conditionis exiſtant Civitat. Dyoc. & Provinc. predictarum, vel domicilium habentes, ac moram trahentes in ipſis, quod ad decimas Clericis, & Eccleſiis dictarum Civitatum, Dyoc., & Prov. jure divino debitas manus non extendant per ſe, vel alios quoquomodo, nec decimas ipſas accipere, invadere, ac occupare preſumant directe, vel indirecte, puplice, vel occulte, & ſi quas occupaverint, illas infra duos menſes, a die puplicationis conſtitutionis hujuſmodi in antea computandos, reſtituant Rectoribus Eccleſiarum, & Eccleſiis, quibus debentur decime ſupradicte, dictique Religioſi de poſſeſſionibus eorum, & de fructibus ex ipſis obvenientibus decimam perſolvant Rectoribus Eccleſiarum, in quarum Parochiis loca ipſorum Religioſorum, & poſſeſſiones ipſe ſunt ſituate, niſi ſuper hoc privilegium exemptionis haberent, de quo infra duos menſes ab hodie in antea computandos fidem facere, ſi voluerint, teneantur, alias in ſingulos contrarium facientes ex nunc, prout ex tunc excommunicationis ſententiam proferimus in hiis ſcriptis, & vigore preſentis conſtitutionis excommunicationis ſententie ſint vinculo innodati.

Quarta decimarum, & aliarum obventionum, a quibus debetur, integre ſolvatur ſub eadem pœna.
*Alias quatenus.
*Alias debitas.

XLV. Item ſtatuentes, ut ſupra, monemus Abbates, Archipresbiteros, Eccleſiarum Rectores, & Cappellanos Eccleſiarum Dyoc., & Provinc. Benev. quarum * quartilias decimarum, mortuariorum, & aliarum obventionum Nobis, & dicte Eccleſie Benev., & aliis Epiſc. Ordinariis eorum debitam *, integraliter ſoluant, & ſatisfaciant omnes ſingulis Nobis, vel Procuratoribus noſtris, aut dictis Epiſcopis, vel ſuis Procuratoribus per totum menſem Novembris anni cujuslibet ſub excommunicationis pena, quam in contrarium facientes proferimus in hiis ſcriptis.

Taxillorum ludus, armorum delatio, & caputia buttonata Clericis prohibentur.

XLVI. Item, ut Clericorum actus, & mores, quorum vita aliis debet eſſe magiſtra, in melius reformentur, omnes, & ſingulos Canonicos, Sacerdotes, & Clericos Civit. Dyoc., & Provinc. Benev., & commorantes in eis, ludentes ad taxillos, in auguſtale unum, aut aliquod genus armorum pedites portando per Civitatem, Dyoceſim, & Provinc. ſupradictas, niſi itinerando, in carolenis quindecim carolenorum argenti, noſtre, & ipſorum Suffraganeorum camere perſolven. decernimus puniendos vice qualibet in hiis ſcriptis, niſi in caſibus a jure permiſſis: inhibentes nichilominus ſub pena predicta omnibus, & ſingulis Clericis in ſacris ordinibus conſtitutis, ut non deferant, nec deferre preſumant capucea buttennata, ſeu cum buttonibus, ſed aliter ſuta, ut decet, & honeſte.

Sæculares veſtes ab iiſdem Clericis non adhibeantur.

XLVII. Item preſenti conſtitutione ſub excommunicationis pena monemus omnes, & ſingulos Archipresbiteros, & Sacerdotes cujuſcunque ſtatus, ordinis, ſeu conditionis exiſtant, Civitatis, Dyoc., & Provinc. Benev., quod veſtes decentes, & congruas portare, & deferre cintas debeant, non apertas, & buttennatas ex parte anteriori, vel cum gironibus circumdatas, vel breves, cum tales veſtes * more

* Adde de.

more ſæcularibus competant, & non congruis * Eccleſiaſticis, & in ſacris Ordinibus conſtitutis.

* Alias cōgruant.

Clerici tabernas non adeant, & in eis, coque minus ante fores ipſarum non comedant, nec bibant.

* Alias irretiti.

XLVIII. Item ſicut percepimus ex teſtimonio ſatis digno, ſunt plerique Clerici, & Sacerdotes, qui potius luxuriæ relaxatis habenis, quam freno honeſtatis irriti *, more laycorum per tabernas continuò diſcurrere non verentur, denigrando modeſtiam ordinis Clericalis. Volentes cura paſtoralis Officii de ſalubri remedio providere, omnes, & ſingulos Canonicos, Sacerdotes, & Clericos bibentes, vel comedentes in aliqua taberna, vel ante ipſam in Civitate, vel ſuburbiis, niſi itinerando, aut in caſtris, in quibus habitant, in floreno auri uno vice qualibet dictæ cameræ noſtræ, vel Suffraganeorum noſtrorum applicando, puniendos decernimus in hiis ſcriptis.

Ab alienis Epiſcopis ſubreptitie ordinati, ab eiſque olea ſacra accipientes, excommunicantur.

XLIX. Item verentes attentiùs, quod nonnulli Clerici de Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. & commorantes in eis, ab alienis Epiſcopis minùs legitimè ad ſacros Ordines ſe faciant promoveri, excommunicamus ſententialiter in hiis ſcriptis omnes, & ſingulos de Civit. Dyoc. & Provinc. ſuprad. qui ſubreptitiè, preter noſtram, aut Vicariorum noſtrorum, aut Epiſcoporum Suffraganeorū noſtrorum, aut Vicariorum ſuorum conſcientiam in predictis licentia non obtenta, ab aliquo Prelato ſe faciant ad aliquem ordinem promoveri, & omnes illos etiam, qui ſacrum chriſma, & oleum ſanctum, & oleū infirmorū ab alienis Epiſcopis accipiunt, licentia non obtenta: iniungentes nihilominùs omnibus, & ſingulis Canonicis Dyoc. & Provinc. pred. ut nullus abſque noſtra, ſeù Vicariorum noſtrorum, aut Suffraganeorum noſtrorum, vel Vicariorum ſuorum licentia, vel aliorum, quibus duxerimus, aut duxerint committendum, primam tonſuram, aut alios minores ordines, aut ſacros ordines accipere preſumat, quin primo fidem faciant de ſuſceptis, & litteras teſtimoniales penes ſe habere procurent, alioquin contrarium facientes ad dictam tonſuram, & ſacros ordines admitti prohibemus, & dictam excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto.

Clerici a negotiis ſecularibus ſe abſtineant.

L. Item, quia inſinuatione frequenti noſtris eſt auribus intimatum, quod nonnulli Canonici, Sacerdotes, & alii Clerici Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. & commorantes in eis in ſacris Ordinibus conſtituti mercantias, tabernas, & alia mercimonia exercere in obprobrium ordinis Clericalis, atque mali exempli perniciem non verentur, monemus omnes, & ſingulos Canonicos, Sacerdotes, quatenus Tabernam tenere, mercantias, & alia mercimonia exercere ulteriùs non preſumant. Contrarium verò facientes in uncia auri vna carlenorum argenti, ut ſupra, dicte Camere noſtre, vel Suffraganeorum noſtrorum applicanda decernimus puniendos. Declaramus autem non includi in Conſtitutione predicta vendentes vinum, vel grecum, ſeù fructus Tabernariis, vel aliis Mercatoribus, licet dicti Tabernarii, vel Mercatores dictum grecum, vel vinum vendant, ſeù vendi faciant ad minutum, & locatores ſuarum domorum, quamquam Conductores, ipſas Tabernas in eiſdem voluerint exercere, dummodò in dicte Conſtitutionis fraudem nil fiat.

Sub excommunicationis pœna temporibus prohibitis, Nuptiæ, ſeu earum ſolemnitates non celebrentur.

LI. Item ſtatuimus, & mandamus, quod nullus de Civit. Dyoc. & Prov. ſupradictis cujuſcunque ſtatus, & ordinis exiſtat, nupcias celebret, ſeù ſolennitatem nupciarum temporibus prohibitis exequatur, videlicet à Dominica Adventus Domini uſque poſt octavam Epifanie, & à Dominica ſeptuageſime vſque ad Octavam Reſurrectionis Dominice, & à tribus diebus Rogationum ante Aſcenſionem Domini uſque ad Octavam diem Pentecoſtes incluſivè, prout jure Canonico conſtat eſſe prohibitum. Contrarium verò facientes excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto.

Temporibus eiſdem prohibitis publicationes ne fiant, nec miſſa, vel nuptiarum benedictio celebretur.

LII. Item ſtatuimus, & mandamus Abbatibus, Archipresbiteris, Prioribus, Decanis, Rectoribus Eccleſiarum Civit. Dyoc. & Prov. Benev. ad quos cura ipſarum Eccleſiarum ſpectat, ſub pęna prędicta, quod ſepius moneant publicè Populum ſibi commiſſum, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur in Eccleſiis eorundem, quod nullus celebret nupcias temporibus prohibitis ſupradictis, Banna, & alia, ut juris, & moris eſt, permictant, nec ipſi Presbiteri, ſeù Rectores, vel Cappellani, & alii ſupradicti celebrent, ſeù faciant celebrari Miſſam, vel Benedictionem ſolemnem in ipſis ſponſalibus, ſivè nupciis diebus, & temporibus prohibitis ſupradictis.

Nullus Epiſcopus alienos ſubditos chriſmare, vel ordinare prçſumat: nec eadem in aliena Diœceſi exercere abſque Epiſcopi loci licentia.

* Alias nos.

LIII. Item, quia ſicut nobis * manifeſta experientia docuit, nonnulli Epiſcoporum noſtre Beneventane Provincie Suffraganei noſtri falcem in meſſem alienam immittere non verentes, in Caſtris, & locis noſtre Benev. Dyoc. & Provinc. ſubiectos noſtros, noſtre Juriſdictionis, ſeù aliorum Epiſcoporum Suffraganeorum noſtrorum ſubiectos chriſmare, & benedicere preſumunt: Ideoque ſanſimus, quod nullus Epiſcopus Suffraganeus noſter, ſeù quivis alius audeat ſine noſtra ſpeciali licentia, aut illius Epiſcopi, ad quem pertinebit, ordinare Clericos Terrarum noſtre Dyoc. aut alterius, nec chriſmare, ſeù confirmare pueros utriuſque ſexus, nec ſignare, vel aliquod exercere in Civit. Dyoc. ſeù Provincia noſtra predictis, de hiis, que ad ordinationem,

&

& Jurisdictionem noſtram, aut aliorum Epiſcoporum Suffraganeorum noſtrorum in terris, & locis prædictis pertinent, atque ſpectant; quod ſi contrarium fecerit in premiſſis, vel aliquo premiſſorum penam à jure ſtatutam vice qualibet, & actu transgreſſionis predicte ſolvat *in contrarium facientes* * noſtre Curie, ſeù dictorum Epiſcoporum Suffraganeorum uncias decem, in utilitatem convertendas noſtre Beneventane Eccleſie, aut illius Eccleſie, cui erit injuria irrogata, nec credant aliqui ſe habere licentiam à Nobis, & aliis Epiſcopis Suffraganeis noſtris, niſi litteras ſigillatas noſtro ſigillo, vel Curie noſtre, aut dictorum Coepiſcoporum Suffraganeorum noſtrorum patentèr oſtendant; iis verò, qui predicta exequi in Civit. Beneven. habuerint, ſufficiat ſolo verbo à Nobis, vel Vicario noſtro licentiam habuiſſe.

* Verba redundantia.

Pauperum ſepultura ſimul ac de ipſorum morte notitia pervenerit, a Parochis non differatur.

LIV. Item multorum inſinuatione clamoſa didicimus, quod nonnulli pauperes egeni degentes in Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. propter eorum inopiam pluribus diebus carent Eccleſiaſtica ſepultura; volentes ex noſtri officii debito de ſalubri remedio providere, preſentium tenore requirimus, & monemus omnes, & ſingulos Rectores Eccleſiarū Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. Parochiale funerale habentes, quatenus ſub excommunicationis pena, & unius auguſtalis, quam primum ad ipſorum notitiam pervenerit de morte decedentium predictorum, *ſublato more perpedio* *, ſtatim ad eorum expenſas, ut convenit, ſeppeliri faciant corpora defunctorum in cimiteriis Eccleſiarum ipſarum: & Canonici, & ceteri Clerici dictarum Civitatum, Dyoc. & Provinc. quando ad eorum notitiam pervenerit, vel devenerit, notificare debeant Rectoribus ſupradictis.

* Forſan *ſublata mora, propediem.*

Clerici concubinas non habeāt, nec alant, & habentes a ſe abiiciant ſub poenis, hic ſtatutis.

LV. Itēm ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus Clericus in quocunque ordine conſtitutus, vel Eccleſiaſtica perſona Civit. Dyoc. & Prov. Benev. publicè concubinam in domo ſua propria, vel aliena, ſuis expenſis audeat retinere, ut pollutis manibus Clerici ſupradicti, que ſancta ſunt, adminiſtrent. Imò ſi qui ipſorum hucuſque eas tenuerint, vel retinent, infra decem dierum ſpacium à tempore publicationis preſentis Conſtitutionis debeant à ſe ipſis abiicere, & admovere * eas, vel alias deinceps nullatenus amiſſuri *, quod ſi predicti Clerici contra fecerint, Sacerdotes, Eccleſie Rector, ſivè Prelatus, qui majori preheminet Dignitate, & ejus exemplo faciliùs tàm Clerici, quàm Layci poſſent ad ſimilia provocari, quatuor unciarum Nobis, & noſtre Curie, ſeù Suffraganeorum noſtrorum, & eorum Curiis applicandarum; Dyaconus verò trium unciarum, Subdiaconus duarum unciarum, alii verò inferioris ordinis unius uncie penas incurrant, convertendas, & erogandas in pios uſus, prout Nobis, & dictis Suffraganeis noſtris viſum fuerit expedire.

* Alias *amovere.*

* Alias *admiſſuri.*

Mulieres ſuſpectæ in Clericorum domibus non habitent.

LVI. Item ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus Sacerdos, Clericus Beneficiatus mulierem habeat in domo ſuſpectam, monentes ex nunc quoſcunque habentes, ut à ſe ipſas abiiciant infra quindecim dies, alioquin, preter penas juris, inobedientes in uncia una, danda Curie noſtre, & Curiis Suffraganeorum noſtrorum, in piis uſibus convertenda, puniantur: precipimus ſub pena predicta omnibus, & ſingulis Abbatibus, Archipresbiteris Dyoc. & Prov. predictarum, ut dictos Sacerdotes, & Clericos taliter mulieres habentes, & à ſe non abiicientes, eoſdem Nobis, & Suffraganeis noſtris infra decem dies revelare, & in ſcriptis tradere, ſivè aſſignare nomina eorundem.

Vxorati cum concubinis viventes excōmunicantur, & uti tales vitari jubentur.

LVII. Item ſtatuimus preſenti Conſtitutione, ac una monitione pro tribus, & peremptoriè monemus, quod nullus de Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. cujuſcunque Status, & Ordinis exiſtat, habere nec * uxorem propriam, recipere, ac retinere debeat concubinam, nec mulieres maritum habentes, debeant aliquibus concubinalitèr adherere, & aliàs in contrarium facientes, poſt menſem unum in antea computandum, dicta monitione canonica premiſſa, & dicto termino elapſo, excommunicationis ſententiam proferimus in hiis ſcriptis, Epiſcopoſque * per ſingulos Archipresbiteros, & Abbates, & alios Eccleſiarum Rectores, tanquam *pro* * excommunicatos vitari precipimus, ad minus quouſque à Nobis, aut Suffraganeis noſtris, aut Vicariis eorundem, abſolutionis beneficium mereant * obtinere.

* Alias *habens.*

* Alias *ipſoſque*

* Redundat.

* Alias *mereantur.*

Sub pœna excommunicationis ipſo facto, nullus Monialium Monaſteria ingrediatur, niſi ex neceſſitate, & cum Epiſcoporum licentia.

LVIII. Item monemus omnes, & ſingulos Civitatis, Dyoc. & Provinc. Benev. & eis ſub excommunicationis pena mandamus, quam contrarium facientes incurrere volumus ipſo facto, quatenus nullus mas, vel femina audeat ingredi Monaſterium Monialium, cujuſcunque ſtatus, ordinis, & conditionis exiſtat, niſi cum legitima, & naturali cauſa, & cum licentia noſtra, vel Vicarii noſtri, & Suffraganeorum noſtrorum, vel Vicariorum ſuorum, ſuper hiis priùs habita, & obtenta, quam penam omnes Cappellanos, & Procuratores, & alios talia loca fictis coloribus frequentantes ſine licentia ſupradicta petita, & obtenta, incurrere volumus ipſo facto.

Moniales extra Monaſteria non comedant, nulluſque intra eorū ſepta hoc preſumat, ſub pœna excommunicationis eo ipſo.

LIX. Item ſtatuimus, quod Moniales non comedant extra loca Monaſteriorum ſuorum, nec aliquis de locis, ubi degunt, ad comedendum, vel bibendum caſualiter admittat in domo ſua, ſub pena unius

unius uncie, noſtre Curie, vel Suffraganeorum noſtrorum applicanda. Item, quod nullus comedat infra dicta ſepta, aut bibat ſub excommunicationis pena, quam incurret ipſo facto, niſi de licentia noſtra, aut Vicarii noſtri, & Suffraganeorum noſtrorum, & eorum Vicariorum, petita, & obtenta.

Nullo modo compaternitates contrahantur, niſi cũ coniunctis uſque ad tertium conſanguinitatis gradum Patrinorum numerus unius omnino numerũ non excedat.

LX. Item, quia nonnulli, ſicut Nobis attulit plurimorum relatio, ſe à vetitis neſcientes penitùs abſtinere, pretextu liciti, inhoneſta, & inlicita committere querentes, exquiſitis, & conceptis in corde fraudibus, compaternitatem cum nonnullis contrahere ſatagunt, & cum velata octoſatione * eadem inhoneſta, & inlicita exercere, ſub cujus prętextu, & ficta occaſione ad concubinas, ſeù fornicatorias eorum, quas in occulto detinent, ſeù detinere proponunt, facilitèr, & excuſabilitèr eis materia, & via frequentius accedendi *. Nos ſubditis noſtris, & maximè Presbiteris, & Clericis Civit. Dyoc. & Prov. Benev. quorum geſtus, actus, & mores honeſtos, & irreprehenſibiles eſſe capimus *, fornicandi, & delinquendi materiam auferre volentes, & dictis fraudibus, & requiſitis, quantum cum Deo, & juſtitia poſſumus, obviare, hac noſtra pręſenti Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, & ſub excommunicationis pena mandamus, quod nullus Clericus, & Laycus Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. cum fraude, & occaſione prędictis compaternitatem cum aliquibus de cętero contrahat, & ut omnis penitùs nequicie via in eiſdem Clericis precludatur, inhibemus hujuſmodi Conſtitutionis ſerie Presbiteris, & Clericis Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. predictarum, ut deinceps compaternitatem modo aliquo cum aliquibus contrahant, nec contrahere preſumant, niſi cum ſanguineis, & affinibus ipſorum uſque ad tertium gradum incluſivè, abſque noſtra, vel Vicarii, aut Suffraganeorum noſtrorum, vel Vicariorum ſuorum licentia ſpeciali, niſi cum exercere voluerint officium debitum baptizandi. Statuentes mandamus, & ordinamus, ut, cum propter multitudinem, & plurimorum compaternitatem contrahentium plurima matrimonia ſoluerint impediri, & multa enormia, & inconvenientia occultè, & publicè pertractari pro fraude, & occaſione predictis * ceſſantibus, dicte compaternitatis contractus inter quoſcunque *fiendus*, ſivè in Baptiſmo, ſivè in Confirmatione unius compatrini tantummodò penitus * excedat.

* Alias *occaſione*.

* Adde *ſubminiſtratur*.

* Alias *cupimus*.

* Adde *non*.

* Adde *numerum non*.

Matrimonia clandeſtina prohibentur.

LXI. Item cum clandeſtinus copule coniugalis contractus ſit a Sacris Canonibus reprobatus, ſtatuimus in hac preſenti Conſtitutione * ordinamus, ſub excommunicationis pena, * omnes, & ſingulos Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. quod nullus deinceps matrimonium contrahat, nec contrahere preſumat, niſi publicè, & quod antea per Parochialem Eccleſie Presbiterum banda, & edicta publica publicè proponantur, ut ſi quis voluerit, ſeu ſuaſerit aliquod canonicum, & legitimum impedimentum opponere, illud opponat, & dicat coram Nobis, ſeu Vicario noſtro, aut Suffraganeis noſtris, ſeu eorum Vicariis, infra competentem terminum, per dictum Presbiterum prefigendum.

* Adde, &

* Alias *contra*.

Eccleſiarum Rectores, & Capellani ſingulis diebus Dominicis in eorum Eccleſiis celebrent: iiſdeque diebus monita, & mandata Epiſcoporũ enuncient.

LXII. Item ſtatuimus, & mandamus, ac etiam ordinamus, quod quilibet Eccleſiarũ Rector, ſeu Capellanus Civit. Dyoc. & Provinc. Benev. Eccleſie Parochiali in propria perſona deſerviens, teneatur ſingulis diebus Dominicis Miſſarum ſolemnia in Eccleſia, cui deſerviet, celebrare, ſub pena, per Nos, aut noſtros Suffraganeos eiſdem, noſtro, vel eorum arbitrio infligenda, precipientes ſub pena unius anguſtalis, noſtre Curie, ſeu Suffraganeorum noſtrorum applicanda, eiſdem, ut diebus Dominicis ſingulis Populo edicant, & proponant noſtra ſalubria monita, & mandata, ut ne per ignorantiam populus ad inlicita prerumpat committenda.

Diebus feſtis jejunia, & feſta occurrentia, hic enumerata, publicentur.

LXIII. Item precipimus, & ſub pena excommunicationis mandamus, quod dictis diebus Dominicis dicti Clerici, Abbates, Archipresbiteri, & cuncti Curati diebus Dominicis in Miſſa populo feſta colenda, & jejunia obſervanda debeant nunciare. Feſta colenda, & jejunia vero obſervanda ſunt hec. Videlicet. Dies Natalis Domini, S. Stefani, S. Johannis Evangeliſtæ, Innocentium, S. Silveſtri, Circumciſionis Domini, Epifanie, S. Anthonii Abbatis, Converſionis Pauli, Sancti Blaſii Ep. & Mart. Cathedre S. Petri, Feſta SS. Apoſtolorum, ac etiam Evangeliſtarum, quatuor Feſta B. Mariæ, ſcilicet Purificatio, Annunciatio, Aſſumptio, & Nativitas, S. Barbati, ac S. Benedicti, & dies Jovis Cene Domini, dies Veneris S. Paſſionis, feſtum Reſurrectionis Domini cum duobus diebus ſequentibus, feſtum adinventionis S. Crucis, Sancti Joannis ante portam latinam, feſtum Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, feſtum Corporis Chriſti, Nativitas S. Joannis Baptiſte, S. Marie Magdalene, vincula S. Petri, tranſmigracio * Domini, ſive S. Salvatoris, S. Laurentij, S. Johannis Baptiſte, exaltatio S. Crucis, S. Michaelis, omnium Sanctorum, S. Martini, S. Catharine Virg., feſtum cujuslibet Sancti, & Sancti * Patroni, ſeu Patronorum Parochialis Eccleſie in Parochia illa, ſi, & prout alias ubi, & ibi eſt fieri conſuetum. Item alia feſta, que infra Civitatem,

* Alias *Transfiguratio*.

* Alias *Sanctorum*

Dyoc. & Provinc. conſueverunt ab antiquo coli, & per populum obſervari, dicta feſta colenda abſque mercatis, & alio ſervili opere, cum devotione, & reverentia precipimus obſervari, in aliis vero feſtis nullus Curatus precipiat abſtinere.

In excommunicatione obſordeſcentes, ni infra quindecim dies reſipiſcant, & de pœnitentia adimplenda legitime caveant, ab ea nōniſi in mortis articulo abſolvantur.

LXIV. Item, quia nonnulli excommunicationis vinculo innodati, claves Eccleſie contepnentes, in excommunicatione ipſa perſiſtere non verentur, & eam indurato animo ſuſtinere, quod grave eſt, & periculoſum exemplum, ne ipſe contemtus transeat impunitus, preſenti Conſtitutione ſtatuimus, ac etiam ordinamus, quod quicunque de Civitate, Dyoc., & Provinc. Benev. fuerit ſentencia excommunicationis adſtrictus, & in excommunicatione ipſa per quindecim dies duxerit permanendum, niſi in mortis articulo, nullatenus abſolvatur, donec ydoneè, & legitimè caveat de adimplendo penitentiam, per Nos, & Suffraganeos noſtros, aut de noſtro, vel eorum mandato ſibi noſtro, vel eorum arbitrio infligendam, vel alias in floreno uno, ſi per quindecim dies tantum in excommunicatione ipſa perſtiterit: ſi vero uno menſe in excommunicatione ipſa animo indurato duxerit perſiſtendum, ipſum in florenis duobus, & ſic per conſequens duplicando, decernimus puniendum, ad alia etiam ſi opus fuerit proceſſuri, que ſibi cedant ad penam, & aliis ad terrorem.

Novæ Regulæ, & Congregationes non approbatæ ſub excommunicationis pœna prohibentur.

LXV. Item, quia multoties Angelus Sathane in lucis Angelum ſe transformat, & mentes fidelium ſimplicium pretextu liciti conſuevit ad inlicita, & nefaria retorquere, preſenti Conſtitutione monemus, ſtatuimus, & mandamus, quod de cetero nullus Civit., Dyoc., & Provinc. Benev. cujuſcunque gradus, ſtatus, ordinis, & conditionis exiſtat, quocunque queſito colore, vel cauſa aliqua, novam regulam, Congregationem, obſervantiam, ſive ſettam, niſi illam, vel illas, que per S. Romanam Eccleſiam, que eſt Mater omnium, & Magiſtra, fuerint approbate, aliquo modo tenere, invenire, nec etiam obſervare preſumat: in omnes autem, & ſingulos contrarium facientes, excommunicationis ſententiam ex nunc, prout ex tunc ferimus in hiis ſcriptis, & nichilominus contra eos ad penas alias procedemus, & per Suffraganeos noſtros procedere * mandamus, juxta qualitatem culpe, & perſone, que in hoc delinquens fuerit.

* Alias procedi.

Confeſſionis, & Cōmunionis Paſchalis præceptum adimplendū ſub pœna interdicti demandatur.

LXVI. Item precipimus, ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod omnes Civit. Dyoc., & Prov. Parochiales Presbyteri frequenter moneant plebes ſuas, quod, juxta ſtatuta Conſilii Generalis, omnis utriuſque ſexus fidelis Chriſtianus Clericus, vel Laycus, poſtquam ad annos diſcreptionis pervenerit, omnia peccata ſua ſolus confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi penitentiam pro viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſca Euchariſtie Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob cauſam racionabilem ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum, alioquin vivens ab ingreſſu Eccleſie oreatur*, & moriens Chriſtiana careat ſepultura; diſtrictè in virtute ſancte obedientie mandantes, & precipientes dictis Parochialibus Presbiteris, ut hanc Conſtitutionem, in corpore Juris clauſam, ſtudeant pro viribus adimplere, alioquin contra ipſos duriſſimè procedere * per nos, & dictos Suffraganeos noſtros.

* Alias arceatur.

* Alias procedetur.

Parochi confitentium, & communicantium nomina Epiſcopali Curiæ in ſcriptis deferant.

LXVII. Item dictis Parochialibus Presbiteris noſtrarum Civit. Dyoc., & Provinc. ſtatuendo precipimus, quod nomina omnium ſuorum Parochianorum eis in anno confitentium, & in quibus in Paſca ad minus, vel alio tempore Sacramentum Euchariſtie dederint, in ſcriptis redigere debeant, & Nobis ſemel ſaltem in anno, & quanto citius poterunt, Nobis, aut Vicario noſtro, ſeu Suffraganeis noſtris, aut eorum Vicariis in ſcriptis dare procurent, alioquin non obſervantes hanc noſtram Conſtitutionem penam unius auguſtalis, applicandam Camere noſtre, ſeu dictorum Suffraganeorum noſtrorum, incurrere volumus ipſo facto.

Parochi alterius Parœciæ Parochianos ad ſacra audienda in propria Eccleſia non admittant.

LXVIII. Item, quia ſicut ab experto didicimus, plerique Parochiani utriuſque ſexus, Parochiales Eccleſias contepnentes, ad eaſdem diebus Dominicis, & feſtivis peraccedere non curant ad audiendum divina officia, ut tenentur, quinimò, vel in domibus propriis remanent, ut brutales, aut ad alienas confluunt Eccleſias, in quibuſque Sacerdotes Parochiales ſubſtinentur, contempto proprio Presbitero, Miſſas audituri, attendentes talia à jure ordinario deviare, mandamus, inſtituimus, & ordinamus, quod de cetero talia facere attentant*; precipientes omnibus, & ſingulis Presbiteris, quod antequam in ſuis Eccleſiis Miſſam celebrent, Plebem interrogent, ſi alterius Parochianus in Eccleſia ſit, quos ſi invenerint, aut ſteterint, ſtatim ab ipſa abbiciant, & ceſſent à divina*, donec ibi fuerit, vel fuerint: quod ſi exire contempſerint, Nobis, aut Vicario noſtro, Suffraganeis noſtris, aut eorum Vicariis denunciare, quamprimum poterunt, procurent, de ſua inobedientia juſtitiam, noſtro, ſeu dictorum Suffraganeorum, judicio, recepturus*: dicti autem Presbiteri, ſi contrarium fecerint, ſeveriter punientur.

* Alias abſtineant.

* Alias a divinis.

* Alias recepturi.

Eccleſiarum Rectores librum habeant, in quo excōmunicatorum nomina ſint adnotata.

LXIX. Item ſtatuimus auctoritate preſentis Conſilii Metropolitani, & ordinamus, quod omnes Sacerdotes Parochia-

chiales, & eorum loca tenentes in ſuis Eccleſiis habeant cartularia, * quilibet ſuum, in quo ſcribant omnia nomina excommunicatorum ſue Parochie, & quorum auctoritate, & ad quorum inſtantiam ſunt excommunicati, & eos excommunicatos diebus Dominicis in eorum Eccleſiis nunciare procurent, & cum fuerint abſoluti, cartulariis ab illis abradantur. In principio autem cartularii ponatur, & omnibus diebus Dominicis per Cappellanos publicetur hoc, quod ſequitur: Denunciamus excommunicatos hereticos, & fautores eorum: Item detinentes decimas Eccleſie minus juſte: Item concubinarios, & uſurarios manifeſtos. Si quis vero noſtri Statuti contemptor extiterit, noſtro, ſeu dictorum Suffraganeorum arbitrio, graviter puniatur.

* Alias cartularia.

LXX. Item, quia tam Sanctorum Patrum, quam Apoſtolice Sanctitatis ſcriptis, & mandatis inſtruimur, & ſolicitamur de Conſiliis celebrandis, in quibus de reformatione, & regimine Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum pro ſolicitudine pervigili, & debita tractemus, ac etiam intendamus, de conſenſu, & aſſenſu, ac voluntate noſtri Capituli, & Reverendorum in Chriſto Patrum, & Dominorum, Dominorum Epiſcoporum, Abbatum, Suffraganeorum, & ſubditorum noſtrorum, hac Conſtitutione in poſterum, & perpetuo valitura, ſanſimus, ac etiam ordinamus, quod omnes, & ſinguli tam Epiſcopi, quam Abbates Suffraganei, & ſubditi noſtri predicti, quam etiam Archipresbiteri, Procuratores, Prepoſiti, & alii Eccleſiarum Prelati Dyoc. noſtre Benev. annis ſingulis, uno die ante feſtum B. Bartholomei de menſe Auguſti ad Civitatem Beneventanam ſe conferre, & in eadem permanere perſonaliter teneantur ad Conſilium celebrandum, ſub pena pecuniaria, noſtro arbitrio moderanda, proviſuri, certaturi, relaturi, & proſpecturi, & ordinaturi, divina coadjuvante gratia, ea, que reformationem, ſtatum, augumentum, & gubernationem Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum reſpiciunt, una nobiſcum, & Capitulo noſtro predicto, in Vigilia Feſti predicti; quod quilibet ipſorum, ſi qua forte dubia habuerit, ſeu ſibi infra annum occurrerint, tangentium * ſanctum miniſterium, vel regimen Eccleſie, ſeu Plebis ſibi commiſſe, ipſe debeat in dicta Synodo in ſcriptis referre, & ſuper hiis Nos, vel noſtrum Vicarium informare teneantur, ut exinde poſſit maturius veritas declarari.

Quolibet anno in Vigilia S. Bartholomæi Concilium Provinciale habendum ſtatuitur.

* Alias tangentia.

LXXI. Item ſtatuimus, volumus, & ordinamus, quod Nos, & Succeſſores noſtri Beneventani Archiepiſcopi, Suffraganeorum, & Capituli predictorum preſcriptas Conſtitutiones poſſimus interpretari, declarare, vel eis intellectum dare, & corrigere, addere, mutare, & ſuper eis diſponere, ſi, & quotiens, & quando, ſine juris offenſa Nobis, & eis videbitur expedire.

Synodalium conſtitutionum interpretatio Archiepiſcopo, Suffraganeis, & Capitulo reſervatur.

LXXII. Item, quia introduxit laudanda jure * auctoritas leges, & Conſtitutiones ab omnibus obſervari, ne predictarum noſtrarum Conſtitutionum aliquis pretendere valeat ignorantiam, & quod ad eum non pervenerit, ſe quomodolibet excuſare, requirimus, & monemus omnes, & ſingulos Suffraganeos noſtros, ac Rectores Eccleſiarum Civit. Dyoc., & Provinc. Benev. Eccleſiam Parrochialem habentes, quatenus ſub excommunicationis pena, & etiam quatuor unciarum, infra unius menſis ſpatium, a die publicationis preſencium computandum, preſcriptarum Conſtitutionum copiam ſcriptam, videlicet manu Notariorum dicte noſtre Curie, aut alicujus alterius, cui duxerimus committendum, penes ſe habere debeant pro ſui, & aliorum magiſterio, teſtimonio, & cautela, & quod quilibet ipſorum Conſtitutiones ipſas, cum ad predictum Conſilium celebrandum in dicto feſto B. Bartholomei venerit, ſecum portare debeat, & ipſas exhibere, ac demonſtrare, etiam in dicto Conſilio, coram Nobis; mandantes, & precipientes eiſdem ſub penis predictis, quod quilibet Abbates, & Eccleſiarum Rectores, & Curati predictarum Civit. Dyoc., & Provinc. preſentes noſtras Conſtitutiones in eorum Eccleſiis Parrochialibus congregato populo ad divina in die Nativitatis Domini, & Pentecoſtes debeant puplicare.

Conſtitutiones Synodales ipſe ab omnibus habeantur, in Concilio Provinciali exhibendæ: illæque bis in anno populo ad ſacra congregato, legantur.

* Alias juris.

Datum Beneventi ſub ſigillo D. Archiepiſcopi antedicti die 24. menſis Auguſti.

CORRADUS CAPYCIUS.

Corradus Capycius, nobili, vetuſtaque Neapolitana Familia natus, claruſque virtutibus, a Paulo II. electus eſt Archiepiſcopus XLI. Anno Dom. MCDLXIX., quo etiam anno, ob eximiam ejus probitatem, & fidelitatem, Gubernator Generalis cum mero, & miſto imperio in Civitate Beneventana, ejuſque Comitatu, Territorio, & diſtrictu ab eodem Pontifice Maximo deſignatus eſt, prout ex ejus diplomate ſub datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MCDLXIX. IV. Idus Maii Pontificatus Anno V. Provincialem Synodum coegit Ann. Dom. MCDLXX. laudatiſſime ſedit Ann. XIII. deceſſit Anno Domini MCDLXXXII.

CONCILIUM PROVINCIALE OCTAVUM

Habitum die 24. Auguſti 1470. a Corrado Capycio Archiepiſcopo.

Exemplar hujus Concilii extat in Archivo Metropolitano.

In Nomine Domini Jesu Christi. Amen. Anno a natiuitate ejuſdem milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Pauli Divina providentia Papæ Secundi Anno ſexto, die vigeſima quarta menſis Auguſti, tertiæ indictionis.

Nos Corradus miſeratione Diuina Archiepiſcopus Beneventanus, & in Civitate Beneventana, ejuſque diſtrictu pro Sancta Romana Eccleſiæ Gubernator generalis. Licet multitudinem libertatis naturaliter conditio ſuſpiret humana, quia tamen, ut plurimum examine rationis amiſſo in præcipitium perverſæ labitur voluntatis, datum eſt, ut vinculis diſciplinæ reſtricta ſub jugo Domini obviam collum ponat, ut homo hominibus præferatur ad motus illicitos loris juſtitiæ refrænandos; attendentes quoque, quod in hac parte præferimus, plus ſolito propter corruptas affectiones hominum, invaleſcentes nequitias, & audacias perverſorum, poteſt unicuique Clero, & Populo eſſe beatius nil, quam bono duce prævio bene duci, eo maxime, quia noſtri ſuſcepti paſtoralis regiminis, & prælationis debitum, & cura Nos ſollicitant, ut utilitas ſubditorum in illis præcipiatur, propter quæ animarum ſaluti conſulitur; nunc novarum conſtitutionum, ordinationum, & ſtatutorum editione, nunc noſtrorum Prædeceſſorum hactenus conſtitutionum, & ordinationum interpretatione, confirmatione, & ordinatione, & quamvis adjectione plenitudo non egeat, nec firmitate, quod eſt firmum, confirmatur tamen interdum, non quod neceſſitas id expoſcat, ſed ut confirmantis animus clareat; Volenteſque ſollicite providere, ac cupientes, quod noſtri ſubditi a quibuslibet noxiis præſerventur illæſi, & ab eis omnia ſcandala removeantur, quia dum eorum ſcandala removemus, Nos in eorum quiete quieſcimus, & fovemur in pace: verum, quia perverſorum audacia exigit, ut non ſola prohibitione ſimus contenti, ſed etiam negligentibus pœnam imponamus; Ideo habita ſuper hoc plena deliberatione una cum Reverendis in Chriſto Patribus Suffraganeis noſtris, ac Venerabilibus Viris Canonicis noſtris, & Capitulo noſtræ Eccleſiæ Beneventanæ hic in Synodo congregatis, ac de eorum conſenſu, & voluntate omnes, & ſingulas conſtitutiones, ordinationes, & ſtatuta factas, & editas, facta, & edita hujuſmodi per noſtros Prædeceſſores approbamus, & confirmamus; & conſiderantes, quod magis timetur, quod ſpecialiter, quam quod generaliter demandatur, infraſcriptas declarationes, adjectiones eiſdem, ac de novo conſtitutiones, & ordinationes auctoritate Metropolitica facimus, & ordinamus, mandantes nihilominus ab omnibus prædictis Dominis Epiſcopis, & qui pro tempore fuerint eorum, & noſtris ſubditis, obſervari, legi, & recipi ſub pœna, & ad pœnam noſtro, & dictorum noſtrorum Suffraganeorum in eorum ſubditis arbitrio imponenda pro tranſgreſſione, ac præter eam pœnam, quæ in eis particulariter apponitur in contrafacientes.

CAP. I.

Laicorum miniſtri, aut Procuratores, Clerici ne exiſtant. Contrafacientes, qua pœna plectendi?

In primis denunciamus, notificamus, & prohibemus omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, & Clericis noſtræ Civitatis, & Diœceſis Beneventanæ, ac noſtræ totius Provinciæ, mandanteſque nihilominus eiſdem ſingulis, ne Miniſtri laicorum

Ex cap. Sacerdotibus ne Clerici, vel Monachi.

rum fiant, nec in rebus eorum Procuratores exiſtant, quod ſi poſtmodum facere præſumpſerint, & occaſione ipſius adminiſtrationis propter pecuniariam cauſſam deprehendantur in fraude, decernimus, & declaramus eis minime ab Eccleſia ſubveniri, per quos conſtat in Eccleſia ſcandalum generari, ac eoſdem noſtro, & noſtrorum Suffraganeorum, ac ſucceſſorum arbitrio alias puniendos.

CAP. II.

Sæcularium quorumcumque negotia, & officia Clerici ne ſuſcipiant. Pœna in tranſgreſſores ſtatuitur.

Ex cap. Sed nec. eodem tit.

ITem prohibemus, & interdicimus prædictis Sacerdotibus, & Clericis procurationes villarum, aut juriſdictiones etiam ſæculares, ſub aliquibus Principibus, & ſæcularibus viris, ut juſtitiarii eorum fiant, ac Tabellionatus officium exercere præſumant. Si quis autem adverſus hoc venire tentaverit, quia contra doctrinam Apoſtoli dicentis: *Nemo militans Deo implicat ſe ſæcularibus negotiis*, ſæculariter agit, ab Eccleſiaſtico decernimus miniſterio eſſe alienum, pro eo, quod officio clericali neglecto fluctibus ſæculi, ut poteſtatibus placeat, ſe immergit.

2. ad Tim. 2.

CAP. III.

Regulares e ſacro Fonte infantes ne levent. Parochi in Baptiſmi, Epiſcopi in Chriſmatis miniſterio eoſdem non admittent.

Ex c. Pervenit ad nos XVIII. q. 2. c. Non licet c. Monachi. de conſecr. d. 4.

ITem ſtatuimus, præcipimus, & ordinamus, quod nullus Monachorum, & Fratrum debeat contrahere compaternitatem cum aliquibus: & ſi de facto præſumpſerint, ipſam compaternitatem ſic contractam decernimus, & declaramus de jure non ſubſiſtere, niſi, ſi eidem Monacho, vel Fratri hoc competat ex debito Officii; mandanteſque nihilominus omnibus, & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, & eorum Locumtenentibus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna, ut non debeant aliquem Monachorum, ſive Fratrum admittere ad ſuſcipiendum de ſacro Fonte aliquem puerum: Et ſimiliter dictis Dominis Epiſcopis, ut non debeant admittere aliquem Monachorum, ſive Fratrum in compatrem in confirmatione alicujus pueri ſub pœna noſtro, & noſtrorum Succeſſorum arbitrio eiſdem imponenda.

CAP. IV.

Proceſſio in alienam Parochiam abſque conſenſu Rectoris, aut privilegio Apoſtolico non eſt ducenda.

Ex c. Eccleſias XVIII. q. 1. ſit unuſquiſque ſuis terminis contentus.

ITem præcipimus, ſtatuimus, & ordinamus, ut nullus proceſſionaliter ingrediatur Parochiam alicujus Rectoris ſine ipſius licentia ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto volumus, & declaramus incurſuros contrafacientes: Apoſtolicis tamen privilegiis ſemper ſalvis.

CAP. V.

Contra Presbyterum bigamos benedicentem excommunicatio proponitur.

Ex c. de his n. XXXI. q. 1. cap. Cappellanum de ſecundis nuptiis

ITem præcipimus, ſtatuimus, & ordinamus, ut vir, aut mulier ad bigamum tranſiens, non debeat a Presbytero benedici, quia cum alia vice benedicti ſint, eorum benedictio reiterari non debet, etſi vir, aut mulier etiam virgo ſit; niſi in eo loco, ubi vigeret hujuſmodi legitima, & approbata conſuetudo, ſub pœna excommunicationis.

CAP. VI.

Duorum compatrum filii matrimonio jungi non poſſunt ei, quæ compaternitatem induxit.

Ex cap. utrum autem de cognat. ſpirituali.

ITem ad tollendum omnem ambiguitatem, & opinionem aliquorum, quam dudum experti fuimus, decernimus, & declaramus, ac præcipimus, ſtatuimus, & ordinamus, quod filii duorum compatrum, ſive ante, ſive poſt compaternitatem geniti, non poſſint, nec valeant matrimonium contrahere cum ea perſona, per quam perventum eſt ad compaternitatem ſub pœna excommunicationis; ſi contrarium fuerit, decernimus de jure non ſubſiſtere.

CAP. VII.

Niſi per Baptiſmum, aut Confirmationem compaternitas non ſubſiſtit.

ITem volentes malitiis, & figmentis hominum obviare, præcipimus, ſtatuimus, & ordinamus, ut nullus compaternitatem extra Sacramentum Baptiſmi, & Confirmationis, neque per largitionem veſtis, ut vulgariter dicitur, *lo Cappiello*, neque per ſolam præſtationem fidei ſine Sacramento, vel alio aliquo modo contrahat ſub pœna excommunicationis, declarantes, & decernentes per quidquid actum fuerit ad contrahendum compaternitatem extra dictum Sacramentum, compaternitatem de jure non ſubſiſtere.

CAP. VIII.

Suffraganei Epiſcopi, Abbates, ceterique, ut hic, ad Provinciale Concilium quotannis accedent. Pœna non accedentibus indicitur.

ITem ſupplentes, adjungentes, & adjicientes conſtitutioni noſtrorum Præde-

deceſſorum, qua cavetur, quod omnes, & ſinguli tam Epiſcopi, quam Abbates Suffraganei, & ſubditi, quam etiam Archipresbyteri, Procuratores, Præpoſiti, & aliarum Eccleſiarum Rectores Civitatis, & Diœceſis noſtræ Beneventanæ annis ſingulis uno die ante feſtum Sancti Bartholomæi (*a*) de menſe Auguſti ad Civitatem Beneventanam ſe conferre, & in eadem permanere perſonaliter teneantur ad Concilium celebrandum ſub pœna pecuniaria, prout in ipſa Conſtitutione continetur, ad quam referimus. Statuimus, præcipimus, & ordinamus, quod dicti Domini Epiſcopi Suffraganei teneantur, & debeant venire, ut ſupra, ſine alia monitione, & vocatione, ſed ſolum præſentis Conſtitutionis tenore cum libris Provincialibus, & Conſtitutionibus ſub pœna, & ad pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & Sacerdotalibus miniſteriis, quam contravenientes ipſo facto incurrant, ceſſante tamen legitimo impedimento, præter aliam pœnam pecuniariam noſtro, & noſtrorum Succeſſorum arbitrio imponendam. Ceteri vero Subditi, Abbates, Archipresbyteri, & Rectores, ut ſupra, in dicta Conſtitutione denominati, teneantur comparere perſonaliter, non dum in Synodorum Conſtitutionibus, ſed in primis veſperis dicti feſti Sancti Bartholomæi, & in Miſſa intereſſe proceſſionaliter ſuperpelliceis induti in proceſſione facienda in primis veſperis, & in Miſſa ſub pœna, & ad pœnam excommunicationis, & unius ducati in quemlibet contravenientem.

CAP. IX.

Synodales Conſtitutiones alteri ne commodentur.

Item præcipimus, ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus prædictorum debeat commodare in dicta Synodo conſtitutiones demonſtrandas, & unuſquiſque habeat ſuas proprias, ſub pœna excommunicationis, & unius ducati.

CAP. X.

Synodales Conſtitutiones cuncti habeant infra menſem.

Item præcipimus, ſtatuimus, & ordinamus, quod unuſquiſque præſentes noſtras Conſtitutiones, declarationes, & adjectiones capere debeat, & habeat, noſtri rotundi ſigilli impreſſione roboratas, infra menſem a die datæ præſentium, & adjungat aliis Conſtitutionibus Prædeceſſorum noſtrorum ſub pœna excommunicationis, & unius ducati. Amen.

Loco ✠ Signi.

NOTÆ.

Gaſparis Columnæ Archiepiſcopi anni. Suffraganeorum Beneventanæ Provinciæ Epiſcoporum excuſationes, quod ad viſitanda B. Bartholomæi Apoſtoli limina non acceſſerint. Pro Concilio Provinciali quotannis convenire tenebantur Beneventani Suffraganei.

a. 1. *Ugbellus in Benev. Archiep. tom.8. col.247. ubi de Gaſpare Columna, qui ſedere cæpit ann.* 1430. *hæc habet*: Sub hoc Gaſpare diverſæ reperiuntur Epiſtolæ Suffraganeorum (*& in noſtra Bibliotheca ſervantur*), quibus, ob ingruentia bella in Neapolitano Regno, ſeſe excuſant, quominus, ut moris erat ſingulis annis, eis permitteretur accedere ad viſitanda limina B. Bartholomæi Apoſtoli, ex quibus colligitur, Archiepiſcopos Beneventanos per omnia imitatos eſſe Romanos Pontifices: *Hæc ille: Verum non pro ſola liminum viſitatione, ſed pro Concilio Provinciali Suffraganei convenire tenebantur. Quinimmo ubi Concilia prædicta celebrari deſueverunt, unica viſitatio liminum ſatis non fuit ad eos in hoc obſequio continendos. Quocirca in Tridentino ſtatutum eſt, ut hæc Cæremonialis per ſingulos annos viſitatio aboleretur, & triennalis pro Concilio celebrando acceſſus indiceretur, ut refert Pallavicinus in hiſtoria Concilii Tridentini par.3. lib.23. cap.5. n.21., & cap.10. n.5. decr.2.*

Liminum anniverſaria viſitatio a Tridentino abolita; & triennalis acceſſus pro Concilii Provincialis celebratione indictus. In liminum viſitatione Corpus B. Apoſtoli venerabatur.

2. *Hinc quoque eruere licet, quam elumbis, futilis, & a veritate aliena ſit ſcripturientium ſententia de S. Bartholomæi corpore in Tiberinam Inſulam translatio, ut abunde ſupra vidimus in peculiari Diſſertatione ad calcem Concilii Monaldini. Quid enim iſthæc liminum viſitatio tot ſæculorum intervallo a noſtræ Provinciæ Pontificibus impenſius exculta aliud erat, quam Apoſtolici pignoris veneratio? Quod ſi noſtræ Diſſertationis momento adverſantium turma non aſſentitur, adjiciamus hic extra ordinem, non tamen extra rem Eadmerum, Synchronum fere cum aſſerta translatione ſcriptorem, qui nuper ad manus noſtras pervenit. Is lib.2. Hiſtoriæ Novorum pag.53. editus cum operibus S. Anſelmi Pariſiis 1675. per Gabrielem Gerberon Monachum Congregationis S. Mauri, ſequens plagiariis ferale memoriæ conſignavit teſtimonium.*

Eadmeri de Corpore hujus Apoſtoli apud Beneventanos teſtimonium.

§. Inter hæc ego, Patri (*S. Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo*) per omnia præſens aderam, paratus videlicet ad ſervitium ejus. Et quia mihi ab infantia hic mos erat, ſemper nova, quæ forte, ſed maxime in Eccleſiaſticis, occurrebant, diligenti intentione conſiderare, ac memoriæ commendare, diſpoſitum Concilium, loca, & ordines perſonarum, modos, & examinationes cauſſarum, curioſa fortaſſe magis, quam ſagaci mente, & oculo, hinc inde, utpote qui numquam prius talia videram, modeſto intuitu conſideravi. Ecce autem, cum illis intenderem, occurrit, quem antea bene noveram, Archiepiſcopus Beneventanus, Cappa præ omnibus, qui Conventui, ipſi

ipſi intererant, pretioſiori decoratus. Papa enim non Cappa, ſed Caſula, & Pallio deſuper redimitus, Concilio præſidebat. Ego igitur intuens cappam Antiſtitis Beneventani, & eam, ut dixi, ceteris præſtare perſpiciens, recordatus ſum verborum, quæ puer a ſenioribus Eccleſiæ noſtræ, Eduvio ſcilicet magnifico viro, Blanchemanno, atque Farmanno, aliiſque nonnullis olim audieram. Solebant etenim iidem memorabiles viri ſæpe narrare, quod, ipſis adoleſcentiæ primordia agentibus, Imma Regina, cujus in capite hujus operis habita mentio eſt, inter multa bona, quæ Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſi contulit, Brachio Beati Apoſtoli Bartholomæi ipſam Eccleſiam, diſponente Domino, ſub Enud Rege Anglorum ſublimaverit. Quæ res qualiter acta fuerit, hoc modo (quod per exceſſum cœptæ narrationis dici patienter, quæſo, accipiatur) uno ſenſu, pari ordine referebant. Tempore, ajunt, quo ipſa Domina, ſicut Regina, in Regno Anglorum magna, & præpotens habebatur, Pontifex Eccleſiæ Beneventanæ venit in Angliam, quem, ſicut ipſe ferebat, immanis fames certis præſagiis totam Apuliam afflictura illo deduxerat, cupiens aliquo modo, ſi non poſſet toti Provinciæ, ſaltem ſuis Civibus tantum malum propulſare. Is iter ingreſſus Brachium Beati Bartholomæi Apoſtoli ſecum tulerat, ſpe ſibi certa promittens ſe per illud multa lucraturum. *Idem quippe Brachium, ob hujuſmodi neceſſitudinum contrahenda ſubſidia, in ipſa Eccleſia Beneventi a reliquo corpore ſervabatur remotum.* Epiſcopus itaque, tranſita Italia venit in Galliam, quæ ſibi dabantur gratanter ubique bona ſuſcipiens. Audita vero divitis fama Regni Anglorum, ratus eſt ſibi eo progrediendum, ex aliorum eventibus ſperans ſe illic amplius ceteris regionibus adquiſiturum. Præfata quoque Regina magni nominis, & divulgatæ famæ habebatur; quam bonitas ſua, & qua ſuper Eccleſias reſpiciebat, largitas, ei pepererat. Pontifex igitur Angliam veniens, ipſam Reginam adiit, & illius allocutione potitus, quid detulerit, quam ob cauſſam tam remotas orbis adierit partes, inſinuavit. At illa hominis charitativo labore ad miſericordiam flexa de ſuis ei copioſe largita eſt, & illum Patriam remeare, necnon eis, quibus imminens famis periculum formidabat, ſubvenire hortata eſt. Sed ipſe intelligens non ſufficere ſibi ad ſuum negotium, quæ habebat, eos, quos magis familiares in curia ipſi Dominæ eſſe acceperat, percunctatus eſt, utrum os, quod attulerat, dato pretio, Reginæ in jus proprium transferre curæ eſſet. Quid multa? Inveſtigatur de re animus Dominæ, & invenitur promptiſſimus eſſe; certam ſe tantummodo Epiſcopus faceret, ipſum os nominati Apoſtoli revera fuiſſe, & taliter, ut ipſamet teſtaretur ſibi, ſublata omni ambiguitate, ſatisfactum. Ad quod ille. Quo, inquit, modo? Super corpus, ait, Dominicum, & ſuper Sanctorum Reliquias, quas ei proponam, jurejurando reliquias, de quibus agitur, veraciter eſſe de corpore Beati Apoſtoli Bartholomæi, & id remota omni æquivocatione, atque ſophiſmate faciat. Hoc, inquit Epiſcopus, ſecure me facturum polliceor. Veniens itaque Cantuariam, cum Brachio ipſo, prout illi Rex, & Regina dictaverat, decenter ſuſceptus eſt. Aſtante igitur ipſa, Monachorum quoque, ac Clericorum immenſo agmine eam vallante, inter quos etiam ſupra memorati viri, a quibus hæc accepimus, ſe præſentes fuiſſe teſtati ſunt, numeroſaque utriuſque ſexus, & ætatis multitudine ob hoc convolante, & audiente, jurando ſuper Altare, & Corpus Chriſti, necnon Sanctorum reliquias, quas Beatum Gregorium Sancto Auguſtino, alioſque Romanos Pontifices aliis Archiepiſcopis deſtinaſſe ſcitur, aſſeveravit ipſum os, de quo ſermo habebatur, Beati Bartholomæi Apoſtoli proprium fuiſſe, nec ipſi aſſertioni ſuæ aliquid omnino ſoſphiſmatis, aut æquivocationis ineſſe. Quo facto, memorabilis Domina quamplures argenti libras Antiſtiti contulit, & oſſe potita, illud Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſi ſolemni donatione ex parte Regis Enudi, ſuaque conceſſit. Illis quippe diebus hic mos Anglis erat, patrocinia Sanctorum omnibus ſæculi rebus anteferre. Pontifex quippe Sedis ipſius Ægelnothus nomine, inter reliqua, quæ homini dedit, cappam illi valde precioſam aurifrigio ex omni parte ornatam dedit, quæ & illius Eccleſiæ decori, & Eccleſiæ Cantuarienſis futuris temporibus tantæ rei exiſteret teſtimonium, & probationi. Ego igitur, cum, ut dixi, Concilio præſens Antiſtitem Beneventanum Cappa reliquis præſtante ornatum viderem, & eam ex his, quæ olim audieram, optime noſſem, non modice lætatus, & Cappam, & verba mihi puero exinde dicta Patri Anſelmo oſtendi. Mox celebrato Concilio, ubi Beneventanum ipſum adii, & inter alia mutuæ dilectionis colloquia cœpi de eadem cappa loqui, & unde illam haberet, quaſi neſcius interrogavi, ſummam rei expoſuit, & eam ordine, quo deſcripſi, ſuam Eccleſiam ab Eccleſia Cantuarienſi adeptam eſſe declaravit. Qua de re certior effectus, putavi aliquibus gratum hoc ipſum huic opuſculo indere, licet propoſitum narrationis tramitem me hoc agendo non neſcirem excedere. Quo peracto ad cœptum redeamus iter. Finito Concilio a Baro diſceſſimus, comitatum Papæ Romam uſque non deferentes.

Archiepiſcopi pietas in gregem, & pro eo quæſtuatio.

Archiepiſcopi peregrinatio, & in Angliam adventus Immam Reginam alloquitur.

Brachium S. Bartolomæi offert.

Verum S. Bartholomæi brachiũ eſſe jurejurando affirmat; & plures argenti libras ei Regina cõfert,

Imma brachium prædictum Eccleſiæ Cantuarienſi concedit.

Eadmeri colloquium, cum Archiepiſcopo Beneventano, qui Concilio aderat.

3. *Si itaque poſt annum* 1017. Brachium (*S. Bartholomæi*) in ipſa Eccleſia Beneventi è reliquo Corpore ſervabatur remotum, *quonam modo aſſerta tranſlatio Romam, anno milleſimo, ut tradunt, facta, conſiſtet?* 4. *Atqui*

Poſt annum 1017. uſque ad 1035. vel 1036. Corpus

B. Apoſtoli Beneventi erat; quare Romã anno milleſimo non fuit translatum.
Canuti. & Immę Anglię regum anni.
Canuti obitus. Alphani III. Beneventani Archiepiſcopi anni.
Beneventani Archiepiſcopi, qui Concilio Barenſi interfuit, nomen, & anni.

4. *Atqui poſt annum* 1017. *accidiſſe, quod Eadmerus, S. Anſelmi Cantuarienſis convictor, & familiaris, laborumque, & exiliorum individuus comes, narrat exploratiſſimum habemus. Enud etenim, ſive Canutus, qui Unnotus, de quo Eadmerus loquitur, anno* 1015. *Angliam oppugnare cœpit. Anno* 1016., *ut Polydorus Vergilius eſt auctor, Ethelredo Rege mortuo, ejuſque filio Edmundo armis profligato, ſubegit: Anno* 1017. *Immam ſupra laudatam, ſeu Emmam Richardi II. Northmannorum Ducis ſororem, & Ethelredi Regis olim uxorem, e Northmannia revocatam ſibi conjugem adſcivit. Vita functus eſt die* 13. *Novembris anno Chriſti* 1035., *vel, ut Petavio placet,* 1036. *Regni* 20.

5. *Igitur ſi Canuto, & Imma regibus, ut noſter ait, in Angliam devenit Archiepiſcopus noſter, qui tunc erat Alphanus III. (is namque ab anno* 1011. *uſque ad* 1053. *Cathedram tenuit), quæ hic memorantur, intra annum* 1017. *nuptialem, & annum* 1035., *vel* 1036. *Canuti emortualem, acta fuiſſe, fatendum erit.*

Concilii Barenſis ſub Urbano II. Epocha.
Landulphus VI. ultimus e Langobardis Beneventanorũ Princeps.

6. *Porro noſtro Archiepiſcopo, qui Barenſi Concilio cum* 185. *Epiſcopis, ut refert Lupus Protoſpata in Chronico, anno* 1098. *non* 1097., *ut apud Labbeum, ſub Urbano II. interfuit, Roffrido nomen erat, (ſedit ab anno* 1076. *uſque ad* 1107.), *qui pater fuit Landulphi VI. Principis Beneventani. Hoc in Principe Beneventanus Principatus, & Sereniſſimorum Langobardorum genus defecit, poſtquam urbem hanc noſtram* 506. *annis tenuit, ab anno ſcilicet* 571. *uſque ad* 1077.

Beneventani Principatus finis, quotque annos hic duraverit.
Pœna duplex ſpiritualis, & temporalis.

b. In Synodico Pariſienſis Eccleſiæ, impreſſo Pariſiis 1674. *habentur hujuſmodi formulæ:* ſub pœna excommunicationis, & emendæ. Excommunicationis, & gravis emendæ, *in ſtatutis Synodalibus Jacobi de Caſtellario A. D.* 1428. ſub pœna ſuſpenſionis, & quadraginta ſolidorum Pariſienſium, *in Decreto Dionyſii Pariſienſis A. D.* 1441. ſub pœna excommunicationis, & emendæ arbitrariæ, *in Statutis Synodalibus Stephani Poncher. A. D.* 1503.

JOANNES VIII. CASA.

Joannes hoc nomine VIII. Caſa, Florentinus, genere clarus, ſed litterarum ſplendore clariſſimus L. Beneventanus Archiepiſcopus electus a Paulo III. die VII. Aprilis MDXLIV. Apoſtolicus Nuntius ad Venetos miſſus a Paulo Papa IV. negotio parem ſe oſtendit, quamobrem difficillimis in rebus idem Pontifex ejus opera uſus eſt. Ingenti laude quamplurima tum ſoluto, tum ligato ſermone conſcripſit; orationem præſertim pro reſtitutione Placentiæ Carolo V. Imperatori, quæ inter Italos Oratores Principem locum obtinet. Vergerium Apoſtatam doctiſſima diſſertatione confodit. Dum is Romæ moram traheret anno MDXLV. Provinciale Concilium coegit per Thomam Conturberium Beneventanum Archidiaconum, Vicarium generalem, qui poſtea Epiſcopus Civitatis Pennen., & Adrien., & Bononienſis Vice-legatus evaſit. Obiit Romæ die XIV. Novembris MDLVI., & in Eccleſia S. Andreæ ad Vallem humatus eſt. Sedit Ann. XI. Menſ. VII., & totidem dies.

CONCILIUM PROVINCIALE NONUM

Habitum anno 1545. a Joanne VIII. Caſa Archiepiſcopo.

Hujus Concilii conſtitutiones, uti extant in m. s. coriaceo originali, quod in Metropolitano Bibliotheca ſervatur, typis damus, gratiſſimum lectoribus fore conjicientes, eadem, qua conſcripta fuerunt, orthographia vulgare.

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi Redemptoris Nostri, Amen.

QUeſte ſo le Conſtitutione fatte, & ordinate pe le bone memorie delli Predeceſſori Reverendiſs. Archiepiſcopi Beneventani, & per lo Reverendiſs. Joanni de la Caſa al preſente Archiepiſcopo Beneventano confirmate, quale oggi ſe divulgarizano, & notificano in queſta ſancta Sinodo per ordine del Rever. Signore Vicario Generale de queſta Eccleſia Metropolitana de Benevento.

CAP.

CAP. I.

In hæreticos, eorum ſcripta, fautores, conſultoreſque excommunicatio fertur. Bona fiſco adjudicantur.

PRimo ſiano excommonicati, & dampnati tutti li Heretici, e loro ſcritti, che ſon contra la Fede Criſtiana, e contra la ſancta Madre Eccleſia, & tutti fauturi, & conſigliaturi, & li loro beni ſon confiſcati alla Corte de Monſegnore lo Archiepiſcopo Beneventano.

CAP. II.

Blaſphemi in Deum, B. Virginem, Sanctoſque, eorum imaginum violatores anathemate cohibentur, & pœna pecuniaria.

SEcundo qualuncha perſona, che biaſtemaſi Dio, o la Vergine Maria, e li Santi ſoi, o faceſſe injuria alle loro Imagine dintro la Eccleſia, o fore incorreno la pena de la excommonicatione, & de uno auguſtale.

CAP. III.

Pictura Sanctorum ab Eccleſia non approbatorum prohibentur.

COmmandaſe, che nulla perſona faza depencare alcuna Immagine de Sancto, o vero de Sancta, che non ſia primo canonizata, approbata ancora da la Sancta Matre Eccleſia, & chi faceſſe el contrario, ipſo facto excommonicato.

CAP. IV.

Eccleſiaſticorum bonorum ablatores, occupatores, detentores, & non revelantes, excommunicantur.

SOnno excomonicati ipſo facto tutte perſuni, che tolleſſero, o viro occupaſſero robbe, & coſe eccleſiaſtice, mobele, e ſtabele, & ancora tutti participe, & ſienteno, non lo revelaſſe.

CAP. V.

Sortilegi, aliique id generis, anathematizantur.

SOnno excomonicati tutti indivinaturi, incantatuti, ſortilegii, & tutti fattucchiari, & tutti quelli, che dando fede, & credenza alloro.

CAP. VI.

Sacrorum locorum violatores, incendiarii, Apoſtolicas, vel Epiſcopales litteras adulterantes, & proditores anathemate percutiuntur.

SOnno excomonicati ipſo facto tutte quelle perſuni, che violaſſero li lochi ſacri, o che poniſſero foco, & tutti falſarii de lettere Apoſtolice, o Epiſcopale, & tutti tradituri, & rebelli de la Fede Apoſtolica, & de li ſoi Officiali, & ſimilmente de la Corte, Archiepiſcopi, & Officiali.

CAP. VII.

Fœnori dantes, & recipientes, Notariique hujuſmodi contractus excipientes excommunicatione innodantur, vitio inhærentes, arbitraria pœna plectentur.

SOnno excomonicati uſurari, & tutti quelli, che la recepino, & tutti Notari, che ne fanno li contratti per omne modo, che ſe faceſſe, & puniſſenoſe po de lo meſe perdurando pena arbitraria pe la Corte Archiepiſcopale.

CAP. VIII.

Bona uſurariis vendentes, eoſque hoſpitio recipientes excommunicantur.

COmandaſe, che nulla perſona loca, ne venda poſſeſſioni, ne roba a li Uſurari, ne lo receptano alloro Caſi, facendo lo contrario, ſonno ipſo jure excomonicati.

CAP. IX.

Uſurariorum teſtamentis nemo interſit. Eccleſiaſtica ne gaudeant ſepultura, ni de reſtituendo vadimonium præſtent.

COmandaſi ad tutti Notari, & altri perſuni, che non ſe trovano ad ſcrivere teſtamenti, & eſſerno teſtimonii ad dicti uſurari (ſalvo ſe deſſero la pregiaria innante de reſtituire la uſura, altramente facenno ſono excomonicati) ne anche ad farli havere ſepultura Eccleſiaſtica.

CAP. X.

Uſurarii infra dies quindecim denuncientur.

COmandaſe ad omne perſona ſopta pena de excomonicatione, che ſapeſſe alcuna perſona uſurara, la debbia revellare a la Corte del Archiepiſcopo fra di xv.

CAP. X.

Falſi teſtes, quique eos adducunt, falſiſque utentes litteris, anathemate coercentur.

SOnno excomonicati ipſo facto tucte preſuni, che rendino falſa teſtimonianza, & quelle, che le producino, & quelle, che uſano licteri, o cautele falſe.

CAP. XII.

Per ſimoniam beneficia ne recipiantur.

SOnno excomonicati tutte quelle perſuni, che impetraſſero beneficii ſimoniacamente, o mexani, o permecteno da-

darela, tanto Clerici, quanto Layci, tanto chi la recepe, quanto chi la da, & quelli beneficiati ſon privati del beneficio ipſo jure.

CAP. XIII.

Laicæ poteſtatis favor in beneficiorum aſſequutione ne exquiratur. Hoc modo impetrantes privantur.

EXcomonicati ſonno tutti quelli Clerici, che haveno recurſo ad Signuri temporali per impetrare beneficii, che vando per loro lettere, ajuto, overo favore, & ipſi ſonno privati deli beneficii, che optenessero per tale via.

CAP. XIV.

Teſtamenta infra annum exequantur. De male ablatis abſque Archiepiſcopi licentia nulla fiat diſpoſitio. Pœnæ in contrafacientes ſtatuuntur.

COmandaſe, che tutti exequuturi de teſtamenti debbiano exequirli infra un anno, & depo innante ſillo ſe ce impaciano, ſonno ipſo facto excomonicati ſalvo del male tollecto, lo quale non debino exequire ſenza licentia de la Corte Archiepiſcopale.

CAP. XV.

Teſtamentorum exequutio nullo modo impediatur ſub excommunicationis pœna.

SOcta pena de excomonicatione ſe comanda, che nulla perſona non debbia impedire executuri de li teſtamenti per omni via publicamente, o vero oculamente.

CAP. XVI.

Teſtamenta ſcribentes infra menſem Archiepiſcopo notitiam deferant.

FAſſe comandamento ad tutti Notari, & Preiti, che ſcriveſſero teſtamenti, & ad omne altra perſona, che ce foſſe teſtimonio, lo debiano notificare alla Corte del Archiepiſcopo infra uno meſe.

CAP. XVII.

In Eccleſiarum, Eccleſiaſticorumque fraudem teſtatores ne inſtruantur.

EXcomonicati ſonno ipſo facto tucte perſuni, che impediſſero teſtaturi, maxime in parole, o vero in ſingnali in fraude delle Eccleſie, o perſuni eccleſiaſtiche, & della Corte ſpirituale.

CAP. XVIII.

Regulares teſtamenta ne exequantur, antequam de fideliter exequendo cautionem præſtent.

SOnno excomonicati tucti Religioſi, che ſonno exequituri de teſtamenti, ſe exequiſſeno dicti teſtamenti, primo data la pregiaria a la Corte del Archiepiſcopo de exequirſi legalemente.

CAP. XIX.

Male ablatorum bonorum exequutores, de eis, ante impetratam ab Archiepiſcopo facultatem, diſponentes, excommunicantur.

EXcomonicati ſonno ipſo facto a jure tucte perſuni, & exequuturi, che exequiſſeno li laſſiti de male tollicto in omne modo, che foſſe laſſato, ſenza licentia de la Corte del Archiepiſcopo.

CAP. XX.

Non dantes legata, & quartas Eccleſiis, Archiepiſcopo, Eccleſiaſticiſque perſonis infra annum, anathematizantur.

COmandaſe, che ſiano excomonicati tucte quelle perſuni, che foſſero exequuturi de teſtamenti, & non deſſero li laſſati, & quarte facte a le Eccleſie, & Archiepiſcopo, & perſuni Eccleſiaſtiche infra anno.

CAP. XXI.

Hæredes, & teſtamentorum exequutores, integra non dantes legata, anathemate percutiuntur.

SImilmente ſonno excomonicati tutte quelle perſuni, che foſſero heredi, o exequuturi, che non deſſero li laſſiti facti a le opere Eccleſiaſtiche integralemente.

CAP. XXII.

Eccleſiaſticorum bonorum detentores, & occupatores anathemate innodantur.

SOnno excomonicati ancora tucte quelle perſuni, che tenino, & occupano robbe, ſtabile, o mobele delle Eccleſie de la Corte Archiepiſcopale.

CAP. XXIII.

Eccleſiaſticarum rerum turbatores, aut ad id conſilium, & favorem dantes excommunicatione irretiuntur.

SOnno ancora excomunicati tucte quelle perſuni, che indebitamente turbano, e moleſtano le poſſeſſiuni, & robbe de la majore Eccleſia Beneventana, & del ſuo Capitolo, & dell'Eccleſie Beneventane, Dioceſi, e Provintie, ſienteno, participanteno, & dante conſiglio, e favore.

CAP.

CAP. XXIV.

Collectas, aut alia quævis gravamina Eccleſiis, Eccleſiaſticiſve perſonis imponentes excommunicatione feriuntur: Conſilium, aut auxilium dantes, niſi infra quindecim dies retractent, eccleſiaſtico ſupponuntur interdicto.

SOnno excomunicati ipſo facto tucte quelle perſuni in ciaſche gradu, e dignità coſtitute, che imponeno, o vero permecteno imponere collecte, impoſiciuni, gabelle, & altre graveze alle Eccleſie, & coſe Eccleſiaſtiche, & alle perſuni Eccleſiaſtiche, & tutte quelle, che ce danno conſiglio, e favore, & ſe non ſenne tollino, & ammoveno fra di xv. ſonno ſuppoſti Eccleſiaſtico interdicto.

CAP. XXV.

Laici Dynaſtæ ſubditis prohibentes, ne ab Eccleſiaſticis emant, locent, eiſque obſequia præſtent, anathema incurrunt.

SOnno excomunicati tucti Signuri temporali, e ciaſche perſona, che in contento dela libertà Eccleſiaſtica comandano alloro Subditi, & Vaſſalli, che non vendano, ne comprano da perſuni Eceſiaſtiche, ne che li macenano grano, ne cocano pane, ne li impreſtano ajuto, ne favore.

CAP. XXVI.

Scripturæ Metropolitanæ, aut Provincialium Curiarum ne ſubducantur, anathemate cavetur.

SOnno ipſo facto excomunicati tucte quelle perſuni de zoche gradu, & dignità ſe ſiano, che furaſſero, o vero permetteſſero furare acti, ſcripture, o vero inſtrumenti de la Corte Archiepiſcopale, & de li Ordinarii in Dioceſi, & Provintia doloſamente, e fraudoloſamente.

CAP. XXVII.

Nemo, ſive Presbyter, ſive Laicus publice, vel occulte, verbo, facto, conſilio, aut favore Eccleſiaſticam juriſdictionem, aut utilitatem impediat. Niſi infra quindecim dies ceſſent, anathemati ſubjiciuntur.

COmandaſe, che omne perſona in qualuncha gradu, & dignità ſia conſtituita, Preite, o Layco, non debia dare impacio, verbo, ne facto, ne conſentire, ne dare conſiglio, & favore puplicamente, o vero ocultamente a li acti, & officii de la Corte Archiepiſcopale, e de li Ordinarii in la ſoa Provintia in detrimento de la juriditione, & utilità de la Corte, e che ſe non ſenne abſteneno fra di xv. continuando de po ſo excomunicati.

CAP. XXVIII.

Beneficia conferentes in præjudicium Beneventanæ, Suffraganearum-ve Eccleſiarum, aut de eis cognoſcentes abſque ſpeciali mandato, aut privilegio excommunicatione cohibentur. Privilegia, ſiqua habent, infra duos menſes oſtendant: collationes ab eis factæ nullæ ſint, his non ſervatis.

SOnno excomonicati ipſo facto, & privati de loro beneficii tucti quelli, che in prejuditio de la Eccleſia Beneventana, & de Suffraganei conferiſſino beneficii, o vero volino cognoſcere delle cauſſe, le quali alloro non pertengono cognoſcere, excepto ſe hanno ſpeciale mandato, o vero privilegio, de lo quale fra dui meſi ne debia fare fede a la Corte, & delle coſe cognuſciute, & beneficii conferuti, acti, & proceſſi non ſiano validi, ma vacui de ogni firmità, facti in prejudicio de la Eccleſia Beneventana predicta.

CAP. XXIX.

Beneficia poſſidentes abſque canonica collatione anathemate arceantur; fructus inde percipientes, niſi infra menſem revelent, præter excommunicationem, beneficiorum privationem incurrunt.

SOnno excomunicati tucti perſuni Eccleſiaſtiche, detinentino, o vero occupantino beneficii, & participanteno da ipſi li fructi ſenza inſtitutione canonica de lo Archiepiſcopo, o vero de chi aſpecta dare la dicta collatione, & chi non ne faceſſe mentione infra uno meſe de li dicti benificii, incorre la decta excomunicatione, & privati deli beneficii.

CAP. XXX.

Beneficiorum pluralitas abſque peculiari diſpenſatione anathemate damnatur, eaque poſſidentes privandi.

SOnno excomunicati tutti quilli Preiti, e perſuni Eccleſiaſtiche, che tengono dui beneficii, o più curati ſenza ſpetiale diſpenſatione, & degono eſſere privati de ipſi beneficii.

CAP. XXXI.

Curata beneficia obtinentes infra annum ad ſacros ordines, & ſucceſſive ad Presbyteratum promoveantur. Ii 25. annos habere debent, & de legitimo matrimonio nati.

COmandaſe, che tucte perſuni Eccleſiaſtice, che tenino beneficii cum cura infra uno anno ſe debiano promovere ad Sacros Ordines, & demum ad ordinem Sacerdotalem, & che habia xxv. anni, e ſiano competente, & de legitimo matrimonio nate, altramente ſonno de ipſi beneficii privati.

CAP. XXXII.

Curati ad reſidentiam arctantur, Canonicis exceptis, qui per Oeconomos Parochiæ deſervire poſſunt, facta a Curia facultate.

COmandaſe, che ciaſcheduna perſona Eccleſiaſtica havente beneficio cum cura debia perſonalmente deſervire inde la Eccleſia, excepto ſi foſſe Canonico di qualche Eccleſia Cathedrale, che allora poſſa fare ſervire per altro Cappelano, o vero che debia preſentare a la Corte, ſi è idonio alla dicta cura, prima che ſia inſtituto, alias privato ſia lo Rectore del benefitio ipſo facto.

CAP. XXXIII.

Decimæ per menſem Octobrem dentur ſub anathematis pœna, aliiſque Vicarii arbitrio.

COmandaſe ad tucte perſuni de cio che ſtato ſe ſiano, che debiano dare la decima alle loro Eccleſie, e Parochie per tucto lo meſe de Ottubro, & chi ſerrà retinente de darla, incorre a la pena de excommunicatione ipſo facto, & ad altra pena arbitraria da imponerſe per lo Vicario.

CAP. XXXIV.

Urbani Canonici, ac Presbyteri ad ſolemnes, aut ab Archiepiſcopo indictas proceſſiones ad campanæ ſonum cum ſuperpelliceis conveniant. Pœna contra inobedientes decernitur.

COmandaſe, che tucti li Canonici de la majore Eccleſia de Benevento, & Preiti haventeno cura de anime, & tucti Canonici Suffraganei delle Eccleſie di Benevento, debiano venire alle Proceſſiuni ſollemne, & Letanie de ragione, o vero de lo Archiepiſcopo comandate colle ſuperpellize, quando anderanno ſonar la campana, e chi faceſſe lo contrario, incorre a la pena de tar. III. applicando alla Corte Archiepiſcopale.

CAP. XXXV.

Eccleſiaſtica bona ne alienentur, niſi alienationes in Eccleſiæ utilitatem vergant, ſolemnitatibuſque adhibitis. Si quis ſecus faxit, anathema ſit.

STatuiſſeſe, e comandaſe, che nullo Prelato, ne Rectore de la Città di Benevento, Dioceſi, & Provintia Beneventana debia vendere, ne preſuma alienare poſſeſſiuni, ne robbe de Eccleſie, excepto ſende prevene dare utilità alle Eccleſie, & con ſollemnità, lo contrario facendo, ſonno excomunicati, & le vendituni, o vero locatiuni ipſo jure ſiano nulle.

CAP. XXXVI.

Locationes, permutationeſque abſque Ordinariorum licentia quoad bona Eccleſiaſtica ne fiant. Ante locationem, aut permutationem quidquam ne recipiatur. Contrafacientes excommunicantur, & contractus nullius declarantur roboris.

ITem, che perſona Eccleſiaſtica in ciaſche gradu conſtituta de la Città di Benevento, Dioceſi, & Provintia preſuma locare, o vero permutare poſſeſſiuni, & robbe de Eccleſie ſenza licenzia de lo Archiepiſcopo, o vero ſuo Ordinario, nenne recepa denaro innante per la dicta locatione, o permutatione; contrario facendo, ſono excomunicati ipſo facto, & ſono tenuti alla pena arbitraria, e la dicta locatione, o vero permutatione non vale, ne tene.

CAP. XXXVII.

Exteris nec Miſſam celebrare, nec Sacramenta miniſtrare extra Diœceſim abſque Prælatorum ſuorum licentia licet. Contra facientes anathemate corripiuntur.

COmandaſe, che nullo Preite ſtranieri auſa dire la Meſſa, ne miniſtrare li Sacramenti da fore la ſoa Dioceſi ſenza licentia de ſoi Prelati, facendo lo contrario è excomunicato.

CAP. XXXVIII.

Beneficia plures, quam ſeptem Miſſas in Hebdomada requirentia ne recipiantur, nec Laicus quiſpiam ad talia beneficia ullum præſentet ſub privationis illi, huic ſub excommunicationis pœna.

COmandaſe, che tucti Preiti, che non auſano pigliare ad ſervire, ne havere beneficio de piu de ſepte Meſſe per ſeptimana, & ad pena de excomunicatione, che nullo Laico ne la dia ad ſervire, o preſentare, & lo Preite, che fa lo contrario, e privato del beneficio ipſo facto.

CAP. XXXIX.

Si poſſeſſiones, aliaque bona pro miſſis legentur, aliud pro earum celebratione ne detur, aliter facientes excommunicationi ſubduntur.

COmandaſe ad tucti executuri, che le poſſeſſioni, & altre robbe, che foſſero laſſate ad Preiti per dicere Meſſe, che lo debia dare quelle robbe, & poſſeſſiuni laſſate, & non mutare lo ligato in altra coſa, & lo contrario facendo, ſonno excomunicati.

CAP.

CAP. XL.

A caſibus Epiſcopo reſervatis, ut infra, nemo abſolvat abſque expreſſa licentia.

COmandaſe ſopto pena de excomunicatione ad omne Preite, & Confeſſore, che non debia abſolvere perſona penitente de li caſi riſervati ad Monſignore l'Archiepiſcopo, & Epiſcopi ſenza loro licentia expreſſa.

El quali Caſi ſon quiſti.

Feſtorum dierum violationis abſolutio Epiſcopo fortaſſis fuit hoc in Concilio reſervata, ideoque hic numerantur ante caſus reſervari ſolitos.

Tucti li dì della Domenica.
Lo di di Natale.
Sancto Stefano Protomartire.
Sancto Joanni Evangeliſta.
La Circonciſione di N.S.Jeſu Criſto.
La Converſatione de Sancto Paulo.
La Cadreda de Sancto Petri.
Sancto Barbato.
La feſta de tucti li Apoſtoli.
Li quattro Decturi.
Li quattro Evangeliſti.
Tucte le feſte de noſtra Domna, como è
La Annunciatione.
La Aſſumptione.
La Nativitate.
La Conceptione.
La Purificatione.
La Viſitatione ad Eliſabeth,
Et la Octava.
La feſta de la Neve.
Lo di de Jovidì Sancto.
Lo di de Vernedì Sancto.
La Reſurrectione de Noſtro Signore Jeſu Chriſto con doi dì ſequenti.
La Inventione de la Croce Sancta.
Sancto Joanni ante portam latinam.
La Apparitione de Sancto Michele Archangelo.
La Aſcentione de Noſtro Signore Jeſu Chriſto.
La feſta de la Pentecoſte con dui dì ſequenti.
La feſta de lo Corpo di Chriſto.
Sancto Joanni Baptiſta.
L'Octava de Sancto Petri, & Paulo.
Le Vincule de Sancto Petri.
La Traſfiguratione di Noſtro Signore Jeſu Chriſto.
La feſta de Sancto Donato.
Sancto Laurenzo.
La Exaltatione de Sancta Croce.
La Dedicatione di Sancto Michel' Archangelo.
La feſta de tucti li Sancti.
La Dedicatione dell'Eccleſie con Sancto Petri, & Paulo.
La Tranſlatione de Sancto Bartholomeo.
La Tranſlatione de Sancto Mercurio.
Et la Dedicatione de queſta Eccleſia.

Caſuum reſervatorum nota.

Heretici, ſiſmatici, ſodomiti, adulteri, publici fatochiari, indivinaturi, falſarii, falſi teſtimonii, perjuraturi, inceſtuarii, ſacrilegi, corrupturi de Monache, violaturi de Virgene, & Monache, che uſciſſero fore lo Monaſterio, quilli, che traſeno a li Monaſterii di Monache ſenza cauſa legitima, & licentia obtenta da lo Archiepiſcopo, blaſfamaturi de Dio, Sancta Maria, e de li ſoi Santi, chi uſaſſero li ſorti, o incantaturi, permutatiuni de voti, e li excomunicati, & magiore excomunicatione, quelli, che deſponeſſero de li mali tollicti ſenza licentia de la Corte, chi fa li matrimonii naſcuſi, o vero contra ſtatuti della Eccleſia, de li ſoffocaturi delle Creature caſualmente, o ex propoſito, incendiaturi delle Eccleſie, o lochi ſacri, de li occupaturi delli boni della Eccleſia mobile, & ſtabile, delle femine, che ſe ingravidaſſero per adulterio, e delle femine, che procuraſſero de guaſtarnoſe, quando ſonno prene, e del participante, & dante ajuto, & conſiglio ad farle guaſtare, quilli che juraſſero de contraere matrimonio inſiemi, & contrahino con altri non abſoluti del Sagramento, o vero juramento, de lo peccato de la luxuria commiſſo intra la dompna, & lo Confeſſore, o vero lo Preite ſuo patrino, o vero con lo Compare, o vero de altri peccati generantino publici ſcandali.

CAP. XLI.

Regulares decimam exigere præſumentes abſque privilegio a Curia Archiep. recognoſcendo excommunicantur.

EXcomunicati ſonno tucti Religiuſi preſumiſſero volere la decima ſenza ſpeciale privilegio, de lo quale ne habiano fatta fede alla Corte de lo Archiepiſcopo.

CAP. XLII.

Presbyteri quartam Epiſcopo dare per Novembrem menſem negligentes anathematizantur.

EXcomunicati ſonno tucti Preiti, che non dando la quartidia conſueta allo Archiepiſcopo, o alloro Epiſcopi per tucto lo meſe di Novembro.

CAP. XLIII.

Clerici taxillis ludentes, aut arma deferentes unius auguſtalis pœna plectuntur.

COmandaſe, che nullo Clerico debia jocare ad joco de dadi, ne debiano portare arme, ſopcta pena de uno auguſtale.

CAP.

CAP. XLIV.

Veſtibus ordini convenientibus Clerici utantur, aliter excommunicationem incurrunt.

COmandaſe, che omne Clerico vada veſtito honeſtamente con li panni conducenti allordine ſuo, ſopto pena de excomunicatione.

CAP. XLV.

Ordines ab alterius Parochiæ Epiſcopo abſque proprii Ordinarii dimiſſorialibus nequis ſuſcipiat, ſuſpenſionis, & excommunicationis pœna cavetur.

COmandaſe, che nullo ſe auſa andare ad ordinare da altri ſenza licenza de lo Ordinario, nè pigliare la Creſima, & l'oglio ſancto, altramente ſonno ſuſpiſi,& excommunicati ipſo facto.

CAP. XLVI.

Mercatura, negotiaque ſæcularia Clericis prohibentur, unius unciæ pœna propoſita.

COmandaſe, che nullo Preite faza mercanzia, o negotii ſeculari, ſalvo de li fructi de loro beneficii, ſocto pena de una onza chi lo contrario faceſſe.

CAP. XLVII.

Super ſponſas Miſſæ non celebrentur temporibus probibitis. Si quis ſecus faxit, anathema ſit.

COmandaſe ad tucti Preiti, che non debiano dire Meſſa alli Spuſi inde li tempi proibiti; lo contrario facendo ipſo facto excomunicati.

CAP. XLVIII.

Sub eadem pœna laicis vetatur, ne nuptias ſolemniter celebrent, aut matrimonia firment vetitis temporibus.

SImilmente ſe comanda alli Laici, che non fazano ſolennitate de noze ne li tempi predicti proibiti, ne confirmatione de matrimonio ſocto pena de excomunicatione.

CAP. XLIX.

Epiſcopis extra Diœceſim abſque ſpeciali licentia Epiſcopales actus exercere probibetur, decem unciarum pœna propoſita.

COmandaſe ad tucti li Epiſcopi, che non exercitano li acti Epiſcopali extra la loro Dioceſi ſocto pena de onze diece ſenza licentia ſpeciale.

CAP. L.

Pauperum cadavera Eccleſiæ impenſis ſunt ſepelienda. Inobedientes excommunicantur.

COmandaſe ad tucti Preiti, Recturi de Eccleſie, che debiano ſepellire li defuncti poveri parrochiali alle ſpeſe de dicta Eccleſia ſub pena de excomunicatione.

CAP. LI.

Clerici focarias publice ne retineant. Pro ordinis gradu pœnæ ſtatuuntur.

COmandaſe ad ciaſcheduno Clerico in qualunqua ordine, & gradu conſtituto, che non debiano tenere publicamente concubine, ſub pœna quatuor unciarum lo Preite, lo Diacono unze 3., lo Subdiacono unze 2., & lo ſemplice Preite unze 1.

CAP. LII.

Suſpectæ feminæ Clericorum domus ne inhabitent; unius unciæ pœna in tranſgreſſores decernitur.

COmandaſe eciamdio ad ciaſcaduno Clerico, che non debia tenere in caſa loro femina ſubſpecta ſub pœna de onza una.

CAP. LIII.

Uxorati adulterantes, adulteræque uxores anathemate percutiuntur.

COmandaſe ad ciaſcheduna perſona layca, che have mogliere, non debia tenere concubina, nè femina, che foſſa maritata, non debia converſare, & ſtare con altri commictendo lo adulterio, lo facendo ſo excomunicati ipſo facto.

CAP. LIV.

Monialium Monaſteria ingredi abſque Ordinarii licentia anathemate vetitum.

COmandaſe, che nulla perſona preſuma intrare in lo Monaſterio de Monache ſenza licentia de lo Archiepiſcopo; lo contrario facendo, ſo excomunicati ipſo facto.

CAP. LV.

E Monaſterio egredientes Moniales unius unciæ pœna cohibentur. Laici in Monaſterio comedentes excommunicantur, ni licentiam obtinuerint.

COmandaſe ad tucte Monache, che non debiano uſcire lo Monaſterio, & andare ad mangiare, & ad abevere in Caſa de altrui ſub pena de una onza, & che nullo laico debia mangiare, ne bevere

re inde lo Monaſterio de Monache ſenza licentia, ſub pœna excomunicationis.

CAP. LVI.

Compaternitatem in fraudem contrahere Presbyteros abſque Curiæ facultate, & plures Compatres, quam unum in baptiſmo admittere, anathemate prohibetur.

CHe nulla perſona Clerico, o Layco faza compatragio in fraude con alcuna altra perſona, & lo Preite, che la bapteza, non debia amictere nullo Preite volenteſe far Compare con alcuna impretata licentia de la Corte ſub pena de excomunicatione, ne ancora amecta più che uno Compare Layco ſopto la predicta pena.

CAP. LVII.

Matrimonium occulte, & denunciationibus in propria Parochia non præviis contrahere, excommunicatione vetatur.

COmandaſe, che nulla perſona faza matrimonio occultamente ſenza notificatione de la Eccleſia Parrochiale loro ſocto pena de excomunicatione.

CAP. LVIII.

Miſſæ celebratio, feſtorumque prædicatio Dominicis, feſtiviſque diebus Parochis injungitur ſub unius auguſtalis pœna.

COmandaſe ad ciaſcauno Rectore, & Cappellano de la Eccleſia, debia celebrare ne la loro Parrochia ciaſchauna Domenicha, & Feſta principale, & predicare le Feſte a li loro Parrochiani ſocto pena de uno auguſtale.

CAP. LIX.

Quid in feſtis diebus illicitum ſit, edicitur ad rectam eorum obſervantiam.

COmandaſe ad ciaſchauna perſona, che non debiano fare ſervicio, o vero lavoritio, ne merchantia in de le Domeniche, & Feſte comandate ſocto pena de excomunicatione.

CAP. LX.

Excommunicati infra quindecim dies abſolutionem non procurantes pro contumacia tempore pœna plectuntur.

QUaluncha perſona foſſe excomunicata, & perduraſſe in de la dicta excomunicatione animo indurato fra xv. dì, & non abſolvendoſe paga duchati 1. a la Corte de Monſignore l'Archiepiſcopo, & ſi per uno meſe, paga docati doi, & così aſcendendo de meſe in meſe, & de pena in pena ſempre creſcendo.

CAP. LXI

Ne novæ ſectæ, aut religiones inducantur abſque Sedis Apoſtolicæ approbatione, anathemate cavetur.

COmandaſe, che nulla perſona Religioſa, o ſeculara inducha nova ſecta, & Religione non approbata da la Sancta Madre Eccleſia Romana, lo contrario facendo, ipſo facto ſonno excomunicati.

CAP. LXII.

Si quis, poſtquam ad perfectam ætatem pervenerit, ſemel ſaltem in anno proprio Sacerdoti, aut alteri de illius licentia peccata ſua confiteri, & Euchariſtiam ſumere neglexerit, vivus ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, mortuus Eccleſiaſtica careat ſepultura.

ITem che ciaſcha una perſona, poche ſonno de etate perfetta, ſe debiano confeſſare, e comunicare almeno una volta per anno dal ſuo Sacerdote, o vero da altri de ſoa licentia; lo contrario facendo non auſa intrare in Eccleſia, finche vive, & in morte non ſe ſepelliſcha in Cimiterio eccleſiaſtica ſepultura.

CAP. LXIII.

Confitentium nomina, & Euchariſtiam ſumentium quotannis Epiſcopali Curiæ ſcripto tradantur. Inobedientes Parochi unius Auguſtalis pœnam ſubibunt.

COmandaſe ad tucti li Preiti Curati, che ciaſcha uno anno debiano dare per ſcripta alla Corte tucti quilli, che ſi confeſſano, & comunicano nominatamente ſub pena de uno auguſtale.

CAP. LXIV.

Arbitraria pœna ſtatuitur in Parochianos, qui in propria Parochia dominicis, feſtiſque potioribus diebus miſſæ non interſunt; necnon in Parochos parochianos non ſuos ad miſſæ ſacrum iis diebus admittentes.

COmandaſe ad ciaſcha uno parrochiale, che debia andare ad audire la Meſſa a la Eccleſia parochiale ſoa omne dì de Domenica, & de feſta principale; anche nullo Preite Parrochiale admecta le perſuni, che non ſo de ſoa parrochia, ne li dì di Domenica ſub pena arbitraria de lo Archiepiſcopo.

CAP. LXV.

Parochi excommunicatorum librum habeant ſub arbitraria pœna.

COmandaſe ad ciaſcha uno parrochiale debia havere lo libro dove ſcrive li excomunicati ſopto pena arbitraria.

CAP.

CAP. LXVI.

Epiſcopi, Abbates, Archipresbyteri, parochialiumque Rectores quotannis ad Synodum convenire debent die ante feſtum Sancti Bartholomæi Apoſtoli. In negligentes arbitraria pœna ſtatuitur.

COmandaſe ad tucti li Epiſcopi, Abbati, Archipreiti, & Recturi de Eccleſie parrochiali, che debiano venire omne anno allo Synodo Provinciale la vigilia de la feſta de Sancto Bartolomeo del meſe de Auguſto ſopto pena arbitraria de la Corte de Monſignore l'Archiepiſcopo.

CAP. LXVII.

Additionem, & imminutionem Synodalium conſtitutionum Metropolita ſibi reſervat.

REſervaſe Monſignore lo Archiepiſcopo de potere iongere, e manchare alle dicte Conſtitutioni ſecondo la ſoa voluntà.

CAP. LXVIII.

Synodales conſtitutiones habere, easque ad Synodum deferre Epiſcopi, Abbates, Archipresbyteri, Eccleſiarumque Rectores debent ſub arbitria pœna.

COmandaſe, che tucti Epiſcopi, Abbati, Archiprieti, e Recturi de Eccleſie, che deviano havere le dicte Conſtitutioni, & portarle allo dicto Synodo ſub pœna arbitraria.

Expliciunt Conſtitutiones Synodales Reverendi Abbatis (A) Gabrielis Incarelli Primicerii minoris Eccleſiæ Beneventanæ nel anno Domini del 1545.

NOTÆ.

A *Notarium tantùm hujus Concilii, aut ſimplicem ſcribam memoratum Gabrielem fuiſſe autumamus, non Synodi Præſidem: Cùm in ipſo Concilii limine conſtet præſediſſe Thomam Conturberium Vicarium generalem.*

JACOBUS III. CARDINALIS SABELLUS.

Jacobus III. Sabellus, Romanus S. R. E. Cardinalis præclariſſimus ex Eugubino, & Neocaſtrenſi Epiſcopatibus electus Archiepiſcopus LII. *die* XXVI. *Januarii A. D.* MDLX. *Clericorum Seminarium fundavit. Provinciale Concilium A. D.* MDLXVII. *celebravit. Sedit Annos* XIV. *Menſes* III. *dies* XXVII. *& reſignavit die* XXIII. *Maii Anno Domini* MDLXXIV.

CONCILIUM PROVINCIALE DECIMUM.

Habitum Menſe Aprili 1567. a Jacobo Cardinali Sabello Archiepiſcopo.

Concilium hoc typis eſt editum Romæ anno prædicto apud hæredes Antonii Bladii impreſſores Camerales, & in Metropolitana Eccleſiæ Bibliotheca aſſervatur.

Jacobus Miſeratione Divina tituli Sanctæ Mariæ in Coſmedin S. R. E. Presbyter Cardinalis Sabellus Archiep. Benev. Clero, & omnibus Provinciæ noſtræ Chriſti-fidelibus ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus.

CUM primum Provincialium Conciliorum celebrationem optima a Sanctis Patribus ratione inſtitutam, jam pene dimiſſam, provide a Sancta Oecumenica Tridentina Synodo, magno Eccleſiæ Dei commodo reſtitutam, & revocatam cognovimus, aſſidue in ea cogitatione fuimus, ut gravi Paſtoralis muneris oneri, quod humeris noſtris Divina diſpoſitione incubuiſſet, quo ad

ejus fieri poſſet, aliqua ex parte ſatisfaceremus, Synodumque Provincialem cogeremus, ut cum Epiſcopis Suffraganeis noſtris communicato conſilio, ratio iniretur, qua cognitis iis, quæ in eorum cujusque Diœceſi emendatione indigerent, ex præſcripto ejuſdem Sanctæ Tridentinæ Synodi depravata reformarentur, errores corrigerentur, & in vinea Domini debitus cultus, quo ad uberiorem frugem perveniret, reſtitueretur. Atque ea in cogitatione ingenti animi moleſtia, & ſollicitudine afficiebamur, cum ſuſcepti Paſtoralis muneris, & injuncti Nobis officii recordaremur: recogitabamus enim, quāta cura cuſtodire Nos oporteat depoſitum a Chriſto Nobis traditum, & commendatum: & quam gravis pœna nos maneat, ſi theſauri, quem Chriſtus ſanguinis ſui pretio comparandum duxit, noſtra forte incuria quidquam diſperire contigerit. Augebat etiam ſollicitudinis noſtræ pondus ipſius Eccleſiæ Beneventanæ inſignis magnitudo, & nobilitas, cum ipſa Eccleſia latiſſimam habeat Diœceſim, & Provinciam: Viginti enim quatuor Eccleſias Suffraganeas habet, ſicuti in æreis valvis ipſius Metropolitanæ Eccleſiæ inſignis memoria extat: in quibus nomina Eccleſiarum, & Epiſcoporum Suffraganeorum ſimulacra conſpiciuntur: licet olim xxxii. habuiſſe, & Apuliæ Metropolim eam appellatam eſſe antiquiſſimis ipſius Eccleſiæ monumentis conſtet. Multi præterea Abbates uſum Mitræ, & Baculi habentes in ipſa Beneventana Diœceſi exiſtunt: duodecimque in ea inter ceteras extant Abbatiæ, quæ a Beneventano Archiepiſcopo conferuntur. Ipſius vero Eccleſiæ præſulem ea habere privilegia, quæ nulli alterius Eccleſiæ Præſuli hactenus conceſſa reperiuntur, & cum ſigno, & plumbo, Summorum Pontificum more, litteras expedire, nemo eſt, qui ignoret: cum multæ antiquiſſimæ veterum Beneventanæ Eccleſiæ præſulum plumbatæ Bullæ reperiuntur, quarum præcipue ceteris antiquitate præcellit, quæ eſt Lombardi Archiepiſcopi, confecta anno a Chriſto nato MCLXXV. Alexandro Tertio Summo Pontifice; quæ omnia ejus prærogativam, & nobilitatem oſtendunt. Et quamvis hæc omnia aſſidue, anxieq; officium, animumque noſtrum excitarent, Noſque multo ante Synodum celebrare cupere Coepiſcopis noſtris ſignificaverimus; ea tamen tempora ſunt conſequuta, ut aliarum publicarum curarum neceſſario onere depreſſi, & præſertim, ut Pii IV. primum, & deinde Sanctiſſimi D.N. Pii Quinti juſſu Nobis injunctam, & inchoatam in Urbe reformationem Cleri perficeremus, ſanctum hoc negotium non ſine magna animi noſtri moleſtia differre coacti fuerimus. Cum primum igitur per hujuſmodi publicas occupationes Nobis licuit, juxta Sacrorum Canonum, & ſacræ Tridentinæ Synodi ſanctiones, Provinciale Concilium indiximus, & Rever. in Chriſto Coepiſcopos Suffraganeos noſtros in Metropolitanam Eccleſiam noſtram Beneventanam evocavimus. E quibus cum aliquot venerint, plerique Procuratores miſerint, cum ipſi, vel publicis negotiis, & a Summo Pontifice attributis, vel adverſa valetudine impediti, venire non potuerint; omnium, qui convenerunt, voluntates ad Eccleſiarum Nobis ſubjectarum diſciplinam recte conſtituendam ſane quam promptiſſimas nacti ſumus. Quare Dei Optimi Maximi benignitate, & gratia, cujus cauſſa agebatur, quæ maxime ad ipſius gloriam illuſtrandam, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ emendationem, et commiſſi Nobis gregis ſalutem promovendam, pro horum temporum, & Eccleſiarum noſtrarum conditione neceſſaria, & apta eſſe viſa ſunt, in hæc Decreta congeſſimus: quæ, ut ab omnibus perſpecta, planeque cognita obſerventur, communi Coepiſcoporum conſenſu edenda, et publicanda decrevimus. Neque vero his Decretis omnia complecti in animo habuimus, ſed ea ſolummodo, quæ maxime e re Provinciæ noſtræ fore videbantur, ut in fidelium memoriam reducerentur. Plurima autem, quæ Concilii generalis Decretis comprehenſa, et præcepta ſunt, hic ea repetenda, et inculcanda eſſe non exiſtimavimus. Quemadmodum igitur his decretis nihil aliud Nobis propoſitum extitit, quam ut Dei gloria amplificaretur, et veſtræ ſaluti conſuleretur; ita ea ex animo recipere, & amplecti, illiſque obſervandis aſſiduitate quotidiana, & conſuetudine aſſueſcere omnino debetis: neque ullam in vos conſtitutis a Nobis pœnis animadvertendi occaſionem præbere. Quo ſicuti jucundius, & gratius accidere nobis nihil poterit; ita, ut eam in rem omni opera, cura, diligentia, & ſollicitudine incumbatis, maximopere vos in Domino obteſtamur, & obſecramus.

Beneventanæ Eccleſiæ magnitudo, nobilitas, & privilegia cōmemorantur.

Duodecim Abbatiæ cum Baculi, Mitræque uſu in Beneventana Diœceſi extant, & ab Archiep. conferuntur.

Memoratur Bulla celebris Lombardi Archiep. ann. 1175 Benevent. Eccleſiæ privilegia enarrans.

Pii IV. & V. juſſu reformationem Romani Cleri perfecit: qua in re intentus celebrationem Provincialis Concilii retardavit.

LITTERÆ INDICTIONIS

Provincialis Synodi Beneventanæ ad Rev. Epiſc. Suffraganeos miſſæ.

MUltum Reverende Frater. Aliquot jam menſes ſunt, cum Rev. Fraternitatem tuam certiorem fecimus, Nobis jamdiu in animo eſſe Provincialem Synodum ex præſcripto Sacri Tridentini Concilii celebrare: eam quo minus adhuc celebrare potuerimus, fecerunt publica negotia ad officium noſtrum pertinentia, & maxime occupationes, quibus in reformatione Cleri Romani Nobis a Sanctiſſimo Domino commiſſa, diſtenti fuimus. Nunc reformatione fere abſoluta, & fa-

cultate ab ipſo Sanctiſſimo Domino Nobis data, hujus noſtri Archiepiſcopalis officii exequendi, viſum Nobis fuit id tuæ Reverendæ fraternitati ſignificare:& eam hortari, ut ad diem feſtum Sancti Leonis Papæ, qui erit tertio Idus Aprilis in Metropolitana Eccleſia noſtra Beneventana, ad ipſam Synodum, Deo juvante, celebrandam adſit. Id enim tempus poſt dies ſacratiſſimos Reſurrectionis Dominicæ celebratos opportunum huic negotio futurum judicavimus: ne quis Coepiſcoporum noſtrorum Quadrageſimæ tempore, quo Epiſcoporum præſentia Eccleſiis maxime neceſſaria eſt, ſicuti Nos quoque (favente Deo) in noſtra Metropolitana Eccleſia tunc adeſſe decrevimus, abeſſe cogatur, aliiſque negotiis diſtrahatur. Quod ſi valetudine adverſa præditus, aliave legitima de cauſſa Nobis ſignificanda,& juxta ſacros Canones probanda, adeſſe nequieris, Rever. Fraternitas tua Procuratorem idoneum vice ſua Synodo interfuturum utique mittat. Cum autem juxta ſacrorum Canonum decreta per ſingulas Diœceſes eligendi ſint probi,& idonei viri, ex quibus in alia poſthac proxime celebranda Synodo cognoſci poſſit, quæ correctione, reformationeve aliqua indigere videbuntur, aliquot ex Capitulo, & ex reliquo Civitatis, & Diœceſis tuæ Clero viros, quos litterarum ſcientia, & probitate magis inſignes judicaveris, Rever. Fraternitas tua eligat, & ſecum adducat, ut Synodalibus actionibus interſint, & ex eis aliqui deligi poſſint, qui coram Nobis in Synodo jurent, ſe nullo humano affectu, ſive negligentia prætermiſſuros, quo minus inquirendo, inveſtigandoque quæcumque corrigenda, emendandave fuerint, Synodalium teſtium munus diligenter impleant. Mittimus ad te præterea impreſſum edictum, quod in valvis Cathedralis Eccleſiæ, aliarumve tuæ Diœceſis inſignium, etiam exemptarum, & vicinorum locorum, etiam nullius Diœceſis Eccleſiarum, ut affigi, promulgarique cures, abs te petimus: de cujus promulgatione publicum ad nos inſtrumentum mitti cupimus. Fraternitatem tuam diu bene valere optamus. Romæ die xxx. Januarii MDLXVII.

Jacobus Cardinalis Sabellus
Archiepiſcopus Benevent.

EDICTUM INDICTIONIS
Provincialis Synodi Beneventanæ.

Jacobus Sabellus Tit. Sanctæ Mariæ in Coſmedin S. R. E. Presbyter Cardinalis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Beneventanus.

ETſi venerabiles Epiſcopos Suffraganeos noſtros per litteras ad unumquemque eorum ſcriptas certiores fecimus de Provinciali Synodo, quam juxta Sac. Tridentini Concilii Decretum (Deo juvante) celebrare ſtatuimus, eoſque in Metropolitanam Eccleſiam noſtram Beneventanam ad III. Idus Aprilis convocavimus, qui erit dies feſtus Sancti Leonis magni Papæ; tamen, ut aliis etiam omnibus, qui de jure, vel conſuetudine hujuſmodi Synodo intereſſe debent, nota ſit ipſius celebratio, ne quis ejus ignorationem excuſare, aut ſe contemptum dicere poſſit; præſenti noſtro Edicto univerſis, & ſingulis cujuſcumque dignitatis,& gradus Clericis, qui ſua id quacumque ratione intereſſe putaverint, etiam exemptis, & nullius Diœceſis, infra limites noſtræ Provinciæ conſtitutis ſignificamus, denunciamus, & notam ipſius Synodi celebrationem facimus; pœnas a ſacris Canonibus ſtatutas illis, qui ad eam venire neglexerint, ſubituris. Cujus rei cauſſa Edictum hoc in Cathedralium, aliarumque Eccleſiarum inſignium, etiam exemptarum, Provinciæ noſtræ valvis affigendum, & promulgandum curavimus. In quorum fidem Edictum ipſum confici, & per Secretarium noſtrum ſubſcribi, & noſtri ſigilli impreſſione muniri voluimus. Datum Romæ die xxx. Januarii MDLXVII.

Jacobus Card. Sabellus
Archiepiſcopus Beneven.

Ant. Oritheus Secretarius.

EDICTUM ALIUD
Indictionis Provincialis Synodi Beneventanæ.

Jacobus Sabellus Tit. Sanctæ Mariæ in Coſmedin S. R. E. Presbyter Cardinalis Sabellus, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Beneventanus.

CUm noſtro Edicto dato Romæ die xxx. Januarii MDLXVII. quo Provincialis Synodi ad III. Idus Aprilis in Metropolitana Eccleſia noſtra Beneventana cogendæ celebrationem ſignificavimus, mentis noſtræ fuerit eam non ſolum Clericis, ſed etiam Laicis Civitatum, & Caſtrorum quorumcumque Dominis, quocumque dignitatis, & gradus titulo præfulgeant, ac communitatibus, ceteriſque Provinciæ noſtræ, qui ſua quomodolibet intereſſe putaverint, notam facere, eoſque ad ipſam convocare; hoc alio noſtro Edicto eam Nobis fuiſſe mentem declaramus: hortamurq; præfatos omnes, ut pro percipiendis, quæ pro exequutione Sacroſancti Tridentini Concilii ab ipſa Synodo decernentur, ſi commodo eorum fieri poterit, adeſſe velint, aut aliquos hujus rei cauſſa ad Synodum mittere. Quod ut

Sæculares Domini ad Synodum hoc edicto, ſi velint intereſſe, convocantur

ut omnibus pateat, Edicti ipſius copias, alicujus Curiæ noſtræ Notarii manu ſubſcriptas, & ſigilli noſtri impreſſione munitas, palam affigi mandavimus, eiſque, ac ſi manu noſtra ſubſcriptæ eſſent, fidem adhiberi volumus. Dat. Beneventi die xix. Martii MDLXVII.

Jacobus Card. Sabellus
Archiepiſcopus Benev.

Ant. Oritbeus Secretarius.

SESSIO PRIMA.

Provincialis Synodi Beneventanæ celebrata die xi. Aprilis Anno Dom. MDLXVII.

Decretum de inchoanda Synodo.

Rever. Patres. Placet ne Vobis, ut ad laudem, & gloriam Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad tuendam, & augendam Chriſtianæ Religionis diſciplinam, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus Provinciæ Beneventanæ, aliiſque ex Sacris Canonibus permiſſis Beneventanum Provinciale Concilium incipiamus?

Reſponderunt, Placet.

Poſtea Catbolicam Fidem ex præſcripta formula a Pio Quarto Summo Pont. palam omnes profeſſi ſunt. Formulam autem hic ſubjiciendam eſſe viſum fuit.

Formula Professionis Fidei.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet. Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cæli, & Terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in Cælum; ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam, juxta eum ſenſum, quem tenet, & tenuit Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere, & proprie Sacramenta novæ legis, a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis: atque in Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, una cum anima, & Divinitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti: fierique converſionem totius ſubſtantiæ Panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ Vini in Sanguinem: quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari: Similiter, & Sanctos una cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro Nobis offerre: atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano Populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco. Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cetera item omnibus a Sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis,

ciliis, ac præcipue a Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita,& declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas,& rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo,eamdem integram, & immaculatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, ſeu illis,quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum

Ego idem. N. ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

TITULUS UN.

De modo vivendi, & aliis in Synodo ſervandis.

CAP. I.

Ad Synodum convenientes ſingulis ſextis feriis jejunent: Epiſcopi, & Presbyteri ter in hebdomada miſſam de Spiritu Sancto celebrent: ſupplicationes Clericorum ſæcularium,& regularium ter in hebdomada tam in Metropoli, quam in Provincia,durante Synodo,fiant.

CUm vero Nos agnoſcamus, quod Pſalm. 110. *initium ſapientiæ eſt timor Domini*, memoreſque ſimus ipſius Domini verbi dicentis Joann.15. c. *Sine me nihil poteſtis facere*: ante omnia ad ipſius implorandum auxilium, ut ipſi Synodo ad gloriam, & honorem nominis ſui, & totius hujus Provinciæ utilitatem, pro corrigendis abuſibus, moribus reformandis in ejus nomine inchoatæ, proſperos, feliceſque ſucceſſus tribuat, exhortandos eſſe duximus, prout in Domino exhortamur, omnes in dictam Civitatem convenientes, ibique congregatos, ut aſſidue hujus rei cauſſa ad Dominum preces effundant, a peccatis abſtineant, ſingulis ſextis feriis jejunent in memoriam paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, eleemoſynis, boniſque operibus intendant. Epiſcopos vero, & in Sacerdotali ordine conſtitutos admonemus, hortamurque, ut tribus ſaltem in una quaque hebdomada diebus Miſſam de Spiritu-Sancto celebrent: ſupplicationes præterea generales tam Clericorum ſæcularium, quam regularium in Civitate Beneventana,ter in una quaque hebdomada, ipſa Synodo durante, faciendas præcipimus, hortamurque Epiſcopos, ut idem in ſuis Eccleſiis faciendum curent.

CAP. II.

Epiſcopi ſecundum promotionis tempus præcedere debent, ad eligentium Epiſcoporum difficultates præſertim tollendas; quoad inferiores, in ſeſſionibus, aut vocationibus nemini præjudicium intelligatur allatum.

ATtque, cum maxime deceat in Conciliis recte, & ex æquitate omnia fieri, ſtatuimus,aliorum ſacrorum Conciliorum, & præſertim Tridentini ſequuti conſuetudinem,ut qui prior ad Epiſcopalem dignitatem vocatus exiſtit, priori loco ſedere, et aliis præcedere debeat. Nam cum ſancta Tridentina Synodus ſtatuerit, legitime impedito Metropolitano,antiquiorem ex Coepiſcopis provincialem Synodum cogere debere, maxime conveniens eſt, ut antiquiores Epiſcopi ubiq; ſua antiquitate præcedant; nullaque habeatur ratio, quod Eccleſiæ Cathedrales, quibus præſident,Metropolitanæ Eccleſiæ Beneventanæ antiquiores Suffraganeæ extiterint. Nam cum ejuſdem Concilii Tridentini decreto cautum ſit,ut Epiſcopi nulli Metropolitano ſubjecti, aliquem ſemel eligant, in cujus Synodo Provinciali cum aliis interſint, et nonnulli hujus decreti exequendi cauſſa, ad hanc Beneventanam Synodum acceſſerint, aut forſan acceſſuri ſint; ſi aliter quam decretum eſt, ageretur, difficultas ſuboriretur, quinam eis locus decernendus eſſet; quæ difficultas, ea (ut dictum eſt) præcedendi ratione ſervata, omnino amovebitur. Si quis tamen inferiorum, veluti Abbatum, vel aliorum in hujus Provincialis Synodi actis, vel dum ipſa ejus decreta in congregationibus ſancientur, vel in publicis ſeſſionibus promulgabuntur,non debito forte loco ſederit,aut vocatus fuerit, aut quocumque modo votum protulerit; aut quemcumque actum exercuerit, nulli ob id præjudicium generatum, aut novum jus in futurum acquiſitum eſſe decernimus.

Ex Concilii Tridentini decreto Epiſcopi nulli Metropolitano ſubjecti, ſemel aliquem eligere debent.

CAP. III.

Abbates Epiſcopali juriſdictione non fungentes deciſivum votum in Synodo non habent: nec Procuratores Epiſcoporum, aut Capitulorum.

STatuendum præterea eſſe duximus, ut nullus Abbas, qui Monaſterium in titulum non obtineat, & Epiſcopali juriſdictione non fungatur, decernendi in Synodo votum habeat. Itemque, ut nullus Epiſcoporum, aut Capitulorum Procurator, ſtatuendi, vel decernendi, & votum dandi in Synodo, ſed ſolum rerum proponendarum cauſa admittatur.

Indi-

Indictio futuræ Sessionis.

Rever. Patres. Placet ne vobis, ut proximam Seſſionem habeamus ad diem xiv. præſentis menſis, ita tamen, ut dictum terminum in congregatione generali contrahere, & prorogare libere poſſimus, ſicuti rebus Concilii conducere judicabimus?

Reſponderunt. Placet.

SESSIO II.

Celebrata die xiv. menſis Aprilis M. DLXVII.

TITULUS I.

De profeſſione Fidei præſtanda, & decretis Concilii Tridentini recipiendis.

CAP. UN.

Epiſcopi, quæ de fidei profeſſione in Tridentino Concilio ſtatuta ſunt, ſervanda curent. In prima quaque Diœceſana Synodo eamdem præſtent, & præſtari faciant. Tridentini Concilii decreta integre recipiantur.

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Cum inter omnes paſtoralis officii ſollicitudines, illa potiſſimum prima eſſe debeat, ut Fides Catholica, quam Sacroſancta Romana Eccleſia tenet, & ſolidæ petræ fundamento nititur, incorrupta in hac Provincia, ſinceraque permaneat, & omnes in ejus puritate immobiles, inviolatique perſiſtant; illud in primis, ſacri Tridentini Concilii decreta ſequuti, ſtatuendum eſſe duximus, ut omnes hujus Provinciæ Epiſcopi, omnia, quæ de profeſſione fidei præſtanda, decretiſque Concilii palam recipiendis ſtatuta ſunt, ſervari diligenter curent, tam ab his, qui ex Decreto Concilii, quam etiam ab illis, qui ex conſtitutione Pii IV. hoc facere, & præſtare debent. Idque iiſdem verbis, quibus idem Pontifex præſcripta formula fieri mandavit, omnino faciendum curent: & Diœceſanis Synodis, quæ primo quoque tempore celebrabuntur, eamdem fidei profeſſionem præſtent, & præſtari ab aliis faciant: quemadmodum ante omnia Nos cum Coepiſcopis noſtris eadem formula præſtitimus: & omnia, & ſingula, quæ a Sacroſancto Tridentino Concilio decreta, & ſtatuta ſunt, palam, & integre recepimus, atque ea ſervanda omnino decernimus.

TITULUS II.

De tuendæ fidei cura, & diligentia ab Epiſcopis habenda.

CAP. I.

Valdenſes, aliique hæretici per Parochos diligenter obſerventur: deprehenſi ad Epiſcopos, vel S. Inquiſitionis officium deferantur. Epiſcopi loca, in quibus ii verſantur, viſitent: eos, qui hæreſes abjurarunt, obſervent.

Præcipimus vero, ut in eam maxime curam Epiſcopi incumbant, ut a Parochis obſerventur quidam, qui ex Provincia Narborenſi in eorum Diœceſes commigraſſe dicuntur, & qui Valdeſii vocantur, aut alii quicumque quocumque nomine appellentur, qui ſecreto hæreſes ſerere exiſtimantur; eiſque mandent, ut de ipſorum vitæ conſuetudine, & ratione diligenter exquirant; & ſi illos dicto, vel facto a fide orthodoxa devios cognoverint, rem ad Epiſcopos deferant: ut vel ipſi pro Paſtorali officio eam cognoſcant, & in eos, quos deliquiſſe compertum fuerit, animadvertant; vel eorum nomina ſancto Inquiſitionis officio deferant. Ipſi etiam Epiſcopi præcipue hujuſmodi homines obſervent, & loca, in quibus eos verſari conſtiterit, ſæpiſſime viſitent: ut quod maxime ipſis agendum proponitur, quod eſt attendere ſibi, & univerſo gregi, in quo eos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam proprio ſanguine acquiſivit, re ipſa expleant; ne quod in Evangelio dicitur, eveniat: Matth. 13. *Cum dormirent homines, venit inimicus homo, & ſuperſeminavit zizania*, doctrinæ nimirum, & morum corruptionem. Eos quoque, qui hæreſes, in quibus aliquando fuerant, abjurarunt, præcipua Epiſcoporum cura erit obſervare, num recte ambulent in via mandatorum Domini, & Catholicæ Eccleſiæ præceptis, & injunctam a ſancto Inquiſitionis officio pœnitentiam ſervent: num (quæ ut plurimum iſtiuſmodi hominum conſuetudo eſt) priſtinum errorem re, vel verbis quoquo modo tenere præſeferant, aut aliud quid faciant, quo eos fugiendæ pœnæ, non deſerendi erroris cauſa, abjuraſſe appareat. Abjurantes hæreſes qua cura Epiſcopi obſervare debent?

CAP. II.

Libri prohibiti, aut expurgandi ne imprimantur, legantur, conſerventur. Recens compoſiti, ante Epiſcopi examen, ne imprimantur.

Mandamus etiam, ut curent Epiſcopi, ne libri vetiti, vel quorum purgationem fieri decretum eſt, per Indicem decreto Tridentini Concilii ex auctoritate Pii IV. editum, alicubi imprimantur, legantur, & conſerventur, ne quidue recens editum imprimatur, aut palam, aut occulte legatur, aut vendatur, vel retineatur, niſi ab ipſis Epiſcopis, Decretum Concilii Tridentini in impreſſione librorum ſervandum.

pis, aut ab his, quibus ipſi hoc onus delegandum duxerint, prius examinatum, lectu dignum judicatum fuerit.

TITULUS III.

De Reformatione Græcorum, eorumque erroribus tollendis.

CAP. I.

Græcorum errores recenſentur: quomodo eis occurrendum ſit, præſcribitur.

QUoniam vero in nonnullis Provinciæ hujus Diœceſibus Græci quidam, vulgo Albanenſes appellati, commorantur, qui nulla fere Chriſtianæ religionis, & Sacramentorum ritus veſtigia, nec veterum Græcorum, nec Latinorum retinent, ſed ſuis quibuſdam ſuperſtitioſis ritibus utuntur, & in diverſas hæreticas, nefariaſque opiniones prolabuntur, cum inter alias blaſphemias eorum nonnulli aſſerant nullum eſſe purgatorium, Romanique Pontificis nullam in eos juriſdictionem eſſe, nec pro eo (ut ex inſpectis eorum miſſalibus conſtitit) ſed pro pſeudo Patriarcha Conſtantinopolitano ſchiſmatico, atque hæretico orare in Miſſa reperiantur, indulgentias a Summis Pontificibus conceſſas damnent, Eccleſiaſticas ſententias, & cenſuras ſpernant, Sanctiſſimæ Dei genitricis, ac Beatorum Apoſtolorum, aliorumque Dei Sanctorum feſtivitates ab Eccleſia Romana, Sanctiſque Patribus ordinatas non obſervent, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuis infantibus in baptiſmo in unius, aut duorum annorum ætate conſtitutis ex neceſſitate ſalutis (quod Tridentina Synodus ſub anathematis pœna damnavit) exhibendum aſſerant, exhibeantque, illudque ſæpe inter cæpas, & allia ſervent, ægrotiſque, nulla adhibita reverentia, in ſacculis, aliiſque minus honeſtis locis deferant, inhumata defunctorum cadavera, ſuperſtitione quadam impia, e ſepulcris eruant, oleoque perfuſa igne comburant; ac uxores, quas matrimonii vinculo ſibi copulaverant, in adulterio deprehenſas repudient; aliaſque, primis dimiſſis, uxores ducant, idque licuiſſe, & licere pertinaciter aſſerere non erubeſcant, quod prohibet, & hæreticum eſſe decrevit eadem Tridentina Synodus, atque alia hujuſmodi faciant magno Latinorum, quibuſcum vivunt, & aſſidue verſantur, periculo, ne eorum contagione polluantur, ſtatuimus, ut Epiſcopi, quorum in Diœceſibus hujuſmodi homines verſantur, ipſos purgatorii veritatem doceant, & doceri a Parochis, aliiſque verbi Dei concionatoribus faciant, animaſque illorum, qui ſuſcepta pœnitentia, eaque non peracta, vel qui ſine mortali peccato, cum venialibus tantum decedunt, purgari poſt mortem, & poſſe ſuffragiis Eccleſiæ adjuvari, juxta Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, præcipiantque, ut in miſſa pro Pontifice Romano, & pro Epiſcopo, in cujus Diœceſi commorantur, orent, non autem pro pſeudo Archiepiſcopo, ſeu Patriarcha Conſtantinopolitano, quemadmodum hactenus feciſſe reperiuntur. In ipſorum Græcorum Eccleſiis indulgentias a Summo Pontifice frequenter impetrent; & Epiſcopi, quas auctoritate ſua tradere poterunt, largiantur; deque ipſarum indulgentiarum vi, & uſu in Eccleſia Catholica erudiant. Cenſuras Eccleſiaſticas ſub graviſſimis pœnis, prout eis videbitur, obſervari mandent; ut eas ſaltem formidine pœnæ timere aſſueſcant. Curent denique, ut extirpatis hæreſibus, rejectiſque ſuperſtitionibus, & erroribus, verum Eccleſiæ Catholicæ ritum obſervent: omneſque in locis Latinorum commorantes (ne Latinis, inter quos Græcos ipſos habitare contigerit, ſcandalo quoquo modo ſint) in feſtivitatibus, quas Latini obſervant, laborare non audeant. In eorum vero propriis Terris, & locis, in quibus Latini non habitant, præter feſtivitates ipſorum Græcorum ritu injunctas, etiam Latinorum feſtivitates, ſicut in Concilio Florentino decretum fuit, obſervent: ſi ſecus fecerint, in eos pro modo culpæ ſevere animadvertant: cum ex conſtitutione Pii IV. eorum juriſdictioni ſubjiciantur, ipſorumque viſitationi, correctioni, punitioni, & omnimodæ ſuperioritati in præmiſſis ſubeſſe, illiſque, tanquam Superioribus ſuis, ſuarumque animarum Paſtoribus, humiliter obedire teneantur.

Albanenſium in Benevent. Provincia commorantium enumerantur errores.

Statuta ad enumeratos errores extirpandos.

Græci in Italia commorantes ſtatuto Pii IV. Latinis Epiſcopis ſubjacent.

CAP. II.

In baptiſmate, & confirmatione aliud, quam ab Epiſcopo benedictum, oleum ne adhibeatur. Chriſma Epiſcopus tantum miniſtret. Extrema unctio debitis temporibus accipiatur. In contravenientes Græcos Epiſcopi pro arbitrio animadvertant.

CUm autem re ipſa compertum ſit in ſacri Baptiſmi Confirmationis, & Extremæ unctionis Sacramentis adminiſtrandis, Græcorum hujuſmodi Sacerdotes correctione indigere; cum in Baptiſmi adminiſtratione eo Oleo ſancto utantur, quod ab ipſis Græcis Presbyteris benedictum eſt, & Sacramentum Confirmationis, & Chriſmatis ipſi Presbyteri ſtatim poſt Baptiſmi ſuſceptionem fidelibus exhibeant, & exhibendum aſſerant, coſque non amplius ab Epiſcopo ſignandos, & confirmandos eſſe; in Extremæ vero unctionis Sacramento adminiſtrando, eo Oleo utantur, quod ſeptem

Quonam oleo Sancto Sacerd. Græci utebantur?

ptem ex ipſis Presbyteris hujus rei cauſsa benedicunt, non autem eo, quod ab Epiſcopis benedicitur, atque hujuſmodi Sacramentum infirmis, niſi ipſis petentibus, aut ſuorum Confeſſorum adhibito conſilio, non miniſtrent, magno ſane periculo, ne abſque eo aliqui ex hac vita decedant, & hujus Sacramenti fructu priventur. Quare mandamus, ut Epiſcopi, quorum in Diœceſibus hujuſmodi Græci Presbyteri commorantur, curent, ne in Baptiſmi adminiſtratione, alio ſancto Oleo, alioque Chriſmate, quam, quod ab ipſis Epiſcopis fuerit benedictum, adhibeant, neve ipſum ſanctum Chriſma, & ſacra Olea cathecumenorum, & infirmorum ab aliis, quam ipſorum Cathedralibus Eccleſiis ſuſcipiant; neve eis, alio quam Rom. Eccleſiæ ritu, utantur. Confirmationis vero Sacramentum Græcis omnibus præcipiant, ut cum devotione congruis temporibus ab ipſiſmet, tanquam ſuis Ordinariis, atque ad id præcipuis, ſoliſque Miniſtris ſuſcipiant, doceantque ipſos a temporibus Apoſtolorum ritum hunc in Eccleſia ſervatum eſſe, nullique alteri, quam Epiſcopo ſanctum hoc Confirmationis Sacramentum miniſtrare licuiſſe. Omnem præterea diligentiam, & ſollicitudinem adhibeant Epiſcopi, ut infirmi omnes, qui Græcorum ritu viventes, in eorum Diœceſibus extiterint, debitis temporibus Extremæ unctionis Sacramentum, tanquam verum, & a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a Beato Jacobo Apoſtolo promulgatum, ut ex Apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia didicit, accipiant: præcipiantque Græcis Presbyteris, ne illud miniſtrare etiam non petentibus omittant, præſertim cum infirmi tam periculoſe ægrotant, ut in exitu vitæ conſtituti videantur. Quod ſi ſecus, quam decretum, præceptumque eſt, tam in Baptiſmi, & Confirmationis, quam in Extremæ unctionis, aliiſque Eccleſiæ Sacramentis adminiſtrandis, aut recipiendis, & in omnibus prædictis Sacerdotes, aut Laici fecerint, in eos Epiſcopi ipſorum arbitrio animadvertant, eoſque, ſi videbitur, ex ipſorum Diœceſibus ejiciant.

Oleo ab Epiſcopis benedicto in baptiſmo, & chriſmate Sacerdotes Græci uti debent.

Extremæ unctionis Sacramentum a Chriſto inſtitutum & D. Jacobo promulgatum.

CAP. III.

Latini in latinis Eccleſiis, & Græci in Græcis celebrent, ac Sacramenta miniſtrent, ſuo quique ritu.

SEd quoniam Græci in nonnullis Provinciæ hujus locis Latinis permixti, ut dictum eſt, habitant, eædemque Latinis, Græciſque Eccleſiæ promiſcuæ ſunt, cum in ipſis utrique eorum ritu Miſſam celebrent, Sacramentumque Euchariſtiæ adminiſtrent; decernimus, ut Epiſcopi curent, ne Græcis in Latinorum Eccleſiis celebrare liceat, Sacramentumve Altaris miniſtrare, ſed præcipiant, ut in propriis Eccleſiis recte Græco ſuo utentes ritu hoc faciant, itidemque, ut Latini proprias Eccleſias habeant, ut ſuo muneri ſatiſfaciant; ne, cum Græcis ipſis mos ſit in fermentato, & ſub utraque ſpecie Laicos confeſſos communicare, panemque abſciſſum ex eo, ex quo hoſtia conſecranda conficitur, benedictum inter Miſſam Laicis non confeſſis dare, Latino, & Romanæ Eccleſiæ ritu utentibus, in ipſorum animarum perniciem ſcandalum generetur, aut quoquo modo ſimplices in eorum ritum inducantur.

Prohibetur Sacerdotibus Latinis, ne cum Græcis in fermentato, & ſub utraque ſpecie laicos communicent.

CAP. IV.

Græci a Conſtantinopolitano Patriarcha ſchiſmatico ad ordines promoti an ſint tolerandi, Metropolita ad Romanum Pontificem deferat. In poſterum nonniſi a propriis Ordinariis ſtato ritu, ac tempore ordinentur.

CUmque de Sacerdotum Græcorum tam inferiorum, quam eorum, qui Epiſcopi eſſe ab ipſis dicuntur, ordinibus nihil certi ſciatur, an eos ſuſceperint, vel quo ritu; cumque in has Italiæ partes a Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitano mittantur, quem certum eſt ſchiſmaticum, & a ſchiſmaticis ordinatum, optat hæc Provincialis Synodus a Metropolitano hanc rem Sanct. D. N. conſiderandam, & Sanctitatis ſuæ judicio providendam, propoſitum iri: & qui hactenus ab eodem Pſeudopatriarcha ordinati reperiuntur, & ſi fortaſſe tolerandi ſint, non aliter tamen, quam ſi Sanctitati ſuæ ita viſum fuerit, tolerentur. In poſterum vero non ordinentur, niſi a Catholicis Epiſcopis, in quorum Diœceſibus habitant: & juxta Romanæ Eccleſiæ ritum, ſeptem illis ordines, ſtatutis ab Eccleſia temporibus, conferantur.

CAP. V.

Græci ſingulatim viventes ab Epiſcopis in unum cogantur, conſulto per Metropolitam Romano Pontifice.

OPtat etiam ipſa Synodus, ut cum ex Græcis ipſis aliqui ſingulatim in diverſis locis Provinciæ habitent, nec Græcorum aliquas Eccleſias habeant, quo pro Scramentis ſuſcipiendis, diviniſque officiis audiendis convenire poſſint, nec Latinorum Eccleſias adeant; Metropolitanus a Summo Pontifice impetret, ut Epiſcopis facultatem concedat ipſos pro ſuo officio cogendi, ut vel Latino ritu utentes Eccleſiaſtica Sacramenta ſuſcipiant: vel in certum aliquem Græcorum locum, ubi eorum Sacerdotes commorentur, habitatum eant; aut Sacerdotes idoneos eorum

more

more celebrantes conducant, ut Chriſtiane ſuo ritu vivant; ne ipſorum abſque ulla religione viventium exemplo, & conſuetudine ſimplices Chriſtifideles polluantur.

CAP. VI.

Spiritus Sancti proceſſio an recte a Græcis credatur, Epiſcopi per deputatos exquirant. Siqui in errore perſiſtunt, tanquam hæretici puniantur.

Quid in Conciliis de proceſſione Spiritus Sancti ſtatutum ſit?

CUm vero Græcorum ipſorum neminem fere eſſe audiamus, qui adhuc pertinaciter non credat, & teneat Spiritum Sanctum ex Patre ſolum procedere, quod in Conciliis Lugdunenſi, & Florentino damnatum fuit; ſtatuimus, ut ab Epiſcopis aliqui deputentur, qui a Græcis ipſis diligenter exquirant, num aliter, quam Romana Eccleſia Catholica credit, de Spiritus Sancti proceſſione teneant: & ſi quos in errore perſiſtere repererint, in eos, tamquam de hæreſi ſuſpectos procedant, & ab eorum Diœceſibus eiiciant.

CAP. VII.

In miſſarum, ceterorumq; Divinorum officiorum celebratione Pii V. conſtitutio a Græcis ſervetur. Si quid aliud abſonum ab eis fieri comperiatur, emendari omnino procurandum.

QUoad vero celebrationem Miſſarum, ceterorumque divinorum officiorum, præcipimus Epiſcopis, ut ab eiſdem Grecis ſervandam curent Conſtitutionem S.D.N. Pii Quinti, qua facultates conceſſæ Græcis Latino, & Latinis Græco ritu Miſſas, & alia Divina officia celebrandi revocantur; ſi quid aliud ab eiſdem fieri cognoverint, quod Chriſtianæ religioni, & ſanæ doctrinæ repugnare videatur, illud emendari, aut omnino aboleri quamprimum procurent: quod ſi neglexerint, graviſſimo deſerti gregis crimine obſtrictos ſeſe eſſe ſciant.

TITULUS IV.

De Incantationibus, Magicis artibus, divinationibuſque tollendis.

CAP. I.

Incantationes, & Dæmonum præſtigiæ eliminentur. Alia exercentes Canonicis pœnis coerceantur: Arcanis quibuſdam morbos abigere, & inducere profitentes, eoſque conſulentes, nec non futurorum, theſaurorumque commoſtrationem promittentes expellantur.

INcantationes, quibus tam Græci ipſi, quam aliorum Provincialium plurimi, maxime addicti eſſe dicuntur, Epiſcopi redarguant, vanaſque, & Dæmonum præſtigias, quibus hominibus mentes decipiant, & a fide avertant, eſſe oſtendant. Quod ſi eo crimine pollutos, aut magicis artibus, ſortilegiis, auguriis, corporum inſpectionibus, ac aliis hujuſmodi deliramentis, eorum, quæ Deus poſuit in ſua poteſtate, & ex libero hominum arbitrio proveniunt, divinationem promittentes eſſe aliquos compertum fuerit; Epiſcopi juxta canonicas ſententias puniant, & coerceant, & e cœtu fidelium ejiciant: itidemque in eos animadvertant, qui ſe arcanis quibuſdam morbos abigere, & inducere, & horum ſimilia facere poſſe profitentur: parique pœna afficiant, qui eos quacumque in re hujuſmodi conſuluerint. Eos item, qui furtorum, theſaurorumque abſconditorum, & hujus generis rerum, quibus curioſi, & imperiti decipiuntur, commoſtrationem promittunt, omnino expellant.

CAP. II.

Ad Fidei puritatem conſervandam, Regiam, ſæcularemque omnem poteſtatem obteſtatur, ut cum opus fuerit, auxilium præſtent.

UT vero Epiſcopi omnia tam quæ ad Fidei Catholicæ puritatem conſervandam, & hæreſes amputandas, quam quæ ad Græcorum, ceterorumque abuſus, erroreſque tollendos pertinent, commodius, & facilius efficere, & in ceteris officio ſuo fungi valeant; Philippum Sereniſſimum Regem Catholicum, Proregemq; in Regno Neapolitano, & ceteros Principes, & Dominos, Civitatumque Magiſtratus per viſcera miſericordiæ Dei noſtri hortamur, obſecrâmuſque, ut pro ſuo in Chriſtianam Religionem ſtudio, & pietate, proque ea, quæ illis a Deo conceſſa eſt, ad Eccleſiam ipſius defendendam, rebelleſque in officio continendos, poteſtate, Epiſcopis in his omnibus exequendis, cum ab eis requiſiti fuerint, & in inquiſitionis officio faveant, ſuumque ex animo patrocinium, auctoritatemque præſtent.

TITULUS V.

De Fidei principiis a Parochis tradendis, & Scholæ Magiſtris.

CAP. I.

Parochi ſtata hora ſuis in Parochiis Dominicis, feſtiſque diebus pueros Fidei rudimenta edoceant: idem a parentibus fieri curent.

CUm pueri a primis ætatis temporibus maxime inſtituendi ſint, & Fidei principiis imbuendi, quibus quaſi lacte nutri-

nutriri, ſolido poſtea ipſius cibo, ceterarumque virtutum incrementis augeantur; Parochis hujus Provinciæ omnibus mandamus, ut ſinguli ſtata hora in ſuas Parochias, Dominicis, & Feſtis diebus pueros convocent, eoſque initia Fidei doceant & doctrina Chriſtiana ſummatim erudiant, utque honeſte domi, foriſque, & compoſitè vitam gerant, admoneant: eorumque Parentes, ut idem domi faciant, hortentur: proprioſque liberos bonis moribus verbo, & exemplo inſtituant: ea, quæ ad Chriſtianam doctrinam pertinent, ſedulo doceant, crebro eadem repetentes, quæ a Parochis edocti fuerint.

CAP. II.

Hortantur Communitates Laicorum, ut Magiſtros Scholarum conducant. Si locorum paupertas non ſinat, Parochi pueros docendi munus præſtent.

HOrtamur vero vehementer omnes, quibus Civitatum, aliorumque locorum publica commiſſa cura eſt, ut pro edocendis pueris Magiſtros conducant, qui non ſolum grammatica, iiſque artibus, quibus ad humanitatem illa ætas informari ſolet, ſed etiam doctrina Chriſtiana, boniſque moribus inſtituant: ne quid, quod pietati, religionique repugnare videatur, imbibant, quod poſtea difficile ſit, ut exhauriri, & expurgari poſſit: diebuſque feſtis hæc illis præcipue cura ſit, ut in his potiſſimum, quæ ad religionem ſpectant, adoleſcentes verſentur, & exerceantur: ceteraque ſedulo curent, quæ Leonis Decimi decreto in Concilio Lateranenſi edito continentur. Si vero propter locorum tenuitatem, incolarumque paupertatem Magiſtri grammaticæ conduci non poterunt; Parochi, cum illis ab aliis neceſſariis eorum officio incumbentibus negotiis otium erit, hoc munus pueros docendi quomodocumque poterunt, aſſumant.

Decreti Concilii Lateranen. ſub Leone X. editi obſervantia inculcatur.

TITULUS VI.

De præbenda Theologali.

CAP. I.

In Cathedralibus, aut inſignibus Collegiatis quamprimum Theologalis præbenda ſtatuatur. Donec ſæcularis Theologus deſit, alicui regulari munus demandetur, cui ſalarium ex ipſis Eccleſiarum reditibus decretum ſit. Hujuſmodi fructus ſi tenues fuerint, ex beneficiis (etiam Capitulo, & Clero convocatis) detrahatur.

PAuli Apoſtoli ad Timotheum admonitione docemur incumbendum eſſe lectioni, & in ſacrarum ſcripturarum, & canonum meditatione aſſidue verſandum, cum multorum ſanctorum Patrum, tum etiam ſacrorum Conciliorum, & præſertim Toletani quarti decreto jubemur. Quare cum Tridentina Synodus decreverit, ut quibus in Eccleſiis Cathedralibus, aut Collegiatis inſignibus præbenda, aut ſtipendium ſacræ Theologiæ Doctori, & interpreti aſſignatum non exiſtit, primo quoque tempore ſtatuatur, ne hoc tam utile, & neceſſarium munus omittatur, ſtatuimus, ut Epiſcopi hoc quamprimum exequi ſtudeant: & donec Theologus aliquis ſecularis reperietur, cui ex decreto Concilii Canonicatus, & præbenda, aut ſtipendium hujuſmodi certum conſtituatur, ut eo munere perpetuo fungatur, alicui cujuſcumque ordinis regulari, ipſius Superioris habita licentia, id pro tempore oneris injungant: cui ex fructibus hujuſmodi Eccleſiarum, ipſarum Miniſtris pro rata detrahendis, ſalarium decernatur, aut dicti Canonicatus, & præbendæ fructus aſſignentur, quibus hoc munus præſtiturus commode ſe alere, & ſuſtinere valeat. Quod ſi Cathedralium, aut Collegiatarum hujuſmodi fructus ita tenues fuerint, ut hoc detrahi non poſſit, ex aliorum quorumcumque beneficiorum Civitatis, & Diœceſis etiam (ſi videbitur) convocatis ad hoc Capitulo, & Clero, fructibus detrahant, ut hoc quamprimum ſanctum opus perficiatur.

Regularis, cui theologale munus imponitur, ſui Superioris licentiam habeat.

CAP. II.

Sacram Scripturam interpretantes facili utantur interpretatione, quæq; ad Chriſtianam doctrinam pertinent, exponant. Canonici, & Clerici intereſſe non omittant.

HI vero, quibus Sacram Scripturam interpretandi munus incumbet, ſedulo dent operam, ut quoniam non omnes auditores eodem ſunt ingenio prædìti, facili quadam utantur interpretatione: & ex ipſis Sacræ Scripturæ locis quotidie, vel de Sacramentis, vel de articulis fidei, deque aliis ad Chriſtianam doctrinam ſpectantibus aliquid exponant, quod auditorum ſaluti ſpirituali prodeſſe valeat. Omnes vero Canonici, ceterique Civitatis, & Diœceſis Clerici, ſi commode id fieri poterit, hujuſmodi Sacræ Scripturæ lectioni, & interpretationi aſſidue, & attente intereſſe ſtudebunt, ut divinis ſtudiis animum excolant, quo aliis poſtmodum ipſi prodeſſe valeant, & otii, quod fugere debent, omnino ipſis ratio conſtet.

Ex Sacræ Scripturæ lectione quæ bona oriuntur?

TITULUS VII.

De Prædicatione verbi Dei.

CAP. I.

Epiſcopi propriis præſertim in Eccleſiis ad prædicationem hortantur. Id ſi per ſe ipſos expere nequeant, idoneos deligant viros.

SAnctum miniſterium prædicandi verbum Dei ob ipſius excellentiam ceteris omnibus præſtat, & Chriſti domini verbis, Apoſtolis, in quorum locum Epiſcopi ſucceſſerunt, præcipue injunctum. Marc. cap. 16. *Euntes enim* dixit *in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Quod ipſi, & verbis, & ſcriptis præſtiterunt. Et Apoſtolus Paulus Timotheum inſtruens commonefecit, ut opus faceret Evangeliſtæ, verbum prædicaret, miniſterium ſuum impleret. Quare Chriſti doctrina, & Apoſtolorum exemplo, & Concilii Tridentini decretis innixi, Epiſcopos vehementer in Domino hortamur, ut ipſimet, in ſuis Eccleſiis præſertim, populos ſibi commiſſos ſalutari Dei pabulo alant. Quod ſi ſe huic muneri obeundo imparatos aliquando judicaverint, confidant in eo, qui infantium linguas facit diſertas, meminerintque verbi Domini dicentis, Matth. 10. cap. *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Noverintque Epiſcopi, proprii Paſtoris voce utcumque ad ædificationem prolata, greges ſibi traditos maxime commotum iri, & ad pietatem eſſe profecturos, ſine ullis phaleris, & ornamento verborum. Si vero aliquando ita vere impediti fuerint, ut hoc munus per ſe ipſos explere nequeant, idoneos viros deligant, quibus illud demandandum curent, quorum vita doctrinæ reſpondeat, ne plus exemplo deſtruant, quam verbo ædificent.

Ad prædicandum idonei viri deligendi ſunt.

CAP. II.

Parochi Adventus, & Quadrageſimæ tempore, aliiſque Dominicis ſaltem, feſtiſque diebus Parochianis prædicent. Catechiſmum ad id præ manibus habeant. Rudes Parochi a peritioribus Sacerdotibus addiſcant, vel ſi Theologus cum theologali prabenda deſit, Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, Regularem aliquem in Monaſteriis detineri curabunt ad eorum ignorantiam ſublevandam.

PArochis vero, & aliis curam animarum habentibus mandamus, ut memores ipſorum vocationis, & officii, fideles verbi Dei diſpenſatores exiſtant, plebeſque eorum curæ commiſſas optima primum, & Chriſtiana ipſorum inſtituto convenietē vitæ ratione, deinde verbi Dei prædicatione, & miniſtratione paſcant. Quod adventus Domini, & Quadrageſimæ tempore, & omnibus aliis Dominicis ſaltem, & ſolemnibus feſtis omnino ne omittant: eaque in re pro ſua eruditione, illorumque, quibus prædicaverint, captu, & intelligentia, ſermonem attemperent. Et cum præcipua ipſis cura eſſe debeat, ut in articulis fidei, qui Symbolo Apoſtolorum continentur, præceptis Decalogi, Eccleſiæ Sacramentis, & orationis Dominicæ explicatione commiſſum ſibi populum erudiant; ad hoc munus explendum Catechiſmum, qui Pii V. Pontificis juſſu editus eſt, aſſidue præ manibus habeant; ut hæc omnia ſecundum ſanam, & Eccleſiaſticam doctrinam docere valeant. Si vero ita rudes nonnulli reperiantur, qui id ſine aliquo præceptore, & doctore præſtare nequeant, ſi eis de vicariis idoneis provideri non poterit, cogantur ab Epiſcopis peritiores Sacerdotes adire, a quibus, quod ipſi neſciunt, addiſcant: vel Regularem aliquem, quem iidem Epiſcopi ex auctoritate Concilii Tridentini, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, curabunt in Monachorum, Regulariumque aliorum Monaſteriis, ubi commode fieri queat, detineri, ut Sacram Scripturam interpretetur, tum ad Novitiorum, qui in Monaſteriis commorabuntur, inſtitutionem, tum etiam ad iſtorum, cum opus fuerit, & ab eis conſultus fuerit, ignorantiam ſublevandum. Ubi vero Theologus cum præbenda theologali, vel eo, quo ſupra dictum eſt, modo inſtitutus fuerit, ipſum adeant, ut ab eo, quoad fieri potuerit, erudiantur.

In quibus erudire Parochi ſuum populum debent?

Defectu ſecularis Theologi Regularis aſſumatur ad indoctos inſtruendos

CAP. III.

Quid Concionatores obſervare in concionibus debeant, explicatur. Epiſcopi ipſi, niſi prædicent, & Clerici omnes interſint. Cum inter Miſſam prædicandum eſt, ſtatim poſt Evangelium fiat.

CEteris vero verbo Dei concionatoribus, quibus Epiſcopi in ſuis Eccleſiis, & Diœceſibus prædicandi munus concedendum merito judicaverint, aliiſque, qui quacumque ratione eo officio fungentur, præſcribant Epiſcopi, a quibus in prædicatione dicendis abſtinendum, & quæ maxime pro regionum, & locorum ratione ſæpius inculcanda, & repetenda exiſtimaverint: præcipueque, ut diligentius ſuſcepta prædicandi provincia gubernetur, eos admoneant, ne ſe exiſtiment alicui levi muneri, ſed o-

muium graviſſimo præfectos eſſe,& difficillimo: magnam in hominibus eſſe varietatem oſtendant, non eumdem omnibus eſſe guſtum, aliquibus dulcia, nonnullis acria magis placere, aliquos eruditos, quamplurimos rudes, & ignaros eſſe. Itaque illis curandum eſſe, ut quoad fieri poterit, omnibus ſatisfaciant, ſermonemque ad omnium ædificationem; captumque accomodent; ne vento doctrinarum, tanquam nubes ſine aqua, circumferantur: loquacitatem vitent: ea,quæ quæſtionem magis, quam ædificationem præſtant, fugiant. Maledictis, ſcommatis, conviciis omnino abſtineant. Prædicent pure, ſincere, clare, abſque ulla ambiguitate,& diſputatione Dei verbum, juxta Eccleſiæ traditionem, & ſanctorum Patrum interpretationem. Nihil aſseverent de iis, quorum Eccleſiæ diffinitio non exiſtit. Crimina acriter redarguant, ita ut criminum, non perſonarum odio id facere exiſtimentur. In dignitate, & magiſtratu conſtitutos fraterne admoneant. Pro illis, juxta Apoſtoli doctrinam, populum, ut Deo preces effundat, commoneant: oſtendantque illis, & poteſtatibus omnibus eſse obtemperandum, etiam diſcolis. Nominatim quemquam ne accuſent. Formam denique in omnibus habeant ſanorum verborum a veritate Eccleſiaſtica nihil omnino diſcrepantium. Illorum temeritatem, qui Sacræ Scripturæ verba, vel ſententias ſerio, vel joco ad profanos ſenſus detorquent, & in parabolam, & proverbium vertunt, atque ad excuſandas excuſationes in peccatis verbum Dei adulterant, vehementer de hujus criminis gravitate admoneant. Commendent populo Eccleſiaſticos mores, ritus, & cæremonias, quibus Catholica Eccleſia utitur: quanta in his lateant myſteria, eaque omnia ad animarum ſalutem pertinentia, oſtendant. Atque hæc omnia & alia, prout ipſis magis expedire videbitur, curent Epiſcopi, ut a concionatoribus obſerventur: quorum concionibus, cum ipſi prædicare non poterunt, intereſſe ſtudebunt: & omnibus Eccleſiæ Cathedralis, cujuſcumque dignitatis exiſtant, & aliarum Eccleſiarum Clericis quibuſcumque mandent, ut interſint, ut eorum exemplo Laici ad audiendum verbum Dei alacriores reddantur. Iis vero diebus, quibus mane inter Miſsam prædicandum eſt, ſtatim poſt lectum, ſeu decantatum Evangelium, ante offertorium inchoetur prædicatio.

Verbum Dei adulterantes reprehendantur.

Epiſcopi, & Clerici concionibus intereſſe ad ſæcularium exemplum debent.

CAP. IV.

In Diæceſibus, in quibus raro, aut nunquam prædicari ſolet, prædicatores per Epiſcopum diſtribuantur, qui ſemel ſaltem in menſe prædicent. Hoſpitium, & victus iis a Parochis paretur, vel eleemoſynis.

Conc. Prov. Benev.

IN Diœceſibus, & illis præſertim, in quibus raro, aut nunquam prædicari ſolet, curabunt Epiſcopi, ut præter officium ab Eccleſiarum Rectoribus præſtandum, aliquot per loca diſtribuantur prædicatores, qui in eorumdem locorum Parochialibus Eccleſiis, aut aliis, prout ipſis expedire videbitur, ſemel quolibet ſaltem menſe verbum Dei prædicent; quibus ab ipſarum Eccleſiarum Rectoribus hoſpitium, & victum, vel ipſis præ tenuitate redituum id ſuppeditare non valentibus, piorum Chriſtifidelium eleemoſynis ad hunc uſum colligendis, ſubminiſtrandum fore confidimus.

TITULUS VIII.

De repræſentationibus tollendis.

CAP. UN.

Concio de Paſſione Domini mane in aurora habeatur; ſcenicæ actiones, tam in ea, quam in Sanctorum Martyrum actis in ſacro, profanove loco, omnibus interdicantur.

COncionem, qua paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti quotannis exponi ſolet, ea pietate, & gravitate, quam myſterii magnitudo poſtulat, habendam admoneant Epiſcopi, eoſque actus externos ad eam repræſentandam a Concionatoribus admitti patiantur, quos maxime ad auditorum pietatem excitandam, lacrimaſque ciendas ex Eccleſiæ ritu probatos judicaverint: eam vero, niſi mane in aurora recitandam eſse omnino prohibemus. Tragico vero more, & ſcenico, eam, Sanctorumve Martyrum actiones repræſentandi facultas in ſacro, profanove loco, omnibus interdicatur: ne, quod ſæpe accidit, ex hujuſmodi repræſentationibus, pia quidem conſuetudine introductis, hominum tamen malitia eiſdem abutente, deſtruantur potius, quam ædificentur fideles, & pro pietate, & lacrimis, ad riſum, jocumque, & contemptum excitentur.

Qua gravitate, & pietate concio de paſſione ducenda ſit?

TITULUS IX.

De Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum.

CAP. I.

Sanctorum Imagines, non canonice depictas, aut in Eccleſia collocatas, aut emendari, aut amoveri Epiſcopi curent.

ET ſi ſancta Tridentina Synodus late complexa eſt, quæ in ſacris Imaginibus, Sanctorumque Reliquiis, & invocatione

catione ſervanda ab Epiſcopis ſunt; tamen rogandos, commonendoſque eos eſſe duximus, ut in eam maxime curam incumbant, ut in Eccleſia Dei nihil inordinatum, nihil præpoſterum ſit, nihil, quod fidelium oculos, menteſque offendere poſſit, pingendum, collocandum, collocatumve retinendum permittant. Et propterea ſi quod imaginis ſimulacrum, pictum, fictumve, aut Altare non apte, non ſuo loco poſitum, non ea, qua decet latitudine, & reverentia ſervari, teneri, aut alio quovis modo haberi, ex quo vel ſcandalum, vel contemptus oriri poſſit, repererint, id quamprimum emendandum, amovendum, dilatandum, alio transferendum, aut omnino antiquandum curent.

CAP. II.

Studeant Epiſcopi, ut Sanctorum reliquiæ honeſto ſerventur loco; & abſque fuco, aut quæſtus gratia oſtendantur.

Quâ in veneratione ab antiquis SS Patribus, & ſæculi Principibus SS. Reliquiæ habebantur?

SAnctorum reliquiis, quibus, velut Divinæ gratiæ olim receptaculis, & veris Chriſti membris, ac puris Spiritus Sancti domiciliis, tanta priſcis illis, ſanctiſque ſæculis veneratio habebatur, ut ad Martyrum ſepulcra non niſi cum tremore quodam, & horrore homines acceſſiſſe a Beato Chryſoſtomo memoriæ proditum ſit, Regeſque, & Principes ad ea ſæpiſſime cilicio indutos, & proſtratos jacuiſſe legamus, debitum cultum adhiberi maxime curare Epiſcopos decet, utque ab omnibus, quorum in Eccleſiis eas reperiri conſtiterit, ea, qua debent, religione, honeſtiſque in locis conſerventur, populoque, qua convenit, reverentia, cum id fieri pietatis cauſſa æquum viſum fuerit, abſque fuco, ullave quæſtus gratia oſtendantur.

TITULUS X.

De Blaſphemia.

CAP. I.

Pœnæ in blaſphemos ſtatuuntur.

NEfandum, & impium blaſphemiæ ſcelus, quod tam Divinis, quam humanis legibus eſt deteſtatum, & ut ſeveriſſime puniretur, mandatum, omnibus viribus Epiſcopi, & ceteri Judices niti debent, ut quoad fieri poteſt, e medio tollatur, eæque de blaſphemis pœnæ ſumantur, quas antiquorum Canonum, & præſertim Concilii Lateranenſis ſub Leone Decimo celebrati decretis Sanctiſſimus D. N. Pius Quintus innixus, Conſtitutione edita in hujuſmodi delinquentes irrogandas decrevit. Quicumque igitur juxta eamdem ConſtitutionemDeo palam, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, vel ejus glorioſæ Genitrici Virgini Mariæ ſemel maledicere, aut blaſphemiam inferre quocumque modo auſus fuerit, xxv. ducatorum pœna plectatur; ſi ſecundo ad eamdem blaſphemiam devenerit, duplo puniatur: ſi tertio, præter centum ducatorum, exilii etiam pœna mulctetur. Quod ſi plebejus, qui ſolvendo non fuerit, ſemel in eo deliquiſſe deprehenſus fuerit, poſt tergum revinctis manibus, diem integrum permaneat ante fores Eccleſiæ: ſi iterum in eo peccaverit, publice verberibus cædendus per Urbem ducatur: ſi tertio, perforata prius lingua, ad triremes mittatur. Quicumque vero Clericus ſemel hujus criminis reus erit, fructibus unius anni omnium ſuorum beneficiorum, ſecundo beneficiis ipſis privetur: tertio omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Si Clericus nullum obtinuerit beneficium, & in eo deliquerit, primo pœna pecuniaria, vel corporali, arbitrio Judicis, puniatur: ſecundo carceribus mancipetur; tertio degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquis Sanctis blaſphemiam irrogaverit, in eum pro blaſphemiæ, & perſonæ ratione, Judicis arbitratu, animadvertatur. Hæ vero pœnæ omnes, tam pecuniariæ, quam corporales, augeri ab Epiſcopis, ſeu eorum Vicariis poſſint, prout ipſis magis expedire videbitur; pecuniariæ vero piis tantum locis applicentur: delinquentium autem hujuſmodi, qui beneficia obtinuerint, fructus beneficiorum in ipſorum Eccleſiarum utilitatem convertantur.

In Concilio Lateranenſi ſub Leone X. & a Pio V. in blaſphemos pœnæ taxantur.

Clerici blaſphemantes beneficiis, dignitatibuſque privantur.

Pœnæ in Blaſphemos arbitrio Epiſcopi augeri, & minui poſſunt.

TITULUS XI.

De dierum feſtorum cultu, & obſervatione.

CAP. I.

Feſti dies per annum colendi enumerantur: quid in iis fieri prohibitum ſit, oſtenditur.

CUm vero dierum feſtorum obſervatio in Divina lege præcipiatur, & ad Dei cultum maxime pertineat, Epiſcopis mandamus, ut dies feſti, quos ex Sacrorum Canonum decretis Romæ juſſu Sanctiſs. D. N. Pii Quinti præceptum eſt obſervari, ab omnibus in hac Provincia pie, ſancteque obſerventur: Feſti vero dies ſunt, Circumciſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Epiphaniæ, Purificationis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, Sancti Matthiæ, Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Philippi, & Jacobi, Inventionis Sanctæ Crucis, Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Petri, & Pauli, Sancti Jacobi, Sancti Laurentii, Aſſum-

Aſſumptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, Sancti Bartholomæi, Nativitatis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sancti Matthæi, Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli, Sanctorum Simonis, & Judæ, feſtum omnium Sanctorum, Sancti Martini Epiſcopi, Sancti Andreæ, Sancti Thomæ, Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti cum tribus diebus ſequentibus, Sancti Silveſtri Papæ, Dominicæ Reſurrectionis cum duobus diebus ſequentibus, feſtum Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, feſtum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, omnes dies Dominici. Hortamur vero, ut alii dies feſti, qui peculiari quadam devotione, & pia conſuetudine nonnullis in locis Provinciæ hujus obſervari conſuevere, pie, devoteque obſerventur. Mandamusque Epiſcopis, ut curent admonendum populum a Parochis, aliiſque Concionatoribus, quod dies feſti, & præcipue dies Dominicus, a temporibus Apoſtolorum in Eccleſia Dei ſemper celebris fuit: nempe ut tum in unum ab omnibus pariter conveniatur ad audiendum verbum Dei. In iis igitur diebus ab omnibus Divinis Officiis, Miſſæ, & Veſperis ſaltem intendatur, ab omni illicito, & ſervili opere abſtineatur. Mercatus ne fiant: profanæ negotiationes, & judiciorum ſtrepitus conquieſcant: Laicorum conventus, & quæ conſilia appellantur, dum divina celebrantur Officia, diebus feſtis ne fiant; ſed ſi neceſſitas urgeat, poſt Veſperas fieri poterunt. Qui vero in diebus his opus aliquod illicitum feciſſe deprehenſus fuerit, præter Divinam ultionem, & amiſſionem mercium, quas vendet, & animalium, quibus ad vecturam utetur, ex præſcripto Conſtitutionis ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ ſuper hoc editæ, aliis etiam pœnis, Epiſcoporum, & aliorum Judicum, & Magiſtratuum arbitrio, mulctetur. Quos etiam hortamur, ut hæc diligenter obſervari procurent.

Non ſolum negotia, & mercatus, ſed laicorum Conventus, ſeu conſilia in feſtis fieri prohibentur.

CAP. II.

Ludi feria II. poſt Paſcha, aliiſve feſtis diebus publice edi conſueti, probibentur.

Cumque feſta ad hoc in Eccleſia Dei fuerint inſtituta, ut in eis præcipue cultus Deo debita cum veneratione exhibeatur Chriſtiana pietate; abuſum illum, quo feria ſecunda poſt Sanctum Paſcha, ſive aliis ſolemnibus feſtis ludi quidam publice edi conſuevere, cujuſcumque generis ſint, cum hujuſmodi ludis Chriſtianorum oculi, quo tempore maxime oportet ad ſpiritualia provocari, ad peccandi libidinem avertantur, tollendum omnino decernimus.

Per ludos prohibitos Chriſtiani ad libidinem provocantur.

Indictio futuræ sessionis.

Item ſtatuimus, & decernimus proximam futuram Seſſionem tenendam, & celebrandam eſſe feria quarta proxima, quæ erit dies xvi. præſentis menſis Aprilis.

SESSIO III.

Provincialis Synodi Beneventanæ celebrata die xvi. Aprilis mdlxvii.

TITULUS I.

De Sacramentis, eorumque adminiſtratione.

CAP. I.

Epiſcopi, & Parochi pro Sacramentorum adminiſtratione nihil accipiant: populum quid ea præſtent, edoceant.

Cum Sacramentis numero quidem pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus Eccleſiam ſuam colligaverit, illique per ea ſanctificationem, & gratiam contulerit, omni ea quidem ſunt veneratione, & pietate tractanda, & percipienda. Quare præter ea, quæ in eorum adminiſtratione a quampluribus Sanctis Patribus, & Conciliis, & præcipue a Tridentina Synodo ſervanda præcipiuntur, admonendos eſſe duximus, prout in Domino admonemus, Epiſcopos, & Parochos, ut cum eorum ipſi ſint Miniſtri, manus ſuas puras, mundaſque ſervent in Sacramentis adminiſtrandis: pro quibus nihil omnino accipiant, ſed omnia pure, ſincere, ſine labe, labiſve ſuſpicione faciant in domo Domini, nullave quæſtus gratia, aut pecuniæ. Cumque ipſa ſancta Sacramenta, per quæ ſanctificamur, aliud quidem ingerant ſenſibus, aliud autem efficiant; docendus erit tam ab Epiſcopis, quam a Parochis Populus, quid in cujuſlibet ipſorum viſibili exhibitione inviſibiliter agatur, juxta eum ſenſum, qui catechiſmo ſuperius dicto præſcribitur.

Sacramenta numero pauca, ſignificatione præſtantiora ad ſanctificandam Eccleſiā inſtituta.

CAP. II.

Parochi aut in Parochia, aut prope, aut commodo ad miniſtrandum loco ædes habeant: Sacramenta per ſe miniſtrent, niſi neceſſitas urgeat: caveant nequis abſque Sacramentis decedat: Id ſi eorum culpa eveniat, ſevere puniantur.

Parochi in Parochia ipſa, aut juxta Parochiam vicinis ædibus, vel in eo Parochiæ loco, qui ad adminiſtranda Sacramenta, & Altaris, Eccleſiæque miniſterio ſit aptior, continuam habitationem habeant, prout Epiſcopis magis expedire videbitur: ipſique per ſe ipſos, non

per

per ſubſtitutos, niſi neceſſitatis cauſſa, Sacramenta adminiſtrent. Maximam vero diligentiam adhibeant, ne quis e vita diſcedat abſque Sacramentis: quod ſi eorum culpa aliquando acciderit, ſeveriſſime Epiſcoporum arbitratu puniantur.

CAP. III.

Diœceſium fines diſtincti ſint: difficultates de iis amice componantur. Parœciæ per Epiſcopos limitibus terminentur.

ATque ut in Sacramentorum adminiſtratione quid cuique muneris ſit, quæve oves paſcendæ, curandæque unicuique traditæ ſint, perſpiciatur; Epiſcopi diſtinctas Diœceſes habere ſtudebunt, ſicuti recta ratio ex Eccleſiæ veteri inſtituto poſtulat. Si quid vero hujus rei, & eorum Diœceſium finium regundorum gratia, diſcriminis obortum fuerit, vehementer Epiſcopos rogamus, ut per ſe, vel alterius Epiſcopi auctoritate, cui de eo cognoſcendi, & decidendi facultatem tribuant, amice componant, cum non deceat Dei Miniſtros litigare. Parochias, ſi quas confuſas, indiſtinctasque in eorum Diœceſibus eſſe compererint, curent quamprimum Epiſcopi, ut eæ diſtinguantur, ſuisque limitibus terminentur.

Dei Miniſtros litigare non decet.

TITULUS II.

De Baptiſmo.

CAP. I.

Baptiſmus nonniſi in Eccleſia a Sacerdote miniſtretur, ni periculum immineat. Si recte ab alio, quam a Sacerdote in neceſſitatis caſu infans baptizetur, nec objerit, ad Eccleſiam ducendus ad cæremonias explendas.

ATque, cum inter Sacramenta principem locum teneat Baptiſmus, tanquam ceterorum janua, & noſtræ juſtificationis exterius, & viſibile principium, qui a Beato Baſilio ſigillum Fidei vocatur, maxima pietate, & reverentia exhibendus, ſuſcipiendusque eſt. Quare cum optima ratione Sanctis Patribus viſum fuerit, ut in conſpectu Eccleſiæ ſuſcipiatur, nonnullique reperiantur, qui Templum Dei deſpicientes, in privatis domibus ſuos velint baptizari, idque ſuperbiæ magis, quam pietatis cauſſa; ſub excommunicationis pœna præcipimus, ne alibi, quam in Eccleſia, neve ab alio, quam Sacerdote baptiſmus alicui conferatur, niſi imminens neceſſitas, & periculum vitæ urgeat; quo caſu ubique, & a quibuſcumque etiam laicis, & feminis, niſi Clerici, & viri adſint, in forma Eccleſiæ recte conferri poteſt. Quæ ſi ſervata fuerit, & Baptizatus non objerit, ei poſtea in Eccleſia a Sacerdote ritus ſolummodo, & cæremoniæ Eccleſiaſticæ adhibeantur.

Baptiſmus Sacramentorum princeps ſigillum fidei a S. Baſilio nominatur.

CAP. II.

Parochi baptizatorum habeant librum: ſi ad aliam parœciam tranſierint, ſucceſſori tradant: exemplar quotannis ad Epiſcopum tranſmittant: negligentes puniantur. Obſtetrices rectam baptizandi formam edoceantur.

PArochis vero mandamus, ut ſinguli librum conficiant, quo nomina, & cognomina baptizatorum, eorumque parentum, & compatrum contineantur; noteturque an ex legitimo matrimonio, quove die quis natus, & baptizatus fuerit. Quem librum, ſi quis ab una ad aliam Parochiam tranſierit, ſucceſſori relinquat. Hunc vero librum annis ſingulis confici, confectumque ad ſe afferri Epiſcopi curabunt. Si quos vero non obtemperaſſe compererint, eorum arbitrio puniant. Parochis præterea præcipimus, ut rectam baptizandi formam obſtetrices doceant, ut cum opus fuerit, ea recte uti ſciant.

CAP. III.

Baptiſmales fontes ſtato ab Eccleſia tempore, & ritu benedicantur.

IN nonnullis Eccleſiis hujus Provinciæ Fontes baptiſmales uſque ad Pentecoſtem conficiendos differri audivimus: qui & ſi eo tempore ex veteri Eccleſiæ inſtituto recte fieri poſſent, tamen, ut membra capiti conſonent, mandamus, ut quo a Romana Eccleſia tempore, & ritu fiunt, omnino conficiantur, & ea, qua decet, reverentia conſerventur.

CAP. IV.

Infideles baptizari cupientes a ceteris pro inſtructione ſegregentur. Cathecumeni præſertim grandiores, ni probe inſtructi, ad baptiſmum ne admittantur. Baptizati alicujus probi viri cuſtodiæ per tres menſes tradantur. Sacro fonte lavari cupientes ne impediantur. Neapolitani Proregis auctoritas imploratur.

OPtamus maxime in eam præcipue curam Epiſcopos incumbere, ut ex infidelibus captivi, & qui vulgo ſclavi appellantur, in quibus ſignum aliquod converſionis cognitum fuerit, ut in confeſſione Chriſti nominis ejus fidem agnoſcere, & ſacro Fontis baptiſmate renaſci cupiant, ab aliis ſeparentur, & in domum aliquam, in qua catechizentur, deducantur, ibique omnia, quæ ſcire Chriſtianos oporteat, doceantur. Cathecumeni vero hujuſmodi ne baptizentur, niſi prius dili-

diligenter inſtructi, & examinati fuerint, præſertim ſi natu grandiores extiterint: baptizati autem cum fuerint, alicujus probi viri curæ ſaltem per tres menſes committantur, qui illorum vitam recta, & chriſtiana ratione regat, & moderetur. Ne vero Eccleſia Dei fœtu novæ prolis amplificari impediatur, Proregem Neapolitanum per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obteſtamur, ut pro ſumma ejus auctoritate, præcipiat omnibus, in quorum poteſtate ii homines erunt, ne ad ſacrum baptiſmum cupientes venire impediant, aut quoquo modo retineant: cum certum, exploratumque illis eſſe debeat, ſe nullum majorem quæſtum eſſe facturos, quam ſi hujuſmodi hominum animæ per baptiſmum Chriſto renaſcantur, & lucrifiant.

TITULUS III.

De Sacramento Confirmationis.

CAP. I.

Confirmationis Sacramentum in Diœceſis viſitatione miniſtrandum. Si in Cathedrali fiat, prius edicatur, ut duorum, aut trium locorum Parochiani chriſmandi conveniant ſtatuto tempore. Parochi eorum, & Patrinorum nomina Epiſcopis ſcripto tradant, ut in Archivo ſerventur.

In collatione Chriſmatis confuſio, & tumultus vitandi ſunt.

Epiſcopi, cum ſanctum Chriſma miniſtrandum judicaverint, ut pro Sacramenti hujus arcano myſterio, quo Spiritus Sancti gratia adverſus diaboli tentationes confirmamur, & roboramur, ea, qua decet pietate, & religione ſuſciſcipiatur, & evitetur quoad fieri poteſt confuſio, & tumultus, qui ex multitudine confluentium, non tam eorum, qui ſuſcepturi hoc Sacramentum ſunt, & patrinorum, quam aliorum quorumdam, qui curioſitate quadam ducti eo tempore ad Eccleſias confluunt, ibidemque nihil minus, quam de eo, quod fit, ipſis inſpectantibus, cogitant; optamus, ut dum Diœceſim viſitabunt, ubi opus fuerit, hoc Sacramentum miniſtrent. Si vero in Cathedrali Eccleſia id fecerint, ſingulis quibuſcumque diebus hoc Sacramentum miniſtrare voluerint, duobus, aut tribus locis tantum, ſeu etiam pluribus, prout erunt magis, aut minus frequentes, aliquandiu prius edicant, ut ſtatuto tempore conveniant Sacramentum ſuſcepturi: atque etiam illorum locorum Parochos convenire jubeant, qui deferant deſcripta nomina, & cognomina eorum, qui confirmandi erunt, & Patrinorum, eaque Epiſcopo tradant, ut ab ejus Scriba, & Notario litteris mandentur, & conſerventur in Archivo Epiſcopali.

CAP. II.

Jejunis Chriſma detur, & iis, qui ſeptimum compleverunt annum; faſciæ a Sacerdotibus in Sacrario abluantur, nec in profanos uſus convertantur, ſed aut igni, aut Eccleſiæ mundis uſibus addicendæ: adulta in ætate chriſmandi peccata ſua antea confiteantur, & bonis incumbant operibus.

Aurelianenſis Concilii, & Hugonis Synodalis decreti inconfirmandis obſervantia imponitur.

Curent etiam Epiſcopi, ſi commode id fieri poterit, ut juxta Aurelianenſe Concilium, & hujus Eccleſiæ Beneventanæ decretum in Provinciali Synodo ſub Ugone Archiepiſcopo, Gregorio Undecimo Summo Pontifice, editum, jejunis Chriſma detur, & iis, qui ſeptem ſaltem annorum ætatem compleverint; utque faſciæ illæ lineæ, quibus chriſmatorum frontes obligantur, a Sacerdotibus abluantur in Sacrario, ob reverentiam Sacramenti, & in profanos uſus non convertantur, ſed aut comburantur, aut Eccleſiæ mundis uſibus addicantur, iuxta ejuſdem Synodi Beneventanæ decretum. Si qui vero adulta jam ætate confirmandi erunt, eos Epiſcopi adhortentur, ut peccata ante confiteantur, & jejuniis, aliiſq; bonis operibus incumbant.

CAP. III.

Tam in baptiſmo, quam in confirmatione unus tantum adhibeatur Patrinus, ad ſummum duo. Parochi contractam cognationem edoceant.

In multis Provinciæ hujus locis, tam in baptiſmo, quam in confirmatione, Patrinos fieri plurimos intelligimus. Quare Parochis omnibus mandamus, præcipimuſque Epiſcopis, ut decretum Tridentini Concilii omnino ſervetur: neque plures, quam unus, ſive vir, ſive mulier, aut ad ſummum unus, & una baptizatum, & confirmatum ſuſcipiant; ne cognatio ſpiritualis, quæ ex eo naſcitur, plures attingat: ipſos vero ſuſcipientes, quam cognationem contraxerint, tam in baptiſmo, quam in confirmatione, Parochi doceant, ne ignorantiam poſtmodum excuſare valeant.

CAP. IV.

Regulares, aut Moniales in baptiſmo, aut confirmatione, ne admittantur.

Innovamus etiam ejuſdem Beneventanæ Synodi conſtitutionem, ne in Patrinum tam in Baptiſmo, quam in Confirmatione Regularis aliquis, aut Monialis admittatur, ut omnis familiaritatis occaſio evitetur.

TITULUS IV.

De Sacramento Euchariſtiæ.

CAP. I.

Parochi ſingulis quadrageſimæ Dominicis inter Miſſarum ſolemnia declarent cap. Omnis utriuſq; ſexus. *In illud peccantes Epiſcopo deferant: negligentes Epiſcopi arbitrio puniantur. Qui Paſchalem communionem a proprio Sacerdote ſumere, legitimo detenti impedimento, nolunt, ejus habeant licentiam.*

Sacramenti Euchariſtiæ effectus.

UTinam a Deo Optimo Maximo optando conſequeremur, ut omnes ſuæ ſalutis memores ſtatuto ſaltem ab Eccleſia tempore, ad Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, præmiſſa peccatorum confeſſione, perceptionem devote, & humiliter ſponte accederent, qua gratam Salvatoris noſtri memoriam recenſerent, a malo retraherentur, confortarentur in bono, & ad virtutum, & gratiarum proficerent incrementum. Sed quoniam quamplurimos eſſe intelligimus, qui id facere negligunt, & panem hunc vitæ, qui de Cœlo deſcendit, non ſolum accipere non deſiderant, ſed veluti Capharnaitæ averſantur; mandamus omnibus Parochis, ut in Quadrageſima ſingulis Dominicis diebus Populum eorum curæ commiſſum, inter Miſſarum ſolemnia de eo admoneant, & illi legant, & declarent Capitulum in Concilio Lateranenſi editum, quod incipit, *Omnis utriuſque ſexus*: & quos ſecus, quam in dicto Capitulo præcipitur, feciſſe repererint, eorum nomina ſcripto Epiſcopo deferant, qui contra inobedientes juxta dictam Conſtitutionem procedat. Quod ſi Parochi id facere neglexerint, arbitrio Epiſcopi puniantur. Qui vero ab alio, quam a proprio Sacerdote, aliqua juſta, & legitima cauſſa a Parocho, vel Epiſcopo comprobanda, Paſchali tempore Euchariſtiam ſumere noluerint, habita eorum licentia id faciant; alias, ac ſi in pœnam Canonis incidiſſent, plectantur.

CAP. II.

Epiſcoporum familiares quater in anno communicent.

SEd ut familiares, & domeſtici Epiſcoporum aliis manifeſto exemplo ſint ſint ad vitam chriſtiane inſtituendam, & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacrmentum frequentandum, curent Epiſcopi, ut eorum familiares, qui Sacerdotes non erunt, ſaltem diebus Nativitatis, Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ſacram Euchariſtiam ſumant.

CAP. III.

Publice infamibus, facinoroſis, manifeſte criminoſis, & improbis, vita non immutatis Euchariſtia deneganda.

NE vero hoc Sanctiſſimum Sacramentum impiorum injuriæ, & contemptui exponatur; Parochis mandamus ex Sanctorum Patrum decreto, & inſtitutione, ne publice infamibus, & facinoroſis hominibus, manifeſtiſque criminibus irretitis, in iiſque degentibus, qui alias vita eorum improba, ut præferebant, abdicata ad Altaris Sacramentum recepti ſunt, & poſtea ad vomitum redeere, ullo modo amplius tribuant, niſi iterum vere, & ex animo eos vitam immutaſſe compertum fuerit, & injunctam pœnitentiam perſolverint.

CAP. IV.

Viri a mulieribus disjuncti Euchariſtiam ſumant: qui primum communicant, de vi, & efficacia Sacramenti a Parochis antea ſunt inſtruendi.

CUrent Parochi, niſi Eccleſiarum anguſtia prohibeantur, ut viri ſeparatim a mulieribus ad Sacram Communionem in Eccleſia recipiantur. Et ſi adoleſcentes, aut alioqui rudiores, qui nunquam prius communicaverint, erunt recipiendi, eos nonnullos dies, antequam adeant menſam Dominicam, examinent, & de vi, & efficacia hujus Sacramenti inſtruant.

CAP. V.

Tabernaculum in Cathedralibus, & Curatis Eccleſiis in majori Altari, accenſis coram lampadibus, & ornate ſervetur. Si in majori Altari collocari nequeat, in alio majori proximo, vel Cappella decenti collocetur.

IN Eccleſiis Cathedralibus, & his, quibus cura imminet animarum, omnibuſque aliis Collegiatis, in quibus ſacra Euchariſtia cuſtodiri conſuevit, & debet, Epiſcopi curam adhibeant, ut quam maxime ornate, & reverenter fieri poterit, intra Tabernaculum in majori Altari collocatum lampadibus coram ſemper accenſis ſervetur. Si vero in majori Altari tabernaculum commode collocari non poterit, in alio majori proximo, vel Cappella maxime decenti ponatur, quæ ab ingredientibus Eccleſiam facile conſpici poſſit.

CAP. VI.

Parochi plebem moneant, ut viatico, cum ad ægros defertur, obſequia præſtent.

SÆpiſſime Parochi Populum admoneant, hortenturque, ut Euchariſtiam

ad

ad ægrotos cum deferri contigerit, quod dato aliquo Cãpanæ ſigno faciendum erit, omnes ad Eccleſiam concurrant, Sacramentumque eundo, redeundoque comitentur: & ſi inter deferendum obvii nonnulli fuerint, omiſſo ſi quod habuerint negotii, proſequantur, & ſi equo vecti occurrerint, deſcendant, & ſi poterunt, devote aſſectentur.

Euchariſtiæ Sacramentum in eundo, & redeundo ad infirmos aſſectari omnes tenentur

CAP. VII.

Viatici deferendi ritus deſcribitur. Corporis Chriſti ſodalitates in unaquaque Parochia inſtituendas Parochi curent.

IN deferendo ægrotis Sacramento umbellam adhibeant, luminariaque, quo plura haberi poterunt, circumferantur. Qua in re maximo eſſe ſolent adjumento in nonnullis locis inſtitutæ Corporis Chriſti ſodalitates, quæ, ut in unaquaque Parochia quamprimum inſtituantur, Parochi diligenter curabunt. Sed ipſi Parochi, cum Euchariſtiam infirmis deferent, id ſub honeſto habitu faciant, ſuperpelliceo, ſive Cotta, & Stola induti, Cruce, & tintinnabulo, quam ſquillam appellant, præcedentibus, ſicut alias in Beneventana Synodo ſtatutum reperitur, ac etiam cum decenti cuſtodia, hoc eſt vaſe ad hoc deputato, ea forma, qua Metropolitana Eccleſia utitur. Quod quidem vas parvulum intra calicem amovibilem continet, quo vinum ægroto pro purificatione dari poſſit: partem vero ſuperiorem, qua operiunt, ita aptam habet, ut ea Patenæ loco ſit. Qui vero vas ea forma deſcriptum non habuerint, in deferenda Sanctiſſima Euchariſtia Pyxide, eleganti aliqua forma juxta eorum Eccleſiarum facultates, utantur.

Uſus Pyxidis non habentibus decēt vas in deferenda Euchariſtia permittitur.

TITULUS V.

De Sacrificio Miſſæ.

CAP. I.

Cum munditie ad altare accedendum: Romanæ Eccleſiæ ritus in miſſa ſerventur, nec privata in domo celebretur. Miſſas certo cum candelarum numero, pluribuſque Evangeliis, & duplicatas celebrare prohibetur.

SAnctum Miſſæ ſacrificium, quo Sacerdos eorum omnium nomine Chriſtum, qui ipſum pro ſe oblatum cupiunt, offert, ac ſiſtit ante Patrem, quo majoris eſt excellentiæ, quam ut explicari verbis poſſit, eo magis eſt adnitendum, ut maxima, & ſingulari devotione, & pietate erga hoc ſacrificium Populus afficiatur: & ſi quid, quod impedimento futurum eſſe judicabitur, occurrerit, ex præſcripto Tridentini Concilii omnino amoveatur. Quare in primis hortamur omnes Altaris Miniſtros, ut memores verbi Domini per Prophetam dicentis, *Mundamini, qui fertis vaſa Domini*, Iſaiæ c. 52. ea, quæ tanto ſacrificio convenit, mentis, & corporis puritate, & ſanctitate pollere nitantur, ut digne coram Deo pro ſua, populique ſalute miniſtrare valeant. Deinde præcipimus, ut Epiſcopi curent, ut ab omnibus Provinciæ hujus Sacerdotibus Miſſa eodem ritu, & cæremoniis, quibus Romana Eccleſia utitur, devote, horis debitis, in Eccleſiis, aut Oratoriis divino tantum cultui dicatis, & ab Epiſcopo approbatis, non autem in privatis domibus celebrare, neque (ſicuti in nonnullis hujus Provinciæ locis fieri accepimus) ullas externas, diverſaſque a ritu ejuſdem Romanæ Eccleſiæ huic ſanctiſſimo Sacrificio patiantur adhiberi cæremonias, aut aliud quid fieri, quod præter ejus dignitatem eſſe, judicatum fuerit; & præſertim abuſum eorũ tollendum decernimus, quos Miſſas ſuperſtitioſe certo cum candelarum numero, pluribuſque Evangeliis celebrare intelleximus, & alias Miſſas duplicatas facere, in Miſſali minime præſcriptas: quibus Epiſcopi inhibeant, ne poſthac id facere ullo pacto audeant. Si vero non obtemperaverint, ſeveriſſime in eos animadvertant.

Sacrificium Miſſæ, cum majoris ſit excellentiæ, majorem a celebrante devotionem expoſcit.

Miſſæ cum certo candelarum numero, & pluribus Evangeliis, ſuperſtitionis ſigna habentes, prohibentur.

CAP. II.

Oratoria, ſi ſint concedenda, fores ad privatas ædes, & ad publicam habeant viam.

ÆDificationem, & uſum Oratoriorum ita Epiſcopi, cum id illis juſta de cauſa concedendum viſum fuerit, concedant, ut præter fores, per quas a privatis domibus ad ea erit ingreſſus, alias item habeant, quibus a via publica omnibus etiam aditus pateat; eaque ad ſimilitudinem templi, quoad fieri poterit, accedant.

CAP. III.

Singulis dominicis, feſtiſque diebus miſſæ intereſſendum, & quomodo.

EPiſcopi Populum a Parochis frequenter admonendum curent de tremendis, atque adorandis miſſæ myſteriis, illiſque mandent, ut eum ſæpiſſime hortentur, & admoneant, ut omnes ſaltem ſingulis Dominicis, & feſtis diebus officio miſſæ in Eccleſiis ſuis intereſſe ſtudeant, niſi legitime impediti excuſentur: neque ſe Chriſtiani hominis officio functos eſſe doceant, ſi (qui multis in locis abuſus inolevit) ſacrificio minime intenti, vel inter ſe profana colloquuntur & tractant, vel etiam extra Eccleſiam deambulant, donec detur ad hoſtiæ elevationem ſignum; qua e longinquo conſpecta, & ſalutata, abeunt, aut ad pro-

Colloquia vana in miſſa a ſecularibus tractari non debent.

profana colloquia redeunt; vel non expectata benedictione Sacerdotis, antequam miſſa abſolvatur, diſcedunt: aliquandoque, ubi plures miſſæ fiunt, ab altari ad altare diſcurrunt, & unius miſſæ partem ab uno Sacerdote, reliquam vero ab alio audiunt.

CAP. IV.

Deambulationes in Eccleſia, dum Sacra fiunt, prohibendæ: Inobedientes juxta Pii V. conſtitutionem plectendi.

DEambulationes in Eccleſia, dum veneranda miſſarum myſteria peraguntur, & alia divina officia recitantur, Epiſcopi omnibus interdicant. In his, aliiſque ſupradictis contra inobedientes, juxta conſtitutionem S.D.N.Pii V.eorum arbitrio procedant.

CAP. V.

Miſſarum oneribus ſatis omnino fiat. Si reductione opus fuerit, in Diœceſana Synodo peragatur. Onera in tabellam referantur, quæ ſemper in Sacriſtia proſtet.

QUæ,quotve in quavis Eccleſia, altari, vel Capella pro defunctis, & vivis miſſæ celebrandæ erunt, curabunt Epiſcopi, ut omnino celebrentur, vel a Sacerdotibus, quibus injunctum id munus eſt, vel eorum Vicariis, ipſis legitime impeditis, obtenta tamen ab eis licentia. Ubi vero tam magnus eſt miſſarum celebrandarum numerus ex variis defunctorum relictis impoſitus, ut illis pro ſingulis diebus a teſtatoribus præſcriptis nequeat ſatisfieri, vel eleemoſyna pro illis celebrandis adeo tenuis eſt, ut non facile inveniatur, qui velit huic ſe muneri ſubjicere; viſum eſt nobis Tridentini Concilii decretum in Epiſcoporum memoriam revocare, quo facultas datur, ut in Diœceſanis Synodis ipſi rationem inire valeant, qua pro eorum conſcientia, re diligenter perſpecta, provideatur, ut defunctorum animæ debitis non fraudentur ſuffragiis, & Sacerdotes pro Sacerdotali dignitate commodius vivere poſſint: quod reductione miſſarum, & multorum anniverſariorum inſtitutione, vel alia quapiam pia ratione, prout cuique magis expedire videbitur, ab eis conficiendum eſſe in domino confidimus. Hujuſmodi vero miſſarum, & anniverſariorum obligationes,ut ab omnibus inſpici poſſint, mandamus eas in tabella deſcribi,tabellamque palam in ſacriſtia ſervari debere.

Obſervantia in Diœceſanis Synodis decreti Concilii Tridentini Epiſcopis inculcatur.

CAP. VI.

Privatis Oratoriis quibuſcumque inſervire nemini liceat, ni ſcripto facultatem ab Epiſcopo obtinuerit, & nominatim tali Oratorio adjudicatus. Niſi parochiali miſſa, aut ſaltem concione abſoluta, neque etiam celebretur: Parochus campanæ ſigno celebrandi tempus monſtrare poterit.

OMnibus vero Sacerdotibus, tam ſæcularibus, quam cujusvis ordinis Regularibus, vel Cappellanis, qui Baronibus, & nobilibus, aut confraternitatibus, aut aliis quibuſcumque inſerviverint, mandamus,ne eorum quis in prædictorum Capellis, Oratoriis, aliiſque Deo dicatis locis, etiam ſi hujuſmodi loca ab Epiſcopo viſitata, & approbata fuerint, & de jure patronatus exiſtant, miſſam celebrare audeat, niſi ab Epiſcopo idoneus judicatus, facultatem celebrandi nominatim, cui loco ſit inſerviturus, ſcripto obtinuerit: ita tamen, ut ipſorum, ut præfertur, Baronibus, & confraternitatibus inſervientium, in eorum Capellis,& Oratoriis, Eccleſiiſque, quibus cura non imminet animarum, nemini liceat dominicis, & aliis feſtis diebus miſſam celebrare, ſi intra limites alicujus Parochiæ extiterint, niſi prius Parochus in ejus Eccleſia miſſam, aut ſaltem concionem, quæ inter miſſam haberi conſuevit,abſolverit, juxta Beneventanæ Synodi, Ugone Archiepiſcopo, celebratæ decretum,quod dato aliquo campanæ ſigno, aliis in Oratoriis hujuſmodi celebraturis notum facere poterit. Qui ſecus fecerit, arbitrio Epiſcopi puniatur.

Ugonis Synodus idem ſtatuit.

CAP. VII.

Clerici peregrini ad Sacra non admittantur abſque recentibus ſui Ordinarii dimiſſorialibus. Si in aliorum Diœceſi commorati fuerint, eorum teſtimonium de vita, & moribus afferant.

NUllis alienæ Diœceſis Clericis Epiſcopus facultatem celebrandi concedat, abſque proprii Ordinarii dimiſſoriis, quæ ita recentes ſint,ut pro intervallo regionum, e quibus diſceſſerint,veriſimiliter illis credi poſſit: ſi vero antiquiores fuerint,& ſe interea aliis in locis commoratos eſſe aſſeveraverint, a dictorum locorum Ordinariis de eorum vita, & moribus teſtimonium prius afferre cogantur, quam illis celebrandi facultas concedatur.

Veteres dimiſſoriæ exterorum Clericorum ab Epiſcopis non admittuntur.

CAP. VIII.

Supellectilia miſſarum celebrationi neceſſaria infra breve tempus ab Eccleſiarum Rectoribus comparentur. Si neglexerint, eorum fructus ad id ſequeſtrentur. Si fructus tenues fuerint, fidelium oblationibus providendum curent tum Parochi, tum Concionatores.

Sane

SAne magno cum dolore intelleximus, in nonnullis Provinciæ hujus Eccleſiis Parochialibus, Collegiatis, & aliis ornamenta, & inſtrumenta altarium, quibus hoc ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium celebratur, aut nulla eſſe, aut ita lacera, immunda, & ſordida, ut maximo cum populi ſcandalo conſpiciantur; idque ut plurimum avaritia Rectorum evenire audivimus. Quare ut de opportuno remedio quamprimum provideatur, & eorum avaritiæ, & cupiditati occurratur, Epiſcopis præcipimus, ut breve aliquod temporis intervallum hujuſmodi Rectoribus conſtituant, intra quod providere debeant. Quod ſi facere omiſerint, fructus ab eis omnes hujuſmodi Eccleſiarum apud colonos, aliosque, qui illos Eccleſiæ debent, ſequeſtrentur; neque ex eis quidquam ſumendi Rectoribus facultas tradatur, niſi prius Eccleſiæ proviſum fuerit pro dignitate; ita ut inſtrumenta, & ornamenta Eccleſiæ adſint, quæ rei ſacræ faciendæ pro tempore ſufficiant, & munda, pura, & integra in poſterum conſerventur. Si vero Epiſcopis conſtiterit, præ tenuitate fructuum id, niſi longo temporis ſpatio præſtari non poſſe, & aliunde providendi copiam, & facultatem nullam eſſe, Parochis mandent, aliiſque Eccleſiæ Rectoribus, ut populi oblationibus in miſſa faciendis præſtandum curent, ad quas ſæpiſſime eum cohortentur; quod etiam Concionatoribus, ut hoc ipſum faciant, præcipiant, populumque doceant, in Dei Eccleſia antiquiſſimum, præcipuumque uſum fuiſſe oblationum in miſſa faciendarum, non ſolum pro ſuſtentatione Sacerdotum, & aliorum Eccleſiæ miniſtrorum, ſed etiam pro reparatione Eccleſiarum, & ornatu, & pro comparandis veſtibus, & vaſis miniſterii. Quod oſtendunt antiqui Patrum Canones, & orationes, quas ſecretas appellamus, ſub offertorio miſſæ, quibus fidelium oblationes Deo commendantur.

Immunda, & ſordida in Eccleſiis Parochialibus Rectorum avaritia ſunt.

Uſum oblationum, quæ ſiunt in Miſſa, antiquiſſimum fuiſſe antiqui Canones demonſtrant.

CAP. IX.

Presbyteri de una in aliam tranſeuntes Eccleſiam nil ſecum transferant Divino cultui addictum. Id Epiſcopi diligenter curent.

ABuſum invaluiſſe in hac Provincia intelligimus, quod Presbyteri tranſeuntes ab una ad aliam Eccleſiam ſecum deferunt etiam prioris Eccleſiæ, & altaris paramenta, veſtes, & vaſa miniſterii, nec non miſſalia, & gradualia, ac libros cantus plani, & muſicæ, & alios ad uſum, & cultum Divinum deſtinatos, eamque, cui prius præerant, quodammodo ſpoliant, atque cum moriuntur, teſtamento legati nomine, quibus volunt, relinquunt. Quem abuſum Epiſcopis præcipimus, ut omnino tollendum curent.

Conc. Prov. Benev.

CAP. X.

Comeſſationes, & ludi in novæ Miſſæ celebratione ne adhibeantur. Importunæ quoque exactiones, & mercedum conditiones quæcumque prohibendæ ſunt ab Epiſcopis.

CUM comeſſationibus, & compotationibus Sacerdotibus abſtinendum ſit, ſed ſobrie, & caſte vivendum, ne audiant in eos a laicis dici: *Quorum Deus venter eſt*; curabunt Epiſcopi, ut abuſus, qui in nonnullis locis invaluit, ut Sacerdotes in novæ miſſæ celebratione, ſi ad Sacerdotiorum fructus percipiendos admitti voluerint, cogantur ab aliis Sacerdotibus convivium eis ſumptuoſo cultu parare, aliaque ſuperflua, & a Sacerdotali pudore aliena facere, quamprimum tollatur. Mandentque, ne comeſſationes, & ludi, & id genus ſimilia in hujuſmodi novis miſſis amplius adhibeantur: & juxta Tridentini Concilii decretum, cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, nec non importunas, atque illiberales exactiones potius, quam poſtulationes, & alia id generis, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, Epiſcopi omnino prohibeant, & ſi ſecus factum fuerit, in delinquentes animadvertant.

Sacerdotibus caſte, & ſobrie vivere convenit.

CAP. XI.

Miſſa nullius gratia celerius, aut tardius celebretur, concione minuatur, aut repetatur, ſed hora toti populo commoda ſacris operetur. Pœnæ in contrafacientes ſtatuuntur.

SUnt quidam ita deliciis affluentes, vel potius faſtu quodam tumidi, ut omnia Divina officia, & præcipue miſſæ, ſuo, vel ſuorum commodo, a Parochis in Eccleſia fieri velint adeo, ut qua hora ipſis magis placuerit, atque etiam celerius, quam deceat, miſſamque venatoriam, ut ipſi appellant, celebrari jubeant; nulla habita ratione populi ad eam convenire ſoliti, & hujus ſacri myſterii reverentia, magno etiam ipſius populi ſcandalo. Quare Parochis omnibus mandamus, ut miſſam nullius gratia celerius, aut tardius celebrent, ſed ea tantum hora, quæ maxime toti populo commoda erit: neque in ea concionem, aut aliud quidquam, quod dici officium, aut feſti celebritas poſtulat, omittant: neque inchoatam ad cujuſque adventum repetant. Quod ſi aliquis ante præmonitus Sacerdotem ad celebrandum quoquo modo ſecus, quam dictum eſt, adegerit, ſi beneficium obtinuerit, eo ipſo privatus exiſtat: ſi non habuerit, ad id obtinendum inhabilis reddatur; ſi vero fuerit laicus, excommunicetur, itemque inhabilis ad feudum Eccleſiaſticum, emphiteuſimque conſequendum exiſtat.

Miſſa, venatoria dicta, a pluribus celebrari jubebatur.

Inchoata Miſſa per cujuſcumque adventum repeti non debet

CAP. XII.

Miſſæ veſpertino tempore ne celebrentur.

SI quibus in locis abuſus exiſtit miſſas veſpertino tempore celebrandi, eum Epiſcopi juxta conſtitutionem Sanctiſſimi D. N. Pii V. abolendum omnino curent.

CAP. XIII.

Niſi prius ad Sacrificium neceſſaria adſint, Sacerdotes altare ne conſcendant. Qui Sacrum fecerunt, nil ex iis, quibus uſi ſunt, ab altari amoveant, vel amoveri permittant: Candelæ ante ultimum Evangelium ne extinguantur.

SAcerdotes, cum ad celebrandum acceſſerint, altare non adeant, niſi in eo omnia ad ſacrificium neceſſaria adſint, ne poſtea cum populi ſcandalo expectandum ſit, ut altare, & alia miſſæ ſacrificio neceſſaria parentur. Itemque ab altari Sacerdotes, qui miſſam celebrarint, nihil amoveant, neque amovendum a miniſtris permittant eorum, quibus in miniſterio altaris uſi fuerint: nec candelas extinguant, niſi lecto Evangelio, quod poſt finem miſſæ legitur.

CAP. XIV.

Altare viaticum tantum ſit, quod hoſtiam, & calicem commode capiat.

ALtare portatile, quo in Eccleſiis in celebratione miſſarum Sacerdotes utuntur, curabunt Epiſcopi, ut ea latitudine & longitudine ſit, ut hoſtia, calixq; ſuper eo commode, dum celebratur, retineri poſſit.

TITULUS VI.

De tollendo abuſu deferendi domum cereos in feſto Purificationis B. M. V.

CAP. UN.

Candelæ in die Purificationis B. V. M. præſentibus in Eccleſia tantum diſtribuantur.

ABuſus multis in locis inolevit, quod ſolitos dari cereos in die Purificationis B. Mariæ Virginis ex veteri Eccleſiæ inſtituto, ut igne accenſi in ſolemni proceſſione deferantur, quibus ſinceritas virginis demonſtratur, quæ lucem edidit, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, jam homines in Eccleſia non recipiant, & in proceſſione deferant; ſed paulatim incuria Rectorum, & avaritia, & faſtu quodam Parochianorum eo res deducta eſt, ut quaſi tributum eos velint ſibi tradi, & domum deferri. Quare abuſum hunc tollendum decernimus, ne quæ pietatis, & honoris Dei cauſſa ab Eccleſia inſtituta ſunt, ad quæſtum, & tributum convertantur. Præcipimuſque Rectoribus quibuſcumque, ne eos cereos, niſi his, qui in Eccleſia interfuerunt, ut eos accendant, & in proceſſione deferant, tradant.

Cereis accenſis in die Purificationis ſinceritas Virginis demonſtratur.

TITULUS VII.

De inſtauratione, & unionibus Eccleſiarum.

CAP. I.

Epiſcopi Parochias, quibus reditus non ſufficiunt, uniant, habita populi commoditatis ratione, ſervataque C. T. forma. Hujuſmodi uniones, ſi Parochiani recuſent, ipſi Presbyterorum, & Eccleſiarum neceſſitati ſuccumbant; aliter, vel iis invitis, uniantur. Uniones perpetuæ a quadraginta annis citra factæ per Epiſcopos examinentur; ſiquæ canonicæ non ſint, irritentur.

QUoniam vero Parochiales Eccleſiæ nonnullæ ita tenues reperiuntur, ut Parochi ex earum fructibus pro dignitate ſuſtentari nequeant, & Sacramenta in eis, cum etiam earum aliquæ partim dirutæ ſint, partim etiam ruinam minentur, nec tuto, nec ea, qua convenit, reverentia retineri poſſint, nec ut reſtitui valeant, reditus ſufficiant; Mandamus Epiſcopis, ſi aliter eis provideri non poterit, ut habita populi ad eas pro Sacramentis ſuſcipiendis confluentis vicinitatis, & frequentiæ ratione, eas aliis Parochialibus uniant: ſervata tamen forma a Concilio Tridentino in hujuſmodi unionibus faciendis præſcripta. Quod ſi aliquarum Parochiarum plebes uniones hujuſmodi ab Epiſcopis fieri recuſaverint, velintque ſibi proprias antiquas, peculiareſque Parochias ſervari, ipſis Epiſcopi mandent, ut Presbyterorum, & Eccleſiarum neceſſitatibus provideant ita, ut Presbyteri, unde honeſte vivere poſſint, habeant; & Eccleſiæ ipſæ ædificiorum reparatione, paramentiſque divino cultui neceſſariis non indigeant. Quod ſi facere omiſerint, Epiſcopis mandamus, ut, ipſis plebibus invitis, hujuſmodi uniones faciant. Uniones vero perpetuas a quadraginta annis citra factas, juxta decreta Concilii Tridentini, examinari ab Ordinariis omnino mandamus, & quæ per ſubreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritas declarari; præcipimuſque, ut cetera in decretis prædictis contenta diligenter exequantur.

Parœciarum pauperum uniones, invitis parochianis, Epiſcopis facere imponitur.

CAP. II.

Eccleſiæ campeſtres dirutæ, aut loco non tuto ſitæ, reditus tamen habentes (niſi iiſdem in locis eas reficere expediat) intra Civitates, aut Oppida transferantur, aut altaria ſub eadem invocatione in Parochialibus, & Matricibus Eccleſiis erigantur.

Eccle-

ECcleſias nonnullas intelligimus præterea extra Civitates, & alia loca, & caſtra Provinciæ eſſe, quæ dirutæ, & ſine cura animarum ſunt; nonnullæ vero earum etiam minime tutis locis exiſtunt; reditus tamen habent, ex quibus Eccleſiæ, aut Oratoria intra Civitates, aut in Matricibus Eccleſiis capellæ, & altaria populi commoditati, & devotioni de novo erigi, & fieri poſſent, in quibus ſanctiſsimum Miſſæ ſacrificium, & alia divina officia fierent, quorum ſuffragiis fidelium animæ, qui dictis Eccleſiis bona reliquerunt, juvarentur, & debitus cultus, qui in eis, antequam dirutæ eſſent, habebatur, Deo reſtitueretur. Quare Epiſcopis mandamus, ut eaſdem Eccleſias (niſi eiſdem in locis eas refici expedire videbitur) intra, vel prope Civitates, & Oppida, ſive caſtra, quorum in territorio ſunt, transferendas, & denuo faciendas curent: aut ſub ſanctorum, ſanctarumve invocationibus, ſub quibus erant, capellæ, & altaria in Cathedrali, aut Collegiatis, ſive aliis Parochialibus, & Matricibus Eccleſiis erigi, & debitum in his Deo cultum exhiberi mandent, & prout ipſis videbitur, præſtandum curent: utque Eccleſiæ hujusmodi ea, qua decet, reverentia retineantur, omnino provideant.

TITULUS VIII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAP. I.

Pœnitentes de rigore canonum pœnitentialium ſæpe admoneantur; Hunc Confeſſarii aliis bonis operibus mitigent. Publice vero peccantibus, publica injungatur pœnitentia, quam Epiſcopus moderari poterit.

QUoniam vero, ut ad Sanctiſſimum altaris Sacramentum ab omnibus, qua decet, prius facta præparatione, & pœnitentia, cum tremore, & timore accedatur, perquam neceſſarium eſt, ut confitentes admoneantur de rigore pœnarum canonicarum, de quibus canones pœnitentiales extant; Parochis omnibus, aliisq; Sacerdotibus, tam ſæcularibus, quam regularibus, qui confeſſiones audiendi facultatem ab Epiſcopis habuerint, mandamus, & injungimus, ut confitentes de eo quam ſæpiſſime inter confitendum admoneant, doceantque. Horum autem pœnitentialium canonum ſeveritatem pro recepta poſteriorum temporum conſuetudine, ex Catholicæ Eccleſiæ indulgentia, aliis bonis operibus pro ſatisfactione mitigent; quod prudenti judicio, pro peccatorum qualitate, pœnitentiumque viribus conſolando, arguendoque præſtent. Iis vero, qui publice, & in multorum conſpectu crimen commiſerint, unde alios ſcandalo offenſos, commotosque fuiſſe non ſit dubitandum, publicam etiam, & pro modo culpæ condignam injungant pœnitentiam, quam Epiſcopus in aliam ſecretam commutare poterit, quando ita magis judicaverit expedire.

CAP. II.

Conſtitutionem Innocentii III. & Pii V. medici ſervent in ægrorum viſitatione; negligentes ad Epiſcopum deferantur.

PArochi medicos ſæpiſſime admoneant, ut conſtitutionem Innocentii III., & Sanctiſſimi D. N. Pii V. ſervent, & quæ in ipſa continentur, exequi ſtudeant: ipſosque præterea hortentur, ut cum primum ad ægrotos in eorum Parochiis exiſtentes acceſſerint, eis ipſorum infirmitatem, & ægritudinem ſignificent; ut, ſicuti præſenti decreto ſancitur, ipſi dictos ægrotos adeant, ea, quæ ipſorum officio incumbunt, diligenter præſtent, eoſque conſolentur, hortenturque, ut Deo primum, ſine quo vana eſt ſalus hominis, reconcilientur. Si vero medicos in eo negligentes eſſe Parochi compererint, ipſi rem ad Epiſcopos deferant.

Medici infirmos, ut Deo primum reconcilientur, hortari tenentur.

CAP. III.

In Cathedralibus Pœnitentiarius inſtituatur cum aſſignatione Canonicatus, & præbendæ. Si ſæcularis deſit Presbyter, donec idoneus reperiatur, Regularis deputetur cum ſtipendio a toto Capitulo perſolvendo, vel perceptione fructuum dicti Canonicatus. Hic Pœnitentiarius Clericis conſcientiæ caſus legat.

EPiſcopi ex præſcripto Tridentini Concilii curent in eorum Cathedralibus Eccleſiis quamprimum Pœnitentiarium inſtituere, ſi is jam inſtitutus non reperitur; cui canonicatus, & præbenda primo quoque tempore vacatura aſſignetur. Cum vero canonicatus, & præbenda hujusmodi vacaverit, & hujus rei gratia aſſignata fuerit, donec Presbyter ſæcularis huic muneri obeundo idoneus reperiatur, aliquis Regularis deputetur, cum ſalario a toto Capitulo perſolvendo, quo ſe honeſte ſuſtentare valeat, vel cum perceptione omnium fructuum dicti canonicatus, & præbendæ, ita, ut præfertur, aſſignatæ. Qui quidem Pœnitentiarius ea etiam, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum ſpectant, caſusque, qui in foro conſcientiæ agitari ſolent, ceteris Clericis legat, & declaret.

Ex Tridentini decreto quælibet Cathedralis ſuum Pœnitentiarium habere debet.

CAP. IV.

Nemo, præter Parochum, confeſſiones audiat, niſi approbatus, ſub excommunicationis pœna. Eas audientes idonei ſint, & caſus noſcant reſervatos.

Con-

Omnes, qui ad audiendas confeſſiones deliguntur, quæ peccata abſolvenda, quæ retinenda ſcire tenentur.

COnfeſſiones audiendi provinciam eorum nemo, qui Parochialem Eccleſiam non habent, niſi ab Epiſcopo approbatus fuerit, ſibi aſſumere audeat, ſub excommunicationis pœna. Qua in re præcipua Epiſcopi cura ſit, ut Parochi, ceterique, qui deligentur, tales ſint, qui tam neceſſario operi ſint ſatisfacturi: cognoſcantque lepram a lepra, & quæ peccata erunt ſolvenda, quæve retinenda, & præcipue caſus Summo Pontifici reſervatos noſcant.

CAP. V.

Regulares a ſuis Superioribus approbati, coram Epiſcopo, vel ejus Vicario ſe ſiſtant pro confeſſiones audiendi facultate, examen ſubire uſque ad quadrageſimæ tempus ne protrahatur.

REgularibus vero omnibus, cujuſcumque ii ordinis, & religionis exiſtant, qui a confeſſionibus audiendis erunt, præcipimus, ut, cum primum ad eorum Conventus, ſeu Monaſteria ab eorum Superioribus ipſis deputata venerint, ſe coram Ordinario loci, ſive ejus Vicario, cujus in Diœceſi hujuſmodi loca erunt, ſiſtant, ut examinentur, ſi Epiſcopo, vel ejus Vicario neceſſarium eſſe videbitur; & ſi per examen (ut præfertur) aut aliter ipſorum judicio idonei reperti fuerint, ipſis confeſſiones audiendi facultas concedi poſſit, ne examinatio hujuſmodi ad quadrageſimæ tempus uſque protrahatur.

CAP. VI.

Pro Sacramentali abſolutione nihil recipiatur; a pecuniariis pœnitentiis confeſſarii ſe abſtineant. Id ſi criminis, aut perſonæ qualitas poſtulet, ſibi ipſis, aut Eccleſiæ ſuæ Confeſſarii pecunias ne attribuant; idem dicitur de miſſis. Reſtitutiones per Confeſſarium ne fiant; quod ſi ita fieri neceſſe ſit, Chirographum ab accipiente habeatur. Sacerdotes cotta, & ſtola induti confeſſiones excipiant.

PRo condonatione, & remiſſione peccatorum, quam abſolutionem vocamus, nihil omnino exigatur, aut recipiatur, etiam a ſponte dantibus, ne pecuniæ magis aucupium, quam ſalutis animarum ſtudium eſſe videatur, atque a pecuniariis pœnitentiis, quoad fieri poteſt, Confeſſoribus abſtinendum eſſe præcipimus. Quod ſi aliquando perſonæ, & criminis ratio, ut tales imponantur, requirat, eas ſibi nullo pacto Confeſſores attribuant, nec ad Eccleſiæ, vel Monaſterii proprii utilitatem convertant: ſi vero pœnitentiæ gratia miſſas aliquot celebrandas confitenti impoſuerint, ipſi quidem hoc onus ne ſuſcipiant, ſed ad aliam Eccleſiam, aut Sacerdotem remittant. Præterea, ſi reſtitutio facienda eſt, Confeſſores hujuſmodi negotium per ſe ipſos non exequantur: quod ſi alia commodior ratio iniri nequeat abſque periculo, ne res pateſiat, & emanet, tunc ſolutionis chirographum ab eo, cui quid ſolvitur, acceptum pœnitenti ipſi ſtatim tradant. Sacerdotes vero ſuperpelliceis, ſive cotta induti, & ſtola ſuperpoſita, in Eccleſiis ad confeſſiones audiendas ſedeant.

Sacerdotes de facta reſtitutione pœnitentes certiores facere debent.

CAP. VII.

In confeſſionalibus ſedibus tabella ſit inter Confeſſarium, & pœnitentem. Parochi, aliique Confeſſarii debitis temporibus, confeſſionibus excipiendis prompti ſint.

SEdes in Eccleſia, ubi confeſſiones audiendæ erunt, ita Epiſcopi conſtituendas curent, ut tabella media inter Confeſſorem, & Confitentem interponatur: mandentque Parochis, & aliis Confeſſoribus deputandis, ut debitis temporibus confeſſiones audiendi frequentes in Eccleſia exiſtant, neve tum aliis negotiis, niſi magna coacti neceſſitate, vacent.

CAP. VIII.

Enormiorum criminum abſolutionem Epiſcopi ſibi reſervent. Caſus Epiſcopales Parochis concedantur. Vagi oſtiatim victum quæritantes rejiciantur, ni de paſchalis communionis adimplemento prius docuerint.

Aliquorum criminum abſolutionem ſibi reſervent Epiſcopi, ne de facili illa committantur.

ATque ad reſecandam quorumdam criminum licentiam, quotannis Epiſcopi eorum abſolutionem ſibi reſervent, quæ maxime in eorum Diœceſi enormia eſſe, frequenterque magno ſcandalo committi compererint, ut vel hac difficiliori impetrandæ veniæ gratia, ad ea iterum perpetranda homines retardentur. Aliorum vero criminum omnium, & caſuum Epiſcopalium abſolvendorum facultatem Parochis tradant, ne, ſi confitentes abſolutionem deſperent a Parocho, omnino confiteri negligant. Præcipimus præterea, ut nullus ex mendicantibus oſtiatim ignotis, & vagis, ad valvas Eccleſiarum, aut etiam alibi, majoris præſertim hebdomadæ tempore, eleemoſynas petere permittatur, niſi prius docuerit apud Ordinarios, eorumve miniſtros, ſe præcepto de ſacra confeſſione, & communione eo anno ſatisfeciſſe.

TITU-

TITULUS IX.

De Jejuniis.

CAP. I.

Quadrageſimali tempore, quatuor anni temporibus, & vigiliis caro, & quæ carnis ſementinam habent, prohibentur. Si neceſſitas urgeat, Parochi, & medici conſilio utendum, & Epiſcopi licentia.

Inſtitutionis jejuniorum ratio.

CUm vero inter fructus pœnitentiæ maxime corporale jejunium vigeat, præſcriptæque a Patribus abſtinentiæ, quibus nihil aptius retundendæ carnis libidini potuit inſtitui, aut promovendæ mentis puritati commodius, idque in primis in ciborum delectu, & abſtinentia perficiatur, quo carnis laſcivia frænetur; Sacrorum Canonum decretis, & auctoritate Concilii Tridentini ſubnixi decernimus, ut in Quadrageſimæ (Dominicis tamen exceptis), quatuor anni temporum, necnon vigiliarum ab Eccleſia inſtitutarum diebus omnes jejunium ſervent, nemoque eo tempore, niſi valetudinis cauſſa, ex conſilio Parochi, & Medici, ejusque fide habita, & licentia ab Epiſcopo obtenta, aut ab eo deputatis, carne, ovis, lacte, caſeo, & butiro, ceterisque, quæ a carne originem ducunt, veſcantur.

CAP. II.

Jejunii diebus publice in macello, aut hoſpitiis cibi vetiti ne exponantur, nec vendantur, niſi iis, qui emendi licentiam oſtenderint; ſecus facientes, arbitraria pœna plectantur.

PRohibeant vero Epiſcopi, ut his jejunii diebus neque in macello publice, neque in hoſpitiis, & tabernis, carnes, & cetera ſupradicta venundanda exponantur, nec coqui, retineri, aut vendi patiantur, niſi his, qui emendi licentiam oſtenderint: propoſitis eorum arbitrio pœnis, qui ſecus fecerint.

CAP. III.

Nocturnæ vigiliæ in Eccleſiis prohibentur.

Eccleſiarum Cuſtodibus, ut Eccleſias ad noctem claudant, imponitur.

ETſi inſtitutæ a temporibus Apoſtolorum nocturnæ in Templis pervigilationes fuerint, quarum adhuc in Eccleſia Dei nomen remanet, in quibus Chriſtiani piarum precationum ſtudio accenſi, diebus feſta præcedentibus jejunio tranſactis, in oratione etiam pernoctantes exiſterent: tamen cum optimis, piiſque initiis peſſima exempla ſucceſſerint, præcipimus Templorum cuſtodibus, ut ante noctem, omnibus prius excluſis, Templorum ipſorum fores occludant, neve hujusmodi pervigilationes in Templis fieri ſinant.

TITULUS X.

De Extrema Unctione.

CAP. UN.

Poſt extemæ unctionis Sacramentum ægris integris ſenſibus miniſtratum, apud illum Parochus permaneat, eumque uſque ad finem non deſerat.

Unde extrema infirmitas dicitur Agon.

CAllidiſſimus ſerpens cum nullo unquam tempore oppugnet Chriſtifideles gravius, quam cum ex hac vita migrandum eſt, quod eam etiam ob cauſſam Agon vocatur, quia tunc pugna validiſſima, tunc certamen inſtat graviſſimum; curabit maxime Parochus, ut poſtquam extremæ unctionis Sacramentum ægroto dederit, quod, dum is integris eſt ſenſibus, adhibeat, apud ægrotum permaneat, illumque conſoletur, ut forti animo ad futuram beatitudinis gloriam ex hujus Mundi miſeriis evolare ſtudeat: illique, vel Pſalmos, vel Evangelium legat, eumque uſque ad finem non deſerat. Præcipimus vero, ut in Pyxide eleganti forma confecta, juxta Eccleſiarum facultatem, velo ſericeo ſuper impoſito, extremæ unctionis Sacramentum deferatur.

In eleganti Pixide Sacramentum extremæ unctionis deferri præcipitur.

Indictio futuræ Seſſionis.

INſuper proxime futuram Seſſionem in diem decimam octavam præſentis menſis Aprilis indicimus, ac celebrandam ſtatuimus.

SESSIO IV.

Provincialis Synodi Beneventanæ celebrata XVIII. die Aprilis MDLXVII.

TITULUS I.

De Sacramento Ordinis.

CAP. I.

In ordinum collatione Tridentina Synodus ſervetur, nihilque, etiam a ſponte dantibus, recipiatur.

EPiſcopos, quibus manuum impoſitio commiſſa eſt, quæ quidem oſtium eſt, per quod intrant, qui Eccleſiarum gubernaculis admoventur, vehementer in Domino hortamur, ut quod ſalubriter, & accurate a ſancta Tridentina Synodo præceptum eſt de iis, quæ ſervanda ſunt in conferendis Ordinibus, quodque in eorum collatione, & inſtitutione Miniſtrorum nihil, etiam a ſponte dantibus, accipiatur, inviolabiliter obſervent, a ſuisque obſervandum curent: ſciantque ſe non ſolum culpa, aut aliqua labe, ſed etiam labis ſuſpicione vacare omnino debere, omnique humana affectione.

Epiſcopi non ſolum culpa, labeque, ſed etiã labis ſuſpicione in collatione ordinum vacare tenentur.

CAP.

CAP. II.

Prima tonſura initiandi, ſint confirmati; fidei rudimenta, ac legere, & ſcribere ſciant: pro majoribus ordinibus profectus in eis appareat, vel qui alicujus Eccleſiæ ſervitio ſint neceſsarii.

AD primam tonſuram ab Epiſcopis non alii erunt admittendi, quam ii, qui ex decreto Tridentini Concilii præſcripta forma, Sacramentum Confirmationis ſuſceperint, & Fidei rudimenta edocti fuerint, legereque, & ſcribere ſciant, & ita litteris operam dare videbuntur, ut eos in via eſſe ad majores ordines ſuſcipiendos appareat, vel quos neceſſarium eſſe judicabitur alicujus Eccleſiæ ſervitio applicari.

CAP. III.

Ad minores ordines promovendi quales eſſe, & quæ habere debeant?

AD minores vero Ordines nulli admittantur, qui ſaltem linguam latinam non intelligant, & bonum a Magiſtro ſcholæ, in qua educantur, & a Parocho teſtimonium habeant. Parochus vero teſtimonium hujuſmodi facturus, prævio juramento a viris probis, & boni teſtimonii, qui eos probe norint, cognoſcat de promovendorum qualitatibus, vita, & moribus. Num videlicet legitimis natalibus orti: num publice aliquod grave, & enorme peccatum admiſerint, aut in eo perſiſtant: num percuſſores, homicidæ, uſurarii, ſeditioſi, bigami, ſimoniaci, aut alicui curiæ quacunque ex cauſſa obligati: num de hæreſi ſuſpecti, aut publicam pœnitentiam egerint: num denique in totius vitæ converſatione honeſta, pie, & religioſe ſe geſſerint. Quo quidem teſtimonio habito non omnes ſimul hujuſmodi minores ordines, ſed per temporum interſtitia conferendos eſse mandamus iis, quos Epiſcopi dignos, quibus conferantur, judicaverint.

Minores Ordines ſimul conferre Epiſcopis prohibetur.

CAP. IV.

Ad majores ordines promovendis requiſita.

ILlis vero, qui ad ſingulos majores ordines promoveri cupierint, juxta Tridentini Concilii decretum mandamus, ut per menſem ante ordinationem Epiſcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire viſum fuerit, committat, ut nominibus, & deſiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita a fide dignis diligenter inquirat, juxta præſcriptam formam in ordinibus minoribus ſervandam, & litteras teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes, ad Epiſcopum quamprimum tranſmittat. Epiſcopus etiam, ſi videbitur, poterit ſuper his alios examinare teſtes, & diligentius inquirere, num aliquod canonicum adſit impedimentum, quo promotionem merito ſuſpendi, retardari, aut omnino impediri poſse judicet. Regulares vero, antequam profeſſionem emiſerint, præcipimus, ne ad ſacros ordines promoveantur.

Regulares ante profeſſionem ad majores ordines promoveri non debent.

CAP. V.

Archidiaconus, vel alius ab Epiſcopo deputandus ordinatorum librum conficiat, qui quotannis Epiſcopo exſcribendus tradetur.

EPiſcopi, Archidiaconis, vel alteri e Clero, cui magis voluerint, præcipiant, ut una cum eorum Vicariis librum conficiant, in quo nomina omnium Clericorum, tam cujusque Eccleſiæ Cathedralis, quam totius Civitatis, & Diœceſis contineantur: & quo quisque ordine, quove tempore, & loco promotus exiſtat: & cui quiſque Eccleſiæ ſit ab Epiſcopo adſcriptus, & ad quod miniſterium fuerit deputatus. Mandentque omnibus, qui in futurum militiæ clericali adſcribentur, vel ad alium quemvis gradum, & ordinem promovebuntur, vel ab eorum Ordinariis, vel ab aliis ipſorum Ordinariorum habita licentia, ut intra menſem a ſuſcepti ordinis die numerandum, eorum nomina in eodem libro annotanda deferant; quem librum ii, quibus ea cura commiſſa fuerit, diligenter ſervent, & quotannis quidquid in eo deſcriptum fuerit, exſcribendum Epiſcopo dabunt, ut in Archivo Epiſcopali ejus exemplum cuſtodiatur.

TITULUS II.

De Seminario Clericorum.

CAP. I.

Ratio Seminarii inſtituendi exhibetur: Bonorum Eccleſiaſticorum taxatio conficienda proponitur.

UT vero quæ pro inſtitutione Seminarii Clericorum a Sancta Tridentina Synodo ſtatuta ſunt, exequantur, ne hoc tam pium, ſanctum, & huic Provinciæ maxime neceſſarium opus omittatur, aut aliquo pacto differatur, decernimus, ut ubi id Seminarium jam inſtitutum non eſt, Epiſcopi ſtatim a fine hujus Provincialis Synodi inſtituendum curent, præſcripta forma a dicto Tridentino Concilio: ita tamen, ut ex fructibus cujuſcumque Menſæ Epiſcopalis, & Capituli, aliarumque Eccleſiarum Collegiatarum, & quorumcumque beneficiorum eccleſiaſticorum

Ex fructibus cujuſcumque Eccleſiæ quinque pro centenario exigi pro inſtitutione ſeminarii præcipitur.

corum, cum cura, & ſine cura, Abbatiarum, Prioratuum, & quocumque alio nomine nuncupentur, etiam regularium, & exemptorum, etiam ſi nullius Diœceſis fuerint (Mendicantium Eccleſiis, & præceptoriis Militum Sancti Joannis Hieroſolymitani, & aliis Collegiis, in quibus Seminaria diſcentium, vel docentium, ad commune Eccleſiæ bonum promovendum actu habentur, dumtaxat exceptis) & ex quibuſcumque aliis eccleſiaſticis reditibus, quocumque ii nomine, vel cauſſa percipiantur, etiam ſi penſiones quantumlibet exemptæ fuerint, quinque pro centenario annis ſingulis exigantur. Quam ſummam imminui, & augeri poſſe decernimus ab Epiſcopis communicato conſilio cum iis, qui ad id munus delecti fuerint, prout accepti, & expenſi Seminarii ratio poſtulabit.

CAP. II.

Taxatio, vel in totum, vel in partem remittenda ad ratam beneficiorum, quæ Seminario erecto uniri contigerit.

HAnc autem exactionem inchoandam, & faciendam ſtatuimus pro anno jam elapſo M.D.LXVI. in illis Eccleſiis, in quibus Epiſcopi ex decreto Concilii Tridentini id Seminarium jam inſtituendum denunciaverunt, in aliis vero pro præſenti anno, & ita deinceps uno quoque anno proſequendam, donec Seminario aliquot beneficia ſimplicia, prout ea vacare contigerit, ex auctoritate, & præſcripto Concilii attributa, & unita fuerint; quæ ſi ſummam exigi mandatam confecerint, omnino exactio remittatur: ſin minus, pro rata fructuum beneficiorum illi attributorum remittatur.

Exactio ſupradicta uſque dum ſeminario ſimplicia beneficia vacatura unientur, perdurabit.

CAP. III.

Ubi Seminarium erigi non poteſt, taxatio tamen fiat, ad cujus rationem Clerici in Seminarium Metropolitanum, ſive aliud in Provincia inſtitutum mittantur. Datur quoque ratio Seminarii inſtituendi, ubi tenues ſunt reditus. Alumnorum, quæ ætas, & qualitas: convictorum quæ ratio habenda, præſcribuntur.

UBi vero id Seminarium commode inſtitui non poteſt propter tenuitatem redituum, tam Cathedralis Eccleſiæ, quam aliorum beneficiorum Civitatis, & Diœceſis; quæ illi contribuere debent, Seminario Beneventano, aut in aliqua Suffraganeorum commodiori, & viciniori Eccleſia inſtituto, aut inſtituendo contribuant: & pro rata pecuniarum, quæ a dictis Eccleſiis exigentur, aliquot ipſarum Clerici in dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ, aut alterius (ut dictum eſt) Seminario alantur, & inſtituantur. Si vero Epiſcopis videbitur commodius in ſuis Eccleſiis, quocumque modo poterunt, hujuſmodi Seminaria inſtituere, quam Seminario Beneventano, aut in aliis vicinioribus Eccleſiis inſtituendis contribuere, eo, quo meliori, & commodiori fieri modo poterit, inſtituantur. Quod ſi hujuſmodi Seminariorum facultates non ſuppetent in eis inſtituendorum victui, veſtituique, & libris emendis, & Magiſtrorum ſalariis perſolvendis, Epiſcopi, deductis ex fructibus, reditibuſque Seminariorum neceſſariis ſumptibus librornm comparandorum, & ſalariorum perſolvendorum, quod reliquum erit Clericis in Seminario recipiendis pro rata elargiri faciant, quod eorum vitæ aliqua ex parte ſubſtentandæ, & ſtudiis proſequendis auxilio eſſe poſſit, ita tamen, ut ſervitiis etiam Cathedralis, aut aliarum Eccleſiarum, prout Epiſcopis videbitur, inhæreant. Præcipua vero Epiſcoporum cura ſit, ut in ætate duodecim ſaltem annorum conſtituti, & qui legere, & ſcribere ſciant, juxta præſcriptum Concilii, in Seminario recipiantur. Alii vero, etiam ſi ſuo ſumptu recipi velint, ſi primis elementis imbuendi ſint, rejiciantur, ut a Magiſtris, qui ab Univerſitatibus conducentur, edoceantur.

Qui in Seminario recipiuntur, duodecim annorum ætatem habere, legere, & ſcribere ſcire debent juxta Tridentini decretum.

CAP. IV.

Adulti Sacris initiandi, ſi ſpes adſit profectus, & pauperes Presbyteri in Seminarium admittantur.

QUoniam vero in hac Provincia pauci reperiuntur idonei Presbyteri, quibus animarum cura recte committi poſſit, ne Eccleſiæ diu idoneis Rectoribus deſtituantur, quod eveniret, ſi expectandum eſſet, ut pueri ſolummodo hujus rei cauſſa in Seminario inſtituerentur; hortamur Epiſcopos, ut homines etiam adulti, quos ſperandum ſit in litteris ita profecturos, ut brevi ad ſacros, etiam Presbyteratus, ordines promoveri poſſint, atque pauperes Presbyteri, qui abſque beneficio jam promoti exiſtunt, in Seminario ab ipſis recipiantur, & ibi edoceantur, ut Sacerdotali ordini, quem jam ſuſceperunt, ſatisfacere, & Parochialibus Eccleſiis præfici poſſint.

TITULUS III.

De Beneficiorum collatione.

CAP. I.

Præſentatores a præſentatis ad beneficia nihil accipiant quocumque titulo: locationes, reſervationes, penſiones proſcribuntur ſub juris amiſſionis pœna. Conſanguinitatis, aut familiaritatis ratio nulla habeatur. Præſentati præſentantibus beneficio-

ficiorum fructus ne locent ſub excommunicationis pœna.

CUm a præſentatoribus, & electoribus, nominatoribuſque beneficiorum a recta regula longe, lateque diſceſſum ſit, affectibus privatis ſibi omnia vindicantibus, qui ſua, non quæ Jeſu Chriſti ſunt, quærunt; interdicendum omnibus eſſe judicavimus, prout præſenti decreto decernimus, ne hujuſmodi præſentatores, electoreſve quorumcumque beneficiorum eccleſiaſticorum, ſeu quibus quoquo modo jus ad ea eligendi, præſentandi, aut nominandi competit, ab electis, præſentatis, aut nominatis quidquam etiam a ſponte dantibus accipiant. Neque locationis nomine per ſe, aut interpoſitas perſonas, fructus eorumdem beneficiorum ipſi quoquo modo percipiant. Neque ullam fructuum partem, ſub prætextu eam in fabricam ejus Eccleſiæ, cujus ſunt fructus, aut alterius erogandi, aut aliud quid pium faciendi, prout a pluribus hujus Provinciæ fieri intelligitur, ſibi ipſis reſervent: neve eorum perſonis abutantur, qui ipſorum nutu aliis ſibi collata beneficia cedant. Neque ea penſionibus onerent, nomenque tantum electis, præſentatis, & nominatis relinquant; cenſum autem, & eccleſiaſticos reditus auſu quodam ſacrilego uſurpent. Qui ſecus fecerint, facultatem, quam habent, eligendi, præſentandi, nominandi in poſterum amittant: ceteraſque pœnas luant, quæ ſimoniacis a ſacris Canonibus imponuntur. Ceſſet denique in hujuſmodi præſentationibus, electionibus, & nominationibus faciendis omnis conſanguinitatis, propinquitatis, & familiaritatis ratio. Ipſis vero præſentatis, electis, aut nominatis præcipimus ſub excommunicationis pœna, ne illis, a quibus præſentati, electi, aut nominati exiſtent, fructus, & obventiones ipſorum beneficiorum locent, aut alio quocumque titulo adminiſtrandos, aut colligendos tradant.

Titulo locationis, aut per interpoſitas perſonas præſentantibus ad beneficium a præſentatis aliquid accipere prohibetur.

CAP. II.

Beneficia abſque canonica inſtitutione poſſidentes, ut ſimoniaci plectantur: iiſdem pœnis obnoxii ſint tabelliones, inſtrumenta ſimoniam continentia conficientes. Notarii de hujuſmodi poſſeſſionibus rogati excommunicationis, & privationis officii pœnam incurrant.

SIqui vero abſque inſtitutione Epiſcoporum, ſub prætextu juriſpatronatus, (prout a nonnullis in Provincia hac fieri intelligitur) beneficia, aut illorum poſſeſſionem his, aut aliis illicitis pactis receperint, præter conſcientiæ labem, qua ſe pollutos ſciant, pœnis, quæ a Sacris Canonibus, ut diximus, ſimoniacis imponuntur, aliiſque arbitrio Epiſcopi puniantur, & inhabiles ipſo facto reddantur ad prædicta, & alia beneficia obtinenda, cum fidei, vitæ, & doctrinæ meritis Sacerdotia debeantur, quæ nulla erunt in iis, qui pretio illa obtinuerint: iiſdemque pœnis obnoxii erunt tabelliones, & internuncii, qui inſtrumenta, aut aliud quid fecerint, quod ſimoniacam labem contineat. Notarii vero, qui de hujuſmodi poſſeſſionibus rogati fuerint, aut inſtrumenta confecerint, excommunicationis, & privationis officii Notariatus pœna ipſo facto incurrenda, mulctentur.

CAP. III.

De beneficiis proviſi, præter ſolitum juramentum, illud etiam addant, in talis beneficii aſſequutione nullam illicitam pactionem interveniſſe.

A Præſentatis, nominatis, electis, aut alio quovis modo proviſis de beneficiis eccleſiaſticis, Epiſcopi, vel eorum Vicarii, præter ſolitum præſtari juramentum, in ipſorum aſſequutione jusjurandum etiam recipiendum curent, quod nulla illicita pactio, promiſſio, donatio, ſe ipſis ſcientibus, aut conſentientibus, intervenerit.

CAP. IV.

Epiſcopi taxam conficiant de emolumentis ad Tribunalis Miniſtros ſpectantibus in beneficiorum collationibus.

EPiſcopi Notariis, Scriptoribus, aliiſque Miniſtris præſcribant, quid pro eorum opera, ſumptu, & labore, pro confectione litterarum cujuslibet beneficii accipere debeant, ne proviſi, aut inſtituti plus debito graventur, ſi dictorum Notariorum arbitrio perſolvere cogantur: & hujuſmodi præſcriptæ taxæ tabella palam affigatur, & retineatur.

TITULUS IV.

De examinatione Parochialibus præficiendorum.

CAP. I.

Parochiali Eccleſia vacante infra decem dies aliqui nominentur, qui a Synodalibus examinatoribus examinentur, aut Edicto convocentur. Idem dicitur de Vicariali. Inferiores beneficiorum collatores infra dies decem etiam nominent. Examinandi de vita, & moribus teſtimonium habeant ab iis, apud quos maxime degerunt.

UT vero Parochialium Eccleſiarum regimini conſulatur, illiſque, quoad fieri poterit, viri boni, & docti præficiantur, ſtatuimus, ut cum alicui Parochiali Eccleſiæ erit providendum, Epiſcopi, aut qui

qui jus præſentandi, eligendi, nominandive habent, intra decem dies, aut aliud tempus ab Epiſcopis præſcribendum, aliquos Clericos ad regendum Eccleſiam idoneos nominent, ut ab Examinatoribus in Diœceſana Synodo deputatis examinentur: aut ipſi Epiſcopi edicto propoſito ad certam diem convocent, qui vacanti Eccleſiæ præfici cupierint, aut, ut præficiantur, nominati, præſentati, elective fuerint: eorumque examine facto ab Examinatoribus prædictis, magis idoneo juxta Decretum Concilii Tridentini beneficium conferatur. Si qua in Eccleſia Vicarius perpetuus erit conſtituendus, ſimili modo edictum proponatur, ut examen per concurſum perficiatur. Ceteris inferioribus collatoribus, & proviſoribus, veluti Abbatibus, Archipresbyteris, aut aliis quocumque nomine nuncupatis, qui jus conferendi aliquot beneficia eccleſiaſtica ſe habere prætendunt, mandamus, ut quos dignos judicaverint, quibus ea conferri poſſint, eos intra decem dies juxta Decretum Tridentini Concilii nominent, ut eorumdem Examinatorum examini ſubjiciantur. Eorum autem omnium, qui examinari voluerint, vitæ, & morum teſtimonia recipiantur ab iis, apud quos ipſi potiorem vitæ partem tranſegerint, aut diverſati fuerint, ne manifeſte criminoſi irrepant.

CAP. II.

Synodales Examinatores quotannis mutentur. Regularium, & Clericorum, qui de Capitulo non ſunt, ratio quoque habeatur.

EXaminatores in Diœceſana Synodo nominandi ab Epiſcopis, aut conſtituendi ita proponantur, ut in alia proxime futura mutari debeant, ſi perſonarum huic muneri obeundo idonearum copia, & facultas ſuppetat, ne iidem ſemper Examinatores exiſtant. In electione vero dictorum Examinatorum ratio etiam habeatur Regularium, & aliorum Clericorum, qui nec de Capitulo Cathedralis Eccleſiæ, nec regulares ſunt.

TITULUS V.

De examine Cathedralibus præficiendorum.

CAP. I.

Formula examinis eorum, qui Cathedralibus ſunt præficiendi, a Romano Pontifice approbanda, proponitur.

CUm in hac Provincia examen faciendum erit eorum, qui ad Cathedralem Eccleſiam promovendi erunt, Nos ex Decreto Tridentini Concilii hanc formulam Sanctiſſimi D. N. arbitrio approbandam proponimus, eaque procedendum eſſe judicamus. Epiſcopus, cui a Summo Pontifice hoc negotium demandatum erit, cujuſque in Eccleſia, aut Diœceſi promovendus verſatur, aut aliquandiu verſatus fuit, ex quinque ſaltem probatis, juratis, & omni exceptione majoribus teſtibus, de ejus vita, moribus, natalibus, & doctrina cognoſcat, examenque conficiat: quod non ſolum eorum teſtimonio, quos deſignatus Epiſcopus obtulerit, faciendum eſt, ſed aliorum etiam, qui ab eo, cui ea cura juxta formam Concilii data fuerit, ex officio vocandi erunt. Eum vero, cui examinis conficiendi cura demandata erit, admonemus, ut ante omnia a promovendo exhibendas curet litteras graduum ſuſceptorum, eaſque diligenter inſpiciat, & examinet. Deinde eidem aſſignet declarandum, ſeu prælegendum locum unum ex novo, vel veteri teſtamento, aut ex theologicis ſententiis, alterum vero ex Decretalibus, aut Decreto, ex quibus ipſe propoſitiones aliquot eliciat, quas diſputantibus ex adverſo Theologiæ, Juriſque Pontificii profeſſoribus, doctoribuſque tueatur. Quo ad teſtes, ſive a promovendo oblati fuerint, ſive ex officio vocati, non recipiantur, niſi fide digni, qui præter interrogationes generales diligenti examine interrogentur, an promovendus triginta annis natu major ſit: quibusnam in ordinibus, præcipueque ſacris, & an ſex menſibus ſaltem ante in eis ſit conſtitutus: an legitimis natalibus ortus: num in eo aliqua infamiæ nota ſit, fueritve, qua juxta ſacrorum Canonum decreta, ejus promotio impediri poſſit: num honeſtis, boniſque moribus præditus vixerit, ita ut futuræ dignitati idoneus, & commendabilis reddatur: num bonis litteris ſit eruditus, gradumque doctoratus, aut magiſterii, ſive licentiæ in Theologia, vel Jure Canonico litterarum ratione aſſequutus fuerit. Si vero gradum non acceperit, an ab aliqua Academia ſufficiens habeat teſtimonium, ut ad alios docendos idoneus judicetur. Si Regularis fuerit, an a ſuis Superioribus approbatus exiſtat, ſicuti a Sacroſancto Tridentino Concilio expreſſum extitit. Quibus confectis, ex præſcripta formula a Sede Apoſtolica, fidei profeſſionem faciat. Hujuſmodi vero examen abſolutum, & in publicum redactum inſtrumentum, una cum ipſius promovendi fidei profeſſione ad Summum Pontificem tranſmittatur, ut ipſe tota re perſpecta ſtatuere poſſit, an ille vacanti Eccleſiæ ſit præficiendus.

In examine præficiendorum, teſtes omni exceptione majores deligendi ſunt.

Quomodo interrogandi ſunt teſtes in examine præficiendorum?

TITULUS VI.

De Reſidentia.

CAP. I.

Ad reſidentiam hortatio. Decreta S. T. C. referuntur.

CUm Sacra Tridentina Synodus decreverit, quæ ſervanda circa reſidentiam ſint, modumque præſcripſerit, quo procedendum ſit contra eos Epiſcopos, ceteroſque, qui a ſuis Eccleſiis, non ſervata Concilii forma, abeſſent: nihil hac in re aliud agendum eſſe Nobis viſum fuit, quam, ut eos in primis obteſtemur per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut decretum Concilii ad ſalutem Chriſtiani populi editum ſequuti, non ſolum aſſidua præſentia, ſed omni cura, & ſolicitudine miniſterium ſuum impleant: gregis ſibi commiſſi regimini vere aſſiſtant: atque in omnibus juxta Apoſtoli doctrinam laborent. Deinde, ut eos commoneamus, quod ſi hoc quoquo modo omiſerint, aut facere neglexerint, præterquamquod fructus ſuos non facient (quos jam nunc præſenti decreto partim in fabricam Eccleſiæ, & partim in pauperes erogandos aſſignamus, eoſque ſine conſcientiæ labe retinere non poſſe decernimus) eorum negligentiæ rationem apud proximam provincialem Synodum erunt reddituri, quæ prævio examine judicabit, an ex juſta cauſſa abfuerint, & an dicta pœna mulctandi exiſtant? Decreta vero Concilii ſuper reſidentia hic inſerenda, & publicanda decrevimus juxta Tridentini Concilii decretum, quo cautum eſt, ut in Provincialibus, & Epiſcopalibus Synodis, quæ de reſidentia ſtatuta ſunt, publicentur.

Decretum Concilii Tridentini de residentia sub Paulo III.

EAdem Sacroſancta Synodus eiſdem præſidentibus, & Apoſtolicæ Sedis Legatis ad reſtituendam collapſam admodum Eccleſiaſticam diſciplinam, depravatoſque in Clero, & Populo Chriſtiano mores emendandos ſe accingere volens, ab iis, qui majoribus Eccleſiis præſunt, initium cenſuit eſſe ſumendum. Integritas enim præſidentium ſalus eſt ſubditorum. Confidit itaque per Domini, ac Dei noſtri miſericordiam, providamque ipſius Dei in terris Vicarii ſolertiam omnino futurum, ut ad Eccleſiarum regimen, quod quippe Angelicis humeris formidandum, qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita, ac omnis ætas a puerilibus exordiis uſque ad perfectiores annos, per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiaſticæ laudabiliter acta, teſtimonium præbeat, ſecundum venerabiles beatorum Patrum ſanctiones, aſſumantur. Omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis quibuſcumque quovis nomine, ac titulo præfectos monet, ac monitos eſſe vult, ut attendentes ſibi, & univerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, vigilent, ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant. Implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant, atque ovium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus a ſupremo Judice requirendus, cuſtodiæ minime incumbant; cum certiſſimum ſit, non admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit. Ac nihilominus, quia nonnulli (quod vehementer dolendum eſt) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ ſalutis immemores, terrenaque cœleſtibus, ac divinis humana præferentes, in diverſis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium ſolicitudine, ovili derelicto, atque ovium ſibi commiſſarum cura neglecta, ſe detinent occupatos: placuit Sacroſanctæ Synodo antiquos Canones, qui temporum, atque hominum injuria pene in deſuetudinem abierunt, adverſus non reſidentes promulgatos innovare; quemadmodum virtute præſentis Decreti innovat, ac ulterius pro firmiori eorumdem reſidentia, ac reformandis in Eccleſia moribus, in hunc, qui ſequitur, modum ſtatuere, atque ſancire. Si quis a Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, ſeu Cathedrali Eccleſia ſibi quocumq; titulo, cauſſa, nomine, ſeu jure commiſſa, quacumque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, ſeu juſtis, & rationalibus cauſſis ceſſantibus, ſex menſibus continuis extra ſuam Diœceſim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ Eccleſiæ, & pauperibus loci per Superiorem Eccleſiaſticum applicandorum, pœnam ipſo jure incurrat. Quod ſi per alios ſex menſes in hujuſmodi abſentia perſeveraverit, aliam quartam partem fructuum ſimiliter applicandam, eo ipſo amittat. Creſcente vero contumacia, ut ſeveriori Sacrorum Canonum cenſuræ ſubjiciatur, Metropolitanus Suffraganeos Epiſcopos abſentes, Metropolitanum vero abſentem Suffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens, ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ eo ipſo incurrenda, infra tres menſes per litteras, ſeu Nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipſos abſentes, prout cujuſque major, aut minor contumacia exegerit, ſuæ ſupremæ Sedis auctoritate animadvertere, & Eccleſiis ipſis de Paſtoribus utilioribus providere poterit, ſicut in Domino noverit ſalubriter expedire. Epiſcopis inferiores quævis beneficia Eccleſiaſtica perſonalem reſidentiam de jure, ſive conſuetudine exigentia, in titulum, ſive commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis pro bono Eccleſiarum regimine, & divini

cultus augmento, locorum, & perſonarum qualitate penſata, expediens videbitur, opportunis juris remediis reſidere cogantur. Nullique privilegia, ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis, ſuffragentur: indulgentiis vero, & diſpenſationibus temporalibus, ex veris, & rationabilibus cauſſis tantum conceſſis, & coram Ordinario legitime probandis, in ſuo robore permanſuris. Quibus cauſſis nihilominus officium ſit Epiſcoporum, tanquam in hac parte a Sede Apoſtolica delegatorum, providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum aſſignationem, cura animarum nullatenus negligatur: nemini quoad hoc privilegio, ſeu exemptione quacumque ſuffragante.

Decretum Concilii Tridentini de Residentia sub Pio IV.

Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas cognoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cetera munia paſtoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt: Sacroſancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio, & in veritate paſcant, & regant. Ne vero ea, quæ de reſidentia ſancte, & utiliter jam ante ſub fel. recor. Paulo Tertio ſancita fuerunt, in ſenſus a Sacroſanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac ſi vigore illius decreti quinque menſibus continuis abeſſe liceat; illis inhærendo, declarat Sacroſancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Eccleſiis quibuſcumque, quocumque nomine, ac titulo præfectos, etiam ſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſint, obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia, vel Diœceſi reſidentiam, ubi injuncto ſibi officio defungi teneantur: neque abeſſe poſſe; niſi ex cauſſis, & modis infraſcriptis. Nam cum chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abeſſe poſtulent, & exigant; decernit eadem Synodus, has legitimæ abſentiæ cauſas a Beatiſſimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo abſente, Suffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas; niſi cum abſentia inciderit propter aliquod munus, & reipublicæ officium Epiſcopatibus adjunctum: cujus quoniam cauſſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit: ad eumdem tamen cum Concilio Provinciali ſpectabit judicare de licentiis a ſe, vel a Suffraganeo datis, & videre, ne quis eo jure abutatur, & ut pœnis canonicis errantes puniantur. Interea meminerint diſceſſuri, ita ovibus ſuis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt, Sacroſancta Synodus vult, illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſive continuum, ſive interruptum extra prædictas cauſſas nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes excedere; & haberi rationem, ut id æqua ex cauſſa fiat, & abſque ullo gregis detrimento: quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam, & timoratam fore, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere, ſuo periculo tenentur. Eoſdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes item, & Corporis Chriſti diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Paſtoris præſentia oves debeant, ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali ullo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia in ſua Diœceſi eos alio vocent. Si quis autem, quod utinam numquam eveniat, contra hujus decreti diſpoſitionem abfuerit, ſtatuit Sacroſancta Synodus, præter alias pœnas adverſus non reſidentes ſub Paulo III. impoſitas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere; nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe; ſed teneri, aut ipſo ceſſante, per Superiorem Eccleſiaſticum illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventione, vel compoſitione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur: non obſtantibus quibuſcumque privilegiis cuicumque Collegio, aut fabricæ conceſſis. Eadem omnino, etiam quo ad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas, de Curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque, qui beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam animarum habens, obtinent, Sacroſancta Synodus declarat, & decernit: ita tamen, ut, quandocumque eos, cauſſa prius per Epiſcopum cognita, & probata, abeſſe contigerit, Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario approbandum cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſſa, non obtineant. Quod ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter, contumaces fuerint, liberum eſſe vult Ordinariis, per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam uſque ad priva-

vationem compellere; nec executionem hanc, quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuſcumque beneficii, pactione, ſtatuto etiam juramento, vel quacumque auctoritate confirmato, conſuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela cenſenda eſt, ſive appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ conſtitutionis ſuſpendi poſſe. Poſtremo tam decretum illud ſub Paulo III. quam hoc ipſum in Conciliis provincialibus, & Epiſcopalibus publicari, Sancta Synodus præcipit: Cupit enim, quæ adeo ex Paſtorum munere, animarumque ſalute ſunt, frequenter omnium auribus, mentibuſque infigi, ut in poſterum, Deo juvante, nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut deſuetudine aboleantur.

Huc uſque Tridentini Concilii decreta.

CAP. II.

Portiones in Cathedralibus, aut Collegiatis habentes ultra tempus a T. C. conceſſum ne abſint: Parochiales habentes reſideant; at in poſterum iis non conferantur. Abſentes fructus ſuos non faciunt: contumacia creſcente privantur. Beneficia reſidentialia obtinentes, ſi reſidentiam neglexerint, fructibus priventur.

PRohibeant Epiſcopi, ne dignitates, & canonicatus, præbendas, aut portiones in Cathedralibus, vel Collegiatis obtinentibus liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis per longioris temporis ſpatium ab eiſdem Eccleſiis abeſſe, quam ejuſdem Concilii Tridentini decreto cautum eſt: ſi qui vero eorum Parochiales Eccleſias eodem in loco habuerint, in eiſdem Parochialibus reſidere cogantur: de cetero vero hujuſmodi dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones habentibus Parochiales conferri prohibemus; qui vero ab eorum curatis beneficiis aberunt, præterquam quod fructus perceptos ſuos non facere decernimus, ad illoſque, ut ſupra diximus, erogandos teneri, mandamus etiam, creſcente eorum contumacia, ordine juris ſervato, privari ipſis beneficiis, aliiſque illa conferri, qui reſideant, munuſque ſuum expleant. Eos vero, qui cetera, & ſi non curata beneficia, perſonalem tamen reſidentiam requirentia obtinent, aut obtinebunt, ſi muneri ſuo contumaciter defuerint, & in eis reſidere neglexerint, dictorum beneficiorum fructibus privari mandamus.

In ſuis beneficiis non reſidentibus pœnæ taxantur.

CAP. III.

Si qui non reſidentes beneficiis ceſſerunt, ex reſervatis penſionibus, aut aliunde Eccleſiæ ſatisfacere cogantur. Si difficultas inerit, Metropolitæ deferatur.

SI vero aliqui, qui propter abſentiam fructus ſuos facere non potuerunt, beneficiis ceſſerint, illos ex fructibus penſionum, ſi eæ ſibi fuerint ſervatæ, vel ex aliis eorum bonis Epiſcopi cogant ad ſatisfaciendum Eccleſiæ. Qua in re ſi quid obvenerit, quo minus id exequi poſſint, Metropolitano ſignificent, qui ſi ſua opera, quam optime navandam curabit, id ex ſententia conficere nequiverit, ad Sanctiſs. D.N. referat.

CAP. IV.

Studiorum cauſa abſentes, de facultate doceant, quæ irrita erit, niſi Ordinarii conſenſus acceſſerit, aut celebri in gymnaſio non ſtuduerint. Abſentiæ licentiæ poſt hac ne concedantur. Contumaces per deputatos denuncientur.

HIs, qui ſtudii, vel alterius negotii cauſſa, ut abſint, ante confirmationem Sacri Tridentini Concilii obtinuerunt, Epiſcopi, edicto palam propoſito, edicant, ut facultatem, quam hujus rei cauſſa obtinuerint, oſtendant, & niſi ex præſcripto regulæ latæ a Pio Quarto Pontifice, Ordinariorum conſenſus acceſſerit, & eos, qui ſtudii gratia abſunt, vere in celebri gymnaſio Juri Canonico, vel Theologiæ operam navare compererint, eam nullam, & irritam decernant. In poſterum vero nulli, qui poſt dictum tempus de beneficio curato, aut perſonalem reſidentiam exigente proviſus fuerit, huiuſmodi abſentiæ licentiam ab Epiſcopis concedendam eſſe decernimus. Ut vero de iis, qui contumaces fuerint, & reſidere, & obedire neglexerint, certiores fiant Epiſcopi, curabunt, ut aliqui per loca conſtituantur, quibus eos inveſtigandi, & inſpiciendi, ſi ipſorum muneri defuerint, negotium præbeant, prout ipſis magis expedire videbitur.

TITULUS VII.

De pluralitate Parochialium.

CAP. I.

Plures retinentes Parochias priventur; fructus Eccleſiæ, piiſque operibus applicentur.

CUM vero odioſa ſemper apud veteres, Sanctoſque Patres fuerit plurium Sacerdotiorum ambitioſa cupiditas, pluribuſque generalibus Conciliis damnata; eos, qui contra præſcriptum Tridentini Concilii adhuc plures Parochiales Eccleſias retinent, Epiſcopi his privatos eſſe decernant, fructuſque, quos ſuos non fecerunt, fabricæ Eccleſiæ, aliiſque piis operibus, attribuant, prout præſenti decreto attribuimus.

Sanctis Patribus, & Conciliis in uno Sacerdote pluralitas Eccleſiarum odioſa

TITU-

TITULUS VIII.

De ſtatu cujuſque Parochiæ cognoſcendo.

CAP. I.

Pro ſtatus cujuſque Parochiæ cognoſcendo probi aliquot deligantur Viri, qui de illo per Diœceſim inquirant.

EPiſcopos pro eorum Paſtorali officio, exemplo Paſtorum Principis Jeſu Chriſti Dom. Noſtri, dicentis, Joan. 10. *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oves meas*, ſumma ope niti decet, ut ipſi greges eorum curæ commiſsos diligenter cognoſcant, & quæ eorum vitæ, & ſaluti neceſſaria fuerint, animadvertant: & ſi per avia, & deſerta erraverint, eos ad paſcua reducant, ſi morbis detinentur, medeantur. Quæ omnia, cum ipſi per ſe adimplere, & quæ medicamentis, aut correctione indigent, propriis oculis perſpicere non poterunt, curabunt, ut aliquot probi viri, quot pro latitudine Diœceſis ſufficere videbuntur, bonis moribus præditi, prudenteſque eligantur, iiſque certa loca viſitanda diſtribuant, qui abſque juriſdictione diligenter inquirant, & obſervent, ac Epiſcopis referant, quæ ſint in Civitate, & Diœceſi, quæ corrigi, & emendari, aut reformari utile ſit, vel neceſſarium.

Quæ de Clericis Viſitatores inquirere debent?

In primiſque num Sacerdotes, & reliqui Clerici in via Domini ambulent, & quæ eorum officii ſunt, præcipueque, quæ circa Divinum cultum præſtare debent, re ipſa expleant: num quæ ad Eccleſiarum neceſſitatem imperata ab Epiſcopo, vel a Viſitatoribus ſunt, efficiantur, & Synodalia decreta ſerventur: num Miſſæ, & cetera Divina officia, qua decet pietate, & devotione celebrentur, & Sacramentorum adminiſtrationi, aliiſque muneribus Sacerdotalibus ſatisfiat: num in vitæ totius converſatione, & exercitiis, quidquam a Sacerdotali dignitate alienum efficiant.

Quæ de ſæcularibus notare?

Obſervent denique, ſi in Populo ſint de hæreſi ſuſpecti: ſi Quadrageſimæ, & alia jejunia, & dies feſti, Eccleſiæque ritus ſerventur: ſi nonnulli ſint, qui ſaltem ſemel in anno peccata non confiteantur, & Euchariſtiam ſumant: ſi ſint publici uſurarii, concubinarii, aliique flagitioſi, & facinoroſi homines.

CAP. II.

Parochi de ſingulis Parochianis notitiam habeant, ac ſtatum animarum conficiant.

PArochis etiam Epiſcopi præcipiant, ut diligentem curam adhibeant, ut de omnibus, qui in eorum Parochia habitaverint, notitiam habeant, præcipueque de novis incolis in eam adventantibus, qui eo magis nomine ſuſpecti erunt, ſi ſæpius eos domicilium, & ſolum vertere intellexerint, & ex una in aliam Parochiam, aut Diœceſim frequenter commigrare; de quorum vitæ ratione exquirant a vicinis, & ab his, qui eos, eorumque familiam noverant, antequam illuc commigraſſent. Quapropter in libro ad hoc comparando habeant deſcripta nomina, & cognomina quorumcumque in eorum Parochia degentium, ſingulorumque ætatem, & ſexum, & quo quiſque tempore naſcatur, aut moriatur; cujus libri inſpiciendi, vel deſcribendi Epiſcopis facultas ſit, quoties voluerint.

CAP. III.

Pauperum, ægrotorum, nubilium, indotatarumque puellarum, viduarum, & pupillorum nomina Epiſcopis Parochi ſignificent.

PAuperes ſemper nobiſcum fore, veritatis ore admonemur. Eos ut cognoſcant Parochi, diligentiam adhibeant, ſicuti etiam ægrotos, puellas nubiles, & indotatas, pauperes, viduas, & pupillos, ut illis, quoad poterunt, opere, & verbo opitulentur, alioſque ad ipſorum paupertatem ſublevandam hortentur. Eorum nomina, & qualitates, neceſſitatemque Epiſcopis ſignificent, ut ipſi pro eorum paterna cura, & pietate, qua maxime poterunt ratione, auxilio ſint.

CAP. IV.

Miſerabiles perſonæ Epiſcopo denuncientur. Epiſcopus Parochos ad ſe convocet, ut ea de re notitiam habeat.

PArochis præterea præcipimus, ut de omnibus in eorum Parochiis degentibus, qui quocumquo modo miſericordia indigere videbuntur, diligenter inquirant, ac de ipſorum neceſſitatibus Epiſcopos certiores faciant, ut his aliqua pia ratione, prout eis videbitur, providendum curent. Quare ipſis etiam Epiſcopis mandamus, ut ſæpe Parochos ad ſe convenire jubeant, ut eos ea de re præcipue, deque omnium ſuæ Parochiæ animarum ſtatu diligenter interrogent, eoſque inſtruant de omnibus, quæ illis curanda, faciantque, ne officio ſuo ullo pacto deſint.

TITULUS IX.

De Viſitatione.

CAP. I.

Quotannis Diœceſes ab Epiſcopis viſitentur per ſe, non per delegatos abſque legitimo impedimento. Synodo negligentes rationem erunt daturi.

Epi-

Exemplo Apoſtolorum Petri, & Pauli Eccleſias ſuas Epiſcopi viſitare tenentur.

EPiſcoporum, qui ſpeculatores in Dei Eccleſia conſtituti ſunt, & appellantur, præcipua cura eſse debet, ut ſæpiſſime ſibi commiſsas Eccleſias viſitent, exemplo Apoſtolorum Petri, & Pauli, quorum alter pertranſivit, & inviſit univerſos, alter perambulavit Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipienſque cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum. Quare ex Decreto Tridentini Concilii Epiſcopi quotannis proprias Eccleſias, & Diœceſes viſitare non omittant. Quam quidem in rem vigilantiſſime intendant, fidem, converſationem, mores, & vitam ſingulorum explorent, & examinent, ac provideant, ut omnes in ea vocatione, ad quam vocati a Deo ſunt, officium ſuum expleant. Hanc vero viſitationem per ſe ipſos, & non per alios exequantur, nec ab ea excuſentur, niſi legitime impediti fuerint, & neceſſitas quædam ſic urgeat, ut niſi cum maximo detrimento, vel publicæ, vel propriæ ſalutis ſpiritualis, vel corporalis eam ſic exequi non valeant. Cujus rei judicium apud proximam futuram Provincialem Synodum futurum erit; ab ea cenſuram negligentiæ, preter Divinam ultionem ſuſcepturi. Interim eos admonemus verbi Domini, negligentiam Prælatorum increpantis, & dicentis apud Ezechielem 24. *Super omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat, qui requireret, non erat, inquam, qui requireret.*

Epiſcoporum non viſitantium ſuas Eccleſias in futura Provinciali Synodo judicium fiet.

CAP. II.

Pro viſitatione nihil accipiatur ultra id, quod T. C. ſtatuit. Epiſcopi duodecim homines, & octo jumenta; inferiores viſitatores homines ſex, & jumenta quatuor ſecum ducant.

CAveant Epiſcopi, vel cum ipſi hoc munus per ſe obire non poterunt alii Viſitatores, qui omnino Sacerdotes ſint, ne in viſitationis officio quidquam etiam a ſponte dantibus accipiant, præter id, quod ex Concilii Tridentini decreto Viſitationis jure debetur, alioqui in duplum reſtitutioni obnoxii erunt. Si vero Epiſcopi per ſe ipſos viſitaverint, comitatum, familiamque majorem ſecum ne habeant, quam duodecim hominum, jumenta vero octo. Alii Viſitatores Epiſcopo inferiores, ſex hominibus, & quatuor jumentis contenti ſint: ſi plures ſecum duxerint, ſuo ſumptu alantur.

CAP. III.

Viſitationis acta conficiantur in Epiſcopali Archivo ſervanda.

EPiſcopi librum totius Viſitationis (prout fieri ſolitum eſt) conficiendum curent, in quo ſumma totius viſitationis contineatur, præcipueque in eo omnes Parochiales Eccleſiæ propriæ cujusque Diœceſis, earumque Rectores nominatim deſcribantur, & quo titulo eas obtineant, quique ex eis per ſeipſos, quique per Vicarios illis inſerviant, quave cauſſa abſentes fuerint excuſati, & cur contra non reſidentes ex auctoritate Concilii proceſsum non fuerit. Qui liber ab Epiſcopo, vel Viſitatoribus, & Notario ſubſcribatur, & in Archivo Epiſcopali aſservetur, & ſi in Provinciali Synodo eo opus fuerit, producatur.

Liber, in quo acta viſitationis continentur, a Viſitatoribus, & Notario ſubſcribi debet.

CAP. IV.

In viſitatione contra male promotos animadvertatur.

IN viſitatione de omnium promotione diligens a Viſitatoribus inquiſitio fiat, & qui ſive in viſitatione, ſive alio tempore de Parochialibus, aut aliis beneficiis certum ordinem requirentibus proviſi, eum non ſuſcepiſſe reperti fuerint, Epiſcopi contra eos, juxta Canonum formam procedant. Si quis vero repertus fuerit ad ſacros ordines extra tempora a jure ſtatuta, aut ante ætatem legitimam, vel ſine litteris dimiſſoriis promotus, ſciat ſe ipſo jure ab executione ſuorum ordinum ſuſpenſum, donec abſolutionis beneficium a Sanctiſſimo Domino noſtro fuerit conſecutus. Qui vitæ reprehenſibilis fuerint, ſevere coerceantur, & indocti & illitterati ſuſpendantur, donec inſtructi fuerint. Illis vero, quos nulla ſpes erit profectum aliquem facturos, Vicarius, juxta Concilii decretum, perpetuus adhibeatur.

Ad ſacros Ordines promoti extra tempora ſtatuta, & ante ætatem, a Papa abſolutionẽ petere tenentur.

CAP. V.

Capitulorum ſtatuta in volumen redigantur; pro neceſſitate emendentur; quater in anno capitulariter legantur.

DIligenter etiam Epiſcopi curent, ut Eccleſiarum Cathedralium ſtatuta, ſiquæ fuerint diſperſa, in unum volumen redigantur, & quæ bene inſtituta ſunt, in uſum revocentur, & quæ emendatione indigent, juxta præſcriptum Concilii Tridentini corrigantur, & emendentur, & quater ſingulis annis, jejuniis videlicet Quatuor Temporum, palam in Capitulo omnibus præſentibus legantur.

Indictio futuræ Seſſionis.

STatuimus præterea futuram Seſſionem habendam eſſe ad vigeſimam diem præſentis menſis Aprilis.

SES-

SESSIO V.

Provincialis Synodi Beneventanæ celebrata xx. die Aprilis MDLXVII.

TITULUS I.

De qualitate Epiſcoporum, & vita, & honeſtate Clericorum.

CAP. I.

Clericos ad reſipiſcentiam hortatur.

PRobatæ, honeſtæque vitæ exempla eorum, qui in ſortem Domini præcipue vocati, ejus ſe miniſterio dedicaverunt, maxime ad omnium fidelium ædificationem prodeſſe intelligens Tridentina Synodus ſalubri decreto ſtatuit, ut quæ a Summis Pontificibus, ſacriſque Conciliis de vita, honeſtateque Clericorum ſtatuta forent, in uſum revocarentur. Quare eorum, quæ ad Eccleſiaſticarum perſonarum gubernationem, reformationemque pertinent, materiam proſequentes, ut Provinciæ hujus Clerici, quos longe, lateque a recta ſemita declinaſſe intelligimus, pedem in viam mandatorum Domini referant, illos de tam periculoſa digreſſione admonendos eſſe duximus, atque etiam, niſi ſponte ad cor redierint, & quæ illis obſervanda proponimus, obſervaverint, adhibitis pœnis compellendos.

CAP. II.

Epiſcopi tales ſint, qui ceteris exemplo eſſe poſſint.

SEd cum Epiſcopi ceteris dignitate præcellant, principemque locum in Clero obtineant, nequaquam poſtremum in reformatione locum obtinere debent, ſed aliis inferioribus prælucere, & ſingulari vitæ ſanctitate, honeſtiſque moribus exemplo eſſe; niſi enim ipſi ceteris in Eccleſia præluceant, fruſtra nitimur reliquos in ordinem Eccleſiaſticæ diſciplinæ redigere; præcedere enim oportet Epiſcopos in omnibus, quæ ad pietatem, obſervationemque ſanctionum canonicarum ſpectant; alioqui quomodo oves ſequi poterunt, & imitari Paſtorem non præcedentem? Patiantur (ut ait ſapiens) legem, quam ipſi tulerint, ne in eos a ſubditis vere dicatur Matt. cap. 23.: *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere.* Quare obnixe in Domino rogamus Epiſcopos, ut ſeipſos præbeant exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate: ac denique ſe totos ad illam vitæ rationem imitandam dedant, quam illis Apoſtolus præſcripſit; quod adjuvante Domino perficient, & ceteri ipſorum imitatione ad virtutem accendentur.

Epiſcopi, ut ſe bonorum operum exemplum præbeant, rogantur.

CAP. III.

Epiſcopi cum laicis agentes poteſtatibus, ſuæ ſint memores dignitatis.

NE quid vero ab Epiſcopali dignitate alienum humano quodam affectu committant, memores ipſorum dignitatis, & officii curent, ut, niſi ipſorum Eccleſiarum neceſſitas poſtulet, in aulis Principum non verſentur: neque in eorum familiaritate, & obſequio ſe ſe deprimant, aut illis accumbentibus quoquomodo aſſiſtant, nec benedicendæ menſæ gratia, nec gratias Deo agendi ſumpto cibo: neve illis pacem, aut miſſale inter Miſſam exoſculandum deferant. Proregem vero Neapolitanum, ceteroſque Principes vehementer in Domino hortamur, ut Epiſcopos pro eorum dignitate, & pro ea, qua præcipue pro Chriſto Domino funguntur legatione, honorifice pertractent.

Prorex Neapolitanus, ceterique Principes, ut Epiſcopos honorifice pertractent, obſecrantur.

CAP. IV.

Epiſcoporum decus quale, familia, exteriores veſtes, & Epiſcopii ornatus deſcribantur.

EPiſcoporum veſtitus, ornatus, ingreſſus, domi, foriſque, etiam ſi equo, mulave vehantur, teneat Eccleſiaſticum quoddam decorum, ut in his neque exquiſitæ deliciæ, neque affectatæ ſordes appareant, ſed inanium rerum omnino contemptus conſpiciatur. Familia vero magis docta, boniſque moribus prædita, quam numeroſa contenti exiſtant: ſintque in ea Sacerdotes, aut ſaltem ſacris initiati, quamplurimi commodè haberi poterunt. Superiori linea veſte, quam Rochetum appellant, in Eccleſia, aliiſque publicis locis aſſidue utantur: ſine talari tunica, & mozzetta nunquam palam conſpiciantur, neque e cubiculo egrediantur: & ſi in cubiculum nonnulli ad audientiam erunt admittendi, eis induti exiſtant. In ornamentis cubilium, cubiculorumve nihil ſit auro contextum, nec aureis, argenteiſve telis, filiſve ornatum. In vaſis vero argenteis, ceteriſque domus inſtrumentis Epiſcopalem modeſtiam adhibeant. Aularum, cubiculorumve muros ſerico ornatos, ſtratoſque ne habeant. Aulæa, aut pictos parietes, niſi hiſtorias veteris, aut novi Teſtamenti, aut ſanctorum Patrum, vel Martyrum res geſtas contineant, omnino ne habeant, nec ſigna, aut tabulas profanarum rerum.

CAP. V.

Epiſcopi menſa, quæ eſſe debeat?

Epiſcoporum menſæ frugalitate, temperantia, & ſacrorum librorum lectione ornatæ ſint.

EPiſcopi menſam, cui prius accumbentes benedicant, omni frugalitate, & temperantia plenam inſtituant ita, ut non plura, quam duo, vel ad ſummum tria, ſi convivarum ratio id poſtulet, præter olera, & ſimplices arborum fructus, fercula apponantur: memores ut & ſit, unde pauperes refici poſſint. Ea vero ſemper ſacrorum librorum lectione, & piorum, doctorumque virorum conſeſſu ſplendeat: paraſiti, ſcurræ, & hujuſmodi perditorum hominum genus omnino abjiciantur. Exemplo denique Epiſcopi ſint laicis, ut & hi ipſorum imitatione ab immoderatis ſumptibus, qui temere, ac frequenter in nimium ſplendidis ſupellectili, menſaque, maximo cum patrimoniorum, & totius reipublicæ detrimento, fieri ſolent, abſtineant. Sumpto cibo Epiſcopi Deo gratias agant.

CAP. VI.

Inferiorum Clericorum tonſura, & habitus præſcribuntur.

CLericis vero inferioribus ſacris ordinibus initiatis, aut quæcunque beneficia Eccleſiaſtica etiam ſimplicia obtinentibus, ut cum vitæ, & animi clericali integritate externus etiam habitus, veſtitus, omniſque converſatio congruat, præſenti decreto præcipimus, ut clericalem tonſuram, quæ eſt militiæ ſpiritualis inſigne, perſpicue gerant. Veſtem ſuperiorem, & interiorem ſimplicem, & talarem, nec alterius coloris, quam nigri, ſi eis facultas ſuppetat: ſin minus, quam maxime Epiſcopi, & perſonæ, & loco convenientem judicaverint, ferant, ita tamen, ut longitudine genua excedat. In itinere paulo contractioribus veſtibus uti poterunt, ita tamen, ut Clericalem honeſtatem præſeferant. Caligis non inflatis, nec diſſectis, nec alterius coloris, quam nigri, vel albi, ſi id Epiſcopi pro qualitate perſonarum, & locorum concedendum judicaverint; nec calceis, crepidiſve inciſis, aut ſericeis, ſed ſimplicibus, & integris utantur. In diploidum vero manicis alium, quam nigrum colorem non adhibeant: nec camiſiis ad manum, aut ad collum criſpis, vel arte laboratis induantur. Pileos in Eccleſia ne habeant; extra vero, niſi valetudinis, aut frigoris cauſſa ne deferant: ii vero ſimplices, non in acutum tendentes, & honeſtæ latitudinis exiſtant. Pallium, quod ferrajolum dicitur, pro frigoris, & pluviæ neceſſitate tale habeant, quale Clericali decoro congruit, & a laicorum uſu differat; non ſerico ornatum, nec alterius, quam nigri coloris, ad talos uſque protenſum, & parte ſuprema, quæ collum circuit, non altiori trium digitorum menſura. Arma ne ferant, neque quæ defenſiva, neque quæ offenſiva appellantur, niſi cum iter faciendum erit per loca non tuta: habita tamen Epiſcopi licentia. Neve larvis, perſoniſve utantur. Qui in aliquo horum deliquerint, amiſſione veſtium, atque carceris, & aliis etiam pecuniariis, piis locis applicandis pœnis, arbitrio Epiſcopi mulctentur.

Clerici arma, nec offenſiva, nec defenſiva deferre poſſunt.

CAP. VII.

Canonicales, aut Parochiales ædes feminas excludant, nec laicis locentur, ſecluſa Eccleſiæ inopia: Canonicales a Canonicis, ad quos pertinent, non habitatas, Epiſcopi aliis concedant.

QUoniam vero, qui habitant in tabernaculis Domini non ſolum omnem impudicitiæ cauſſam, ſed etiam occaſionem, & ſuſpicionem a ſe removere debent; præcipimus, ne in ædibus ad domicilium, & uſum Canonicorum, Parochorum, aliorumve Clericorum, & Miniſtrorum Eccleſiæ ædificatis, feminæ, etiam illis quovis ſanguinis vinculo conjunctæ, ullo modo commorentur: in aliis vero clericali uſui non attributis, niſi ex cauſſa ab Epiſcopo approbata. Ædes vero Eccleſiæ, aut earum partes, in quibus ipſi habitant, aut habitare debent, laicis nullo pacto locent, nec habitare permittant, niſi Eccleſiæ inopia id facere cogantur. Quo caſu eas honeſtis perſonis locent, ſicuti de aliis Eccleſiæ domibus locari ſolitis, ubicumque eæ ſint, fieri mandamus. Domus vero canonicales, ſi quæ ſint in canonica ipſa exiſtentes, quæ privatim aliquibus Canonicis ratione ſuorum canonicatuum attributæ fuerint, ſi ipſi eas non habitaverint, Epiſcopi aliis Canonicis, aut Eccleſiæ miniſtris gratis habitandas concedant.

In Clericorum domibus nec conſanguineæ commorari debent.

CAP. VIII.

Clerici quæ vitare debeant?

PRæcipimus etiam Clericis, ne cum ipſos ſpectaculum fieri oporteat mundo, Angelis, & hominibus, ſpectaculis ab eorum vitę ratione alienis, & quę Chriſtum non ſapiunt, interſint. Itaque comœdias, fabulas, choreas, haſtiludia, aut ludicrum, & profanum ullum ſpectaculi genus ne agant, vel ſpectent. Nec talis, teſſeris, pagellis pictis, & omnino alea, aut ullo præterea vetito, aut indecoro ludi genere ludant, neve ejus ſpectatores ſint, nec in eorum domibus ludere permittant. Pilæ vero ludum, & illorum globorum, qui malleis propelluntur, in locis publicis, aut pecunia intercedente nullo modo exerceant. Non canes,

Nullius ludi genus Clericis permittitur.

nes, accipitres, aut ullum aliud venaticum animal alant: ullumve genus venationis adverſus ſacros canones obeant. Ne comeſſationibus, aut minus honeſtis conviviis interſint; cauponaſque, aut tabernas, niſi longioris itineris gratia, ne ingrediantur. Execrentur compotationes illas, quæ ad æquales vini hauſtus (a) ſumendos obligant. A ſymbolarum datione longiſſime abſint: ſobrie denique, & caſtè ubique vivant.

CAP. IX.

Exercitia Clericis prohibita.

Cauſarum actiones, & procurationes apud ſæculares Judices Clericis interdicuntur.

PRocuratione, advocatione, patrocinio, & omni actione cauſſarum, apud judicem ſæcularem, exceptis cauſſis a jure permiſſis, & notariatus, & tabellionatus officio, nec non cura, tutela, & arte medendi Clerici abſtineant: mercaturam ne exerceant: neve in rebus contrahendis ſe medios, vel interpretes adhibeant: operas ſuas (prout fieri a nonnullis Sacerdotibus in hac Provincia audivimus) alteri mercedis gratia ne locent: prædia ne conducant: & pro nemine ſpondeant ſine Epiſcopi licentia: Principum, & omnino laicorum, & communitatum negotia ne procurent, aut eis inſerviant, niſi cauſſa id poſtulet a Sacerdotali officio non aliena. Ne feminas nobiles, aut alias cujuſvis generis affectentur, neve ipſorum brachiis inhærentes ducant, aut eis quoquo modo famulentur: neve officii cauſſa ſtent circum menſam illis accumbentibus. In famulatu vero Eccleſiaſticarum perſonarum vilia officia, aut opera, quæ clericali decori non conveniunt, minime faciant. Equos, equitandique artem ne exerceant. Qui in aliquo ſupradictorum deliquerint, carceris, & aliis etiam pecuniariis in pios uſus erogandis pœnis, arbitrio Epiſcopi puniantur: & eorum creſcente contumacia, beneficiis, ſi ea obtinuerint, priventur, aut aliis pœnis, prout Epiſcopis videbitur, plectantur. Quo ad vero ſæculares negotiationes, ſi tertio moniti ab ipſis non abſtinuerint, juxta decretum Honorii Tertii, quo ad eorum bona, clericale etiam privilegium amittant.

Laicorum negotia agere, nobiles feminas affectari, brachiiſq; ducere Sacerdotibus prohibetur.

CAP. X.

In Presbyteratus ordine conſtituti dominicis ſaltem, feſtiſque diebus Sacrum faciant: ceteri ſingulis ſaltem menſibus Euchariſtiam ſumant.

CUm vero Epiſcopis, reliquiſque inferioribus Sacerdotibus injunctum ſit, ut in commiſſum ſibi populum Deum propitium reddere cunctis rationibus enitantur, quod præcipue Miſſæ ſacrificio efficitur; Concilii Tridentini decretis inhærentes, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri vehementer hortamur Epiſcopos, dignitates, perſonatus, aut canonicatus obtinentes, ceteroſque in Presbyteratus ordine conſtitutos, ut ſingulis ſaltem dominicis, & aliis feſtis diebus, niſi juſte impediantur, ſalutare Miſſæ ſacrificium faciant: Diaconos, & Subdiaconos, Clericos denique etiam inferiorum ordinum gradibus initiatos, ut ſaltem ſemel ſingulis menſibus ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumant.

CAP. XI.

Horæ Canonicæ ſemper recitentur, & quomodo?

SAne veteri inſtituto Eccleſiæ, & Leonis X. decreto in Concilio Lateranenſi edito ſancitum eſt, ut Clerici ſacris initiati, vel Sacerdotiis præſidentes, ſingulis diebus perlegant horarias preces, quas Canonicas appellamus. Iis igitur omnibus præcipimus, ne eas ullo modo recitare omittant: alioqui pœnas in decreto ejuſdem Concilii propoſitas, & alias arbitrio Epiſcoporum ſubibunt. Eas autem preces non tantum ore murmurent, ſed etiam corde perſolvant, ne in eos competat, quod per Prophetam Iſaiam cap. 29. dicitur, *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe eſt a me*. Itaque, quod à nonnullis fieri conſuevit, eaſdem horas Canonicas ſe ipſos calceantes, aut induentes, aut aliud quid facientes ne recitent; ſed tota corporis, & animi attentione, ſpiritu, & mente etiam pſallant. *Maledictus enim, qui opus Dei facit negligenter*.

Horas Canonicas non calceantes, & induentes, vel aliud quid facientes, ſed a tente Clerici perſolvant.

CAP. XII.

Quos libros Clerici habere debeant?

ADmonemus vero omnes pariter Eccleſiaſticis muniis conſecratos, ut divinam ſcripturam aſſidue ſcrutentur, & nunquam a manibus eorum liber legis, Biblia videlicet, deponatur; atque ea, quæ legunt, & canunt, diſcant intelligere: aliorum vero librorum ſi non copiam, aliquos tamen neceſſarios habeant, ſcilicet Catechiſmum ſupranominatum, Tridentinum Concilium, & Provinciale hoc Concilium Beneventanum, & alia hujuſmodi. Parochi vero, præter ſupradictos, habeant homiliarum librum, ſummam aliquam probatam, & ſi quos alios Epiſcopi, pro ipſorum Parochorum eruditione, neceſſarios judicabunt.

Parochi homiliarum librum, & probatam ſummam habeant.

NOTA.

(a) *Symbolæ (ait Du Gange in Gloſſario) convivia publica ex ſingulorum ſymbolis -- Concilium Auſcenſe 1068. Archidiacono autem interdicimus, convivia more ſymbolarum in ejus Eccleſiis peragi.*

TITULUS II.

De Concubinariis.

CAP. UN.

Tridentini Concilii ſtatutum de concubinariis obſervandum inculcatur.

QUam turpe, ac Clericorum nomine, qui ſe divino cultui addixerunt, ſit indignum in impudicitię ſordibus, immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa (communi omnium fidelium offenſione, ſummoque Clericalis militiæ dedecore) teſtatur. Quare cum ſacra Tridentina Synodus graviſſimo decreto ſtatuerit, quibus pœnis hujuſmodi concubinarii affici debeant, & quomodo contra eos procedendum ſit, nihil aliud præterea addendum eſſe exiſtimavimus; ſed ſolum Epiſcopis in memoriam revocare dictum decretum, & præcipere, ut illud diligenter exequi curent: quod ſi facere omiſerint, & Deo, & proximæ provinciali Synodo rationem erunt redditori.

TITULUS III.

De Eccleſiæ Miniſtris, & Divinis Officiis.

CAP. I.

Quod in Metropolitana quoad Eccleſiaſticos Miniſtros ſervatur, dignum eſt, quod Provinciæ Cathedrales amplectantur.

CUm Tridentinum Concilium certam in Provincialibus Synodis ſtatuendam formulam decreverit omnibus Eccleſiaſticis miniſtris, ut omnes miniſterium ſuum impleant, debitoque in Dei domo ordine verſentur; Nos diligenter inſpectis ſtatutis, & conſtitutionibus Metropolitanæ Eccleſiæ Beneventanæ circa ea, quæ in dignitatibus conſtituti, & Canonici, ceterique præſtare debent, ea digna judicavimus, ut pro Eccleſiaſtici ordinis dignitate in aliis etiam Provinciæ hujus Cathedralibus ſerventur: & omnes juxta ſacrorum Conciliorum antiquiorum decreta, & canonicas ſanctiones, ipſi Metropolitanæ, ſibique ipſis, iiſdem ritibus, & auctoritate in Eccleſia utentes conſonent.

CAP. II.

Archidiaconi munia deſcribuntur.

Archidiaconi Epiſcoporũ oculi dicuntur.

ARchidiaconi igitur, qui Epiſcoporum oculi dicuntur, ea, quæ in Choro, in Proceſſionibus, in ſeſſionibus, indumentis, tonſuris, & ſimilibus quotidie a Clericis errantur, corrigant: ne abſurde, indecore, vel præpoſtere, ſed ut ordine omnia, & decenter, & qua convenit ratione fiant, animadvertant: Ipſi Canonicos, aliosque in ſtallum recipiant, ac alia faciant, quæ ipſis de jure facienda incumbunt.

CAP. III.

Archipresbyteri onera quæ ſint?

Archipresbyteri Eccleſiam cuſtodiunt, & Sacramenta adminiſtrant.

ARchipresbyteri, cum ipſis Eccleſiæ cuſtodia, & Sacramentorum adminiſtratio commiſſa ſit, eo munere maxima cum diligentia per ſe ipſos fungantur, aut aliquis certus Sacerdos idoneus ab Epiſcopo approbandus, ſive ex Capituli corpore, ſive aliunde eligendus inſtituatur, qui perpetuo Archipresbytero incumbentem curam, conſtituta ex Archipresbyteratus reditibus congrua portione, coadjuvet, & exerceat.

CAP. IV.

Primicerii officium deſignatur.

Primicerii ex conſuetudine Pęnitentiarii Epiſcopi ſunt.

PRimicerii cum conſueverint eſſe pęnitentiarii Epiſcopi, ſtudeant, ut eo muneri ſatisfacere poſſint: cumque ipſi antiphonas, reſponſoria, tractus, lectiones expendere debeant, ſint aſſidue in Choro & officiis, horiſque canonicis interſint.

CAP. V.

Theſaurario quæ incumbant?

Theſaurarii ſacras veſtes mundas, vaſaque argentea nitida, & linea pura conſervare debent.

VEſtiarii, ſive Theſaurarii cuſtodiam habeant ſacrorum vaſorum, veſtimentorum eccleſiaſticorum, ornamentorum omnium Altarium, eorumque munditiæ, nitorique conſulant. Propterea que ſint aſſidue in veſtiario: & ut Altaris, & Sacerdotum inſtrumenta linea pura ſint, & ceteræ ſacræ veſtes ſartæ tectæ conſerventur, curam, diligentiamque adhibeant. Vaſa argentea nitida itidem, & munda conſervent: confracta, contuſa, emendanda, & ſarcienda curent.

CAP. VI.

Bibliothecarius, quæ præſtare debeat?

BIbliothecarii in Bibliotheca, ſive Archivo libros, inſtrumenta, ceteraque inſtrumentorum genera ad Capitulum quavis ratione ſpectantia diligenter cuſtodiant: eaque omnia, cum opus fuerit, conficienda curent.

CAP. VII.

Quis locus in Choro Dignitatibus debeatur?

LOcum vero ii omnes, qui dignitates, & perſonatus obtinent, in Choro, & Capitulo teneant eo ordine, quo ſupra deſcripti ſunt, ſalva tamen alicujus Eccle-

cleſiæ laudabili conſuetudine, qua in hujuſmodi Dignitatibus aliter ex antiquis ipſius Eccleſiæ ſtatutis obſervatum eſſe reperitur.

CAP. VIII.

Canonici, aliique Eccleſiæ miniſtri, quæ præſtare teneantur?

Denique tam hi omnes in dignitate, in perſonatu conſtituti, quam Canonici, ceterique in Eccleſia miniſterium habentes, interpretentur ſinguli nomina ſuorum officiorum, & dignitatum, ut re ipſa nominibus reſpondeant, ſintque horis debitis divinis officiis intenti: neve eo tempore per Eccleſiam vagentur, ſed nec à Choro diſcedant, niſi divino officio confecto, aut aliqua cogantur neceſſitate: alioqui diſtributionibus, quas percepturi eſſent, careant. Omnes vero per ſe ipſos munera ſua exerceant, & quantum honore ceteris præſtant, tanto alacrius, & majori ſtudio Pſalmis, Hymnis, & Canticis vna cum aliis modulantes, Dei laudes concelebrent, ut alii eorum exemplo ad ſtudium, & amorem divini cultus inflammentur. Si quibus in Eccleſiis alii extiterint eccleſiaſtico miniſterio addicti, quibus aliqua in ipſorum miniſtrorum inſtitutione facienda præſcripta ſint, quocunque ii nomine nuncupentur, curent Epiſcopi, ut ad ea præſtanda cogantur.

Canonici, & miniſtri Eccleſiæ nomina ſuorum officiorũ interpretentur, factiſque ſuis nominibus reſpondere tenentur.

CAP. IX.

Eccleſiæ communes reditus in quotidianas diſtributiones convertantur, & quomodo? Duo eligantur Punctatores, qui punctationum librum conficiant, menſatim Epiſcopo, vel Vicario exhibendum. In punctatione colluſio omnis vitetur.

Ne vero Divinus cultus deſeratur, ſi nullæ, aut ita tenues ſint diſtributiones quotidianæ, ut negligantur, ſtatuimus, ut ſicuti in Metropolitana Eccleſia Beneventana obſervatur, omnes Eccleſiæ communes reditus in quotidianas diſtribrtiones convertantur: ita tamen, quod puncti non excedant annuos reditus, deductis tamen his, quæ pro Seminario, aut aliis Eccleſiæ neceſſitatibus ſolvi oportet. Sed ne ea in re fraus ullo pacto fiat, ſed qui præſentes divinis officiis, quive abſentes fuerint, fideliter ſcribantur; duos creari Punctatores decernimus, unum ab Epiſcopo, alterum vero a Capitulo. Qui punctationum libros unoquoque menſe Epiſcopo, vel ejus Vicario exhibeant; & quotieſcumque ab eorum altero fuerint requiſiti. Ii vero ſemper ſacris horis interſint: ſi autem legitime fuerint præpediti, qui eorum vices fideliter gerant, ſubſtituant. Hac vero in re, nulla pactio, remiſſio, vel colluſio fiat, factave vim habeat: ſi ſecus factum fuerit, qui diſtributiones illius diei, vel horæ, in quibus muneri ſuo defuerit, acceperit, ſuas non faciat, ſed eas reſtituere teneatur, cum jure ipſo inſervientibus debeantur: ac propterea illis, qui, ut ſtudiorum cauſa abſint, obtinuerunt, aut obtinebunt, juxta decretum Honorii Tertii, eas nullo modo dandas decernimus.

Ut fraudes vitentur, Punctatores eliguntur.

CAP. X.

Canonicatum, & præbendas habentes Preſbyteri ſint, niſi ordinum diſtributionis conſuetudo vigeat.

Mandamus etiam Epiſcopis, ut omnes in eorum Cathedralibus, aut collegiatis, dignitates, perſonatus, Canonicatus, & præbendas obtinentes, juxta laudabilem omnium fere hujus Provinciæ Eccleſiarum conſuetudinem, in Preſbyteratus ordine ſint conſtituti: ſalvis tamen peculiaribus alicujus Eccleſiæ ſtatutis, in qua certi quidam Subdiaconatus, & Diaconatus ordines, nonnullis Canonicatibus, aut dignitatibus ſunt annexi, iiſque jam aſſignati, & attributi ſunt, neque plures, quam decreto Concilii ſtatutum eſt, exiſtunt.

In quibuſdam Eccleſiis Diaconatus, & Subdiacõatus ordinesCanonicatibus ſunt annexi.

CAP. XI.

Minorum ordinum functiones in Eccleſiis reſtituantur. Pauperes vagos, dum divina celebrantur officia, oſtiarii, vel alii arceant, & locus extra Eccleſiam conſtituatur pro eleemoſynis petendis.

Minorum ordinum functiones in Cathedralibus Eccleſiis, ac Collegiatis, & Parochialibus, aliiſque Eccleſiis, in quibus ſunt Clerici in minoribus ordinibus conſtituti, ſi commode fieri poterit, ex præſcripto Tridentini Concilii, Epiſcopi reſtituendas curent. Cumque pauperes, qui per Eccleſias vagantur, dum divina celebrantur officia, petentes eleemoſynam, maximo interdum ſoleant eſſe faſtidio, & his, qui ea celebrant, & his, qui audiunt; Epiſcopi, vel oſtiarios, ubi eorum ordo reſtitutus fuerit, vel alios deligant, quibus id muneris injungant, ut hujuſmodi pauperibus extra Eccleſiam locus conſtituatur, ubi eleemoſynam petant; ne vel eorum petulantia, vel morborum, & ulcerum, quibus aliquando infecti ſunt, aſpectu perturbentur divina officia, vel ab eis audientium mentes avertantur.

Petentes in Eccleſiis elemoſynas, celebrantibus, audientibuſque faſtidio ſunt.

CAP.

CAP. XII.

Cæremoniarum Magiſtros Cathedrales, & Collegiatæ inſignes habeant. Cæremonias, in miſſa faciendas, doceant. Divina officia Romano ritu perſolvantur.

MAgiſtros Cæremoniarum in ſingulis Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, ubi ii non fuerint, conſtituendos eſſe decernimus. Eorum vero præcipua cura ſit, ceremonias in Miſſa faciendas, ſecundum Romanæ Eccleſiæ uſum, Sacerdotes, qui eas non exacte norint, docere. Omnia vero divina officia, quæ in Choro cantari, & recitari ſolent, non alio ritu cantari, & recitari mandamus, quam quo Romana Eccleſia utitur.

CAP. XIII.

E choro laici excludantur: feminæ nullo modo in eumdem admittantur.

CUm vero hac noſtra ætate Choros non magis Clericorum, quam Laicorum conventus dici poſſe videamus, ex eoque ſacrorum miniſtrorum perturbationem oriri, dum fere a Laicis in Choro opprimuntur; decernimus, ne, dum divina officia dicuntur, intra Chorum Laici admittantur; his tantum, præter Cantores, & hujuſmodi in Choro miniſtros, in eum locum ingreſſuris, qui eccleſiaſtici ſint, & honeſto, & decenti veſtitu utantur. Feminæ vero cujuſcumque conditionis, & ſtatus ſint, nullo unquam tempore, nullave ex cauſſa, dum diuina officia celebrantur, aut verbum Dei prædicatur, hiſque horis, quibus Clerici in Choro præſentes ſunt, in Chorum admittantur.

CAP. XIV.

Methodus Capitularium Congregationum habendarum traditur.

CApitula in Cathedralibus Eccleſiis, aliiſque Collegiatis inſignibus, pro rebus, & negotiis Eccleſiarum, ipſorumque Capitulorum tractandis, congregari debere ſtatuimus ſemel in Hebdomada, niſi neceſſitas aliter ſuadebit, poſt veſperas, non tamen diebus feſtis: quæ Capitula cum congreganda erunt, præcedenti die omnibus, & ſingulis in Civitate præſentibus denuntianda erunt, & denuntiationum relationes apud acta Notarii ſcribendæ, ſalvis aliis de jure ſervandis. Si qui vero vocati ad Capitulum non venerint, illius diei diſtributionibus careant.

Qui vocati ad Capitulum non venerint, diſtributiõe illius diei priventur.

Tractata vero omnia per Capitulum, per eumdem Notarium ſcribantur, & in volumen redigantur. Vota Canonicorum per ſecreta ſuffragia dentur, excluſis a Capitulo illis, quorum de re agitur: qui niſi re perfecta, quæ ipſos tangebat, redire in Capitulum non poſſint. Niſi autem majoris partis Capituli votis res in Capitulo propoſita obtenta fuerit, de ea nihil actum eſſe decernimus: prohibemuſque in Capitulis tractari de aliquo Canonicatu per obitum vacante, niſi poſt humatum corpus defuncti Canonici, & illius exequiis peractis, ubi Capitula electionem habent. In electionibus faciendis ceſſet omnis humanus affectus, ſolumque Deus præ oculis habeatur: illeque eligatur, qui magis Eccleſiæ utilis eſſe judicabitur. Nullæ pactiones, vel petitiones intercedant, nulliſque illicitis viis, etiam per interpoſitas perſonas, ad procuranda electorum ſuffragia, procedatur. Qui ſecus fecerint, ſimoniaca labe pollutos ſeſe eſſe ſciant.

De electione Canonicatus non tractetur in Capitulo, niſi peractis Canonici defuncti exequiis.

Indictio futuræ Seſſionis.

DEcernimus item proximam futuram Seſſionem habendam, & celebrandam eſſe ad diem XXII. præſentis menſis Aprilis.

SESSIO VI.

Provincialis Synodi Beneventanæ, celebrata XXII. die Aprilis M. D. LXVII.

TITULUS I.

De foro judiciali Epiſcoporum.

CAP. I.

Vicarii generales ſint, vel Presbyteri, vel qui infra annum Presbyteratum poſſint ſuſcipere; Publicum tribunalis inſtitutum in ſportularis exactione ſervetur; feriatis diebus quieſcat civile forum.

EPiſcoporum, & Eccleſiarum decori alienum eſſe videtur, ut Vicarii Generales Laici conſtituantur. Quare præcipimus Epiſcopis, aliiſque, quibus eccleſiaſtica juriſdictio quoquo modo, aut jure competit, ne alios Vicarios conſtituant, quam Clericos, & ſi commode fieri poteſt, eos, qui Sacerdotes ſint, vel iis ſacris initiati, ut ad Presbyteratus ordines intra annum ſaltem promoveri poſſint. Qui quidem Vicarii in quibuſcumque cauſſis ab ipſis cognoſcendis, & terminandis, ratione ſportularũ nihil aliud exigant, vel accipiant etiam a ſponte dantibus, quam quod ex publico ejus Tribunalis inſtituto exigere, & accipere poſſunt: alioqui ad reſtitutionem teneantur, & arbitrio Superiorum puniantur.

Diebus Dominicis, & aliis feſtis, & ſolemnibus diebus aliquos in judicium vocari in cauſſis civilibus, vel pro eis aliquam executionem fieri prohibemus, ne vo-

Cur diebus feſtivis in judicium vocari, & executiones fieri prohibentur?

vocati his diebus delitefcant, & palam prodire nolint; eoque pacto ab audiendo Dei verbo, & a Divinis officiis diebus feſtis avocentur.

CAP. II.

Pauperum Procuratores inſtituantur. Epiſcopi quolibet menſe, vel per ſe, vel per deputatos carceres viſitent, vel proceſſus inſpiciant. Si quid durius a Miniſtris perpetratur, emendetur.

CUrent Epiſcopi in ſuis Eccleſiis Procuratores pauperum inſtituendos: ne pauperes Sacerdotes, aut alii Epiſcoporum carceribus mancipati, Procuratorum indigentia, & inopia indefenſi remaneant, aut longius temporis ſpatium in carceribus detineantur, & demum cauſſa cadere cogantur. Epiſcopi vero carceres quolibet ſaltem menſe viſitent, aut in carceribus detentorum proceſſus ſibi referri faciant: ipſiſque impeditis, probos aliquos viros deligant, quibus eorum viſitationem committant. Si quid vero durius, aſperiuſque fieri a Vicario, carcerum cuſtodibus, aliiſve Miniſtris relatione habita compererint, Epiſcopi pro eorum pietate emendent: & ne quid deinceps hujuſmodi fiat, ſummopere curent.

CAP. III.

Pecuniariæ pœna in pios erogentur uſus. Harum depoſitarius ab Epiſcopo conſtituatur, qui accepti, & expenſi reddat rationes.

SI quando pro deliſtorum ratione, & qualitate in delinquentes pœnas pecuniarias irrogari contigerit; decernimus eas in pios uſus arbitrio Epiſcopi erogandas, depoſitariumque ab Epiſcopo conſtitui debere, qui earum pœnarum pecunias accipiat, acceptarumque, & expenſarum rationes reddat.

CAP. IV.

Epiſcopali juriſdictioni inſervientium officia, nec vendantur, locentur, aut lucri gratia alicui tradantur. Si cui transferantur, abſque lucro, & cum Epiſcopi facultate fiat.

OFficia Notariorum Eccleſiaſticorum, aliorumque quorumcumque Miniſtrorum, qui Epiſcopalis juriſdictionis miniſterio inſerviunt, hortamur, ut in poſterum nullo pacto vendantur, aut locentur, aut lucri cujuſcumque gratia alicui tradantur; ſed gratis viris idoneis, qui per ſe ipſos hujuſmodi officia exercere valeant, actuque exerceant, largiantur. Illi vero, quibus deinceps donata, conceſſave fuerint, in alios ea lucri cauſſa transferre nullo pacto poſſint; abſque lucro vero, facultate ab Epiſcopo obtenta, qui, ſi viri idonei erunt, nec ne, in quos ea transferri contigerit, judicabit.

CAP. V.

Conditio, ætas, numerus, officium Notariorum quæ eſſe debeant?

NE vero ad Notariatus officia aſſumantur indigni, qui rerum agendarum experientia, ignorantiaque ſibi ipſis infamiam parent, aliis vero damnum, præjudiciumque inferant; decernimus viros expertos, proboſque, & competentis litteraturæ, qui xxv. annum ſaltem attigerint, in Notarios eligendos, deputandoſque eſſe, qui prius tamen ab Epiſcopo, ſive ejus Vicario examinati, & approbati extiterint: neque plures in qualibet Eccleſia conſtituantur, quam ejuſdem Tribunalis negotiis, cauſſiſque ſufficere videbuntur. Et ſi plures jam inſtituti reperiantur, cum primum hujuſmodi officia vacaverint, ſupprimantur. Ii vero Notarii Archivum primo quoque tempore conſtituant in loco eis ab Epiſcopo intra Epiſcopale Palatium aſſignando, in quo omnia inſtrumenta, protocolla, actuſque quarumcunque cauſſarum per ipſos confecti conſerventur. Archivum in Epiſcopio Epiſcopi collocetur.

CAP. VI.

Taxa mercedis miniſtrorum conficienda in Diœceſana Synodo mandatur, in Provinciali deinde approbanda.

QUæ vero Notarii, & alii Miniſtri Eccleſiaſtici Tribunalis pro eorum labore recipere ſtipendia debeant in ſingulis cauſſarum, & ſcripturarum, ceterarumque actionum per ipſos exercendarum generibus, Epiſcopi in Diœceſanis Synodis ſtatuant; quodque ſtatutum fuerit, ad primam Provincialem Synodum approbandum aſſerant: ſed in litteris dimiſſoriis, ſive teſtimonialibus, decretum Concilii Tridentini omnino ſervetur. In aliis vero mere ſpiritualibus, præter ſcripturæ mercedem, quæ in Synodo ab Epiſcopo ſtatuenda erit, nihil accipiatur: prædictarum vero litterarum dimiſſoriarum, ſeu teſtimonialium ipſi Notarii, ſicut ceterarum ſcripturarum, memoriam conſervare teneantur. In litteris dimiſſoriis decreti Tridentini Conc. obſervantia Notariis inculcatur.

TITULUS II.

De Archivo conſtituendo.

CAP. I.

Archiva quamprimum ab Epiſcopis inſtituantur. Capitula vero armarium in Epiſcopali conſtruant.

EPiſcopi primo quoque tempore Archivum inſtuendum curent, in quo ſcri-

ſcripturæ, & inſtrumenta tam ad Epiſcopos ſpectantia, quam ad jura, & rationes Eccleſiarum pertinentia tuto cuſtodiantur, una cum eorum inventario publici alicujus Notarii manuſcripto. Quo quidem ex Archivo nulla originalis ſcriptura amoveatur, niſi ex juſtiſſima cauſa, quæ ad utilitatem Epiſcopalis dignitatis, & Eccleſiæ pertineat: idque coram Notario, & teſtibus fiat, ab eodemque Notario in inventario adſcribatur, quo die, & a quo, & cujus rei gratia illa ſcriptura amota fuerit: eoque caſu illius exemplar authenticum in Archivo relinquatur.

Hoc vero Archivum in tutiori parte domus Epiſcopalis conſtituatur, duabuſque clavibus occludatur, quæ penes Epiſcopum, aut ejus Vicarium ſint. Sede vero vacante, earum una a Vicario, altera a Capitulo teneatur, ut futuro Epiſcopo poſtea tradantur; qui inde interea ne quidquam amoveri permittant. Archivum hujuſmodi Epiſcopi ſæpe viſitent, memores juramenti, quod in conſecratione præſtiterunt, de non alienandis bonis Eccleſiaſticis; ab alienationis enim culpa non aberunt, ſi ob eorum ſocordiam, & negligentiam ea perierint inſtrumenta, quibus res, & jura Eccleſiarum defendi, aut inique occupata vindicari poſſent. Capitula præterea Cathedralium, aliarumque inſignium Collegiatarum, niſi propria Archiva ſeparatim habeant, in Archivo Epiſcopali arcam, ſeu armarium conſtituant, in quo ipſarum Eccleſiarum ſcripturæ ſerventur: in earum vero ſcripturarum inventarii confectione, amotione, & viſitatione, eadem, quæ de Archivo Epiſcopali dicta ſunt, locum habeant.

Archivum ab Epiſcopis ſæpe viſitari debet, ut eorum juramentum de non alienandis bonis Eccleſiæ magis ſervetur.

TITULUS III.

De Cataſto bonorum Eccleſiaſticorum conficiendo.

CAP. I.

Bonorum Eccleſiaſticorum Inventaria conficiantur, quotannis renovanda in viſitatione.

Ne vero res, & bona Eccleſiarum diſpereant, aliorumque cupiditati, eaque occupandi voluntati exponantur, ſi nullæ de eis confecta conſerventur monumenta; ſtatuimus, ut Epiſcopi cataſtum quamprimum conficiendum curent, in quo eorum Cathedralium Eccleſiarum, itemque menſæ Capitularis Cathedralium, & Collegiatarum, ac Parochialium Eccleſiarum, necnon quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura, quocumque nomine nuncupentur, & hoſpitalium, ſodalitatum, & aliorum piorum locorum bona, iura, actiones, cenſus, reditus, nomina debitorum, ac denique omnia ad ipſas ſpectantia annotentur: nominatim bonorum qualitates, & quantitates, ipſorumque confinia adſcribantur. Eorum vero librorum, ſive cataſtorum exemplaria duo authentica conficiantur, quorum unum in Archivo Epiſcopali, alterum in Archivo Capituli conſervetur: & ſingulis annis Epiſcopi, ſeu alii Viſitatores in viſitatione inventarium omnium bonorum Eccleſiaſticorum renovandum curent, & diligenter ſuſpiciant, num eorum, qui in cataſto notata fuerint, aliquid alienatum, deperditumque ſit.

Quæ cura Epiſcopi Cataſtum Eccleſiarum conficere debent.

TITULUS IV.

De locationibus bonorum Eccleſiaſticorum.

CAP. I.

Locationes bonorum Eccleſiaſticorum judicentur, an utiles Eccleſiæ ſint: ſi per triennium fiant, Epiſcopi conſenſu vallentur; ſi per longius tempus, Romani Pontificis: anticipata ſolutione ne fiant.

Locationes bonorum Eccleſiaſticorum, etiam auctoritate Apoſtolica confirmatas a triginta annis citra ad longum tempus, ſeu, ut in nonnullis partibus, ad viginti novem, ſeu bis viginti novem annos vocant, factas, juxta decretum Concilii, qui hujus rei gratia judices in Synodo deputati ſunt, examinabunt, & an in damnum Eccleſiæ, & contra canonicas ſanctiones contractæ fuerint, judicabunt. Judices vero deputavimus Vicarium pro tempore exiſtentem in Metropolitana Eccleſia Beneventana, & ipſius Civitatis Beneventanæ Gubernatorem, ſive ejus Locumtenentem, in ea ſimiliter pro tempore exiſtentem conjunctim. Locationes vero eorumdem bonorum Eccleſiaſticorum per triennium a quocunque ipſæ in futurum fiant, invalidas decernimus, niſi eis expreſſus Epiſcopi conſenſus, aut ejus Vicarii, qui etiam eas manu propria ſubſcribant, acceſſerit: longioris vero temporis ultra triennium locationes, niſi auctoritate Apoſtolica fiant, invalidæ, & irritæ ſint, effectumque nullum ſortiantur.

Judices locationum bonorum Eccleſiarum Vicarius Generalis, Gubernator Civitatis, vel Locumtenens, deputantur.

Nullas item locationes fieri poſſe decernimus, anticipata ſolutione. Si vero Capitula Cathedralium Eccleſiarum, Collegiatarumve, & Rectores Eccleſiarum, aut alii quicumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, aliter quam præſenti decreto ſtatutum eſt, fecerint, præter pœnas propoſitas in bulla Pauli Secundi his, qui Eccleſiæ bona alienaverint, beneficiis, quorum bona locaſſe reperti fuerint, privenven-

Bona Eccleſiarum propinquis in emphiteuſim ne locentur.

ventur, & aliis pœnis arbitrio Epiſcopi puniantur. Nemini vero propinquis locare conceſſum ſit in emphiteuſim, aut ad cujuſvis temporis ſpatium bona Eccleſiaſticorum beneficiorum, niſi Epiſcopus aliter faciendum judicaverit pro commodo, & utilitate Eccleſiæ.

TITULUS V.

De immunitate Eccleſiaſtica.

CAP. I.

In Eccleſiam facinoroſi ne recipiantur, inconſulto Epiſcopo; immunitas tamen ſervetur.

Eccleſiæ facinoroſorum hominũ aſyla ne fiant.

SAcrarum ædium immunitas, tam Imperialibus legibus, quam Pontificiis, ſacriſque Canonibus conſtituta, conſervanda ita ab eccleſiaſtico ordine eſt, ut eam non facinoroſorum hominum aſylum eſſe appareat. Quare Epiſcopi omnibus in quacumque dignitate, & gradu conſtitutis Clericis interdicant, ne in Eccleſiis facinoroſos homines, & ſæcularem Judicem fugientes recipiant, niſi conſulto prius Epiſcopo, ſive ejus Vicario, qui re cognita, quid facto opus ſit, pro rei, & perſonarum, temporiſque qualitate decernant, ita tamen, vt Eccleſiarum immunitas omnino ſervetur, nullove pacto violetur: nec facultas ob hoc alicui tribui putetur, eam quoquo modo lædendi, aut violandi.

CAP. II.

Eccleſiarum parietibus nova ædificia ne adhæreant, niſi pro ipſarum ornamento, aut uſu; ſi qua ſint diruantur. Laicæ ſervitutes arceantur. Nundinarum tempore nil earum portis figatur, aut in porticu vendatur.

IPſarum vero Eccleſiarum mœnibus Epiſcopi nullum opus novum, aut ædificium, niſi pro Eccleſiarum ornamento, ac utilitate, & Miniſtrorum uſu adhærere permittant; vetera vero, ſi quæ laicorum fuerint, quæ Eccleſiis ipſis adhæreant, amoveri, aut dirui faciant. Quod ſi aliquæ domus Eccleſiis adhærentes Epiſcopis tolerari poſſe videbuntur, ne tamen ex eis in Eccleſiam aſpici poſſit, provideant: itaque feneſtræ, ſi quæ fuerint, ex quibus in Eccleſiam inſpiciatur, muro occludantur, aut omnino tollantur. Et quoniam aliquibus in locis, mercatus, nundinas, aliave hujuſmodi circa Eccleſiam fieri contingit, nihil ipſarum muris, portiſve affigi patiantur, aut in ipſarum porticibus merces vendendas exponi, aut aliud quid fieri, quod præter dignitatem, & decorem Eccleſiarum eſſe judicaverint.

Conc. Prov. Benev.

CAP. III.

Niſi ſcripto concedat Epiſcopus, opus novum in Eccleſia, porticu, aut Cœmeterio ne fiat.

MAndamus præterea omnibus Cathedralium, & Collegiatarum, Parochialium, aliarumque Eccleſiarum Archipresbyteris, Canonicis, Rectoribus, Præpoſitis, necnon quorumcumque Monaſteriorum cujuſcumque ordinis Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Capitulis, Præpoſitis, Hoſpitalium, & Confraternitatum, aliorumque piorum locorum Cuſtodibus, Gubernatoribus, & adminiſtratoribus, ſeu quocumque alio nomine nuncupatis, ne ſub pecuniariis, & in juris ſubſidium, excommunicationis, aliarumque cenſurarum Eccleſiaſticarum, Ordinariorum arbitrio imponendis, & irrogandis pœnis, audeant per ſe, vel per interpoſitas perſonas, in dictis eorum Eccleſiis, & porticibus, cœmeteriiſque fabricare, ſeu aliquod novum opus facere, aut ab aliis fieri permittere: neque quibuſvis perſonis cujuſcumque gradus, & dignitatis exiſtant, jus, & facultatem ea faciendi concedere, etiam ex cauſſa Cappellarum, Altarium, & Sepulcrorum conſtituendorum, abſque ipſorum Ordinariorum licentia ſcripto obtenta.

CAP. IV.

Sodalitatum ſcamna prœalta ab Eccleſiis amoveantur.

ABuſus quidam irrepſit, quod Laicorum nonnullæ ſodalitates ſcamna quædam prœalta Tribunalium more in Eccleſiis conſtituerunt, in quibus certis quibuſdam diebus pro rebus, negotiiſque earum ſodalitatum nonnulli ipſorum ſodalium reſident. Quem abuſum cum minime hæc fieri in ſacroſanctis Eccleſiis deceat, tollendum eſſe decernimus, ſcamnaque, & Tribunalia hujuſmodi omnino amovenda.

CAP. V.

Laicorum Conventus in Eccleſia ne fiant.

Non decet domum Dei ſecularibus negotiationibus profanari.

IN Eccleſiis omni quidem tempore Laicorum conventus, & quæ conſilia appellantur, fieri prohibemus: cum non deceat domum orationis ad profanarum rerum tractationes, negotiationeſque transferri.

CAP. VI.

Campanæ, niſi ad Eccleſiaſticum uſum, ne pulſentur.

SAcris campanis, niſi ad eum uſum, quem ex Eccleſiæ ritu hucuſque retinemus, uti Epiſcopi prohibeant, abuſum

tollendum curent: ne, ſicut hactenus fieri ſolitum eſt, ad convocandos pro rebus publicis hominum conventus, aliosque profanos actus exercendos, iiſdem campanis ullo modo amplius Populus utatur.

CAP. VII.

Epiſcoporum familiares Laici ne judicent ſub excommunicationis pœna.

Libido dominandi in Clericū quo a Dominis ſæcularibus extendatur?

QUoniam vero aliquorum Dominorum ſæcularium eo crevit dominandi in Clerum libido, ut etiam familiares, & domeſticos Epiſcoporum, & Epiſcopalis menſæ Notarios judicare, & carceribus mancipare non dubitent, ſi quis ex ipſis aliquid deliquerit, armaque etiam eos deferre prohibeant; mandamus omnibus cujuſcumque conditionis Baronibus, & Dominis, Capitaneis, aliiſque ſæcularibus Judicibus, ne deinceps ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, id ullo pacto facere audeant, cum Epiſcopi ipſi eorum familiæ Judices eſſe debeant, eamque, cum opus fuerit, punire, & corrigere, prout in Domino pro juſtitiæ cultu noverint expedire.

Epiſcopi eorum familiæ Judices eſſe debent.

CAP. VIII.

Aſſaſſinii nomine ad ſæculares carceres Eccleſiaſtici ne trahantur ſub pœnis hic expreſſis, niſi facta in foro Eccleſiaſtico declaratione.

SÆpe, ut experientia compertum fuit, contingit Clericos etiam in presbyteratus ordine conſtitutos ſæcularium Dominorum avaritia, & cupiditate dominandi, & ſæviendi etiam in perſonas Eccleſiaſticas, confacto aſſaſſinii crimine, non ſolum in tetros carceres conjici, & variis tormentis affici, ſed etiam, nulla facta legitima probatione ab Epiſcopis de hujuſmodi delictis, vel innoxios ad triremes damnari, & aliis pœnis plecti, vel omnibus bonis prius mulctatos liberari. Quo fit, ut Clerici omnes hujuſmodi terroribus, & pœnis perterriti, Laicorum voluntati ubique obſequi, & inſervire, Paſtoriſque vocem ſpernere cogantur, & Epiſcopus neſciat, quos ad Altaris miniſterium admittere, aut ab eo repellere poſſit, & debeat, & ſæculares domini cenſuris eccleſiaſticis innodati, Clerici ipſi male mulctati, Altaria, ſanctumque ſacrificium violatum, pollutumque remaneant; Quod ne in poſterum fiat, & ne delicta remaneant impunita, præcipimus omnibus ſæcularibus dominis, & poteſtatibus ſub pœnis a ſacris Canonibus ſtatutis, ne quandocumque Clericum aſſaſſinii reum, vel ſuſpectum apud eos fieri contigerit, ullo modo contra eum procedant, niſi facta prius de aſſaſſinio declaratione in foro eccleſiaſtico, vel in fragranti, ut dicitur, aſſaſſinii crimine deprehenſus fuerit.

CAP. IX.

Pro juſtitiæ executione aliqui optantur Miniſtri, cujus rei a Romano Pontifice impetratio Metropolitæ relinquitur.

OPtat maxime hæc Provincialis Synodus, ut Metropolitani cura ſit cum Sanctiſſimo Domino Noſtro agere, ut Epiſcopis pro executione juſtitiæ aliquos tenere Miniſtros liceat, etſi etiam id jure ſuo facere poſſint; ne cum Clerici, aut alii eorum juriſdictioni quovis modo ſubjecti, criminoſi, & diſcoli, aut ſuorum Superiorum præceptis inobedientes capiendi, carcerandive erunt, ſæcularium Dominorum miniſtris utendum ſit, qui, ut plurimum, aut Epiſcoporum mandata exequi recuſant, aut negligenter, & non eo quo convenit modo, exequuntur.

CAP. X.

Clerici neque pro civilibus, neque pro criminalibus cauſſis ad laicum evocentur forum, ſub anathematis pœna.

REnunciatum nobis fuit, a nonnullis Judicibus, etiam Regiis, & Baronibus, ipſorumque Curiarum promotoribus, Clericos, & beneficia eccleſiaſtica obtinentes, aut habitum tantum clericalem palam deferentes, vel alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſervientes, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Univerſitate permiſſu, & licentia Epiſcopi verſantes, ſuppreſſo Clericatus, & beneficii nomine, ſub eorum propriis nominibus paſſim in judicium vocari ex officio, & aliorum petitione, tam in cauſſis civilibus, quam criminalibus, & miſtis; eoſque aut comparentes ab eiſdem detineri, & ad docendum de eorum manifeſto, & noto clericatu per authenticas Bullas cogi, aut non comparentes, tanquam contumaces condemnari, & mulctari, non ſine magno ipſorum præjudicio, ſumptu, & labore, & ordinis clericalis ignominia. Quare mandamus, ne de cetero aliquis cujuſvis gradus, ordinis, & conditionis exiſtens Clericum ad ſæcularis fori judicium trahere per ſe, aut per alium ullo pacto audeat: alioqui excommunicationis pœnam ipſo facto incurrat, a qua abſolvi nequeat, antequam Clerico pro damnis, & injuriis propterea illatis, plene, perfecteque ſatisfecerit.

CAP. XI.

Neapolitani Regni Nuncium Epiſcoporum cauſſas apud Regem tueri, optatur. Metropolitæ interceſſio apud Rom. Pont. expoſcitur.

QUoniam vero perſæpe accidit hujus Provinciæ Epiſcopos pro diverſis ſuarum Eccleſiarum negotiis, ipſarumque juribus defendendis, Proregem Neapolitanum, Regioſque Miniſtros adire, vel ejus rei cauſſa aliquos e ſuis familiaribus mittere, ipſoſque ut plurimum a diverſis Regiis Miniſtris diſtractos, impenſiſque fatigatos re infecta reverti, cum pro ipſorum Eccleſiarum paupertate diu ibi remanere, aut Procuratores relinquere nequeant, optat hæc Provincialis Synodus, ut Metropolitani cura ſit cum Sanctiſſimo Domino Noſtro agere, ut Nuncio, qui pro tempore in Regno Neapolitano Sanctitatis ſuæ nomine permanſerit, Sanctitas ſua præcipue in mandatis tradat, ut Epiſcopos pro ſua apud Proregem auctoritate defendat, & tueatur, ipſorumque Epiſcoporum, & Eccleſiarum jurium protectionem ſuſcipiat, & amplectatur.

CAP. XII.

Braviorum, ſeu palliorum abuſus, ab Eccleſiaſticis, ſeu locis Piis ſolvendorum eliminatur.

Barones, & Univerſitatum Miniſtri ad pallia perſolven a Eccleſiaſticas perſonas cogebant.

AUdivimus nonnullis in locis Provinciæ noſtræ, Eccleſiarum Rectores, & Abbates, aut alios Presbyteros, & perſonas Eccleſiaſticas, & ſodalitates, confraternitates, & aliorum locorum piorum Miniſtros ab Univerſitatibus, aut Baronibus, ſeu aliis cogi ad præmia quædam, ſeu quæ vulgo Pallia appellantur, perſolvenda, ut proponantur his, qui, vel curſu, vel lucta, vel aliis hujuſmodi Laicorum exercitiis exerceri voluerint, victoribuſque tribuantur. Quem abuſum, cum is contra libertatem Eccleſiaſticarum perſonarum, earumque immunitatem, & decorem inſtitutus reperiatur, tollendum eſſe decernimus, propoſita excommunicationis pœna, & his præfatis Eccleſiaſticis perſonis, & ſodalitatum, aliorumque Piorum locorum Miniſtris, ſi ii quoquo modo etiam ſponte ea præmia perſolverint, & his, qui illos ad ea, & alia hujuſmodi ſolvenda adegerint.

* * *
* *
*

TITULUS VI.

De Decimis.

CAP. I.

Decimæ integre ſunt perſolvendæ, ſub excommunicationis pœna. Hac ſuper re C. T., & hoc Provinciale decretum Parochi Adventus, & Quadrageſimæ Dominicis publicent. Pœnitentes de decimarum ſolutione moneantur.

LIcet Decimarum ſolutio debita ſit Deo, pluribuſque ſacrorum Canonum, & præſertim Sacri Tridentini Concilii decretis eas Eccleſiis, quibus debentur, perſolvendas eſſe ſub excommunicationis pœna mandetur; nihilominus nonnullos hujus Provinciæ, adeo eorum ſalutis immemores eſſe andivimus, divinarumque, & humanarum legum contemptores, ut aut omnino nullas, aut eorum arbitrio decimas a ſe ſolvi debêre contendant: quo fit, ut quamplurimæ debitis decimis privatæ Eccleſiæ jam vetuſtate collapſæ, ob earum paupertatem minime inſtaurari poſſint, divinaque in eis officia eo, quo decet, decore, & ornatu celebrari, & ſacra vaſa, & neceſſaria paramenta comparari nequeant; Epiſcopique, & alii, quibus hujuſmodi Decimæ legitime debentur, non ſolum Seminariorum Collegia, ſeu Scholarum Magiſtros, & Sacræ Theologiæ Doctores inſtituere, ſed ne debitam quidem reſidentiam propter neceſſariorum ad victum indigentiam facere poſſint, ipſique dictas Decimas ſolvere renitentes perpetua damnationis pœna illaqueati exiſtant.

Quare ejuſdem Tridentini Concilii decreto innixi præcipimus omnibus, ut decimas ipſas Eccleſiis, illarumque Miniſtris debitas, ut præfertur, non arbitrio, neque aliqua prius deductione facta, ſed integre ſub excommunicationis pœna perſolvant; a qua non niſi debita ſatisfactione ſequuta, abſolutionis beneficium valeant obtinere. Ipſum vero Tridentini Concilii, atque hoc noſtrum decretum præcipimus omnibus hujus Provinciæ Parochis, ut ſingulis Quadrageſimæ, & Adventus Dominicis diebus, & aliis temporibus, prout Epiſcopis videbitur, inter Miſſam Laicis publicent, atque inter confitendum, de decimarum perſolvendarum debito confitentes ſæpiſſime admoneant; quod, & ut Prædicatores faciant, Epiſcopi curabunt, moneantque præterea Populum, quod anathemati ſubjiciuntur, qui ſeu decimas, ſeu bona quæcumque, & res Eccleſiarum detinent, eumque ad reſtitutionem hortentur.

Decimæ non arbitrio, neque deductione priùs facta, ſed integræ ſolvendæ ſunt.

Confeſſarii, & Prædicatores Populum ad ſolutionem decimarum, & reſtitutionem bonorum eccleſiarum moneant.

CAP. II.

Subditorum poſſeſſiones ne detineant temporales Domini, unde decimarum fraus oriatur.

AUdivimus præterea nonnullos hujus Provinciæ Barones, & Dominos ſæculares ſæpe eorum Curiæ, & Fiſco quorumdam ſubditorum poſſeſſiones ob aliquod ab ipſis commiſſum delictum, aut debitum contractum applicare, eoſque poſſeſſionum hujuſmodi ſegetum, fructuumque tunc ſolo adhærentium, & eorum etiam, quæ deinceps in ipſis ſeri, colligique contigerit, recuſare debitas Eccleſiis decimas ſolvere in Eccleſiarum præjudicium, detrimentumque, & ipſorum animarum perniciem. Quare ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda præcipimus omnibus Baronibus, aliiſque ſæcularibus Dominis, cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant, ne hujuſmodi poſſeſſionum debitas decimas, alioſque reditus, & fructus Eccleſiis, earumque Miniſtris debitos occupare, aut detinere quoquo modo præſumant, ſed eos, quibus debentur, omnino dandos, & tribuendos curent.

CAP. III.

Quartulanorum unus Clericus, alter ſit Laicus; ambo in Epiſcopi manibus jurent de fideliter miniſtrando.

ILlos Procuratores, qui quartulani appellantur, qui juxta aliquarum Eccleſiarum conſuetudinem quartam decimarum pro fabrica, & aliis Eccleſiæ neceſſariis exigunt, ita in poſterum conſtituendos decernimus, ut eorum unus Clericus, alter vero Laicus exiſtat: amboque in manibus Epiſcopi jurent, quod fideliter officium ſuum exercebunt, & exactorum rationes reddent.

TITULUS VII.

De excommunicatione, & cauſſarum criminalium cognitione, caſuumque Epiſcopalium reſervatione Archipreſbyteris, & aliis tollenda.

CAP. I.

Nemo præter Epiſcopum excommunicationem ferre, caſus ſibi reſervare, ab Epiſcopo reſervatis abſolvere, aut cauſſas criminales cognoſcere audeat. Secus facientes Epiſcopi arbitrio puniantur.

ETſi Sacrum Tridentinum Concilium quo modo excommunicationis gladius ſit exercendus, aperte oſtenderit; decreveritque a ſolis Epiſcopis excommunicationes illas, quæ monitionibus præmiſſis ad finem revelationis (ut ajunt) aut pro deperditis, aut ſubtractis rebus ferri ſolent, decerni debere; tamen nonnullos Abbates, ſeu commendatarios, & Archipresbyteros, aut quocumque alio nomine nuncupentur, in hac Provincia eſſe audivimus, qui prætextu cujuſdam conſuetudinis, quæ corruptela, & abuſus appellanda potius eſt, excommunicationes adhuc decernere non dubitant: caſuſque præterea quoſdam Epiſcoporum more ſibi reſervant: & illorum poſtea, atque etiam caſuum, quos ſibi Epiſcopi reſervarunt, & excommunicationum ab illis latarum abſolutiones elargiuntur: cauſſaſque criminales contra ejuſdem Tridentini Concilii decretum ſibi arrogant. Quare illis præcipimus, ut ab excommunicationibus decernendis omnino abſtineant: neve caſus ſibi hujuſmodi reſervare, nec eorum, aut ab Epiſcopo reſervatorum caſuum abſolutionem impertiri, nec cauſſas criminales quoquo modo cognoſcere audeant. Quod ſi ſecus fecerint, ipſorum Epiſcoporum arbitrio puniantur.

Abbates Commendatarii, & Archipresbyteri prætextu conſuetudinis Epiſcoporum facultates ſibi arrogabant.

CAP. II.

Excommunicati ſingulis Dominicis Populo denuntientur, eorum nomina in librum referantur, & ad Eccleſiæ fores proſtent: Sic publicati ab Eccleſiis expellantur.

MAndamus vero omnibus Provinciæ hujus Parochis, ut excommunicatos omnibus Dominicis diebus inter Miſſarum ſolemnia Populo publicent, librumque, in quo eorum nomina deſcripta ſint, habeant: ac tabellam eorum nomina continentem palam in Eccleſiarum foribus affigant; excommunicatos vero hujuſmodi jam publicatos, ab Eccleſiis expellant, nec iis præſentibus celebrent. Qui ſecus fecerint, Epiſcoporum arbitrio puniantur.

TITULUS VIII.

De Proceſſionibus.

CAP. I.

Ad generales ſupplicationes omnes Regulares convenire debent; inobedientes pleſtendi. Præcedentiæ diſſenſiones extrajudicialiter componantur; compoſitæ cenſuris firmentur, omni amota appellatione.

AD ſupplicationes generales, quas proceſſiones appellamus, ex decreto Concilii, ab Epiſcopis omnes Regulares, etiam exemptos, convocandos eſſe decernimus, propoſitis eorum arbitrio pœnis his, qui venire neglexerint. Inter quos, ſi qua de præcedentia ſuborta fuerit diſſenſio, ſtudeant maxime Epiſcopi, ut ea abſque Populi ſcandalo, & extrajudicia-

cialiter componatur: & quod compoſitum fuerit, per cenſuras Eccleſiaſticas, amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque, obſervari faciant.

CAP. II.

Cum ſolemnes mane ſupplicationes ducuntur, profanæ res, aut quæ retardare eas poſſunt, amoveantur.

IN ſolemnibus Supplicationibus in Feſto Sanctiſs. Corporis Chriſti, & intra ejus Octavam, vel in aliis Proceſſionibus quovis alio tempore faciendis, quas mane tantum fieri præcipimus, a locis, per quæ eædem ſupplicationes incedere debent, aulæa, picturæque rerum profanarum, & indecoræ repræſentationes, carminum recitationes, & alia hujuſmodi, quæ impedire, aut retardare Proceſſiones poſſunt, omnino amoveantur.

TITULUS IX.

De Sepulturis.

CAP. I.

Sepulcra eminenti Eccleſiæ loco poſita, aut tollantur, aut marmorea, vel ærea fiant. Cœmeterii uſus reſtituatur.

SEpulcra excelſo loco poſita, & quæ parietibus adjuncta, una eorum parte eminent, niſi marmorea, aut ærea ſint, tolli ab Eccleſiis omnino jubemus: eaque ærea, aut marmorea deinceps fieri poſſe decernimus, dummodo Altari non adhæreant, vel admodum extra murum non emineant, aut aliter Eccleſiam non impediant: nulla tamen vexilla, aut arma bellica ſuper affigi, aut iſtius generis ornamenta apponi debere decernimus. Hortamur vero in Domino vehementer Epiſcopos, ut in Cœmeteriis ſepeliendi mortuos uſum reſtituendum curent: utque ea occluſa, non beſtiis pervia ſint, & a quibuſcumque immunditiis purgata, & munda teneantur. Ubi vero Cœmeteria inſtitui, aut antiquitus inſtituta in uſum revocari non poterunt, in Eccleſiis tumbas pro mortuis ſepeliendis faciendas curent.

Cæmeteria, ut munda, & purgata ſint, Epiſcopi curent.

CAP. II.

Pauperum cadavera Parochi impenſis ſepeliantur. Si quid in eorum bonis poſtea comperiatur, Parocho ſatisfiat.

SI quos in alicujus Parochia mori contigerit, qui ob eorum ingentem paupertatem nihil in bonis reliquerint, ex quibus impenſa funeris, aut quod Parochialibus Presbyteris jure pro ſepultura debetur, ſolvi poſſit, decernimus impenſa ipſius Parochialis Presbyteri ſepeliendos. Si quid vero in mortuorum bonis poſtea compertum fuerit apud aliquem eſſe; ad impenſarum ſolutionem, & ejus, quod ipſis debetur, ab iis agi poſſe contra ea detinentes ſtatuimus, ne pauperum mortuorum corpora inſepulta remaneant: & tamen de eorumdem bonis, ſi quæ extiterint, Parochis, quod debetur, poſtea ſatisfiat.

Pauperum mortuorum corpora ne inſepulta remaneant, ante ſuorum bonorũ inquiſitionem ſepelire Parochi adſtringuntur.

CAP III.

Defunctorum librum Parochi habeant. Clerici in funeribus quid ſervare teneantur?

PArochis vero præcipimus, ut librum conficiant, in quo omnium in eorum parochiis morientium nomina, & cognomina, quoque die mortem objerint, deſcribant. Omnes vero Clerici, qui ad exequias, aut funeralia, aut defunctorum anniverſaria acceſſerint, induti ſuperpelliceis, ſive cottis procedant; neque diſcedant prius quam defunctus ad locum ſepulturæ deductus fuerit: diſcedentes vero Cruce prævia, eo, quo venerunt ordine, redeant.

Clericis in funeribus eumdem ordinem, quo venerunt, in diſcedentibus ſervare præcipitur.

TITULUS X.

De Indulgentiis.

CAP. UN.

Indulgentiarum uſus inquiratur. Abutentium nomina Synodo referantur.

CUm Tridentinum Concilium decreverit, quæ circa indulgentias ſervanda ſunt, & Sanctiſſimus Dominus Noſter Pius Quintus edita Bulla revocaverit omnes indulgentias, etiam perpetuas, pro quibus conſequendis manus adjutrices ſunt porrigendæ, aut quæſtuandi facultatem quomodolibet continent; Nos nihil præterea addendum eſſe exiſtimavimus, quam præcipere Epiſcopis, juxta ejuſdem Concilii Tridentini decretum, ut unuſquiſque in ſua Diœceſi diligenter inquirat, an circa hunc pium, & ſalutarem indulgentiarum uſum abuſus aliqui obrepſerint, eoſque colligat, & in prima Synodo Provinciali referat, ut aliorum quoque Epiſcoporum ſententia cogniti, ad Summum Romanum Pontificem deferantur, ut eo conſulto, quid maxime expediat, ſtatuatur.

Indictio Futuræ Seſsionis.

PRoximam futuram Seſſionem decernimus habendam, & celebrandam eſſe ad diem vigeſimam quintam præſentis menſis Aprilis.

SESSIO VII.

Provincialis Synodi Beneventanæ, celebrata xxv. die Aprilis MDLXVII.

TITULUS I.

De Sacramento Matrimonii.

CAP. I.

Quæ T. C. de Matrimonii celebratione ſancivit, ſerventur: Sponſos de futuro inter ſe conjungi illicitum; Contrahentes ſint confeſſi, & ſacra communione refecti.

AB iis, quæ Sacrum Tridentinum Concilium ſervanda in celebratione Sacramenti matrimonii ſtatuit, Epiſcopis mandamus, ut magnam adhibeant diligentiam, ne Parochi latum, quod dicitur, unguem diſcedant. Cumque in nonnullis Provinciæ hujus locis perceperimus virum, & uxorem, poſtquam conventiones de dote, pactaque ad futuri Matrimonii effectum pertinentia confecta fuerint, inter ſe conjungi, & ad tori communionem pervenire, nullis adhibitis Eccleſiæ cœremoniis, minimeque expectata Sacerdotum benedictione, curent Epiſcopi abuſum hunc tollendum, mandentque omnibus Parochis, ſicuti Nos præſenti decreto præcipimus, ut id deinceps fieri non debere, Populum admoneant: hortenturque, ut antequam matrimonium contrahatur, vel ante ipſius conſummat ionē contrahentes peccata confiteantur, & ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum devote accedant.

CAP. II.

Decreta T. C. Matrimonii celebratione communi lingua Parochi evulgent ſingulis menſibus. Matrimoniorum librum conficiant: Si quid contra T. C. ſtatuta factum fuerit, Epiſcopo deferant: Vagorum matrimoniis ne interſint, niſi præviis, ut hîc, diligentiis.

NE vero ab aliquo ignoratio rei excuſari poſſit, ſi quid contra Tridentini Concilii decreta in celebratione matrimonii factum fuerit, præcipimus, ut ea communi lingua a Parochis ſingulis menſibus in Eccleſia inter Miſſam divulgentur, decretumque etiam ejuſdem Concilii Tridentini de matrimoniis clandeſtinis ſimili modo publicetur. Ipſi vero Parochi librum conficiant, in quo omnium matrimonio junctorum in ſuis parochiis nomina, & cognomina, quove die, menſe, & anno contracta matrimonia fuerint, deſcribant. Parochis præterea omnibus mandamus, ut ſi qua contra dicti Concilii decreta matrimonia contracta reſcive- rint, aut in gradibus a jure prohibitis, ea Epiſcopis ſignificent.

Decretum Tridentini Concilii de matrimoniis clandeſtinis Parochis in Miſſa publicare inculcatur.

Præcipimus etiam ipſis Parochis, ne vagantium hominum matrimoniis interſint, juxta Tridentini Concilii decretum, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint, num aliis in locis forſan (quæ eſt hujuſmodi hominum improbitas) aliam, vel alias uxores duxerint, & re ad Epiſcopos delata, ab eis facultatem id faciendi obtinuerint.

CAP. III.

In gradibus a jure prohibitis matrimonia contraxiſſe comperti, ſeparentur, & proceſſu confecto, Romano Pontifici denuncientur.

EPiſcopi illos, quos in gradibus a jure prohibitis contraxiſſe repererint, a tori conjunctione ſeparent, & de perſonarum ita conjunctarum qualitatibus, & ſi ſcienter, vel ignoranter, ſi ante, vel poſt confirmationem Tridentini Concilii, quave cauſſa contracta matrimonia fuerint, proceſſus conficiant, illoſque ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum tranſmittant, ut a Sanctitate ſua ſtatui poſſit, quid agendum ſit, ſi cum his diſpenſandum eſſe judicatum fuerit.

CAP. IV.

In matrimonialibus cauſſis Epiſcopi procedunt. Impedientes excommunicantur.

MAndamus præterea, ne contra Tridentini Concilii decretum aliqui impedire præſumant, quo minus matrimonialium cauſſarum cognitionem Epiſcopi aſſumere, & in eis procedere poſſint. Qui ſecus fecerint, pœnam excommunicationis ipſo facto incurrant.

CAP. V.

Sponſorum, & mulierum poſt partum benedictiones a regularibus ne perſolvantur, ſub excommunicationis pœna.

QUuoniam vero intelligimus a Regularibus nullam curam animarum habentibus falcem in alienam meſſem immitti, & ſponſorum, ſponſarumque benedictiones fieri, itemque mulierum a partu ad Eccleſiam venientium, quæ munera propria Parochorum ſunt; eis ſub pœna excommunicationis mandamus, ne ſe hujuſmodi officiis ad eos minime ſpectantibus ullo pacto immiſceant.

Sponſarum benedictiones ſoliſ Parochis dare licet.

* * *
* *
*

TITULUS II.

De Uſuris.

CAP. UN.

Diœceſana Synodo declaretur qui liciti, quive illiciti ſint contractus. Sæculares Principes in uſurariorum cauſſarum cognitione, patiantur Epiſcopos ſuo fungi munere.

EX antiquorum canonum, Summorumque Pontificum decretis Epiſcopi maximam diligentiam adhibeant, ut uſurariæ pravitatis rei, pœnis ab eiſdem ſacris canonibus, Summiſque Pontificibus ſtatutis afficiantur. Cum vero multiplex uſurarum genus per varios contractus hominum malitia, & avaritia exerceatur, itaut aliquando dubitetur, an aliquod eorum ſit jure permiſſum, nec ne; ipſorum Epiſcoporum ſit judicium in Synodo Diœceſana declarare, & ſubditis proponere, a quibus contrahendarum rerum generibus ſit abſtinendum, ne uſuram ſapiant. Hortamur autem in Domino vehementer Principes ſæculares, ut in cognitione harum uſurariæ pravitatis cauſſarum Epiſcopos, juxta ſacros canones, officio ſuo fungi patiantur, ut delinquentes puniantur.

Hortantur Domini ſæculares ut uſurariorum cauſſas Epiſcopis agere ſinant.

TITULUS III.

De Piorum Locorum adminiſtratione.

CAP. I.

Loci pii ab Epiſcopis quomodo curandi?

EPiſcoporum officio convenit, ut pia loca, ex Concilii Tridentini decreto, ubi conſtituta jam ſunt, ſarta tecta conſerventur: eorum ipſi paternam curam ſuſcipiant, utpote quæ ad uſum pauperum, quorum Chriſtus præcipuam curam eſſe voluit, inſtituta ſunt: ubi vero nulla, aut diruta ſunt, ædificentur, aut reſtituantur: eorumque bona a nullis occupari, redituſque diſſipari ſinant: memores, quod ſi horum piorum locorum bona, quibus pauperes, & infirmi alendi, & ad bonam valetudinem reducendi ſunt, ad alium uſum transferri ſinant, quos his paſcere, medērique debuerunt, occiderunt. Itaque illorum adminiſtratores, ut fideles ſint, curabunt: ad rationes reddendas cogant: neminique ultra triennium ipſorum piorum locorum adminiſtrationem retinere ſinant: ſi quid in ipſorum, ſuorumque uſum verterint, reſtituendum præcipiant. Maximeque Epiſcopi eorum locorum, qui montes pietatis appellantur, quibus gratis pauperibus pecuniæ mutuo dantur, præcipuam curam gerant.

Nemini ultra triennium locorū piorum adminiſtratio relinquatur.

Si qua vero in Civitate, Oppidove duo, vel plura fuerint Hoſpitalia, quibus ſingulis pauci ſint fructus, in unum redigenda Epiſcopi curabunt. Eorum vero hoſpitalium fructus, quæ ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum perſonarum genus ſuſcipiendum fuerint inſtituta, ſi in loco, ubi ſunt dicta hoſpitalia, nullæ, aut perpaucæ ſimiles perſonæ reperiuntur, juxta Tridentini Concilii decretum, in pios uſus pro loci, & temporis qualitate convertantur.

CAP. II.

Locorum piorum adminiſtratores, abſque Epiſcopi conſenſu, eorum bona ne diſtrahant.

ILlis vero, quibus hujuſmodi piorum locorum adminiſtratio commiſſa eſt, præcipimus, ne abſque Epiſcopi conſenſu, niſi auctoritate Apoſtolica fiant, ſervatis aliis, quæ a ſacris Canonibus requiruntur, ipſorum locorum bona, quæcumque vendere, locare, in emphyteuſim dare, aut permutare, aut quovis modo alienare audeant. Quod ſi ſecus fecerint, Epiſcopi arbitrio puniantur, & quod actum fuerit, irritum decernimus.

CAP. III.

Locorum piorum debitores in eorum adminiſtratione ſe non ingerant. Qui iis in locis ſint recipiendi, aut excludendi; quidve agere teneantur?

AB his, qui eiſdem piis locis, Confraternitatibus, & ſimilibus debent, illorum procurationem, aut aliquam negotii partem agi Epiſcopi ne permittant. In iis vero locis, niſi infirmos, & qui propriis manibus victum quærere non poterunt, recipi prohibeant, mendicis morbum ſimulantibus, aut aliis hujuſmodi nebulonibus prorſus excluſis. Cum primum infirmi in hoſpitalibus accepti fuerint, hi, quibus ipſorum hoſpitalium cura commiſſa eſt, curent, ut peccata confiteantur, & ſacram Euchariſtiam ſumant. Si vero in hujuſmodi hoſpitalibus pueri, puellæve nutriantur, ut ad certum quoddam tempus in iis permaneant, & alantur; cum primum ad annos diſcretionis venerint, omnes ſingulis menſibus peccata confiteantur, & Sacramentum Euchariſtiæ recipiant.

In locis piis morbum ſimulantes mendici no admittantur.

CAP. IV.

Eleemoſynæ piis operibus applicentur: qui eas colligunt, ſint ex ipſis adminiſtratoribus; ſi alii, aut gratis, aut conſtituto ſalario id faciant, non eleemoſynarum participatione.

AB his vero, qui hoſpitalium, & aliorum piorum locorum nomine eleemo-

moſynas petent, eam præcipue ob cauſſam Peti permittantur, ut in ipſis hoſpitalibus, piiſque locis hujuſmodi re ipſa hoſpitalitas ſervetur, & pia opera fiant: ſtatuimuſque, ut ii, qui eleemoſynas petendi officio fungentur, ſint ex inſervientibus ipſis piis locis, aut, ſi alii fuerint, gratis, aut conſtituto ſalario id faciant, neve ullo pacto participes ſint eleemoſynarum.

CAP. V.

Scripturæ cujuſcumque generis ad pios locos pertinentes infra tres menſes Epiſcopis deferantur: Parochi teſtamentorum executionem inculcent. Notarius, qui rogatus fuerit, intra menſem particulam teſtamenti, pium continentem legatum Epiſcopis deferre teneatur.

NOtariis, ſcribis, aliiſve omnibus, qui teſtamenta, codicillos, aliaſve tabulas ſcripſerunt, aut ab aliis ſcriptas detinent, aut quæcumque alia ſcripturarum genera ad pia loca, eccleſiaſque quaſcumque, ipſarumque bona, & reditus, quovis modo ſpectantia tenent, aut teneri ab aliis norint, ſub excommunicationis pœna præcipimus, ut ad tres menſes ea Epiſcopis deferant, & de legatis ad pias cauſſas derelictis pro male partis, vel furto ablatis, deque omnibus præfatis ſcripturarum generibus, quæ in eorum protocollis, aut alias ſcriptis continebuntur, Epiſcopos ipſos certiores faciant, ut quibus debentur, mandare poſſint, ut tradantur, cum teſtamentorum, & ultimarum voluntatum, & bonorum eccleſiaſticorum defenſio ad Epiſcopos ipſo jure pertineat. Quare etiam juxta decretum Beneventanæ Synodi, Ugone Archiepiſcopo celebratæ, præcipimus omnibus Parochis, & curam animarum habentibus, ut ſæpe Parochianos ſuos, etiam nominatim, ſi opus ſit, moneant, ut teſtamenta, & ultimas voluntates defunctorum, in his maxime, quæ ad pias cauſſas ſpectant, exequantur. Poſthac vero, ſi de hujuſmodi legatis notarios rogari contigerit, ipſi intra menſem a die obitus illius, cujus teſtamentum, aut aliud hujuſmodi ſcripſerint, particulam teſtamenti, aut alterius ſcripti generis deſcriptam, & auctoritate publica munitam, Epiſcopo, vel ejus Vicario, aut piorum locorum Superiori tradere teneantur, ipſis debita mercede ſoluta.

Ugonis Archiep. decretum de teſtamentorũ executione innovatur.

CAP. VI.

Comeſſationes ex ſodalitatum reditibus fieri prohibentur.

PUblicas illas comeſſationes, quæ a quibuſdam ſodalitatibus fieri ſolent ex ipſorum confraternitatum reditibus, tollendas omnino decernimus, cum non deceat, quæ pietatis cauſſa inſtituta, & quæ in pios uſus eroganda ſunt, in hujuſmodi comeſſationes, & crapulas erogari. Si vero ſodalium, & confratrum ipſorum propriis pecuniis recreationes aliquæ fieri ſoleant, tolerari ab Epiſcopis poterunt, dummodo in eccleſiis eas fieri non permittant.

Confratrum ſodaliumq; recreationes, quæ ipſorum pecuniis fieri ſolent, Epiſcopi permittere poterunt.

TITULUS IV.

De Monialibus.

CAP. I.

C. T. decreta, & Pii V. conſtitutio de Monialium Monaſteriis ſervanda mandantur. Quæ in clauſura, quæ in collocutionibus adhibendæ ſint diligentiæ?

CUm Summorum Pontificum, & præſertim SS. D. N. Pii V. conſtitutione, ſacriſque Tridentini Concilii decretis ſatis proviſum ſit circa ea, quæ ſervari oportet in Monialium Monaſteriis, earumque clauſura; nihil hac in re aliud nobis faciendum eſt, quam præcipere Epiſcopis, ut in eam maxime curam incumbant, ut a Monialibus, & decreta Concilii, & ejuſdem SS. D. conſtitutio ſervetur. Si quæ Epiſcopi repererint, quæ clauſuram eo, quo decet, modo ſervandam impediant, ea primo quoque tempore tollenda curent; maxime vero dent operam, ut ſepta monaſterii ſæpe, diligenterque inſpiciantur, & ubi opus fuerit, ſarciantur, & alto muro claudantur, ita ut ne intro quidem aſpici aliunde poſſit.

Januæ, rotæ, diligenter occludantur, ut ne ſuſpicio quidem mali eſſe poſſit: eis claudendis, ſermonibuſque audiendis, quæ ætate magis matura, & ſpectata probitate fuerint, præponantur. Cum Monialibus colloquendi, ne ſanguine quidem conjunctis facultas ſit, niſi ab Epiſcopo, ſive ejus Vicario, aut aliquo Superiori ex aliqua juſta cauſſa eam dari poſſe judicatum fuerit, eaque ſcripto tradatur. Si quis vero cum Monialibus colloqui auſus fuerit abſque hujuſmodi licentia, arbitrio Epiſcopi, aut alterius Superioris monaſterii puniatur.

Ad colloquendũ cum Monialibus nec conſanguinei admittantur, niſi de Epiſcopi licentia.

CAP. II.

Monialium omnia ſint communia.

IN omnibus vero monaſteriis, cibus, potus, & veſtitus, locuſque dormiendi communis ſit, neve in horum aliquo una alteri præſtet: & denique de communi victu inter ipſas Moniales omnino ſervetur decretum Concilii Tridentini, præſertim ea in parte, qua cautum eſt, ne cui Moniali propria bona poſſidere liceat: ſi quod tamen legatum Moniali relictum ſit, vel aliquid datum, donatumve,

Monialibus relictum, vel datũ Abbatiſſæ tradi debet.

ve, vel etiam ejus labore, vel induſtria partum, id Abbatiſſæ tantum tradatur, quæ ex eo primum Monialis ipſius, cujus cauſſa acquiſitum eſt, neceſſitati provideat; reliquum ad uſum Monaſterii conferat.

CAP. III.

Confeſſores, & Capellani Monialium, qui, & quales eſſe debeant? Quomodo ægrotis Monialibus Sacramenta miniſtranda? Regulæ recognoſcendæ.

Monialibus bis, aut ter in anno Confeſſores extraordinarii deputentur.

CONfeſſores, Capellanique viri probi, provectæ, ſanctæque vitæ, quoad fieri poterit, Monialibus adhibeantur: atque etiam, juxta decretum Tridentini Concilii, extraordinarii confeſſores a ſuis Superioribus bis, aut ter in anno deputentur, quibus omnes peccata confiteantur. Quæ vero Moniales alicujus religionis regularium curæ commiſſæ non erunt, curent Epiſcopi (ſi eis videbitur) ut ex monaſteriis etiam alterius ordinis, niſi ejuſdem ordinis extiterint, vel ex clero ſæculari idoneus aliquis, probuſque, & ſenex Sacerdos ſingulis annis eligatur: qui, juxta ejuſdem Tridentini Concilii decretum, onus ſuſcipiat, ut earum confeſſionibus auditis, ſingulis menſibus ſemel ſaltem Monialibus ſacram Euchariſtiam præbeat. Confeſſoribus tamen, ſi ſint alterius ordinis, curandum erit, ut Moniales ipſarum religionis regulam omnino ſervandam eſſe admoneant. Omnes denique Monialium Confeſſores nunquam ad confeſſiones audiendas, aut ad ſacramenta ægrotis Monialibus miniſtranda accedant, nec alterius rei cauſſa monaſterium ingrediantur, niſi ſuperpelliceo, & ſtola ſuperpoſita ſint induti. Studeant vero Epiſcopi, ut quæ in quolibet monaſterio regulæ ex earum inſtituto ſint, cognoſcant, ad earumque regularum obſervationem Moniales compellant.

CAP. IV.

Quæ, quando, quave inſtructione ad Monaſticam profeſſionem recipiendæ?

ATque, ut juxta Tridentini Concilii decretum libertati Virginum Deo dicandarum proſpiciatur, præcipue curent Epiſcopi, ut, ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, quam exploretur diligenter animus, voluntaſque Virginis ab Epiſcopo, vel eo abſente, aut impedito, ab ejus Vicario, aut aliquo ab eis deputato, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat.

Ante ſextum decimum anni nulla virgo ad profeſſionē admitti poteſt.

Nulla vero ante decimum ſextum annum expletum, ſicuti a Concilio ſtatutum eſt, nec quæ minore tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur: ad quam tamen non erit admittenda, niſi prius major diligentia, ſi fieri poterit, in explorando ejus animo, voluntateque adhibita fuerit, quam ante ſuſceptionem habitus adhibendam eſſe diximus. Itaque per menſem ſaltem, antequam Monialis ad profeſſionem emittendam recipiatur, Epiſcopus de eo ab Abbatiſſa, ſeu alia Superiori Monaſterii certior fiat: ut eam per ſe, vel per alium, ſi is præpeditus exiſtat, diligenter examinet, ejuſque voluntatem, mentemque exploret, illique, quæ in ea regula ſervanda ſint, proponat, ut intelligat, quibus ſe votis, & quam gravibus obſtringat; & ut libere voluntatem ſuam declarare valeat, extra ſepta Monaſterii, & in Eccleſia ipſius Monaſterii examinetur. Nulla vero ad habitus ſuſceptionem erit admittenda, quæ legere divinum officium congrue neſciat; cum divinum officium, juxta cujuſque religionis inſtitutum, a Monialibus quotidie recitari debeat.

Nulla ad habitus ſuſceptionē admittatur, niſi congrue legere ſciat.

CAP. V.

Monaſteriorum Curatores, prudentes adhibeant viros ad Monialium prædicationem.

II vero, quibus Monaſteriorum cura commiſſa eſt, ut Monialibus aliquot ſaltem diebus verbum Dei prædicetur, maxime curabunt: & hujus rei cauſſa doctos aliquos, prudenteſque viros adhibeant, qui illis prædicent, & mandatorum Domini, & conſequendæ ſalutis viam oſtendant.

CAP. VI.

Singulis feſtis capita aliquot conſtitutionum Ordinis in Monaſteriis legantur.

SEd cum ipſis Monialibus non ſolum Dei, & ſanctæ Eccleſiæ præcepta, quæ omnibus Chriſtianis præſcripta ſunt, ſed etiam ſuorum Ordinum regulæ, leges, & inſtituta ſervanda ſint, præcipimus Epiſcopis, quibus, ut in uno quoque Monaſterio ſuæ peculiares regulæ obſerventur, curandum eſt, ut ab aliqua Monialium legantur ſingulis diebus feſtis capita aliqua conſtitutionum regulæ, & ordinis, cui obſtrictæ ſunt, ut profeſſionis ſuæ debitum officium in memoriam quam ſæpiſſime revocent.

CAP. VII.

Monialium numerus pro Monaſterii facultate ſtabiliatur. Quid agendum, ſi duodecim ſaltem profeſſæ ali nequeant?

PLures vero ex Tridentini Concilii decreto in uno quoque Monaſterio non recipiantur, quam pro modo, & facul-

tate loci, & conſuetis eleemoſynis ſubſtentari commode poterunt. Itaque a Superioribus ſtatuendus erit certus Monialium numerus, qui in quolibet loco habendus erit juxta cujuslibet loci facultates. Quod ſi alicujus Monaſterii facultates, & eleemoſynæ ita tenues erunt, ut in eo duodecim ſaltem Moniales profeſſæ ali, & ſubſtentari nequeant, Epiſcopus id Monaſterium, facultate a Summo Pontifice habita, vocatiſque ipſius Superioribus regularibus (ſi eorum curæ commiſſum erit) aliis Monaſteriis uniat: quod ſi hoc expedire viſum non fuerit, eum numerum Monialium extingui, & ad nihilum redigi ſinat, adempta facultate Novitias recipiendi, ejusdem Summi Pontificis id faciendi habita licentia.

Ubi duodecim ali non poterunt Moniales, vel alteri Monaſterio uniantur, vel ad nihilum redigatur impetrata prius Domini Papæ facultate.

CAP. VIII.

Abbatiſſæ, aut Præpoſitæ perpetuæ, a Sede Apoſtolica confirmationem non habentes, ad triennium reducantur. Ne quid ea diſtrahant abſque Epiſcopi, & Monaſterii deputatorum interventu.

IN quibus Monaſteriis reperiuntur perpetuæ Abbatiſſæ, aut Præpoſitæ, aut quocumque alio nomine nuncupentur, quæ non habent confirmationem a Sede Apoſtolica, curabunt Epiſcopi, & alii Superiores, ut ad triennium, facultate a Sanctiſſimo Domino Noſtro obtenta, ad ſummum in officio permanſuræ conſtituantur: iis tamen interdicatur, ne quid ex bonis Monaſterii alienare, aut locare valeant, abſque licentia Superioris, & interventu Epiſcopi, & Deputatorum Monaſterii, ſub pœna privationis officii: alienationem vero, aut locationem aliter factam, nullam & irritam decernimus.

Alienationes, & locationes abſque Epiſcopi interventu a Monialibus factæ nullæ, & irritæ erunt.

CAP. IX.

Dandi, & recipiendi Monialium litteras, qui modus?

A Monialibus nihil cuiquam ſcribi, Abbatiſſa, aut Monaſterii ſuperior, vel Præpoſita permittat. Si vero ipſis Monialibus ab aliis aliquid ſcriptum fuerit, ab eadem Abbatiſſa, ſeu alia ſuperiori recipiantur, & aperiantur, una cum deputatis, Monialium litteræ: & Monialibus, quibus litteræ ſcriptæ fuerint, ſi quid ſignificandum fuerit, ex eisdem litteris ſignificetur. Illis tamen Abbatiſſa, aut alia (ut dictum eſt) reſpondeat: & quidquid reſponſum fuerit, a deputatis Monialium antea perlegatur.

Monialium litteras Abbatiſſæ recipere, aperire, illiſque reſpondere præcipitur.

CAP. X.

Educandarum recipiendarum inſtructio traditur.

PUellæ educationis cauſſa in Monialium Monaſteriis non recipiantur abſque Epiſcopi licentia, & ſuperioris Monaſterii ſcripto habita, accedente conſenſu Monialium, & Abbatiſſæ, & Superioris, eaque in re ipſius Monaſterii conſtitutionibus non repugnantibus: quæ quidem puellæ ſolæ recipiantur, nec alicui Moniali privatim ſerviant: licentia vero illis puellis non concedatur, quæ a quibus regantur, & commode educentur, habent; aut his, quæ minores octo, aut quindecim annis natu majores ſunt: nec expleto quintodecimo ætatis anno, niſi aliter Epiſcopo videbitur, amplius in Monaſterio retineantur, niſi Moniales fieri voluerint.

Hæ vero puellæ, ſi ſemel Monaſterio exiverint, amplius in illud, aut ullum aliud non recipiantur, niſi ibidem Moniales fieri voluerint. Hujusmodi puellarum educationis, & alimenti cauſſa, ſolvatur ſingulis menſibus (niſi aliter Epiſcopo videbitur) quantum arbitrio Epiſcopi ſatis erit ad eas alendum. Ex his vero quæcumque fieri Monialis voluerit, domum ſuam, vel eorum, qui ejus curam gerunt, revertatur, ibique per menſem ſaltem permaneat, antequam examinetur, & ejus voluntas ab Epiſcopo, vel ab eo deputatis exploretur.

Puellæ ſemel e Monaſterio exeuntes amplius non recipiantur.

CAP. XI.

Monialium Procuratores non admittantur abſque Superioris approbatione. Hi quotannis, Abbatiſſæ ſingulis ſex menſibus, aut etiam quotannis rationem reddent.

ATque ut Monialium bonorum, redituumque diligens, exquiſitaque cura habeatur, ſtatuimus neminem ad eorum procurationem admittendum, qui ab Epiſcopo, ſi ei ſubditum ſit Monaſterium, vel alio ſuperiore Monaſterii approbatus non exiſtat, qui etiam quotannis rationem ſuæ procurationis, & adminiſtrationis reddat. Ipſæ quoque Abbatiſſæ, aut aliæ Monaſterii præpoſitæ quocumque nomine nuncupentur, ſingulis ſex menſibus, vel ſingulis annis Epiſcopis (ſi ipſis ſubjaceat Monaſterium) vel ab eis deputatis, earum adminiſtrationis, & redituum per ipſas exactorum, & receptorum rationem reddant.

CAP. XII.

Monaſterio inſervientes quocumque titulo, Superioris habeant licentiam.

OMnes vero Monialium famuli, aut alii, qui Monaſteriis inſerviunt, Medici, Piſtores, & alii quicumque artifices, quorum opera Moniales utentur, ab Epiſcopo, vel Monaſterii Superiore approbentur, nec, niſi licentia ſcripto ab Epiſcopis obtenta, Monaſterium ingrediantur.

CAP.

C A P. XIII.

In Parochialibus, Monialium Monaſteriis annexis, Vicarii perpetui conſtituantur.

IN Parochialibus Eccleſiis Monialium Monaſteriis annexis, Epiſcopi ex decreto Tridentini Concilii Vicarios perpetuos conſtituant, ſervata Bulla Sanctiſs. Domini Noſtri Pii V.

T I T U L U S V.

De Pœnis.

C A P. UN.

Ob pœnas a Synodo ſtatutas nihil Sac. Canonũ pœnis ſit derogatum: ubi tacentur, Epiſcoporum arbitrio infligantur. Poſt duos menſes a die publicationis decreta arctent.

Pœnæ in hoc Provinciali Concilio delinquentibus ſtatutæ illis ſacrorum Canonum non derogant.

CUm vero pœnas quaſdam ad coercenda delicta adhibendas decrevimus, nihil ob hoc aliis pœnis, quæ in ſacris antiquis Canonibus, & Sacro Tridentino Concilio delinquentibus ſunt injunctæ, derogatum eſſe ſtatuimus; ſed has, & illas a delinquentibus ſubeundas eſſe declaramus: iis vero delictis, quibus nullæ a Nobis pœnæ injunctæ ſunt, Epiſcoporum arbitrio adhibendas eſſe decernimus. Sed ne eorum, quæ decernimus, ignorationem alicui excuſare liceat, ſtatuimus omnes ad ipſa decreta ſervanda teneri poſt duos menſes, poſtquam edita, & in Metropolitanæ Eccleſiæ valuis palam propoſita fuerint.

T I T U L U S VI.

De Cathedralibus.

C A P. I.

Metropolita Rom. Pontif. referat pro proviſione de Provinciæ Cathedralibus, in quibus Epiſcopi ſuſtentari nequeunt.

Tenuitas fructuum Eccleſiarum hujus Provinciæ quanta fuerit.

DE nonnullis Cathedralibus hujus Provinciæ Eccleſiis, quarum ſunt ita tenues fructus, ut ipſarum Epiſcopi his vivere, & ſuſtentari nequeant, & de modo, quo eis aliquatenus provideri poſſe judicatur, Metropolitanus ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum Synodi nomine referet: quem pro ſua prudentia, & pro Epiſcoporum, & Eccleſiarum neceſſitatibus confidit Synodus rationem initurum, qua ipſis provideri poſſit.

T I T U L U S VII.

De interpretatione Conſtitutionum Synodalium.

C A P. I.

Conſtitutionum interpretatio, & declaratio ad Metropolitam pertinet. Sanctæ Rom. Eccleſiæ auctoritati ſubjiciuntur.

Conc. Prov. Benev.

POſtremo, ſi quid obortum fuerit difficultatis in hujuſmodi decretis interpretandis, decernimus ex ſententia Synodi eorum interpretationem, & declarationem uſque ad proxime futuram Synodum Metropolitano reſervatam eſſe: ſalva Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſuprema auctoritate, cui omnia a Nobis in Synodo acta, decretaque, ea, qua decet, obedientia, & reverentia ſubjicimus interpretanda, corrigenda, & emendanda.

Decretum de fine Synodo imponendo.

COnfectis jam, Deo favente, abſolutiſque his, quæ hoc potiſſimum tempore, pro reſtitutione, & conſervatione eccleſiaſticæ diſciplinæ in Provincia Beneventana ſtatuenda, & decernenda fore videbantur: Paſtoralisque officii ſollicitudine revocante jam ad ſuas Eccleſias Epiſcopos, qui ad hanc Synodum evocati convenerunt, ipſam Synodum merito dimittendam eſse exiſtimamus. *Quare, Reverendi Patres, placet ne Vobis, ut ad laudem Dei Omnipotentis ipſi Synodo finis imponatur?*

Reſponderunt. *Placet.*

Poſtmodum Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dominus Jacobus Sabellus Cardinalis, Metropolitanus, & Epiſcopi, qui Provinciali Synodo interfuerunt, ipſius Synodi decretis manu propria ſubſcripſerunt.

Epiſcopi vero præſentes fuerunt, videlicet.

1 Rev. P. Aſcanius Albertinus Epiſcopus Avellinenſis, & Frequentinus.
2 Pyrrhus Francus EpiſcopusBojanenſis.
3 Horatius Græcus de Troja Epiſcopus Leſinenſis.
4 Julius Gentilis Epiſcopus Vulturarienſis, & Montis Corvini.
5 Frater Antonius a S. Michaele Epiſcopus Montis Marani.
6 Donatus de Laurentiis Epiſcopus Arianenſis.
7 Proſper Rebiba Epiſcopus Trojanus eligens. Epiſcopus Trojanus eligens.
8 Frater Hieronymus Politius Epiſcopus Trivicanus.
9 Frater Cherubinus Epiſc. Theleſinus.
10 Angelus Roſcius Epiſcopus Aliphanus.

Deinde idem Illuſtriſs. & Reverendiſs. Metropolitanus benedicens ipſi Synodo, dixit: *Reverendi Patres, poſt gratias Deo peractas, ite in pace.* Reſponderunt. *Amen.*

Poſtea mandatum fuit abſentium Procuratoribus, ſub pœna excommunicationis, ut antequam a Civitate Beneventana diſcederent, decreta in Synodo reciperent: qui exhibitis eorum procuratorum mandatis coram Notariis, & teſtibus, ita fecerunt.

In quorum fidem Ego Antonius Oritheus Protonotarius Apoſtolicus, Secretarius ſubſcipſi.

Idem Jacobus III. Card. Sabellus Archiepiſcopus LII. *de quo in ſuperiori Concilio egimus, alterum habuit Provinciale Concilium triennio poſt, anno ſcilicet* MDLXXI. *in quo, antea celebrati ſanctiones vel auxit, vel explicavit.*

CONCILIUM PROVINCIALE XI.

Habitum die 25. Aprilis 1571. a Jacobo III. Card. Sabello Archiepiſcopo.

Sequentis Concilii acta originalia m. s. extant in Metropolitano Archivo, unde deſumpſimus.

Edictum indictionis Provincialis Concilii Beneventani celebrandi ad diem 25. menſis Aprilis proxime ſequentis.

Jacobus Sabellus S. R. E. Tituli S. Mariæ in Coſmedin Presbyter Cardinalis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Beneventanus.

CUM ſacri Tridentini Concilii decreto mandatum ſit, ut Provincialia Concilia quolibet ſaltem triennio celebrentur, tertiusque jam annus præterierit, quo primam in noſtra Beneventana Eccleſia Synodum celebravimus, Nos pro ea, ad quam ex noſtri Archiepiſcopatus munere tenemur, ipſius ſacri Concilii obſervantia, id omnino exequendum eſſe jamdiu deliberavimus. Et licet hujus noſtræ deliberationis Venerabiles Coepiſcopos Suffraganeos noſtros, ad eorum unumquemque litteris datis, certiores fecerimus, nihilominus, ut aliis omnibus etiam nota ſit hujusmodi Synodi celebratio, nullusque ejus ignorantiam excuſare, aut ſe contemptum dicere valeat, præſenti noſtro Edicto, quod hujus rei cauſſa in valuis Cathedralium Eccleſiarum, aliarumque inſignium noſtræ Provinciæ, etiam exemptarum publice proponi mandamus, omnibus, & ſingulis cujuscumque dignitatis, & ſtatus Clericis, etiam exemptis, & nullius Diœceſis intra limites noſtræ Provinciæ conſtitutis, qui de jure, vel conſuetudine hujusmodi Synodo intereſſe debent, atq; etiam laicis, cujuscumque etiam gradus, & dignitatis exiſtentibus, ac Communitatibus, ſi ſua quomodolibet intereſſe putaverint, pro percipiendis, quæ in Synodo decreta fuerint, denunciamus, & ſignificamus, ut ad diem 25. menſis Aprilis, qui erit dies feſtus S. Marci, quo, Deo favente, ipſa Synodus inchoabitur, in Metropolitana Eccleſia noſtra Beneventana adſint. Si vero eorum aliquis, qui Synodo intereſſe debent, legitime impeditus, venire non poterit, impedimenti cauſſa Nobis ſignificata, probataque, Procuratorem vice ſua omnino mittat. Aliis vero, qui non legitime impediti venire neglexerint, pœnas illas proponimus, quæ ſacris Canonibus propoſitæ exiſtunt. In quorum fidem edictum ipſum manu noſtra ſubſcriptum confici, & noſtri ſigilli impreſſione muniri, ac Secretarii noſtri manu ſubſcribi mandavimus. Dat. Romæ die XVII. Martii MDLXXI.

Legitime impediti excuſari debent; qui vero venire neglexerint, ſacrorum Canonum pœnis punientur.

Jacob. Card. Sabellus
Archiepiſc. Benev.

Ant. Oritheus Secret.

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

CAP. I.

Epiſcopi in Diœceſana Synodo, & in feſto dedicationis Cathedralium Eccleſiarum populos Edicto moneant, propoſita excommunicationis pœna, ut infra dies quindecim hæreticos ſuſpectos denuncient. Hujusmodi Edictum ſingulis Dominicis diebus adventus, & quadrageſimæ, & feria 5. in Cœna Domini a Parochis publicetur.

LIcet ſuperiori Provinciali Synodo, quæ ad fidem Catholicam tuendam, eamque in ſua puritate conſervandam neceſſaria videbantur, ſtatuerimus, nihilominus cum ea in re nullus diligentiæ relinquendus ſit locus, ut ſi qui fuerint occulti cujusvis ſectæ homines, & aliquo hæreſis nomine ſuſpecti, aut quoquo modo Catholicam fidem abnegantes, manifeſti fiant, mandamus, quæ præcipua Nobis cura incumbit, ut Epiſcopi ſingulis annis in Synodo Diœceſana, & in feſto dedicationis, & invocationis Eccleſiarum Cathedralium ſuarum Diœceſium hominibus edicant, & propoſita excommunicationis pœna jubeant, ut eorum nomina, qui quoquo modo aliquam hæreſim tenere,

Retinentes libros vetitos Epiſcopis denunciandi ſunt.

re, aut verba, quæ a fide Catholica abhorreant, proferre, aut libros vetitos apud ſe habere reſciverint, ad ipſos Epiſcopos deferant intra quindecim dierum ſpatium poſt hujuſmodi edicti promulgationem, aut poſtquam id in poſterum reſciverint. Quod edictum a Parochis etiam Adventus Domini, & Quadrageſimæ ſingulis diebus Dominicis, & feria 5. in Cœna Domini inter miſſarum ſolemnia de ſcripto recitari mandent, &, ſi alio anni tempore ipſis Epiſcopis videbitur.

CAP. II.

Epiſcopi in eorum Cathedralibus Eccleſiis dies feſtos, vigilias, & jejunia denuncianda curent.

QUod in Parochialibus Eccleſiis fieri præceptum eſt, & conſuetum, ut dies feſti, vigiliæ, & jejunia, quæ ex præcepto Eccleſiæ ſervari debent, ſingulis dominicis diebus populo nuncientur, maxime convenit id in Cathedralibus etiam ſervari. Quare decernimus, ut Epiſcopi in eorum Cathedralibus Eccleſiis dies feſtos, vigilias, & jejunia ſimiliter denuncianda curent.

CAP. III.

Divinorum officiorum tempore, & prædicationis in quadrageſima, feſtiſque diebus apothecæ claudantur: tabernæ non niſi viatoribus aperiantur. Ludi probibentur. Sæculares Domini pro executione requirantur.

IN Quadrageſima, & omnibus diebus feſtis, dum Divina officia peraguntur, & Verbum Dei prædicatur, decernimus ab omnibus apothecas eſſe claudendas, & tabernas, niſi pro viatoribus non eſſe aperiendas, neque aliquod genus ludi publice, aut privatim exercendum, & omnino a Choreis, tripudiis, & aliis ſimilibus abſtinendum, ne hujuſmodi ludis eo tempore a Divinis officiis, & auditione verbi Dei homines diſtrahantur. Quod, ut ab omnibus ſervetur, requirant Epiſcopi locorum Magiſtratus, & Dominos ſæculares, ut publico Edicto mandent, ac etiam propoſita aliqua pœna jubeant, ne quis eo, ut dictum eſt, tempore, ea facere quoquo modo audeat.

Tripudia, & Choreæ diebus feſtis prohibentur.

CAP. IV.

Cereæ imagines voto oblatæ, ſi confractæ ſint, ne vendantur, niſi pretium in Eccleſiæ uſum convertatur, & Epiſcopi conceſſu.

PRo voto oblatas imagines cereas confractas vendi prohibemus, niſi ipſarum pretium in uſum Eccleſiæ, in qua oblatæ hujuſmodi imagines reperiuntur, conceſſu Epiſcopi ſit convertendum.

CAP. V.

Aulæa obſcenis contexta figuris, aut imagines laſcivas in Eccleſiis apponere prohibetur.

IN Dei Eccleſiis, quas decet ſanctitudo, nihil retinendum eſt, aut apponendum, quod piorum Chriſti-fidelium oculos offendere poſſit: itaque in dictis Eccleſiis aulæa obſcenis figuris contexta, aut imagines, quæ laſcivum quid præſeferant, apponi, & retineri omnino prohibemus.

CAP. VI.

Patrini non admittantur, niſi fidei rudimenta probe calleant.

IN Baptiſmo, & confirmatione neminem ad ſuſcipiendum baptizandos in poſterum admitti debere decernimus, qui orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & ſymbolum Apoſtolorum ignoret; quique ſe Deo fidejuſſorem conſtituens, res illas ignoret, quibus ſe alios inſtructurum eſſe, ſancte pollicetur.

CAP. VII.

Bullæ Pontificiæ, ut primum Epiſcopis innotuerint, in Cathedralibus, Collegiatis, & parochialibus Eccleſiis publicentur. Harum regeſtum habeatur in Archivo Archiep.

SUmmorum Pontificum Bullæ quamprimum Epiſcopis innotuerint, & ſi commode fieri poterit, poſtquam Romæ editæ fuerint, ipſorum Epiſcoporum cura ſit, ut in ſuis Cathedralibus primum, deinde in omnibus aliis Collegiatis, & Parochialibus, aliiſque, quibus ipſis videbitur, tam Civitatum, quam Diœceſium Eccleſiis publicentur; eæque potiſsimum, quæ, ut promulgentur, in iis ipſis Bullis mandatum fuerit, & aliæ etiam, quæ aliqua ratione ad ſuarum Eccleſiarum inſtitutionem pertinere videbuntur. Omnium vero dictarum Bullarum librum conficiendum, & in Archivo Archiepiſcopali ſervandum eſſe mandamus.

CAP. VIII.

Sacerdotes dominicis, feſtiſque diebus non celebrantes, & Clerici ſingulis ſaltem menſibus non communicantes, fructuum beneficialium illius menſis amiſſione puniantur: Beneficia non habentes, Epiſcopi arbitrio.

ET ſi priori noſtra Synodo hortati fuerimus, ut omnes in ſacris Preſbyteratus ordinibus conſtituti Clerici, dominicis ſaltem, & aliis feſtis diebus ſanctum miſſæ ſacrificium facere non omitterent, alii vero inferioribus ordinibus

Sacerdotibus, & aliis inferioribus ordinibus initiatis frequētia Sacramenti Euchariſtiæ indicatur.

bus initiati Sanctiſsimæ Euchariſtæ Sacramentum ſingulis ſaltem menſibus ſumerent; nihilominus, cum id a nonnullis fieri negligatur, decernimus tam Presbyteros, qui diebus Dominicis, & aliis feſtis non celebraverint, quam in aliis ordinibus conſtitutos Clericos, qui ſemel ſaltem ſingulis menſibus non communicaverint, omnium ſuorum beneficiorum illius menſis, in quo defecerint, amiſsionis fructuum pœna eſſe mulctandos. Si qui vero fuerint, qui beneficia non habent, carceris, & aliis arbitrio Epiſcopi imponendis pœnis plectantur.

CAP. IX.

Dignitates, & Canonicatus obtinentes, ſi Choro non adſint, privatione fructuum non perſolutæ boræ reſpondentium mulctentur.

EOs item, qui Dignitates, & Canonicatus obtinent, ſi per ſe ipſos, ut ſuperiori Synodo præceptum fuit, pſalmis, & hymnis, & canticis una cum aliis modulantes, Dei laudes concelebrare deſierint, & penſum ſervitutis ſuæ abſolvere, amiſsione ejus, quod ea hora, in qua defecerint, præſentibus acquiritur, mulctandos eſſe decernimus, ita ut ſi, ut dictum eſt, non canant in Choro, pro abſentibus habeantur.

CAP. X.

Matutinum, aliæque horæ interdiu recitantur in feſto, & octava Corporis Chriſti, ut præſens populus Indulgentias lucretur.

Præſentibus ad matutinū, aliaſque horas Canonicas in feſto, & tota octavaCorporis Chriſti Urbanus IV. & Clemens V. plures Indulgentias cōceſſerunt.

CUm illis, qui tam matutino, quam aliis horis in die feſtivitatis Sanctiſs. Corporis Chriſti, & infra ejus octavam præſentes fuerint, ab Urbano IV. & Clemente V. Summis Pontificibus Indulgentiæ propoſitæ exiſtant, ut eas Chriſti-fideles conſequi valeant, decernimus tam matutinum, quam alias horas interdiu in Eccleſiis eſſe recitanda.

CAP. XI.

Sine ſufficienti beneficio, aut patrimonio nemo ad Ordines promoveatur, quod patrimonium nullo modo alienari poterit: Contra facientes Epiſcopi de ſufficienti beneficio ordinatos providere tenentur.

De exiſtentia patrimonii in litteris teſtimonialibus fiat mentio.

QUi in poſterum ſacris Ordinibus initiari voluerint, nullo pacto promoveantur, niſi beneficium eorum vitæ honeſte ſuſtentandæ ſufficiens habuerint; ſi vero ad titulum patrimonii promovebuntur, de eo in litteris teſtimonialibus eorum promotionis fiat expreſſa mentio; decernentes, ut patrimonium pro titulo aſſignatum nullo pacto poſsit reſignari, alienari, aut quoquo modo ad illius extinctionem conſenſum præſtari. Quod ſi aliter, quam eis præſcriptum eſt, Epiſcopi fecerint, noverint ſe teneri ad providendum ordinatis de beneficio, quod eorum vitæ ſubſtentandæ ſufficiens exiſtat.

CAP. XII.

Clerici certæ Eccleſiæ non adſcripti, feſtis diebus propriæ Paræciæ inſerviant, juxta Epiſcopi præſcriptum: qui certam habent, in eam conveniant. Eccleſiarum Rectores hujus rei teſtimonium ſingulis tribus menſibus Epiſcopo tranſmittant.

CLerici, qui certæ Eccleſiæ non ſunt adſcripti, curent Epiſcopi, quod ſingulis Dominicis, & feſtis diebus parochialibus Presbyteris, in quorum Eccleſiarum finibus habitaverint, aut eccleſiaſticum beneficium obtinuerint, inſerviant, aut alterius Eccleſiæ Rectori, quæ Epiſcopis videbitur. Illi vero, qui certis Eccleſiis adſcripti ſunt, ad illas conveniant, & functiones in eis præſtent, quæ ipſis ab Epiſcopis præſcriptæ erunt. An autem decretum hoc obſervetur, ſingulis ſaltem tribus menſibus a Rectoribus, in quorum Eccleſias convenire debent, certiores fiant Epiſcopi, illiſque ſignificetur, an hujuſmodi Clerici in habitu, & tonſura clericalibus incedant, & eam, quam tenere debent, vitæ rationem ſequantur.

CAP. XIII.

Beneficia cum miſſarum onere obtinentes, ſingulis ſaltem menſibus miſſam de Requie *pro dotatore, vel benefactore celebrent, niſi frequentius ex inſtitutione id fiat.*

OMneſque beneficia eccleſiaſtica obtinentes, quibus id oneris impoſitum exiſtit, ut certis diebus in ipſis ſanctum miſſæ ſacrificium faciant, ii ſingulis ſaltem menſibus miſſam pro defunctis celebrent pro illis, qui beneficia hujuſmodi dotarunt, vel aliquid ipſis donaverunt, vel legaverunt, niſi tamen frequentius pro defunctis celebrare in eorum inſtitutione illis injunctum exiſtat.

CAP. XIV.

Celebrandi facultas iis, qui propriam Eccleſiam non habent, ſingulis ſex menſibus gratis renovetur.

FAcultates celebrandi illis conceſſas, qui propriam Eccleſiam non habent, Epiſcopi ſingulis ſex menſibus ſcriptas, & gratis renovandas curent.

CAP. XV.

In Monialium Eccleſiis nemini celebrare permittant Epiſcopi ſine licentia in ſcriptis, exceptis diebus, quibus in ipſis Eccleſiis, feſta, aut exequiæ fiunt.

IN Monialium Eccleſiis Epiſcopi nulli celebrare permittant abſque ipſorum licen-

licentia in ſcripto obtenta, ſi ipſis ſubjaceat Monaſterium, niſi illis diebus, quibus in ipſis Eccleſiis feſti dies celebrantur, aut funus, vel exequiæ fiunt.

CAP. XVI.

Epiſcopi in eos animadvertant, qui Breviario, vel Miſſali a Pio V. editis non utuntur.

ET ſi credimus omnes hujus Provinciæ cujuſcumque ordinis Clericos, prout cuique ſpectat, Breviarium, & Miſſale nuper juſſu SS. D. N. Pii V. editum habere, decernimus tamen adhibendam eſſe diligentiam ab Epiſcopis, ut vel per ſeipſos in viſitatione, vel ab aliis ab eis deputandis inquiratur, an eos libros habeant, illiſque utantur, & ſi aliqui reperti fuerint alio Breviario, vel Miſſali uti, quod ejuſdem SS.D.N.Bullis non continetur, in eos ipſi ſevere animadvertant.

CAP. XVII.

Dalmatiæ Sacerdotes non niſi latina lingua, & ritu celebrent. Poſtquam Epiſtolam, & Evangelium latine legerint, eadem per modum interpretationis Dalmatica lingua legere, & ſide declarare permittitur.

INtelleximus in hac Provincia Sacerdotes nonnullos Dalmatas, vulgo Sclavones appellatos, exiſtere, Miſſaſque Dalmatico ritu, & lingua hucuſque celebraſſe, & adhuc celebrare. Quod ne amplius fiat, præcipimus, & mandamus, ut Epiſcopi curent, ne aliter, quam Romano ritu, & lingua juxta Miſſale SS. D. N. juſſu editum Miſſam celebrent. Quod ſi non paruerint, contra eos Epiſcoporum arbitrio procedatur. Permittimus tamen hujuſmodi Sacerdotibus, ut poſtquam latine Epiſtolam, & Evangelium legerint, lingua etiam Dalmatica per modum concionis, ſive interpretationis ad ædificationem illius nationis hominum legere, & declarare valeant.

Permittitur Sacerdotibus Dalmatis, ut lingua Dalmatica prædicent.

CAP. XVIII.

Qui ſacra Olea diſtribuit, Eccleſiarum nomina, ad quas deferuntur, notet. Parochi ſacris tantum Ordinibus inſignitis ea deferendi dent curam.

CUm ſacra olea, & ſanctum Chriſma diſtribuenda erunt, præcipimus, & mandamus, ut is, cui diſtribuendi cura commiſſa erit, notet nomina ſingularum Eccleſiarum, quibus ea diſtribuentur. Parochis vero ipſis præcipimus, ne alicui Sacris Ordinibus non initiato cura ea deferendi Sacra Olea detur.

CAP. XIX.

Curati, Rectores, & Beneficiati non reſidendi licentiam habentes ſtudiorum cauſſa, ſingulis annis teſtimonium Magiſtrorum deferant Ordinario de inceſſu in habitu, & tonſura.

PRæterea quæ ſuperiori Synodo ſtatuimus ſervanda ab his, qui, ut ſtudii cauſſa abſint, obtinuerunt, aut obtinebunt, decernimus etiam, ut ſi qui fuerint Parochialem Eccleſiam habentes, aut quæ perſonalem reſidentiam requirat, qui hujuſmodi facultatem a Sede Apoſtolica obtinuerint, aut ſi qui etiam fuerint, quibus ſimplicia beneficia habentibus Epiſcopi hujuſmodi abſentiæ facultatem conceſſerint, ſingulis annis eorum Ordinariis fidem facere teneantur per litteras Doctorum, ſeu Magiſtrorum, quorum auditores, & diſcipuli extiterint, quod in habitu, & tonſura clericalibus incedant; alias obtentæ abſentiæ facultates nihil eis ſuffragentur.

CAP. XX.

Octo tantum dierum abſentia a reſidentialibus beneficiis concedatur; legitima in hoc ſit cauſſa, & facultas ſcripto tradatur.

CUm multis cujuſcumque dignitatis, & ſtatus Clericis a ſuis beneficiis, etiam ſimplicibus, reſidentiam tamen requirentibus, abeſſe liceat, ſtatuimus, ne Epiſcopi alicui, ut amplius octo dies a ſuo beneficio abſit, facultatem largiantur, niſi ex legitima cauſſa, eaque facultas ſcripto tradatur.

CAP. XXI.

Beneficiati ſub pœna privationis beneficii, alii ſuſpenſionis a Divinis, infra menſem a Laicorum ſervitio diſcedant.

TUrpe eſt Clericos in domibus Laicorum verſari, eorumque ſervitio non ſine Clericalis ordinis ignominia inhærere; quare his, qui beneficia obtinent ſub privationis ipſorum, aliis vero ſuſpenſionis a Divinis pœna mandamus, ut infra unius menſis ſpatium, poſt hujus decreti publicationem, a laicorum domibus, & ſervitio diſcedant, & ſe coram eorum Ordinariis ſiſtant, ut ab illis alicujus Eccleſiæ ſervitio adſcribantur.

Maxima Clericorum ignominia eſt inter ſæculares verſari.

CAP. XXII.

Niſi libere Sponſi ad contrahendum accedant, Parochi ad eorum conjunctionem ne procedant. Per ſe tantum Sponſos conjungant ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio.

UT nuptiæ non coactæ, ſed libero contrahentium conſenſu fiant, præcipimus

Nuptias contractas per vim, aut metum fieri prohibetur.

mus omnibus Parochis, ut diligenter inquirant, an matrimonium contracturi ſponte, non autem vi, aut metu ad contrahendum accedant; quod ſi non libere ad hoc venire compererint, ad eorum conjunctionem nullo modo procedant, neque alteri vices ſuas committant, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio.

CAP. XXIII.

Si Matrimonium contracturi diverſarum ſint Paræciarum, utraque in Paræcia proclamationes fiant. Si diverſorum ſint Epiſcopatuum, a proprio Ordinario atteſtationes habeant.

Contrahentium impedimenta manifeſtanda ſunt.

UT vero in Matrimoniis contrahendis, ſi qua fuerint impedimenta, manifeſtentur, præcipimus, ut ſi ſponſalia, & matrimonium contracturi diverſarum ſint Parochiarum, Parochus, qui ſponſalibus præſens fuerit, litteras teſtimoniales alteri Parocho tranſmittat, ut in ejus etiam Parochia neceſſariæ proclamationes fiant; neque ad ſolemnitatem Matrimonii ſponſi recipiantur, niſi de hujuſmodi proclamationibus hinc inde in facie Eccleſiæ factis, ipſis Parochis prius conſtiterit. Idem etiam decernimus, ſi contrahere volentes diverſorum ſint Epiſcopatuum, & Diœceſium, ut non prius ſcilicet Parochi ſponſos ſolemniter Matrimonio jungant, quam a propriis ipſorum Epiſcopis, tam ſuper ſponſalibus contractis, quam ſuper proclamationibus approbatas atteſtationes habuerint.

CAP. XXIV.

Reſervatur Epiſcopo abſolutio eorum, qui ante ſolemniter contractum matrimonium ſimul coeunt. Sponſi de futuro ſimul ne cohabitent. Parochi, nonniſi in Eccleſia, Matrimonio jungant.

SI aliqui, qui ſponſalia contraxerunt, una ante coiverint, quam coram Parocho, & Teſtibus, juxta decretum Concilii Trident., matrimonium inter eos celebratum ſit, decernimus, ejus peccati, in quo ſæpe delinqui in hac Provincia audivimus, abſolutionem Epiſcopo reſervatam eſſe, gravemque illius pœnitentiam impoſitum iri. Neque ſponſi una cohabitent, niſi ante legitime matrimonium ſit contractum; Parochis autem præcipimus, ne alio unquam loco, quam in Eccleſia, ſponſos matrimonio jungant, niſi aliter Epiſcopi faciendū permiſerint.

Ante contractum matrimonium cohabitationis ſponſorum Epiſcopis abſolutio reſervatur.

CAP. XXV.

Si nuptiæ temporibus prohibitis legitima ex cauſſa celebrentur, abſint convivia, & choreæ; neque domum Sponſæ deducantur.

SI tempore, quo nuptiæ ex interdicto Eccleſiæ fieri prohibentur, ex aliqua juſta cauſſa Epiſcopi contrahendas eſſe judicaverint, curēt, ne in hujuſmodi nuptiis convivia, choreæ, & alia ſimilia adhibeantur, neque domum ſponſæ deducantur.

CAP. XXVI.

Gregorii XI. Conſtitutio de Uſurariorum publicorum ſepultura ſervanda mandatur. Contrafacientes in excommunicationem incidunt.

GRegorii XI. Conſtitutione ſancitum eſt, ne Uſurarii manifeſti Eccleſiæ ſepulturæ tradantur, etiamſi teſtamento, aut alia quavis ultima voluntate ipſi mandaverint reſtitui, quæ uſuræ nomine acceperint, niſi re ipſa pro eorum facultatibus ſatisfactum ſit illis, a quibus uſuras exegerint, aut pignoribus, vel idonea ſponſione cautum ſit, ea reſtitutum iri. Quare præcipimus omnibus Parochis, ut eam conſtitutionem ſervandam curent; ſi vero ſcientes hujuſmodi generis homines ſepeliri permiſerint, noverint ſe ex Conſtitutione Clementis V. in Conc. Viennenſi edita, in excommunicationis pœnam incidiſſe.

CAP. XXVII.

Excommunicatorum nomina tum in Cathedralis, & propriæ Parochiæ Eccleſiæ valvis proſtent, tum aliarum Civitatis, & Diœceſis; ſinguliſque menſibus primo die Dominico denuncientur.

DEcretum ſuperioris noſtræ Provincialis Synodi, quo mandatur, ut excommunicati ſingulis Dominicis diebus publice denuncientur, addendum eſſe ſtatuimus, ut Epiſcopi, cum primum aliquem excommunicatum publice denunciari juſſerint, ejus nomen, tum in Cathedralis, & propriæ parochialis Eccleſiæ valvis affigendum curent, tum etiam aliis Civitatis, & Diœceſis Parochis tranſmittant, ut ſingulis menſibus primo quoque die Dominico eumdem excommunicatum denuncient, neque hoc agere deſiſtant, quoad ipſis Epiſcopi ſignificaverint, eum ad Eccleſiæ gremium rediiſſe.

CAP. XXVIII.

Cum Capitulum congregatur, ante omnia ſpiritualia tractentur; Synodi tum Provincialis, tum Diœceſanæ obſervantia ſpectetur: earum pars aliqua, vel Romani Catechiſmi legatur.

IN Capitulis, quæ in Cathedralibus, aliiſque Collegiatis Eccleſiis certis quibuſdam Hebdomadæ diebus congregari conſuetum eſt, antequam quidquid de rebus, quæ ad rerum temporalium gubernationem pertineant, agatur, ea in primis tractari decernimus, quæ ad ſpiritualia promovenda ſunt neceſſaria.

Itaque

Itaque ante omnia proponatur, an in Concilio, tam Provinciali, quam Diœceſano decreta ſerventur, an errores in cæremoniis, & Divinis officiis committantur, & legatur pars aliqua earum rerum, quæ de vita, & honeſtate Clericorum præſcripta ſunt, vel illarum, quæ Catechiſmo Romano continentur.

CAP. XXIX.

Pro Clericorum confeſſionibus audiendis idonei deputentur, ac tali numero, ut delectus inter eos poſſit haberi.

MAndamus, ut Epiſcopi Sacerdotes idoneos deputent pro audiendis Confeſſionibus Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconoram, aliorumque inferioris Ordinis Clericorum; ita tamen, ut talis ſit numerus, ut confiteri volentes delectum inter illos habere poſſint.

CAP. XXX.

Vnuſquiſque Parochus Dominica prima Adventus, & Quadrageſimæ vulgari lingua edicat inter Miſſarum ſolemnia decretum Conc. Trid. contra detinentes bona Eccleſiæ, & decretum de Decimis Concilii Tridentini, & ſuperioris Provincialis.

EXpedit animarum ſaluti, ut quam ſæpiſſime ad Populi memoriam reducatur, quod grave peccatum ſit bona quæcumque, quæ Eccleſiis, piiſque locis addicta ſunt, illiſque debentur, occupare, & detinere, ut cognita pœnæ gravitate, homines, qui ſibi hujus criminis conſcii ſunt, ab nefario ſacrilegio deterreantur. Quare Parochis omnibus præcipimus, ut decretum Trid. Conc. ſuper hoc editum, unoquoque die Dominico Adventus, & Quadrageſimæ in ſua quiſque Parochia inter Miſſarum ſolemnia recitet vulgari lingua, in quam convertendum curabimus, atque præter publicationem Bullæ in Cœna Domini, quæ ſingulis annis publicanda erit, eiſdem Dominicis diebus eam quoque partem Bullæ, quæ ad hanc rem facit, itidem communi ſermone recitandam eſſe mandamus, una cum decreto de decimis ſolvendis, tam in Conc. Trid., quam in noſtro Provinciali ſuperiori edito.

Ultrà decretum Bullæ in Cœna Domini alia publicentur.

CAP. XXXI.

Scholæ ſingulis annis a Viſitatore viſitentur. Obſceni libri arceantur. Contrafacientes pecuniaria pœna, pauperibus elargienda, & excommunicatione plectantur.

CUm libri, in quibus de rebus laſcivis, vel obſcœnis ex profeſſo agitur, adoleſcentium animos facile corrumpere ſoleant, decernimus, ut ſingulis annis a Viſitatore ab Ordinario deputando, ſcholæ, in quibus pueri docentur, viſitentur, qui libros, ex quorum lectione mores inſici credendum ſit, perlegi minime permittant. Si qui vero contra quod eis præceptum fuerit, eos libros in ſcholis legerint, & pœna pecuniaria in eleemoſynas pauperum convertenda arbitrio Epiſcopi, & excommunicationis pœna plectantur.

Ex librorum obſcenorum lectione puerorum mores inficiuntur.

CAP. XXXII.

Pueri ſeptimo, aut octavo ætatis anno confeſſionibus aſſueſiant; duodecimo, ac decimoquarto proprio confiteantur Sacerdoti, & Confeſſoris judicio Euchariſtiam ſumant.

UT pueri ſalutari confeſſionis ſacramento ſuſcipiendo aſſueſiant, hortamur omnes patres, matreſque familias, alioſque, qui puerorum curam gerunt, ut in ſeptimo, aut octavo eorum ætatis anno ad confeſſionem eos mittant. Illos vero, qui rationis uſum habere incipient, quod a duodecimo ad decimum quartum annum ſolet accidere, præcipimus proprio Sacerdoti, aut alteri ab Ordinario deputato peccata confiteri debere, & pro Confeſſoris judicio ſacram Euchariſtiam ſumere.

Pueri a duodecimo uſque ad decimum quartum annum uſi rationis habere incipiunt.

CAP. XXXIII.

Contra Concubinarios quoſcumque ter, etiam ex officio monitos, & inobedientes Epiſcopi excommunicatione animadvertant. Idem in Concubinas ſervandum.

ET ſi ſuperiori Synodo Provinciali, dum de Concubinariis, & quomodo contra eos procedendum eſſet, ex decreto Sac. Conc. Trid. ſtatuimus, mentis noſtræ fuerit, licet de Clericis tantummodo mentionem fecerimus, ut eodem decreto in memoriam Epiſcoporum revocaremus facultatem ex eodem Conc. Tridentino Epiſcopis tributam eſſe etiam contra Concubinarios laicos procedendi, nihilominus, ut ea in re nihil omittatur, quo homines ab hoc crimine deterreantur, decernimus Conc. Trid. auctoritate, ut Concubiuarii, tam ſoluti, quam matrimonio vincti, cujuſcumque ſtatus, & conditionis exiſtentes, ſi poſtquam ab Epiſcopis, etiam ex officio, ter moniti fuerint, Concubinas non expulerint, & ab earum conſuetudine ſe non abdicaverint, excommunicatione afficiantur, a qua, niſi factæ admonitioni paruerint, non abſolvant. Pariterque contra mulieres, ſive conjugatas, ſive ſolutas, quæ cum adulteris, ſeu Concubinariis vivunt, ſi ter monitæ ipſis Ordinariis non paruerint, etiam ex officio procedant, & pro modo culpæ puniant, & ſi eis videbitur, extra Oppida, vel Diœceſes ejiciantur.

CAP. XXXIV.

Concubinarii, præſertim ſoluti, famulatus prætextu domi mulieres ne retineant; de Concubinatu ſuſpecti, ſi vehemens de hoc fama ſit, Canonicis pœnis plectendi.

QUoniam autem plerumque Concubinarii, præſertim ſoluti, quibus aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior, ad excuſandum excuſationes in peccatis, concubinatus ſcelus honeſto famulatus nomine prætexunt, & obtegunt, dicentes, ſe non concubinas, ſed ancillas pro miniſterio neceſſario domi retinere, ſed re vera ancillæ præſertim juvenes illis non in obſequio ſunt, ſed in inſidiis ſuper terram, *& præter vocabulum nuptiarum*, ut ſcribit ad Ruſticum Divus Hieronymus, *omnia ſint matrimonii*, ſtatuimus hujuſmodi prætextus, & inanes cauſſas Concubinariis, præſertim ſolutis, non ſuffragari, neque illis, qui de Concubinatu ſuſpecti ſunt, fidem adhibendam eſſe, ſi de Concubinatu vehemens fama, & de ſuſpecto contubernio Concubinariis animæ periculum, & aliis ſcandalum oriatur, ſed perinde contra illos, ac ſi in fragranti crimine deprehenſi eſſent, ſervato Conc. Trid. ordine procedatur.

CAP. XXXV.

Qui Epiſcoporum Provincialium juriſdictioni pleno jure ſubduntur, a Laicis poteſtatibus nullo modo in judicium trahantur ſub anathematis pœna. Eadem pœna contra laicos quoſcumque vaſſallos prædictos directe, vel indirecte vexantes cavetur.

EA omnia, quæ pro immunitate familiarium Epiſcoporum conſtituta ſunt, ad omnes ſubditos, & vaſſallos Epiſcoporum extendi volumus, qui tam in temporalibus, quam ſpiritualibus illorum juriſdictioni ſubduntur. Quare mandamus omnibus, & ſingulis cujuſcumque conditionis Baronibus, Dominis, Capitaneis, Magiſtris juratis, Syndicis, aliiſque ſæcularibus Judicibus, & Officialibus, ne quis ſubditos, & vaſſallos Epiſcoporum, qui in hac Provincia in temporalibus, & ſpiritualibus, tam civilibus, quam criminalibus Epiſcopis ſunt ſubjecti, ut ſunt vaſſalli Caſalis, ſeu Terræ S. Jacobi, qui ad Epiſcopi Termulani juriſdictionem pleno jure ſpectant, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrendæ, & aliis pœnis Epiſcoporum arbitrio reſervatis, in carcerem conjicere, aut coram ſe trahere, & trahi facere, vel judicare præſumat, vel eo ipſo, quod illis innotuerit, eos eſſe vaſſallos Epiſcoporum, omni mora poſtpoſita, ad Epiſcopos mittere debeant per Epiſcopalem Curiam, vel Epiſcoporum Vicarios, vel Officiales corrigendos.

Termulanæ Eccleſiæ juriſdictio.

Item mandamus, ne quis laicus prædictos vaſſallos Epiſcoporum, quos ab omnibus functionibus fiſcalibus, & collectis immunes eſſe conſtat, per ſe, vel interpoſitam perſonam quavis cauſſa, aut quovis quæſito colore directe, vel indirecte vexare, aut moleſtare audeat, nec eis collectas, vel gabellas, aliaque hujuſmodi onera imponere, aut ab illis ea exigere ſub excommunicationis pœna, quam eo ipſo, quo monitus fuerit, & non paruerit, incurret.

Epiſcoporum familiares immunes a collectis, & functionibus fiſcalibus declarantur.

CAP. XXXVI.

Excommunicantur ſæculares Judices, qui cauſſas ſpirituales, vel ſpiritualibus annexas, vel miſtas, ſed ab Eccleſiaſtico Judice præventas, ad ſe avocant.

QUoniam autē cauſſas ſpirituales, aut ſpiritualibus annexas, ut decimarum, & cenſuum Eccleſiaſticorum, nonnulli ſæculares Judices ad ſe ipſos tantummodo pertinere aſſerunt, eaſque cauſſas ab Epiſcopis, & aliis Judicibus Eccleſiaſticis evocant, & Epiſcoporum, & Eccleſiæ poteſtas contemnitur, juxta tenorem Bullæ in Cœna Domini excommunicantur omnes, & ſinguli, quacumque dignitate præfulgeant, qui cauſſas ſpirituales, vel ſpiritualibus annexas, vel miſtas, & ad utrumque forum pertinentes, ſed a Judicibus Eccleſiaſticis præventas, ab Epiſcopis, vel eorum Vicariis, aliiſque Judicibus Eccleſiaſticis per ſe, vel alium, ſeu alios avocant.

In cauſis miſti fori, ſi præveniunt Epiſcopi, ſæcularibus præferuntur.

CAP. XXXVII.

Impedientes, quo minus fructus ad Eccleſias, Eccleſiaſticaſque perſonas pertinentes in Urbem, aut Oppida vehantur, vel inde extrahantur.

EXcommunicationis etiam vinculo innodamus omnes, & ſingulos, cujuſcumque conditionis, & gradus extiterint, qui contra libertatem Eccleſiaſticam impediunt, quo minus vinum, & alii fructus ex Eccleſiarum reditibus provenientes, vel quocumque modo ad Epiſcopos, vel alios Clericos licite pertinentes in Urbes, aut Oppida vehantur, aut deferantur, aut inde extrahantur.

CAP. XXXVIII.

Synodalium Conſtitutionum interpretatio, & explicatio uſque ad aliud Concilium Archiepiſcopo reſervatur: Apoſtolicæque Sedis auctoritati ſubjiciuntur.

IN omnibus his, quæ decrevimus, ſiqua difficultas oborta fuerit, antequam alia Beneventanæ Provinciæ Synodus habeatur, tum ipſius difficultatis, tum omnium, quæ his decretis tradita ſunt, inter-

interpretationem, & explicationem Nobis reſervamus, ſalva ſemper Sedis Apoſtolicæ auctoritate, cujus omnium Eccleſiarum Matris, & Magiſtræ judicio, & auctoritati omnia, & ſingula in hac Provinciali Synodo ſancita, decreta, & acta, emendanda, & corrigenda ſubjicimus.

CAP. XXXIX.

Mutua inter Epiſcopos pietatis officia inſtituuntur. Capitula de Epiſc. ſui obitu Provinciales Epiſcopos certiores faciant. Epiſcopi Miſſam pro ejus anima celebrent. In hoc negligentes, ſi Epiſcopus fuerit, a Provinciali Concilio, ſi Canonici, a futuro Epiſcopo puniantur. Quotannis in Cathedrali pro mortuo Epiſcopo anniverſarium fiat.

Charitas inter Comprovinciales Epiſcopos ſervanda commendatur.

Antiquum, piumque SS. Patrum inſtitutum, quo Epiſcopo mortuo, vel morti proximo, vicinus Epiſcopus invitabatur, vel ad celebrandas Epiſcopi mortui exequias, vel ad eum, ſi vivum inveniſſet, conſolandum, jamdiu intermiſſum reſtituere cupientes, decernimus, ut cum primum Epiſcopus in gravem morbum inciderit, ex quo periculum vitæ imminere probabile ſit, vicinior Epiſcopus, niſi infirmus Epiſcopus alium vocandum duxerit, habita ipſius infirmitatis notitia, ad eum inviſendum, & conſolandum accedat, & ſi vivum invenerit, ea pietatis officia præſtet, quæ ad animæ ſalutem præcipue eo tempore requiruntur: Si vero infirmus, ſive morbi gravitate impeditus, ſive alia quavis cauſſa neminem Comprovincialium Epiſcoporum vocandum duxerit, & de ejus infirmitate Epiſcopi vicini fortaſſe notitiam non habuerint, decernimus, & mandamus, ut tres primi de Capitulo viciniorem Epiſcopum de eo certiorem faciant, qui ea, quæ ſupra diximus, exequatur, & inde non diſcedat, niſi de Epiſcopo infirmo certa ſalus ſperetur. Quod ſi Epiſcopum, quem inviſerit, mori contigerit, vel mortuum invenerit, Epiſcopi defuncti corpus una cum ſæculari, & regulari Clero ad ſepulcrum proſequatur.

Hujus autem pietatis officii nihil præter juſtum a quoquam, etiam ſponte oblatum, accipiat.

Mandamus vero Capitulo, ut poſt humatum ſui Epiſcopi corpus, omnes Provinciales Epiſcopos de ejus morte certiores faciat, qui in eorum Eccleſiis Cathedralibus pro ejus anima Miſſam celebrare teneantur. Si vero Epiſcopus, vel Canonici in eo negligentes fuerint, mandamus, ut a Provinciali Synodo Epiſcopus, Canonici a futuro Epiſcopo graviter puniantur.

Pro mortuo Epiſcopo anniverſaria quotannis in Cathedrali Eccleſia fiant ſumptibus viventis Epiſcopi, & Capituli, quandiu ejus ſucceſſor in ea vixerit.

Ego Antonius Oritheus Secret. ſubſcripſi, &c.

Rogitus Actorum.

Sancta Synodus Provincialis Beneventana, celebrata præſidente Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Jacobo Cardinali Sabello Archiepiſcopo Beneventano in Eccleſia Cathedrali Beneventana, hora Miſſarum, ſuis ſolemnitatibus, & cæremoniis peractis ſub die xxv. menſis Aprilis 1571. In dicta Synodo infraſcripti Reverendiſs. Patres Epiſcopi comparuerunt perſonaliter, prout inferius annotantur, & alii comparuerunt per Procuratores, & excuſatores; alii non comparuerunt ullo modo, ut annotatum eſt, & annotatur inferius.

REVERENDISSIMI PATRES EPISCOPI COMPARENTES.

Epiſcopus Bojanenſis.
Epiſcopus Arianenſis.
Epiſcopus Aſculanus.
Epiſcopus Guardienſis.
Epiſcopus Termulenſis.
Epiſcopus Theleſinus.
Epiſcopus Trivicanus.
Epiſcopus Alliſanus.

NON COMPARENTES SUNT.

Epiſc. Lucerinus per Procuratorem.
Ep. Bovinenſis Vicarius pro eo.
Ep. S. Agathæ per Vicarium.
Ep. Vulturariæ per Vicarium.
Ep. Montis Corvini per Vicarium.
Ep. Avellinen. per Procuratorem.
Ep. Frequentinus per Procuratorem.
Ep. Triventinus abſens.
Ep. Civitaten. abſens.
Ep. Leſincn. abſens.
Ep. Draconarien. abſens.
Ep. Florentinus abſens.
Ep. Larinen. per Vicarium.
Ep. Turtiburenſis.
Ep. Montis-Marani *vacat*, ſed præſens Vicarius, conſtitutus ſede vacante.
Ep. Li-Muſanenſis.
Ep. Trojanus eligens per Procuratorem.

N. Cæſar Burſetta.

Procuratorium D. Epiſcopi Trojani.

Gloria, laus, & honor ſit tibi Rex Chriſte Redemptor. amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat evidenter, & ſit notum, quod anno a Nativitate Domini ejuſdem milleſimo quintengeſimo ſeptuageſimo primo Indictione 14. die vero Mercurii decima octava menſis Aprilis Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Pii Divina providentia Papæ V. anno ejus ſexto, in mei Notarii publici, teſtiumque infraſcriptorum ad hæc ſpeciali-

ter vocatorum, & rogatorum præſentia perſonaliter conſtitutus R.D. Antonius Tancbreda Archidiaconus Cathedralis Eccleſiæ Trojanæ, & Reverendiſſimi D. Epiſcopi Trojani in ſpiritualibus, & temporalibus Generalis Vicarius ſponte omni meliori modo, quo potuit, & poteſt, ſibique permittitur, fecit, conſtituit, ac ſolemniter, & legitime ordinavit, ſuum verum, carum, legitimum, & indubitatum Procuratorem, actorem, factorem, geſtorem, & nuncium ſpecialem, & ad infraſcripta generalem Ven. virum D. Petrum Repturam Canonicum Collegiatæ Eccleſiæ Terræ Fogiæ Trojanæ Diœceſis, ibidem præſentem, & onus præſentis mandati in ſe ſponte ſuſcipientem, ad procuratorio nomine, & pro parte ipſius D. Conſtituentis, nec non, & dicti Reverendiſs. D. Trojani Epiſcopi, comparendum coram Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Cardinale Sabello Archiepiſcopo Beneventano, & in Sacra Synodo proxime per eum congreganda, & celebranda in Beneventana Civitate, & coram ipſo, & in dicta S. Syn. præmiſſa proteſtatione exemptionis dicti Reverendiſs. Epiſcopi Trojani, & ejus Epiſcopatus, & citra præjudicium proteſtationum alias factarum in dicta Beneventana Synodo, & decretationum inde in dicta Synodo interpoſitarum pro ipſa exemptione, allegandum notoriam abſentiam ejuſdem Trojani Epiſcopi, & infirmitatem ipſius manentis in Urbe, & petendum ſibi dari terminum convenientem ad dictum Reverendiſs. Trojanum Epiſcopum certiorandum, necnon reproducendum proteſtationes ipſas, & proviſiones prædictas deſuper emanatas in dicta Benev. Synodo, & de non admiſſione, & quolibet alio gravamine appellandum ad S. Sedem Apoſtolicam, Apoſtolos petendum, & appellationem proſequendum uſque ad finem cauſſæ; Procuratorem unum, duos, & plures cum ſimili, vel limitata poteſtate ſubſtituendum, & revocandum, & generaliter omnia alia, & ſingula faciendum, quæ ipſemet D. Conſtituens faceret, facereque poſſet, valeret, & deberet, etiam ſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus eſt expreſſum: promittens, fidejubens, & ſe ipſum, ſuoſque hæredes, & ſucceſſores obligans ſub obligatione, & hypotheca omnium, & ſingulorum bonorum ſuorum, & ſub omni juris, & facti renunciatione dictum ſuum Procuratorem, & ſubſtituendum, ſeu ſubſtituendos ab eo relevare ab omni onere ſatis dandi, judicio ſiſti, & judicatum ſolvi, ac ratum, gratum, & firmum quidquid dictum, factum, & tractatum fuerit per ipſum, ſeu ipſos circa prædicta, & non aliter, nec alio modo: ſuper quibus omnibus obſervandis tacto pectore more Sacerdotum juravit, & juramentum præſtitit corporale mihi Notario publico ratione mei publici officii, nomine quorum, & cujus intererit, & poterit intereſſe, præſente, recipiente, & ſtipulante. Super quibus omnibus idem D. Conſtituens petiit ſibi a me Notario publico infraſcripto, unum, vel plura, publicum, ſeu publica fieri, atque confici inſtrumentum, & inſtrumenta. Acta fuerunt hæc in Civitate Trojæ prope Cathedralem Eccleſiam ſub anno, indictione, menſe, die, & Pontificatu, quibus ſupra, præſentibus ibidem Reverendis D. Alphonſo Menio, D. Andrea de Sentulo, & D. Blaſio Fanganello Canonicis Trojanis teſtibus ad præmiſſa omnia vocatis, habitis, & rogatis.

Et ego laicus Petrus Antonius Rubeus Civis Trojanus publicus auctoritatibus Regia, & Apoſtolica, & in Archivo Romanæ Curiæ deſcriptus, matriculatus, & aggregatus Notarius ſub die 12. menſis Octobris 1569. in lib. 6. fol. 125., quia præmiſſis omnibus, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, ideo hujuſmodi procuræ juramentum manu mea propria ſcriptum ſubſcripſi, ſignavi, & publicavi rogatus, & requiſitus.

MAXIMILIANUS DE PALUMBARIA.

Maximilianus de Palumbaria Cardinalis Sabelli ex Sorore Nepos, Archiepiſcopus LIII., electus die XXVI. *Maii Anno Domini* MDLXXIV., *conſecratus Romæ* XXVI. *Novembris ejuſdem anni. Sub ejus regimine A. D.* MDLXXX. *fuit erectus a Gregorio XIII. Epiſcopatus S. Severi, atque huic Metropolitanæ Eccleſiæ ſuppoſitus. Corpus S. Pantaleonis Martyris in Metropolitanam Eccleſiam A. D.* MDLXXXVI. *tranſtulit. Provincialem Synodum A. D.* MDXCIX. *habuit. Sedit An.* XXXII. *Menſes* VII. *Dies* XXVIII. *obiit die* XXIII. *Januarii A. D.* MDCVII.

CON-

CONCILIUM PROVINCIALE DUODECIMUM

Habitum menſe Septembri 1599. a Maximiliano de Palumbaria Archiepiſcopo.

Concilium hoc in Metropolitanæ Eccleſiæ Bibliotheca ſervatur, typis editum Romæ A. D. 1605. apud Guilielmum Facciottum.

EDICTUM INDICTIONIS SYNODI.

Maximilianus de Palumbaria Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Beneventanus, Clero, & omnibus Provinciæ noſtræ fidelibus, ſalutem in Domino.

PAſtoralis officii noſtri ratio poſtulat, ut Provinciale Concilium celebremus; quod licet juxta Concil. Tridentini præſcriptum, jam pridem exequi cuperemus, aliqua tamen fuerunt in cauſſa, ut pium hoc opus huc uſque intermitti merito ſit perſuaſum. Primum, quod Provincialis Synodus a Jacobo Cardinali Sabello bon. mem. tunc Archiepiſcopo Beneventano prius celebrata, adeo cuncta complexa ſit, & in futurum proſpexerit, ut nihil ei, aut parum addi poſſe videretur; quod Nobis quodammodo gratum extitit, quippe qui tanto viro ſemper tribuimus multum: Quod ut facerem, & ipſius impellebat auctoritas, & Thadæus Cardinalis de Gaddis avunculus meus, tanquam mihi ex teſtamento, legavit. Præterea interlapſi temporis diverſæ calamitates, viarum latrociniis, & graſſationibus omnia plena fecerunt, ut ad hoc uſque tempus ſanctum hoc negotium differremus. Nunc vero cum ingenti Dei gratia, & miſericordia pacata omnia videamus, & aliqua forſan emerſere, quæ communis ſollicitudinis remedium quærant, depoſitum animarum noſtræ curæ commiſſarum ſollicitat, ut diutius non immoremur, ſed, ſi qua depravata ſunt, reformentur, errores corrigantur, & oves Domini ſanguine redemptæ, a vallibus ad montes, a terrenis ſcilicet rebus ad cæleſtes, ab humanis ad divinas, a caducis ad æternas, omni ſtudio revocentur. Atque in hanc curam, ut ardentius incumbamus, monet Nos ipſius Eccleſiæ noſtræ magnitudo, & nobilitas. Diœceſis enim ipſius ampliſſima eſt, nonaginta ſex ſcilicet Caſtrorum, & quidem inſignium, exceptis Oppidulis: Sunt hic multi Abbates, qui Mitra, & Baculo utuntur, & duodecim extant Abbatiæ, quæ ab Archiepiſcopo Beneventano conferuntur: Latiſſima eſt ejus Provincia, decem, & octo Epiſcoporum; licet non multum ſit temporis, cum vigintiquinque eſſent, ut in valvis æreis ipſius Eccleſiæ, & nomina Epiſcoporum, & effigies monſtrant. Olim vero triginta duos habuiſſe, & Metropolim Campaniæ, totiuſque Apuliæ appellatam eſſe, antiquiſſima ipſius documenta teſtantur. Præſulem autem Beneventanum ſigno plumbeo litteras expedire, a ſententiis laicorum Officialium Civitatis ad eum appellari, aliiſque gaudere Apoſtolicis privilegiis, Eccleſiæ Beneventanæ dignitatem ſatis oſtendunt. Evidens argumentum, quod ſicut Summi Pontifices, quorum multi hic reſederunt, Civitatem hanc in ſignum directi dominii in Regno Neapolitano Apoſtolicæ Sedi reſervatam multis ornarunt gratiis, ſic ejus Archiepiſcopalem Sedem multis Eccleſiis præſtare voluerunt ampliſſimis prærogativis. Quæ cum ita ſint, ad hoc ſanctum negotium quamprimum præſtandum, tanti Sacerdotii procuratio Nos merito invitat, cogit, impellit. Quamobrem omnes, & ſingulos hujus noſtræ Provinciæ Reverendiſſimos Epiſcopos, tum litteris eo potiſſimum nomine unicuique eorum ſcriptis, tum etiam hoc publico Edicto in valvis Cathedralium affigendo, Beneventum ad Synodum convocamus, cujus inchoandæ certum diem, vigeſimum nonum ſcilicet futuri menſis Septembris, Dedicationi Sancti Michaelis Archangeli dicatum, ut mane in Metropolitanam Eccleſiam conveniant, præſcribimus.

(Rationes, & motiva, cur antea Synodum non celebravit.)

(Beneven. Diœceſis amplitudo.)

(Numerus Suffraganeorũ deſignatur.)

(Beneven. Eccleſiam Metropolim Campaniæ, & Apuliæ fuiſſe appellatam probatur.)

Ut igitur aliis etiam omnibus innoteſcat, qui de jure, vel conſuetudine Synodo intereſſe debent, ne cui ignorantia rei ad excuſationem uti, vel ſe contemptum, neglectumve eſſe dicere liceat; iccirco univerſis, & ſingulis prædictis, tum ceteris, qui ſua intereſſe quavis ratione putarint, tum etiam illi, qui liberi ſunt, atque exempti, quique nullius Diœceſis intra Provinciæ noſtræ fines continentur, hoc Edicto publice propoſito in valvis Cathedralium, & aliarum inſignium Eccleſiarum, etiam exemptarum noſtræ Provinciæ, ac vicinorum nullius Diœceſis (ſi quæ ſint) locorum affixo, illud etiam ſignificamus, indicimus, ac denunciamus; pœnis, & cenſuris propoſitis iis, qui intereſſe debent, Canonum jure ſancitis.

Rogamus præterea, & in Domino hortamur omnes Provinciæ noſtræ fideles, ut aſſiduis prædicationibus, & reliquis Chriſtianæ pietatis officiis, Nobis tam ſalutare negotium tractantibus auxilium a Deo implorent, quo facilius ea, quæ ad Dei laudem, & animarum, quæ in noſtra cura conquieſcunt, ſalutem pertinent, decernamus.

mamus. In quorum fidem hoc Edictum noſtra,noſtrique Secretarii manu ſubſcriptum, & noſtri Sigilli impreſſione munitum, confici voluimus. Datum Beneventi in Palatio Archiepiſcopali die VIII. menſis Maji M. D. XCIX.

Maximilianus Archiepiscopus Beneventanus.

Antonius Raguccius Canonicus Beneventanus Secretarius.

Litteræ miſſæ ad Reverendiſſimos Epiſcopos Suffraganeos.

Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domine.

PRovincialem Synodum Beneventanam, jam diu animo conceptam, variis cauſſis, juſtis illis tamen, hucuſque intermiſſam, Deo juvante, hoc anno celebrare intendimus, atque id vigeſima nona futuri menſis Septembris facere agrediemur. Quod, licet publico Edicto omnibus Reverendiſſimis Provinciæ noſtræ Epiſcopis indixerimus, litteris tamen nominatim ad ſingulos ſcriptis, ut his facimus, Amplitudini tuæ Reverendiſs. duximus etiam indicandum. Adſit igitur in noſtra Metropolitana Eccleſia Beneventana Amplitudo tua, ut eam hortamur, ad prædictum diem, quem huic ſancto negotio certum præſcribimus, & quæ in ſua Diœceſi correctione digna invenerit, ad Synodum afferat. Adducat etiam ſecum aliquot ex Capitulo, & reliquo Civitatis, & Diœceſis ſuæ Clero, viros ſelectos, quos idoneos judicaverit, qui Synodalibus actionibus interſint, ut ex eis pro futura Synodo Provinciali teſtes deligi poſſint, qui omni humano affectu, ſive negligentia depoſitis, jurent ſe eorum munus diligenter exequuturos. Quod ſi legitime impedita, cauſſam Nobis ſignificando, & juxta Canonicas ſanctiones probando, adeſſe nequiverit, Procuratorem idoneum, qui ejus nomine Synodo interſit, mittat.

Præterea habebit cum his Amplitudo tua impreſſum Edictum, quod in Cathedralis Eccleſiæ ſuæ, & aliarum ſuæ Diœceſis inſignium, etiam exemptarum, & vicinorum locorum, etiam nullius Diœceſis valvis affigi, & promulgari curet, de cujus promulgatione publicam teſtificationem ab Amplitudine tua poſtea petimus: & Deus illam diu conſervet incolumem. Beneventi die VIII. menſis Maii M. D. XCIX.

Amplitudinis Tuæ Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ

Addictiſſimus

Max. de Palumbara Archiepiscopus Beneventanus.

Antonius Raguccius Canonicus Beneventanus Secretarius.

TITULUS I.

De profeſſione Fidei.

CAP. I.

Fidei profeſſionem emittere, qui teneantur? Parochi librorum prohibitorum indicem habeant, ut eorum nomina Epiſcopis deferre poſſint.

CUm Chriſtianæ Religionis fundamentum ſit Fides, ejuſque confeſſio credentium fiat ad ſalutem, maxime eorum, qui aliorum curam gerunt; Trid. Conc. nixi auctoritate, & fel. rec. Pii Papæ Quarti Conſtitutione, mandamus, ut, qui de beneficiis curatis proviſi erunt, ad minus intra duos menſes Fidei profeſſionem emittere teneantur, formula ab ipſomet Pio Quarto præſcripta coram Epiſcopo, vel Vicario Generali; qui vero de Dignitatibus, vel Canonicatibus in Eccleſia Cathedrali, eam profiteri teneantur, etiam in Capitulo, ſub pœna in Concilio Tridentino indicta. Eamdem profeſſionem facere teneantur, qui de Monaſteriis, Conventibus, Domibus, & aliis quibuſcumque locis in dicta Conſtitutione expreſſis proviſi ſunt. Ad idem teneantur Prædicatores verbi Dei, Magiſtri Scholæ, Confeſſores tam ſæculares, quam regulares. Ad idem Medici, & Chirurghi intra trium menſium ſpatium poſt præſentium publicationem: Quod ſi adimplere neglexerint, cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis compellantur.

Non emittentibus fidei profeſſionem pœna a Conc. Trid. indicitur.

Medici, & Chirurghi ad emittendam fidei profeſſionem adſtringuntur.

Curent etiam Epiſcopi, ut Parochi omnes indicem librorum prohibitorum ſecum habeant, qui etiam invigilent, ut ad ipſos deſcripta ſigillatim nomina librorum deferantur, ut, ſi quos prohibitos repererint, vel prohibere, vel expurgari curare pro paſtorali vigilantia poſſint.

CAP. II.

Parochi poſt fidei profeſſionem Sedi Apoſtolicæ, & proprio Epiſcopo obedientiam jurent; ſeque Parochialia jura, bonaque defenſuros.

PArochi poſt Fidei profeſſionem emiſſam coram Epiſcopo, vel Vicario Generali juramento ſe obſtringant Apoſtolicæ Sedis, & proprio Epiſcopo, ejuſque Succeſſoribus obtemperaturos; jura Parochialium Eccleſiarum defenſuros; bona non alienaturos, ſed conſervaturos; & male alienata pro viribus Eccleſiis ſe reſtituturos.

TI-

TITULUS II.

De abutentibus Sacra Scriptura.

CAP. I.

Sacræ Scripturæ verba ad profanos ſenſus ne trahantur.

NOn eſt eorum temeritas ſine animadverſione prætereunda, qui Sacræ Scripturæ verbis, vel ad profanos ſenſus, vel ad impietatem, vel ad jocum, vel ad ſuperſtitionem, aut ad alium quemvis alienum Eccleſiæ ſenſum abutuntur. Quamobrem Epiſcopi, juxta Canonicas ſanctiones, & Tridentini Concilii decreta, delinquentes ſevere puniant; atque, ut ab hujuſmodi ſacrilego abuſu fideles abſtineant, Populo per Concionatores, Parochos, & Confeſſores admoneri curent.

Abuſentibus Sacra Scriptura quæ pœna irrogantur?

TITULUS III.

De Ludi Magiſtris.

CAP. I.

Laſcivi libri e ſcholis arceantur; ſic etiam prohibiti. Scholæ ſingulis annis viſitentur. Nemo ſine licentia doceat.

CUm adoleſcentium ætas facile laſcivis rebus inficiatur, curent Epiſcopi, ut Magiſtri Scholæ eos auctores fugiant, quorum lectione puerorum animos corrumpi credendum ſit, ſive latino illo, ſive italico, aut quovis idiomate conſcripti, & editi ſint; utque libros in Indice prohibitos fugiant, ſub pœnis ibi contentis. Scholæ ſingulis annis a Viſitatore ordinario viſitentur; nemoque docendorum puerorum, ſeu adoleſcentium publice, vel private munus ſuſcipiat, niſi prius ab Epiſcopo examinatus licentiam in ſcriptis habuerit. Tunc vero pueros ejus fidei commiſſos, non litteris modo, ſed bonis moribus, & ſalutaribus præceptis erudiat; præcipue vero in doctrina Chriſtiana: Quod, an fiat, teſtes Synodales, & Vicarii foranei in Synodo Diœceſana ſingulis annis celebranda, ut Epiſcopis ſignificent, mandamus.

TITULUS IV.

De Prædicatione verbi Dei.

CAP. I.

Concionatores non avari deligantur. Eis ſatisfacere renuentes per cenſuras ſunt compellendi.

QUoniam ſatis, quæ Concionatores verbi Dei exequi debent, in Provinciali Synodo ſub Jacobo Cardinali Sabello bon. mem. Archiepiſcopo Beneventano celebrata complexa ſunt, hic tantum addendum putavimus, curaturos Epiſcopos, eos eligere ad id muneris obeundum in ſuis Diœceſibus Prædicatores, qui nihil avaritiæ præſeferentes, ſaluti potius, quam ſcandalo Populis ſint: quod maximo animi ſenſu de pluribus intelleximus, qui propriam utilitatem potius, quam animarum ſalutem quæſiviſſe, in eorum a prædicatione diſceſſu demonſtrarunt: Iis eleemoſynæ, & alimenta ſubminiſtrentur, ad quæ perſolvenda, qui ſolent, & debent, Epiſcopi etiam per cenſuras, & pœnas repugnantes cogant.

In Prædicatorum diſceſſu illorum avaritia fuit cognita.

CAP. II.

Pauperes inter prædicandum ne commendentur; nec ii eleemoſynam quærant. Noctu concio ne habeatur: Prædicationis finis.

PRædicatores neminem inter prædicandum paupertatis nomine Populis commendent, niſi Epiſcopi in ſcripto obtenta facultate, qui de ejus inopia a Parocho teſtimonium habeat; dumque concio habetur, nulli pauperum per Eccleſiam eleemoſynam petere permittatur, ne, vel vulnerum aſpectu nauſeæ Populo divina audienti, vel celebrantibus importunæ querelæ vocis ſono impedimento ſint; ſed id negotii, cum Prædicator pauſam facit, ita celeriter agatur, ut concio minime impediatur. Noctu ſacra Concio non habeatur, & dum habetur, nec Miſſæ celebrentur, nec Horæ Canonicæ, etiam ſubmiſſa voce recitentur. Tandem Prædicatores videant, ne de eis vere dicatur, quod Apoſtolus 2. ad Corinthios 2. c. ſcripſit. *Sunt cauponantes verbum Dei*: & quod Princeps Apoſtolorum redarguit 2. cap. 2. *In avaritia*, inquit, *fictis verbis de vobis negotiantes*; & quod reprehenditur a Beato Juda in ep. Catho: *Cor exercitatum avaritia habentes, ſemetipſos paſcentes, mirantes perſonas quæſtus cauſſa*. Sed conſiderent, quod Apoſtolus teſtatur non eſſe prædicandum, ut comedamus, ſed comedendum, ut prædicare poſſimus.

Tempore prædicationis nec Miſſæ, nec horæ Canonicæ debent recitari.

Non prædicandum, ut comedant, ſed comedendum, ut prædicent.

TITULUS V.

De ſacris Imaginibus, & novis miraculis.

CAP. I.

Sacræ Imagines quales eſſe debent? Inconſulto Epiſcopo votivæ tabellæ ne vendantur, nec in Eccleſiis profanæ apponantur figuræ. Nova miracula ne proponantur, neque altaria erigantur abſque Epiſcopi approbatione ſub excõmunicationis pœna.

CUrent Epiſcopi, ut ſacræ Imagines, priuſquam in Eccleſiis collocentur, ſtata prece benedicantur: Quæ vero vetu-

Imagines in Eccleſiis, antequam benedicantur, apponi non poſſunt.

tuſtate corruptæ, ſive hominum injuria deturpatæ, quæve in ſordido loco ſunt, eas, vel honeſte aptari, vel in totum deleri mandent: vetuſtate autem ita collapſas, ut reparari non poſſint, comburi, & cineres in ſacrarium reponi præcipiant, ubicumque reperiantur, etiam in domibus laicorum. Nulla imago, aut pingatur, aut ſculpatur, quæ veritati ſacræ Scripturæ, aut Eccleſiaſtico ritui, & Catholicæ traditioni adverſetur, vel quæ habeat aliquid obſceni, aut profani, aut ridiculi, aut ſuperſtitioſi, aut alias procaciter, vel præpoſtere facti: neque miraculum, quod non ſit ab Eccleſia probatum, exprimat; nec eorum, qui in Sanctorum numerum non ſunt relati; nec animalia in imaginibus pingantur, niſi expreſſio ſacræ Hiſtoriæ id requirat, nec ejus, cujus lectio ab Eccleſia prohibita eſt. Quod ſi Epiſcopi in viſitatione hujus generis imagines invenerint, eas deleri, vel in honeſtiorem formam reduci curent.

Oblatæ imagines ſi venduntur, earum pretium in uſum Eccleſiæ convertatur.

Pro voto oblatæ imagines non vendantur, niſi conſenſu Epiſcopi in uſum Eccleſiæ ipſarum pretio convertendo.

Tapetia, aut aulæa, quæ vanitatem præſeferunt, aut figuras profanas, & ab Eccleſia interdictas continent, in ornandis Eccleſiis minime adhibeantur. Nova miracula nemo, quovis modo exemptus, Populo enunciare, aut prædicare, Altaria eo nomine erigere, oblationes, aut vota in Altari proponere audeat, ſine Epiſcopi approbatione, ſub pœna excommunicationis: verum ubi rumor increbuerit novorum miraculorum, huic pie obſiſtatur, quouſque ab Epiſcopo, quid fieri debeat, mandetur.

TITULUS VI.

De Reliquiis Sanctorum.

CAP. I.

Sanctorũ reliquiæ quomodo aſſervandæ ſint, & oſtendendæ? Alteri ne concedantur abſque ſuperioris facultate: novas nemo venerationi exponat, niſi ab Epiſcopo recognitas.

Sanctorum Reliquiæ, quæ Divinæ gratiæ receptacula fuerunt, honeſto loco aſſerventur; non tamen, ubi Sanctiſſimi Corpus, aut ſancta Olea, vel ſacræ veſtes conſervantur: lampas, ſeu lampades ante ſemper colluceant, niſi ſint in Capella Sanctiſſimi Corporis, ubi lampades continue ardere debent. Cum Populo oſtendi eas contigerit, idque in Sanctorum feſtis, aut in majoribus ſolemnitatibus, accenſis luminibus, nec a vaſculis extracta, a Sacerdote ſuperpelliceo, ſtolaque induto, oſtendantur. Tunc vero accendantur luminaria, pulſentur campanæ, Antiphonæ cum orationibus a Clero cantentur, thurificatio adhibeatur.

Quæ fieri in oſtenſione reliquiarum debent?

Oſtendendæ ſuper altare reponantur: abſit ſpes quæſtus; ſacculi, aut capſulæ pro eleemoſynis recipiendis non collocentur; nec ſit, qui, aut humeros fidelium virga tangat, aut ad eleemoſynas erogandas verbis invitet; Si quid vero ſponte dabitur, accipi non prohibetur.

In oſtenſione reliquiarum ſacculi, & capſulæ pro recipiendis eleemoſynis abſint.

Ad ægrotos etiam devotiſſime petentes, etiam ſi id antiquæ conſuetudinis eſſet, ſine Epiſcopi facultate, minime exportentur.

A laicis nunquam tractentur, aut tangantur, quod Sanctus Gregorius ſacrilegium eſſe ſcribit; neque eas nudas deoſculari liceat.

Prope reliquias, quæ ſciuntur, tabella orationum, & antiphonarum illorum Sanctorum appenſa habeatur, ac etiam alia tabella in loco conſpicuo affigatur, ubi nomina omnium reliquiarum deſcribantur: e vaſculis oſtendendæ numquam extrahantur: nudæ a velo in conſpectu nunquam exponantur.

Reliquiarum Cuſtodes ſine Epiſcopi licentia, illarum nihil dare præcipitur.

Caveant ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſacrarum Reliquiarum cuſtodes, illarum, nec minimum quidem quovis prætextu, etiam alteri Eccleſiæ concedere, tradere, aut largiri ſine permiſſu Ordinarii, & ſi Regulares ſint, abſq; facultate proprii Generalis ſcripto obtenta.

Novas reliquias nemo, etiam ſi Regularis ſit, aut quantumvis exemptus, evulgare, aut venerandas populo annunciare, niſi ab Epiſcopo recognitas, & approbatas præſumat, ſub pœna excommunicationis.

CAP. II.

Reliquiarum catalogus Epiſcopo tranſmittatur: ſi incertæ ſint quid agendum? duabus ſerventur clavibus.

Mandent Epiſcopi primo quoque tempore, ut omnium ſacrarum Reliquiarum, quæ in ſuis Diœceſibus ſunt, ad eos nomina deferantur, & quomodo, vel tranſlatæ, vel habitæ fuerunt, perquirant diligenter: De iis vero, quæ incertæ, & ſine nomine ſunt, teſtes idoneos examinent, quid de eis antiqua, conſtanſque traditio edoceat; relatis omnibus in certum librum, qui in Archivo Epiſcopali conſervetur.

Capſæ Reliquiarum duas Claves diverſo fabrili opere confectas habeant; alteram ab Epiſcopo, ſi in Cathedrali ſint; alteram a Theſaurario, vel prima Dignitate ſervandam; Tertiam, vel plures, ubi conſuetudo eſt, Laicis Epiſcopus permittere poteſt: In Diœceſi a Rectore Eccleſiæ, & ab alio probato Presbytero, quem Epi ſcopus elegerit, teneantur.

TITU-

TITULUS VII.

De ædificandis novis Eccleſiis, & de ornatu earum.

CAP. I.

Novas Eccleſias, aut in veteribus quid præcipuum inconſulto Epiſcopo extrui prohibetur. Primus lapis juxta Pontif. Rom. jaciatur per delegatum, & apta ædificii forma deſignetur.

NOvas Eccleſias ædificari, aut in veteribus aliquid præcipuum novi, abſque Ordinarii licentia in ſcriptis, fieri omnino prohibemus; cum vero licentia hæc dabitur, mittet Epiſcopus Canonicum, vel alium in Sacerdotali ordine conſtitutum, qui primum lapidem fundamentorum jaciat ad Pontificalis præſcriptum, vel qui aptam loco ædificii formam juxta Canonicas ſanctiones deſignet.

CAP. II.

Altaris, illique annexorum menſura deſcribitur: circa ipſum cancelli ſint.

ALtaria ſint altitudine quatuor palmorum a ligneo ſcabello; latitudine palmorum trium; ſed longitudine ad minus palmorum ſex: Verum altaris majoris major poterit eſſe longitudo, ad palmos octo.

Altaris ſcabelli longitudo, & latitudo. Scabellum vero ea ſit longitudine, & latitudine inflexum ad latera altaris, quæ & altare ipſum circumcingat, ſi commode fieri poſſit, & celebrantem commode ſuſtineat. Sepianturque ita ferreis, aut ligneis cancellis, ut laici celebranti nimium appropinquare, aut altaribus inhærere, vel inniti, minime poſſint.

CAP. III.

Altarium nulli Crucifixi deſit imago, nec ſecretorum Tabella; feneſtræ bene ſint obductæ. Vas aquæ benedictæ quale, & ubi ſitum eſſe debet? Adſit Sacrarium, quod in Parochialibus geminum eſſe debet.

CRucifixi imago, cui celebrans caput inclinet, in quolibet altari deputata ſit, ſeu ſculpta collocetur. Adſit tabella *Gloria in excelſis*, & ſecretarum orationum.

Feneſtræ Eccleſiarum, aut vitro, aut cerata tela ita claudantur, ut ventorum impetu Miniſtri ſacri, ſacraque Myſteria tuta ſint.

Vas aquæ benedictæ marmoreum, vel alio ſolido lapide non foris, ſed intus Eccleſiam in dextera parte prope januam ſit, cum aſpergillo, non ſpongia, ſed ſetis confecto.

Adſit ſacrarium in quavis Eccleſia, quod clauſum eſſe debet; ſed in Parochialibus Eccleſiis præter hoc, etiam illud, quod fonti Baptiſmatis deſeruit, ædificetur.

CAP. IV.

Chorus, Tabernaculi ſitus, & ornatus, umbella, altarium ornamenta, ſepulcrorum collocationes deſcribuntur. Vaſa pretioſa ubi cuſtodienda? Pelvis ad lavandas manus, & Oratorium ne deſint in Eccleſiis. Eccleſiaſtica ornamenta in profanos uſus converti, aut alio transferri abſque licentia prohibetur, & confeſſiones extra Confeſſionalia excipi, laicorumque comitia in Eccleſia, aut alibi diebus feſtis ſine facultate celebrari. In profanatis Capellis altaria ſunt diruenda; neque jus-patronatus abſque dote concedi debet. Ante Eccleſias nihil vendatur.

CHorus, ubi fieri commode poteſt, ita ſit juxta altare majus conjunctus, ut laicis minime patere poſſit eo præſertim tempore, cum divina celebrantur officia. Chorus laicis non pateat.

Tabernaculum, intra quod pyxis aurea, vel argentea cum corporali ad Sanctiſſimum Corpus aſſervandum reponitur, non niſi in altari majori collocetur, vel alibi, ubi decentius collocari poterit; a foris per omnes partes auratum, coopertumve tegmine ſerico, aut ſaltem lineo, colore aliquo variato; intus vero rubro ſerico, vel viridi inveſtitum.

Supra altare majus umbella, ſeu baldachinum appendatur, quod totum altare, celebrantemque ipſum deſuper tegat.

Habeant Altaria ornamenta, paramentaque pro divinis peragendis, ſecundum temporis conditionem: tobaleæ tres illa cooperiant; ſuperior ſit aliis major longitudine, & latitudine ita, ut a lateribus altaris dependeat uſque ad ſcabellum; reliquæ duæ, vel ſaltem adæquent longitudinem; latitudinemque altaris, vel ſuperent.

Os ſepulturæ ab altari quantum diſtare debet? Os ſepulturarum noviter conſtruendarum diſtet ab altaris ſcabello ſpatio ad minus unius cubiti, vel etiam remotius, ſi locus permittit; atque ita operiatur, ut nullo unquam tempore fœteat.

Vaſa Eccleſiæ pretioſa armariolo in loco tuto, & apto claudantur.

Sit vas cum pelvi pro abluendis Miniſtrorum manibus; tobalea deſuper tornatili ligno appenſa.

Sit locus pro Oratorio cum imagine ſacra deſuper affixa, ubi poſt peracta ſacra miniſter poſſit orare.

Paramenta, & ornamenta Eccleſiæ quæcumque in uſus profanos non convertantur, & certæ Eccleſiæ dicata ad aliam ſine licentia Epiſcopi non transferantur.

In qua Eccleſia Sacramentum Pœni-

tentiæ exercetur, non niſi in confeſſionalibus id fiat ſecundum formam per Ordinarios præſcribendam.

Quodcumque armorum genus in Eccleſiis deferre inhibetur.

Nemini permittatur ante fores Eccleſiæ, vel in limine immorari, aut ingredi Eccleſiam cum ſcopletis, aut baliſtis, aut haſtis, ſimilibuſque armis, nec cum canibus venaticis, aut volucribus.

Concilia, ſeu parlamenta ſæcularium in Eccleſia non permittuntur.

Concilia laicorum, quæ parlamenta appellantur; artium congregationes, aliaque Collegia, quæ ad Eccleſiam non pertinent, in Eccleſia ne fiant, nec alibi diebus feſtivis, niſi poſt veſperas de licentia Epiſcopi, vel Parochi loci.

In Capellis profanatis, & apertis, ubi non celebratur, ſi ſunt altaria, eruantur, nulliſque deinceps juſpatronatus Capellæ concedatur, niſi eam ſaltem dotaverit ſex ducatorum annua dote. Juxta Eccleſias, vel ante fores earum venditiones bellariorum, vel quarumvis rerum omnino prohibemus.

Jus patronatus Capellæ nulli concedatur, niſi ſex ducatorum dote ad minus illam dotaverit.

Capſula pro eleemoſynis recipiendis longe ab altari collocanda eſt.

Si quando capſula pro eleemoſynis recipiendis ponenda ſit, ea longe ab altari in loco ſeparato collocetur. Tranſitus per Eccleſiam ad aliena loca non permittatur.

TITULUS VIII.

De vita, & honeſtate Clericorum.

CAP. UN.

Clericorum habitus, & tonſura, ornamenta, converſationes, & exercitia, qualia eſſe debent, quæve ab eis fugienda? Arma, cauſſarum patrocinia apud laicos judices; reorum ſupplicia, tutelas, tabellionatus officium, medicam artem, negotiationes vitent.

PResbyteri omnes, & Clerici memoria repetant verba Sac. Conc. Trid. ſcilicet, *nihil eſſe, quod alios magis ad pietatem, Deique cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vitam, & exemplum, qui ſe divino dicarunt miniſterio.*

Clericali tonſura, prout cujuſcumque ordinis ratio poſtulat, inſigniti, & talari veſte ſemper incedant.

In veſtimentis fugiant exquiſitam cultus elegantiam, vel affectatam negligentiam, & ſorditiem.

Colore tantum nigro, vel alio, prout Epiſcopi ex regionis more permittendum duxerint, vel qui ex dignitate competat, utantur.

Comam, aut barbam non nutriant, & pili ſuperioris labii ita detonſi ſint, ut in ſacrificio Miſsæ Sacerdotem communicantem non impediant.

Veſtis interior, & exterior utraque ſit uſque ad talos oblonga: ſed in itinere contractiori uti poſsint; ita tamen, ut ex ea Clerici eſse dignoſcantur.

In veſtimentis novitatem ornamenti, aut habitus vitent; ſerico domi, & foris abſtineant.

Reticulum, aut ſubiretum, niſi cauſſa infirmitatis ne ferant; nec cum eo celebrent, niſi de licentia Papæ.

Pileo nunquam in Eccleſia, extra vero non niſi pluviæ cauſſa, vel valetudinis, & ea forma, ut Clericos decet, utantur.

Superpellicea ſint non curioſe nimium elaborata, nec lacera, aut ſordida, & illo induti extra Eccleſiam exire, aut præ foribus aſtare, niſi cauſſa proceſſionis, vel officii non audeant.

Anulum non induant, niſi ob gradum dignitatis, aut ob officii munus, & tunc cum eo non celebrent.

Chirothecas in Choro non habeant. Criſpatio camiſiarum ad collum, aut ad manicas, & artificio elaborata Clericis interdicitur. Diſsectis, & turgidis caligis: torque, & monilibus abſtineant. Spectaculorum, nec actores, nec ſpectatores ſint; nec etiam mimi, & hiſtriones.

Qui ludi Clericis prohibentur, qui permittuntur?

Non ludant quovis in loco aleis, pictis pagellis, globo miſſili, aliove ludi genere vetito, nec interſint ludentibus; ſed parva pila palmari, & globis, qui ligneis malleis impelluntur exercitii cauſſa, non lucri, privatim ludere aliquãdo permittitur: Baliſta, haſtis, ſclopeto, telis, aliiſque hujus generis inſtrumentis, Clericis uti interdicimus.

Baculum in Eccleſia nunquam deferant; nec per Civitatem, aut Oppidum, niſi cauſſa ætatis, aut infirmitatis.

Natare, aut denudare membra in alieno conſpectu erubeſcant. Fugiant conſortium exulum, contumacium, banditorum, & homicidarum, nec hoſpitio eos, etiam affines ſuſcipiant.

Venationes, & arma Clericis ſunt vetita.

Venaticum animal non alant, venationeque abſtineant: cum B. Hieronymus dicat: *Eſau venator erat, quia peccator erat.* Arma cujuſcumque generis non deferant, niſi ubi per loca periculoſa tranſeundum eſt; & tunc de licentia Ordinarii, cum arma Clericorum ſint orationes, & lacrimæ, ut inquit Divus Hieronymus. Si peregrinandum eis eſt, ſine dimiſſoriis Ordinarii, etiam ſi beneficium ſimplex tantum habeant, abeſſe non liceat: & extraneis in Provincia abſque teſtimonio proprii Epiſcopi, niſi ad paucos dies, adeſſe non permittatur. Nullus Presbyterorum, aut Clericorum exceptis caſibus a jure permiſſis, tunc vero de licentia Ordinarii, exerceat officium Procuratoris, Advocati, aut quomodolibet patrocinetur apud Judices laicos, nec pro aliis ſpondeat in foro ſæculari. Mercaturam ne exerceant; laicorum prædia ne conducant.

Presbyteri Procurationes, & Patrocinia apud laicos Iudices agere non poſſunt.

In laicorum negotiis, (excepto caſu ſedandæ diſcordiæ) non ſe immiſceant; nec in emendis, vel vendendis rebus interpre-

terpretes interveniant. Mulieres, etiam nobiles ne comitentur, nec illis officii cauſſa ad menſam aſſiſtant. Turpis vero nominis conſortium omnino fugiant. Conſeſſus laicorum otioſos, vaniloquia in plateis, circulationes in officinis,& ſedilibus, tabernas item, (niſi in itinere cauſſa neceſſitatis) vitabunt. Reorum ſuppliciis (excepto, ſi, ut eorum ſaluti adjutores) non adſint, nec ubi capitalis ſententia legitur. Aliorum tutelam, aut curam ſine licentia Epiſcopi ne ſuſcipiant. Officio tabellionis non fungantur. Arte medendi abſtineant, & alteri mercedis gratia operas ſuas non locent, ſed, ut otium vitent, vel ut victum ſibi quæritent, dummodo a clericali munere non impediantur,manibus ſuis operari concedimus.

Reorum ſuppliciis Clericis adeſſe prohibetur.

Si vero ſint in famulatu Eccleſiaſticarum perſonarum, turpia ſervitia, & quæ clericalem dignitatem minus decent, ne exerceant.

Perſonati non incedant: veſtes Clericales aliis non Clericis ad fingendum ſe tales non accommodent: qui vero Clericales, aut Monachales veſtes aſſumpſerit laicus, ut ad illorum formam ſe induat, graves pœnas arbitrio Ordinarii ſubeat: ſicut qui in ſupradictis deliquerit,præter pœnas a ſacris Canonibus irrogatas, etiam aliis, pro perſonarum ratione, & delicti contumacia, punietur.

Quo vero ad negotiationes, ſi ter admoniti, prout nunc admonemus,aſſignato eis poſt præſentium publicationem triginta dierum ſpatio, decem pro primo, decem pro ſecundo, & decem pro tertio, & peremptorio termino, non reſipuerint, præter alias pœnas, etiam juxta Honorii III. decretum, circa eorum bona clericale privilegium amittent.

Tandem ſciant Clerici per clericalem ordinem non licentiam peccandi, ſed neceſſitatem bene vivendi, eos aſſequutos eſſe: ita igitur vivant, ut exemplo ceteris bene vivendi eſſe poſſint, caveantque ne contra accidat, ut ſint laqueus fidelium animabus: in inceſſu honeſtatem exhibeant, & gravitatem, nam gravitas itineris, maturitatem mentis oſtendit, ſicut incompoſitio corporis, diſſolutus riſus,huc,illucque oculorum vagatio,mentis indicant inæqualitatem: teneantque menti, quod *nugæ in ore Sacerdotis ſunt ſacrilegium*, ut ait D. Chryſoſtomus.

Clerici per ordinem Clericalem non licentiam peccandi, ſed bene vivendi neceſſitatem aſſequuntur.

TITULUS IX.

Quæ debent eſſe ſtudia Clericorum?

CAP. UN.

Orationes,& ſacræ lectiones Clericorum ſtudia eſſe debent. Quibus libris ſtudere eos deceat?

STudia Clericorum Deo militantium debent eſſe orationes,& ſacræ lectiones ita inter ſe miſtæ, ut uni altera ſuccedat,hoc enim clypeo malarum cogitationum ſagittæ, quibus omnis ætas,& præcipue vero adoleſcentia percutitur, repelluntur: unde D. Hieronymus, *Ament*, inquit, *ſtudia Scripturarum*, *& carnis vitia non amabunt*; libri vero, quos eos, qui commode id præſtare poſſunt, habere decet, ſunt, utrumque teſtamentum, Catechiſmus Romanus, Concilium Tridentinum. Tractatus aliquis de Sacramentis, aliqua Summa caſuum conſcientiæ, præſertim pro iis, qui Parochi, vel a cõfeſſionibus ſunt,Synodus Diœceſana,& Provincialis, tam a Nobis,quam a Jacobo Cardinali Sabello celebrata,aliique ſpirituales libri, ut in doctrina ſana, & ſeipſos cuſtodiant immaculatos,& ceteris panem ſcripturæ petentibus recte frangere poſſint.

Orationibus ſacriſque lectionibus malæ cogitationes repelluntur.

TITULUS X.

De Epiſcopis,

CAP. I.

Apoſtoli doctrina Epiſcopi ad virtutes dignitati congruas monentur: aliis exemplo eſſe debent, nec terrenis occupati Muſicam impediant; & ut bene præſint, reſideant.

EPiſcopi in eorum regimine ea ſibi proponant, quæ Apoſtolus ad Timotheum ſcripſit: *Oportet*, inquit, *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe,ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, Doctorem, non violentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum; ſed domui ſuæ bene præpoſitum, & non ſua, ſed quæ Jeſu Chriſti ſunt, quærentem*: ipſi cum in alto poſiti ſint, ceteris virtutum exempla eſſe debent, & eorum animus dignitati debet reſpondere, *ne* (quod deploratur a Divo Bernardo) *ſit eorum gradus ſummus, & animus terrenis paſſionibus infimus*:ſed quæ dignitas ſignificat,& doctrina docet, ea factis exprimant, *ne* (ut Eccleſiaſt. c. 32. ait) *impediant muſicam*; meminerintque ſuper gregem eis creditum, ut ad æterna paſcua perveniat, invigilare, & ut invigilare poſſint, divinorum præceptorum memores, reſidere, factique forma gregis in judicio,& veritate paſcant, & regant.

CAP. II.

Si ob cœli intemperiem, aliave de cauſſa in Civitate reſidere non poterunt, ubi degent, Divina officia, aliaque ſacra munia curabunt.

CUm vero ob aeris intemperiem, vel juſtam aliam ob cauſſam, in Civitate, quæ Diœceſis caput eſt, reſidere minime poterit Epiſcopus, & inſigne aliquod Oppidum ſibi in ſedem, & habitationem elegerit, in illius Majori Eccleſia, vel aliis, ubi melius ei videbitur, ſi tamen Clerus ita numeroſus ibi aderit, ut ſufficiat ad inſtar Cathedralis, Divina officia recitari, ceteraque ſacra munia adimpleri curabit, ut ubi Epiſcopalis dignitas præcipue reſidet, ibi præ ceteris Eccleſiis Divini cultus maxime eluceant miniſteria.

TITULUS XI.

De Canonicis, & diſtributionibus quotidianis.

CAP. I.

Abſentibus non legitime, diſtributiones illius diei, vel horæ ne dentur: revocantur conſuetudines in contrarium. In tranſgreſſores pœna ſtatuitur. Qui in Choro cum aliis non canit, pro abſente reputatur.

Conſentientibus, ut abſentibus Canonicis diſtributiones dentur, illis privantur.

BOnifacii VIII. Conſtitutione, & Concilii Tridentini auctoritate decernimus, ut ſtatutum, conſuetudo, pactio, aut remiſſio, qua abſenti quavis de cauſſa diei, vel ſacræ horæ, in qua ſuo muneri defuerit, diſtributiones dentur, nulla ſit, & ſi datæ fuerint, qui acceperit, ſe ſciat reſtituturum inſervientibus, qui in ea abſentia minime conſenſerunt; ſin omnes conſenſere, uſibus Eccleſiæ ex nunc applicatæ ſint: his tamen exceptis, qui ob infirmitatem, vel aliquam aliam juſtam cauſſam, vel manifeſtam Eccleſiæ utilitatem (ut etiam in ea Conſtitutione eſt) abfuerint. Qui in Choro eſt, quicumque ille ſit, & cum aliis canere, & pſallere deſierit, pro abſente habeatur. Hortamur autem omnes, ut potius lucri cæleſtis gratia, quam terreni Divinis officiis incumbant; memineritque in primis, quia Canonici ſunt, canonice eos decere vivere, & præſtent re, quod vocabulo dicuntur.

CAP. II.

Canonici ultimo promoti miniſtrare debent; at ſi dignitas ſolemniter celebret, ſibi viſos eligit aſſiſtentes. Intereſſentes in Choro ſine Canonicali habitu pro abſentibus habentur.

EX Canonicis ii Diaconi, & Subdiaconi fungantur officio, qui ultimo loco promoti ſunt; ſed ubi conſtitutus in Dignitate ſolemniter celebraret, illi, quos ex inferioribus Canonicis ſibi aſſiſtentes elegerit, aſsiſtant ei. In Choro pro abſentibus habeantur, niſi Canonicali habitu pro cujuſcumque Eccleſiæ conſuetudine, dum Divina celebrantur officia, ibi aderint.

TITULUS XII.

De Capitulo congregando.

CAP. I.

Tempus, & Methodus Capitulum congregandi, & habendi deſcribitur. Si quæ ſanciuntur, non obſerventur, propoſiti negotii concluſio nulla eſt.

SEmel in Hebdomada, vel etiam plures, ſi res poſtularit, capitulum congregetur, pulſata campana aliqua ad id ſignificandum, & datis, quot ſunt Canonici, ipſius campanæ ſignis; in quo facta prius Sancti Spiritus oratione, quod etiam in fine non prætermittant, an recte officia Divina celebrentur, anve errores in ritu, & ſacris cæremoniis committantur, in primis exquiratur. His præmiſſis res, de qua agitur, a prima Dignitate proponatur, votaque ſingulorum per ſecreta ſuffragia recipiantur a Notario Capituli; Quod ſi ſecus fieret, ex nunc omnem propoſiti negotii concluſionem nullam eſſe decernimus.

Capitulum ſemel in Hebdomada congregari debet, & tot ſigna campanæ in convocatione dentur, quot Canonici ſunt.

CAP. II.

Cum Canonici debitorum nomina, ut ipſi ſibi exigant, dividi quærunt, generali Capitulo congregato, in ſchedulis ſcripta ex urna per ſortem educantur: idem in frumenti diviſione fiat, quod ſi unum in horreum reponatur, ita dividendum eſt, ut conquerendi locus non ſit. Secus ſi fiet, Procuratori Capituli pœna ſtatuitur.

CUm Procurator Capituli, ad quem exigendorum introituum cura ſpectat, debitorum nomina Canonicis, quod fieri ſolet, ut ſibi ipſi exigant, dividere requiritur, nt ſervetur æqualitas, ſtatuimus, ut nomina debitorum pro rata cuique tangente diviſa in cedulis ſcripta ex urna per ſortem, generali Capitulo congregato, ab aliquo Clerico educantur, quod etiam in diviſione frumentorum ſervari mandamus. Si vero frumentum totum in unum horreum congregetur, tunc diviſio ea æquitate boni, viliſque fiat, ut nemini conquerendi locus relinquatur: ſin ſecus factum fuerit, Procurator diſtributionibus unius menſis reparationi Chori ex nunc applicatis, eo ipſo privatus exiſtat.

CAP.

CAP. III.

Munia Canonicis a Capitulo impoſita refutari non debent, niſi legitima ex cauſſa a Capitulo ipſo approbanda. Ubi Capitulum, inconſulto Epiſcopo, non congregatur, firma conſuetudo remaneat.

Legitima cauſſa impedimenti a Capitulo approbanda erit.

NUlli Canonicorum, quod ei pro Eccleſiæ utilitate a Capitulo impoſitum onus fuerit, recuſare liceat, niſi eum legitima cauſſa a Capitulo approbanda excuſaret, & ubi conſuetudo vigeret non congregandi Capitulum, niſi de licentia Epiſcopi, ea firma remaneat.

TITULUS XIII.

De officio Præfecti Chori.

CAP. UN.

Ponit, quæ ſpectant ad officium Præfecti Chori: Eo abſente, ſecundus poſt ipſum in officio ſuccedere debet.

PRæfectus Chori ſui memor, ne quidquam in recitatione Divinorum officiorum prætermittatur, aut quid præpoſterum, aut indecorum admittatur, diligenter invigilet; errantes admoneat, & deficientes muneri ſuo, ſi amice, & ex charitate moniti, non ſe correxerint, eos per privationem quotidianarum diſtributionum illius diei in officio contineat. Præfecto Chori abſente, qui ſecundus poſt eum eſt, ejus officio fungatur. Ad canendum Evangelium, vel Epiſtolam ſolemnis Miſſæ, Miniſtros non admittat, niſi eos, vel per ſe, vel per Magiſtrum Cæremoniarum, num bene inſtructi ſint, audierit; qui etiam, an a Sacerdotibus rite ſacra fiant in Eccleſia Cathedrali, advertat.

Miſſæ ſolemnis Miniſtri in cæremoniis bene inſtructi eligendi ſunt.

TITULUS XIV.

De Magiſtris Cæremoniarum.

CAP. UN.

Cæremoniarum Magiſtri duo eſſe debent, alter ab Epiſcopo, a Capitulo alter, eligendi; quæ ad eorum officium pertinent, deſcribuntur. Recenſentur libri, quos præ manibus debent habere.

DUo Magiſtri cæremoniarum, ubi Canonicorum numerus id patietur, eligantur: poſſunt etiam eligi non Canonici in quacumque Cathedrali, alter ab Epiſcopo, alter a Capitulo bene in ſacris cæremoniis inſtructi, quorum eſt ceteros Eccleſiæ Miniſtros in omnibus ad Divina officia pertinentibus inſtruere; quibus quoad Divina officia pertinet, obediendum erit. Hos, ut eorum muneri bene ſatisfaciant, & Pontificale Romanum, & tractatum de cæremoniis Paridis de Graſſis, vel alium approbatum ſæpe præ manibus habere admonemus.

Cæremoniarum Magiſtri ceteros Eccleſiæ miniſtros debent inſtruere.

TITULUS XV.

De Punctatoribus.

CAP. I.

Cathedrales, Collegiatæque Eccleſiæ duos Punctatores habere debent, unum ab Epiſcopo, alterum a Capitulo deſignandum. Jurare debent de fidelitate. In officio deficientes puniuntur. Singulis hebdomadis puncta conferant; nec ſi Epiſcopus, aut Capitulum libros requirant, denegent.

IN omnibus Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis, in quibus Divinis officiis ſervitur (ut ajunt) ad punctum, duo Punctatores eligantur per annum, vel aliud tempus, quod Epiſcopo, Capituloque videbitur, ab Epiſcopo alter, alter a Capitulo; qui jurejurando, omni humano reſpectu depoſito, promittant, ſe in officio ſuo obeundo fidelem diligentiam præſtituros. Si quem injuria abſentem notarint, qui præſens fuerit, ei de ſuo ſatisfaciant; ſi vero notandum prætermiſerint, de ſuo item, quod in Eccleſiæ uſum convertatur, dare cogantur; interim vero unius Hebdomadæ diſtributiones in aliorum utilitatem convertendas amittant. Singulis Hebdomadis libros inter ſe conferant, ut diſcordes non ſint, teneanturque quoties ab Epiſcopo, vel a Capitulo requiruntur, libros punctationum exhibere.

Punctatores ſi præſentem, ut abſentem notaverint, aut notandum prætermiſerint, de ſuo ſatisfacient.

TITULUS XVI.

De celebratione Miſſarum.

CAP. I.

Ex poſſidentibus beneficia, Presbyteri, qui Dominicis, feſtiſque diebus non celebraverint, alii in ſacris conſtituti, qui ſemel in menſe non communicaverint, fructus menſis, in quo defecerunt, amittant: ceteri carcere plectantur.

ETſi ſuperiori Synodo Provinciali Beneventana multa, quæ ad celebrationem Miſſarum pertinent, ſalutariter decreta fuerint, illis tamen addendum decernimus, ut Presbyteri, qui diebus Dominicis, & aliis feſtis non celebraverint, aliique, qui in aliis ordinibus conſtituti ſunt, ſaltem ſemel in menſe non communicaverint, hi beneficiorum omnium illius menſis, in quo defecerint, fructus amittant, arbitrio Epiſcopi erogandos. Qui vero beneficia non obtinent, carcere, aliiſque arbitrio Epiſcopi pœnis plectantur.

CAP. II.

CAP. II.

Beneficiarii certis diebus Miſſarum onus habentes, ſingulis ſaltem menſibus celebrent pro Eccleſiarum dotatoribus: crebrior obligatio firma remaneat.

OMnes beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, quibus ex debito incumbit, ut certis diebus in ipſis celebrent, ii ſaltem ſingulis menſibus pro illis defunctis, qui Eccleſias illas dotarunt, celebrare habeant: ceterum obligatio de frequentius forſan celebrando firma remaneat.

CAP. III.

Eleemoſyna pro Miſſa præſcribitur. Ubi opus fuerit, in Diœceſanis Synodis Epiſcopus, vel Miſſas reducat, vel eleemoſynas adaugeat. Hæc reductio reſidentibus tantum, inſervientibuſque ſuffragetur. Miſſarum onus ne ſuſcipiatur, ni per ſe ipſum ſatiſfaciendo, Epiſcopi judicio ſit.

CUm, qui Altari ſervit, de Altari vivere debeat, indecenſque ſit, ut ſacris addictus, ſæcularibus ſe negotiis pro quærendo victu immiſceat; ſtatuimus, ut pro Miſſa celebranda non minus unius caroleni pro eleemoſyna detur ad ſuſtentandum Sacerdotibus vitam illo die; nihil tamen a celebrante exigatur. Qui vero per totum annum ſemel in Hebdomada pro anima ſua celebrare petierit, ſex aureos ad minus celebraturo ſpondeat: Id loci Ordinarius attenta perſonarum, & locorum conditione moderari valeat. Ubi vero magnus Miſſarum numerus, & tenues aſſignatæ ſint eleemoſynæ, curet Epiſcopus in Diœceſanis Synodis, ut vel eleemoſynæ adaugeantur, vel Miſſæ juxta prædictam taxam reducantur, vel ita provideat, ut ſanctio Triden. decernit. Hæc reductio iis tantum, qui reſident, & in Eccleſiis laborant, non autem abſentibus ſuffragetur. Nemo autem impoſitum numerum Miſſarum ſuſcipiat, niſi per ſe judicio Epiſcopi commode ſatisfacere poſſit.

Pro Miſſa dicenda ſemel in Hebdomada, petens ad minus ſex aureos celebraturo aſſignare debet.

CAP. IV.

Quibus cæremoniis, & quomodo Miſſæ ſunt celebrandæ? Ab Eccleſiis, aut Oratoriis Divino cultui non dicatis, & ab Epiſcopo non recognitis, celebraturi Sacerdotes abſtineant.

MEminerint celebraturi, ſicut domum Dei ſanctitudo docet, eos domeſticos Dei tantum myſterium tractaturos, maximam decere ſanctitatem, mentiſq; & corporis puritatem, ut pro ſe, populique ſalute digne valeant miniſtrare. Miſſas eo ritu, & cæremoniis, quibus Romana Eccleſia utitur, celebrent. In Eccleſiis, aut Oratoriis cultui divino conſecratis, & ab Epiſcopo recognitis tantum celebrent. (Oratoria hæc non facile, ſed magna de cauſſa permittant Epiſcopi.) Abſtineant ab omni corporis indecoro motu in tanto myſterio peragendo; idque nec citius, nec tardius perficiant, ſed convenienti ſpatio, quod parum a dimidia hora diſtet: quæ a populo audiuntur, clara voce, ac diſtincte proſequantur, nec tardius, nec celerius, ſed cum reverenda modeſtia, & gravitate ſecreta ſecrete proferant: ſacrum Canonem memoria teneant, non tamen memoriter illum pronuncient: verſi ad populum oculos dejiciant, non autem huc, illucque circumvolvant.

Agentibus myſterium Miſſæ, quæ mentis, corporiſque puritas neceſſaria?

Sacrum Canonem non memoriter pronunciandum eſſe.

CAP. V.

Miſſa a Parochis præſertim, hora Populo accommoda, campanæque ſonitu indicata celebretur, ac nullius gratia tardius, vel celerius, nec incœpta repetatur. Ad id adigens, & celebrans ipſe quibus pœnis plectendi? Quæ celebrandi ſit hora? Nulla in Eccleſia intra Parochiam, ante parochialem Miſſam, vel ſaltem poſt communionem feſtivis diebus ſacra fiant. Privatis in Oratoriis, niſi facultas in ſcripto adſit, probibentur.

MAndent Epiſcopi, ut celebraturi, maxime Parochi, (qui diebus Dominicis, & feſtis celebrare habent,) populis debeant ea hora ſacrum facere, quæ toti Populo commoda ſit, datis ſemper ante ſtatis campanæ ſignis aliquo convenienti intervallo diſtinctis ad eos convocandos: nulliuſque gratia tardius, vel celerius celebrent, nec ad cujuſvis adventum incœptam Miſſam repetant; Si quis vero fuerit, qui celebrantem ad hæc adegerit, pœnas in Concilio Provinciali Beneventano propoſitas, eo ipſo ſubibit; celebrans vero arbitrio Epiſcopi graviter puniatur. Hora Miſſæ competens eſt ab aurora uſque ad meridiem. In Eccleſiis intra fines parochialis Eccleſiæ poſitis, diebus Dominicis, & aliis de præcepto non prius celebretur, quam in Parochiali Eccleſia Miſſa completa ſit, vel ſaltem expleta Communione; neque in privatis Oratoriis, ſine Epiſcopi in ſcriptis facultate obtenta.

CAP. VI.

Multa deſcribit, quæ attinent ad celebrandi ritum, & decorem: Miſſarum ſatisfactiones per deputatum annotari debent. Subireta, & anuli celebrantibus probibentur.

CElebraturi ad Altare non accedant, niſi ibi paratis omnibus, & præcedente Clerico veſte talari, & ſuperpelliceo induto, ubi poſſit, & non ante peractam Communionem ipſam præcedentis Miſſæ

Miſſæ, ne celebrans alter ab altero perturbetur. Miſſam ante totam prævideant; eundo, vel redeundo nemini caput aperiant, etiam Epiſcopo, ſed illi tantum ſeſe inclinabunt: ſi autem ante Tabernaculum ſanctiſſimi Corporis Chriſti tranſire contigerit, juxta Rubricam Miſſalis, in qua agitur de ingreſſu Sacerdotis ad altare, genuflectant, manu ſuper Calicem poſita, ne motu corporis aliquid in terram excidat. Miſſam ſine libro non incipiant, nec memoriter dicant, præter ea, quæ initio dici ſolent. Collectæ vero non plures tribus, vel quinque ad ſummum in Miſſis votivis dicantur. In feſtis diebus Miſſalis Romani Rubrica ſervetur. In Altari, in quo Epiſcopus celebravit, illo die ſine ejus licentia nemo celebret. Aliquem eligat Epiſcopus in Eccleſiis, in quibus celebrandi Miſſam aliquod onus eſt, qui diligenter, & fideliter celebratas Miſſas annotet, ut, an debitis ſatisfiat, dignoſcere poſſit. Celebrans cum ſubreto ſine Papæ diſpenſatione non celebret, nec cum anulo, niſi ex dignitate id ei liceret. Ad Miſſam neminem expectet: Indutus ſacris veſtibus neminem alloquatur, nec loquentibus aures præbeat: biretum, & chirothecas in Altari minime reponat.

Altare, in quo Epiſcopus celebravit, per diem remanet ſine alio celebrante.

Non habentibus dignitatem aliquam, cum anulo celebrare prohibetur.

CAP. VII.

Incogniti Sacerdotes commendatitias litteras proprii Epiſcopi non deferentes, ad Sacra ne admittantur. Latini latine: Græci græce celebrent: Dalmatæ latine; Evangelium tamen, vel Epiſtolam ſuæ nationi legere licet. Novelli Sacerdotes, ni cæremonias bene calleant, ne celebrent. Miſſarum tabella in Sacriſtia exponatur. Vinum album, ac etiam rubrum adhibendum.

Peregrini Sacerdotes, & penitus incogniti, etiam in Eccleſiis Regularium ad celebrandum non admittantur ſine litteris commendatitiis proprii Epiſcopi ab loci Ordinario, vel a Parocho loci, ubi Epiſcopus non erit, viſis. Nec Miſſa, præterquam lingua latina a Latinis, græca a Græcis dici permittatur. Dalmatis autem, qui in hac Provincia ſunt, id tantum liceat, ut poſt celebratam Miſſam Latino ritu, Epiſtolam, vel Evangelium per modum concionis ſuæ nationi legere, & declarare valeant. Noviter promoti ad ſacrum Presbyteratus ordinem celebrare non audeant, niſi plene edocti de ſacris tanti myſterii cæremoniis, atque, quomodo in defectibus, ſi qui occurerint, gerere ſe poſſint, coram Epiſcopo, vel Vicario examinandos ſeſe præſentarint. Affigatur in Sacriſtia per eum, cui Epiſcopus demandarit, tabella, in qua deſcriptæ ſint Miſſæ ſingulis diebus, & qua hora, & in quibus Altaribus. In Miſſæ ſacrificio vino albo utantur, ac etiam rubro, ſi album commode haberi non poterit; tandem recordentur celebraturi Verbi Domini per Prophetam dicentis: *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.*

TITULUS XVII.

De Parochis.

CAP. I.

Parochi in paræcia domos habere debent; Dominicis diebus fidei rudimenta docere; intra Miſſam Populo Catechiſmum explicare. Si neceſſitas exigat, Clerici Parochiani ſupplebunt, vel Doctrinæ Chriſtianæ ſodalitas ubique inſtituenda.

Sciant Parochi in Eccleſia minime reſideri, niſi per ſeipſos animarum curæ invigilent. Quare Epiſcopi mandent id per Parochos, niſi juſte impediantur, adimpleri, & domum in Parochia illos habere: ſingulis Dominicis dato Campanæ ſono a prandio pueros fidei rudimenta docere: puellulas item, ſed loco a pueris diſtincto; maxime tamen decens eſſet, ſi puellas femina doceret: intra Miſſarum ſolemnia Catechiſmi Romani explicatione, vel alio ſalutari ſermone populum paſcere. Quod ſi Parochi ob frequentiam ſatisfacere minus poſſent, Epiſcopi eorum arbitratu propoſita pœna, ut reliqui Presbyteri, vel Clerici intra fines Parochiæ conſiſtentes Parochos adjuvent, curabunt; plurimumque tam neceſſario officio eſſet adjumento inſtitutio Sodalitatis doctrinæ Chriſtianæ, quæ, ut quam primum in Civitatibus, & Pagis inſtituatur, Epiſcopis cordi eſſe debet.

Sodalitas doctrinæ Chriſtianæ inſtituenda indicitur.

CAP. II.

Qui publicum, & non reſipiſcentem blaſphemum Curiæ denunciat, decem annorum Indulgentias lucratur. Quibus præcipue diebus Parochi ad Sacramentorum frequentiam populum hortari debent? libros Baptizatorum, Matrimoniorum, Chriſmatorum, Defunctorum, ſtatus animarum, Excommunicatorum, & Eccleſiæ bonorum inventarium habeant.

Monemus Parochos, decem annos Indulgentiarum concedi eis, qui publicum blaſphematorem, facta prius correptione fraterna, (ſi commode poteſt) & niſi reſipuerint, curiæ denuncient; Quare, ut ad id incumbant, tam zelo Dei honoris, quam Divini theſauri amore ipſos, & etiam laicos hortamur. Eorumque Parochorum munus eſſe, crebris exhortationibus populos ad frequentem Confeſſionem, Communionemque incitare; præſertim vero in die Natalis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, Aſſumptionis

Denuncianti-bus blaſphemos indulgentiæ largiuntur.

nis B. Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, & initio Quadrageſimæ: itemque diverſos libros habere, in quibus, & qui baptizantur, cum nominibus parentum, & compatrum, ac die nativitatis, & baptiſmi, & an ex legitimis nuptiis procreati fuerint, & qui matrimonio conjunguntur, & qui ſacro chriſmate uncti ſunt, cum nominibus compatrum, & qui moriuntur, deſcribantur, & dies obitus mortuorum annotent, & ſtatus animarum, quem ſingulis annis recognoſcant: item nomina excommunicatorum, & in manifeſto peccato mortali exiſtentium, quos, nec ad ſuſcipiendum in Baptiſmo, nec ad tenendum in Sacramento Confirmationis admittant. Habeant item alium librum, in quo bona, jura, actiones, & alia quæcumque ſpectantia ad eorum Eccleſias, breviter habeantur: cetera ipſorum munera a Catechiſmo Romano Parochi hauriant.

Excommunicati, & exiſtentes in peccato mortali a compaternitatibus arceantur.

CAP. III.

Excommunicatorum nomina primo die Dominico cujusque menſis indicentur Populo.

ET ſi de excommunicatis ſingulis Dominicis diebus publice denunciandis in Synodo Provinciali ſub Jacobo Cardinali Sabello celebrata bene decernitur; tamen, ut vel hoc ſaltem reſipiſcant, ſtatuimus, ut Epiſcopi, cum primum aliquem excommunicatum denunciarint, ejus nomen, tum in valvis Cathedralis Eccleſiæ, & propriæ Parochiæ affigendum curent, tum, ut ab omnibus Parochis Civitatis, & Diœceſis primo die Dominico cujusque menſis per omnes Parochias denunciandos mandent; neque ab hoc Parochos deſiſtere, quoad ipſis Epiſcopi ſignificarint, eos abſolutionis beneficium conſequutos eſſe.

Excommunicatorum nomina in valvis Cathedralium, & Parœciarum affigenda.

TITULUS XVIII.

De diebus Feſtis, & Vigiliis Populo annunciandis.

CAP. UN.

In Cathedralibus, Parochialibusque Eccleſiis dies feſti, vigiliæque ſingulis Dominicis annuncientur: In Epiphania feſta mobilia.

SÆpe numero evenit, ut dies feſti, & Vigiliæ a ruſticis, & idiotis ignorantia quadam craſſa violentur. Quare Epiſcopi in eorum Cathedralibus Eccleſiis, dies feſtos, Vigilias, & jejunia, quæ ex præcepto Eccleſiæ ſervari debent, ſingulis Dominicis diebus populo denuncianda curent; quod etiam in Parochialibus fieri (ut conſuetum eſt) præcipimus: in feſto vero Epiphaniæ annuncientur mobilia feſta totius anni.

TITULUS XIX.

De dierum Feſtorum cultu, & obſervatione.

CAP. I.

Feſtivi dies ponuntur: Eorum celebritas ab Apoſtolorum tempore; Mercatus, negotiationes, judicia, laicorum conventus in eis prohibentur. Pœna contra inobedientes ſtatuitur.

CUm vero dierum feſtorum obſervatio in divina lege præcipiatur, & ad Dei cultum maxime pertineat, Epiſcopi mandent, ut dies feſti, quos ex ſacrorum Canonum decretis Romæ juſſu Sanctiſſimi D. N. Pii V. præceptum eſt obſervari, ab omnibus in hac Provincia pie, ſancteque obſerventur.

Feſti vero dies ſunt: Circumciſionis D. N. Jeſu Chriſti, Epiphaniæ, Purificationis B. Mariæ Virginis, Sanctorum Philippi & Jacobi, Inventionis ſanctæ Crucis, Nativitas Sancti Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Petri, & Pauli, Sancti Laurentii, Aſſumptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, Sancti Bartholomæi, Nativitatis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sancti Matthæi, Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli, Sanctorum Simonis & Judæ, Feſtum omnium Sanctorum, S. Martini Epiſcopi, Sancti Andreæ, Sancti Thomæ, Nativitatis D. Noſtri Jeſu Chriſti cum tribus diebus ſequentibus, Dominicæ Reſurrectionis cum duobus diebus ſequentibus, feſtum Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, feſtum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, omnes dies Dominici.

Feſtorum dies enumerantur.

Hortamur vero, ut alii dies feſti, qui peculiari quadam devotione, & pia conſuetudine nonnullis in locis Provinciæ hujus obſervari conſuevere, pie, devoteque obſerventur. Mandamusque Epiſcopis, ut curent, admonendum Populum a Parochis, aliiſque Concionatoribus, quod dies feſti, & præcipue dies Dominicus, a temporibus Apoſtolorum in Eccleſia Dei ſemper celebris fuit; nempe, ut tum in unum pariter ab omnibus conveniatur ad audiendum verbum Dei: In iis igitur diebus ab omnibus, divinis officiis Miſſæ, & Veſperis ſaltem intendatur; ab omni illicito, & ſervili opere abſtineatur. Mercatus ne fiat; profanæ negotiationes, & judiciorum ſtrepitus conquieſcant; laicorum conventus, & quæ conſilia appellantur, dum divina celebrantur officia, diebus feſtis ne fiant; ſed, ſi neceſſitas urgeat, poſt Veſperas fieri poterunt de licentia Epiſcopi. Qui vero diebus his opus aliquod illicitum feciſſe deprehenſus fuerit, præter divinam ultionem, & amiſſionem mercium, quas vendet, & animalium, quibus ad vecturam

ram utetur, ex præſcripto Conſtitutionis ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ deſuper hoc editæ, aliis etiam pœnis Epiſcoporum arbitrio mulctetur, quos hortamur, ut hæc diligenter obſervari procurent.

CAP. II.

Ludos edere publicos feria ij. poſt Paſcha, ſive aliis ſolemnibus feſtis prohibetur.

CUmque feſta ad hoc in Eccleſia Dei ſint inſtituta, ut in eis præcipue cultus Deo debita cum veneratione exhibeatur a Chriſtiana pietate; abuſum illum, quo feria ſecunda poſt ſanctum Paſcha, ſive aliis ſolemnibus feſtis ludi quidam publice edi conſuevere, cujuſcumque generis ſint, cum hujuſmodi ludis Chriſtianorum oculi, quo tempore maxime oportet ad ſpiritualia provocari, ad peccandi libidinem avertantur, tollendum omnino decernimus.

CAP. III.

Quæ opera ſervilia ſint, adeoque in feſto prohibita exacte deſcribit; quæque agere poſt Miſſam, aut Veſperas de licentia permittatur. Iter facturus Miſſam audiat ante diſceſſum.

UT autem melius Parochi, quæ præcipue ſervilia opera prohibita ſunt, populis declarare valeant, hæc præter ea, quæ in ſuperioribus decretis continentur, eis ob oculos ponimus. Publice non exponantur vendenda, nec eſculenta, nec poculenta, niſi ſacris exactis. Cruſtula item, & bellaria, etiam ſi ad quotidianum victum venderentur; ſecus, ſi pro ægrotis.

Choreæ, ſaltationes, digladiationes, etiam in ſcholis, aut publica ludicra, item ars vana mimorum, hiſtrionum, præſtigiatorum, omniumque circulatorum omnino per totum diem prohibentur, etiã ſi imagines, vel unguenta, aliaſque merces populo venderent. Niſi poſt Veſperas de licentia Epiſcopi, ſive Parochi, ubi Epiſcopus non erit, homines larvati, vel perſonati non incedant; contrafacientes per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas coerceantur. Piſtoribus, nec farinam, aut frumentum purgare, nec panem coquere licet. Oſtium tabernarum, ſeu officinarum aliquantulum apertum ſit, reliqua parte clauſa: panni ne abluantur cujuſcumque generis: olivæ ne molantur: Tabelliones, tabulas negotiationum, & inſtrumenta cujuſcumque contractus, niſi alias a lege permiſſi, ne excipiant. In pagis, ubi una tantum Miſſa celebratur, niſi ea abſoluta, cauponibus non liceat eorum cibos apponere incolis.

Opera, & artes, quæ in die feſto fieri non licet, enumerantur.

Dum ſacra fiunt, aut concio habetur, aliaque divina officia celebrantur, collectæ, vel taleæ non exigantur: reliquo tempore de licentia Parochi liceat, non tamen in Eccleſia, aut atrio ipſius, vel Cœmeterio.

Dum concio habetur, & officia ſacra peraguntur, collectæ, & taleæ exigi non poſſunt.

Non licet vendere libros, tabellas pictas, icones, aves, & ſimilia: item nec quæ ad aleæ uſum, aut perſonatorum hominum pertinent. Tonſores non tondeant, nec abluant. Piſcatores ab exercitio abſtineant, niſi certum piſcium genus eſſet, quod poſt illud tempus amplius non appareret; & tunc audita Miſſa, licentiam a Superiore eccleſiaſtico habeant.

Iter facturus, priuſquam diſcedat, miſſam audiat, niſi in tempore ſit audiendi in loco, quo proficiſcitur.

TITULUS XX.

De Sacramentis in genere.

CAP. UN.

Mortali culpa detenti Sacramenta ne miniſtrent extra neceſſitatem: In eorum adminiſtratione actualis, vel virtualis intentio requiritur: Ritualis cæremoniæ adhibeantur; abuſus vitentur: ſuperpelliceum, & ſtola inſuper geſtetur.

PRæter ea, quæ Provincialis Synodus Beneventana jam edita in Sacramentorum miniſtratione obſervanda propoſuit, addenda hæc eſſe putavimus, ut caveant miniſtri Sacramentorum, ne mortali culpa detenti Sacramenta miniſtrent extra neceſſitatem, & tunc curent, ut conterantur. Habeant in Sacramentorum adminiſtratione actualem, vel ſaltem virtualem intentionem id faciendi, quod Romana facit Eccleſia. Ritibus, cæremoniis, & orationibus ex more Romanæ Eccleſiæ utantur. Abuſus omnes maxime, qui quæſtum, vel ſuperſtitionem ſapiunt, tollent. Miniſtrantes ſint ſemper ſuperpelliceo induti, ſuperpoſita ſtola.

TITULUS XXI.

De Sacramento Baptiſmi.

CAP. UN.

Baptiſmus domi, præciſa neceſſitate, ne miniſtretur, nec ultra novem dies retardetur; contrafacientes excommunicantur. Baptiſmalis fons, eique annexa qualia eſse debeant? profana nomina ne imponantur. Adſit Baptizatorum liber. Baptizandi formulam populus edoceatur; eam ni obſtetrices calleant excludendæ. Compatres monendi ſunt de ſpirituali cognatione contracta. Fidei rudimentorum ignari, excommunicati, in Paſchate non confeſſi, publici peccatores, & Regulares ad Compaternitatem non ſunt admittendi.

SIne urgenti neceſſitate nemini liceat infra domeſticos parietes baptizare,

ſed natum infantem quamprimum, & ſaltem ante nonum diem, ii, quorum eſt, ad Eccleſiam ad proprium Parochum, ordinarium miniſtrum deferant: Contrafacientes abſque licita cauſſa, excommunicationis pœnam ſubeant. Fons Baptiſmalis pretioſo marmore, vel alio ſolido, ut melius in regione haberi poteſt, ſit. Opertum habeat pyramidalem decenti altitudine, rubro panno, vel tela intrinſecus coopertum. Operimentum habeat, vel ex marmore, vel tabulis, vel tela depicta, in cujus ſuperiori parte ædificetur cellula ad conſervanda ſacra olea; coopertum autem corio picto, aut cerata tela. Os vero fontis ſtamnea lamina operiant: ſemper clauſum maneat, niſi cum uſui eſt. Baptiſterium ligneis, aut lapideis cancellis ſepiatur. Imago S. Joannis Baptiſtæ Chriſtum baptizantis in pariete prope pingatur; ſit in ingreſſu Eccleſiæ ſiniſtra parte ingredientium collocatum, niſi alibi collocandum Epiſcopus judicaverit. Sint in ciborio fontis duo ſaltem ſudariola ad abſtergenda baptizatorum capita. Aqua infantis capiti infuſa in eumdem fontem non recidat, ſed aliquo vaſe collecta in ſacracrium prope fontem projiciatur.

Baptiſmalis fons qualis eſſe debet, quomodo intus, & foris ornari debet?

Intrinſecum baptiſterii panno rubro opertū eſſe hic ſtatuitur, quod nunc debet eſſe album.

Aqua infantis capiti infuſa in aliquo vaſe collecta in ſacrariū ut mittatur, dicitur; verum nunc conſuleRituale Romanum & xiv. Synodum Tit. 36. cap. 3.

Sanctorum potius, quam profanorum hominum nomina imponantur. Habeant Parochi librum, in quo, & baptizati nomen, parentumque ipſius, & dies nativitatis, & compater unus, & una, aut ad minus unus, aut una notentur.

Doceant Parochi publice populum formulam baptizandi, mulieres vero obſtetrices private, & diligenter; quas exercitio fungi vetent, (& ideo examinandæ) niſi recte formam probe baptizandi calleant; moneant tamen eas, ne, niſi inſtante periculo, baptizent: ſicut, & monendi compatres ab ipſis Parochis erunt de cognatione ſpirituali ex baptiſmo, & de eorum erga pueros debito. Non admittantur ad levandum de ſacro fonte excommunicati, quique in Paſchate confeſſi, communicatique non ſunt; qui orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & fidei Symbolum neſciunt; publice concubinarii, vel alias publice peccatores, nec Religioſi quicumque, quibus ex juſtis cauſſis id a ſacris Canonibus prohibitum eſt.

Obſtetrices ſecluſo mortis periculo baptiſmum miniſtrare non decet.

TITULUS XXII.

De Sacramento Confirmationis.

CAP. UN.

Prima die poſt Pentecoſten, de mane, ſeptennibus, jejunis, confeſſis chriſma eſt miniſtrandum. Canonici omnes præter confirmandos ab acceſſu ad Epiſcopum arceant. Notarius in codicem referat Epiſcopi, confirmatorum, & patrinorum nomina, & diem. Parochi quotannis parochianos Chriſmati aptos deſcribant, & Epiſcopo deferant: de contracta cognatione patrinos moneant. Sacra Olea in ſacris tantum conſtitutis deferenda dentur.

UT confuſio, & tumultus, qui in hujus Sacramenti adminiſtratione oriri ſolet, evitetur; obſervent Epiſcopi, quæ de his in priori Synodo Beneventana Provinciali prudenter decreta fuerunt; cui addimus, conveniens eſſe ſingulis annis primo die poſt Pentecoſten, mane potius, quam veſpere in majori Eccleſia ab Epiſcopis ſolemniter conferri. Miniſtrante Epiſcopo hoc Sacramentum, Parochi ex libro baptizatorum, ſeu animarum ſtatus, puerorum ætates recognoſcant, ne minores ſeptennio admittantur.

Canonici item, aliique miniſtrantes circumſtent Epiſcopum, ut & eum ab hominum confluentia tueantur, & non niſi idoneos ad Confirmationem ingredi ad Epiſcopum faciant. Notet ad id deputatus Notarius nomen Epiſcopi, confirmatorum, patrinorum, & diem.

Canonicis Epiſcopo miniſtrantibus a Populi concurſu illum tueri, idoneiſque ingreſſum dare ſpectabit.

Præmoneant ſæpe Parochi, confirmandos, ſi qui adulta ætate ſunt, ut jejuni ad hoc Sacramentum, quando mane miniſtratur, accedant, & prius peccata confiteantur; ſingulisque annis deſcribant, quos habiles in propria Parochia ad ſuſcipiendum Sacramentum hoc judicarint, eorumque nomina ante diem adminiſtrationis ad Epiſcopum ſcripta deferant. Doceant tandem tam in Baptiſmo, quam hoc etiam Sacramento ſpiritualem cognationem contrahi, atque de eorum munere patrinos admoneant. Olea ſacra, & ſanctum Chriſma, non niſi in ſacris conſtituto, ubi haberi poteſt, ſuperpelliceo induto, deferenda concedantur.

Olea ſacra non niſi in ſacris conſtitutis, & ſuperpelliceo indutis deferre permittitur.

TITULUS XXIII.

De Sacramento Euchariſtiæ.

CAP. UN.

Geſtatorium tabernaculum quale: ubi duæ ſunt pyxides, quomodo adhibendæ? Marium communio a feminis diviſa eſſe debet, & interim ſacram adhibere lectionem, laudabile. Sodalitatis Corporis Chriſti inſtitutio commendatur: ejuſque munera traduntur. Communio in Paſchate Parochianis exhibeatur; quid cum vagis agendum? Quando particulæ ſunt conſecrandæ? Lampades ante tabernaculum continue ardeant. Sacramentum ad infirmos quomodo deferendum? Oratio quadraginta horarum commendatur.

SI qua in Cathedrali, aut Parochiali adhuc tabernaculum, quo Sanctiſſimum

mum Chriſti Corpus in proceſſionibus defertur, ut decet, nondum confectum eſſet, ea forma fieri poteſt, ut ſcilicet ex lucida ſit criſtallo, vel vitro, habeatque lunulam cum ſuppoſito ex parvo ſcuto argenteo, ut claudi commode poſſit, & aperiri. Sicubi vero eſſet aliqua alia decenti forma, ea utantur. Quæque Parochia duas habeat pyxides; unam, qua Sanctiſſimum Corpus aſſervetur; alteram, qua deferatur ad infirmos.

Mares a feminis ſeparate communicari, vel prius mares, poſtea feminas definitur.

Ubi populus adeſt communicaturus, mares a feminis ſeparati (ſi fieri poteſt) communicent, duabus menſis paratis, vel primo mares, deinde feminæ communicentur; interim vero laudabile eſſet, ſi aliqua ſacra lectio de fructibus communionis haberetur. Ubi Confraternitas Sanctiſſimi Corporis Chriſti inſtituta non eſſet, quam primum, ut inſtituatur, Epiſcopi curent, ut hi ſaltem, ſi alii deſint, Sanctiſſimum Corpus, dum ad infirmos defertur, aſſocient. Hi etiam cum quinta feria Sanctiſſimum Corpus in ſepulcro detinetur, diviſi per horas arbitrio Epiſcopi, vel ejus Vicarii cuſtodiant, atque durante eo tempore devotiſſime orent. Feminæ hic, neque circumſedeant, neque nimium, ut ſolent, appropinquent, ſed facta oratione aliis locum cedant.

Parochis ſolum degentibus in ſuis Paraciis in Paſchate Euchariſtiam miniſtrare licet.

Paſchali tempore Parochi Sanctiſſimam Euchariſtiam, non niſi ſuis, qui, vel originem, aut incolatum in finibus ſuæ Parochiæ vere contraxerint, adminiſtrent, poſtque octavam Paſchatis eorum, qui non communicaverint, nomina ad Epiſcopos ſcripta deferant, qui juris remediis illos, ut propriæ ſaluti proſpiciant, compellant; quod etiam de pauperibus vagis, & mendicantibus Epiſcopi diligenter inquirant. In altaris tabernaculo plures particulæ conſecratæ conſerventur, atque ſingulis octo diebus die Jovis in memoriam illius inſtitutionis renoventur. Colluceant continue plures lampades, vel ſaltem una ante conſpectum tabernaculi, quæ ab introeuntibus conſpiciantur, & contrafacientes ii, quibus incumbit, ad formam ſacrorum Canonum pœna puniantur.

Dum defertur ad infirmos, miniſter, qui a confeſſionibus ſit, præcedentibus, ſubſequentibuſque luminibus, ſuperpelliceo, ac ſtola, ac etiam pluviali, & umbella præcedente tintinnabulo ſemper utatur. Duas ſacratas particulas ad minus ferat, quarum altera ægroto miniſtrabitur, altera vero remaneat in pyxide, ne in regreſſu populus inane vaſculum adoret, & in Eccleſiam reverſus indulgentiam aſſociantibus denunciet, eiſque ab altari cum Sacramento abſque aliquibus verbis benedicat. Non deferatur, niſi jejuno, & de mane, niſi aliter neceſſitas ſuadeat.

Aſſociantibus Euchariſtiam in regreſſu ad Eccleſiam indulgentias enunciare, & benedicere miniſtro imponitur.

Inſtituatur ſaltem in Cathedralibus, ſi in Parochialibus minus commode inſtitui poteſt, oratio Quadraginta Horarum, ubi adhuc inſtituta non eſt, cujus pii negotii congruum tempus eſſet ſecunda feria poſt Dominicam Palmarum.

TITULUS XXIV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAP. UN.

Pia imago, & caſuum reſervatorum Tabellæ in Confeſſionalibus. In Cathedrali Pœnitentiarius inſtitui debet, cujus præbendæ, ſi tenuis ſit, ſimplex uniatur beneficium. Regularibus examinatis per quantum temporis confeſſiones audiendi facultas eſt concedenda? Confeſſariorum inſtructiones. In prima quadrageſimæ hebdomada, ante Pentecoſten, & Natale Domini Epiſcopus ad ſe confeſſores vocet, & examinet.

Sacramentum Pœnitentiæ, quod *ſecundam tabulam poſt naufragium* Divus Hieronymus appellat, maxima cum diligentia tractandum eſt, ut Confeſſores, qui in hoc tribunali judices ſunt, ut decet, ſeſe gerant.

Tabellæ caſuum reſervatorum in Confeſſionalibus apponantur.

Sit in confeſſionalibus, intra quæ confeſſio audiri debet, maxime mulierum, affixa aliqua imago Crucifixi, tabella caſuum Epiſcopalium, & Pontificalium reſervatorum, tam in Bulla Cœnæ, quam in aliis Conſtitutionibus.

Sit in quacumque Cathedrali Pœnitentiarius, qui ab Epiſcopo ex præſcripto Concilii Tridentini inſtitui debet, cum unione præbendæ, qui & Sacramentum Pœnitentiæ exerceat, & quæ ad ſacras confeſſiones audiendas pertinent, inſtituat Confeſſarios: huic præbendæ, ſi tenuis eſt, beneficium ſimplex uniatur.

Regulares, niſi a ſuis Superioribus ſint de vita & moribus approbati, Epiſcopi ad audiendas confeſſiones nõ admittant.

Regulares, non niſi a ſuis Superioribus approbatos, de vita, & moribus, & ſufficientia ad confeſſiones admittant Epiſcopi, quibus iterum examinatis ab Examinatoribus Synodalibus, vel ab ipſis Epiſcopis, facultas audiendi confeſſiones per ſex menſes tantum concedatur. Vota non reſervata, in majora, & gratiora Deo pietatis opera tantum commutentur. Et licet Canones pœnitentiales in uſu parum ſint, tamen Confeſſoribus menti eſſe debent, quod pro imponendis pœnitentiis regula quædam eis erit; ideoque illorum tabella confeſſionalibus affixa ſit.

Qui alicujus reſtitutionis vinculo adſtrictus eſt, etiam legatorum ad pias cauſſas, ſitque ſolvendo, ſi ſemel abſolutus minus ſatisfecerit, ſecundo non abſolvatur, niſi ſatisfecerit parti ſaltem per fidejuſſionem, aut pignora, aut niſi novam dilationem obtinuerit a creditore.

Confeſſores a pœnitentibus nihil in actu confeſſionis exigere, aut accipere præſumant.

Confeſſores nihil in actu Confeſſionis a pœnitente exigant, aut accipiant confeſſionis cauſſa, etiam ſi ſponte eis detur. Dato a pœnitentibus infirmis ſigno deſiderii confeſſionis, abſolutio non denegetur, etiam ſi non poſſent peccata ore proferre, dummodo ab ipſis materia pro abſolutione, quæ ſit ſaltem peccatum aliquod veniale, nutu, vel ſigno aliquo habeatur. Pœnitentias pecuniarias ad ſui utilitatem non imponant, neque vota hoc modo commutent. Epiſcopi prima hebdomada Quadrageſimæ, per octo dies ante feſtum Pentecoſtes, octo ante diem Natalis Domini, quibus temporibus fideles confiteri ſolent, ad ſe vocet Confeſſores, tam regulares, quam ſæculares Civitatis (exceptis Parochis) quos examinatos ad exercendum tam ſalutare opus dimittant, curentque, ut pro populi multitudine Confeſſores ſatis ſint.

TITULUS XXV.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAP. UN.

Extremæ unctionis effectus: infirmis ſenſibus integris miniſtranda, etiam non confeſſis, ſi devote petant.

Sacramentum Extremæ Unctionis, non ſolum animæ dolores linit, quæ peccata levia ſunt, & reliquias peccatorum expurgat; ſed etiam corpus infirmum adjuvat: quocirca miniſtrari debet infirmis eo tempore, quo integris ſenſibus ſint, & aliqua ſpes vitæ habeatur, & etiam ſi non confeſſi ſint, dummodo devote petierint, adminiſtrari poteſt; & eodem tempore, & ungant miniſtrantes, & verba proferant.

TITULUS XXVI.

De Sacramento Ordinis.

CAP. UN.

Ordinationis dies per menſem ante indicetur. Tres Examinatores Synodales coram Epiſcopo, vel ejus Vicario interſint.

Epiſcopi ſacras ordinationes celebraturi ſtatutis a jure temporibus, per menſem ante, ordinandis edicant, ut ſtatuta die ad examen accedere, & neceſſaria teſtimonialia afferre poſſint; tum de illorum vita, & moribus, & de titulo, ſi in Subdiaconos promovendi ſunt (patrimonium vero ſit, quod ad vitam ſuſtentandam ſatis ſit judicio Epiſcopi) deque eorum requiſita doctrinæ ſufficientia bene ſibi conſtare faciant.

Examen non minus, quam tribus Examinatoribus Synodalibus, vel aliis ab Epiſcopo deputandis, coram eo, vel Vicario fiat, qui accerſiti examini interſint. Quoad cetera huc pertinentia revideant Epiſcopi, quæ in Synodo Provinciali Beneventana ſub Jacobo Cardinali Sabello bon. mem. celebrata conſtituta fuerunt.

TITULUS XXVII.

De Sacramento Matrimonii.

CAP. I.

Tridentina Synodus in Matrimonii celebratione ſervetur. Denunciationes quando, & ubi ſunt faciendæ? dominicalis orationis, & Angelicæ ſalutationis ignari non ſunt admittendi. Diverſarum Diœceſum, aut Parochiarum contracturi, qua cautela ſunt admittendi? Matrimonium liberum eſſe debet. Conjuges ante matrimonii conſummationem peccata confiteantur.

Diligenter invigilent Epiſcopi, an quæ Sacra Trident. Synodus circa matrimonii celebrationem, ſancte, & prudenter ſancivit, per Parochos obſerventur.

Matrimoniorum denunciationes feſtis diebus, & in Eccleſiis, ubi frequens Populus adeſt, fieri præcipitur.

Denunciationes matrimoniorum, non niſi feſtis diebus, non ſolum in Parochialibus, ſed etiam in aliis Eccleſiis, ubi frequens Populus adeſt, per eoſdem Parochos, aut alios de licentia fiant; quas dimitti potius judicio Epiſcopi ex juſta cauſſa, quam ferialibus diebus fieri, Sacra Congregatio declaravit.

Non admittantur ad matrimonium contrahendum, qui orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam ſaltem memoria non teneant; ſed, ut prius addiſcant, Parocho curæ ſit. Exteri item non admittantur, niſi per ſuorum Ordinariorum teſtimonialia a ſponſæ Ordinario approbanda; eos ſolutos, & ad matrimonium idoneos eſſe conſtiterit.

Cetera ad adminiſtrationem Sacramentorum pertinentia in altera Synodo Provinciali fuſius habentur; utque in matrimoniis contrahendis, ſi quæ ſunt impedimenta, denuncientur, præcipimus, ut ſi contracturi matrimonium, aut ſponſalia, diverſarum ſint Parochialium, Parochus, coram quo ſponſalia contracta ſunt, authenticum teſtimonium illorum alteri Parocho tranſmittat; in ejus Parochia neceſſaria proclamata ſimiliter fiant; neque ſponſi ad ſolemnia matrimonii admittantur, niſi factas fuiſſe hinc inde promulgationes ipſis Parochis prius conſtiterit. Quod etiam, ſi contrahere volentes, diverſorum ſint Epiſcoporum, ſervandum. Videant Parochi, ne ſponſi ad matrimonium compellantur; quod ſi ita compererint, ejus celebrationi nullo pacto interſint: hortenturque conjuges, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo

Parochis matrimoniis per vim contractis intereſſe prohibetur.

duo

duo ante matrimonii conſummationem, & peccata confiteantur, & ſacram Communionem recipiant.

CAP. II.

Si poſt contracta ſponſalia copula intercedat, abſolutionem ſibi Epiſcopus reſervet. Matrimonio jungendi ne cohabitent, nec niſi in Eccleſia jungantur. Si tempore prohibito, Epiſcopi licentia, nuptiæ celebrentur, a quibus abſtinendum?

SI qui vero poſt ſponſalia contracta, incontinentiæ potius ſtudentes, quam gratiam matrimonii affectantes, ante coierint, quam inter eos matrimonium rite, juxta Concil. Trid. decretum, celebratum ſit, ejus peccati abſolutionem Epiſcopo reſervatam eſſe decernimus, gravemque illis pœnitentiam impoſitum iri; & ad evitandum hoc peccatum, necohabitent omnino prohibemus. Parochis autem inhibemus, ne alio in loco, quam in Eccleſia, ſponſos matrimonio jungant, niſi Epiſcopi aliter eis faciendum indulſerint. Sancta enim res eſt matrimonium, & ſancte tractandum.

Matrimonium, cũ ut res ſancta, ſancte tractandum ſit, non niſi in Eccleſia Spõſi jungendi ſunt. In nuptiis tempore non permiſſo contractis convivia, & choreæ prohibentur

Si vero eo tempore, quo nuptiæ interdictæ ſunt, Epiſcopi aliqua juſta ex cauſſa nuptias contrahendas eſſe judicaverint, curent Parochi, ne convivia, choreæ, aut alia ſimilia adhibeantur, neque ſolemniter ſponſæ in domum viri traducantur, aut ſolemniter benedicantur.

TITULUS XXVIII.

De Concubinariis.

CAP. I.

Concubinarii, ſi ter moniti, etiam ex officio, non reſipuerint, excommunicationi ſubjiciantur. Idem in adulteras, & concubinas extenditur: inſordeſcentes ejici poſſunt, etiam invocato brachio ſæculari.

LIcet contra hoc hominum perditum genus, quomodo animadvertendum ſit, priori Synodo Provinciali Beneventana ſtatutum ſit; tamen, ut in hac tam gravi re ſic inter homines ſolita nihil omittatur, quo ab hoc crimine homines deterreantur, auctoritate Trid. Conc. decernimus, ut concubinarii, tam ſoluti, quam matrimonio juncti, cujuſcumque ſtatus, & conditionis illi ſint, ſi poſtquam ab Epiſcopis, etiam ex officio ter moniti, illas non ejecerint concubinas, & ab earum conſuetudine ſe penitus non ſejunxerint, excommunicatione ita afficiantur, ut niſi admonitioni prius paruerint, abſolutionem non conſequantur. Idem ad mulieres, tam ſolutas, quam conjugatas, quæ in adulterio, ſeu concubinatu vivunt, extendendum eſſe declaramus; quę etiam, ſi obſorduerint in delicto, extra oppida vel Diœceſim ejici poſſint, invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Quæ in adulteriis, ſpretis Eccleſiaſticis monitionibus, obſtinate perſiſtunt, ex oppidis, & Diœceſi ejici poſſunt.

CAP. II.

In Concubinariis, præſertim ſolutis, excuſationes non ſuffragantur.

QUoniam vero plerumque concubinarii ſunt, qui excuſationes in peccatis quærunt, & concubinatus crimen, famulatus honeſto nomine, prætexunt, dicentes ſe, quas concubinas habent, eas pro neceſſario ſervitio, ut ancillas, præſertim juvenes, domi retinere; ſtatuimus, ut in his concubinariis hujuſmodi prætextus, & inanium cauſſarum allegatio, præſertim ſolutis, non ſuffragetur, maxime ſi fama vehemens de eis circumferatur, ſed in eos, juxta Concilii Trid. decretum, animadvertatur.

Olim concubinatus crimen nomine honeſto famulatus tegebatur.

TITULUS XXIX.

De Clericis laicorum ſervitio vacantibus.

CAP. I.

Clerici, laicis inſervientes, intra menſem ab hujuſmodi ſervitio diſcedant, & Epiſcopo ſe præſentent ſub pœna, ſi beneficiarii ſint, beneficii privationis, aliter ſuſpenſionis. Abſentes ſervitio propriæ paræciæ adſcripti intelligantur.

CLericalis ordinis ignominia eſt, ut Clerici, qui in ſortem Domini vocati ſunt, in laicorum domibus verſentur, aut eorum ſervitio vileſcant. Quare ſub pœna privationis iis, qui beneficia obtinẽt, aliis vero ſub ſuſpenſionis pœna præcipitur, ut intra unius menſis ſpatium poſt hujus decreti publicationem a laicorum domibus, & ſervitio diſcedant, & ſe eorũ Ordinariis præſentent, ſi alicujus certæ Eccleſiæ ſervitio adſcribantur, eorumque debito officio digne vacare poſſint: & qui hucuſq; non reperiuntur, vigore hujus decreti intelligantur omnes adſcripti ſervitio propriæ Parochialis Eccleſiæ.

CAP. II.

Clerici certæ Eccleſiæ non adſcripti, Epiſcopi judicio adſcribantur. Jam adſcripti ſuo muneri ne deſint: negligentes ad Epiſcopum deferantur.

CLerici, qui certæ Eccleſiæ non ſunt adſcripti, curent Epiſcopi, ut Dominicis, & feſtis diebus, Parochialibus Presbyteris, intra quorum Eccleſiarum fines habitaverint, vel Eccleſiaſticum beneficium obtinuerint, aut alteri Eccleſiæ, prout ipſis videbitur, inſervire debeant: illi vero, qui certis Eccleſiis adſcripti ſunt, ad illas conveniant, & eas functiones

nes expleant, quas ipſis Epiſcopi præſcripſerint, ne vagi populo ſcandalo ſint. An vero decretum hoc obſervetur, Rectores Eccleſiarum, ad quas hi convenire debent, Epiſcopos certiores faciant, ſimulque, an hujuſmodi Clerici in habitu, & tonſura incedant, & rectæ vitæ, ut decet, rationem ſequantur.

TITULUS XXX.

De ſubditis, & vaſſallis Epiſcoporum.

CAP. UN.

Familiarium Epiſcoporum immunitas ad eorum ſubditos extenditur. Ad ſæculare judicium ne trahantur; ſed ad Eccleſiaſticum remittantur; Collectis, ceteriſque oneribus neque directe, neque indirecte graventur, ſub anathematis interminatione.

QUæ ad ſervandam immunitatem familiarium Epiſcoporum in Synodo Provinciali Beneventana jam edita decreta fuerunt, ea omnia ad omnes Epiſcoporum ſubditos volumus extendi, & vaſſallos, qui in temporalibus, & ſpiritualibus, Epiſcopis ſubjecti ſunt. Quare ſub pœna excommunicationis mandamus cujuſcumque conditionis Baronibus, Dominis, Capitaneis, Magiſtris juratis, Syndicis, & Electis, aliiſque quovis nomine Judicibus, & Officialibus, ne quis ſubditos, & vaſſallos Epiſcoporum, ſive in civilibus, vel criminalibus, vel in judicium trahere, vel trahi facere, vel in carcerem conjicere, aut judicare eos præſumat: ſed ut primum eos vaſſallos Epiſcoporum noverit, remittere ad illorum forum ſtatim debeat, interdicimuſque quibuſcumque, etiam ſub excommunicationis pœna, eo ipſo, quo moniti fuerint, & non paruerint, incurrenda, ne prædictos vaſſallos Epiſcoporum ad functiones fiſcales, & collectas, ſeu quæcumque onera directe, vel indirecte, aut quovis quæſito colore, vel cauſſa, ad ſolvendum adigant.

TITULUS XXXI.

De cauſſis ſpiritualibus ab Epiſcopis cognoſcendis, & de impedientibus reditus Eccleſiæ.

CAP UN.

Spirituales cauſſæ ſpiritualibus annexæ, & miſtæ ab Eccleſiaſticis Judicibus cognoſcantur: ſi ſæculares ad ſe eas avocent, excommunicati declarentur. Impedientes, ne reditus Eccleſiaſticorum bonorum vehantur, aut extrahantur, excommunicationi ſubjiciuntur.

CUm ſpiritualia ad ſpiritualem jure pertineant, cauſſas omnes ſpirituales, aut ſpiritualibus annexas, aut decimarum, & Eccleſiaſticorum cenſuum, aliorumque hujus generis: item cauſſas miſtas, & ad utrumque forum pertinentes a Judicibus Eccleſiaſticis, ab Epiſcopis, vel eorum Vicariis, aliiſque Eccleſiaſticis Judicibus cognoſcendas eſse decernimus.

Cauſſas ſpirituales, aut ſpiritualibus annexas judices ſeculares cognoſcere prohibentur.

Quod ſi ſæculares Judices ad ſe eas advocare præſumant, quacumque dignitate præfulgeant, juxta tenorem Bullæ in Cœna Domini legi ſolitæ, excommunicati declarentur: ſicut excommunicationis vinculo innodamus quoſcumque, qui contra libertatem Eccleſiaſticam impediunt, ne reditus beneficiorum, ut frumenta, & vina, aliaque ad Epiſcopos, vel Clericos licite pertinentia, in Urbes, vel quo beneficiati vehi curant, vehantur, aut deferantur, aut extrahantur.

TITULUS XXXII.

De Regularibus.

CAP. I.

Regulares extra clauſtra immorantes Epiſcopo denuncientur. Interea abſque Epiſcopi licentia ad longum tempus ad nullum Eccleſiaſticum munus admittantur.

CUm nonnulli Regularium, qui jugo Religionis excuſſo, deſertis Monaſteriis, ſpreta ſuorum Prælatorum obedientia, in ſæculo verſari non erubeſcant, alii in habitu, alii vero habitu cum Religione rejecto, regimini ſe intromittant Eccleſiarum, Sacramentaque conficere audeant, & adminiſtrare, cum ſint excommunicati: confeſſiones audiant, cum abſolvendi non habeant poteſtatem; Epiſcopi diligenter inquirant, quot horum inter ſuos Cleros morentur, quos, ut infra menſem ad ſuos Prælatos redeant, moneant, & requirant; ſi vero extra morandi diſpenſationem, & facultatem habebunt, ut eis, vel eorum Vicariis infra eumdem terminum oſtendant, mandent; alioquin contra eos juxta Canonum diſpoſitiones procedere non omittant. Interim vero prohibeant Parochis, ne ejuſmodi vagantes Religioſos ſine eorum licentia ad longum tempus ad ullum Eccleſiæ officium admittant.

Ut Epiſcopi vagos regulares in illorum Diœceſibus commorantes ad ſua monaſteria redire moneant, ſtatuitur.

CAP. II.

Quotannis Epiſcopus Regularium Superiores coram ſe convocet; quidque cum eis agendum ſit proponitur in Regularium ſtatu.

COnvocent Epiſcopi ſingulis annis quorumcumque Monaſteriorum in ſuis Diœceſibus exiſtentium Superiores ad ſe, quibuſcum paterne agant de divini cultus

Epiſcopis, ut Regularium ſuperiores ſingulis annis moneant circa ritum, & regularem obſervantiam, imponitur.

cultus decore, de ſuarum Viſitationum, & Trid. Concil. exequutione, & an Miſſarum celebrandarum oneri ſatisfaciant: ut in Eccleſiis regularibus Miſſas celebrandas non ſuſcipiant, quibus propriis Eccleſiis, aut debitis oneribus deſint: ut ne, ſaltem publice, admittant Fratres inhabiles, & illitteratos, & qui aliquo defectu corporis, vel animi ad Miſſæ celebrationem notati ſunt: ut eorum cœnobia, ut decet, ſepta ſint: ut laicos intra ſepta Monaſterii verſari, niſi ex urgenti cauſſa, non patiantur: ut facinoroſos omnino excludant, ne in pœnas Gregorii XIII. Conſtitutionis incidant: ut tam in Civitate, quam extra ſoli non eant, nec de nocte etiam ſociati: ut confeſſiones non niſi in Eccleſia audiant, & in Confeſſionalibus loco conſpicuo aptatis: ut qui confeſſiones audiunt, eorum, qui in Quadrageſima confitentur, nomina deſcribant, & poſt Paſchatis octavam Epiſcopo deferant: quoad fieri poteſt ſe Cathedralibus Eccleſiis conformare ſtudeant: ut inter ſe lectiones, & exercitia de caſibus, conſcientiæ, & alia, quæ Spiritus Sanctus eis inſpiraverit, aſſidue habeant.

Nomina eorum, qui apud ipſos confeſſi ſunt, regulares in Paſchate Epiſcopis deferre tenentur.

TITULUS XXX

De Monialibus.

CAP. I.

Monialium regulas Epiſcopus ampliare poteſt. Earum habitatio commoda, & tuta ſit, & vita communis. Infra ſex menſes certus numerus Monialium præfiniatur. Abſque conſenſu duarum partium, & Monaſterii utilitate in futurum nulla admittatur. Ex ſanguine conjunctis Abbatiſſæ, & Officiales ſimul ne eligantur.

MOniales, quæ optimam partem elegerunt, juxta proprias regulas vivant, quas ampliare, ubi res poſtularit, Epiſcopi poſſint, illarumque executionem eorum diligentiæ, & judicio committimus. Curent Epiſcopi, ut commoda habitatione, & tuta, & nomine Monaſteriorum digna, & virginibus Deo dicatis convenienti, ſublata omnium proprietate, in communi (ut ajunt) vivant. Certum numerum pro loci facultate præfiniant, & declarent infra ſex menſes, juxta Trid. Syn. ſanctionem. Non admittatur futura Monialis, niſi accedente duarum partium expreſſo conſenſu Monialium per tacita ſuffragia; & niſi evidens ſit Monaſterii utilitas, judicio Epiſcopi approbanda. Ubi plures ſunt unius familiæ, una electa Abbatiſſa, aliæ Officiales eſſe non poſſint.

CAP. II.

Monialium Miniſtri, ſi cum eis de rebus ad officium non pertinentibus, aut aliquam alloquentur, Abbatiſſa, aliaque ſeniori non præſentibus, excommunicantur.

ANathematis mucrone ferimus quoſcumque Monaſteriorum Monialiũ Miniſtros, ut ſunt, Confeſſores, Advocati, Procuratores, Adminiſtratores, Medici, Chirurgi, aliique quovis nomine nuncupati, qui cum Monialibus agunt de aliis rebus, quam eorum officium requirit. Cumque hos pro cujuſque munere cum Moniali tractare opus fuerit, id præſente Abbatiſſa, vel alia ſeniori Monialium, & non aliter agant, ſub prædicta pœna eo ipſo incurrenda.

CAP. III.

Omnia, quæ Moniales obtinuerint, ad communem Monaſterii utilitatem conferantur, adminiſtranda per duos ab ipſis eligendos. Hi finito anno computum reddent. Proprietariæ biennio activa, & paſſiva voce privantur. Vanitates ex eis auferantur. Nullus in eorum Eccleſiis celebret, niſi de Ordinarii licentia, aut feſta, exequiæve celebrentur.

OMnes Eccleſiarum proventus, etiam ſi eleemoſynæ ſint, & quæſtus ex laboribus; præterea bona mobilia, & immobilia, quæ, vel legationis, vel donationis titulo, aut alio quocumque modo Moniales obtinuerint, ad communem Monaſterii utilitatem a ſingulis Monialibus conferantur, adminiſtranda per duos, aut plures Procuratores, probatos viros, ab ipſis Monialibus eligendos, qui Adminiſtratores, finito anno, computum ſucceſſoribus dare teneantur, aliis, ut ſupra, in eorum locum ſuffectis.

Quod ſi aliqua Monialium propriæ ſalutis immemor aliquid proprii tenere deprehenſa, aut convicta fuerit, ea, & pœnas juxta ſuæ Regulæ conſtitutiones ſubeat, & biennio activa, & paſſiva voce privata ſit. Abſit a Monialibus quæcumque vanitatis ſpecies interius, exteriusque, & ſicut ad interiores tollendas vanitates plurimum facit Confeſſor, ſic ad exteriores auferendas invigilent Epiſcopi, qui alia, quæ ad hanc rem in priori Synodo Provinciali Beneventana decreta fuerunt, exequi curent. In Eccleſiis Monialium curæ Epiſcopi ſubjectarum, necnon Regularium quorumcumque, nulli permittantur celebrare abſq; ipſius Ordinarii in ſcripto obtenta licentia, niſi illis diebus, quibus in ipſis Eccleſiis feſti dies celebrantur, vel exequiæ fiunt.

Epiſcopi extrinſecas Monialium vanitates auferre tenentur.

TI-

TITULUS XXXIV.

De jurium, & bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione.

CAP. I.

Inventaria bonorum Eccleſiaſticorum decimo quoque anno renovanda conficiantur infra ſex menſes; Exemplum authenticum ad Epiſcopale Archivum mittatur. Infra annum augmentum, ſeu diminutio bonorum in iis annotetur. Bona Capituli Capitularibus ne locentur abſque licentia. Archivum duabus claudendum clavibus in Cathedralibus fiat.

CUm eo creverit hominum avaritia, ut neque rebus Eccleſiarum, quæ oblationes pauperum ſunt, & pretia peccatorum, parcant, ſed quo poſſunt colore eas ſibi attribuere ſtudent: huic malo obviare cupientes, decernimus, ut infra ſpatium ſex menſium a die publicationis hujus Synodi decretorum, Rectores, & beneficiati quorumvis beneficiorum Epiſcopali juriſdictioni ſubjectorum inventarium faciant omnium bonorum mobilium, ſtabilium, & jurium ad eorum Eccleſias, vel beneficia quæcumque pertinentium, cum finibus, & conditionibus rerum. Hujus inventarii duo exemplaria conficiantur authentica; alterum in Archivo Epiſcopali conſervandum, alterum ab ipſomet Rectore. Hoc inventarium decimo quoque anno renovetur; quod ſi intra annum augeri, vel diminui bona contigerit, id etiam ibi adnotetur; quæ juventaria, an ſint confecta fideliter, in viſitatione exquirat Epiſcopus. Bona Capituli, vel Collegii nulli de Capitulo, vel Collegio locentur ſine expreſſa licentia Epiſcopi. Habeat quæque Cathedralis Archivum pro conſervandis ſcripturis, duabus clavibus clauſum, quarum unam Epiſcopus, alteram ſervet Archivi præfectus, vel quem Capitulum elegerit.

Inventarium quolibet decennio renovandum.

CAP. II.

Beneficiario defuncto ſcripturæ omnes ad beneficium pertinentes Epiſcopo deferantur, in Archivo ſervandæ. Earum exemplum ſucceſſori beneficiario tradatur.

MOrtuo aliquo beneficiato, compellantur, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas illius hæredes ad deferendum Epiſcopo quaſcumque ſcripturas publicas, vel privatas ad beneficium pertinentes, quæ inter bona mortui clerici inveniuntur, & hoc citra præjudicium jurium R. Cameræ Apoſtolicæ ſuper ſpoliis; quæ ſcripturæ in Archivo conſerventur, & proviſo beneficio exemplum conſignetur.

Mortui beneficiati hæredes ad deferendas Epiſcopo ſcripturas compelli debent.

CAP. III.

Locorum piorum adminiſtratores computum Epiſcopo reddant. Res ad hunc uſum legata, ad alium ne convertatur, ni ſchedulis affixis ad Eccleſiæ utilitatem vergat.

COgantur etiam per cenſuras Eccleſiaſticas adminiſtratores locorum piorum, quocumque nomine ii nuncupentur, ad reddendam rationem adminiſtrationis coram Epiſcopo, vel eo ad id deputando; nec ferat Epiſcopus, ut res ad unum pium uſum relicta, in aliud arbitrio adminiſtratorum convertatur; niſi manifeſtato hoc per ſchedulas publice affixas, id fieri meliori oblata conditione.

CAP. IV.

Eccleſiarum bona neque beneficiarii propinquis, neque Patronis, neque bonorum ceſſionariis locanda. Ad Eccleſiarum reparationem beneficiarii cogantur, etiam per fructuum ſequeſtrationem.

ET in locandis bonis Eccleſiarum caro, & ſanguis partem non habeat, illa, neque propinquis beneficiati, neque patronis beneficii, neque ceſſionariis bonorum locanda eſſe decernimus; ſed ne, dum bona conſervantur, Eccleſiæ, vel ornamento deſtituantur, vel vetuſtate collabantur, vel Divino cultu defraudentur, ſedulo invigilent Epiſcopi, ut in Eccleſiis ea, quæ ad Divinum cultum, & ad inſtaurationem, ſeu reparationem, & conſervationem pertinent, per Rectores beneficiorum provideantur, etiam per ſequeſtrationem fructuum, & alias pœnas illos cogendo.

In bonis Eccleſiarum locandis caro, & ſanguis locum habere non debet.

TITULUS XXXV.

Contra occupatores bonorum Eccleſiaſticorum.

CAP. UN.

Singulis Dominicis in quadrageſima, & adventu decretum Tridentini, ut infra, & pars Bullæ Cœnæ in occupatores bonorum Eccleſiaſticorum evulgetur.

IN occupatores bonorum Eccleſiæ, & Sac. Can, & Trid. Syn. maxime invehitur. Noſque, ut hoc deperditum genus hominum ab ſacrilego hoc aucupio revocemus, præcipimus Parochis, ut ſingulis Dominicis diebus in Quadrageſima, & in Adventu, tum decretum Conc. Trid., tum etiam partem Bullæ cœnæ, quæ in hoc ſacrilegium animadvertunt, materno, ut infra ſequitur, ſermone populo recitent.

Trid. decretum contra occupatores bonorum Eccleſiaſticorum vulgari idiomate a Parochis recitari ſtatuitur.

De-

Decreto del Concilio di Trento contra gli occupatori delli Beni delle Chieſe. ſeſſ. 22. cap. 11.

SE l'avarizia radice di tutti i mali, intanto occuparà l'animo d'alcun Cherico, o Laico, di qualunque dignità riſplenda, anco Imperiale, o Reale, che preſuma per ſe, o per mezzo d'altri, con forza, o con timore, ovvero ancora per ſuppoſte perſone di Cherici, o Laici, ovvero con qualſivoglia arte, o procurato colore convertire in proprii uſi, & occupare, & impedire, che non ſi ricevano da coloro, a chi di ragione toccano, le giuriſdizioni, beni, & ragioni, anco feudali, & emfiteotiche, frutti, emolumenti, ovvero qualſivoglia ovvenzioni, che ſi debbano convertire in neceſſità de' Miniſtri, e poveri d'alcuna Chieſa, ovvero di qualunque beneficio ſecolare, o regolare, di Monte di pietà, o altri luoghi Pii. Queſto tale ſoggiaccia all'anatema, cioè alla maledizione, e ſcomunica maggiore fin tanto, che havrà interamente reſtituito alla Chieſa, e ſuo amminiſtratore, e beneficiato le giuriſdizioni, beni, robe, ragioni, frutti, e rendite, le quali havrà occupato, ovvero in qualſivoglia modo, anco per donazione di ſuppoſta perſona, gli ſaranno pervenute nelle mani, e dopo havrà ottenuta l'aſſoluzione dal Santiſſimo S. N. Pontefice Romano, e ſe ſarà padrone della medeſima Chieſa, ſia ſubito oltre alle pene, privo anco del juſpadronato, & il Cherico, che ſarà ſtato fabbricatore di queſto ſcelerato inganno, e di tale uſurpazione, o ne ſarà ſtato conſentiente, ſottoggiaccia alle medeſime pene, e di più reſti privato di ogni ſorte di beneficio, e ſia fatto inabile a qualunque altro beneficio, & anco dopo l'intera ſoddisfazione, & aſſoluzione, ſi ſoſpenda da' ſuoi ordini ad arbitrio del ſuo Ordinario.

Parte della Bolla in Cœna Domini.

SComunichiamo ancora, & anatematizziamo quelli, che uſurpano, o ſottraggono le giuriſdizioni, o frutti, rendite, e proventi appartenenti a perſone Eccleſiaſtiche per ragione di Chieſe, o Monaſterj, o altri beneficj Eccleſiaſtici per loro ottenuti; ovvero per qualſivoglia occaſione, o cauſa ſenza eſpreſſa licenza del Pontefice Romano impongono collette, decime, taglie, preſtanze, & altri peſi alli Cherici, Prelati, & altre perſone Eccleſiaſtiche, ò à i loro beni, e delle Chieſe, Monaſterj, & altri beneficj Eccleſiaſtici, & à i frutti, rendite, & proventi di quelli, e con diverſi eſquiſiti modi le riſcuotono, ovvero l'accettano da chi glie le dà, e concede anche ſpontaneamente.

Conc. Prov. Benev.

TITULUS XXXVI.

De Excommunicatione.

CAP. UN.

Excommunicationum litteræ qua cautela concedendæ? conceſſæ quomodo fulminandæ?

CUm excommunicatione nulla major cenſura ſit in Eccleſia, magna eſt circumſpectione exercenda, ne, quod datum eſt pro medicina, reſultet in morbum. Invigilent igitur Epiſcopi, ut eorum Vicarii Generales litteras excommunicationum, quæ certis præcedentibus monitionibus pro deperditis, ſeu ſubtractis rebus ſolent concedi, non concedant pro re vulgari, non pro re criminoſa, & quæ infamiæ notam inurit, non pro re non occulta omnino, non pro re diu amiſſa, ſeu ſubtracta, de qua memoria veriſimiliter non habetur, non contra debitorem, quem ſatisfacere non poſſe conſtat, vel quando veriſimiliter creditur contemni, vel negligi, non pro excommunicato, aut notorie criminoſo, & infami. Reliquos caſus illorum piæ diſcretioni relinquimus. Fulminentur autem poſt debitas monitiones a Sacerdote, cum ſuperpelliceo, & ſtola in Eccleſia (non autem in privatis locis, aut per loca publica, nec in Paſchalibus, aut ſolemnibus diebus, niſi ex cauſſa ab Epiſcopo approbanda) inter miſſarum ſolemnia; poſt vero, ut omnibus patere poſſit, affigatur exemplum illius in foribus Eccleſiæ, & aliis locis publicis.

Excommunicatio Major, Eccleſiæ cenſura, magna cum circumſpectione exercenda.

TITULUS XXXVII.

De Hæreticis denunciandis.

CAP. UN.

Hæreſis ſuſpecti, hæreticalia proferentes, librorum prohibitorum detentores intra quindecim dies denuncientur ſub excommunicationis pœna. Hoc decretum ſingulis annis in Synodo evulgetur.

CUm, ut ait Apoſtolus ad Galat. v. *modicum fermenti totam maſſam corrumpat*, præcipueque in iis, quæ ſunt fidei, decernimus ſub pœna excommunicationis, ut ſi qui ſciverint cujuſvis ſectæ occultos homines, quovis nomine hæreſis ſuſpectos, coram Epiſcopo denuncient: Itemque, qui aliqua verba a fide Catholica abhorrentia protulerint, aut libros vetitos ſcienter apud ſe retinuerint, & ad Epiſcopos intra quindecim dies poſt hujus Synodi publicationem non detulerint: mandamuſque decretum hoc in Synodis Diœceſanis ſingulis annis, ut ſubditis ſuis edicant.

TITVLVS XXXVIII.

De Simonia.

CAP. UN.

Simoniæ caſus explicantur: per Concionatores, & Parochos populo edicendi. Ad juſpatronatus præſentati jurare debent, nihil pro tali præſentatione dediſſe.

Simonia animæ morbus incurabilis.

SImonia, cum ſit animæ morbus quaſi incurabilis, omni eſt ſtudio nitendum Epiſcopis, ne hominum mentes invadat, dum plerumque ignoranter illabitur. Ideo curabunt, tam per Concionatores, quam per Parochos admonere Populum aliquos caſus, in quos frequentes incurritur, ut ſunt. Qui, ut beneficium ei conferatur, vel, ut eligatur, aliquid dedit. Qui vendit, aut emit jus præſentandi, atque talium intermedii pœnam excommunicationis, & alias a jure inflictas eo ipſo incurrunt. Recipientes, aut dantes beneficia, ut vocant, ad confidentiam excommunicati ſunt, & aliis pœnis ex Conſtitutione Summorum Pontificum Pii IV. & V. ſubjacent. Habentes juſpatronatus, ubi aliquem præſentaverint ad beneficium, in fructuum perceptione nihil ſe debent ingerere, ſive Clerici illi ſint, ſive Laici. Juſpatronatus nullo pacto vendi, aut transferi poteſt contra Canonicas ſanctiones; alioquin juxta Concil. Trid. decretum contrafacientes dicto jurepatronatus privati erunt. Qui pollicitationibus, aut pactionibus quibuſcumque unius, vel plurium favorem ſibi conciliaverint, ut per eos de beneficiis ſibi provideatur, aut ad qualemcumque dignitatem promoveantur: ii tanquam ſimoniaca labe infecti per Epiſcopos (ſi ad eos collatio pertinebat) de dignitatibus, ſeu beneficiis ſic obtentis priventur. Jurent ſuper ſancta Dei Evangelia coram Epiſcopo præſentati, ſeu electi ad juſpatronatus, eos nihil pro tali præſentatione, ſeu electione dediſſe.

In conſtitutione Pii IV. & V. ſimoniacis pœnæ taxantur.

TITVLVS XXXIX.

De Uſuris.

CAP. UN.

Uſurarum caſus quidam damnantur: pœnæ in delinquentes ſtatuuntur.

Uſura pauperum, & uſurariorum cancer in bona, animaſque eorum ſerpens.

USuram, quæ, ut cancer, non ſolum in bona pauperum, ſed, quod pejus eſt, in animas uſurariorum latenter ſerpit, his temporibus latius manantem pro noſtri muneris, quantum cum Deo poſſumus, cura, ſi non tollere omnino, ſaltem reprimere cupientes, quædam in hoc genere delicta a ſacris Canonum, & probatorum Patrum ſententiis damnata in hac Provincia frequentiora nominatim prohibenda duximus.

Nemini licet ex mutuo, vel depoſitis, etiam apud Judæos factis, quidquam percipere ex pacto, nec ſperare principaliter, etiam ſi pecuniæ ipſæ ſint piorum locorum, viduarum, pupillorum, aut dotales ſint, niſi quantum jura nominatim permittant. Nemini licet rem carius vendere, & ſtatim eam vilius per ſe, vel per interpoſitam perſonam ſibi ab emptore emere. Nemini licet ob dilatam ſolutionem juſto pretio carius vendere, aut ob anticipatam vilius emere. Nemini licet pro pecunia, pro frumento, vino, oleo, aut quovis mutuo dato aliquod plus accipere, nec pro corrupto integrum, & bonum, etiam ſi reſtitutionis tempus ad libitum debitori differatur.

In ſocietate, in qua unus pecuniam confert, alter operas, lucrum per quotas æquales partes diſtribuatur, nec plus pecunias conferens ſibi accipiat, nec fiat pactio, ut ſalva ſorte principali, lucrum, ſeu fructus æque inter eos dividantur. In animalibus datis ad ſoccidam (ut vocant) caſus fortuiti ei, qui dedit, obſint, niſi damnum ſocii dolo, aut negligentia culpabili acciderit. Cum animalia locantur certo pretio, ſi detrimentū accipiunt abſque dolo, aut negligentia ejus, qui conduxit, locanti damnum ſit, ſin aliter conducenti. Cumque animalia æſtimata dantur, ut ſors dantis quocumque caſu ſalva ſit, ultra ſortem dans ille nihil accipiat. Cambia, ut vocant ſicca, cum alibi ſolvendam pecuniam aſſeritur, litteræque veræ non fiunt, ſed in uno & eodem loco datur pecunia, & recipitur, reprobata ſunt. Notarii, qui hos contractus conficiunt, uſuræ etiam crimine tenentur: Idem ſi cum ex conſcientia contractum eſſe uſurarium ſuſpicantur, vel cognoſcunt, & tamen lucri cauſſa, vel aliquo alio reſpectu diſſimulant. Item proxenetæ uſurarum, participes lucri, miniſtri omnes uſurariorum, ſine quibus illi uſuras non committerent, uſuræ rei cenſentur; quos puniendos, & pœnis a jure ſtatutis, & Eccleſiaſticis cenſuris præſenti Conſtitutione ſancimus. Qui vero in hujusmodi deliquerint, præterquam quod peccatum mortale committunt, reſtituere tenentur, Eccleſiaſticaque carent ſepultura, ex Greg. XI. Conſtit. etiam ſi ex teſtamento uſuras reſtitui mandaverint, ſi manifeſti uſurarii extiterint, & ſine reali reſtitutione, dum poterant, deceſſerint. Quod ſi Parochi ſcienter hos manifeſtos ad ſepulturam Eccleſiaſticam admiſerint, ex decreto Clementis V. in Conc. Viennen. excommunicati ſunt.

Uſurarii ex Gregorii XI. Conſtit. Eccleſiaſtica ſepultura privantur.

TITU-

TITULUS XL.

De Notariis, & ultimis voluntatibus.

CAP. I.

Legata omnia ad pias cauſſas infra menſem poſt teſtatoris obitum Notarii denuncient Epiſcopo, ſeu ejus Vicario ſub excomm. pœna. Requiſiti, oblata mercede, authenticam dent ſcripturam.

CUm Epiſcopi in ſuis Diœceſ. ex Conc. Trid. in quibuſdam caſibus a jure permiſſis exequutores ſint ultimarum voluntatum; mandent ſub pœna excommunicationis in ſua quiſque Diœceſi Notariis, ut infra menſem poſt teſtatoris obitum, omnia legata, teſtamenta, ultimas voluntates, codicillos, donationeſque ad pias cauſſas, tam ſcripto, quam in nuncupativis factas, eis, vel eorum Vicariis patefaciant, & requiſiti authenticam dent ſcripturam, oblata mercede.

CAP. II.

Quarta bonorum ab inteſtato decedentium qua ratione a Parochis ſubducenda, & eroganda ex Sacræ Congreg. decreto.

CUm quis ab inteſtato decedit, & conſuetudo regionis ſit, ut Parochi pro mortui anima aliquid diſponant, tanquam laudabilis, & a Sacra Congregatione non reprobata ſervetur, ut infra.

Decretum Sac. Congr. Epiſcoporum, & Regularium pro bonis abinteſtatorum diſponendis

Sacra Congregatio Illuſtriſs. & Reverendiſſimorum DD. S.R.E. Cardinalium ſuper negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, ac viſitationibus Apoſtolicis a Sanctiſſimo D. N. ſpecialiter deputatorum. Ad tollendas dubitationes, & controverſias, quæ pluribus in Diœceſibus Regni Neapolitani ſæpe accidunt, ſuper conſuetudine illa, qua ſolent Epiſcopi diſponere de quarta bonorum mobilium decedentium ab inteſtato; facto prius verbo cum Sanctitate ſua, ita cenſuit, & declaravit, conſuetudinem antedictam, uti laudabilem, ubi viget, omnino retinendam fore: ſic vero ſervandam, ut ab ipſis locorum Ordinariis, non ad rigorem quarta debeat æſtimari, ſed vocatis hæredibus certum quid taxari arbitrio boni viri, perſonarum conditione, ac hæreditatis valore perpenſis; idque totum abſque ulla diminutione pro ſuffragio animæ defuncti de ipſorum hæredum conſilio erogandum. Quod ſi hæres, vel alii contradixerint, juris remediis, etiam per cenſuras in ſubſidium, ab Ordinariis compeſcantur. Et quod erit diſpoſitum ſuper bonis hæreditariis, appellatione remota, exequantur.

Ab Ordinariis ne ad rigorem quarta exigatur S. Cong. ſtatuit.

TITULUS XLI.

De falſis Teſtibus.

CAP. I.

Falſi teſtes extirpentur. Qui falſum jurant in cauſſa ſive civili, ſive criminali excommunicatione feriuntur, a qua, niſi in mortis articulo, abſolvi non poſſint.

FAlſi teſtes, qui uno, eodemque tempore, ut ait D. Auguſtinus, *& Deum, & judicem, & innocentem ſuo mendacio offendunt*, totis viribus intendant Epiſcopi, ut a ſuis gregibus, tanquam pernicioſiſſimum hominum genus extirpentur, illud ſæpe repetentes. Prov. 12. *labia mendacis abominationem Deo eſſe*. Contra hos ſtatuimus, ut qui in judicio contra innocentem ſcienter falſum teſtimonium protulerint, ſive in cauſſa civili, ſive capitis, præter pœnas a civilibus legibus eis irrogatas, excommunicationis vinculo ſint ipſo facto ligati, Satanæque traditi; nec abſolvi unquam poſſint, excepto mortis articulo, niſi prius dato damno, vel violatæ proximi exiſtimationi, meliori, quo poterunt, modo ſatisfecerint.

Falſi teſtes excommunicationis vinculo innodantur.

TITULUS XLII.

De Decimis.

CAP. I.

Tridentini Concilii ſanctionem de Decimarum ſolutione Parochi, & Concionatores Adventus, & Quadrageſimæ tempore evulgent; ſicuti etiam decreta Provincialis Concilii de anno 1567. Siquid circa Decimarum ſolutionem erit innovatum, ſtatim Epiſcopo deferatur.

DEcimarum ſolutionem, quam divinum jus, & Sacri Canones, & civiles leges præcipiunt, ne quis ignoranter prætermittat, curent Epiſcopi per Parochos, & Concionatores, Adventus, & Quadrageſimæ tempore, populos admoneri, quid de ſolutione Decimarum ſanctio Tridentina determinavit, eoſque admoneri, & hortari ad debitam ſolutionem Decimarum, ne excommunicationis pœnam ab eodem Concilio recuſantibus propoſitam ſubire cogantur. Publicari etiam curent decreta Provincialis Synodi Beneventanæ celebratæ anno 1567. ſuper decimis (ut vocant) arbitrariis terrarum, & territoriis a Baronibus poſſeſſis, quæ, quatenus opus eſt, innovata per hæc cenſeantur. Cumque a Baronibus, ſeu ab aliis circa decimarum ſolutionem innovatum aliquid fuerit, ſtatim Parochi ad Epiſcopum deferant.

Decimarum ſolutio a jure divino, Canonico, & civili præcipitur.

Si aliquid Barones circa decimarum ſolutionem innovaverint, ſtatim Epiſcopum Parochi certiorem faciant.

Decreto del Conc. di Trento ſopra il pagamento delle Decime.

NOn devono eſſere ſopportati coloro, i quali ſi sforzano con diverſe arti ritener le Decime dovute alle Chieſe, ovvero occupano, e convertono in uſo proprio quelle, che devono eſſere pagate ad altri, conciofiacoſa, che il pagamento delle decime ſia dovuto a Dio, e quelli, i quali non le vogliono pagare, ovvero impediſcono il pagamento di eſse, occupano le robbe d' altri: comanda adunque il Sacro Concilio a tutte le perſone di qualunque grado, e condizione ſi ſiano, alle quali s'appartiene il pagamento delle decime, che per l'avvenire le debbano pagare interamente alle Cattedrali, ovvero a qualunque altre Chieſe, ovvero perſone, alle quali legitimamente ſi devono, e che quelli, i quali le ritengono, ovvero impediſcono il pagamento di eſse, ſiano ſcomunicati, ne ſi devono aſsolvere, ſe non dopo, che ſarà ſeguita la plenaria reſtituzione. Eſorta oltre a ciò ogni, e qualunque perſona per carità Criſtiana, e debito officio verſo i loro Veſcovi, o Rettori, che debbano delli dati loro da Dio ſovvenire largamente a quelli, che ſono prepoſti alle Chieſe.

Decretum Concil. Provinc. Benev. celebrati anno 1567. de Decimis.

Decimæ integre ſunt perſolvendæ, ſub excommunicationis pœna. Hac ſuper re C.T. & hoc Provinciale decretum Parochi Adventus, & Quadrageſimæ Dominicis publicent. Pœnitentes de decimarum ſolutione moneantur.

LIcet Decimarum ſolutio debita ſit Deo, pluribuſque ſacrorum Canonum, & præſertim Sacri Tridentini Concili decretis, eas Eccleſiis, quibus debentur, perſolvendas eſſe ſub excommunicationis pœna mandetur: nihilominus nonnullos hujus Provinciæ adeo eorum ſalutis immemores eſse audivimus, divinarum, & humanarum legum contemptores, ut, aut omnino nullas, aut eorum arbitrio decimas a ſe ſolvi debere contendant; quo ſit, ut quamplurimæ debitis decimis privatæ Eccleſiæ jam vetuſtate collapſæ, ob earum paupertatem minime reſtaurari poſſint, divinaque in eis officia, eo, quo decet, decore, & ornatu celebrari, & ſacra vaſa, & neceſſaria paramenta comparari nequeant; Epiſcopi, & alii, quibus hujuſmodi decimæ legitimæ debentur, non ſolum Seminariorum, ſeu Scholarum Magiſtros, & ſacræ Theologiæ Doctores inſtituere, ſed ne debitam quidem reſidentiam propter neceſſariam ad victum indigentiam facere poſſint; ipſique dictas decimas ſolvere renitentes, perpetua damnationis pœna illaqueati exiſtant.

Quare ejuſdem Concilii Tridentini decreto innixi, præcipimus omnibus, ut decimas ipſas Eccleſiis, illarumque Miniſtris debitas, ut præfertur, non arbitrio, neque aliqua prius deductione facta, ſed integre, ſub excommunicationis pœna perſolvant, a qua non niſi debita ſatisfactione ſequuta, abſolutionis beneficium valeant obtinere; ipſum vero Tridentini Concilii, atque hoc noſtrum decretum, præcipimus omnibus hujus Provinciæ Parochis, ut ſingulis Quadrageſimæ, & Adventus Dominicis diebus, & aliis temporibus, prout Epiſcopis videbitur, inter Miſſam laicis publicent, atque inter confitendum de decimarum perſolvendarum debito confitentes ſæpiſſime admoneant; quod, ut Prædicatores faciant, Epiſcopi curabunt; moneantque præterea Populum, quod anathemati ſubjiciantur, qui, ſeu Decimas, ſeu bona quæcumque, & res Eccleſiarum detinent, eumque ad reſtitutionem hortentur.

CAP. II.

Subditorum poſſeſſiones ne detineant temporales Domini, unde decimarum fraus oriatur.

AUdivimus ptæterea nonnullos hujus Provinciæ Barones, & Dominos ſæculares ſæpe eorum Curiæ, & Fiſco quorumdam ſubditorum poſseſſiones ob aliquod ab his commiſſum delictum, aut debitum contractum applicare, eoſque poſseſſionum hujuſmodi, ſegetum, fructuumque tunc ſolo adhærentium, & eorum etiam, quæ deinceps in ipſis ſeri, colligique contigerit, recuſare debitas Eccleſiis decimas ſolvere in Eccleſiarum præjudicium, detrimentumque, & ipſam animarum perniciem. Quare ſub excommunicationis pœna, ipſo facto, incurrenda, præcipimus omnibus Baronibus, aliiſque ſæcularibus Dominis, cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant, ne hujuſmodi poſſeſſionum debitas decimas, aliosque reditus, & fructus Eccleſiis, earumque Miniſtris debitos occupare, aut detinere quoquo modo præſumant, ſed eos, quibus debentur, omnino dandos, & tribuendos curent.

Domini ſæculares impedientes, vel occupantes ſolutionem decimarum excommunicationis gladio feriuntur.

TITULUS XLIII.

De Seminario Clericorum.

CAP. I.

In ſeminario idonei ſint Rectores, & litterarum Magiſtri: Qui in illud recipiendi? Quibus auctoribus utendum? Singulis tribus menſibus examen coram Epiſcopo fiat, & de moribus inquiratur. Deputati quotannis in Synodo eligantur: eorum cura, & menſtrua congregatio. Seminarii Archivum: Duo ſint libri, in quorum altero bene-

beneficia Eccleſiaſtica, & reditus, in altero expenſæ annotentur. Computa quotannis in Synodo reddantur.

SEminaria, juxta Concilii Tridentini decreta, in omnibus hujus Provinciæ Cathedralibus erecta jam eſſe confidimus; ideo hic de Seminariorum tantum adminiſtratione ſermo erit. Perſpiciant Epiſcopi, ut per idoneos morum Rectores, doctoſque Magiſtros litterarum pueri in Seminario admiſſi bonis moribus, diſciplina Eccleſiaſtica, litteris, & cantu diligentiſſime erudiantur, iique tantum eligantur, qui bona indole utiles ſe fore Eccleſiæ demonſtrant.

Ad ſeminarium pauperum filii ſunt præferendi, & divites non excludendi.

Pauperum filii in primis, nec tamen ditiores excludendi ſunt, dummodo ſumptu ſuo alantur. Magiſtri ſcholæ eos in Seminario interpretentur auctores, quos pro Latini ſermonis elegantia neceſſarios cognoverint, ex quorum lectione aliquid ſæpe eruant pro informandis adoleſcentium animis bonis moribus. Obſcenos auctores, & minus utiles penitus abhorreant; lectionem Catechiſmi Romani nunquam intermittant.

Singulis tribus menſibus coram Epiſcopo degentium in Seminario examen habeatur.

Singulis tribus menſibus coram Epiſcopo, vel ejus Vicario, per aliquem ab ipſis deputatum diſcipulorum Seminarii in litteris progreſſus probatio fiat, ut inhabiles habilium locum non occupent, ſimulque de moribus eorum ſæpe Epiſcopus a Rectore, vel Magiſtro inquirat, ut diſcoli, & incorrigibiles expellantur.

Eligantur in Diœceſana Synodo ſingulis annis Deputati ad præſcriptum decreti Concilii Tridentini de Seminario, pro adminiſtratione rerum Seminarii, omneſque pecuniæ mandato (ut vocant) eorum manibus ſignato, & non aliter ſolvantur. Deputetur ſimiliter Depoſitarius ex Canonicis, vel reliquo Clero, penes quem omnes pecuniæ Seminarii deponantur, & nonniſi, ut præmiſſum eſt, mandato deputatorum ſolvat. Invigilent deputati Seminarii, tanquam prudentes Œconomi, eo tempore Seminario neceſſariis pro ſubſtentatione providere, quo mitiori pretio vendi ſolent; alioquin boni adminiſtratoris præmium apud Deum amittent; apud Epiſcopum vero, ut reprehenſibiles, negligentium nomen acquirent. Utque res Seminariorum conſulto agatur, & illorum neceſſitatibus provide conſulatur, decernimus prima die Jovis cujuſcumque menſis, Deputatos, Rectores, & alios Miniſtros Seminarii coram Epiſcopo, vel ejus Vicario congregandos de ſtatu illius diſſerturos, & diſcurſuros.

Unus ex Canonicis, vel reliquo Clero pro depoſitario Seminarii eligendus.

Curent Epiſcopi, erigi in loco Seminarii ad id apto Archivum, in quo conſerventur ſcripturæ omnes, & documenta ad Seminarium pertinentia. Sint in Seminario, qui in Archivo etiam conſerventur, duo libri magni, in quorum altero beneficia Seminario annexa cum illorum valore, omnibuſque bonis ſtabilibus, & mobilibus, ſimulque omnes proventus, & introitus, reditus, cenſus quomodolibet Seminario provenientes; in altero vero notentur impenſæ, tam ordinariæ, quam extraordinariæ per Seminarium factæ; & ſingulis annis computus, tam impenſarum, quam exactionum per Reviſores computorum, etiam in Synodo, ut ſupra electos, aſſiſtentibus Deputatis coram Epiſcopo, vel ejus Vicario revideatur.

TITULUS XLIV.

De Hoſpitalibus, Confratariis, & aliis piis locis.

CAP. I.

Locorum piorum computi cui reddendi? Eccleſiæ neceſſariis ſint inſtructæ. Sacerdotes deputati, vel intus hoſpitale habitent, vel prope: eorum munus. In hoſpitalibus qui recipiendi, qui excludendi? Aliquo exercitio ibi degentes occupentur. Pia exercitia. Sexus, qualitatis, ætatis diſtinctio. Quæ in hoſpitalibus fugienda? delinquentes Epiſcopus tantum judicet. Adminiſtratores per triennium durent, jurentque in ingreſſu. In bonorum locationibus, quæ inſpectiones adhibendæ? Confraternitates Ordinarius inſtituat. Confratrum qualitas, & obligatio. Compotationes vitandæ: ad proceſſiones conveniant, & quomodo?

CIrca hoſpitalia, & alia pia loca hæc ſervari mandamus, ut ſingulis annis ab adminiſtrantibus ratio adminiſtrationis coram Epiſcopo, vel ejus Vicario, vel ad id deputato, reddatur; in Diœceſi coram digniori Parocho: quod ſi aliter in inſtitutione horum locorum expreſſe cautum eſſet, juxta Tridentinam ſanctionem, cum interventu ab Ordinario deputati revideatur. Eccleſiæ hoſpitalium, ex forma aliis Eccleſiis præſcripta ſarta tecta, aliaque neceſſaria ad ſubſtentandos hoſpites pro loci facultate habeant.

Sacerdotes deputati ad miniſtrationem Sacramentorum, ſi fieri poteſt, intus Hoſpitalia, vel prope, domum habeant, ut cum res poſtularit, præſto ſint. Infirmi peccata confiteantur ſtatim, ac recipiuntur, ſique eos mori contigerit, nomen, cognomen, patria, dies obitus ſcribantur.

Excludantur ab hoſpitalibus blaſphemi, hiſtriones, præſtigiatores, circulatores, nebulones, aleatores, ſcurræ, mimi, & alii ejus generis; item, qui ſe captivos fuiſſe mentiuntur, vel qui morbum ſimulant, qui mulieres circumducunt, quique validi ſunt, quos redargui oportet maxime, atque ut ab hac otioſa vita ad laborem ſe conferant, ſæpius increpari. Recipiantur

piantur in Hoſpitalibus pauperes, infirmi, homines miſerabiles, ſenio confecti, debiles, qui manibus victum ſibi comparare non poſſunt, peregrini, & infantes expoſiti.

Ubi mares, & feminæ aluntur, ne otio marceſcant, aliquo decenti exercitio adminiſtratorum conſilio exerceantur: Fidei documenta, ſtata hora, doceantur.

Preces Beatæ Virginis, qui litteras norunt, recitent; qui minus, coronæ precatione orent; ſimul omnes litanias devote dicant; in die ſemel, vel bis ad precandum conveniant, præcipue pro benefactoribus.

Singulis diebus, vel ſaltem Dominicis, aliisque feſtis Miſſæ devote interſint; jejunia Eccleſiaſtica ſervent. Locus in hoſpitalibus, ubi fieri poteſt, pro clericis, religioſisque perſonis ſeparatus ſit; aliquanto decentior; item pro honeſtis hominibus ceteris, prout loci facultas fert. Mares cum feminis non cohabitent, nec pueri cum adoleſcentioribus eodem in lecto dormiant.

Hoſpitalium alumni in rixis ab Epiſcopo tantum cognoſci ſtatuitur.

Blaſphemiæ, verba inhoneſta, ludi inter eos nec nominentur. Rixæ inter Hoſpitalium alumnos ab Epiſcopo tantum cognoſcantur, non autem a Judice ſæculari.

Adminiſtratores locorum piorum, qui ceteros charitate, aliisque Chriſtianis virtutibus præſtent, eligantur, nec ultra triennium eſſe poſſint. Jurentque ſe fidelem operam huic pio negotio præſtituros; qui aliquid ipſis locis debet, adminiſtrator ne ſit.

Bona horum piorum locorum, cum accedente auctoritate Ordinarii locanda erunt, publice facta æque omnibus poteſtate, locentur; non tamen conſanguineis adminiſtratorum, aut locorum debitoribus.

Confraternitates de conſenſu Ordinarii erigi debent: & in confratres honeſtæ vitæ viri eligantur.

Confraternitates non erigantur ſine conſenſu Ordinarii, cum capitulis ab eo probandis. In Confratres non niſi honeſtæ vitæ, majori fratrum conſenſu accedente, admittantur. Recitent ſingulis diebus feſtivis ſaltem, præter id, ad quod forſan ex præſcripto regularum tenentur, officium Beatæ Virginis, vel Pſalmos Pœnitentiales. Commeſſationes, vel compotationes nullo loco fiant ſodalitatis ſumptu, neque ex bonis Confratrum in Oratoriis, vel adjunctis ædibus.

In proceſſionibus quomodo ſe gerere tenentur Confratres definitur.

Ad proceſſiones generales, & ad alias, quoties ab Epiſcopo intimantur, conveniant cum Confratariæ veſtibus. Nemo ſe cædat, ut mercedem aliquam accipiat, & qui ſe cædunt, aperta id facie ne præſtent; in viis ne ſiſtant; devote eant neminem alloquendo; tumultus omnis, & clamores vitentur; & tandem ita ſe habitu, & inceſſu, omnique alia re gerant, ut neminem offendentes, Dei iram mitigent, ipſiusque miſericordiam ſanctis precibus populo implorent.

TITULUS XLV.

De Vicario Generali, ſeu Officiali Epiſcoporum.

CAP. UN.

Monita Epiſcoporum ad Vicarios ſuos.

In deciſione cauſſarum Vicarii Epiſcoporum a Tridentini decretis, & Synodalibus conſtitutionibus non diſcedere monentur.

MOneant ſæpe Epiſcopi eorum Vicarios, ut in deciſione cauſſarum, a ſacris ſanctionibus, præcipueque Sacri Concilii Tridentini decretis, & Synodalibus Conſtitutionibus ne diſcedant; ut ſint in expeditione celeres, in cauſſæ cognitione maturi, in detegendis mendaciis prudentes, a perſonarum exceptione alieni, & a cordis cupiditate liberi, ut pandectas mercedum ipſi ſervent, & a Notariis, Baricello, Commentarienſi, aliisque ſervientibus diligentiſſime ſervari curent.

TITULUS XLVI.

De Fiſci Procuratore.

CAP. UN.

Vitanda a Fiſci Procuratore proponuntur.

Fiſci Advocatus innocentem ne opprimat, quia ad veritatem inquirendam inſtituitur.

PRocurator, ſive Advocatus munere Fiſci, quod ſibi ad inquirendam veritatem datum eſt, ad calumniandum, ſeu opprimendum innocentes non abutatur, nec cauſſa ſit, ut quis calumniis, injuriave vexetur, vigiletque, ut qui defenſor eſt juſtitiæ, juſtus ab omnibus habeatur; a muneribus maxime abſtineat.

TITULUS XLVII.

De Examinatoribus Synodalibus.

CAP. UN.

Examinatores in Synodo eligendi, & quales: Nihil examinis occaſione accipiant; eorum inſtructio, & examinis methodus. Electi in Synodo jurent.

EXaminatores Synodales ii eligantur quotannis in Synodo Diœceſana, quos vitæ integritas, morum honeſtas, & litterarum ſcientia maxime commendent: quosque ſperatur omni humana affectione depoſita ſuſceptum munus recte curaturos, ac adminiſtraturos. Examinis occaſione nihil prorſus accipiant, etiam a ſponte dantibus, neque ante, neque poſt examen, ſive ab ipſis examinatis, ſive ab examinandis, aut ab aliis quibuscumque tali occaſione, ne quidem eſculenta, vel poculenta: qui ſi contra fecerint, Simoniæ labe infectos ſe eſſe ſciant, & tanquam indigni eò munere deinceps cenſebuntur, atque alia pœna arbitrio Epiſcopi puniantur.

Examinatoribus aliquid ante, vel poſt ab examinandis accipere prohibetur.

De approbando, & reprobando ea gravitate, & prudentia deliberent, ut ſpes, metus,

metus, præmium, perſonarum acceptio, aut aliquis humanus affectus nullum locum habeant. Caveat Examinator alteri collegæ examinandum commendare; ſique aliquem inſtruat, examini poſtea non interſit: non incipiatur examen, niſi coram Epiſcopo, vel ejus Vicario generali, & niſi præſentibus ſaltem tribus Examinatoribus, cum pro beneficio curato habetur, vel de promovendo ad majores ordines. Nullus Examinatorum ad examen cujuſvis accedat, aut jus ſuffragii habeat, niſi vocatus ab Epiſcopo, vel Vicario Generali. In examine videatur, num examinandus aliquem habeat corporis, aut animi defectum, qui inhabilem eum reddat; beneque advertatur, ne alius pro alio examinetur, quod aliquando factum eſt. Inter examen colloquia, vel confabulationes, aut mutuæ quæſtiones, quæ ad rem non faciunt, inter eos evitentur; ſed reſponſionibus examinati attendant, hilarique facie illi animum faciant; ſique in reſpondendo, aut in legendo, vel pronunciando in aliquo examinatus eos offenderit, poſt peractum examen de eo illum paterne admoneant, doceantve.

Nullus examinatorum ad examẽ accedat, niſi ab Epiſcopo ſit vocatus.

Colloquia, confabulationes, mutuaſque quæſtiones Examinatoribus vitare inculcatur.

Tandem ſic eorum miniſterium adimpleant, ut diſpenſatores decet multiformis gratiæ Dei; atque ita, & peccatis alienis non communicabunt, & debitam a juſto remuneratore mercedem conſequentur. Peracto examine, per Secretarium Congregationis examinatus ſtatim ſcribatur in libro ad id deputato, qui approbatus fuerit, quique reprobatus, fiatque mentio de modo vacationis beneficii, de affixione edicti concurſus, ſi propoſitum fuerit, & proponi opus fuit, manibuſque Examinatorum præſentium ſpecialiter vocatorum ſubſcribatur. Cum vero pro Ordinibus examen habetur, etiam in libro de edicto propoſito mentio fiat, & approbatis ſubſcribant Examinatores. Hi in Diœceſana Synodo coram Epiſcopo eorum munus, ut decet, ſe fideliter effecturos, ſuper ſancta Dei Evangelia jurent.

TITULUS XLVIII.

De Teſtibus Synodalibus.

CAP. UN.

Teſtium Synodalium qualitas. Ipſorum juramenti formula traditur. Eos Epiſcopus inſtruat.

EX Conſtitutione Lateran. Conc. ſub Innoc. II. in teſtes Synodales eligendi ſunt, qui ætate, moribus, prudentia, ac Chriſtianis virtutibus ceteris præſtant, quos jurare præcipiant Epiſcopi hac forma: *Ego N. teſtis Synodalis ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo nominatus, & a Synodo electus, & approbatus, promitto, & juro per hæc Sancta Dei Evangelia, quod quidquid novi, aut audivi, aut in futurum audiam, quod contra Dei voluntatem, & rectam Chriſtianitatem, quodque ad miniſterium prædicti Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi pro ejus officii ratione pertinere mihi viſum fuerit, ei revelaturum, nec metu, præmio, aut vinculo conſanguinitatis, odio, amore, pœna, aut quavis alia cauſſa me defecturum ab hujuſmodi revelatione.* His inſtitutionem præbeant Epiſcopi, juxta quam impoſitum onus exequi debeant.

In Synodales teſtes, qui ætate moribus, & prudentia, ceteris præſtant, eligendi ſunt.

TITULUS XLIX.

De Vicariis foraneis.

CAP. UN.

Per Diœceſim Vicarii foranei inſtituantur. Quod ſit eorum munus deſcribitur.

IN Oppidis inſignibus Diœceſis, vel ubi Epiſcopus neceſſe judicarit, deligat Vicarios foraneos ad ejus beneplacitum, qui de vita, & moribus Presbyterorum, & quales in officio Paſtorali ſe gerant, quærant diligenter: inveſtigent ad Epiſcopum delaturi, num in Eccleſiis debitus cultus adhibeatur; num ordinationes in viſitatione factas re ipſa beneficiati præſtiterint; an Parochi habeant libros, quos habere debent; & denique, num totus Clerus, ut Clericos decet, vivat.

TITULUS L.

De Proceſſionibus.

CAP. UN.

Proceſſionum ducendarum devotio, ordo, methodus traditur. Muſica inſtrumenta in eis adhibere non licet. Orationes in ſupplicationibus, & Miſſæ, ſive in Civitate, ſive in Diœceſi a quo recitandæ, vel celebrandæ? Obligati præſentes, peractis precibus diſcedant; abſentes mulctentur. Eſculenta poſt proceſſiones ne vendantur. Epiſcopi per paſtorales litteras populum inſtruant de proceſſionum utilitate, & cauſſa: in feneſtris earum tempore non ſtetur. Profanæ picturæ, & inanes repræſentationes eliminantur. Noctu ne fiant.

USus proceſſionum, ut eſt antiquiſſimus, ita eſt ſanctiſſimus, plenus myſteriis, ideo omni pietatis ſtudio exercendus eſt. Epiſcopi igitur pro muneris officio incumbent diligentiſſime, ut nihil in proceſſionibus ſit præproperum, nihilque præpoſterum, aut indecorum, ſed omnia Chriſtiana pietate fiant. Clerici, ſive ſæculares, ſive regulares, qui ad proceſſiones

Proceſſionum uſus antiquiſſimus.

In Proceſſionibus Laicos inter Clericos interjici inhibetur.

nes accedunt, adſint religioſo ſilentio, & decenti ſpatio diſtantes inter ſe procedant. In proceſſionibus nullo pacto laici, quicumque illi ſint, inter Clericos interjecti incedant, ſed eorum locus poſt Clerum, pro cujuſcumque dignitate erit.

Deligant Epiſcopi Eccleſiaſticos aliquos homines, qui præcedentes Clerum ad ſupplicationes dirigant, atque, cum res poſtulat, ſubſiſtere faciant; tum etiam, ut moneant reliquum populum in ordine conſiſtere. Pulſentur ſolemniter campanæ ab initio proceſſionum, quoad univerſus Clerus ab Eccleſia ad ſtatas proceſſiones prodierit: idemque fiat, cum a proceſſione reditur ad Eccleſiam. In proceſſionibus Cruces, ſacras Imagines, vexilla Eccleſiaſtica, Clerici ſuperpelliceo induti, vel, ſi regularium ſint, ſaltem eorum Ordinis habitu amicti, decenter præferant, inter duos alios Clericos candelabra ferentes accenſa.

Clerici ſuperpelliceo induti, Regulares cum eorum Religionis habitu debent incedere.

Non tamen propterea prohibitum eſt Confratribus eorum inſignia, & Cruces, habitu diſciplinatorum veſtitis geſtare.

Inſtrumenta muſica cujuſvis generis in proceſſionibus vetita ſunt. Orationes in ſupplicationibus in Civitate fiant ab aliquo Canonico Capituli; in Diœceſi a Clero primario Eccleſiæ, non autem a Beneficiato illius Eccleſiæ, ad quam ſupplicandi cauſſa proceditur; cumque Miſſa ibi celebranda eſt, a Rectore illius Eccleſiæ celebretur, reliquo Clero, qui ibi convenit, ei ad cantandum aſſiſtente, niſi aliter Epiſcopus diſpoſuerit. Cum proceſſiones, ſupplicationes, aut litaniæ aguntur, nullus eorum, qui convenerunt ex debito, niſi peractis de more ſacrarum precum officiis, abſolutaque proceſſione, inde diſcedat. Qui vero, vel non convenerint ad proceſſiones, & convenire debeant, quive infecta re diſceſſerint, arbitrio Epiſcopi mulctentur.

Orationes in ſupplicationibus a Canonico Capituli in Civitate, vel a principaliori Clero extra Civitatem dicendæ ſunt.

Abuſus deferendi eſculenta, & poculenta poſt proceſſiones, aut ea vendendi procedentibus in proceſſione, edendi ibi, vel bibendi cauſſa, tollantur omnino. Epiſcopi per paſtorales litteras moneant Parochos, ut inſtruant ſuum quiſque populum de utilitate proceſſionum, cauſſamque illos doceant, quamobrem inſtitutæ ſint; myſteria item patefaciant, quæ externo apparatu ſupplicationis ſignificantur. Nullus tempore proceſſionum, neque maſculus, neque femina inſideat feneſtris, ſed, aut proſequatur, aut ſaltem in atrio, aut intus genuflexus oret.

Picturæ, aulæaque profanum aliquod præſeferentia, qua proceſſio eat, omittantur: item recitationes inanium, aut repræſentationes jocoſæ. Proceſſiones in nocte ne fiant.

TITULUS LI.

De Proceſſione SS. Corporis Chriſti.

CAP. I.

Niſi Epiſcopus adſit, ſecundus poſt Epiſcopum ex Capitulo Euchariſtiam deferet in feſto Corporis Chriſti. Idem in Diœceſi ſervandum abſente Abbate, vel Archipreſbytero. Reliquiæ nullæ in proceſſione deferendæ. Intorticia manu, aperto capite, deferantur. Indulgentiæ a Summis Pontificibus conceſſæ, ut hic, a Parochis populo evulgentur: injuncta tamen opera ſunt perſolvenda.

In feſto Corporis Chriſti abſente Epiſcopo ſecundus poſt ipſum de Canonicis functiones faciet.

SI die feſto Corporis Chriſti, cum ſolemni ſupplicatione Sanctiſſima Euchariſtia circumfertur, adfuerit Epiſcopus, is eo munere fungatur; eo abſente id muneris exequatur ſecundus poſt ipſum ex Capitulo, quod etiam obſervetur in Diœceſi abſente Abbate, vel Archipreſbytero. Cum Sanctiſsimum Corpus defertur, nullæ reliquiæ, ſed illud ſolum, ut veteris Sanctæ Matris Eccleſiæ conſuetudinis eſt, religioſo apparatu circumferatur.

Canonici, & reliqui ex Clero aſſociantes Sanctiſsimum Corpus, intorticium accenſum capite aperto in manibus ferant; quod facere etiam reliquum populum hortamur. Atque, ut religioſius hujus Provinciæ fideles tantæ ſolemnitati inſiſtant, præmoneantur a Parochis de indulgentiis ab Urbano IV. Clemente V. Martino V. & Eugenio IV. Summis Pontificibus conceſsis vacantibus huic ſolemnitati, & de operibus pietatis ab eis præſtandis. Quod jejunantibus pridie ſolemnitatis conceduntur centum anni indulgentiæ. Præſentibus in primis Veſperis totidem. Qui aderunt in Matutino totidem. Qui in ſecundis Veſperis totidem. Qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorii officiis, quadraginta annorum pro ſingulis horis. Quibus intra octavam Miſſæ ſolemni, aut Matutino, vel Veſpertino officio aderunt, datur indulgentia centum annorum.

Hi tamen debent in ſolemnitate hac, vel intra octavam, & peccata confiteri, & ſacram Communionem ſumere, & eleemoſynam, pro facultatibus, pauperibus erogare, & orationibus, pietatiſque Chriſtianæ exercitationibus vacare.

CAP. II.

Epiſcopus in Diœceſana Synodo, pro ſua prudentia conſtitutionem edat de umbellæ baculis a Clericis deferendis, ad evitandas contentiones.

SI quando in proceſſione Sanctiſsimi Corporis Chriſti ambitioſorum hominum

minum devotionis ſpeciem præſeferentium ſuper delatione baculorum umbellæ altercatio oriretur; Epiſcopi in Diœceſanis Synodis pro eorum prudentia, ad tollendas diſſidii cauſſas, & evitanda ſcandala, ut per Clericos deferantur, provideant.

TITULUS LII.

De Indulgentiis.

CAP. UN.

Epiſcopi in Diœceſi Indulgentias recognoſcant. Inhibenda Parochis, & Concionatoribus earum publicatio abſque facultate legitima; ſi qui privilegii prætextu contrafecerint, excommunicentur: Indulgentiæ, manus porrigentibus conceſſæ, ſunt irritæ: ſtationis dies campanarum ſonitu, & tabellis publice affixis indicetur: Indulgentiarum exemplar in Archivo ſervari debet.

Cum priſcus fidelium devotionis ardor obtepuerit, pretioſiſſimus indulgentiarum theſaurus maxima eſt circumſpectione tractandus. Quare Epiſcopi quam primum, in ſua quiſque Diœceſi, diligenter recognoſcant indulgentias, quæ ibi erunt, an veræ ſint, & approbatæ.

Inhibeant Parochis, aut Concionatoribus, ut indulgentias non promulgent ſine facultate ipſorum, aut Vicarii Generalis manu ſubſcripta; qui contra fecerint prætextu cujuſvis privilegii, excommunicentur. Indulgentiæ porrigentibus manus conceſſæ, ex Pii V. Conſtitutione prorſus lacerentur; doceanturque fideles per Concionatores ad indulgentias conſequendas, eleemoſynas non eſſe neceſſario largiendas; ſi tamen ſponte dantur, non recuſentur. Cum venerit celebritas indulgentiarum in aliqua Eccleſia, id & tabellis publice affixis, & campanarum ſono pridie ejus ſtationis omnibus ſignificetur, illarumque exemplar in Archivo Epiſcopali conſervetur.

TITVLVS LIII.

De exequiis defunctorum, & funeribus.

CAP. UN.

Pro defunctis Provincialibus Epiſcopis, & pro eligendis preces decernuntur. De funerum mercede ſanctiones, eorumque difficultatibus. Cadavera neque noctu, neque abſente Parocho, neque per viarum circuitus efferantur. Sacerdotes quomodo ſepeliendi. Pro Anniverſario paciſci non licet. Parochi pia exigant legata, ſi ad eos pertinebit. Sepulcra in altum conſtruere prohibetur, inſcriptioneſque apponere ab Epiſcopo prius non approbatas. Crucis ſignum humi ne ſculpatur.

Apoſtolici conſilii eſt, alterum alterius onera portare; & natura inſitum eſt, hominem, id quod ſibi vult fieri, alteri facere: quapropter ſtatuimus, ut mortuo Comprovinciali Epiſcopo, ut primum mors audita eſt, in omnibus Cathedralibus Provinciæ Eccleſiis, prima die non impedita, officium pro mortuo Epiſcopo ſolemne cum Miſſa celebretur, convocato totius illius Eccleſiæ Clero; & ut idem fiat in Monaſteriis regularium illius Civitatis, & Diœceſis maxime optamus, & pro Chriſtiana charitate religioſorum Superiores hortamur; cumque mortuo debita perſoluta ſunt, ut præmiſſum eſt, ſequenti, vel alio commodiori proximo die Miſſa de Spiritu Sancto in omnibus Provinciæ Eccleſiis celebretur, preceſque ad Dominum effundantur, ut de Paſtore bono viduatæ Eccleſiæ provideatur; atque in hanc piam operam incumbet totius Clerus Provinciæ, ac etiam regulares, tam viri, quam mulieres. Poſtridie commemorationis omnium Defunctorum, pro Epiſcopis ejuſdem Eccleſiæ defunctis, Epiſcopi cum Clero divina perſolvant officia; idem ſequenti die Canonici pro Canonicis, & aliis Clericis exequantur.

Pro ſepeliendis corporibus mortuorum, quod pro mercede laudabilis conſuetudo introduxit ſolvendum, id ut ſolvatur, Epiſcopus curabit: pauperum corpora a Parochis gratis ſepeliantur; quod ſi qui ſolvendo ſunt, impii, & impie in mortuos hæredes nihil ſolvere intendant, Epiſcopus eos, vel per pignorum dationem, aut per idoneam cautionem, abſque ſcandalo, & lite, jura ſepulturæ ad ſolvendum coget. *Pro ſepeliendis corporibus illa merces ſumēda, quam regionis conſuetudo ſtatuit.*

Difficultates in exequiarum celebratione occurrentes Epiſcopus, vel ejus Vicarius, per Diœceſim Archipresbyteri ſolvant, abſque præjudicio meliora jura habentium. Defunctorum cadavera de nocte non efferantur ad Eccleſiam ſine licentia Epiſcopi, neque dum Miſſa major celebratur. *Exequiarum difficultates Epiſcopus vel Vicarius, vel Archipresbyter ſolvere debent.*

In efferendis cadaveribus, (quæ nullo modo efferantur a propriis domibus, niſi præſente Parocho, vel alio ejus nomine) longi viarum circuitus evitentur, & cum extra habitata exire contigerit, quia longe diſtat Eccleſia, per vias publicas eatur, ne præjudicium aliqui ſibi fieri putent, qui falſo credunt, qua funus prodit, publicam omnibus viam fieri. Occiſorum corpora nullo pacto a curia ſæculari in Eccleſia inſpiciantur, ſed ſi neceſſe ſit, extra Eccleſias inſpici poſſunt.

Sacerdotes mortui cum paramentis ſacerdotalibus efferantur, calice, & patena *Sacerdotes, cum calice, & patena ſepeliri hic ſtatuitur, quod in 14 Concilio tit. 28. cap. 18. prohibetur ex noviſſimo Rituali Romano.*

tena ſuper pectus poſitis, atque cum alba ſepeliantur. Pro mortuorum anniverſario paciſci, ut tantum ſolvatur, non licet; parochialia tamen jura, & quæ recipi debent, altari inſervientes petere poſſint; tamen pia legata Parochi, ſi ad eos ſpectabit, exigant, ut piæ legantium voluntates exequutioni demandentur.

Sepulcra quorumvis mortuorum excelſo loco in Eccleſiis non collocentur in poſterum, ſi vero aliqua ita ſint, æquentur humo. Epitaphia in ſepulcris, quæ quandoque indecentia, quandoque indiſcreta ſunt, niſi præmonſtrata Epiſcopo, vel ejus Vicario, nec ſcribantur, nec ſculpantur. Crucis ſignum nullo pacto in terra, aut ſculpatur, aut pingatur, ne, ut in ſexta Conſtantinopolitana Synodo cautum eſt, nobile victoriæ trophæum conculcetur.

Epitaphia in ſepulcris ne ſcribantur, niſi prius ab Epiſcopo legantur.

TITULUS LIV.

De Viſitatore, & Viſitatione.

CAP. UN.

In viſitatione Epiſcopi negligentes ne ſint; per menſem ante indicetur. Viſitandi ordo præſcribitur. Viſitatoris munus, ejuſque ad rite viſitandum inſtructiones.

VIſitatio cuſtodit animas; ideo Epiſcopi ad Trid. Conc. præſcriptum, in eo munere negligentes non ſint, atque juxta hanc viſitandi normam, vel aliam pro eorum prudentia, & locorum opportunitate, viſitationis munus exequi potuerint; idque ſaltem per menſem ante publice edicant omnibus.

Ut prius Civitas, deinde Diœceſis viſitetur; & in Civitate prius Cathedralis, deinde Collegiatæ, poſtremo Parochiales Eccleſiæ, quo evocabuntur Parochi, aliique Sacerdotes, & Clerici illius Parochiæ, denique Monaſteria Monialium, & Seminarium, Sodalitates, Hoſpitalia, & alia pia loca.

Non deſiſtat Viſitator a verbi Dei prædicatione, & populorum exhortatione ad religionem, innocentiam vitæ, & pacem cordis: ſi vero private id agat, quia ita res petit, docendo, arguendo, aut obſecrando pro perſonæ, & temporis ratione privatim etiam in hoc pietatis opus incumbat.

Sacramentum Confirmationis, ubi neceſſe erit, adminiſtrabit: detentos alicujus peccati vinculo, cujus abſolutio Epiſcopalis ſit, ad eum humiliter accedentes benigne abſolvat, vel alteri abſolvendos remittat.

In ſingulis locis a teſtibus Synodalibus, & aliis probitate commendatis viris de vita, & honeſtate Clericorum, & quantum ad eum pertinet, etiam laicorum ſubtiliter inquiret.

Diligenter inſpiciat, an in Eccleſia divinus cultus perſolvatur, ut decet. Si quid vero reparatione indigere cognoverit, id fieri mandet; aſſignato, prout ei videbitur, aliquo temporis ſpatio.

Videant, an deſint miniſterio altaris neceſſaria, ut libri, veſtes, calices, patena, corporalia, & alia, & an illa munda teneantur, & purgata. An Sanctorum reliquiæ ornato, & tuto loco (ut decet) cuſtodiantur. An mandata præteritæ Viſitationis re ipſa exequuti ſint. An Miſſæ, & alia divina officia rite (ut decet) celebrentur.

An Eccleſiæ ſcripturæ, ut inſtrumenta, bene conſerventur.

An habeant inventarium bonorum Eccleſiaſticorum, decimo quoque anno renovandum.

Inquirenda de Dignitatibus, Canonicis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis.

AN rite ordines ſuſceperint.

An habeant ordinem ſuo muneri neceſſarium.

An beneficia, ſeu Eccleſiaſtica officia recte obtineant.

An ſint intruſi in aliquo beneficio.

An in ſuis Eccleſiis reſideant.

An vacent celebrationi divinorum officiorum, & Sacramentorum adminiſtrationi.

An perſolvant anniverſaria, aliaque pietatis opera.

Quæ ſit eorum vitæ ratio, quos libros domi habeant, qui veſtitus, quæ converſatio, & qualis familia eorum ſit.

An vacent exercitiis ſordidis, & illiberalibus artibus ab eorum gradu prorſus alienis.

An Eccleſiaſtica bona, & jura defendant.

An fructus beneficiorum, ut decet, diſpenſent.

An pacifice inter ſe vivant.

An ſint medii, ut inter alios ſit pax, ut odiorum cauſſæ tollantur.

An populus ea, qua decet, reverentia, & frequentia ſit in Eccleſia, & attente Miſſæ, & aliis divinis officiis vacet.

Inquirenda de Parochis.

AN Sacramenta adminiſtrent, ut decet, cum diligentia, & abſque avaritia.

An Sanctiſs. Euchariſtia, & Chriſma, & reliqua ſacra olea loco decenti, mundo, & tuto aſſerventur, & congruo tempore mutentur.

An Sanctiſs. Euchariſtia ad ægrotos deferatur debita pietate, & honore, & fidelium comitatu.

An matrimonia, prout Trid. Conc. præſcribit, in facie Eccleſiæ coram Parocho, & teſtibus, præcedentibus denunciationibus

tionibus contrahantur.

An Dominicis ſaltem, & feſtis diebus Populo prædicent, & pueros in primis in Fidei rudimentis inſtruant.

An habeant libros ex Synodi Provincialis præſcripto.

Inquirenda de Populo.

INquirat Viſitator, num ſint in Populo, qui hæreſis ſuſpecti ſint, malefici, vel excommunicati, vel alii publici peccatores homines.

An ſint, qui in Paſchate non confeſſi ſint, aut non communicaverint, quique jejunia ex Eccleſiæ præcepto, & ritu non ſervent.

An ſint, qui legata pia exequi contemnant in detrimentum, tam propriarum, quam legantium animarum.

An patresfamilias, qua decet, diligentia, & pietate filios in Chriſtianis virtutibus educari curent.

Inquirenda de Hoſpitalibus, & aliis piis locis.

AN locorum piorum bona recte adminiſtrentur, & an in alium uſum, quam in eum, cui addicta ſunt, convertantur; quod fieri omnino prohibeatur.

Ad adminiſtratores ſingulis annis mutentur, & reddant rationem adminiſtrationis ſucceſſoribus.

An infirmi ea, qua decet, charitate, & a Medicis viſitentur, & ab hoſpitalis miniſtris eorum curæ vacetur, chriſtianeque ibi vivatur.

Inquirenda de Prædicatoribus, & Confeſſoribus regularibus.

AN Prædicatores, vel Confeſſores ex regularibus Superiorum ſuorum, & Epiſcoporum licentia id muneris exequantur.

An doctrina ſana ſit, & an doctrinam vitæ integritas conſequatur.

Inquirenda de Scholis, & Bibliothecis.

AN legantur libri obſceni, & corrumpentes bonos mores, vel prohibiti.

An Magiſtri ſuum munus diligenter expleant.

An Fidei profeſſionem coram Epiſcopo, vel ejus Vicario emiſerint.

An in Bibliothecis ſint libri prohibiti, vel hæretici, aut aliquo modo ſuſpecti.

Si quid vero contra prædictos repererit, quod tollendum, ſeu corrigendum duxerit, exequatur pro ſua pia diſcretione, quod Dei ſervitio, & animarum ſaluti convenire judicarit. Neque ſolum hæc, ſed quæcumque alia, quæ a Trid. Synodo Viſitatoribus imponuntur.

Vitanda in Viſitatione a Viſitatoribus.

NE legem de victu, procuratione, & muneribus a Trid. Conc. præſinitam deſerant.

Ne comitatus Epiſcopi ſit major, quam duodecim hominum, & jumentorum octo.

Alterius vero inferioris, ſex hominum, & quatuor jumentorum. Si plures duxerint, ſumptibus eorum alantur. In menſa plura, quam duo fercula afferri prohibeant.

Denique in omnibus monſtret Viſitator, ſe viſitandorum animas, & non bona quærere, præſterque, quantum in eo eſt, ut viſitatione abuſus tollantur, recte vivendi norma introducatur, caſtigentur errantes, & releventur afflicti, &, quod præcipuum eſt, ſeipſum prius viſitet, nec quod in aliis increpat, in ſeipſo patiatur.

TITULUS LV.

De Pœnis.

CAP. UN.

Harum Conſtitutionum tranſgreſſoribus Tridentini pœnæ indicuntur, aliis non derogatis: Pecuniariæ mulctæ locis, operibuſq; piis erogentur, & penes Depoſitarium interea reponantur. Mulctæ ne remittantur; ſi ex neceſſitate fiat, in aliam ſalutarem pœnam vertantur.

CUm eo creverit hominum malitia, ut potius pœnarum timore, quam amore virtutum bonum amplectantur; ſtatuimus, tranſgreſſores horũ ſtatutorum eas omnes pœnas, quas & Sacri Canones, & Conc. Trid. conſtituerunt, nihil derogando pœnis ſpecialibus a Nobis impoſitis, eo ipſo ſubituros eſſe.

Quotieſcumque pecuniaria pœna exigenda erit, eam ſibi Epiſcopus non appropriet, ſed aliquibus piis locis, aut operibus attribuat; interim penes Depoſitarium in Synodo Diœceſana electum deponatur. Pecuniarias pœnas ſibi appropriare Epiſcopis non licet.

Mulctandis, ſi ſunt ſolvendo, pœnam non remittant Epiſcopi, niſi ex urgenti cauſſa, eorum conſcientiæ periculo; ſin inopes ſint, pecuniaria pœna in aliam ſalubrem commutetur, ejus tamen generis, ut peccatorum vulnera remediis contrariis ſanentur.

TITULUS LVI.

De interpretatione Conſtitutionum Synodalium.

CAP. UN.

Conſtitutionum interpretatio Metropolitano ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus reſervat.

SI quid difficultatis circa ea omnia, quæ his Synodalibus decretis continentur, obortum fuerit, interpretationem, & explicationem Nobis, & pro tempore exiſtenti Beneventanæ Eccleſiæ Metropolitano reſervamus, ſalva ſemper Apoſtolicæ Sedis auctoritate.

TITULUS LVII.

De Conſtitutionibus Synodalibus.

CAP. I.

Decreta Synodalia Provincialia Cardinalis Archiepiſcopi Sabelli confirmantur. Præſentes Conſtitutiones poſt tres menſes a publicatione omnes arctent.

OMnia, & ſingula decreta Provincialia Synodi Beneventanæ ſub bon. mem. Jacobo Cardinali Sabello Archiepiſcopo Beneventano celebratæ, quatenus Conc. Trid. & præſentis Synodi decretis, & Sacris Canon. contraria non ſint, in ſuo robore, & obſervantia remanere decernimus. Edicimuſque cunctis, decreta hæc poſt tres menſes ab eorum in valvis Cathedralium affixione, ad ea obſervanda omnes noſtræ Provinciæ ſub pœnis ibi contentis arctare, ac neminem ignorantiæ cauſſam afferre poſſe.

Submiſſio omnium Sanctæ Sedi Apoſtolicæ.

OMnia, & ſingula in hac Sacra Synodo decreta, atque acta, qua decet obedientia, & reverentia, correctioni, & judicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum Matris, ac Magiſtræ emendanda ſemper, ac corrigenda ſubjicimus.

Laus Deo, ejusque Beatissimæ Genitrici.

Subſcriptio Reverendiſſimorum Epiſcoporum.

Maximilianus Archiep. Beneventanus.

Alphonſus Pardus Epiſcopus Trivicanus.

H. Epiſcopus Larineñ ſubſcripſi, ſalvo ſemper aſſenſu Apoſtolicæ Sedis.

Silveſter Brancondius Epiſcopus Montis Marani.

Ego Eugenius Epiſcopus Theleſinus ſubſcripſi, ſalva, & reſervata ſemper in omnibus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate.

Frater Modeſtus Epiſcopus Aliphanus.

Ego Thomas Vanninus Epiſcopus Avellinenſis, & Frequeñ ſubſcripſi.

Acclamationes Synodi.

DEo Patri miſericordiarum, & Deo totius conſolationis, & gratiæ.

℟. Immenſa eſt miſericordia tua Domine ſuper nos, qui in hac Synodo Provinciali nobis aſſiſtere dignatus es: tibi laus, & honor, tibi gloria in æternum.

Beatiſſimo Clementi Papæ, & Domino noſtro Eccleſiæ Catholicæ Pontifici Opt. Max. cunctarum gentium obedientia, & Chriſtianæ Fidei per totum orbem propagatio.

℟. Benigniſſime Deus, & clementiſſime, Sanctiſſimum Clementem larga tua gratia cuſtodi, ut eo Pontifice, ſicut multa difficilia facilem, & felicem habuerunt exitum, ſic etiam omnes gentes vero lumine perfuſæ in unum Sanctæ Eccleſiæ ovile uniantur.

Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, omnibuſque aliis animarum Paſtoribus ſuper gregem ſalutaris vigilantia.

℟. Deus gratiarum largitor, infunde ſuper ſervos tuos tui Spiritus abundantiam, ut gregem eis commiſſum ad æterna tabernacula ducere valeant.

Regi Catholico, omnibuſque Chriſtianæ Reip. Regibus, & Principibus perpetua felicitas.

℟. Cæleſtis Imperator, da tui nominis in terris defenſoribus de cunctis hoſtibus perpetuam victoriam.

Omnibus noſtræ Provinciæ fidelibus, & cuncto Populo Chriſtiano pax mentis, & corporis.

℟. Domine Deus in beneplacito Populi tui dirige oculos miſericordiæ tuæ, & confirma in virtute greſſus ejus, atque tuæ benignitatis perpetuum illi rorem infunde.

Reverendiſſimis hujus Provinciæ Epiſcopis ad Eccleſias ſuas reditus cum ſpirituali fructu uberrimo.

℟. Fac Domine, ut quod verbis promiſimus, opere compleamus.

Domine nos operarii in meſſem tuam miſſi miniſterium noſtrum adimplentes digni reddamur æterna mercede, intercedente Beata ſemper Virgine Maria, & Beato Apoſtolo Bartholomæo.

℟. Amen. Amen. Amen.

APPENDIX
AD SYNODUM PALUMBARIAM

DECRETA

A Reverendiſſimo Domino Petro (a) Lunello, Epiſcopo Cajetano, Apoſt. Viſitatore Urbis, ac Diœceſis noſtræ confecta:

Et ad Archiepiſcopum de Palumbaria directa, in ſuperiori Provinciali Concilio publicata.

Admodum Illuſtr., & Reverendiſs. Domino mihi in Chriſto obſervandiſſimo.

Mittimus ſummam eorum, quæ in Eccleſiis, Monaſteriis, & locis piis iſtius ſuæ Civitatis, & Diœceſis agenda, vitanda, & ſtatuenda decrevimus, cenſuimus, & opinati ſumus, in viſitatione per nos de mandato Sanctiſs. Domini Noſtri facta. Placeat Veſtræ Reverendiſs. Domin. effectui eadem mandare.

§. I. *Decreta generalia.*

De SS.Euchariſtia.

1 Præterea, ut in Eccleſiis, in quibus ſolitum eſt conſervari venerabile Euchariſtiæ Sacramentum id fiat in pixide argentea foderata, corporali, & velo decenti cooperta, in Tabernaculo decenti, in decentiori loco poſito, foderato de ſerico, & ſuppoſito corporali, cum una ſaltem lampade perpetuo accenſa, in quo Tabernaculo nihil præter Euchariſtiam reponatur.

2 Et ubi Tabernaculum eſt extractum, ſuperponatur Umbella ſaltem linea.

3 Et ut tractetur cum ea, qua decet reverentia, placeat inhibere omnibus, ne ad illud contractandum accedant, niſi præmiſſa confeſſione generali, & luminaribus accenſis, & præparato Thuribulo cum thure, ubi ſuppetunt facultates, & repentini caſus preſſura non impedit.

4 Et ne deferatur extra Eccleſiam ſine luminaribus, thure, & umbella, ſeu pallio, & ad infirmos in calice, vel pixide decenti.

5 Et in locis glacialibus, & abruptis deferatur in Burſa ſerica decenti, collo appenſa.

6 Et poſt communionem inhibere ſæcularibus refectionem in calice præſtari.

7 Et providere, ut frequenter renovetur, ut cautum eſt in ſuis Synodalibus conſtitutionibus, & corporale mutetur.

8 Ubi ex conſtitutionibus non eſt erecta ſocietas hujus SS.Sacramenti, curare erigi, & erectas conſervari, & augeri.

9 Et ubi in Cœna Domini fit ſepulcrum, ut conformiter ad veritatem Evangelii corpus Domini vere claudatur, & ſignetur in ſepulcro ſaltem ligneo, decenti, & competenter ornato.

De Baptiſterio.

10 Et fontem Baptiſmalem fieri lapideum, & Operimentum, ubi non ex lapide, lamina ſtamnea foderari, ut nitidus conſervetur.

11 Et in reliquis ſuas Synodales conſtitutiones præcipiat obſervari.

12 Cavere, ne ad ſuſcipiendum ex fonte plures, quam a Trid.Concilio permittitur, admittantur.

De Oleis Sanctis.

13 Vaſa pro Chriſmate, & oleo Cathecumenorum conjuncta, & pro oleo infirmorum ſeparata, argentea, aut ſtamnea decentia fieri.

14 Et Burſam ſericam, in qua vaſculum extremæ unctionis conſervetur, & deferatur, ut nitide, & cum ea, qua decet reverentia, in loco decenti ſervetur.

15 Et hæc Sacram. V. R. D. ſingulis annis juxta ritum S.R.E., ſi non fuerit legitime impeditus, in ſua Metropolitana Eccleſia conficiat, jubeatque vetuſta comburi.

De libris parochialibus.

16 Confici libros, in quibus deſcribantur in ſingulis parochiis baptizati, contrahentes matrimonia, juxta normam ſuarum Synodalium conſtitutionum, & addi alium, in quo deſcribantur confirmati, cum nominibus parentum, & patrinorum, ut cognationis ſpiritualis inde exortæ certitudo haberi valeat, quorum librorum copiæ ad Archivum V.R.D. conſervan. ſingulis annis tranſmittantur.

De Communione Paſchali.

17 Curet etiam, ut ſinguli parochi ſingu-

(a) *Petrus Lunellus de Barbaſtro, Aragoniæ Urbe, Epiſcopus Cajetanus, ſub Pio V. Pont. Max. Piceni, ſub Gregorio XIII. anno 1591. noſtræ Civitatis, & Diœceſis Viſitator, ſub Sixto V. almæ Urbis Reformator fuit. Vixit Cajetanus Pont. An. XXIX. obiit An. Dom. MDLXXXVIII. die VII. Maii, humatus in Vaticana in Sacello D. Thomæ Sacro.*

ſingulis annis univerſos ſuæ curæ commiſſos, doli capaces, prout hactenus obſervatum eſt, deſcribant, & in Paſchate Euchariſtiæ Sacramentum nonniſi ſibi, aut alicui ex confeſſoribus approbatis confeſſis adminiſtrent, de qua confeſſione fidem ſcriptam ferant.

Parochus certus eſt deputandus, & Parœciæ in regiones dividendæ.

18 Et ubi non eſt certus Parochus, certus deputetur juxta decreta Concilii.

19 Et ubi promiſcuæ ſunt Parochiæ, ut per regiones dividantur juxta eadem decreta.

Pœnitentiæ Sacramentum a quibus eſt adminiſtrandum?

20 Et inhibeat, ne quis pœnitentiæ Sacramentum, niſi a ſe approbatus, adminiſtret, extra caſum neceſſitatis.

Confitentium nomina apud ſe Confeſſores retineant.

21 Præcipiat omnibus confeſſoribus, ut nomina omnium confitentium apud ſe retineant, & hanc fidem confeſſis exhibeant, ut multis fraudibus obvietur.

Eorum, qui in Paſchate non communicant, pœna.

22 Et ut ii, qui tempore Paſchatis abfuerint, niſi fidem authenticam afferant, vel parati ſint Eccleſiæ mandatis parere, quouſque in propria parochia Euchariſtiam ſumant, cum aliis, qui non ſumpſerint, vivi ab Eccleſia arceantur, & morientes careant Eccleſiaſtica ſepultura.

Quos libros Parochiales habere debent?

23 Et ut omnes Parochi habeant penes ſe Bullam in Cœna Domini, Catechiſmum, Sacerdotale, & aliquam ſummam, ex qua diſcant Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrare. Et ut iidem libri catenis ferreis ligati pro communi uſu in ſacriſtia Metropolitanæ, & Collegiatarum Eccleſiarum Civitatis, & Diœceſis conſerventur.

Pueri doctrinam Chriſtianā ſunt edocendi.

24 Curet etiam, ut pueri, & rudes doceantur doctrinam chriſtianam, & populi inſtruantur in viam ſalutis juxta normam parochis in viſitatione traditam.

Rudes Parochi inſtruendi ab Archiepiſcopo.

25 Verum, quia multi Parochi his omnibus exhibendis ſunt inſufficientes, curabit eos pro poſſe inſtruere, & docere.

Parochialibus Eccleſiis qui pręficiendi, & quomodo eorum tenuitati conſulendum?

26 Et ut in futurum his malis occurratur, curabit Eccleſiis parochialibus, ſervatis Decr. Concil., Parochos idoneos præficere, tenuioribus, ut facilius inveniantur, unire alias Eccleſias, & beneficia ipſis contigua, aut viciniora, vel eorum tenuitati juxta eadem Decr. conſulere.

Bonorum Eccleſiaſticorum inventaria confici debent, & ubi ſervanda?

27 Curabit etiam non ſolum juxta conſtitutionem Synodalem inventaria bonorum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, Beneficiorum, & locorum piorum confici, & in ſuo Archivo conſervari, verum alienationes, & permutationes bonorum eccleſiaſticorum non ſolum Civitatis, ſed & Diœceſis diligenter examinare, & factas in detrimentum Eccleſiarum, vel ſervatis ſolemnitatibus, fraudolenter tamen, quas inveniet complures, conſcindi.

Clericorum veſtitus.

28 Jubeat etiam Presbyteros, & Clericos Civitatis, & Diœceſis in habitu clericali, ut decet, incedere, & barbas reformare, ne pretioſo Chriſti ſanguine perfundantur.

Caſuum conſcientiæ Congregationes inſtituantur.

29 Curet etiam tam in Civitate Beneventana, quam in aliis locis ſuæ Diœceſis, ubi plures fuerint Sacerdotes, bis ſaltem ſingulis hebdomadibus, ut per horam ſimul conveniant, collaturi de caſibus conſcientiæ juxta formam ſibi traditam, & modum inchoatum in Civitate.

Cum eis, qui in ſtudiis non proficiunt quid agendum?

30 In privatis autem ſtudiis, ut modum ſervent, quo ſunt inſtructi, ac ſæpius moniti: examinentur autem frequenter, ut ſi non profecerint, adhibeat remedia opportuna. Et idem faciat circa ritus, & cæremonias divini cultus.

Clericis ſacræ lectioni, & meditationi vacare præcipitur.

31 Hortetur ſuos Presbyteros, & Clericos frequenter, ut hortati ſumus, ut ſingulis diebus per aliquod ſaltem breve ſpatium ſacræ lectioni, & meditationi incumbant.

Et frequenter ſacris operandum.

32 Et ut frequentius celebrent; quod ut efficacius agat V. R. D. forma gregis factus, juxta Principis Apoſtolorum ſententiam, frequentius ipſe exhibeat.

Viſitatio quotannis peragenda, ac deturpatæ picturæ, aut ſarciendæ, aut tollendæ.

33 Curabit etiam ſingulis annis, aut temporibus a jure ſtatutis juxta Decreta Concil. univerſam Diœceſim viſitare, & ultra alia viſitationis munia, ut figuræ omnes, & picturæ injuria temporum mutilæ, & deturpatæ reſarciantur, aut tollantur.

Cauſſæ celerius expediendæ.

34 Et ut cauſſæ, quam fieri poterit celerius expediantur, ne cuiquam detur occaſio dicendi, ſe propter inordinatam vexationem compulſum fuiſſe ad ſupplicandum, & componendum.

Pecuniarię mulctæ in pia opera erogandæ.

35 Caveat etiam quantum poterit, ne delinquentes pęnis pecuniariis afficiantur, & quando ita expediat, ut in opera pia applicentur, & vere, & publice expendantur.

Ad Archiepiſcopum facilis acceſſus eſſe debet.

36 Et ne quis a ſuis Vicariis, & Officialibus domeſticis, aut foraneis gravetur, facilem ſe in audiendo omnibus præbeat, & omnes, quantum poterit, ut pater, amplectatur, foveat, & conſoletur.

Curiæ Officiales, neque Notariorum ſtipendio, neque mulctarū emolumentis participare debent.

37 Provideat, ne ſtipendio Notariorum participent Officiales Curiæ, neve pęnarum emolumentis.

In Curialium dietis gravamen vitandum.

38 Provideat, ne Clerici graventur in ſolvendis dietis Procuratori fiſcali, & Notariis, tempore, quo vacant pro Curia in inquiſitionibus formandis, & aliis quibuſcumque.

§. II. *In Eccleſia Sanctæ Mariæ Pacis Cappuccinorum.*

Pixis, in qua SS. Euchariſtiæ Sacramentum conſervatur, foderetur de corporali, & eidem Pixidi intra Tabernaculum ſupponatur corporale.

§. III.

§.III. *In Eccleſia Sancti Franciſci Fratrum Conventualium ejuſdem Ordinis.*

Capſula, ubi conſervatur Sacramentum Euchariſtiæ intus de corporali ſine glutino foderetur, & Tabernaculum de ſerico.

Uno ex Altaribus mobilibus vetuſtate ſemicomſumpto, in quo non apparent ſigna conſecrationis, non utatur.

Altaria quædam indecentia, & nuda, decentiora fiant, & ornentur, vel demoliantur.

Rudera, quibus deturpatur Eccleſia, quamprimum auferantur.

Corporale mundetur, aut uſui non ſit.

§. IV. *In Eccleſia Sanctæ Catharinæ Fratrum Ordinis Sancti Benedicti.*

Capſula argentea, in qua reconditur Sanctæ Euchariſtiæ Sacramentum, latior fiat, & de corporali foderetur, & Tabernaculum de ſerico, quod ſuperveletur aliquo decenti velamine.

Calix confractus reficiatur, & alter rugoſus, cum patenis reficiantur, & deaurentur.

Albæ, amictus, corporalia, & purificatoria mundentur.

Eccleſia ruderibus, & pulvere purgetur, & mundetur, & quouſque in nitorem decentem reſtituta fuerit ad inſtar porticus ejuſdem Eccleſiæ, inhibeat rem divinam celebrari.

Provideatur quamprimum de thuribulo, & navicella, ſaltem auricalcheis.

Et pro arbitrio V. R. D. conſideratis facultatibus Monaſterii, paulatim de ornamentis decentibus provideatur.

Demoliantur, & auferantur gradus deturpantes Eccleſiam, per quos Confeſſores aſcendunt, ad locum, in quo veſtes conſervant, & induunt.

§. V. *In Eccleſia Metropolitana Beneventana.*

Pixis argentea, in qua S. E. S. conſervatur, decenti velo cooperiatur, & Tabernaculum, ubi reconditur, aliqua decenti umbella veletur.

Operimento fontis Baptiſmalis a parte inferiori lamina ſtamnea ſupponatur, ne ex ligno aliquæ ſordes defluant.

Vaſa pro SS. Chriſmate, & oleo Cathecumenorum ad uſum baptiſterii conjuncta fiant, ſaltem ex ſtamno puriore, ſi non libet argenteis antiquis uti.

Pro miniſterio Baptiſmatis ſublata ampulla, ſcutula, aut vas aliud vitreum paretur, ad fundendam aquam, & ſumendam ſine contactu.

Parentur ampullæ vitreæ decentes pro conſecran. SS. Chriſmate, & oleis, & cooperiantur velaminibus ſericeis colorum in cœremoniali ſtatutornm.

Ex duabus patenis Theſaurariæ auferantur imagines ex eſmalto appoſitæ.

Fiat burſa ſerica decens pro deſerenda extrema unctione ad infirmos.

Imago Crucifixi ſupra Sacellum ejuſdem SS. Crucifixi muro Eccleſiæ affixa vetuſtate conſumpta, & deformis auferatur, & comburatur, & ejus cineres in ſacrario reponantur.

Rever. Capitulum Metropolitanæ non admittat reſignationes, niſi juxta formam conſtitutionis fel. rec. Pii V.

Et dum pro pertractandis negotiis Capitularibus, & in aula Capitulari conveniunt, antequam pertractet, orationem ad invocandam gratiam Spiritus Sancti, juxta formam ſibi traditam præmittat.

Res Rev. Capituli per publica proclamata ultimo licitatori locentur.

§. VI. *In Eccleſia Sancti Bartholomæi.*

Fiant duæ planetæ albæ decentes cum ſuis ſtolis, & manipulis, duæ rubræ, duæ virides, duæ violaceæ, & duæ nigræ.

Corporale in pixide ſanctiſſimæ Euchariſtiæ duplicetur, & accomodetur eidem pixidi abſque cera, vel alio glutino, & abſque ſciſſura.

Ab una ex patenis auferatur imago, ex eſmalto ſuprapoſita.

§. VII. *In Eccleſia S. Nicolai de Græcis.*

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum conſervan. & ad infirmos deferen.

§. VIII. *In Eccleſia S. Gregorii.*

Fiat idem.

Sublatis Eccleſiis Sanctorum Feſti, & Luciæ, S. Joannis della Commare, Sancti Nicolai de Græcis, Sancti Gregorii, Sanctæ Mariæ de Germinis, & Sanctæ Theclæ, & profanatis juxta Decr. Concil. propter earum indecentiam, & ſuperfluitatem, & ampliata tertia navi, polita, & æquata viæ publicæ: Eccleſiæ S. Potiti eidem aggregetur bona pars Parochianorum, alia vero Eccleſiæ Metropolitanæ, cui adjacent, ſi ita videbitur V.R.D.

Oratorium S. Mariæ del Voto propter ejus indecentiam deleatur, aut profanetur, ſi ita videbitur; ſin minus, claudatur a fronte, unde nunc patet, & quouſque occluſum fuerit, in ea non celebretur.

§.IX. *In Eccleſia S. Mariæ de Caldarariis.*

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

§.X. *In Eccleſia Parochiali S. Martini.*

Fiat idem.

Sublatis propter earum indecentiam, & ſuperfluitatem, & profanatis juxta Decr. Concil. Eccleſiis S. Artellais, S. Mariæ de Caldarariis, S. Petri delli Caruſi, S. Mariæ ad horam, & S. Martini, ſi ita videbitur.

Par-

Parochiani aggregentur Eccleſiæ S. Bartholomæi, cui adjacent.

§. XI. *In Eccleſia S. Spiritus.*

Pixis decentius foderetur de corporali integro, & ſine glutino.

Calix rugoſus poliatur, levis fiat, & deauretur.

Vas ad modum Calicis pro ferenda Euchariſtia ad infirmos decentius fiat, & eodem modo de corporali foderetur, & fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorũ.

§. XII. *In Eccleſia Parochiali S. Mariæ de Caldarariis.*

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

§. XIII. *In Sacello SS. Trinitatis.*

Conſtitutiones Confratrum videantur, & reformentur.

§. XIV. *In Parochiali Eccleſia S. Joannis porta aurea.*

Altare portatile conquaſſatum non ſit uſui.

§. XV. *In Eccleſia S. Angeli porta rectore.*

Altare portatile, in quo non apparet ſignum conſecrationis, non ſit uſui.

§. XVI. *In Eccleſia S. Marci delli Savariani.*

Provideatur de indumentis Sacerdotalibus decentibus.

Tectum reſarciatur.

Feneſtræ reſarciantur etiam, & muniantur, ne perviæ ſint columbis.

Portæ concavitatis exiſtentis ſubtus Tribunam claudantur.

§. XVII. *In Eccleſia S. Caſſiani.*

Si Eccleſia propter impedimentum patronorum, ſi quidem dicitur eſſe de jure patronatus, non delebitur, feneſtræ proſpicientes claudantur.

Puteus ad modum altaris demoliatur.

§. XVIII. *In Eccleſia Parochiali S. Euſtachii.*

Si Eccleſia propter impedimentum patronorum, ſiquidem dicitur eſſe de jure patronatus, non delebitur, oſtium, per quod ingrediuntur ad eam quædam nobiles parochianæ ex domibus ſuis, claudatur.

Profanatio Eccleſiarum. Arbitrati ſumus Eccleſias Parrochiales SS. Joannis portæ aureæ, Angeli de porta rectore, Caſſiani, & Euſtachii, propter earum indecentiam, & inutilitatem profanari, juxta Decret. Concil., ni acceſſerit impedimentum patronorum, ſiquidem Eccleſiæ SS. Caſſiani, & Euſtachii dicuntur eſſe, ut ſupra, & aggregari bonam partem Parochianorum propinquorum Eccleſiæ Collegiatæ Parochiali, & Matrici S. Spiritus, partem Eccleſiæ Parochiali Matrici S. Mariæ Paternulæ, partem vero Eccleſiæ Parochiali S. Marci delli Savariani, ſi ejusdem ſententiæ fuerit V.D. R. cujus arbitrio omnia hæc.

§. XIX. *In Eccleſia Parochiali, & Matrice S. Mariæ porta glorioſa.*

Tabernaculum SS. Euchariſtiæ aliquo decenti velamine cooperiatur.

Fiat operculum ex corporali introcluden. vaſculo, ubi conſervatur SS. Euchariſtia.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Aqua fontis Baptiſmalis renovetur.

Operculum ligneum ſubtus pyramidem lamina ſtamnea foderetur.

§. XX. *In Eccleſia S. Petri de Cappadociis.*

Judicaremus expedire profanari juxta Decret. Concil. ſi ita videbitur V. R. D.

§. XXI. *In Eccleſia S. Jacobi.*

Portæ concavitatis exiſtentis ſubtus Tribunam claudantur.

§. XXII. *In Eccleſia S. Pauli.*

Oſtium principale Eccleſiæ pateat, & pervium ſiat Parochianis, non obſtante conceſſione facta Leonardo Antonio Gatta a R. Antonio Soriceo tunc Rectore.

§. XXIII. *In Eccleſia Parochiali S. Mauri.*

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Altare portatile conquaſſatum auferatur.

Arbitrati ſumus Eccleſias SS. Mariæ delle Scalelle, S. Jacobi de Foris, & Mauri, propter earum indecentiam, & ſuperfluitatem profanari juxta Decret. Concil. & Parochianos præfatarum S. Mariæ delle Scalelle, & S. Jacobi de foris aggregari Eccleſiæ Parochiali, & Matrici S. Mariæ portæ glorioſæ, ea aucta aggregato porticu, & Parochianos S. Mauri Eccleſiæ Parochiali S. Pauli, ſi ita videbitur V. R. D. Profanatio Eccleſiarum.

§. XXIV. *In Eccleſia Parochiali S. Joannis della Fraola.*

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

§. XXV. *In Eccleſia Parochiali S. Stephani delle Monache.*

Fiat ut ſupra.

§. XXVI. *In Eccleſia Parochiali S. Thomæ dell' opera.*

Quædam imago lignea comburatur, & ejus cineres in ſacrario ponantur.

Sublatis, & profanatis juxta Decreta Concil. propter earum indecentiam, & ſuperfluitatem, Eccleſiis Sanctorum Ste-

Stephani delle Monache, & Thomæ dell' opera, earum Parochianos aggregari præfatæ Eccleſiæ Parochiali Sancti Joannis della Fraola, ſi ita videbitur V.R.D.

§. XXVII. *In Eccleſia Parochiali S. Donati.*

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

§. XXVIII. *In Eccleſia Parochiali S. Salvatoris de Anſeribus.*

Quædam Crux cum imagine Crucifixi comburatur, & ejus cineres in ſacrario ponantur.

Profanatio Eccleſiarum. Sublatis, & profanatis juxta Decret. Concil. propter earum in decentiam, & ſuperfluitatem Eccleſiis SS. Salvatoris de Anſeribus, Secundini, Mariæ Rotundæ, & Bartholomæi de terminis, partem Parochianorum aggregari Eccleſiæ Parochiali, & Matrici S.Donati, & partem Sancti Potiti adjacentibus, & ſi videbitur V.R.D. partem etiam S. Jacobi de Maſcambronibus.

§. XXIX. *In Eccleſia Parochiali S. Angeli de porta ſumma.*

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum, & Eccleſia laqueari tabulaceo decenti ornetur.

§. XXX. *In Eccleſia Parochiali S. Januarii.*

Crux tabulacea, & aliæ imagines vetuſtate conſumptæ comburantur, & earum cineres in ſacrario ponantur.

Sublatis, aut profanatis juxta Decret. Concil. propter earum indecentiam, & ſuperfluitatem Eccleſiis SS. Renati, Mariæ de Cortolellis, & Januarii, ſi ita ſenſerit V.R. D., arbitrio cujus remittimus, & quia Eccleſia Sancti Angeli de Porta ſumma eſt ſatis parua, & incapax, aggregetur bona pars Parochianorum Eccleſiis SS. Petri de Traſeris, & Stephani de Neophitis, quibus propinquius adjacent; ſin minus præfatæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de cortolellis, & Januarii reſarciantur.

§. XXXI. *In Eccleſia SS. Simonis, & Judæ.*

Demolita, & profanata juxta Decret. Concil., ejus Parochiani aggregentur Eccleſiæ Parochiali S. Angeli de Porta ſumma ei propinqua, ſi ita videbitur V. R. D. ſin minus ea reſarciatur, & in formam decentem reducatur.

§. XXXII. *In Eccleſia S. Stephani de Neophitis.*

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

§. XXXIII. *In Eccleſia S. Laurentii de Porta ſumma.*

Imago quædam vetuſtate deturpata, & indecens comburatur, & ejus cineres in ſacrario ponantur.

Profanatio Eccleſiarum. Sublatis, aut profanatis juxta Decr. Conc. Eccleſiis Sancti Laurentii de porta ſumma, Sancti Nazarii, Sancti Eraſmi, & Sancti Joannis de conſatoribus propter earum indecentiam, & ſuperfluitatem, earum Parochianos aggregari Eccleſiæ parochiali, & Matrici S. Stephani de Neophitis, ſi ita videbitur V. R. D.

§. XXXIV. *In Eccleſia Sancti Salvatoris de Porta Summa.*

Pixis, ubi SS. Euchariſtia conſervatur, ſublato glombo ex chartis glutinatis formato, foderetur de corporali ſine glutino.

Aqua Baptiſmalis renovetur.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

§. XXXV. *In Eccleſia S. Leucii.*

Imago ipſius Sancti lignea, injuria temporum deturpata, & altera Crucifixi tabulacea reſarciantur, aut comburantur, una cum alia imagine parva B. Mariæ, & earum cineres in ſacrario ponantur.

§. XXXVI. *In Eccleſia S. Mariæ delle Zite.*

Crux tabulacea, & imago quædam tabulacea vetuſtate conſumptæ, & deformes comburantur, & earum cineres in ſacrario ponantur.

§. XXXVII. *In Eccleſia S. Cornelii.*

Imago Crucifixi relevata, & injuria temporum ſatis deformis comburatur, ut ſupra dictum eſt.

Eccleſia SS. Leucii, Benedicti de Porta ſumma, Joannis de Porta ſumma, & Cornelii demoliantur, aut profanentur, juxta Decret. Concilii propter earum indecentiam, & ſuperfluitatem, ſi ita videbitur V. R. D.

§. XXXVIII. *In Eccleſia S. Mariæ Paternulæ.*

Fundus Pyramidis fixus lamina ſtamnea foderetur.

Aqua fontis Baptiſmalis renovetur, appoſita prius benedicta, & perfuſa ſimplici.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

§. XXXIX. *In Eccleſia S. Andreæ Paliſerno.*

Crux tabulacea deturpata comburatur, ut ſupra.

§. XL. *In Eccleſia S. Petri de Traſeris.*

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Imagines muro depictæ renoventur, ſaltem Beatæ Mariæ Virginis, aut altera ſupponatur.

Crux tabulacea reformetur, aut comburatur.

Humus viridarii ſibi adjacentis ſeparetur.

Murus conquaſſatus, & putrefactus reficiatur,

Eccleſiæ SS. Benedicti de Scalellis, & Andreæ de melilotis demoliantur, aut profanentur juxta Decret. Concil. ſi ita videbitur V. R. D.

§. XLI. *In Eccleſia Sancti Heliani.*

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Altare portatile conquaſſatum auferatur, & eo amplius non utantur.

§. XLII. *In Eccleſia S. Jacobi de Maſcambronibus.*

Pixis melius foderetur de corporali, & auferatur Theca, in qua erat poſita.

Pixis lignea reliquiarum Tabernaculo introducta auferatur, & nihil ibi, præter SS. Euchariſtiam, reponatur.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

§. XLIII. *In Eccleſia S. Modeſti Conventus Canonicorum Regularium.*

Pixis, ubi reponitur SS. Euchariſtia, de corporali ſine glutino foderetur, & alteri pixidi, in qua defertur ad infirmos, fiat idem.

Auferatur conca cuprea a Fonte Baptiſmali, & ſi lapis eſt ſciſſuratus, fiat alter.

Fons Baptiſmalis pyramide lignea cooperiatur.

Aqua baptiſmalis renovetur.

Fiat vas ſaltem ſtamneum ſeparatum pro oleo infirmorum, & burſa ſerica pro eo conſervan., & ad infirmos deferen.

Confeſſionalia, quæ ſunt in Eccleſia, cancellulis ſaltem ligneis muniantur.

In Sacriſtia fiat lavacrum decens.

§. XLIV. *In Eccleſia Annunciationis Beatæ Mariæ.*

Pixis, in qua SS. Euchariſtia conſervatur, foderetur de corporali ſine aliquo glutino, cum operculo ex eodem corporali, & aliquo decenti velo cooperiatur.

Tabernaculum aliqua decenti umbella veletur.

Calix rugoſus, & impolitus aptetur, & interim ab ejus uſu abſtineatur.

Reliqui vero calices uſui rei divinæ inepti diſtrahantur, & eorum pretium in augumentum reditus Eccleſiæ, vel ornamentorum convertatur.

Provideatur de duabus planetis rubeis decentibus, cum ſuis ſtolis, & manipulis, duabus viridibus, & duabus violaceis.

§. XLV. *In Eccleſia S. Laurentii Fratrum S. Franciſci de Obſervantia.*

Pixis, ubi SS. Euchariſtia reponitur, de corporali ſine glutino foderetur, & aliquo decenti velamine cooperiatur.

Tabernaculum, ubi dicta pixis reconditur, de ſerico decenter foderetur, a quo auferatur vas olei infirmorum, & nil ibi, præter SS. Euchariſtiam, reponatur.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Patronis Sacellorum, præmiſſa monitione, injungatur, ut ipſa, ut decet, competenter reſarciant, & ornent infra competentem terminum, pro facultate, & modo uniuſcujuſque, arbitrio V. R. D. præfigen., quo elapſo, & ipſis juſſa non adimplentibus, liberum ſit fratribus ea aliis, qui requiſita adimpleant, concedere.

Fiat oratorium in Sacriſtia.

§. XLVI. *In Eccleſia S. Mariæ de Angelis Fratrum Servorum B. Mariæ.*

Pixis, ut ſupra.

Auferatur calix conquaſſatus, quo non utantur.

Fiat in Sacriſtia lavacrum, & oratorium.

§. XLVII. *In Eccleſia Sancti Petri ad Caballum.*

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Tectum Eccleſiæ, mutato trabe confracto, reſarciatur.

Pyramis fontis foderetur de tela, & ſupponatur operculum ex lamina ſtamnea, ne aliquæ ſordes defluant in baptiſterium.

Eccleſiæ Parochiales S. Benedicti, & S. Andreæ ad portam Auream, propter earum indecentiam, & ſuperfluitatem demoliantur, aut profanentur juxta Decret. Concil. ſi ita videbitur V. R. D., arbitrio cujus remittimus; ſin minus, Eccleſia S. Andreæ reſarciatur.

§. XLVIII. *In Eccleſia S. Mariæ de Carmine Fratrum Carmelitarum.*

Pixis SS. Euchariſtiæ foderetur de corporali.

Fiat lavacrum, & oratorium in Sacriſtia.

Conſtitutiones, & ſtatuta confratrum ſocietatis S. Mariæ martyrum videantur, & reformentur.

§. XLIX. *In Eccleſia S. Dominici Fratrum Prædicatorum.*

Fiat pixis argentea pro SS. Euchariſtia, & foderetur de corporali.

Demoliantur tumuli, in quibus poſita ſunt cadavera.

Patro-

Patronis Sacellorum, præmiſſa monitione, injungatur, ut ipſa, ut decet, competenter reſarciant, & ornent infra competentem terminum, pro facultate, & modo uniuſcujuſque, arbitrio V. R. D. præfigen., quo elapſo, & ipſis juſſa non adimplentibus, liberum ſit fratribus ea aliis, qui requiſita adimpleant, concedere.

Sacella antiquitus intra tribunam, nunc vero intra chorum exiſtentia, in alium locum Eccleſiæ decentem transferantur.

Fiat Oratorium in Sacriſtia.

§. L. *In Sacello Societatis S. Vincentii.*

Conſtitutiones confratrum videantur, & reformentur.

§. LI. *In Eccleſia S. Auguſtini Fratrum ejuſdem Ordinis.*

Pixis SS. Euchariſtiæ foderetur de corporali, & tabernaculum de ſerico.

Auferatur altare portatile conquaſſatum, & ab ejus uſu abſtineatur.

Patronis ſacellorum fiat idem, ut ſupra in Eccleſia S. Dominici.

§. LII. *In Sacello ſocietatis S. Antonii.*

Conſtitutiones confratrum videantur, & reformentur.

§. LIII. *In Hoſpitali Sanctæ Mariæ Annunciationis.*

Cubilia augeantur, ſtraguliſque muniantur, & puellæ induantur decenter.

Domus muniatur, ne ſit pervia domibus contiguis, & mundetur.

Cloaca aptetur, ut defluat.

Ciſterna diſſipata reſarciatur.

Cautius recipiantur infantes, & notentur aliqua eorum ſigna, ut exponentes poſſint eos recuperare, ſi velint.

Et ni ſuppetant facultates, V.R.D. pro ſua paterna charitate, ſi nequeat alia commodiori ratione, provideat, reformata Eccleſiæ impenſa.

§. LIV. *In Eccleſia Sanctæ Sophiæ Ben. & Monaſterio.*

Pixis SS. Euchariſtiæ decenter foderetur de corporali, & tabernaculum, in quo recondita eſt, majus, & decentius fiat, & aliquo decenti velamine cooperiatur.

Provideatur de ſtolis, & manipulis.

Fiat oratorium in ſacriſtia.

Feneſtræ Eccleſiæ muniantur laminis vitreis.

Provideatur de libris neceſſariis, & decentibus in cantu pro divinis officiis.

In ingreſſu Monaſterii ad Eccleſiam fiat fons aquæ luſtralis decens. Monaſterium reparetur, & domus etiam Abbatialis egens max. reparatione.

§. LV. *In Sacello S. Juvenalis.*

Calix rugoſus, & impolitus reficiatur.

§. LVI. *In Seminario.*

Dignetur D. V. R. jubere videri rationes totius temporis præteriti, & deinde ſingulis annis juxta Decretum Concilii, & reliqua reſtitui, & provideri, ut reditus augeantur, & contributiones beneficiatorum minuantur, & Deo dante tollantur.

In contributione ſerventur Decreta Concilii.

Dignetur etiam providere, ut adoleſcentes audiant frequenter rem divinam.

§. LVII. *In Eccleſia Sancti Petri Monialium.*

1 Calix confractus reficiatur.

2 Altare portatile haud ſignatum non ſit uſui.

3 Imago Crucifixi, & fragmenta alterius, & Crux tabulacea, omnia vetuſtate conſumpta, & deturpata, ſecreto comburantur, & earum cineres in ſacrario ponantur.

4 Grata ferrea lata, & ſimplex ſubtus chorum Monialium exiſtens, aptato choro, ita ut Moniales ad recitandum officium Divinum, & rem divinam audien. poſſint commode convenire, & aſſiſtere, deleatur.

5 Feneſtrella, unde Moniales confitentur, muniatur, prout in Capitulis generalibus.

6 Feneſtrella, per quam communicant, reformetur, & muniatur, ut eſt, ut ſupra.

7 Feneſtra in Eccleſia exiſtens, & in atrium Monialium proſpiciens, muro claudatur.

8 Feneſtra rotunda, & ampliſſima intra Chorum exiſtens, reformetur, muniatur, & vitreis, aut ſaltem lineis velaminibus muniatur.

9 Dictus chorus, ſedilibus, vel ſaltem ſcamnis ligneis muniatur, & in chori formam redigatur quanto commode fieri poterit.

10 Janua ſecunda clauſa Monaſterii aptata muniatur, prout in Capitulis generalibus; clauſura Monaſterii altius elevetur, ne domibus contiguis ſit pervia.

11 Omnes feneſtræ, & foramina domorum contiguarum ingreſſui, & viridario Monaſterii, & in conſpectu dormitorii Monialium exiſtentium, claudantur, ne inde valeat quoquo modo proſpici.

12 Dormitorium novum, ubi ſunt cellæ ſeparatæ, cujus eſt aula media ſatis ampla, & commoda, pro refectorio aptetur, ſumptis tribus, aut quatuor cellis pro coquina, & penu communibus, reliquis reſervatis pro curandis infirmis. De cellis ſeparatis quid agendum?

13 Moniales vero validæ ab alio la-

tere Monaſterii, ſub una janua, & clave cubent una cum ancillis, & puellis, ſigillatim tamen ſingulis quibuſque lectulis, & nullo modo ſociatis.

Dormitorium commune.

14 Et ſi dormitorium commune, quod arbitrati ſumus ſatis amplum, uſu reperitur anguſtum, aptetur aula interior eidem dormitorio ab uno latere, & ab altero cellæ Rev. Abbatiſſæ contigua, ubi nunc reperitur quoddam caminum; quod laqueari tabulaceo addito, paruo impendio facile fiet, & erit capaciſſimum, & facile, janua unica omnes includens.

15 Et pro tutiori clauſura aptetur alia janua in medio, aut ſummitate ſcalæ, qua claudetur dormitorium, & refectorium, & tota reliqua domus.

Velatio Monialium.

16 Moniales profeſſæ non velatæ, quam primum commode fieri poterit, velentur.

Numerus Puellarum.

17 Numerus puellarum reformetur, & minuatur, & erogetur pro ejus victu ſufficiens pecuniarum ſumma, prout in Capitulis generalibus continetur.

Singulis Monialibus ſinguli lecti.

18 Accubent ſingulæ in ſingulis lectulis ſeparatæ, & in illis cellis, quæ ſunt intrà commune dormitorium, ſub cura, & regimine alicujus providæ Monialis; prout in Capitulis generalibus.

Proprietas eliminetur, & particularium ancillæ.

19 Moniales nil proprium habeant, ſed totum commune.

20 Ancillæ particularium Monialium excludantur, & nullo pacto admittantur.

Ancillis e Monaſterio egredi prohibetur.

21 Ancillis communibus, & oblatis, nec non puellis educandis, quacumque ex cauſa egreſſus extra clauſuram non admittatur.

Educandarum Veſtitus.

22 Puellæ educandæ, majores, nec minores, prout in Capitulis generalibus, veſtibus diverſorum colorum, maxime ſericis non utantur.

Procuratores laici, abſque licentia, in clauſuram non admittendi.

23 Procuratores laici non admittantur in clauſuram ſine licentia in ſcriptis, juxta Decret. Concil. prout in Capitulis generalibus.

Ingredientium comitatus.

24 Ingredientes a duabus Monialibus antiquioribus aſſocientur, prout ſupra.

Auſcultatrices

25 Deputentur auſculatrices ex ſenioribus aſſiſtentes Monialibus loquentibus, prout in Capitulis generalibus.

Chorus.

26 Si libet propter Chori incommoditatem, & aeris intemperiem officium Divinum recitare in aula, ubi Rev. Mat. Abbatiſſa accubat, & moratur, cubilia inde auferantur, & in omnem eventum feneſtra ejuſdem cellæ extra clauſuram, in hortos vicinos ſatis demiſſa, & ſuperflua omnino claudatur muro.

27 Aliæ feneſtræ extra clauſuram proſpicientes claudantur, aut ita eleventur, & muniantur, ut Moniales nullo pacto poſſint extrinſecus proſpicere.

§. LVIII. *In Monaſterio S. Diodati.*

1 Janua ſubtus Campanile in Eccleſia reſpondens muretur.

2 Grata ferrea ab Eccleſia deleatur, & ei, quæ in locutorio eſt, ſimplici aggregetur, & duplicetur.

3 Feneſtrellæ pro confeſſione, & communione, & rotula pro porrigendis paramentis aptetur, prout in Capitulis generalibus.

4 Gratæ ſupra Chorum altius eleventur, & munitiores fiant.

5 Primus ingreſſus Monaſterii muro dividatur, ut horreum amplietur, & janua clauſuræ duplex fiat, prout in Capitulis Generalibus, a latere ſiniſtro verſus gradus Monaſterii.

6 Rota aptetur, prout in Capitulis generalibus.

Clauſura.

7 Clauſuræ muri, maxime in viridario, & domibus contiguis, quam primum fieri poterit, altius eleventur.

Monialium victus & accubitus.

8 In reliquis Monialium victus, & accubitus moderentur, & earum numerus juxta Capitula generalia.

9 Recitetur Divinum officium in una ex contiguis cellis Eccleſiæ (quouſque Chorus aptetur) ubi nulla earum cubat, quæ nulli alio ſit uſui.

10 Procuratoribus, & famulo ingreſſus inhibeatur juxta Capitula Generalia.

§. LIX. *In Monaſterio S. Victorini.*

1 Aptetur pixis argentea pro reponenda SS. Euchariſtia, & foderetur decenter de corporali ſiue glutino.

2 Grata ferrea deleatur ab Eccleſia, & ei, quæ in locutorio eſt, ſimplici aggregetur, & duplicetur.

3 Feneſtrellæ pro confeſſione, & communione aptentur, prout in Capitulis generalibus, & fiat, ſicut in Monaſterio S. Petri.

4 Rota, & grata muniantur juxta Capitula generalia.

5 Feneſtrella ſupra gratam locutorii, & aliud foramen paulo ſuperius reſpondens in aula Matris Abbatiſſæ murentur, ac etiam feneſtræ Eccleſiæ proſpicientes in viridarium Monialium.

6 Parietes viridarii reſpondentes in atrio Eccleſiæ altius eleventur, ita ut Moniales proſpicere non valeant, & ita fiat in reliqua clauſura, juxta Capitula generalia.

Clauſura.

7 Foramina patentia, & domibus contiguis proſpicientia, claudantur.

8 Tres cameræ priores particularium Monialium, parietibus dormitorii adhærentes, pro uſu infirmantium reſerventur.

9 Quarta vero janua aperta aggregetur dormitorio, una cum duabus, quæ in præſentiarum moliuntur, ſublatis mediis parietibus, & ſolario anteriori.

10 Inhibeatur ingreſſus Procuratoribus, juxta Capitula generalia.

11 Janua viridarii, dum fabricatur, tutius muniatur; ceſſante vero fabrica muretur.

12 Ja-

12 Janua Clauſuræ aptetur, prout in Capitulis generalibus.

§. LX. *Reverendis Monialibus infraſcripta Capitula generalia duximus decernenda.*

1 IN nome della Santiſſima, ed Individua Trinità, Padre, Figliuolo, e Spirito Santo, a gloria di Sua Divina Maeſtà, e dell'Intemerata Glor. Vergine, e Madre di Dio, e di tutta la Corte Celeſte, e ad edificazione, ed utilità dell'anime delle RR. Madri, e Sorelle Monache, che al preſente ſi trovano nelli Venerabili Monaſterj della Città di Benevento, e che per tempo ſi trovaranno ſotto la cura, e governo del Molto Illuſt. e Reverendiſs. Monſignore Arciveſcovo di detta Città.

Noi Pietro di Lunel per la grazia di Dio, e della Sede Apoſtolica Veſcovo di Gaeta, e Delegato, e Viſitatore generale, e ſpeciale di detta Città, e ſua Dioceſe. Deputato dalla Santità di N.S. Papa Gregorio XIII. per un ſuo Breve particolare ſub anulo Piſcatoris, ſpedito alli 20. di Febraro 1580. avendo viſitato tutti i detti Monaſterj, e viſto quanto biſogno hanno d'eſſer ajutati per loro buon governo, e per progreſſo ſpirituale, e temporale, avendo trovato, che ſe ben'hanno la Regola ſtampata, non l'oſſervano, nè la leggono, imponendoli prima l'oſſervazion di quella, avemo ſtatuito, e ſtatuimo l'infraſcritte proviſioni generali oltre le particolari, che in ogn'una di loro abbiamo fatto.

Moniales regulam nō obſervantes, ideoque aliæ ordinationes præſcribuntur.

E cominciando prima dalla forma, e modo del Monaſterio.

Chorus qualis eſſe debeat?

2 Per trovare loro già edificati, nè poterſi ridurre in altra forma, ſenza gran diſpendio, diremo ſolo, che i Cori ſiano alzati, ſe non fin al tetto, come ſta quello di San Vittorino, almeno in tant'altezza, che ſi poſſa ſtare con la mente quieta della loro ſicurtà, per la quale ſi doveranno metter dietro alle geloſie, che vi ſon oggi, altre grade di legno ben ferme, e ben murate, che non ſiano più larghe, che due terzi di palmo, e i Cori ſiano accomodati di ſotto, che le Moniche poſſino ſtarvi agli officii Divini comodamente, e ſenza leſione.

Feneſtrellæ pro confeſſionibus excipiendis.

3 I feneſtrini per la Confeſſione non ſiano più larghi, e lunghi, che alla detta miſura di due terzi di palmo, ed oltre alla lama di ferro, ſiano muniti almeno d'una grata di ferro, ò dentro, ò fuori ferma, e ben murata, e non più larga, che mezzo quarto; ed uno feneſtrino dentro, ed un' altro fuori, ben ſerrati, e fermi: e l'una chiave ſia cuſtodita dalla Madre Abbadeſſa, e l'altra dal P. Confeſſore, nè ſia lecito aprirſi mai per altro effetto, che per confeſſare.

Feneſtrella Communionis.

4 Il feneſtrello della Comunione non ſia più largo, che i detti due terzi, nè lungo più di mezzo palmo, e ſia ben munito delle ſimili portelle, e chiavi, dentro, e fuori, da cuſtodirſi, come di ſopra, e non aprirſi poi per altra cauſa, che per la Communione.

Rota in Eccleſia qualis?

5 La Ruota, che ſi farà nella Chieſa per porgere i paramenti, e coſe appartenenti al culto Divino, non ſia maggiore di quanto poſſi capire un Calice, e ſia munita, e ſerrata al medeſimo modo, nè s'apra mai per altro effetto, che per queſto; la qual non ſarà neceſſaria nel Monaſterio di S. Vittorino, per eſſer vicina aſſai la Ruota ordinaria, la qual dovrà eſſer ferma, e partita in quattro parti, com'è quella di S. Vittorino, ò almeno occupata dentro con una Croce di ferro, e non vota, e ben munita di porte dentro, e fuori, e con buone chiavi, da cuſtodirſi quella di dentro dalla Madre Abbadeſſa, e quella di fuori dal Cappellano, ò da chi deputarà Monſignore Reverendiſs. Arciveſcovo.

Collocatorii crates.

6 E'l medeſimo ſi faccia nella grata del Parlatorio, la quale ſia doppia, e diſtante l'una dall'altra almeno un palmo, e non più rare, che un'ottava di palmo, e ſe pure per evitare il diſpendio parerà a Monſ. Reverendiſs. Arciveſcovo differir di ſtringerle, potrà per alcun tempo ſopportar quelle, che vi ſi trovano oggi, ma con ſcortarle, come di ſopra.

7 Le grate, che oggi ſi trovano nelle Chieſe di detti Monaſterii, ſi levino, e murino quanto prima, e ſi potranno aggiungere, ed accomodare a quelle de' Parlatorii, come di ſopra.

Clauſurarum Januæ quales, quotque clavibus muniendæ?

8 Le porte ſeconde della Clauſura ſi faccino doppie, e diſtanti l'una dall'altra almeno quattro palmi, e la prima di queſte ſia ſerrata con una, o due chiavi, come ſia anco la prima porta, le quali ſieno cuſtodite dal Cappellano, o da chi deputerà Monſignor Reverendiſs. Arciveſcovo, e la ſeconda abbi due altre chiavi da dentro, da cuſtodirſi, una dalla Madre Abbadeſſa, l'altra dalla Priora, o altra anſiana da deputarſi da Monſignor Reverendiſs. Arciveſcovo, ed un'altra fuori da cuſtodirſi da chi ordinerà S. S. Reverendiſs., talche detta ultima porta non poſsi eſſer aperta ſenza concorſo di tutte tre le perſone, ed eſſendo alcuna di loro occupata, non poſsi commetterſi ad alcuna dell'altre, ma ſi deputi un' altra perſona ſeparata.

Clauſuræ muri.

9 Le Mura della Clauſura ſiano in quanto ſi può ſeparate da ogn'altra abitazione, o edificio, o in tant'altezza, che ſi poſſa ſtar ſicuro d'ogni cattivo penſiero, e così ſerrati, che non vi reſti buco, nè apertura alcuna.

Feneſtræ.

10 Tutte le fineſtre, che riſpondono fuori, ſe ſi poſſono eſcuſare, ſiano murate, e ſe nò, ben munite di grate, ed alzate in tanta

tanta eminenza, che le Monache non ſi poſſano affacciare, nè vedere coſ'alcuna fuori.

Aqua in Monaſteriis intus ſervetur.

11 Provedaſi, che nelli Moniſteri vi ſia acqua a ſufficienza, e mentre manca, che ſia proviſto d'altro modo, che dalle Zitelle, alle quali non ſi permetta uſcire per qualſivoglia occaſione, ne entrare, ſe una volta eſcono.

Caſtitatis votum, & quæ ad ejus cuſtodiam ſint adhibenda. Simul dormire inhibetur.

Quanto al voto della Caſtità.

12 Le Monache dormino tutte in dormitorio, e ſotto una chiave, ma ſeparate, ogn'una nel letto ſuo, ne ſia permeſſo ad alcuna ſtar inſieme con altra, ſe ben foſſe ſorella, perche è tanta la malizia dell'inimico, e tale la fragilità della carne, che per non contaminarla, conforme a quello, che hanno promeſſo nel voto della caſtità, e neceſſario uſare ogni cautela.

Senſus animæ ſunt feneſtræ.

13 E per queſta cauſa eſſendo neceſſaria per l'oſſervanza di queſto voto, non ſolo l'integrità del corpo, ma della mente ancora, eſſendo che la morte entra nell'anima per le feneſtre de' ſenſi, dovranno uſare le dette Monache ogni diligenza in tenerli cuſtoditi, e refrenati; e però ſe l'ordina, e comanda, che non debbano parlar con perſona alcuna fuori del Moniſtero, ne alla grata, ne alla Ruota, e molto meno in alcun'altro luogo ſenza licenza della Rev. Madre Abbadeſſa, la quale non poſſi darla per altro, che Padre, Madre, Fratello, e Sorella ſenza veder prima licenza ſcritta di Monſignor Reverendiſſimo Arciveſcovo, o ſuo Rev. Vicario; la conſervarà appreſſo di ſe, mettendola in filza, per poterne render conto, quando biſognaſſe.

Collocutiones cum extraneis prohibentur.

In die Communionis licentia colloquendi concedi non poteſt.

14 E detta licenza non la poſſa dare nelli giorni della comunione generale, o che quella tale Monaca ſi foſſe comunicata etiam particolarmente, ne alcuna Monaca poſſa parlar etiam con licenza, alzata la tela del parlatorio, altro che con Padre, Madre, Fratello, e Sorella.

Sipario remoto loqui vetitum, parentibus, fratribuſque exceptis.

Abbatiſſa, aliaque pro ea Communionis die pro negotiis ad collocutoria accedere poteſt.

15 Potrà ben la Madre Abbadeſſa, e ſtando lei impedita, la Priora, o alcun'altra dell'anſiane parlar in quel giorno per coſe neceſſarie, ed appartenenti al Moniſterio, e non altrimente.

Auſcultatrices, & earum munus.

16 Ed accioche ne'ragionamenti non s'interpongano coſe vane, e molto meno cattive, eſſendo che dice l'Apoſtolo, che le parole cattive corrompono i buoni coſtumi, non ſia permeſſo ad alcuna Monaca parlar con perſona alcuna di fuori, ſenza l'intervento della Madre Abbadeſſa, o al manco di un'altra aſcoltatrice da deputarſi da lei, (e non dicemo due per eſſer il numero delle Monache poco) la qual debba aſſiſtere al parlamento, di ſorte, ch'intenda ogni coſa, e come s'entra in coſe ſuperflue, l'interrompa, ed aſtringa a laſciarlo, e la Monaca ſia aſtretta a ritirarſi per obbedienza, ogni volta, che la detta aſcoltatrice ce l'ordinarà.

Cubicula particularia ne ſint. Deputatur valetudinariis locus.

17 E per la ſudetta cauſa non ſia lecito ad alcuna Monaca havere camera, o luogo particolare; ſi doveranno ben deputare alcune di quelle, che vi ſono, dove ſi poſſino curare l'inferme, come ſta notato nella viſita, ſe non pareſſe a Monſignor Reverendiſs. Arciveſcovo deputar altro luogo più commodo per l'infermeria, dove non poſſino le dette Monache dimorare, ſe non quanto ſaranno aſtrette dall'infermità, e poi tornino ſubito nel dormitorio commune.

Abſque Archiepiſcopi licentia in Monaſteria ingredi, aut ſine diſcretarum ſociatione prohibetur.

18 Ne la Madre Abbadeſſa permetterà, che altra perſona di fuori, o Procuratori, o altri, ſia intromeſſa nel Moniſtero ſenza licenza ſcritta di Monſ. Reverendiſs. Arciveſcovo, e proveder à, che tale perſona ſia accompagnata da che entra, fin tanto, che uſcirà fuori, ſempre da due Monache anſiane, provedendo, che la porta non reſti mai aperta, ma ſia ſempre ſerrata, e che tutte l'altre Monache ſtiano ritirate, e non ſiano viſte da quelli, che entrano, ſe non quanto non ſi poſſi evitare.

Quanto al voto della Povertà, e vita commune.

Paupertatis votum, & vita communis.

Romanus Pontifex in proprietate diſpenſare non poteſt.

19 E' tanto eſſenziale la povertà nella Religione, che il Sommo Pontefice Vicario Generale di Criſto Redentor noſtro (a cui Sua Divina Maeſtà hà laſciato, e commeſſo l'univerſal poteſtà in terra, che li fu data dal Padre Eterno) confeſſa non poter fare, che'l Monaco habbia proprio, & eſſendo che le perſone religioſe per il voto della povertà habbino renunciato ogni coſa, devono ſeguire in queſto la perfezione, che hanno profeſſato, e l'inſtituto, che nella primitiva Chieſa uſavano i credenti, perche non haveano coſa propria, ma tutte l'erano comuni, e temere grandemente di non incorrere nella morte ſpirituale, come incorſero nella corporale, ed eterna, Giuda per haverſi voluto far proprio quel, che non era ſuo, ed Anania, e Safira per haver voluto conſervare parte di quello, che poſſedevano, e così devono poner ogni coſa in mano della Madre Abbadeſſa, che ſtà da parte del Sig. Iddio, e laſciarnoſi governare da lei, penſando, che per mano ſua le governa il Sign. iſteſſo, che non le potrà mancare, conforme alla ſua promeſſa, come al fermo non le mancarà, ſe loro prima cercaranno la gloria di Sua Maeſtà, come devono, in ogni coſa.

Juda proprietatis cauſſa periit. Sic & Ananias, atque Saphira.

Omnia reponenda ſunt in manu Abbatiſſæ, quæ loco Dei ſtat in monaſteriis.

20 Ed acciò che queſto avenga più agevolmente, è neceſſario non ſolo diſponerſi a ricever queſta grazia dalle mani del Sig. Iddio, ma ajutarla in quanto ſi può con le proprie operazioni, e però Monſig. Rever. Arciveſc. ſarà contento di ſtabilire non ſolamente il numero delle

le Monache, conforme alla capacità, ed entrata de' Moniſteri, ſi come comanda il Sacro Concilio, ma taſſare anco la dote, o elemoſina, che haveranno da portare, e conſiderandoſi la neceſſità de' Moniſteri, ſi anco la facoltà del Paeſe, laſciando però la porta aperta a quelle, che voleſſero entrare ſopra il numero, che poſſino ſoſtentare la facoltà del Moniſtero, le quali debbano porger la dote più pingue, come parerà a S. S. Reverendiſs. taſſarla, che ſarà tanta, che non ſolo il Moniſtero poſſi ſoſtentarne la Monaca commodamente, ma riceverne anco qualche ſuſſidio.

Monialium numerus eſt præſcribendus inſpectis Monaſteriorum capacitate, & redditibus. Dos taxari debet.

Supranumerariis pinguiorem afferentibus dotem locus in monaſterio non eſt denegandus.

21 E per ovviare all' aſtuzie dell'inimico, che per impedire queſto bene, e privare le perſone religioſe della perfezione, che hanno profeſſato, l' antepone le neceſſità della natura, e le difficoltà delle coſe del Mondo, e procura, che diffidando dalla providenza d' Iddio, pongano troppo confidenza nella propria, e diventino ſoverchiamente ſollecite in procurarſi da per ſe le coſe neceſſarie; Eſortiamo le dette RR. Madri, e Sorelle a conſiderar ſpeſſo, e ragionar inſieme di quello, che il Redentor Noſtro per eſtirpar queſto vizio ci propone, che poiche S.D. Maeſtà paſce sì lautamente gl'ucelli dell'aria ſenza, che ſementino, ne raccoglino, e veſte tanto leggiadramente l'erbette della terra, ſenza che filino, ne trapanino, provederà anco noi delle coſe neceſſarie, che sà bene il noſtro biſogno.

Diaboli verſutia ad perfectionem religioſis impediendam.

Dei providentia in volatilia, & agrorū flores ſæpius a Monialibus eſt conſideranda.

22 Come non mancherà anco di fare la Rev. Madre Abbadeſſa per parte ſua, provedendo alla menſa commune, e veſtito delle Monache, conforme all'entrata del Moniſtero, in tal maniera, che le Monache ricevano la ſoſtentazione neceſſaria, evitando ogni ſuperfluità, dalla quale oltre il danno comune, ne naſcono tanti particolari.

Abbatiſſa ad frugalem victū, & veſtitum neceſſaria comparabit.

23 Ed acciòche paſcano non meno l' anima, che il corpo, mentre ſi mangia in refettorio, come ordinamo, che ſi mangi ſempre in commune, (ſe non è, mentre ſaranno inferme, o convaleſcenti, che non poſſino commodamente andare in refettorio) ſi leggerà una lezione devota volgare, la qual duri a tutta tavola, tanto la mattina, come la ſera, benedicendo prima la menſa, ed andando poi a render le grazie al Sig. Iddio unitamente al Coro, conforme all'ordine, ed uſanza Monaſtica.

In menſa ſacra lectio adhibenda, ac etiam menſæ benedictio præcedare, gratiarumque actio ſequi debet.

24 E per evitare ogni amaritudine, eſortiamo la Madre Abbadeſſa a trattare tutte le ſue Sorelle con carità commune, ed uguale, ſenza fare alcuna parzialità, ne differenza, e le dette Monache a conſiderar ſpeſſo, che quello, che ricevono, glie lo dà il Sig. Iddio grazioſamente, e per ſua liberalità, poiche conſiderata non ſolo la fragilità di noſtra natura, per la quale non meritiamo bene alcuno, ma la moltitudine di noſtre colpe, per le quali meritiamo molti mali, conoſceremo, che il Sig. Iddio per la ſola ſua bontà, ſuperando l'uno, e l'altro, ci mantiene.

Abbatiſſæ par charitas in moniales.

Gratioſe Deus cuncta nobis tribuit.

Del voto dell' Obedienza.

Et D. Marcello Lignella provideatur de Coadjutore.

Græci Caſale, & ejus Eccleſia S. Mariæ.

57. *In Eccleſia S. Mariæ Caſalis Græcorum.*

Tabernaculum SS. Euchariſtiæ foderetur de ſerico.

Vaſa Oleorum Chriſmatis, & Catechumenorum velo tegantur decenti.

Fiat vas decens pro Oleo infirmorum, & Burſa ſerica pro eo.

Operimentum Fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Altare portatile non conſecratum, conſecretur, & illo indecente non utatur.

S. Petrus phendi Roggiæ.

In Eccleſia S. Petri Phendi Roggiæ.

Pro qua, quouſque reædificetur, erigatur Altare in loco viciniori expenſis Rectoris, quod ornetur neceſſariis, & in eo celebretur ſemel in menſe.

Petræ Pulcinæ oppidum, & ejus Eccleſia S. Mariæ.

58. *In Eccleſia S. Mariæ Terræ Petræ Pulcinæ.*

Amplietur Eccleſia pro capacitate Parochianorum.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Operimentum Fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Sabinianum Oppidum, & ejus Eccleſia S. Nicolaus.

59. *In Eccleſia S. Nicolai Caſtri Sabiniani.*

Fiant Vaſcula juncta decentia pro SS. Oleis Chriſmatis, & Catechumenorum.

Fiat vas Olei infirmorum decentius, & Burſa ſerica pro eo.

Operculum Fontis baptiſmalis foderetur lamina ſtamnea.

Conſervetur nitidius Sacr. Calix devaſtatus reficiatur.

Provideatur de candelabris ligneis decentibus.

Altari portatili indecenti non utatur.

Eccleſia S. Mariæ de Ferraria.

In Eccleſia S. Mariæ de Ferraria.

Erigatur Altare in Eccleſia Matrice Sabiniani, quod ornetur neceſſariis, & in eo celebretur ſemel in hebdomada.

SS. Rocci, & Sebaſtiani.

Eccleſia SS. Rocci, & Sebaſtiani reparetur in pavimento, & parietibus.

S. Mariæ de Gratia.

In Eccleſia S. Mariæ de Gratia Calix non conſecratus conſecretur.

S. Ioannis.

Reparetur etiam Eccleſia S. Joannis in tecto, & in parietibus ex reditibus dictæ Eccleſiæ, & expendantur in ipſius reparatione ducati decem, & tres caroleni, qui retinentur a Procuratore ipſius Eccleſiæ.

Monaſterium S. Barbaræ.

In Monaſterio S. Barbaræ.

Provideatur de Altari portatili decente, & indecenti non utatur.

Inhibeatur D. Joanni Caniſtro audire confeſſiones.

S. Ioannes in Galdo Oppidum, & ejus Eccleſia. S. Ioannes Baptiſta.

60. *In Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ Terræ S. Joannis in Galdo.*

Operculum Fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Aptetur Oratorium in Sacriſtia. Calices indecentes reficiantur.

Monaſterium S. M. de Carmelo.

In Monaſterio S. Mariæ de Carmine.

Calix argenteus indecens reficiatur, & interim de altero provideatur.

Sodalitium S. Germani.

Inhibeantur Confratribus S. Germani convivia, & refectiones.

Hoſpitale.

Reparetur domus, & hoſpitale in tecto.

Videantur rationes, & reliqua reſtituantur, quoniam adminiſtratori non fuerunt viſæ à quinque annis.

S. Luciæ.

In Eccleſia S. Luciæ.

Aptetur janua, ne ſit pervia animalibus.

Crux tabulacea erigatur, & mundetur, & fragmenta Sanctorum ſecreto comburantur, & eorum cineres in Sacrario ponantur.

Petracatella oppidum, & ejus Eccleſia S. Iacobus.

61. *In Eccleſia S. Jacobi Terræ Petracatellæ.*

Eccleſia, quam moliuntur, perficiatur quam citius, & commode fieri poterit, ac latior, ut ſit capax Parochianorum.

Pixis, ubi aſſervatur SS. Euchariſtia, foderetur decentius de Corporali, & Tabernaculum de ſerico, cui ſupponatur aliquod, ſaltem lineum linteamen, ne nudo parieti inſideat.

Fiat capſula argentea, & Burſa ſerica de-

decens collo appendenda propter arduitatem viarum, ne deferen.S.S.in Calice, aliquod periculum eveniat.

Fiat etiam Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum,

Operculum Fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Calices indecentes reficiantur. Sacrarium cooperiatur.

Altare SS.Philippi, & Jacobi, in quo Celebrans vertit terga SS. Euchariſtiæ, in alium decentem locum transferatur.

Provideatur de urceolis vitreis ſufficientibus, & bacinulis decentibus.

Sacella in medio Eccleſiæ hinc, & inde poſita S. Mariæ de lo Peſco, & Spiritus Sancti, Eccleſiam occupantia, & deturpantia, demoliantur, & in Altari S. Mariæ de lo Peſco ſemel ſingulis hebdomadibus celebretur.

S. Maria de Pozzorco.

In Eccleſia S. Mariæ dello Pozzorco.

Celebretur in ea ſemel ſingulis menſibus.

Eccleſia S. Georgii.

Reparetur in tecto Eccleſia S.Georgii, in qua celebretur ſemel in menſe.

S.Mariæ de Guardia.

Et pro Eccleſia S.Mariæ della Guardia erigatur Altare in Eccleſia S. Jacobi, in quo celebretur ſemel in hebdomada.

S.Margaritæ.

Eccleſia Sanctæ Margaritæ detineatur munda, & nitida.

S.Urbani.

In Eccleſia S.Urbani celebretur ſaltem ſingulis menſibus.

Hoſpitale.

In Hoſpitali.

Fiat inventarium bonorum ipſius, & videantur rationes ſingulis annis, & exigenda exigantur, ac reſtituantur.

Sodalitium Sacramenti.

In Societate SS.Euchariſtiæ.

Fiat, ut ſupra.

Provideatur de Coadjutore Rev. Archipresbytero, & inhibeatur DD. Joanni Cirreolo, & Antonio Maria audire confeſſiones.

Gambateſia oppidum, & ejus Eccleſia S. Bartholomæi.

62. in Eccleſia S. Bartholomæi Terræ Gambateſiæ.

Pixis SS. Euchariſtiæ melius foderetur de corporali.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Calices indigentes refectione reficiantur.

Provideatur de urceolis vitreis, & bacinulis ſufficientibus.

S.Sebaſtianus.

In Eccleſia S. Sebaſtiani.

Calices indecentes reficiantur, & Corporalia, & purificatoria munda detineantur, cum albis.

Hoſpitale.

In Hoſpitali provideatur hoſpitalarium charitative ſuſcipere, & tractare peregrinos.

S.Salvator.

In Eccleſia S. Salvatoris Campana mutetur in alium locum.

S.Antonius.

In Eccleſia S. Antonii, ſuæ imagines vetuſtate deturpatæ comburantur, & earum cineres in Sacrario ponantur.

S.Maria de Victoria.

In Eccleſia S. Mariæ de Victoria.

Calices indecentes reficiantur. Inhibeatur celebrari in Altari extra dictam Eccleſiam, & Tabula deformis in ipſo exiſtens combur. ſecreto, & earum cineres in Sacrario ponantur.

Inhibeatur etiam exerceri nundinas in die feſto.

Si Archipresbyter compurgabit ſe de delictis, quibus impetitur, provideatur ſibi de Coadjutore.

Inhibeatur DD. Aſcanio Capuano, Joanni Mancino, & Franciſco de Juliano, celebratio, donec inſtruantur, arbitrio V.R.D.

Caſtrum Vetus oppidum, & ejus Eccleſia S. Nicolaus.

63. In Eccleſia S. Nicolai Terræ Caſtri Veteris.

Pixis, ubi reconditur SS. Euchariſtia foderetur de corporali.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Fiat altera Burſa ſerica collo appendenda, ut dictum eſt in Petracatella.

Operculum Fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Non admittantur duæ feminæ ad levandum puerum de fonte.

Aptetur Sacrarium decens. Provideatur de urceolis vitreis decentibus.

In Sacello S. Nicolai inhibeantur Bacchanalia Confratribus.

Hoſpitale.

In Hoſpitali.

Rationes totius temporis non viſæ, videantur, & deinde ſingulis annis, & reliqua reſtituantur, & in Hoſpitalis augumentum aggregentur, vel in uſum pauperum convertantur.

Eccleſia S. Petri.

Eccleſia S. Petri pro ejus tenuitate reparetur ſaltem in tecto.

S.Maria decorata in territorio Collis.

In Eccleſia S. Mariæ Decoratæ in Territorio Caſtri Collis.

Detineatur munda, clauſa, & reficiatur in tecto, parietibus, & pavimento, & quia eſt in loco nemoroſo, & deſerto, erigatur Altare pro ea in Eccleſia Matrici dicti Caſtri Collis, quod ornetur omnibus neceſſariis, & in eo celebretur bis in hebdomada.

Cercellum oppidum, & ejus Eccleſia S. Angelus.

64. In Eccleſia S. Angeli Terræ Cercelli.

Pixis SS. Euchariſtiæ foderetur de Corporali.

Detineantur nitide vaſa SS. Oleorum Chriſmatis, & Catechumenorum.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Liber Baptizatorum formetur melius.

Provideatur de urceolis vitreis ſufficientibus.

Provideatur in Altari S. Marci de Calice, & omnibus neceſſariis ad rem Divinam facien. pro quantitate redituum, etiam ſequeſtratis fructibus, donec proviſum fuerit.

S.Maria Annunciata.

In Eccleſia S. Mariæ Annunciatæ.

Pixis SS. Euchariſtiæ melius foderetur de

de Corporali, & Tabernaculum de ſerico. Altari portatili conquaſſato non utatur.

Sodalitium S. Nicolai. In Sacello Societatis S. Nicolai inhibeantur bacchanalia Confratribus.

Imagines deturpatæ vetuſtate, ſecreto comburantur, & cineres in Sacrario ponantur.

Eccleſia, & Sodalitium S. Rocci. In Eccleſia Societatis S. Rocci Bacchanalia inhibeantur Confratribus.

Oratorium S. M. de Carmelo. *In Eccleſia, ſive Oratorio S. Mariæ de Carmine.*

Provideatur de Icona decenti.

Forſan * non. Si Archipresbyter * compurgabit ſe de delictis, quibus (prout in actis viſitationis conſtat) impetitur, provideatur ſibi de Coadjutore, & inhibeatur DD. Hieronymo de Galderiſiis, Matthæo de Galderiſiis, Vincentio Cerrono, Joanni Antonio Scrivanetto, Sancto Cappellano audientia confeſſionum.

S. Marcus de Cavotis oppidum, & eius Eccleſia S. Marcus. 65. *In Eccleſia S. Marci Terræ S. Marci de Cavotis.*

Incruſtetur Eccleſia, dealbetur, & reparetur in tecto, & pavimento.

Fiat Burſa ſerica collo appendenda, ut in Eccleſia Petræcatellæ.

Tabernaculum foderetur de ſerico, ac elevetur ſuppoſito ſcabello ſaltem, ad menſuram unius palmi, elevata etiam tantummodo imagine Crucifixi.

Fiat Operculum in Fonte Baptiſmali, quod lamina ſtamnea foderetur.

Vas Olei infirmorum fiat decentius, & pro eo burſa ſerica.

Provideatur de urceolis vitreis ſufficientibus.

S. Maria de Macchia. *In Eccleſia S. Mariæ de Macchia.*

Forſan * diſtantiã. Propter ejus Eccleſiæ abſentiam, & incommoditatem erigatur Altare in Eccleſia Matrici ejuſdem Terræ, in quo celebretur ſaltem ſemel in hebdomada.

Rev. Archipresbytero quamprimum provideatur de idoneo Coadjutore, & de altero ſaltem Cappellano, ſiquidem facultates Eccleſiæ huic oneri ſunt ſufficientes.

S. Maria Magdalena in territorio S. Georgii. *In Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ in Territorio S. Georgii.*

Ianua ipſius Eccleſiæ aptetur, & clauſa detineatur.

S. Georgius. Eccleſia S. Georgii eiuſdem Territorii reparetur in tecto, parietibus, & pavimento, facto ſtatim propugnaculo a latere ſiniſtro.

Provideatur de ornamentis neceſſariis, & in ea celebretur ſaltem bis in hebdomada.

S. Georgius oppidum, & eius Eccleſiæ S. Petrus. 66. *In Eccleſia S. Petri Terræ S. Georgii.*

Auferatur thecula, ubi aſſervatur SS. Euchariſtia, quæ aſſervetur in Pixide argentea bene foderata de Corporali.

Et Tabernaculum, ubi reconditur, tegatur umbella ſerica decenti.

Operculum Fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

In deſcriben. contrahen. Matrimonia ſervetur forma Synod. Benev.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Patronis Sacellorum fiat, ut in Eccleſia S. Dominici Beneventi.

Calices confracti, & indecentes reficiantur.

Domus Parochi reparetur, & laqueārib. muniatur.

S. M. Annunciatæ. *In Eccleſia B. Mariæ Annunciatæ.*

Patronis Altarium fiat, ut ſupra.

Corporalia immunda mundentur.

Deſcenſus, quo poterat deſcendi ſubtus tribunam, claudatur.

S. Lucas. *In Eccleſia S. Lucæ.*

Calix rugoſus reficiatur.

Hoſpitale, & Sodalitium S. Spiritus. *In Hoſpitali Sacelli Spiritus Sancti Confratrum.*

Aptentur cubilia, & fiant decentiora, & commodiora.

Videantur rationes ſingulis annis cum interventu alicujus a V. R. D. deputan., & reliqua reſtituantur, & in augumentum Confraternitatis convertantur.

Hoſpitale. *In Hoſpitali S. Mariæ Annunciationis.*

Domus, & cubilia commodiora fiant.

Deputentur Adminiſtratores ſingulis annis, & mutentur.

Eorum rationes ſingulis annis videantur, cum interventu alicujus, & fiat, ut ſupra.

Inhibeatur Presbyteris, præcipuis feſtivitatibus Nativitatis, & Paſchatis accedere ad Eccleſiam præfatam Annunciationis, priuſquam propriis Eccleſiis debitum obſequium perſolverint.

Inhibeatur Fratri Clementi de Lauri Priori Annunciationis audire confeſſiones.

Mons Calvus oppidum, & ejus Eccleſia S. Maria. 67. *In Eccleſia S. Mariæ Majoris Terræ Montis Calvi.*

Canonici officium Divinum recitent in Choro cum ſuperpelliceis.

Pixis SS. Euchariſtiæ foderetur benè de Corporali.

Auferatur thecula eburnea, & fiat altera ex argento.

Fiat Burſa ſerica decens collo appendenda, ut pluries dictum eſt.

Cooperculum fontis Baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Vaſa pro Chriſmate, & Oleo Catechumenorum tegantur velo decenti.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Auferantur ab Eccleſia Capſæ exiſtentes in Sacello Illuſtriſs. D. Comitis, & defunctorum cadavera humentur, juxta Conſtit. fel. rec. Pii V.

Non admittantur duæ feminæ, neque duo viri ad levandum puerum de fonte.

In deſcribendis contrahentibus matrimonium, ſervetur forma Synod. Benev.

S. Felix. Pro Eccleſia S. Felicis erigatur Altare in

in Eccleſia S.Mariæ Majoris, in quo celebretur ſaltem ſingulis menſibus.

Eccleſia & Sodalitium Sacramenti.

In Eccleſia Societatis SS. Eucharistiæ.

Pixis, ubi ea aſſervatur, foderetur de Corporali, quod ei etiam ſupponatur.

Tabernaculum foderetur melius de ſerico.

Monaſterium Sanctæ Catharinæ.

In Monaſterio S.Catharinæ.

Tabernaculum foderetur de ſerico. Calices indecentes reficiantur.

Provideatur Confratribus S.Catharinæ de regula, qua compellantur omnes ſimul concurrere, quando vocantur, & ſingulis provideatur de veſtibus Confratrum.

Provideatur de Parocho Eccleſiæ Abbatiali S.Mariæ Majoris dictæ Terræ, ſiquidem proviſio facta D. Franciſco de Florio fuit nulla, cui D. Franciſco inhibeatur audire confeſſiones, nec non DD. Laurentio Cammiſa, Franciſco Cappiello Societatis SS.Euchariſtiæ, & Fratri Joſeph Guidoni.

Padulum oppidũ, & ejus Eccleſia S. Bartholomæus.

68. In Eccleſia S.Bartholomæi Terræ Paduli.

Eccleſia incruſtetur, & dealbetur. Presbyteri recitent officium in Choro cum ſuperpelliceis.

Parochus doceat pueros Doctrinam Chriſtianam ſingulis diebus feſtis.

Fiat thecula argentea pro aſſervanda SS. Euchariſtia, quando altera defertur ad infirmos, vel deferatur in Calice.

Operculum fontis Baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Calices indecentes reficiantur.

Sacellum S.Luciæ

In Sacello Societatis S. Luciæ.

Inhibeantur convivium, & bacchanalia Confratribus, ſed pro ſervitio tribuatur Presbyteris aliqua moderata merces.

Cubilia Hoſpitalis, quæ ſuſtentant, fiant commodiora.

S.Nicolaus. Claudatur Eccleſia S.Nicolai, & aptetur

Hoſpitale. janua proſpiciens in Eccleſiam a parte Hoſpitalis contigui.

Sodalitium SS.Rocci, & Sebaſtiani.

Inhibeatur Confratribus SS. Rocci, & Sebaſtiani facere convivium Presbyteris, & refectionem inter ſe parvam, ac etiam proponere bravium.

Monaſteriũ S.Mariæ de Laureto.

In Monaſterio S.Mariæ de Laureto.

Pixis, in qua aſſervatur SS.Euchariſtia, melius foderetur de Corporali.

Libri cantus reſtaurentur. Fiat in Sacriſtia lavacrum, & Oratorium.

Calices indecentes reficiantur, & Corporalia mundentur.

Eccleſia S. Mariæ de Porta nova.

In Eccleſia S.Mariæ de Porta Nova.

Comburantur ſecreto quædam fragmenta tabulacea depicta, vetuſtate deturpata, & earum cineres in Sacrario ponantur.

Aptentur januæ, & clauſæ detineantur Eccleſiæ SS.Joannis, Viti, & Mariæ Faglietæ.

Provideantur quædam Beneficia, ſeu bona Eccleſiæ, quæ nulliter data fuere Clerico Scipioni Folla propter ejus minorem ætatem, & inhibeatur Abbati, & ſucceſſoribus diviſio Beneficiorum.

Inhibeatur Univerſitati Ædes Hoſpitalis alii uſui applicare, quam peregrinorum.

Inhibeatur D.Joanni Dominico de Carolo audientia confeſſionum.

Apicium oppidũ & ejus Eccleſiæ S. Maria Aſſumptionis.

69. In Eccleſia S. Mariæ Aſſumptionis Terræ Apicii.

Presbyteri omnes dictæ Eccleſiæ recitent officium in Choro cum ſuperpelliceis.

Auferatur Pixis lignea, & fiat techa argentea decens pro deferenda SS. Euchariſtia ad infirmos.

Operculum fontis Baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Aptetur Tabernaculum, (quod paraverunt exiſtens in Sacriſtia) in Altari majori, levatis imaginibus, & in eo SS. Euchariſtia aſſervetur.

S.Petrus.

In Eccleſia S. Petri.

Demoliatur Sacellum in medio Eccleſiæ exiſtens, & eam occupans a latere ſiniſtro Altaris majoris.

Tabernaculum, vbi reconditur SS. Euchariſtia, foderetur de ſerico, cui ſupponatur ſcabellum, & Pixis foderetur decenter de Corporali.

Fiat in Sacriſtia lavacrum, & Oratorium. Patenæ indecentes reficiantur.

S.Bartholomæus

In Eccleſia S. Bartholomæi.

Pixis SS. Euchariſtiæ melius foderetur de Corporali, & velo ſerico tegatur.

Non utantur Calice indecenti pro SS. Euchariſtia ad infirmos, ſed aptetur Thecula argentea. Supponatur ſcabellum Tabernaculo.

Calix rugoſus, & indecens reficiatur.

S.Nicolaus.

In Eccleſia S.Nicolai.

Auferatur pixis ex alabaſtro, & provideatur de altera argentea.

Supponatur Scabellum Tabernaculo SS.Euchariſtiæ.

Calix rugoſus, & indecens reficiatur.

Monaſterium Sanctæ Mariæ.

In Monaſterio S.Mariæ.

Eccleſia reparetur in pavimento.

Auferatur Pixis ex alabaſtro, ſed provideatur de altera argentea, & Tabernaculum, ubi reconditur, foderetur de ſerico.

Eccleſia S.Laurentii.

Propter Eccleſiæ S. Laurentii incommoditatem, & diſtantiam, erigatur Altare in Eccleſia Abbatiali S.Mariæ Terræ Apicii, quod ornetur omnibus neceſſariis, & in eo celebretur ſaltèm ſemel in hebdomada.

Monaſterium Sancti Joannis.

In Monaſterio S.Joannis.

Auferatur Pixis lignea, & fiat altera argentea pro aſſervatione SS.Sacramenti, & Tabernaculum, ubi reconditur, foderetur de ſerico, a quo auferatur phiala Olei in-

infirmorum, & nil aliud ibi aſſervetur præter SS.Euchariſtiam.

Inhibeatur celebrari in Altari majori abſque Altari portatili.

Murronum oppidum nunc dirutū.

Propter diſtantiam S. Mariæ de Morrone, erigatur Altare in Abbatiali Eccleſia dictæ Terræ, in quo celebretur ſemel in hebdomada.

Hoſpitale.

Rationes Hoſpitalis dictæ Terræ videantur ſingulis annis, non ſolùm iſtius, ſed omnium aliorum, nec non Societatum quarumcumque, & ubique locorum hujus Diœceſis, cum interventu alicujus deputan. a V.R.D. juxta Decr.Conc.

Eccleſia S.Marci.

In Eccleſia S. Marci.

Provideatur de ornamentis neceſſariis decentibus ad rem Divinam celebran. & in ea ſaltem ſingulis diebus feſtis celebretur.

Inhibeatur audientia confeſſionum DD.Primicerio Leonardo Angelo Sciarrillo, Dominico Joanna, Franciſco Gaudiano, Scipioni Recinæ, Imperiali Capozzo, Marco Antonio Ciampo, Leonardo Throſa, Angelo Martino, & Chriſtophoro de Chriſtophoro.

Reſarciatur Eccleſia S. Donati, reparetur in tecto, & parietibus, & in decentiorem formam redigatur.

Mons-Militū oppidum, & ejus Eccleſiæ S. Petrus.

70. *In Eccleſia S. Petri Terræ Montis Miletti.*

Reparetur ipſa Eccleſia in tecto. Non utatur Pixide lignea, pro deferen.SS.Euchariſtia ad infirmos, ſed deferatur in Calice, uſquequo provideatur.

Et Tabernaculum, ubi reconditur, foderetur de ſerico, & Pixidi, in qua aſſervatur dicta Euchariſtia, ſupponatur Corporale.

Operculum fontis Baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Calices indecentes reficiantur.

S.Mariæ.

In Eccleſia S.Mariæ ejuſdem Terræ.

Foderentur Pixis, & Tabernaculum, ut ſolitum eſt.

Non utatur Theca lignea pro aſſervanda SS.Euchariſtia, quando argentea defertur ad infirmos, ſed provideatur, ut ſupra.

Operculum fontis foderetur, ut ſupra. Aptetur vas decens ad aquam infundendam.

Tegantur velo decenti vaſa pro Chriſmate, & Oleo Catechumenorum.

Et pro vaſe Olei infirmorum fiat Burſa ſerica. Sacramentum aptetur decens.

In deſcribendis baptizatis, & matrimonia contrahentibus ſervetur forma Synod.Benev.

Auferatur unum ex tribus gradibus Altaris majoris.

Calices indecentes reficiantur, & Altari portatili conquaſſato non utantur, quo etiam indecente non utantur in Eccleſia S.Antonii.

Inhibeatur DD.Bartholomęo Lanzillo, Joanni Antonio de Meo, Joanni Andreæ de Lutiis audientia confeſſionum.

Suſpendatur D. Leonardus Spiritus ab exequutione ſuorum ordinum ad arbitrium V.R.D.

Lapigium oppidū & ejus Eccleſia S.Catharina.

71. *In Eccleſia S. Catharinæ Terræ Lapigii.*

Foderentur bene Tabernaculum, & Pixis, quæ tegatur velo decenti, & ita etiam tegantur vaſa pro Chriſmate, & Oleo Catechumenorum.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Monaſterium S.Mariæ de Angelis.

In Monaſterio S. Mariæ de Angelis. Pixis melius foderetur de Corporali.

Fiat lavellum, & Oratorium in Sacriſtia. Calices indecentes reficiantur.

In Sacello S.Mariæ de Gratiis.

Non celebretur in eo, quouſque feneſtra ibi exiſtens muniatur tela cerata.

Oratoria demolienda.

Demoliantur omnia Oratoria exiſtentia in prædio dictæ Terræ aperta, & indecentia, nec non ſine reditu.

Provideatur R. Abbati de idoneo Coadjutore, & inhibeatur DD. Laurentio de Miningado, Georgio Samna, & Fratri Melchiori de Melchioribus Ordinis S.Franciſci audientia confeſſionum.

Chioſanum, ſeu Chiſanum oppidū & ejus Eccleſiæ S. Mariæ Major.

72. *In Eccleſia S. Mariæ Majoris Terræ Chioſani.*

Pixides aſſervationis, & delationis SS. Euchariſtiæ foderentur melius de Corporali.

Fiat Burſa ſerica decens collo appenden. ut alibi dictum eſt.

Fiat operculum in fonte Baptiſmali, quod foderetur juxta ſolitum.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Imago Crucifixi ſatis deformis appenſa in pariete dictæ Eccleſiæ auferatur, ſecretoque comburatur, cineres cujus ponantur in Sacrario.

Calix indecens Sacelli S. Juliani reficiatur.

Inhibeatur celebrari in Sacello S. Bartholomæi.

S.Mariæ de Valle.

In Eccleſia S. Mariæ de Valle.

Calices, & Patenæ indecentes reficiantur.

S.M. Annunciationis.

In Eccleſia Annunciationis B.Mariæ.

Sepulcrum ex fabrica deprimatur, & marmoreum muro admoveatur.

Inhibeatur D. Jacobo Cuccino, & D. Angelillo Matarazzo confeſſio, & eidem Matarazzo, & D. Thomæ de Marino, D. Joanni Buccarello, & D. Joanni Tintinno, & D. Aurelio de Sotiis, neſcientibus cæremonias, inhibeatur Sacrum, quouſque eas didicerint.

Mons-Falconus oppidum, & ejus Eccleſia S.M.Aſſūptionis.

73. *In Eccleſia B. Mariæ Aſſumptionis Terræ Montis Falconis.*

Reparetur ipſa Eccleſia in tecto, & pavi-

vimento:

Pixis SS. Euchariſtiæ melius foderetur de Corporali.

Fiat operculum in fonte Baptiſmali, quod foderetur lamina ſtamnea.

Fiat thecula ſaltem ſtamnea, in qua conjungantur vaſa Chriſmatis, & Olei Catechumenorum, & velo decenti tegantur.

In deſcribendis baptizatis, & contrahentibus matrimonia ſervetur forma Synodi Beneventanæ.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Scala, per quam aſcenditur in campanile Eccleſiam deturpans, & impediens, demoliatur.

Eccleſia diruta S.Georgii.

Pro Eccleſia diruta S. Georgii celebretur ſemel ſingulis menſibus in Eccleſia matrici.

Abbati Auguſtino Fraſca provideatur quamprimum de idoneo Coadjutore.

Inhibeatur D. Joanni Bernardino Rubeo, & Fratri Paulo Chillo audientia confeſſionum.

Monſ-Fuſculus oppidum, & ejus Eccleſiæ. Collegium S.Ioannis in Bali.

74. *In Eccleſia Collegiata S. Joannis in Balio Terra Montiſuſcoli.*

Foderentur Pixis de Corporali, & Tabernaculum de ſerico.

Fiat operculum in fonte Baptiſmali, & lamina ſtamnea foderetur.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Compellantur Canonici ſingulis diebus Dominicis, & feſtis veſperas ſimul cantare in Choro.

Fiat Sacriſtia, & in ea lavacrum, & Oratorium.

Provideatur de Planeta, Dalmaticis, Pluviali, & Pallio Altaris ex domaſco rubro, & totidem ex domaſco albo.

Et de quatuor Planetis decentibus, ſaltem laneis, viridis, violacei, rubei, & albi colorum.

Fiat Turibulum argenteum decens, cum Navicella, & cocleari de eodem.

Et omnia hæc ſupradicta fiant paulatim.

Calices rugoſi, & indecentes reficiantur, & provideatur, ut ſint quatuor Calices decentes.

In Sacello S. Mariæ de Martyribus.

Rationes videantur, & fiat, ut dictum eſt in Terra Apicii.

S.Matthæus.

In Eccleſia S. Matthæi.

Foderetur, ut ſupra, Pixis, & Tabernaculum, quod etiam tegatur umbella decenti.

S. Euchariſtiæ Sacramentum deferatur iu Calice ad infirmos.

Fons Baptiſmalis fiat latior, & decentior.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

In uno ex Sacellis collateralibus fiat Altare, & armarium, in quo decentius conſerventur Reliquiæ.

Deſcenſus, per quem deſcenditur ad Eccleſiam S. Joannis Sfroletini, claudatur.

Corporale immundum mundetur.

Et ipſa Eccleſia S. Joannis reſarciatur in pavimento, & mundetur.

S. Nicolaus de Turricis.

In Eccleſia S. Nicolai de Turriclis.

Propterea, quia præfata Eccleſia in loco ſatis remoto reperitur, & propter ſitum, & magnitudinem neceſſario in reparatione erit ſemper oneri futura, viſa eſt ſuperflua, & expedire, tranſlata Icona, & erecto Altari in Eccleſia Sancti Matthæi, demoliri, aut profanari, ſi ita videbitur V.R.D. arbitrio cujus duximus remittendum.

Et compellantur Canonici S. Joannis dictæ Terræ, utpotè Parochi Eccleſiæ S. Matthæi, ad ſuſcipiendam curam, & onus Parochianorum præfatæ Eccleſiæ S. Nicolai, levius ſatis futurum Eccleſia ſublata, cujus ædificii Campanarum, & ornamentorum ſentient commodum, la. parvum, * remanentibus tenuibus reditibus Rev. Cappellano Metropolitanæ pro ſubſtentatione cultus Divini.

*Videtur aliquid deeſſe.

Calix rugoſus reficiatur.

Imago S. Nicolai deturpata, aut reſarciatur, aut ſecreto comburatur, & ejus cineres in Sacrario ponantur.

S. Nicolaus de Franchis.

In Eccleſia S. Nicolai de Franchis.

Eccleſia incruſtetur, reparetur in pavimento, & amplietur, ſublato pariete intermedio in primo ingreſſu.

SS. Euchariſtia deferatur ad infirmos in Calice, reſeruata etiam in eadem Pixide remanente in Tabernaculo.

Fons Baptiſmalis mutetur, & collocetur in Sacello à latere ſiniſtro ingreſſus Eccleſiæ.

Non admittantur duo viri ad levandum puerum de fonte.

Altare majus elevetur, & collateralia demoliantur.

Altare, & Sacellum S. Jacobi Eccleſiam impediens, & Altare Pietatis, in quo Celebrans vertit terga SS. Euchariſtiæ demoliantur.

S. Marci de Platea

In Eccleſia S. Mariæ in Platea.

Parocho hujus Eccleſię provideatur de idoneo Coadjutore, cum aſſignatione congruæ portionis; & ſic fiat in Eccleſia S. Mariæ Caſalis Turris, habita conſideratione ad portionem, quam percipit Gaſpar de Aquila nobilis Beneventanus patronus dictarum Eccleſiarum decrepitus, & pauper, aſſignatam pro ſui ſubſtentatione a R. Curia Archiepiſcopali, & ſuccedente vacatione unio diſſolvatur, & eiſdem Eccleſiis Parochi idonei præficiantur, juxta Dec. Conc. ſine præjudicio tamen jurispatronatus.

Familia de Aquila Beneventana nobilis.

Eccleſia dealbetur, & reparetur in parietibus, & pavimento.

Pi-

Pixis, ubi aſſervatur SS.Euchariſtia foderetur de Corporali.

Aptetur Tabernaculum decentius, & foderetur de ſerico.

Sanctiſſima Euchariſtia deferatur ad infirmos in Calice, remanente etiam Particula in Pixide intus Tabernaculum.

Operculum fontis Baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Fiat Planeta ex raſo rubro, & altera ex domaſco albo, dalmaticæ conſimiles.

Deſcenſus ad concavitatem ſubtus Tribunam muretur, & ſervitium Altarium in ea exiſtentium transferatur in aliis ſuperioribus.

Duo Altaria, in quibus Celebrans vertit terga SS.Euchariſtiæ, demoliantur.

S.Petrus de Ferrariis.

In Eccleſia S.Petri de Ferrariis.

Tabernaculum foderetur de ſerico.

SS. Euchariſtia deferatur ad infirmos in Calice, remanente Particula, ut ſupra.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe Olei infirmorum.

Altare majus collocetur in tertia navi, extenſa Tribuna in viridario, & remanente illo, quod nunc eſt Altare majus, pro Altari erigendo in dicta Eccleſia pro Eccleſia diruta S.Stephani, huic unita.

Monaſterium S. Franciſci.

In Monaſterio S.Franciſci.

Pixis melius de Corporali foderetur.

Calix indecens reficiatur.

Provideatur de urceolis vitreis ſufficientibus.

Sepulcra fere patentia aptentur, & cooperiantur.

Eccleſia S.Leonardi Ord.S.Benedicti.

In Eccleſia S. Leonardi Fratrum Ordinis S. Benedicti.

Calix indecens reficiatur, & Corporale mundetur.

S.Mariæ à Graſſagna.

In Eccleſia S.Mariæ à Graſſagna.

Tabula quædam vetuſtate deturpata ſecreto comburatur, & cineres in Sacrario ponantur.

Celebretur in dicta Eccleſia ſemel in hebdomada.

S. Maria Annunciationis.

In Eccleſia ſimplici B. Mariæ Annunciatæ.

Reparetur, & mundetur ipſa Eccleſia, & provideatur de Icona decenti.

Altare competenter ornetur, & in eo ſemel in hebdomada celebretur.

S.Maria de Venticano.

In Eccleſia S. Mariæ de Venticano.

Ejus parietes reſtaurentur ſaltem paulatim.

S.Laurentius.

Gentilium inſcriptiones deleantur.

Reparetur Eccleſia S. Laurentii in tecto, & pavimento. Et in ea celebretur ſaltem ſemel in hebdomada.

Pro Eccleſia ſemidiruta S. Sabini erigatur Altare in Eccleſia S. Petri Caſalis Petræ Fuſorum commodius, & in eo ſaltem ſemel ſingulis menſibus celebretur.

Eccleſia S.Eliæ reconcilianda.

Eccleſia S.Eliæ, ſi opus eſt, mundetur, & deinde reconcilietur.

Hortamur V.R.D. ut niſi aliter his DD. meis Cardinalibus viſum fuerit, pro ſui providentia, & gravitate opportunis mediis compellat adminiſtratores Montis Pietatis ſingulis annis reddere rationem, cum interventu alicujus a V. R. D. deputandi, maxime, ſi ut fertur, bona pars bonorum dicti Montis ex vltima voluntate obvenerit. Mons Pietatis.

Conventio inter Parochianos Eccleſiarum S. Matthæi in Monteſuſculo, & S.Januarii in Venticano ex una, & Canonicos Sancti Joannis in Valeno inita de anno 1055. tanquam ſapiens ſimoniacam pravitatem, nutritiva malorum morum, & incentivum præſtans captandæ mortis alienæ, tanquam injuſta, invalida, & nulla rejiciatur, non obſtante quacumque confirmatione.

Conventio ſimoniacè facta inter Parochianos Eccleſiarum rejicitur.

Nihilominus compellantur Canonici bis ſingulis diebus in dicta Eccleſia Sancti Matthæi rem Divinam agere, & ſedulo Sacramentorum adminiſtrationi, & ceteris præfatæ Eccleſiæ obſequiis incumbere.

Compellantur etiam præfati Canonici muneri ſuo ſatisfacere, & toties celebrare, aut celebrari facere, quoties ſibi hoc onus imminet, & non prout hactenus defraudarunt unam Miſſam celebrantes, pro duabus, vel tribus, ſecundum turnum Eccleſiæ, ab eis debitis eodem die.

Provideatur etiam, ut Miſſæ eo ordine celebrentur ſucceſſive, una poſt aliam, ut indigenæ commodè, & ſuis horis congruis valeant intereſſe.

Declaravimus omnibus indigenis, dum ad Sacerdotium promoventur, licere in Cleri conſortium, & ſervitium ingredi, & ejus reditibus pro modo ſervitii potiri, nullius conſenſu, aut beneplacito obtento, aut petito, ſed ſolum ſuo Priori pro tempore exiſtenti propalato, juxta dicti Cleri Capitula, & Provinciæ conſuetudines; minimeque licere Clero præfato quemquam è conſortio expellere, quacumque ex cauſa; ita præcipiat obſervari Veſtra Rev.Dominatio.

Quam monemus, vt annuat petitioni Parochianorum S. Bartholomæi, in providendo de Rectore pro ipſa Eccleſia ſublato Œconomo, ſiquidem ſunt ſufficientes reditus.

Amoveatur Altare, in quo Celebrans vertit terga Sanctiſſimæ Euchariſtiæ.

Inhibeatur DD.Angelo Tronta, Marco Antonio Catalano, & Fratrib. Antonio de Monteſuſculo, Joanni Leonardo de Monteſarchio, & Fratri Joanni Hiſpano audientia confeſſionum.

75.*In Eccleſia S.Mariæ Terræ Altavillæ.* Altavilla oppidi & ejus Eccleſia S.Mariæ.

Pixis SS. Euchariſtiæ melius foderetur de Corporali.

Non utatur Calice in purificandis infirmis, neque alio vaſe ſimili.

Oper-

Operculum fontis Baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Aptentur vaſa ſtamnea decentia, & eleganti forma conjuncta pro Chriſmate, & Oleo Catechumenorum, & ſeparatum pro Oleo infirmorum, pro quo fiat Burſa ſerica.

Libri baptizatorum, & contrahentium matrimonia melius formentur.

Sodalitium Sacramenti.

In Societate SS. Euchariſtiæ inhibeantur Choreæ, & ſaltationes.

In Monaſterio S. Petri.

Monaſterium S. Petri.

Calix, Coppa, & Patena reficiantur, & deaurentur.

Corporalia, & Purificatoria mundentur.

In Hoſpitali.

Hoſpitale.

Dotes, & eleemoſynæ non erogentur ab Adminiſtratoribus ſine voto Electorum, & Syndici Univerſitatis, & alicujus a V.R.D. deputandi, & taxetur, & inhibeatur non excedere annuos ducatos decem.

Et pro pinguioribus reditibus ipſius Hoſpitalis, & Annunciatæ, expediret conduci ab ipſa Univerſitate ludimagiſtrum, qui pueros pauperes, prima rudimenta, & grammaticam doceret, & ei tribuere tertiam partem mercedis, & tantumdem concionatori, ut ſufficientiori conducto, uberiores afferat fructus.

In Cappella Societatis SS. Euchariſtiæ.

Creentur œconomi ſingulis annis a Confratribus publice in Eccleſia in octava ſolemnitatis SS. Euchariſtiæ, & videantur rationes totius temporis præteriti, & deinde ſingulis annis cum interventu alicujus deputan. ut dictum eſt.

Et Canonici ipſius Terræ non habentes titulos, priventur, & teneantur tanquam intruſi ad reſtitutionem fructuum male perceptorum.

Inhibeatur D. Andreæ Vaſſallo confeſſionum audientia, & D. Lucæ de Luciano, donec durent ejus ignorantia, & impedimentum infirmitatis.

76 *In Eccleſia S. Nicolai Terræ Ceppalonis.*

Ceppalonum Oppidū, & ejus Eccleſia.

Mutetur Altare majus in locum conſpectui Eccleſiæ ingreſſus, ut præcepit V.R.D.

Reparetur ipſa Eccleſia in tecto.

Pixis SS. Euchariſtiæ foderetur de corporali, quod etiam ei ſupponatur.

Tabernaculum foderetur de ſerico.

Vaſa SS. Chriſmatis, & Olei Catechumenorum tegantur velo decenti.

Non admittantur duæ feminæ ad levandum puerum de fonte.

In deſcribendis matrimoniis ſervetur forma Synod. Beneventanæ.

Aptetur vaſculum ſtanneum decens pro oleo infirmorum.

Et fiat burſa ſerica pro eo.

Deſcenſus ad Juſum corpus * claudatur, & aperiatur oſtium a via publica; Calices rugoſi, & indecentes reficiantur.

* Ideſt ſubtus Altare.

In Sacello Societatis SS. Euchariſtiæ.

Sodalitium Sacramenti.

Tegantur pudenda Angelorum depictorum.

Fiat liber, in quo notentur redituum introitus, & eleemoſynarum exitus.

In Eccleſia S. Mariæ Annunciatæ.

S. Maria Annunciationis.

Pixis foderetur de corporali ſine glutino. Fons Baptiſmalis auferatur.

Eccleſia S. Joannis in primo reparetur paulatim, & cooperiatur.

Reparetur Eccleſia S. Bartholomæi in tecto, & parietibus.

Reparetur Eccleſia S. Georgii in tecto.

Sequeſtrentur fructus Eccleſiæ S. Barbati, & expendantur in ejus reparatione.

In Eccleſia S. Mariæ de Plano.

S. Mariæ de Plano.

Demoliatur quoddam Sacellum deturpans, nec non impediens eam.

76 *In Eccleſia S. Mariæ de Carmine Pheudi Poppani.*

Eccleſia S. M. de Carmelo Pheudi Poppani.

Provideatur de Altari portatili, & candelabris ligneis decentibus.

77 *In Eccleſia S. Euſtachii Montis Aperti.*

Mons-Apertus Oppidum, & ejus Eccleſia.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Operculum fontis Baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Aptetur vas decens ad aquam infunden. Sacrarium fiat decentius.

Reparetur Eccleſia S. Nicolai in parietib.

79 *In Eccleſia S. Mariæ de Platea Caſalis Turris.*

Turris Nucellarum Caſtrum, & ejus Eccleſia.

Amplietur Eccleſia pro capacitate Parochianorum.

Foderetur Pixis de corporale, & Tabernaculum de ſerico.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Operculum fontis Baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Provideatur de Coadjutore R. Abbati, & inhibeatur audire confeſſiones RR. Albentio Farello, Donato Cardillo, & Petro Intenſæ.

80 *In Eccleſia S. Crucis Caſtri Muzzi.*

C[illegible] tium & ejus Eccleſia.

Compellantur Parochiani tribuere Archipresbytero convenientem reditum, ut poſſit eis facere ſacrum, ſaltem ſingulis dieb. feſtis.

Reparetur Eccleſia in parietib. & tegatur a parte dextera altaris majoris, ac bene detineatur.

Provideatur de Mappis, & Candelabris decentibus.

In deſcribendis baptizatis, & contrahentibus matrimonia ſervetur forma Synod. Benevent.

81 *In Eccleſia S. Petri Caſalis Cucciani.*

Luccianum Caſale, & ejus Eccleſia.

Fiat Sacriſtia. Supponatur Corporale Pixidi.

Fiat vas olei infirmorum decentius, & burſa ſerica pro eo.

Operimentum fontis Baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Aptetur vas decens ad aquam infundendam. Et ſacrarium decentius.

Fons aquæ luſtralis fiat decentior.

In deſcribendis baptizatis ſervetur forma Synod. Beneventanæ.

Abbas doceat doctrinam Chriſtianam pueros ſingulis diebus feſtis.

Aſſervetur reliquia Sanctorum Sebaſtiani, & Blaſii in Capſula decenti.

82 *In Eccleſia S. Petri, ſeu Annunciationis Caſalis Petræ Fuſorum.*

Petra Fuſorum Oppidū: & ejus Eccleſia.

Amplietur Eccleſia, & reparetur in parietibus.

Fiat Sacriſtia; Et burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Fons baptiſmalis fiat decentior, & ejus operimentum lamina ſtamnea foderetur.

Provideatur in ipſa Eccleſia de Vicario perpetuo.

In Eccleſia S. Mariæ de Plano.

Providetur de Altari portatili decenti, & fiat oſtium in ea.

S. Paulina Caſtrum, & ejus Eccleſia.

83. *Eccleſia S. Paulinæ Caſtri S. Paulinæ.*

Fiat Sacriſtia. Supponatur corporale Pixidi.

Tabernaculum foderetur de ſerico.

Vaſcula SS. Chriſmatis, & olei Catechumenorum fiant juncta, & decentia, quę auferantur cum vaſe olei infirmorum a loco ſpoliatorii confratrum, & ponantur in loco decentiori.

Vas olei infirmorum fiat elegantius, & burſa ſerica pro eo.

Perficiatur quā primū fons baptiſmalis.

Conficiantur libelli decentiores pro ſcribendis baptizatis, & contrahentibus Matrimonia; & in eis ſervetur forma Synodi Beneventanæ.

Abbas doceat doctrinam Chriſtianam pueros ſingulis feſtis.

Calix devaſtatus accommodetur.

In eadem Eccleſia.

Inhibeatur confratribus S. Mariæ de Gratia refectio, & omnib. aliis.

Calix indecens reficiatur.

Inhibeatur audientia confeſſionum DD. Petro Coladato, & Julio Egidio.

In Eccleſia S. Januarii.

Supponatur corporale Pixidi, & foderetur Tabernaculum de ſerico.

In Cappellis Societatis Corporis Chriſti, & Annunciationis.

Sodalitium SS. Corporis Chriſti, & Ss Annunciationis.

Non utantur altaribus portatilibus indecentibus, ſed provideatur de decentioribus.

In Eccleſia Annunciationis.

Supponatur corporale Pixidi, & foderetur de ſerico Tabernaculum.

Hoſpitale detineatur bene, ut convenit.

84 *In Eccleſia S. Angeli Caſalis S. Angeli ad Cancellas.*

S. Angelus ad Cancellas Caſale, & ejus Eccleſia.

Fiat Sacriſtia, & burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Sacrarium fiat decentius.

Amoveatur D. Fabius Tronconus, & provideatur de Rectore.

85 *In Eccleſia S. Georgii Caſalis ejuſdem nominis.*

S. Georgius da Montanea Caſale, & ejus Eccleſia.

Fiat Sacriſtia, & reparetur Eccleſia ſupra portam, & in trabe ſub tecto.

Sanctiſs. Euchariſtia aſſervetur in pixide argentea, cui ſupponatur corporale, de quo foderetur.

Tabernaculum foderetur de ſerico, facto prius decentiori.

Deferatur SS. Euchariſtia in pixide, vel calice argenteis.

Vaſa SS. Oleorum Chriſmatis, & Catechumenorum fiant juncta, & decentia.

Aptetur vas decens ad aquam infundendam; & ſacrarium decentius.

Vas olei infirmorum fiat decentius, & burſa ſerica pro eo.

In deſcribendis baptizatis ſervetur forma Synodi Beneventanæ, & fiat liber pro ſcribendis matrimonia contrahentib., & ſervetur forma, ut ſup.

Calices indecentes reficiantur.

86 *In Eccleſia S. Januarii Terræ Cervinariæ.*

Cervinaria Oppidum, & ejus Eccleſia.

Pixis foderetur de corporale, & Tabernaculum de ſerico.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Operculum fontis Baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Et inhibeatur detineri aquam baptiſmalem in vaſe fictili, & uſus altaris portatilis indecentis, ſed provideatur de altero decentiori.

In Eccleſia S. Mariæ de Vallo.

Reparetur ea a parte dextera altaris Majoris, & in teſtud. Cappellæ S. Antonii.

Tabernaculum fiat decentius, & bene foderetur de ſerico.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Operculum fontis Baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur, & inhibeatur aquam baptiſmalem detineri in vaſe fictili.

In Eccleſia S. Marzani.

Reparetur ea in parietibus a parte exteriori, & in tecto.

Fiat Sacriſtia. Tabernaculum foderetur de ſerico.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Operculum fontis Baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Et ſacrarium aptetur decentius.

In Eccleſia S. Adjutoris.

Præfata Eccleſia reparetur, & amplietur, & fiat Sacriſtia.

Pixis SS. Euchariſtiæ velo tegatur, & ponatur umbella ſupra tabernaculum.

Fiat burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Oper-

Operculum fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.
Reparetur Eccleſia S. Petri, ne pluat, & fiat Sacriſtia in ea.
Tabernaculum foderetur de ſerico.
Fiat burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum, & ponatur in loco decentiori.
Operculum fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.
Inhibeatur aquam baptiſmalem detineri in vaſe fictili.
Reparetur Eccleſia S. Mariæ de Gratia in parietib. & inhibeatur uſus altaris portatilis indecentis, ibi exiſtentis.

In Eccleſia S. Angeli.

Reparetur dicta Eccleſia in parietibus, provideatur de rebus neceſſariis, & in ea celebretur ſaltem ſemel in hebdomada.
Et videantur jura Caroli Vernæ, & aliorum hujus familiæ prætendentium jus patronatus dictæ Eccleſiæ, quæ ſerventur; nec non cura, ſi dictæ Eccleſiæ imminet, ut prætendunt, una cum Sacramentis reintegretur, & compellatur poſſeſſor ad reſidentiam juxta Canonicas ſanctiones.

In Eccleſia Annunciationis.

Fiat pavimentum.

Eccleſia S. Blaſii.

Detineatur clauſa.
Provideatur de Coadjutore idoneo D. Salvatori de Blaſio, & inhibeatur audientia confeſſionum D. Joanni Finellæ, & ſacrum D. Cæſari Collecto, donec didicerit cæremonias Miſſæ, & injungatur D. Horatio de Gulielmo, ut audiat confeſſiones.

87 *In Eccleſia S. Martini, & S. Angeli Caſtri S. Martini.*

S. Martinus Caſtrum, & ejus Eccleſia S. Martinus.

Attenta loci paruitate, & Eccleſiarum parrochialium S. Martini, & S. Angeli prædictarum ſitu, & ſtatu, & ineptia D. Stephani, expediret, eis demolitis, curam omnem, una cum Archipresbyterali dignitate, & denominatione transferri, & uniri ad Eccleſiam S. Joannis recentem, & amplam, ereptis ibi ſacellis, & Collegio tot Clericorum, quorum ſubſtentationi reditus ſufficiunt, ſi ita videbitur V. R. D. ſin minus Eccleſiæ præfatæ in locis commodioribus reædificentur diviſis parochiis per regiones, juxta Decr. Concil., & Eccleſia S. Joannis reparetur in tecto, & ejus ſacriſtia, ne pluat.
Fiat burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.
Operculum fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.
Fons aquæ luſtralis fiat lapideus decens.
Doceat Parochus Doctrinam Chriſtianam pueros ſingulis diebus feſtis.
Calix devaſtatus accommodetur, & corporale immundum mundetur.
Inhibeatur uſus altaris portatilis indecentis exiſtentis in altari Corporis Chriſti.

Conc. Prov. Benev.

Eccleſia S. Antonii reparetur in parietibus.

In Eccleſia Annunciationis.

Reparetur in parietibus, & incruſtetur, & dealbetur, & fiat in ea pavimentum, & provideatur de rebus neceſſariis, in qua celebretur ſemel in hebdomada.
Et pro Eccleſiis dirutis SS. Petri, Palerii, Thomæ, Summani, & Margaritæ, erigatur altare in ſupradicta Eccleſia, vel in Eccleſia S. Joannis, in quo fiat ſacrum ſaltem bis in menſe.

In Eccleſia S. Mariæ.

Reparetur in tecto, & parietibus, & fiat in ea pavimentum, & provideatur de rebus neceſſariis, in qua celebretur ſaltem ſemel in hebdomada.
Inhibeatur uſus altaris portatilis exiſtentis in Eccleſia S. Catharinæ, ac etiam uſus albæ indecentis, & Rever. D. Stephano Varrecchia audire confeſſiones, ſed injungatur D. Marco Piſanello eas audire.

88 *In Eccleſia Annunciationis Terræ Rotundorum.*

Rotundi Oppidum, & ejus Eccleſia.

Reparetur in parietibus, & amplietur, ac fiat Sacriſtia expenſis parochianorum, ob tenues reditus ipſius Eccleſiæ.
Tabernaculum foderetur de ſerico; fiat burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.
Operculum fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.
Parochus doceat pueros Doctrinam Chriſtianam ſingulis diebus feſtis.

In Eccleſia S. Laurentii.

Fiant Januæ, ut poſſit detineri clauſa, & in Eccleſia S. Mariæ de Stella inhibeatur uſus altaris portatilis indecentis.

89 *In Eccleſia S. Andreæ Caſalis Pauliſiorum.*

Pauliſi Caſale, & ejus Eccleſia.

Reparetur, incruſtetur, dealbetur, & fiat in ea pavimentum, & Sacriſtia.
Foderetur Tabernaculum de ſerico, & fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.
Operculum fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.
Aptetur vas decens ad aquam infundendam, & Sacramentum detineatur decentius.
Fons aquæ luſtralis nitide detineatur.
Archipresbyter doceat pueros Doctrinam Chriſtianam ſingulis diebus feſtis.

In Eccleſia S. Thomæ.

Reparetur Eccleſia in parietibus, & fiat in ea pavimentum.
Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.
Fons baptiſmalis detineatur clauſus, & ejus operculum foderetur lamina ſtamnea.
Aptetur vas decens ad aquam infundendam, & Sacrarium detineatur decentius.
In ſcribendis baptizatis, & matrimo-

nia contrahentibus ſervetur forma Synodi Beneventanæ.

Archipresbyter doceat pueros Doctrinam Chriſtianam ſingulis diebus feſtis.

Inhibeatur uſus Altaris portatilis indecentis, ſed provideatur de decentiore.

In Eccleſia Annunciationis.

Reparetur in fornice, & altare fiat decentius, in quo celebretur ſemel in hebdomada, & ipſa Eccleſia detineatur clauſa.

Eccleſia S. Antonii de Vienna reparetur in parietibus.

Eccleſia S. Leonardi muniatur portis, & celebretur in ea ſemel in menſe.

Eccleſia S. Fortunati reparetur in pariete, & Calix dictæ Eccleſiæ non conſecratus, conſecretur.

Inhibeatur audientia confeſſionum RR. Andreæ de Attanaſio, & Iacobo Antonio Nuczillo.

90 *In Eccleſia Sancti Angeli Caſalis Cirignani.*

Cirignanum Caſale, ut num. 27 & ejus Eccleſia.

Incruſtetur, dealbeturque. Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Operculum fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Aptetur Sacrarium, & teneatur decentius.

Et fons aquæ luſtralis fiat elegantius.

In Eccleſia S. Petri Familiæ Ricciorum.

Muniatur pavimento, & ejus fons aquæ luſtralis decentior fiat.

Eccleſia S. Iacobi incruſtetur, dealbetur, & accommodetur in ea pavimentum.

Eccleſia altera S. Petri de Familia Ricciorum muniatur pavimento.

Eccleſia S. Petri, cujus eſt Rector D. Bartholomæus, incruſtetur, & dealbetur.

Compellatur R. D. Bartholomæus Riſciolus ad reſidentiam ſuæ Parochialis Eccleſiæ S. Mariæ a Lucerino juxta Decr. Concil. & Conſtitutiones Apoſtolicas.

Reparetur Eccleſia S. Mariæ a Lognano in parietibus, & fiat in ea pavimentum.

Et in Eccleſia S. Nicolai ſibi annexa, Tabernaculum foderetur de ſerico.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Parochus doceat pueros Doctrinam Chriſtianam ſingulis feſtis.

Eccleſia ſimplex S. Jacobi muniatur pavimento.

91 *In Eccleſia S. Angeli Terræ Montis Herculis.*

Mons-Herculis Oppidum, & ejus Eccleſia.

Dealbetur ipſa, ac reparetur in parietibus.

Thecula, in qua defertur SS. Euchariſtia ad infirmos, foderetur de corporali.

Operculum fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Non admittantur duo viri ad levandum puerum de fonte.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Pavimentum Sacriſtiæ reſarciatur.

In Eccleſia S. Mariæ.

Fons baptiſmalis pyramide lignea muniatur, & ejus operculum fontis baptiſmalis lamina ſtamnea foderetur.

Non admittantur duo viri ad levandum puerum de fonte.

Fiat Burſa ſerica pro vaſe olei infirmorum.

Provideatur de Calice decente.

In Monaſterio Sanctæ Mariæ de Gratia.

Foderentur Pixis ſine glutino, & Tabernaculum de ſerico.

In Eccleſia S. Marci Archipresbyterali.

Foderentur Pixis de corporali ſine glutino, & Tabernaculum de ſerico.

Fiat Burſa ſerica collo appendenda, ut in aliis locis dictum eſt.

Et altera ſerica decens pro vaſe olei infirmorum.

Pavimentum Sacriſtiæ reſarciatur.

Calix confractus SS. Trinitatis reficiatur.

In Eccleſia S. Mariæ de Conſtantinopoli.

Pixis foderetur de corporali ſine glutino.

In Monaſterio S. Franciſci Conventualium.

Foderetur, ut ſupra, Pixis, & Calices deauratione indigentes deaurentur.

In Sacello S. Antonii.

Calix rugoſus cum coppa, & patena reficiatur, & deauretur.

Eccleſia S. Leonardi incruſtetur, & dealbetur.

In Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ.

Reparetur in tecto, & in fornice Altaris majoris.

Deleantur Gentilium inſcriptiones cujusdam ſepulcri.

Eccleſia Sancti Pauli reparetur in fornice.

In Hoſpitali.

Cubilia fiant commodiora.

Et videantur rationes ſingulis annis cum interventu alicujus deputandi a V. R. D.

Inhibeatur DD. Bartholomæo Carrara, & Fratri Cæſari Tannarello Ordinis Conventualium Sancti Franciſci audientia confeſſionum.

Rebus ab aliis exequendis pro earum neceſſitate, & locorum opportunitate V. R. D. præfiget terminum competentem; iis, quæ a V. R. D. ſunt exequenda præfigimus terminum trium menſium, & me plurimum V. Rev. Dom. in Domino commendo. Cajetæ die 18. Menſis Aprilis M. D. LXXXI.

V. D. Adm. Ill. & Rever.

Loco ✝ Signi.

Deditiſſimus
P. Epiſc. Cajetanus.

JOAN-

JOANNES BAPTISTA FOPPA.

Joannes Baptiſta Foppa Bergomenſis LVIII. Archiepiſc. Congregationis Oratorii Romanæ alumnus, electus die XVIII. *A. D.* MDCXLIII. *Provincialem Synodum A. D.* MDCLVI. *coegit. Metropolitanam Eccleſiam Sacra Supellectili, & aurato laqueari decoravit. Divi Bartholomæi Baſilicam magnifica confeſſione diſſectis e marmoribus auxit, ibique Apoſtoli Corpus honorificentiſſime propriis manibus collocavit. In Epiſcopio elegans Sacellum in honorem SS. Parentis ſui Philippi Nerii erexit, & dicavit. In vindicandis juribus, & libertatibus ſuæ Eccleſiæ arduiſſimam provinciam fortiter ſuſcepit, infracto ſemper animo ſuſtinuit, & ad obitum uſque feliciter dimicavit. Unde ſucceſſores omnes ſenticoſam olim, nunc ejus laboribus paratam reperientes viam, anteceſſoris benemerentiſſimi ad altare Domini meminiſſe debere noſcant. Obiit ſeptuagenarius die* XVIII. *Decembris A. D.* MDCLXXIII. *cum ſediſſet annos* XXX. *menſ.* VII.

CONCILIUM PROVINCIALE DECIMUMTERTIUM

Habitum Menſe Aprili 1656. a Joanne Baptiſta Foppa Archiepiſc.

Extat hoc Concilium manuſcriptum in Bibliotheca Metropolitanæ Eccleſiæ.

LITTERÆ INDICTIONIS

Provincialis Synodi Beneventanæ ad Reverendiſs. Epiſcopos Suffraganeos miſſæ.

Reverendissime Domine.

Nihil Nobis jam uſque ab Eccleſiæ noſtræ ſingulari Dei dignatione ſuſcepto regimine magis in votis fuit, quam ut Provincialem Synodum de Sacri Tridentini Concilii præſcripto convocaremus, cum præſertim ſexagintà jam fere annos ejus memoria, uſuſque in hac noſtra Provincia obſoleverit. Verum peramplæ, longeque diffuſæ Dioeceſis noſtræ curis, aliiſque ex aliis Paſtoralibus muniis, & canonicis impedimentis affecti, propriæ potius Eccleſiæ, quam Provinciæ conſulere coacti ſumus, vetuſque mentis propoſitum, atque animi ſtudium hucuſque protrahere. Et gratulamur quidem in præſenti de hac prorogatione, atque inſcrutabilia Dei judicia dignoſcimus, ac veneramur, quando in hæc incidiſſe videmus tempora Concilium a Nobis celebrandum, quibus ſanctum adeo, piumque caput, ac Dei zelo plenum ſupremum Paſtorem, Chriſtique Vicarium ſacroſancta ſortita eſt Eccleſia, Alexandrum videlicet ſeptimum divinitus Regali Chriſtianæ Reipublicæ Sacerdotio nuper præpoſitum, noſtrum potiſſimum omnium, qui curam Animarum gerimus munimen, unaque ſolamen, qui proinde primo ipſo afflatu, & tanquam ſpiritu oris ſui animos, ac vires addere imbecillitati noſtræ viſus eſt ad tam ſalutare, tam arduum negotium impigræ exequutioni mandandum; Cum illud paucis ab hinc menſibus occaſione Sacrorum inviſendorum liminum, ac ſanctiſſimorum pedum deoſculandorum, non modo dignatus ſit, quæ fuit Sanctitatis ſuæ benignitas, humaniſſime commendare; verum etiam auctoritate ſua roborare id, quod, & ſi non ita pridem Reverendiſſimæ fraternitati tuæ ſemel, ac privatis litteris ſignificavimus; inſtante tamen propius ejus celebrationis deſignato a Nobis tempore, iterum, ut moris eſt, præſentibus, ac publicis hiſce id ipſum Reverendiſs. amplitudini tuæ annunciare Nobis viſum fuit, ac diem certum indicere, quo Deo juvante conveniendum Nobis erit in unum ad ipſius omnipotentis Dei gloriam, noſtrarum Eccleſiarum, oviumque profectum, atque ad bonorum reductionem morum, emendationemque malorum; Quapropter ad Non. Kal. Maji proxime inſequentis anni 1656. qui erit Dominicæ in Albis feſtus dies, atque ideo aptiſſimus poſt ſacratiſſima Dominicæ Reſurrectionis celebrata ſolemnia, tum aggrediendo itineri, tum tantæ molis negotio ſolutioribus animis ſuſcipiendo, in Metropolitana noſtra Eccleſia Beneventana Concilium Provinciale incipiendum, proſequendumque indicimus, annunciamus, atque decernimus. Requirentes, hortanteſque amplitudinem tuam Reverendiſſimam pro ea, quam Dei cauſſis devoviſti, fide, ut ad ipſius celebrationem convenias, orneſque conventum præſentia tua, ut quo pleniori fuerit frequentia Patrum cohoneſtata Synodus noſtra, eo majoris apud omnes æſtimationis

tionis ſint, quæ in ea fuerint communibus ſancienda ſuffragiis. Sin autem (id quod nollemus) adverſa valetudine, aliove juſto impedimento detentus, de quo tamen fides facienda apud Nos eſt, & juxta Sacros Canones probanda, accedere ipſe non poteris, legitimum, itemque idoneum Procuratorem amplitudo tua mittat, oportet, qui perſonam tuam, qua par eſt, dignitate, ac prudentia referre poſſit in Synodo. Præterea eorumdem Sacrorum Canonum decretis obſequendo ſeligat Reverendiſſima fraternitas tua ex Capitulo, ceteroque Civitatis, ac Diœceſis tuæ Clero graves aliquot probatæ virtutis, ac ſcientiæ viros, ſecumque ducat in Synodum, ejus actionibus interfuturos uti Synodales Teſtes, qui coram Nobis jurati fidem ſuam Deo, ipſique Synodo obligent, nulla ſe ex parte muneri ſuo defuturos, cum in perſcrutandis, obſervandiſque diligenter, ac ſtrenue a præſenti eo Provinciali Concilio uſque ad proxime futurum, tum in aperiendis fideliter, ac ſincere ipſi deinde conſequenti Concilio iis omnibus, quæ correctione, aut reformatione digna in Domino judicaverint; Atque ut noſtræ hujus Provincialis Synodi indictio ad notitiam cunctorum, quorum oportet perveniat, Edictum, quod ad amplitudinem tuam mittimus, in Valvis Cathedralis Eccleſiæ, ceterarumque tuæ Diœceſis inſigniorum, etiam exemptarum, viciniorumque, etiam ſi nullius Diœceſis ſint, Eccleſiarum affigendum, promulgandumque cures, publico de hujusmodi affixione, ac publicatione ad Nos miſſo documento. Demum Deus Opt. Max. Reverendiſſimam fraternitatem tuam diutiſſime ſervet, atque ad Nos ſtatuto conventus noſtri tempore incolumem ducat. Beneventi ex noſtro Archiepiſcopali Palatio die xxiv. Decembris 1655.

Edictum Indictionis Provincialis Synodi Beneventanæ.

Joannes Baptiſta Foppa Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Beneventanus.

Provincialem Synodum, juxta Sacri Concilii Tridentini Decretum pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, aliiſque per ſacros Canones permiſſis pro noſtra Paſtorali ſollicitudine Deo favente celebraturi, cum eam ſingulis ad ſingulos miſſis litteris Venerabilibus Epiſcopis ſuffraganeis noſtris annunciaverimus, in Metropolitanam Eccleſiam noſtram Beneventanam ad Non. Kal. Maji, hoc eſt ad diem feſtum Dominicæ in Albis proxime ſequentis anni 1656. qua fungimur auctoritate, convocatis; præſenti Edicto noſtro, ut reliquis quoque omnibus, qui jure, vel conſuetudine hujuſmodi Provinciali Concilio intereſſe tenentur, ejus celebratio innoteſcat, neve illorum quis ignorantiæ excuſationem prætendere, vel ſe neglectum dicere queat; univerſis, ac ſingulis Abbatibus, Commendatariis, Capitulis Cathedralium, & cujuſcumque dignitatis, & gradus Clericis, quorum quacumque de cauſa intererit, etiam exemptis, nulliuſque Diœceſis, intra tamen fines Provinciæ noſtræ poſitis ſignificamus, indicimus, ac denunciamus Provincialis noſtri Concilii celebrationem ſub pœnis, ac cenſuris Eccleſiaſticis a Sacris Canonibus adverſus non accedentes poſitis, atque decretis. Præter autem eos, ad quos ex officio intereſſe ſpectaverit, ſi qui tum ex reliquis Clericis, tum ex Laicis quibuſcumque ſe ſe læſos exiſtimaverint, ac pro juſtitia conſequenda iis accedere ad Concilium, vel Procuratores mittere libuerit, licere ſibi id ſciant. Quare his quoque Civitatum, & Caſtrorum quorumcumque potiſſimum Dominis quocumque dignitatis, & gradus titulo fulgeant, ac Communitatibus, ceteriſque Provinciæ noſtræ, qui ſua quomodolibet intereſſe putaverint, præfati Concilii celebrationem, plenariamque indulgentiam a Sanctiſſimo Domino Noſtro conceſſam omnibus Chriſtifidelibus, tunc temporis viſitantibus noſtram Metropolitanam Eccleſiam ſignificamus: Hortamurque univerſim omnes ex animo, ut toto hoc, quod ad indictum uſque diem interjacet, tempore aſſiduis precibus, aliiſque Chriſtianæ pietatis officiis nobis opem, ac lumen divinæ expoſcant Sapientiæ, qua conſultationibus noſtris, piiſque conatibus præeunte, optatos tantorum laborum fructus ad commune gregis Nobis concrediti bonum percipere valeamus. Cujus rei cauſa præſens Edictum in Cathedralium, aliarumque Eccleſiarum inſigniorum, etiam exemptarum, & nullius Diœceſis, ſi quæ ſint Provinciæ noſtræ, valvis affigendum, promulgandumque mandavimus. Cujus affixione, publicationeque ita omnes, & ſingulos, qui in eo comprehenduntur, volumus adſtrictos eſſe, ac ſi nominatim illis intimaretur. In quorum fidem præſentes conficiendas, & per Nos, & Secretarium noſtrum ſubſcribendas, ſigilloque muniendas noſtro decrevimus. Datum Beneventi in Palatio noſtro Archiepiſcopali die vigeſima quarta menſis Decembris 1655.

SES-

SESSIO PRIMA.

Provincialis Synodi Beneventanæ celebrata die 23. Aprilis Anno Dñi 1656.

Decretum de inchoanda Synodo.

REverendiſs. Patres Placet-ne vobis, ut ad laudem, & gloriam Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad tuendam, & augendam Chriſtianæ Religionis diſciplinam, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus Provinciæ Beneventanæ, aliiſque a ſacris Canonibus ſancitis Beneventanum Provinciale Concilium incipiamus?

Reſponderunt. Placet.

Deinde Catholicam fidem ex præſcripta formula a Pio IV. Summo Pontifice palam omnes profeſſi ſunt, formulam autem inferius ſubjiciendam eſſe viſum fuit.

De ratione vivendi, & aliis in Synodo obſervandis.

CAP. I.

Conciliarem actionem omnes adjuvare ſtudeant: Singulis ſextis feriis jejunium celebrent. Epiſcopi, & Sacerdotes ad Synodum congregati, durante Synodo, ter in hebdomada Miſſam de Spiritu Sancto celebrent, & in charitate ſe gerant: Ceteri Sacerdotes in urbe ſingulis 5. feriis Miſſam de eodem Spiritu Sancto celebrent, & privatas fundant orationes. Supplicationes generales bis in hebdomada intra Eccleſiæ ambitum ducantur pro Summo Pontifice, Chriſtianis Principibus, & reliquis in quolibet gradu, ac dignitate conſtitutis orando.

CUm autem conſcii ſimus timorem Domini eſſe initium ſapientiæ, & quod omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens a Patre luminum, ſupplices deprecamur, ut ipſe nos regat, protegat, foveat, & dirigat mentes noſtras ad ea quæcumque plane ſalutaria, & opportuna ſunt, ut præſens Synodus ad gloriam Divini nominis, ac totius Provinciæ Beneventanæ profectum pro corrigendis abuſibus, & moribus reformandis in Spiritu Sancto inchoata felicem, ac ſalutarem progreſſum, exitumque fortiatur; obſecramus ergo omnes in Domino, ut aſſiduis, piiſque precibus, atque eleemoſynis has conciliares actiones adjuvare ſtudeant, & peccata anteactæ vitæ toto corde deteſtantes progrediantur in viam Domini Noſtri Jeſu Chriſti, in cujus Paſſionis memoriam ſingulis ſextis feriis jejunium celebrent. Reverendiſſimos vero Epiſcopos, ceteroſque in ordine Sacerdotali conſtitutos Provincialem hanc Synodum concelebrantes vehementer hortamur, ut ipſa Synodo durante ter in hebdomada ſacrificium de Spiritu Sancto peragere ſatagant, & ita ſe gerant in verbo, in opere, & in charitate, quemadmodum Apoſtolus monet, ut cum eos poſuerit Deus in acquiſitionem ſalutis, & in ædificationem, memores eorum officii digne, ſancteque coram Deo ambulent; Reliqui autem Sacerdotes in hac Civitate conſiſtentes, ſingulis ut quintis feriis miſſam de eodem Spiritu Sancto celebrare, & privatim orationes, poſtulationeſque fundere quotidie velint, hortamur ex animo. Sacras præterea ſupplicationes generales intra ambitum Eccleſiæ bis in hebdomada perſolvendas præcipimus pro Eccleſia Sancta Dei, pro Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Domino Noſtro Alexandro Papa VII. pro Sereniſſimis Imperatore electo, Rege Catholico, ceteriſque Chriſtianæ Reipublicæ Regibus, & reliquis in quolibet gradu, ac dignitate conſtitutis, necnon cujuſcumque conditionis hominibus, & in Orbe Terrarum fide, & charitate propagata diu optata pacis, & tranquillitatis dies divina miſeratione, & Apoſtolicæ Sedis gratia eluceſcat.

Quæ tempore Synodi a Sacerdotibus, & ſæcularibus agenda ſint?

CAP. II.

1 *Prior in Epiſcopali dignitate conſtitutus ſupra ceteros præcedat, præeminentiæ, aut exemptionis nulla habita ratione.*
2 *Epiſcopis inferioribus nullum, aut ſedendo, aut incedendo, aut in vocatione præjudicium afferatur.*
3 *Judices excuſationum præficiuntur.*
4 *Judices accuſationum, & querelarum ſtabiliuntur.*
5 *Secretarii duo ſtatuuntur.*
6 *Duo Notarii decernuntur.*
7 *Indictio futuræ Seſſionis.*
8 *S. Philippus Nerius, Beneventani Cleri Patronus, totius Provinciæ Patronus eligitur, ejuſque feſtum de præcepto ſervandum proponitur, & admittitur, ſi Pontifici placeat.*
9 *Decretum de S. Philippi Nerii Patronatu, & de feſto de præcepto.*

1 UT vero pro noſtri muneris ratione rite, & recte omnia peragantur, Sac. Conc. Trid. præſcripto inhærentes, & auctoritate ſacri Cæremonialis Romani innixi ſtatuimus, ut illi, qui prior in Dignitate Epiſcopali conſtitutus exiſtit, nullo habito reſpectu ad præeminentiam, ſive exemptionem, ſi quæ ſunt Eccleſiarum, ſupra ceteros præcedentia in omnibus debeatur.

2. Reliquis vero, qui Epiſcopis inferiores ſunt, tam Abbatibus, quam aliis in hac Synodo convenientibus, ſi forte contige-

tigerit ſuo loco non ſedere, aut incedere, aut vocari, ſive aliud quidquam agere, nulli propterea novum jus acquiri, nec quidquam de cujuſvis jure, & poſſeſſione detrahi, ſed in eo ipſo ſtatu, in quo ante hanc Synodum reperiebantur, omnia permanere decernimus.

3 Miniſtros autem ad hujuſmodi Synodalium actionum promotionem, & progreſſionem neceſſarios infraſcriptos deligendos duximus, videlicet Judices ad recognoſcendas abſentium excuſationes ad Nos miſſas, & eorum, qui ante fidem Concilii juſtam aliquam diſceſſus cauſſam ſe ſe habere exiſtimaverint, præficimus Reverendiſſimos DD. Epiſcopum Theleſinum, & Epiſcopum Avellinen. una cum noſtro Vicario Generali, ut prædictis cauſſis, & excuſationibus diligenter diſcuſſis ad Nos in Synodo referant.

4 Ad recipiendas, & in Synodo referendas accuſationes, & querelas contra quoſcumque delatas in Judices deligimus Reverendiſſimos Dominos Epiſcopum Guardiæ Alpheriæ, & Epiſcopum Montis Marani. Itidemque in Promotorem Concilii Rev. Martium Piccirillum.

5 In Secretarium vero ejuſdem D. Marcum Antonium Zollium; alterum ſecretarium, ſive lectorem D. Didacum Urſum.

6 Et ultimo loco in Notarios, qui rogati publica hujus Concilii acta conſcribere valeant Not. Joſephum de Vera, & Not. Hieronymum Pontelandolfum.

7 *Indictio futuræ ſeſſionis.*

Reverendiſſimi Patres Placet ne Vobis, ut proximam ſeſſionem habeamus ad diem 25. præſentis menſis, ita tamen, ut dictum terminum in Congregatione generali moderari, & prorogare libere liceat, ſicut rebus Concilii conducere judicabimus?

Reſponderunt. *Placet.*

8 Poſtea Illuſtriſs. & Reverendiſſimus D. Archiepiſcopus converſus ad Patres dixit.

Reverendiſs. Patres. *Placet ne Vobis, ut S. Philippum Nerium, jam a Nobis electum Patronum totius Cleri Beneventani, noſtræ etiam Provinciæ Patronum, & Protectorem eligamus, & conſtituamus, diemque anniverſarium ipſius Sancti ab omnibus Chriſti fidelibus noſtræ Provinciæ de præcepto obſervari mandetur?* Reſponderunt. *Placet, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro ita placitum fuerit.*

Tunc Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus juſſit promulgari decretum infraſcriptum.

9 *Sanctum Philippum Nerium Confeſſorem totius Cleri Beneventani electum Patronum in Diœceſana Synodo celebrata de Anno 1646. Provinciæ noſtræ perpetuum Patronum, ac Defenſorem conſtituimus, & declaramus, ipſiuſque Sancti anniverſariam diem 26. Maii ab utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, tam in Beneventana Civitate, quam in totius Provinciæ Civitatibus, & locis de præcepto obſervari mandamus, ut ejuſdem glorioſiſſimi Sancti præclaris meritis, & interceſſione perpetuam noſtrorum gregum cuſtodiam a magno, & ſupremo Sacerdote Chriſto Domino impetremus.*

Nos Joannes Baptiſta Foppa Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Beneventanus, ad Dei Omnipotentis, Beatæque Mariæ ſemper Virginis, ac Sancti Philippi Nerii Patroni noſtri laudem, hæc pro Chriſtianæ morum diſciplinæ confirmatione, qua Clerum, Populumque fidei noſtræ concreditum prælucere toto corde expetimus, in Provinciali Synodo Beneventana primo ſtatuimus, & ſancimus.

TITULUS I.

De profeſſione Fidei, & ejuſdem tuendæ cura.

SUMMARIUM.

1 *De Beneficiis proviſi in prima Diœceſana Synodo Fidei profeſſionem emittant.*

2 *Idem Cathedralium Canonici, & Dignitates præſtent coram Epiſcopo, ſeu Vicario, & Capitulo; alias fructus non lucrentur.*

3 *Idem Magiſtri, Pædagogi, aliique publice docentes; & quotannis, antequam ſtudia incipiant, eamdem Fidei profeſſionem renovent.*

4 *Cancellarii Univerſitatis ad ſua officia, & Scholares ad Doctoratus lauream in qualibet facultate ne admittantur, nec Cathedram aſcendere liceat, niſi fidem ſint profeſſi, quod in privilegio appareat, pœna nullitatis propoſita.*

5 *Prædicationis munus, aut Animarum cura, etiam ſine titulo beneficii, niſi fidem profeſſis, ne conferatur. Horum nomina a Parochis ad Epiſcopum infra menſem deferantur. Muneris exercitio interdicantur, qui Epiſcopi teſtimonium in ſcriptis de emiſſa fidei profeſſione non habent. Non parentes Epiſcopo denuncientur.*

6 *In fidei profeſſione de vitæ probitate inquirant Epiſcopi in puerorum inſtitutoribus.*

7 *Vitæ ratio domi docentium aliquando obſervetur. Libros obſcenas res continentes explicari vetandum.*

8 *Chriſtianæ fidei rudimenta in ſcholis tradenda ex præſcripto ab Epiſcopis libro.*

9 *Ludimagiſtri diebus feſtis ad divina diſcipulos conducant, aut convenire jubeant.*

10 *Epiſcopi viſitantes, an ſupradicta præſtentur, perſcrutari debent, libroſque probibitos eliminare.*

11 Fi-

11 *Fidem profitentium nomina in librum, in Epiſcopali Archivo ſervandum, referantur.*
12 *An in fide ſuſpecti ſint, Parochi animadvertant, & Epiſcopo indicent.*
13 *Monendus Populus ad denunciationem eorum, de quorum operibus in erroris alicujus ſuſpicionem deveniri poteſt.*

QUoniam in iis, quæ ad Catholicam fidem tuendam, quam Sancta Romana Eccleſia colit, & docet, & ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, integre, inviolateque ſervandam attinent, omni vigilantiſsima cura, ſummaque diligentia Paſtoribus elaborandum eſt, cum in eo genere nullum tantum ſtudium, quantum certe maximum requiritur, adhiberi poſsit; Ideo Nos hinc potiſsimum exordiendum eſſe duximus, ut quæ ex eodem ſpiritu eſt fides, eamdem una oris confeſsione profiteamur, juxta Apoſtoli doctrinam: *corde creditur ad juſtitiam, ore vero confeſſio fit ad ſalutem.*

1 Sancti igitur Tridentini Concilii, Summorumque Pontificum auctoritate innixi mandamus, ut quicumque beneficia Eccleſiaſtica obtinent, vel in poſterum obtinebunt, & qui ad Synodum Diœceſanam accedere debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, fidei profeſsionem emittant, veram obedientiam Summo Romano Pontifici ſpondeant, ſimulque hæreſes omnes publice deteſtentur, & anathematizent, fidem profitentes eiſdem verbis, quibus ex forma præſcripta, Nos, & Coepiſcopi noſtri initio hujus Sanctæ Synodi jurati præſtitimus, & profeſsi ſumus, etiam ſi antea in Diœceſana Synodo id officium, juxta decretum Tridentini Concilii quacumque ratione, & modo obierint.

Formula vero, ad cujus præſcriptum fidei profeſsionem præſtare oportet, Pontificia illa ſanctione Pii Quarti conceptis verbis tradita hæc eſt.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet.

Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem factorem Cæli, & Terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium, & in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas, & aſcendit in Cælum, ſedet ad dexteram Patris; Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas: & unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſsionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & ordinarias traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & Conſtitutiones firmiſsime admitto, & amplector.

Item Sacram Scripturam, juxta eum ſenſum, quem tenet, & tenuit Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere, & proprie Sacramenta novæ legis a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre; & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto: omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Synodo Tridentina declarata, & definita fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem una cum anima, & Divinitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat: fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari: Similiter, & Sanctos cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas: firmiter aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinen-

tinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cetera item omnia a ſacris Canonibus, & Œcumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacroſancta Trid. Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor. Simulque contraria omnia, aut hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, & rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & immaculatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſsime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, ſeu illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

2 Proviſi vero de Canonicatibus, & Dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus non ſolum coram Epiſcopo, ſeu ejus Vicario, ſed etiam in Capitulo idem præſtare teneantur, alioquin prædicti omnes proviſi fructus ſuos non faciant, nec illis poſſeſsio ſuffragetur.

3 Doctores præterea, Magiſtri, Pædagogi, & quicumque tam publice, quam privatim docent Theologiam, jus utrumque, artem Medicinæ, Philoſophiam, ceteraſque liberales artes in quibuſcumque Civitatibus, Terris, Oppidis, quoquo modo profiteri, aut docere ab Epiſcopis non permittantur, niſi prius Catholicam Fidem profeſsi fuerint, juxta formam ſupradictam Conſtitutionis ſan. mem. Pii Papæ Quarti, quam etiam profeſſionem ſingulis annis initio ſtudiorum emittere teneantur.

4 Nec item Rectores, vel Cancellarii Univerſitatis, aut Gymnaſii ad ſua officia, neve Scholares ad Doctoratus lauream, aliumve hujuſmodi gradum in dictis facultatibus ſuſcipiendum ullo modo admitti poſſint, neque præterea Cathedram conſcendere ante emiſſam fidei profeſſionem, de qua in privilegio Doctoratus ſpecialis mentio fiat, pœnis nullitatis, aliiſque in Conſtitutione ſupradicta propoſitis.

5 Nemo item ad prædicationis munus, aut ad curam Animarum exercendam, etiam ſine titulo beneficii admittatur, niſi prævia coram Ordinario fidei profeſſione. Ut autem id facilius, ac melius effici poſſit, ſtudioſe inquirant Parochi, quinam in ſuis Parochiis eo docendi munere fungantur, & eorum nomina ad Epiſcopum ad menſem a die publicationis Conſtitutionis ejuſdem deferant. Quos vero deinceps hujuſmodi cognoverint, primo quoque tempore Epiſcopo indicent ſub pœnis arbitrio infligendis. Iidemque Parochi ne ullo modo patiantur id, ut ſupra, munus a quoquam deinceps ſuſcipi, aut jam tum ſuſceptum exerceri, ſi is ſcripto Epiſcopi teſtimonio non oſtenderit, ſe fidei profeſſionem præſtitiſſe, immo vero, ſi ita teſtatum non fecerit, ei illo munere interdicant; ſi non paruerit, ad Epiſcopum deferant, qui in eum, prout juris eſt, animadvertat.

6 Et quoniam ad Chriſtianam pietatem hoc valde intereſt, ut inſtituendæ pueritiæ, & adoleſcentiæ munus committatur Viris non ſcientia ſolum, ſed fide, ac moribus, vitaque probatis; eam ob cauſſam a quo fidei profeſſionem Epiſcopus recepturus eſt, antea ab eo, cum vitæ ſuæ rationes perquirat, tum, ſi quod teſtimonium fidei, morumque a probatis Viris habet, afferri jubeat.

7 Hoc præterea diligentiæ adhibeat; poſteaquam aliquis, fidei profeſſione ad præſcriptum facta, docendi curam ſuſceperit, ejus etiam vitæ, morumque ratio, & puerorum inſtitutio aliquando obſervetur; idque in iis potiſſimum Ludimagiſtris, qui certa pacta mercede in diſciplinam ſuam traditos pueros domi educant. Et quorum librorum lectione, explicatione ve puerorum, aut adoleſcentium animi depravantur, & mores facile corrumpuntur, quo in genere ii ſunt, qui res obſcenas, & turpes continent, ut indice Tridentino ſancitum eſt, a Ludimagiſtris prælegi, explicarive Epiſcopus non patiatur, ac plane vetet, nec ab illis quidquam exponi, quod bonis moribus repugnet, quodque impietatem inducat, ut Lateranenſi ultimo Concilio decretum eſt.

8 Jubeat Epiſcopus, pueros, adoleſcenteſve a Ludimagiſtris Chriſtianæ Religionis præcepta, atque fidei rudimenta doceri, adhibitis iis ſolum libris, quos Epiſcopus ipſe præſcripſerit, quoſq. ad illud inſtituendi munus idoneos eſſe judicaverit.

9 Illud etiam eiſdem præſcribat, ut diebus feſtis ſcholæ ſuæ adoleſcentes, pueroſve, aut ipſi conducant, aut frequentes illos convenire jubeant ad ſolemne Miſſæ Conventualis ſacrum, ad verbi Dei Conciones, ad Divina Veſperarum officia, ad doctrinæ Chriſtianæ ſcholas, ad alia denique vitæ ſpiritualis ſtudia, atq; exercitationes.

10 Hæc omnia, an ab iis præſtentur, Epiſcopus viſitando, aut ipſe, aut alius ejus nomine, inveſtiget diligenter; tum maxime, an libros hi apud ſe habeant, vel ob fidei doctrinam, vel ob morum inſtitutionem damnatos, improbatoſve; tum præterea, an qui in eorum diſciplina traditi ſunt, honeſte educentur.

11 Omnium autem, qui fidei profeſſionem præſtabunt, aut præſtiterunt, nomina ordine notata in certum librum Epiſcopus a Cancellario Epiſcopali referri jubeat, qui liber in Archivo Epiſcopali ſervetur.

12 Parochi diligenter animadvertant, an in ſuis Parochiis ullus ſit, quod ad fidem attinet, pravis opinionibus imbutus, vel eo nomine ſuſpectus, eumque ad Epiſcopum deferant.

13 Moneant præterea populum debere omnes, ſi quos noverint aliquid feciſſe, vel dixiſſe, quamobrem de hujuſmodi peccati in probabilem ſuſpicionem venerint, ſtatim deferre.

TITULUS II.

De Epiſcopis.

SUMMARIUM.

1 *Phariſæorum perverſitas.*
2 *Epiſcoporum munus ſecundum Apoſtolum.*
3 *Eorum appellationes variæ.*
4 *Quæ præſtare; quoſque miniſtros habere debeant.*
5 *Non tantum communia; ſed peculiaria quædam diligenter obire tenentur.*
6 *Habita provincialis Concilii indictione, quid in Diœceſi procurandum?*
7 *Romanorum Pontificum Bullas duos poſt menſes ab editione promulgari in Diœceſi ſtudeant. Eæ in librum in Archivo ſervandum redigantur: a Metropolita ad ſingulos Comprovinciales ſunt mittendæ.*
8 *Præciſa Eccleſiarum neceſſitate in Principum Aulis haud verſentur.*
9 *Principe accumbente, Epiſcopus non ſtet.*
10 *Tridentina Synodus ea in re ſervanda proponitur. Neapolitanus Prorex ad Epiſcoporum honorific. etiam obſecratur.*
11 *Eccleſiaſtica bona nonniſi ſacris uſibus adhibenda.*
12 *Cupiditas malorum radix. Recta bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratio ex quibus ſuadetur?*
13 *Epiſcopi, & quicumque Eccleſiaſtica beneficia poſſidentes, onera illis annexa ſcire, eiſque integre ſatisfacere debent. Id ſi neglexerint, ſacrilegii ſunt rei, & ad reſtitutionem ſine excuſatione tenentur.*
14 *Hujuſmodi rei, ſi Metropolita fuerit, ad Synodum, inde ad Pontificem deferatur; ſi Epiſcopus, ab Archiepiſcopo, vel ab antiquiori ſuffraganeo monitus ſatisfaciat; ſi inobediens erit, Synodus puniat.*
15 *Inferiores quicumque ab Ordinario moniti non ſatisfacientes, ultra reſtitutionem, per ſex menſes ab Eccleſiaſticorũ bonorum adminiſtratione arceantur.*
16 *Pinguia beneficia obtinentes, Eccleſiæ, & pauperibus fructus, qui ſibi ſuperſunt, impendere debent.*
17 *Id facere negligentes, pauperum occiſores dicuntur, & mortaliter peccant. Qua ratione uniuſcujuſque gradum, & conditionem metiri oporteat?*

1 Ut autem judicium incipiat a domo Domini, nec vobis illud Evangelium objici poſſit, quod Phariſæis olim exprobravit, Matth. 23. *dicunt, & non faciunt, & alligant onera gravia, & importabilia, digito autem ſuo nolunt ea movere.*

2 Cum Epiſcopi ceteris dignitate præcellant, nequaquam poſtremum in reformatione locum obtinere debent, ſed aliis inferioribus prælucere, & vitæ ſanctitate exemplo eſſe. Quare Epiſcopos noſtræ Provinciæ omnes, tum dignitatis, tum oneris ſui memores eſſe oportet, ut intelligant, non alio conſilio ſe Eccleſiis divinitus eſſe præfectos, ac gregibus Paſtores datos, quam, ut cura pervigili, ac ſolerti ſtudio Animarum ſalutem procurent, in dieſque magis, ac magis promoveant; quod ut facilius aſſequantur, ſe, moreſque ſuos ad eam formam, quam præcipit Apoſtolus, componant, in id potiſſimum incumbentes, ut vita ſint non modo irreprehenſibili, ſed ejuſmodi, quam omnes colant, ſuſcipiant, ac ſibi imitandam proponant. Quare obnixe in Domino rogamus Epiſcopos, ut ſe ipſos præbeant exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate, ac denique ſe totos ad illam vitæ rationem imitandam tradant, quam illis Apoſtolus præſcripſit, quod adjuvante Domino noſtro perficient, & ceteri ipſorum imitatione ad virtutem accendentur. *Ad animarum ſalutem procurandam, quid agendum?*

3 Sunt enim Epiſcopi mundi Lumina, populorum Duces, Dei legati, & Vicarii, Throni Dei, fundamenta Eccleſiæ, & columnæ ipſius, Lapides Sanctuarii, Miniſtri Dei, Judices corporum, animarumque, Divini Præcones, & Eccleſiæ Doctores, ad quam regendam a Spiritu Sancto ſunt poſiti, quod ſane decus, ut ſingulis a Deo communicatum eſt, qui tanquam Aaron ad animarum præfecturam vocati fuere, ita purum, ac illæſum ab iiſdem conſervari, ut ſacroſanctis, & Deo amabilibus, & religioſiſſimis cuſtodibus in Eccleſia poſitis, par eſt.

4 Gregi itaque invigilent Epiſcopi; ſtrenue in vinea ſibi commiſſa laborent; virtutes omnes, tum ipſi colant, tum a ſuis ſubditis edi ſedulo curent; vitia, quacumque tandem ratione valent, eradicent, atque profligent; ita tamen, ut omnia prudenter, ac matura prævia conſultatione gerant. Eorum miniſterio, ac conſilio utantur Epiſcopi, quos Dei honorem, animarumque lucrum zelare viderint, quique magis prodeſſe, quam præeſſe ſtudeant.

5 Quoniam vero longum eſſet ſingulas Epiſcoporum partes percurrere, horum dumtaxat admonitos eſſe volumus, ad ipſos videlicet pertinere, non modo, quæ cum ceteris communia habent, verum etiam, quæ Epiſcopali functioni peculiari quadam ratione commiſſa ſunt, diligenter obire.

6 Quamobrem Pontificalia munia, ut rite ſingula exerceant, accurate provideant, ſicque ſe ipſos gerant, tanquam qui in perfectionis exercendæ ſtatu poſiti ſunt. Cum primum Metropolitani litteris Concilii Provincialis dies Epiſcopis ſignificata erit, illud ipſi curent, ut in omnibus, & urbis, & Diœceſis ſuæ Parochialibus Eccleſiis quinta quaque feria in ſingulas hebdomadas, quoad illud de more abſolutum, & dimiſſum erit, Miſſa de Spiritu-Sancto celebretur; in Cathedrali autem, & Collegiatis Eccleſiis proceſſionum præterea munus ſingulis diebus Dominicis obeatur, ex animoque preces fiant pro optimo ipſius Concilii eventu.

Cum primo Synodus celebranda erit, orationes ſtatuuntur.

7 Summorum Pontificum Bullas, quæ quotannis de quavis cauſſa ab illis edentur, Epiſcopus duobus ſaltem poſt menſibus, quam illas Romæ editas cognoverit, in ſua Diœceſi eas potiſſimum promulgandas curet, quas promulgari in iis ipſis juſſum erit, tum illas item, quas ad Eccleſiæ ſuæ gubernationem pertinere, aliaque ratione poſſe judicabit; quarum omnium Bullarum librum confici, & in Epiſcopali Archivo aſſervari jubeat. Metropolitani autem cura ſit eas omnes, cum primum acceperit, ad ſingulos Provinciæ Epiſcopos mittere.

Qua ſollicitudine bullæ ſint publicandæ?

8 Alienum profecto valde eſt ab Epiſcopali dignitate, ſi Epiſcopi in conſuetudine Principum ſe ſe deprimant & abjiciant. Ne igitur quid ab Epiſcopali dignitate alienum committant, memores ipſorum dignitatis, & officii curent, ut niſi ipſarum Eccleſiarum neceſſitas poſtulet, in Aulis Principum non verſentur.

9 Neque vero Principibus accumbentibus ſtent ipſi, ne eo quidem nomine, quo ſumpto a Principibus cibo, Deo gratias agere debeant.

10 Denique ſervent cetera omnia, quæ illis a Tridentina Synodo ea de re graviſſimo decreto præcipiuntur. Proregem vero Neapolitanum vehementer in Domino hortamur, ac per viſcera miſericordiæ Chriſti Domini obteſtamur, ut Epiſcopos pro eorum dignitate, & pro ea, qua præcipue pro Chriſto Domino funguntur legatione, honorifice pertractet.

Ne aliquid ab Epiſcopi dignitate alienum committatur, antidotus traditur.

11 Et Sacrorum Canonum decretis ſtatutum eſt, & Sanctiſsimorum Patrum teſtimoniis celebratum, quæ bona fidelium pietas Deo conſecravit, ea, vel illorum neceſſitatibus honeſte ſublevandis, qui Divinis dicati obſequiis Chriſti Miniſtri, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei effecti eſſent, vel Eccleſiis reædificandis, earumque ornamentis ad Divinum cultum neceſſariis comparandis, vel Pauperibus ſubſtentandis addicta eſſe. Siquidem ubi primum Eccleſiæ bona eſſe cœperunt, ejus etiam naturam, & conditionem conſequuta ſunt, ut in alium, quam in ſacrum, & pium uſum eorum fructus converti nefas ſit.

12 Quare cavendum eſt, ne in cupiditatem prolapſi, quæ radix eſt omnium malorum, dum vel propriis, vel propinquorum, & familiarium divitiis, & honoribus ſtudemus, quæ Deo dicata ſunt bona, & Eccleſiæ detrimento, & pauperum gemitu, & bonorum offenſione ad aliorum uſum convertamus. Itaque nos Sacrorum Canonum, & Sanctorum Patrum auctoritate innixi, præſertim Sanctiſs. Mediolanenſis Archiepiſcopi Caroli Borromæi in ſua Provinciali Synodo, atque iis adjuti, quæ Sacra Tridentina Synodus de officio adminiſtrandi bona Eccleſiaſtica ſignificavit, Epiſcopos, & eos omnes, qui ea obtinent, vehementer monemus, ut muneris ſui memores hæc, quæ ſequuntur, diligentiſſime præſtent.

Cupiditas radix omnium malorum.

Tridentini Concilii, ac Mediolanenſis Synodi auctoritate innititur.

13 Epiſcopi, Abbates, Præpoſiti, Parochi, ac ceteri omnes cujuſcumque dignitatis, & gradus Eccleſias etiam eorum adminiſtrationi commiſſas, & quæcumque beneficia Eccleſiaſtica, etiam ſimplicia, quomodocumque etiam commendata in Provincia noſtra obtinentes, omni diligentia cognoſcere ſtudeant quibus oneribus eorum Eccleſiæ, & beneficia ex bonorum Eccleſiaſticorum natura, vel ex illorum, quæ obtinent propria inſtitutione, vel ex conditione Apoſtolicis litteris in proviſione dictorum beneficiorum eis præſcripta, vel alia quacumque ejus generis ratione ſubjaceant, illiſque integre ſatisfaciant. Quod ſi facere omiſerint, ſed eos fructus ſibi vendicare, vel ad alios transferre auſi fuerint, vel in quem debent uſum, non impenderint, ſe ex Sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum ſententia Sacrilegii reos eſſe intelligant, & eorum neceſſaria reſtitutione teneri, neque ulla omnino etiam immemorabili conſuetudine excuſari.

Onera Eccleſiarum, & beneficiorum cognoſcenda.

14 Atque ideo, ſi Metropolitanus tale

le commiſerit, antiquior ſuffraganeus de eo ad Synodum, & Synodus ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Romanum Pontificem deferat. Si Epiſcopus ſit, & ab Archiepiſcopo, vel eo abſente ab antiquiore Suffraganeo monitus non plene ſatisfecerit, ad Synodum Provincialem primo quoque tempore celebrandam per eumdem deferatur, ubi, & reſtituere cogatur, & pœnas ſubeat Synodi arbitratu,

15 Si vero inferiori gradu, quam Epiſcopus fuerit, quicumque is ſit, ſi ab Ordinario loci monitus non ſatisfecerit, præter reſtitutionem eorum, quibus pia loca defraudavit, per ſex menſes adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum prohibeatur; quod ſi iterum in eo peccarit, gravioribus etiam pœnis plectatur.

16 Ii vero, qui Eccleſias, & beneficia Eccleſiaſtica quæcumque obtinent, quorum fructus ad eos, tanquam divinorum obſequiorum Miniſtros honeſte ſubſtentandos ſunt attributi, ſi uberiores ſint, quam ad tuendam vitam, conditioniſque ſuæ rationem requiratur, dubitare non debent ad eum finem hanc copiam illis eſſe impertitam, ut præter ea, quæ ad victum, & cultum eorum ſatis eſſent, ſuppeterent, etiam quibus Divini cultus ornatus ac ſplendor conſervaretur, & pauperum inopia, atque indigentia ſublevaretur, quemadmodum Deus etiam plerumque divitiis cumulat, ut amicos ſibi faciant, a quibus, cum defecerint, in æterna recipiantur tabernacula.

Verba notabilia S. Caroli referuntur.

17 Quamobrem utentes Nos verbis Sanctiſſimi Caroli Borromæi, per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti obteſtamur, atque monemus, ut meminerint non ſolum Epiſcopi, ſed quicumque omnes ea bona non eſſe ſibi credita ad luxum, neque ad augendos conſanguineos, ſed ad vitam honeſte, ut fideles Dei, & pietatis Chriſtianæ Miniſtros decet, traducendam; ex eo vero, quod ſupererit, ſi neceſſaria pauperibus denegaverint alimenta, intelligant ſe, quos non paverint, occidiſſe, atque ob violatam ſanctiſſimæ Charitatis legem, mortale peccatum commiſiſſe, ſibique iram in die iræ theſaurizaſſe; modum autem, & rationem, qua metiri ſe pro conditione, & gradu unumquemque oportet ad vitam ſuam fructibus Eccleſiaſticis honeſte ducendam, eam eſſe omnes debent intelligere, quæ ab iis non diſcrepet, quæ in Sacris Canonibus, & his noſtris conſtitutionibus ſancita ſunt.

TITULUS III.

De Epiſcopi veſtitu.

SUMMARIUM.

1 *Quibus rebus auctoritatem quærere ſibi debet Epiſcopus?*

2 *Veſtitus ſericus non ſit; lineam tunicam ſemper habeat. Sine talari veſte, & mozzetta ad ſe quempiam, niſi familiaris ſit, non admittat, neque de cubiculo exeat. Privatæ veſtes modeſtæ ſint, & graves.*

3 *Per Diœceſim mozzetta, breviori tunica, & mantelletto violacei coloris utatur. Epiſcopalem anulum nunquam dimittat. Cur grandiori corona Epiſcopi caput inſigniatur?*

4 *Inepta ſocordia, aut levitas ubique ab Epiſcopo fugienda.*

1 Epiſcopus non profano ornatu, aut apparatu, ſed fidei, & vitæ ſplendore ſibi auctoritatem quærere debet.

2 Itaque in veſtitu ſericum non adhibeat; lineam tunicam, quam Rocchettum appellant, ex decreto Innocentii III. in Concilio Generali, tam in Eccleſiis, quam in publico habeat; ſine talari tunica, quæ ad collum adſtricta ſit, ac mozzetta, neque a cubiculo exeat, neque quempiam, niſi e familia, admittat, neque eum veſtitum ante noctem, vel niſi dimiſſis omnibus deponat. Veſtes, quibus privatim utetur, tales omnino ſint, ut modeſtiæ, & gravitati conſulatur.

3 In itinere quoque tam in Diœceſi, quam extra eam veſtitum omnino habeat, ex quo illum eſſe Epiſcopum appareat, mozzettam videlicet, cum per Diœceſim iter facit, & interiorem tunicam breviorem, ac mantellum viatorium violacei coloris; anulo vero Epiſcopali ſemper utatur, ut perpetuo ſe Eccleſiæ ſuæ ſponſum meminerit, & ſuæ eum non capiat oblivio dignitatis, cujus inſignia negligere, & tanquam erubeſcere, præhabito ſæculari, ne dicatur, militari ornatu, tam indignum eſt, quam erubeſcere non modo Evangelium, & tantæ culmen poteſtatis, verum etiam Chriſtum ipſum, ad cujus ſimilitudinem capitis, eum conformavit Eccleſia; ac grandiori ejuſdem corona redimitum in capite voluit, qua aſſidue moneretur, ut & reliquo Corpore Chriſtum indueret, ac repræſentaret; itaque in ceteros, tum Clericos, tum Laicos Chriſtianæ modeſtiæ formam induceret, atque omnium ſibi reverentiam conciliaret.

Epiſcopi exemplo modeſtia in Clericos, & laicos inducitur.

4 Obſecramus igitur Epiſcopos omnes, ne inepta quapiam ſocordia, ſeu levitate eo adduci patiantur, ut non eam, quæ ſuæ, quam ſuſtinent, dignitati plane congruat, aut veſtiendi, aut incedendi, equitandique rationem obſervent,

TI-

TITULUS IV.

De Epiſcopi ſupellectili.

SVMMARIVM.

1 *In Epiſcopio omnia Dei zelum teſtari debent.*
2 *Aurum, & argentum ſuperfluum, ſigna, & profanas tabulas Epiſcopi rejiciant.*
3 *Equi, niſi neceſſarii non alantur. Retentis, quæ ad privatum ſunt uſum, cetera ad Eccleſiarum cultum ſunt adhibenda.*

1 CAveant Epiſcopi, ne quid in eorum Domibus appareat, quod non ſimplex, & purum ſit, quod non Dei zelum, & omnium inanium rerum contemptionem teſtetur.

2 In eorum ſupellectili nihil aureum, aut argenteum ſit, præter pauca, & neceſſaria. Inſtrumenta, ſigna, & tabulas profanarum rerum rejiciant.

3 Equos ne alant, niſi neceſsarios, & cum in iis, quæ ad privatum uſum, cultumque requiruntur, eam moderationem adhibuerint, ut ſordes, & ſupervacaneum ſumptum fugerint, omnem operam, & artificii ſplendorem ad publicum Dei templorum cultum, & ornamentum conferant.

TITULUS V.

De Epiſcopi menſa, & Familia.

SVMMARIVM.

1 *Ciborum benedictio, frugalitas, ſacra lectio, & gratiarum actio in Epiſcopi menſa eſſe debet.*
2 *In moderatis ſupellectilis, menſæque ſumptibus laicis exemplo ſint Epiſcopi.*
3 *Interne, externeque familiam curent ſuam.*
4 *Familiarium numerus, ætas, mores, veſtitus præſcribuntur.*
5 *Hoſpitalitatem exerceant.*
6 *Epiſcoporum hoſpites qui potiſſimum eſſe debeant?*
7 *Epiſcopum advenientem hoſpitio benigne recipiant, ad concionandum invitent, eumque populo benedicere, inducant.*

1 ACcumbens Epiſcopus menſæ benedicat, & quam decet, frugalitatem, & temperantiam ſemper adhibeat; in ejus vero menſa lectio ſacrorum librorum adhibeatur, & quemadmodum benedictio cibi, caput, ſic actio gratiarum clauſula eſſe debet, ut Dei laudes, ſicuti par eſt, uſquequaque celebrentur.

2 Exemplo denique Epiſcopi ſint laicis, ut & hi ipſorum imitatione ab immoderatis ſumptibus, qui frequenter in nimium ſplendida ſupellectili, menſaque, maximo cum patrimoniorum, & totius Reipublicæ detrimento fieri ſolent, abſtineant,

3 Epiſcopus domui, ac familiæ ſuæ bene præſit, curetque, ut honeſtas, decorumque ſervetur, tam in intimis, quam in externis; qui enim domum ſuam regere neſcit, nec Dei Eccleſiam recte gubernabit.

4 Familiæ numerus is tantummodo ſit, quo ſimul Eccleſiæ utilitati, & Epiſcopi neceſſitati conſulatur. In ea non ſint rixoſi, impudici, factioſi, ſcurræ.

Cubiculariorum mores, & ætas.

Cubicularii præ ceteris ætate ſint, moribuſque graves, & boni teſtimonii.

Epiſcoporum familiam ſemel in menſe Euchariſtiam ſumere ſtatuitur.

Ne quiſque de familia ullo unquam die prætermittat rei divinæ intereſſe, niſi neceſſario impeditus ſit, unuſquiſque de familia ſingulis menſibus confeſſus Sacram Euchariſtiam ſumat.

Familiares arma ne ferant, niſi in itinere, vel neceſſitatis cauſſa, idque Epiſcopi arbitratu.

Talis ſit Domeſticorum omnium veſtitus, ut ex eo appareat illos eſſe Miniſtros Miniſtrorum Dei.

5 Sacræ Tridentini Synodi decretum ſequuti monemus Epiſcopos omnes, ut hoſpitalitatem benigne exerceant, memores Chriſtum Dominum in hoſpitibus recipi, a quo recipientur ipſi in æterna tabernacula. Quod ſane hoſpitalitatis officium eo magis Epiſcopis colendum eſt, quo illis eam virtutem Apoſtolus in primis amplectendam propoſuit.

6 In hoſpitalitate autem non is habendus eſt delectus perſonarum, ut divites potiſſimum invitentur, qui cum fœnore reddant, quod acceperint. Sed cum Epiſcoporum domum nemini, quantum per opportunitatem licuerit, clauſam eſſe deceat, profecto illis maxime patere debet, qui Dei voce, Sanctorum Patrum cohortationibus, & exemplis, Conciliorum præcepto, & auctoritate nobis commendati ſunt.

7 Quod de Epiſcopi hoſpitio excipiendum Clemens Pontifex, & Martyr Apoſtolica quadam Conſtitutione ſcribit, & Beatus Ambroſius ſtudioſe ſervavit, prout Sanctus Carolus Borromæus teſtatur in ſuo Quinto Provinciali Concilio Mediolanenſi, id Epiſcopi Provinciæ noſtræ ad uſum revocare ſtudeant; ut Epiſcopum, qui aliunde venerit, benigne hoſpitio accipiant, cum eoque agant, ut in die feſto, ſi permanſerit, ſermonem in primis habeat; *eſt enim*, inquit idem Clemens, *hoſpitis hortatio grata, atque utilis.* Hoc præterea, etiam ſi ille renuat, facere cogant ſancta quadam vi Charitatis, ut populo benedicat.

TITU-

TITULUS VI.

De Viſitatione habenda ab Epiſcopo.

SUMMARIUM.

1 *Tridentina Synodus in Viſitatione ſervetur ab Epiſcopis, qui & ejus facultatibus utantur.*

2 *Diœceſim univerſam infra biennium Epiſcopus viſitet per ſe, vel per Viſitatores: loca viſitationi ſubjecta ne prætermittat.*

3 *Viſitationis Methodus per deputandos a Concilio conficienda mandatur.*

4 *Procurationis, vel cibariorum præſtatio viſitandorum ſtet optioni.*

5 *Si Procuratio detur, nihil ultra accipiatur ſub pœnis a S.C.T. ſtatutis, aliiſq; in primo Provinciali Concilio infligendis.*

6 *Viſitatores delegati Sacerdotes ſint. Si horum, quæ ſtatuuntur, inobedientes fuerint, quomodo plectendi?*

7 *Munera in viſitatione ne accipiantur: neque donaria in Natalitiis feſtis a renuentibus exigantur, aut certa pecuniæ ſumma. Si quid ſponte offeratur, in onus ne abeat.*

8 *Quis comitatus, quæ menſa, quod munus, quique ordo erunt in S. Viſitatione?*

9 *Epiſcopum ad viſitationem venientem qui, & quomodo excipere debent?*

10 *In Parœciæ viſitatione Parochiani adſint.*

11 *Parochi paſtorales de Viſitatione, & Confirmationis miniſtratione duobus ante Epiſcopi adventum feſtis diebus evulgent.*

12 *Curent, ut Viſitationis tempore Eucharistiam Parochiani ſumant. Epiſcopi adventum campanarum ſonitu indicent.*

13 *Notitiæ a Parochis viſitaturo Epiſcopo exhibendæ.*

14 *Viſitationis ordo in Civitate præſcribitur.*

15 *In locorum piorum viſitatione quæ inquirenda ab Epiſcopo, etiam ſi opus ſit, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato?*

16 *Quæ publice, quæ private Epiſcopus præſtare debet, vel in concionibus, vel in admonitionibus?*

17 *Inquirenda ab Epiſcopo in actu Viſitationis.*

18 *In iis, quæ viſitationem, vel morum correctionem ſpectant, Epiſcopus etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus procedere poteſt.*

19 *In cauſſis viſitationis, correctionis, habilitatis, & criminalibus ante definitivam ſententiam ab interlocutoria, ſeu quocumq; gravamine appellari non poteſt.*

1 CUm ſacroſancta Synodus Tridentina multa ſtatuerit ad viſitationis munus rite obſervandum pertinentia, admoniti ſint Epiſcopi, ut quæcumque ab illa ſancte, ac pie de viſitatione ſancita ſunt, diligentiſſime obſerventur. In id vero potiſſimum incumbant, ut facultatibus a Concilio ſibi conceſſis utantur, ne ſi forte remiſſius ſe geſſerint, viſitatio fructu, ac fine ſuo careat, aut diſciplinæ Eccleſiaſticæ nervus elidatur.

2 Epiſcopus propriam Diœceſim per ſe, aut ſi impeditus fuerit, per ſuum generalem Viſitatorem, ſi quotannis totam propter latitudinem viſitare non poſſit, ſaltem majorem partem viſitet, ita tamen ut tota biennio per ſe, vel Viſitatores ſuos compleatur. Omnia porro loca viſitet Epiſcopus, in quæ jus viſitandi habet, nullo prætermiſſo, curetque diligenter, nulla interpoſita mora, viſitationem inire, ac perficere hoc conſilio, ut quam celerrime graſſantibus malis obviam eatur.

3 Quoniam vero interdum contingit, ut iſtud viſitandi munus non ea, qua par eſt, diligentia obeatur, dum vel celerius, vel per tranſennam (quod ajunt) tam loca, quam perſonæ explorantur; Idcirco inſtructio pro ordine, & methodo viſitationis a viris a Concilio deputandis conficiatur, quam Epiſcopi omnes, dum ſuas Diœceſes inviſent, facile ſequantur.

4 Cum ex Sacri Tridentini Concilii præſcripto, in optione eorum, qui viſitantur, ſit, ſi malint certa taxata pecunia procurationi ſatisfacere, an vero victualia ſubminiſtrare.

Nos uti conſuetudinem in aliquibus Diœceſibus inductam tanquam laudabilem probamus, ut ſtatuta pecunia hujuſmodi procurationi fiat ſatis, eo quod ſuperfluitas omnis in menſæ apparatu, & rem cibariam adminiſtrantium fraudes omnino tollantur, ita ex ejuſdem Sacri Concilii mente, contra ipſorum, qui viſitandi ſunt, beneplacitum id fieri prohibemus. Æquum enim eſt, ut quod ſancta Synodus ſanxit, religioſe ſervetur, & viſitandis, vel victualia, vel nummos ſufficiendi optio libere permittatur, niſi ſicubi ab antiquo tempore de utriuſque partis conſenſu, hujuſmodi procuratio certa fuerit pecuniæ ſumma taxata. Quædam laudabilis conſuetudo circa procurationem laudatur.

5 Volumus inſuper, ut quando pecunia exhibetur, nequaquam liceat Epiſcopis, ſeu Viſitatoribus quidquam etiam cibarii muneris accipere, quamvis ſponte offeratur, quo neminem non ſe a ſuis ovibus paſci, ſed eas cæleſti pabulo recreare unicum ſuæ mentis votum, induſtriæ ſcopum, & laborum finem eſſe præclare oſtendant. Paſtoris votum ſit ſuas oves cæleſti pabulo recreare.

Qui autem contrafecerit, noverit ſe non in eas tantum pœnas, quas Tridentina Synodus ſtatuit, ſed in decernendas inſuper, atque infligendas de Patrum conſenſu in primo noſtro Concilio incurſurum.

6 Cu-

6 Curent diligenter Epiſcopi, ut cum ipſi hoc munus obire per ſe non poterunt, ne alii Viſitatores, qui omnino Sacerdotes ſint, & probatæ vitæ, in viſitationis officio quidquam contra hæc noſtra decreta agant, & qui contrafecerit, ſevere pro gravitate delicti puniatur; inſuper ad proximum Concilium deferatur.

7 Severe inſuper prohibemus, & tanquam non mediocris ſcandali culpam omnino vetamus, ne Epiſcopus aliquis, aut quiſpiam ex eorum Vicariis, aut Miniſtris, ſive directe, ſive indirecte Parochos, aut quoslibet alios de ſua Diœceſi & Clero cogat, & veluti ex neceſſitate obliget, ſive in actu viſitationis, ſive extra, ut ipſis munus aliquod, aut ſubſidium, veluti in recognitionem exhibeant, præter caſus, in quibus per Sacros Canones licet, & ne ipſis quidem Natalitiis feſtis donaria hujuſmodi a renuentibus exigantur, & multo minus hujuſmodi munerum loco, quadam quaſi tranſactione, certa aliqua pecuniæ ſumma expetatur, quæ paulatim non modo in conſuetudinem, ſed veluti in vectigal abeat, non dignum Paſtoris, ac Patris officio. Liceat itaque ſolum, ſi quid ſponte offeratur, veluti obſervantiæ pignus, ac benevolentiæ argumentum accipere, & caveatur omnino, ne gratuita amoris oblatio fiat ex neceſſitate, & oneroſum reddatur, quod de ſua ratione omnino ſpontaneum eſſe debet.

8 Si Epiſcopi per ſe ipſos viſitaverint, comitatum, familiamque majorem ſecum ne ferant, quam duodecim hominum; Jumenta vero octo. Alii Viſitatores Epiſcopo inferiores ſex hominibus, & quatuor Jumentis contenti ſint; ſi plures duxerint, ſuis ſumptibus alant; prout alias in Provinciali Synodo de Anno 1567. a bo. mem. Cardinale Jacobo Sabello Prædeceſſore noſtro ſtatutum, & declaratum fuit.

Menſa quoque frugali Epiſcopus contentus ſit, quæque Eccleſiaſticam temperantiam commenſalem ſemper habeat.

Sacramentum Confirmationis, ubi neceſſitas erit, paterne adminiſtrabit.

Viſitatio ad ſalutem animarum inſtituta. Meminerint Epiſcopi viſitationem ad ſalutem eorum, qui viſitandi ſunt, inſtitutam eſſe; quamobrem illis maxime propoſitum eſſe debet, ut in eis corruptam orthodoxam doctrinam reſtituant, probatamque morum diſciplinam tueantur.

Viſitationis ordo is adhibeatur, ut primum Civitatem, deinde Diœceſim viſitent, niſi forte aliud Epiſcopo videatur.

9 Epiſcopo ad cujuſcumque loci, vel Eccleſiæ Parochialis, Curatæve viſitationem adventanti, tum illi potiſſimum, ut vetus Canon Concilii Tullenſis jubet, qui Confirmationis Sacramentum ab eo ſuſcepturi ſunt, tum præterea omnes Chriſtifideles, exceptis tantum iis, qui morbo, adverſave valetudine laborant, ſicut in Concilio Rothomagenſi cautum eſt, obviam ordine procedant, ſtatis Hymnorum, Pſalmorumque precibus, & cum gaudio, timore, ſummaque reverentia illum, tanquam vicem Chriſti gerentem excipiant, prout in eodem Rothomagenſi Concilio ſancitum eſt, cujus Canone excommunicatio illis conſtituta erat, qui ei muneri defuiſſent.

10 Neque ſolum pro tempore, quo ille adventat, ſed aliis etiam diebus, dum viſitatio Parochiæ fit, fideles quam frequentiſſimi adſint, ut ipſi omnes, & ſinguli, ſi quid ad animarum ſalutem procurandam opus habent, proprio Paſtori, Parentique libere exponant, eique pro officii ſui ratione, cum oportet, interroganti reſpondeant: illum concionantem, monentem, ac paterne arguentem, obſecrantem, & increpantem audiant, ejuſdem juſſa, monita, & decreta ſuſcipiant, atque Dei denique voluntatem, quam præſentes per ipſum auribus percipiunt, non tantum obediendi propenſione, ſed etiam recte factis omnino exequantur.

11 Parochus porro, aliuſve Eccleſiæ Rector, vel Præfectus, in qua Animarum curam gerit, cum viſitandus erit, paſtorales Epiſcopi litteras viſitationis nomine editas, duobus ante illius adventum proximis feſtis diebus intra Miſſarum ſolemnia, cum Populus frequentior aderit, de ſcripto recitet. Itidem præſtet de litteris, quas de Confirmationis Sacramento rite, religioſeque ſuſcipiendo Epiſcopus inſtructionum, monitionumve nomine dederit, quarum litterarum, ſeu Edictorum Epiſcopalium evulgationem, recitationemve, & ſermone, & concione, & monitionibus, & omni alio, tam publico, quam privato cohortationum officio proſequatur, prout expedire animadverterit, quo fidelium animos diligentius præparet, atque excitet ad ſuſcipiendum Epiſcopalis viſitationis officium, uberrimo, ac ſalutari cum animarum fructu.

12 Illud porro curet, ut nemo, qui intra Parochiæ ſuæ fines habitat, omnino ſit, qui eo viſitationis tempore confeſſus, ſacram communionem non ſumat, idque ab Epiſcopo ipſo, ſcilicet eo loco, ubi ille mane viſitans Miſſæ ſacrificium offerat.

Quamobrem tum pridie diei viſitationis, tum maxime ubi Epiſcopum viſitationis cauſſa jam adventare cognoverit, certo aliquo, ſolemnique campanarum ſono illius adventum fidelibus ſignificet, quo frequentius, etiam ex agro evocati, omni alia prætermiſſa actione conveniant, eique tale, tanquam neceſſarium munus obeunti, diligentius præſto ſint, qua debent obſervantia, ac veneratione.

13 Pri-

Index Clericorum.

13 Pridie illius diei, quo Epiſcopus viſitaturus eſt, paratum indicem Parochus habeat, & exhibeat poſtea Epiſcopo, in quo Clerici in ſuæ Eccleſiæ finibus habitantes deſcripti ſint, notatis eorum ſingulorum tum nominibus, tum domiciliis.

Index beneficiorum, & Eccleſiarum.

Indicem etiam titulorum, & beneficiorum quorumcumque, tum Eccleſiarum, tum Oratoriorum ſæcularium, etiam campeſtrium, quæ ſita ſunt extra illam Eccleſiam, intra fines tamen ejuſdem Parochiæ.

Index animarum.

Indicem item animarum intra Parochiæ ſuæ limites commorantium.

Tabula decretorum.

Itemque in promptu habeat, ut Epiſcopo tradat, tabulam decretorum Provincialium, Diœceſanorumque, quæ vel ad divinorum officiorum cultum, vel ad Parochialis curæ, diſciplinæque Chriſtianæ rationem pertinentia, nondum in Parochiæ ſuæ finibus exequutionem habuerunt, cauſsis, & impedimentis quoque explicatis, cur in exequutionis uſum adhuc inducta non ſint.

Index delinquentium.

Tum præterea indicem manu ſua confectum det eorum, qui infra notati ſunt, ſi qui in Parochiæ ſuæ finibus id genus homines extant.

Hæreticorum, hæreſiſque nomine ſuſpectorum, aut libros hæreticos, prohibitoſve habentium, vel legentium.

Publice, ut infra potiſsimum, delinquentium, malefactaque committentium.

Blaſphemantium ſcilicet,

Superſtitione, maleficiis, magiciſque artibus utentium,

Eorum, qui in Paſcha confeſsi, ſacram communionem non ſumpſerint,

Simoniacorum,

Uſuras exercentium,

Concubinariorum, concubinatuſve nomine ſuſpectorum,

Conjugum inter ſe disjunctorum, neque ſimul habitantium,

Omnium denique depravatorum morum in Parochiæ ſuæ hominibus frequentium, ac publicorum.

Ordo viſitationi præfigitur.

14 In Civitate Cathedralis Eccleſia primo loco viſitetur; tum ſingulæ Collegiatæ; deinceps Parochiales omnes, quo & Parochi, & quicumque præterea Sacerdotes, & Clerici in Parochiis commorantur, evocandi ſunt.

15 Scholas, Seminaria, Sodalitates, Hoſpitalia, ac cetera pia loca viſitantes ſtudioſe, ac diligenter inſpicient, non ſolum auctoritate ordinaria, ſed etiam, ſi opus fuerit, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, juxta Sacroſancti Tridentini Concilii diſpoſitionem, ſi aliquo Apoſtolico privilegio fuerint munita, & ea, quæ laicalia etiam, & mere privata ſunt, in iis, quæ ad obſervandam piam teſtatorum voluntatem ſpectent, viſitando præcipue corrigant, & reforment.

16 Studeant verbi Dei prædicatione, vehementi cohortatione ad religionem, vitæ innocentiam, pacemque, & concordiam omnes adhortari.

Si vero privata admonitione opus eſſe intelligent, in eam docendo, arguendo, obſecrando pro rei, perſonæ, ac temporis ratione incumbent.

17 In ſingulis locis a viris ætate, uſu, & probitate commendatis de omnibus ſubtiliter inquirent, quæ eos pro officii ſui munere ſcire oportebit.

Eccleſiam, & ejus partes omnes inſpicient, an eo cultu, & nitore teneantur, qui domum Dei decet; ſi quid reſtituendum, reparandum, reconcinnandumque ſit, jubeat ab iis, ad quos pertinet, reſarciri.

An Sanctorum Reliquiæ tuto, ornate, decenterque conditæ aſſerventur.

Si conſecranda ſint Altaria, conſecrabunt.

Si qua Eccleſia, vel Cœmeterium pollutum ſit, reconciliabunt.

Videbunt etiam, an deſint Veſtes, Libri, Calices, Patenæ, Corporalia, & reliqua ejus generis inſtrumenta, & ornamenta, quæ ad Altaris miniſterium, & ad divina officia ſint neceſſaria.

An illa munda, & purgata ſerventur.

An miſſæ, aliaque divina officia, qua oportet, pietate, & devotione celebrentur.

An Eccleſiæ libri, vetera ſcripta, inſtrumenta, & privilegia cuſtodiantur.

An eorum extet ratio, quæ in inventarium relata ſunt.

Tum de Dignitatibus, Canonicis, & aliis Eccleſiæ Miniſtris quærendum erit.

An rite ſint ordinati: An ordinibus initiati, quos eorũ officii munus requirit.

An Eccleſias beneficia, ſeu Eccleſiaſtica officia legitime obtineant: An in ea ſe quiſquam intruſerit.

An reſideant, & adminiſtrationi Sacramentorum, ac Miſſarum, divinorumque officiorum celebrationi, & anniverſariorum perſolutioni, aliiſque oneribus, & muneribus ſatisfaciant.

Quæ ſit eorum vitæ, ac morum ratio; quis veſtitus, & qualis ſit eorum familia.

An ſordidis, & illiberalibus artibus, & ab eorum gradu alienis operam dent.

An Eccleſiæ jura, & bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſionem defendant.

An pacem inter ſe habeant; ſi minus, in eorum ſe pacificationem interponant, atque inimicitiarum, & odiorum cauſſas tollere ſtudeant.

An populus pie verſetur in Eccleſia, Miſſamque, & alia divina officia reverenter attendat.

In Parochiis præterea videant, An Parochi ex præſcripto in hac noſtra Synodo

libros habeant, in quibus Baptizatorum, Confirmatorum, Compatrum, eorum, qui matrimonio conjunguntur, ac mortuorum nomina, & cognomina deſcribantur.

An rite Sacramenta præbeantur.

An Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, Chriſma, & reliqua ſacra, ea munditiæ cura, & cuſtodia, qua debent, conſerventur, & ſuo tempore mutentnr.

An Euchariſtia pie, & honorifice, proſequente fidelium comitatu, ad ægrotos afferatur.

An legitime matrimonia, & in Eccleſia, adhibitis ex Decreto Concilii Tridentini denunciationibus, debito tempore contrahantur.

An Dei verbum prædicent, & pueros rudimentis fidei inſtruant.

Denique deſpicient, ut ſuperius diximus, An in populo ſint hæretici, uſurarii, concubinarii, aliique flagitioſi homines, qui inimicitias gerant, quique ſaltem ſemel in anno peccata ſua confeſſi non ſint, aut Sanctam Euchariſtiam non ſumpſerint; ſi quid in iis omnibus tollendum, corrigendumque fuerit, tollent, & corrigent, & adverſus delinquentes cenſuras, & alia juris remedia adhibeant.

18 Omnes vero ſummo ſtudio monebunt, & hortabuntur, ut officium ſibi commiſſum fideliter, ac diligenter exerceant, in eaque vel viſitatione, vel morum correctione, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegati, auctoritate Tridentini Concilii, ſtatuant, moderentur, puniant, & exequantur ad Sacrorum Canonum præſcriptum quæcumque ſibi pro ſubditorum emendatione, & Diœceſis ſuæ utilitate neceſſaria videbuntur.

Neque ſolum hæc, ſed quæcumque a Tridentino Concilio, & a Nobis præcipiuntur, & alia multa, quæ pro eorum prudentia, & pietate, ad utilitatem, & ſalutem populorum, eis in mentem venire poterunt, exquirent, & exequentur, Deo Optimo Maximo, omnium bonorum largitore adjuvante pro gregum ſuorum profectu, & Diœceſis ſpirituali incremento; in iiſque neque ulla inhibitio, appellatio, aliudque quidquam impediat, aut retardet exequutionem eorum, quæ ipſi mandarint, aut judicarint, decreverintve.

19 Quod Concilii Tridentini decretis ſancitum eſt, ut in viſitationis, correctionis, habilitatis, & criminum cauſſis ab interloquutoria ante definitivam ſententiam, aut ab alio quocumque gravamine ne appelletur, omnes, ad quos pertinet, id exequantur, juxta Sacri Concilii Tridentini præſcriptum, & ſacrorum Canonum ſanctiones.

TITULUS VII.

De Synodo Diœceſana.

SUMMARIUM.

1 *Qui ad Synodum accedere tenentur, propoſita pœna cogantur.*

2 *Ad Synodum congregati decenti habitu incedant; mundo ſuperpelliceo utantur; ſacris frequenter operentur.*

3 *Examinatores ſex deligantur a Synodo probandi; & admiſſi de fideli ſuſcepti muneris executione jurent.*

4 *Diœceſana Synodus ſingulis annis habenda; itemque ſex poſt Concilium Provinciale menſibus. Certus Synodalis dies in proxima Synodo indicetur, publiceturque ſingulis annis in Epiphaniæ feſto.*

5 *Proximi Concilii Provincialis decreta in prima quaque Diœceſana Synodo promulgentur ſub pœnis a Sacris Canonibus ſtatutis.*

6 *In Diœceſana Synodo ſervetur, quod ſtatutum eſt de Provinciali Concilio in Tit. de Epiſcopis.*

OMnes, & ſinguli, qui de jure, vel conſuetudine tenentur, ad Synodum Diœceſanam conveniant tempore a Jure ſtatuto, & ab Epiſcopo indicto, pœna propoſita iis, qui abſque legitima cauſſa non paruerint.

2 Quiſquis ad Synodum venerit, decenti, atque honeſto habitu incedat; in ſeſſionibus ſuperpelliceo mundo, & integro utatur.

Rem ſacram frequenter peragat, durante Synodo, ac integritatis, probitatiſque ſpecimen in omnibus pro virili præſtet.

Examinatorū numerus eligendus.

3 Examinatores ſingulis annis ad minus ſex ab Epiſcopo, vel ejus Vicario univerſæ Synodo Diœceſanæ proponantur, qui ab ea probati, & admiſſi jurent ſe humana quacumque affectione poſtpoſita fideliter munus exequuturos.

Dies Synodi in Cathedrali e ſuggeſtu in Epiphania publicanda.

4 Epiſcopus ad Tridentini Concilii præſcriptum ſingulis annis, ac item ſemper ſex poſt Provinciale Concilium menſibus Diœceſanam Synodum habeat, pœna propoſita Canonum Jure, & a Tridentino Concilio renovata. Quare in prima proxima Diœceſana Synodo certum diem Synodalem conſtituat, quo Clerus ad illam conveniat. Hic autem dies in ſingulos etiam annos Cathedrali in Eccleſia de ſuggeſtu die Epiphaniæ publicetur.

5 In prima quoque Diœceſana Synodo decreta in Provinciali proximo Concilio edita promulgentur; quod officium, ne Epiſcopus negligat, vel prætermittat, eum hic admonemus, ut pœnas meminerit ſacris Canonibus contra eum ſancitas,

qui

qui id culpæ, vel negligentiæ commiſerit.

6 Quod de Povinciali Concilio ſancitum eſt *tit. de Epiſcopis*, hoc idem plane ſervetur, ubi a proprio Epiſcopo Diœceſanæ Synodi celebrandæ dies indicta erit, ut preces ex animo fiant pro optimo ipſius Synodi eventu.

TITULUS VIII.

De Teſtibus Synodalibus.

SUMMARIUM.

1 *In Provinciali Synodo a Metropolita duo ex unaquaque Diœceſi teſtes Synodales, in Diœceſana duo itidem ex Diœceſi propria deligantur ab Epiſcopis. Pœnæ contra negligentes recoluntur.*

2 *In Diœceſana Synodo electi jurent in Provinciali.*

3 *Abſentes infra menſem in propria Diœceſi juramentum præſtent, cujus rei teſtimonium infra alium menſem ad Metropolitam deferatur.*

4 *Teſtes nominati, ſi munus recipere, aut jurare renuerint, mulctis, ac etiam pœnis compellendi, per Metropolitam, ſi in Provinciali, per Epiſcopum, ſi in Diœceſana Synodo electi fuerint.*

5 *Juramenti formula a Synodalibus teſtibus emittendi.*

6 *Juratos teſtes nihil ab officii libera, integraque executione impedire debet.*

7 *Inſtructio ab Epiſcopis teſtibus Synodalibus præbenda.*

8 *Decreta, aut nondum exequutioni demandata, aut reformanda tribus ante proximum Provinciale Concilium menſibus Metropolitæ referant; Teſtes Diœceſani menſe uno ante Synodalem diem idem Epiſcopo præſtabunt.*

9 *Inſtante Concilii die, Synodales teſtes congregentur, & qui illi adſit, eligatur, niſi per Metropolitam fuerit deſignatus. Relatione facta diſcedat, nec poſt ei victus ſuppeditetur, ſed tantum viaticum.*

10 *Viatici, & victus ſumptui neceſſaria a Clero ejus Diœceſis contribuantur.*

11 *In Diœceſanis Synodis, ſi teſtes ex iis, qui convenire tenentur, ſint, nihil eis datur.*

12 *Si quando pro ſuo munere exercendo teſtis Synodalis aliquo ibit, ab iis fiant impenſæ, qui itineris ſuſcipiendi cauſſam dederunt.*

UT Teſtium Synodalium munus ſicubi intermiſſum eſt, reſtituatur, atque non nomine ſolum, ſed certis officii partibus recte per eos geratur, quibus in Synodo, vel Provinciali, vel Diœceſana committetur, hæc de illis, eorumque officio ſtatuimus.

1 Primo viri Eccleſiaſtici ætate, moribuſque graves, prudentes, ac diſciplinæ Chriſtianæ ſtudioſi in Concilio Provinciali a Metropolitano ex unaquaque Diœceſi duo ſaltem, in Synodo Diœceſana ex Diœceſi ſua duo itidem teſtes Synodales deligantur, quo in officio meminerint, & Metropolitanus, & Epiſcopus pœnæ in Concilio Lateranenſi ab Innocentio III. ſancitæ, ſi, vel ille in Concilio Provinciali, vel hic in Diœceſana Synodo nullos Synodales teſtes nominarit. Epiſcopis teſtes Synodales non nominantibus in Concilio Lateranenſi pœnæ ſtatuuntur.

2 In eodem Provinciali Concilio, qui ab Epiſcopo in ſua Diœceſana Synodo electi fuerint, jurati, allatis Sanctorum Evangeliorum pignoribus, ſancte ſpondeant ex formula verborum infra præſcripta a bon. mem. prædeceſſore noſtro Maximiliano de Palumbaria in Provinciali Synodo muneris ſui partes ſe exequuturos eſſe. Maximiliani de Palumbaria formulam juramenti exequi præcipitur.

3 Si vero a Concilio Provinciali abſit, qui a Metropolitano nominatus eſt, tunc Epiſcopus, pro cujus Civitate, vel Diœceſi ille electus eſt, unius menſis a fine Concilii ſpatio, eum ad ſe litteris acceſſat, eumdemque ex ipſa præſcripta formula jure jurando obſtringat, ac juramenti præſtiti teſtimonium publica auctoritate munitum, intra alium menſem ad Metropolitanum omnino mittat.

4 Quicumque, ſive abſens, ſive præſens teſtis nominatus, id, vel officium ſuſcipere, vel jusjurandum præſtare recuſaverit, id, ut præſtet, ſi Provincialis Synodi teſtis eſt a Metropolitano, ſi Diœceſanæ, ab Epiſcopo compellatur, ac propterea, ſi opus videbitur, cum eo mulctis etiam, ac pœnis, cenſuriſve agatur.

5 Jusjurandi autem formula hæc eſt *Ego N. teſtis Synodalis ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo nominatus, & a Synodo electus, & approbatus, promitto, & juro per hæc Sancta Dei Evangelia, quod quidquid, novi, aut audivi, aut in futurum audiam, quod contra Dei voluntatem, & rectam Chriſtianitatem, quodque ad miniſterium prædicti Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi pro ejus officii ratione pertinere mihi viſum fuerit, ei me revelaturum, nec metu, præmio, aut vinculo conſanguinitatis, odio, amore, pœna, aut alia quavis cauſſa me defecturum ab hujuſmodi revelatione.*

6 Jurati teſtes hoc perpetuo meminerint, ſe non amore, non odio, non invidia, non ſpe, non metu, non pœna, non præmio, non cognatione, non ulla denique re commoveri, aut impediri debere, quo minus libere, & integre munus ſuum præſtent.

7 His inſtructionem præbeant Epiſcopi, juxta quam impoſitum onus exequi debeant.

Quo igitur tempore hoc munus teſtes jurati geſſerint, perſonas diſcretas interrogan-

rogando ſimpliciter, & de plano, abſque ulla juriſdictione, ſollicite inveſtigent hæc, quæ ſequuntur.

Interrogationes teſtibus Synodalibus faciendæ.

An Parochi munus ſuum obeant, qua par eſt, ſollicitudine in Sacramentorum, cum omnibus quidem, ægris autem præcipue, adminiſtratione.

An ipſi, aliique Clerici omnes ullam populo præbeant offenſionem.

An in ſuis Eccleſiis reſideant, ſuoque quiſque fungatur officio.

An Canonici, & reliqui quicumque ſint Eccleſiaſtici ordinis homines, Eccleſiæ, ſi quam obtinent, aut in qua dignitatem, vel Canonicatum, vel Eccleſiaſticum aliquod munus habent, aut in ea adſcripti ſunt, oneribus ſatisfaciant, & præſcriptas ſibi functiones obeant.

Videant item, An populus in via Dei ambulet, & in Eccleſia pie, religioſeque verſetur, ac dies feſtos colat.

An decimas, primitias, aliaque debita emolumenta præſtare, aut ſolvere recuſet.

An in populo ſacrilegi, blaſphemi, concubinarii, adulteri, inceſtuoſi, virginum raptores, an excommunicati, an hæreſis, & magiæ, ſuperſtitionumve nomine ſuſpecti ſint.

An denique aliæ in iis morum corruptelæ, quæ correctionem, & emendationem requirant.

8 Quæcumque vero animadverterint decreta, ſancitave nullam adhuc, aut non perfectam exequutionem habuiſſe, aut rurſus depravata correctionem, reformationemve deſiderare, ea tribus ante menſibus, quam Concilii proxime futuri ſtata dies veniat, ſingula ordine ſuo referant ad Metropolitanum. Teſtes vero Diœceſani, menſe ſaltem ante diem præſtitutum, idipſum Epiſcopo præſtabunt.

9 Cum vero Provincialis Concilii dies inſtabit, in unaquaque Diœceſi eo nomine electi inter ſe convenient, ut eorum unus, quem Metropolitanus maluerit, ſi tamen illum, vel in ipſa eorum electione, vel per litteras poſtea deſignavit, alioquin is, de quo inter ſe convenerint, accedat, qui conſtituta die Concilio præſens adſit, ac ſi quæ interroganda, examinanda, aut cognoſcenda ab ipſo de iis, quæ præſcripta ſunt, aut de aliis, quæ Metropolitanus cenſuerit, coram fideliter reſpondeat, ſummaque integritate, prout jure jurando ſancte adſtrictus eſt. Prima vero, vel ſequenti, ſi poteſt, proxima poſt Synodum inchoatam Congregatione, aut certe quamprimum poteſt, referat, & interrogatus reſpondebit, quod ubi plane præſtiterit, diſcedat, licet neque poſt illud temporis, niſi Metropolitanus aliter cenſuerit, ſumptus illi pro victu ſuppeditentur, ſed ſolum tantum pro viatico detur, quantum ad redeundum ſatis eſt.

10 Viaticum autem Teſti Synodali ad Synodum Provincialem proficiſcenti, & ſumptus pro victu neceſſarii quamdiu pro munere commorabitur, ſuppeditentur aliqua pecuniæ contributione, quæ ſatis ſit, a Clero ejus Diœceſis facta, quæ Epiſcopus efficiat, ut ſine mora, impedimentove, & omnino perſolvatur.

11 Ad Diœceſanam vero Synodum Teſtibus Synodalibus venientibus nihil neque ſumptus, neque viatici contribuatur, niſi ſint, qui Diœceſanæ Synodo intereſſe non debent; atque iis quidem ſuppeditetur ad præſcriptam Provincialibus Teſtibus rationem.

Teſtibus Synodalibus in Diœceſana Synodo neque ſumptus, neque viaticum dari debet.

12 Si teſtis Synodi, vel Provincialis, vel Diœceſanæ a ſuo domicilio ad aliquem locum pro ſui muneris functione inveſtigaturus acceſſerit, victus expenſæ, viaticumque ab iis detur, quorum cauſſa venerit, ad idque dandum Epiſcopus compellat.

TITULUS IX.

De Examinatoribus.

SUMMARIUM.

1 *Examinatores non ſpe, non metu, non affectu aliquo munus ſuum gerant.*
2 *Privatim examinandum ne doceant; nihil etiam a ſponte dantibus recipiant ſub excommunicationis interminatione.*
3 *Tres ſint Examinatores, ſi de beneficio curato, ſacris ordinibus, Concionatore, aut Confeſſario examen inſtituitur.*
4 *Externus corporis habitus in examinando inſpiciatur.*
5 *Prius de loco, vitæ ſtatu, genere, patria, & domicilio, deinde de ſcientia inquirendum.*
6 *Quæ atteſtationes in promovendis ad ſacros ordines requirantur?*
7 *De iis, quæ ad rem ſunt proxime, examinandi interrogentur.*
8 *Cetera Examinatorum prudentiæ relinquuntur.*

1 OMnes Examinatores, quicumque ſint, noverint ſibi munus uſque adeo grave committi, ut ſi negligenter, aut male ſe ullo modo geſſerint, Deo in primis culpæ in eo munere admiſſæ exactam rationem reddituri ſint; quare non ſpe, non metu, non aliquo affectu ducti, muneris ſibi commiſſi curam gerant.

2 Nullus Examinatorum quempiam privatim doceat, qui examen ſubiturus ſit; nihil prorſus etiam a ſponte dantibus recipiant ſub pœna excommunicationis, aliiſque a Sacro Concilio Tridentino ſancitis.

3 Cum de beneficio Curato conferendo examen inſtituitur, aut de aliquo ad ſacros ordines promovendo, vel Concionatore,

natore, Confeſſariove approbando, ad minus tres Examinatores, præſente Epiſcopo, vel ejus Vicario, conveniant.

4 Cum quis ad examen venerit, ejus vultus, & habitus corporis, veſtitus, & inceſſus, geſtus, & ſermo diligenter inſpiciantur; ex his enim *animi levitas, vel gravitas deprehenditur*.

5 In examine vero is potiſſimum ordo teneatur, ut primo de toto vitæ ſtatu, genere, patria, domiciliove quæratur illius, qui examen ſubit. His perquiſitis Examinatores ad explorandam ſcientiam mox deſcendant.

6 Quiſquis pro ſacris ordinibus ſuſcipiendis examinandus eſt, ætatis, natalium, aut diſpenſationis obtentæ, beneficii eccleſiaſtici, vel penſionis, patrimoniive atteſtationes ſcriptas, & documenta authentica ante omnia in medium producat, quæ omnia Examinatores non perfunctorie, ſed diligentiſſime perquirent, an ullo vitio, vel fraude laborent.

7 Cautio etiam ſit, ut de iis examinandi interrogentur, quæ ad rem, cujus occaſione examinantur, proxime faciunt.

8 Cetera ſicuti Examinatorum prudentiæ animadvertenda, & præſtanda relinquuntur, ita omnino omnia obſerventur, quæ infra de Sacramento Ordinis a Nobis ſancita ſunt.

TITULUS X.

De Fidei Rudimentis.

SUMMARIUM.

1 *Parochi etiam per cenſuras eccleſiaſticas compellantur ad fidei rudimenta edocenda ſingulis ſaltem Dominicis diebus.*

2 *Doctrinæ Chriſtianæ ſodalitatis ſingulis in Oppidis inſtitutio commendatur.*

3 *Eccleſiæ, ubi Doctrinam Chriſtianam doceatur, deputentur.*

4 *Indulgentiæ hujuſmodi Sodalitatibus conceſſæ ſæpius promulgentur.*

5 *Ludi magiſtri quæ diſcipulos docere debent?*

6 *Exercitia poſt Doctrinam Chriſtianam.*

7 *Parochi cura in Chriſtiana Doctrina edocenda.*

8 *Concionantes parentes moneant, ut natos ad Doctrinam Chriſtianam compellant.*

1 CUm omnibus Fidelibus ad ſalutem neceſſarium ſit Chriſtianæ Fidei rudimenta ſcire, ideo curabunt Epiſcopi ſingulis ſaltem Dominicis diebus pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter doceri per Parochos, aliosve Animarum quovis modo Curatores, ad quos præcipue hoc munus ſpectat, eosque, ſi opus fuerit, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellant.

2 Quo ſtudioſius Parochi in eam curam incumbant, id etiam curet Epiſcopus, ut in ſingulis Diœceſis ſuæ Oppidis, & locis, ubi commode fieri poteſt, Doctrinæ Chriſtianæ Sodalitas inſtituatur, quæ in eo munere ipſos Parochos adjuvet, & ex viris ad id idoneis vita, & moribus approbatis conſtet.

3 Eccleſias in Civitate, & Diœceſi, in quibus infantes, & pueri ad diſcendam Doctrinam Chriſtianam convenire poſſint, deputent.

4 Indulgentias a Summis Pontificibus conceſſas earum Sodalitatum hominibus ſæpius promulgari curent.

5 Ludi Magiſtri, qui docent grammaticam, ſemel in hebdomada, Sabbato ſcilicet a prandio pueros Doctrinam Chriſtianam doceant, & ab eis genuflexis Veſperi ſub finem lectionum Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Fidei recitari curent.

6 Idem in Eccleſiis, ubi Doctrina Chriſtiana exercetur, in calce ab omnibus præſentibus fiat.

7 Curent etiam Parochi, ut non pueri tantum, & puellæ, ſed etiam grandioris ætatis homines, & mulieres Fidei rudimenta doceantur, maxime ruſtici.

8 Dabunt etiam operam Epiſcopi, ut in concionibus parentes puerorum moneantur, ut filios ſuos, & filias hora præſtituta ad Doctrinam Chriſtianam addiſcendam ire compellant.

TITULUS XI.

De Prædicatione verbi Dei.

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopi ad prædicationem hortantur.*

2 *Fructus ex Epiſcoporum prædicatione.*

3 *Impediti idoneis viris id muneris demandent.*

4 *In Parochialibus Parochi, iiſque impeditis, ab Epiſcopo Deputati prædicationem obibunt impenſis eorum, ad quos de jure, vel conſuetudine pertinet.*

5 *Parochi in prædicatione negligentes fructuum ſubtractione mulctentur, & ei, qui vices ſupplet, dentur.*

6 *Quibus diebus ſit concionandum? Catechiſmus præ manibus habeatur.*

7 *Regulares etiam in Eccleſiis ſuorum ordinum a prædicatione abſtineant, antequam loci Ordinario ſe præſentent.*

8 *In alienis Eccleſiis, facultate Epiſcopi ſcripto tradita egent, ſine qua ad prædicandum non admittantur.*

9 *Doctrinam, & mores Concionatorum Epiſcopi obſervent.*

10 *Prædicatio qualis eſſe debeat? Ni recte fiat, Vicarii Foranei, & Archipresbyteri ab Epiſcopo inſtructi provideant.*

11 *Concionandi facultas gratis omnino conceda-*

cedatur. Quid cum iis, qui per pecuniam intruduntur, agendum?

12 *Pecunia, aliisve muneribus prædicationem procurantes a prædicationis, & confeſſionis munere interdicuntur, & ab ingreſſu Eccleſiæ, qui favorem præſtiterint.*

13 *Concionatores confeſſiones audiant, præſertim majori hebdomada, aliaque pietatis Chriſtianæ exercitia procurent.*

14 *Quæſtuarii per ſe, aut per alios ne prædicent.*

15 *Epiſcopi concionandi methodum præſcribant.*

16 *Eccleſiaſtici mores, ritus, cæremoniæ populo commendentur.*

17 *Epiſcopi cum non prædicant, concionibus intereſſe ſtudeant, idemque Eccleſiaſticis mandent.*

18 *Cum aliquid populo de ſcripto publicandum erit, curent Epiſcopus in Civitate, & Parochus in ſua Paræcia, ut idem Concionatores inter concionandum verbo adjuvent.*

19 *Idem Parochi ſemper præſtabunt.*

20 *Communitas, quæ Concionatorem ab Epiſcopo miſſum, vel non receperit, vel male tractaverit, vel ei conſuetam eleemoſynam non præſtiterit, interdicto ſupponatur ad Epiſcopi arbitrium; ſi particulares fuerint, eo ipſo ſint excommunicati.*

1 Timere debent Epiſcopi, ne ſibi a Domino illud in diſtricto judicio exprobretur Iſaiæ 56. *Canes muti non valentes latrare.* Ideo cum eorum præcipuum munus ſit prædicatio Evangelii, ipſos vehementer in Domino hortamur, ut ipſimet in ſuis Eccleſiis, præſertim Populos ſibi commiſſos ſalutari verbi Dei pabulo paſcant; quod ſi ſe huic muneri obeundo imparatos aliquando judicaverint, confidant in eo, qui infantum linguas facit diſertas, meminerintque verbi Chriſti Domini, dicentis, Matt. 19. *Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

2 Noverintque Epiſcopi proprii Paſtoris voce, utcumque ad ædificationem prolata, greges ſibi traditos maxime commotum iri, & ad pietatem eſſe profecturos ſine ullo ornamento verborum.

3 Si vero aliquando ita vere impediti fuerint, ut hoc munus per ſe ipſos explere nequeant, per alios idoneos viros obire ſtudeant, quorum vita doctrinæ reſpondeat, ut verbo ſimul, & exemplo doceant, & ædificent.

4 In Eccleſiis Parochialibus per Parochos, ſive illis impeditis per alios ad id idoneos ab Epiſcopo deputandos, impenſis eorum, qui eas præſtare tenentur, aut ſolent, munus prædicationis exercebitur.

Parochi non paſcentes plebem ſuam verbo Dei, ſubtractione fructuum puniuntur.

5 Admoneantur ſæpius Parochi, teneri eos in ſuis Eccleſiis plebem ſibi commiſſam verbo Dei paſcere; quod ſi negligentiores eſſe conſtiterit, fructuum ſubtractione mulctentur, qui alteri dabuntur, ut vices ſuppleat.

Tempora, quibus verbum Dei obire debent.

6 Tempus, quo prædicationis munus obire debet, omnes dies Dominicos per annum, ac ſolemnes feſtivitates, & ſingulos quoque dies Quadrageſimæ, & Adventus complectitur. Et cum præcipua ejus cura eſſe debeat, ut in articulis fidei, qui Symbolo Apoſtolorum continentur, præceptis Decalogi, Eccleſiæ Sacramentis, & oratione Dominica commiſſum ſibi Populum erudiat, ad hoc munus explendum Catechiſmum aſſidue præ manibus habeat, ut hæc omnia ſecundum ſanam, & eccleſiaſticam doctrinam docere valeat.

7 Regulares vero ne prædicent, etiam in Eccleſiis ſuorum ordinum, niſi a ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, cum fide hujuſmodi approbationis coram loci Ordinario ſe præſentaverint, benedictione ab eo humiliter petita.

8 In Eccleſiis vero non ſuorum ordinum, etiam ab Epiſcopo facultatem in ſcriptis habere teneantur, ſine qua nullus Eccleſiarum Rector Regulares hujuſmodi concionari permittat.

Prædicatores ſcandala perpetrantes, a munere prædicationis ſuſpenduntur.

9 Diligenter obſervent Epiſcopi doctrinam, & mores Concionatorum per viros idoneos, ut ſi quis ſcandala diſſeminarit a prædicationis munere ſuſpendatur; ſi vero hæreſes (quod abſit), contra eum procedatur juxta formam juris.

10 Concionatores itaque eos eligant, vel admittant, qui profuturi credantur animarum ſaluti, ac ſancte tractaturi rem adeo ſanctam, quique ſe gerant, ut Miniſtros myſteriorum Dei, non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti quærentes. Vaniloquentes, ac ſcurrilia, & fabulas miſcentes, aut quæ ethniciſmum ſapiunt, Poetarumque carmina, & commenta, a tam ſacro miniſterio procul arceant; deque hujuſmodi exceſſibus a Vicariis foraneis, & Archipresbyteris moneri ſe curent, ut pro Paſtorali cura ſtatim ipſi provideant, eos arguendo, & ſi moniti non reſipuerint, a prædicatione removendo.

11 Concionandi facultatem, ſeu litteras patentes, ut vocant, gratis omnino concedant, omni prorſus turpis lucri abuſu rejecto, quod ſi quem deprehenderint media pecunia ſe intruſum, hoc ipſo, ut indignum rejiciant, & debita animadverſione corripiant, etiam ſuſpenſionis pœna, ſi videbitur, perpetuæ ab officio prædicationis in ſuis Diœceſibus.

12 Con-

Prædicatores muneribus prædicationem procurantes prædicandi, & confitendi munere privantur.

12 Concionatoribus vero hujuſmodi, qui auſi fuerint media pecunia, aliiſve muneribus procurare verbi Dei prædicationē, ſive per ſe, ſive per intermediam perſonā, ipſo facto interdicimus munus prædicationis, & confeſſionis; queadmodum, & iis omnibus, qui pecuniam, aut quidpiam ſimile ab iis acceperint, ut ab Epiſcopis favore, aut commendatitiis litteris prædicandi munus ipſi obtineant, ingreſſu Eccleſiæ eo ipſo interdicimus.

13 Memores præterea ſint Concionatores Dei legatione ſe fungi apud Populos: Quapropter non minus verbo eos ædificent, ac ſacra doctrina, non inutilibus ſermonibus aerem verberantes, quam vitæ exemplo, ac ſancta converſatione, zeloque animarum, quem toto Quadrageſimæ curſu, ac præſertim majori hebdomada præſeferant in audiendis confeſſionibus, aliisque Chriſtianæ pietatis exercitiis procurandis.

14 Cavendum eſt, ne Quæſtuarii per ſe, aut per alios prædicare permittantur, cum id conſtitutionibus Pontificiis interdictum fuerit.

15 Præſcribant inſuper Epiſcopi verbi Dei Concionatoribus, a quibus in prædicatione dicendis abſtinendum, & quæ maxime pro regionum, & locorum ratione ſæpius inculcanda, & repetenda exiſtimaverint: magnā in hominibus eſſe varietatem oſtendant, nō eumdem omnibus eſſe guſtum, aliquibus dulcia, nonnullis acria magis placere; aliquos eruditos, quamplurimos rudes, & ignaros eſſe. Itaque illis curandum eſſe, ut quoad fieri poterit, omnibus ſatisfaciant, ſermonemque accomodent, ne vento doctrinarum tanquam nubes ſine aqua circumferantur; loquacitatem viteut, eaque omnia, quæ quæſtionem magis, quam ædificationem præſtant, fugiant; prædicent pure, ſincere, clare abſque ulla ambiguitate, & diſputatione verbum Dei, juxta Eccleſiæ traditionem, & Sanctorum Patrum interpretationem. Crimina acriter redarguant; nominatim quemquam ne accuſent.

16 Formam denique in omnibus habeant ſanorum verborum, a veritate Eccleſiaſtica nihil omnino diſcrepantium: commendent Populo Eccleſiaſticos mores, ritus, & cæremonias, quibus Catholica Eccleſia utitur; quanta in his lateant myſteria, eaque omnia ad animarum ſalutem pertinentia oſtendant.

17 Atque hæc omnia, & alia, prout ipſis magis expedire videbitur, curent Epiſcopi, ut a Concionatoribus obſerventur, quorum concionibus cum ipſi prædicare non poterunt, intereſſe ſtudebunt, & omnibus Eccleſiæ Cathedralis, cujuſcumque dignitatis exiſtant, & aliarum Eccleſiarum Clericis quibuſcumque mandent, ut interſint, ut eorum exemplo Laici ad audiendum verbum Dei alacriores reddantur.

Pontificias ſanctiones, & Epiſcopales conſtitutiones legere concionatoribus jubetur.

18 Cum, vel ſanctiones Pontificias, vel decreta Conciliaria, vel litteras, conſtitutionesve Epiſcopales, vel aliquid ejuſdem generis promulgari, aut Populo annuntiari, deque ſcripto legi juſſum erit, ut uberiorem fructum ferant, ac ſtudioſius ad exequutionis uſum illæ introducantur; Epiſcopus Concionatores, qui in Urbe ſunt, Parochi vero Diœceſani, ſi quos in ſuæ Parochialis Eccleſiæ finibus habent, eos diligenter hoc præmore ſtudeant, ut quod fidelibus enunciandum eſt, idem illi inter concionandum cohortationibus adjuvent.

19 Hoc vero cohortandi munus ipſi etiam Parochi ſtudioſe ſemper præſtent.

20 Si qua Communitas Prædicatores ab Epiſcopis miſſos in Quadrageſima, vel alio tempore non receperit, vel male tractaverit, vel conſuetam eleemoſynam non perſolverit, tamdiu Eccleſiaſtico ſubjaceat Interdicto, quamdiu Epiſcopo viſum fuerit, etiam poſt obedientiam, & ſatisfactionem. Si vero particulares fuerint, eo ipſo ſint excommunicati.

TITULUS XII.

De lectione Sacræ Scripturæ.

SUMMARIUM.

1 *Theologalis in Cathedralibus, & Collegiatis in locis inſignibus exiſtentibus erigatur.*
2 *Sacram Scripturam interpretantes diebus feſtis Populum, ferialibus, ab Epiſcopo præſcribendis, Clericos per ſe doceant.*
3 *Canonici, & Clerici Sacræ Scripturæ lectioni non intereſſentes Epiſcopi arbitrio mulctentur.*
4 *In oppidis, ubi Theologalis erigi non poteſt, Grammaticæ Magiſter conducatur; cui de Capituli conſilio, vel beneficium ſimplex conferatur, vel ſtipendium congruum a Populo aſſignetur.*

Obſervantia Decreti Concilii Tridentini Epiſcopis imponitur.

1 NOn ſolum in Eccleſiis Cathedralibus Epiſcopi præbendas, quas Theologales vocant pro lectione Sacræ Scripturæ erigant, ſi adhuc re ipſa effectum non ſit; ſed etiam in Collegiatis exiſtentibus in aliquo inſigni Oppido, ſi ibi Clerus numeroſus fuerit, ex Sacri Concilii Tridentini præſcripto, cum deputatione in eum uſum præbedæ primo vacaturæ, ubi commode fieri poſſit, & quamprimum curent Epiſcopi, ut decreto Concilii ſatisfiat.

2 Proviſi de hujuſmodi præbendis Sacram Scripturam, aut Theologiam inter-

terpretari, docereque diebus quidem feſtis Populum, ferialibus vero certis diebus ab Epiſcopo præſcribendis Clerum per ſe, & non per alios compellantur.

Quos docere Theolog. Cathedralium debent?

3 Canonici, tum Cathedralium, tum Collegiatarum Eccleſiarum, & reliqui præterea Clerici omnes ad ſacrarum litterarum interpretationes, lectioneſve omnino interſint, quas ipſis Epiſcopus præſcripſerit; qui ſecus fecerit, ejuſdem Epiſcopi arbitratu mulctetur.

4 Quibus in oppidis Præbenda hujuſmodi erigi non poteſt, Epiſcopi Magiſtrum, ſaltem Grammaticæ, inſtituant ad Populi, Clerique inſtructionem, cui de conſilio Capituli, vel ſimplicis beneficii fructus aſſignent, vel ſtipendium congruum a Populo curent aſſignari.

TITULUS XIII.

De Sacris Imaginibus.

SUMMARIUM.

1 *Recta ſacras imagines pingendi ratio præſcribitur.*
2 *Priuſquam in Eccleſiis apponantur, ab Epiſcopo ſint benedictæ.*
3 *Epiſcopi de imaginibus decernant.*
4 *Imagines violatæ, dejectæ, profanatæ, vel vetuſtate corruptæ vel aptentur, vel deleantur: ita conſumptæ, ut aptari nequeant, comburantur etiam in Laicorum domibus; cineres in ſacrarium vergant.*
5 *Ubi imagines pingi ſit prohibitum?*

1 UT ſacræ Imagines, qua decet religione exprimantur, id in primis cavendum eſt, ne Pictores, Sculptoreſve illas effingāt, niſi ad regularum normam, quæ hoc loco breviter ſubjiciuntur, oſtenſo prius, ſi fieri poteſt, exemplari Epiſcopo, vel ejus Officiali.

Hi vero picturæ, ſculpturæve qualitate perſpecta, quod ſibi congruum viſum fuerit, conſtituent.

2 Imagines nihil turpe, nihil profanum, nihil indecorum, quodque riſum moveat, aut intuentium oculos offendat, repræſenteut; multo magis cavendum eſt, ne quidquam falſum, vel apocryphum, ſuperſtitioſumve ob oculos ponant.

3 Curent Epiſcopi, ut Sacræ Imagines, priuſquam in Eccleſiis collocentur, ſtatis precibus benedicantur.

4 Si quæ Imagines, vel Statuæ ab impiis hominibus violatæ, dejectæ, profanatæ, ac demum vetuſtate corruptæ, quæve in ſordido loco ſunt, eas, vel honeſte aptari, vel in totum deleri mandent; vetuſtate autem ita collapſas, ut reparari non poſſint, comburi, & cineres in ſacrarium reponi præcipiant, ubicumque reperiantur, etiam in domibus Laicorum.

5 Imagines neque humi, neque ſordido, aut caliginoſo loco, neque ſub feneſtris, unde pluviæ ſtillare poſſint, effingantur.

TITULUS XIV.

De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.

SUMMARIUM.

1 *Abſque Epiſcopi approbatione novæ Reliquiæ ne invehantur, nec inventę honore afficiantur. Epiſcopus, Theologis in Concilium adhibitis, eas recognoſcat.*
2 *Reliquiarum Inventarium unaquæque habeat Eccleſia; & atteſtationes cujuſcumque generis annotentur.*
3 *Liber ſit in Epiſcopali Archivo, in quo totius Diœceſis Reliquiæ, earumque atteſtationes annotentur.*
4 *Sacræ Reliquiæ quomodo ſint cuſtodiendæ?*
5 *Servanda in Reliquiarum expoſitione.*
6 *Reliquiarum donatio, extractio, aut receptio ſine Ordinarii permiſſu in Eccleſiis ſæcularibus, vel Generalis in regularibus prohibeatur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.*
7 *Novæ Reliquiæ venerationi publicæ non exponantur, etiam in Regularium Eccleſiis, antequam ab Epiſcopo ſint recognitæ, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna.*
8 *Miracula ad Sanctorum Reliquias, vel Imagines edita, Epiſcopus diligenter inquirat.*
9 *Quot claves in Reliquiarum cuſtodia adhibendæ, & apud quos ſervari debeant in Civitate?*
10 *Quid in Diœceſi?*

1 ETſi Sanctorum Reliquias, quæ organa fuerant Spiritus Sancti, Eccleſia Catholica ubique pia veneratione, atque honore proſequendas præcipit, Nobis tamen id magis, magiſque cordi eſſe debet. Ideo illud ante omnia præcipiendum cenſuimus, ne ſuperſtitioni, aut falſæ credulitati anſa præbeatur, ut nullo pacto novæ Reliquiæ invehantur, inventæque honore aliquo afficiantur, niſi recognoſcente, & approbante Epiſcopo, qui ſimul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in Concilium Theologis, aliiſque piis viris, ea faciat, quæ veritati, ac pietati conſentanea judicaverit.

2 Unaquæque Eccleſia Inventarium habeat Sacrarum Reliquiarum, in quo annotentur atteſtationes cujuſvis generis, unde probetur veritas ipſarum Reliquiarum, & certitudo.

Reliquiarum inventarium.

3 Curabit Epiſcopus librum confici, & conſervari in Archivo Epiſcopali, in

quo

quo diligenter deſcribantur Reliquiæ totius Diœceſis cum publicis, & privatis monimentis, & atteſtationibus.

4 Illæ vero loco decenti, honeſto, atque conſpicuo, non humido, aut ſordido, minuſve decenti in Eccleſia cuſtodiantur, ubi nihil aliud ſervari ſoleat, locuſque ipſe ſerico interius ornatus ſit, qui duabus clavibus, & crate ferrea, vel ligneo oſtiolo claudatur, claveſque ipſæ a Rectore Eccleſiæ, & ab Epiſcopo deputandis perſonis de Clero gravibus, ac religioſis tradantur, & niſi omnino inops ſit Eccleſia, lampas ante illarum armarium noctu, interdiuque ardeat.

5 In exponendis Reliquiis hæc, quæ ſequuntur, diligenter advertenda erunt.

Non vulgo, neque facile nimis, frequenterve populo inſpiciendæ proponantur, ſed diebus dumtaxat ſolemnibus.

Ne alibi, quam in Altari, aut de ſuperiori loco oſtendantur.

Caveaturque turpis quæſtus.

Dum exponuntur, candelæ ad minus duæ ardeant.

Sacculi, aut Capſulæ pro eleemoſynis recipiendis non collocentur, nec ſit, qui ad erogandas verbis invitet. Si quid vero ſponte dabitur, accipi non prohibetur.

Nec ad infirmos afferantur, niſi maxima ex cauſſa, ab Epiſcopo probanda.

A Laicis nunquam tractentur, aut tangantur, quod ſacrilegium eſſe ſcribit D. Gregorius.

6 Unuſquiſque Epiſcopus edictum conficiat, atque promulget, in quo prohibeat, ne quiſquam de Reliquiis ſumere, donare, extrahere, aut donatas recipere audeat, quovis prætextu, aut etiam alteri Eccleſiæ concedere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſibi reſervata, ſine permiſſu Ordinarii, & ſi Regularis ſit, abſque facultate proprii Generalis, ſcripto obtenta.

7 Novas Reliquias evulgare, aut venerandas populo annunciare, nemo, etiamſi Regularis ſit, aut quantumvis exemptus, niſi ab Epiſcopo recognitas, & approbatas, præſumat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut ſupra.

8 Si rumor incertus de miraculo, vel ad Reliquias, vel ad imagines Sanctorum edito in vulgus prodierit, diligenter rem totam explorabit Epiſcopus, ne falſa pro veris irrepant.

Reliquiarum claves apud quos eſſe debent ſtatuitur.

9 Reliquiarum claves duæ diverſo fabrili opere conficiantur, quarum altera ab Epiſcopo, ſi in Cathedrali, altera a Theſaurario, vel Archipresbytero ſervanda erit; tertiam, vel plures, ubi conſuetudo eſt, Epiſcopus Laicis permittere poteſt.

10 In Diœceſi vero a Rectore Eccleſiæ, & ab alio probato Presbytero, quem Epiſcopus elegerit, prout ſupra cautum eſt, teneantur.

TITULUS XV.

De Eccleſiarum fundatione, ſtructura, cultu, ac pia in eis venerandi ratione.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſias, vel Cappellas de novo extrui, vel in extructis aliquid innovari, inconſulto Epiſcopo, anathematis pœna prohibetur.*
2 *Si Clerici id permiſerint, decem ducatorum pœna plectantur.*
3 *Ratio quotannis Epiſcopo reddatur de proventibus, templorum fabricis dedicatis.*
4 *Decretum Tridentini de Eccleſiis reparandis, ſervandum mandatur.*
5 *Altaris ſitus.*
6 *Crucis ſignum ſolo ne inſculpatur; inſculptum deleatur.*
7 *In ſepulcris feria V. majoris Hebdomadæ ornamenta ne apponantur, quæ ad profanum uſum fuerunt adhibita, ni Eccleſiæ propria ſint.*
8 *In Eccleſiis quæ ſint vetita?*
9 *Ne quis in Eccleſiam cum armis ingredi, & immorari audeat anathemate cavetur.*
10 *Laicæ ſervitutes in Eccleſia ne ſint; ſi quæ extent, infra duos menſes removeantur ſub pœna interdicti.*
11 *Ne res venales in Eccleſiæ parietibus appendantur.*
12 *Rerum licitationes, & hujuſmodi ſchedularum affixiones in loco ſacro prohibentur.*
13 *Comeſtibilia, profanaque ſupellectilia in loco ſacro recondere illicitum.*
14 *Eccleſiæ claves a Laicis ne cuſtodiantur, ni aliter Epiſcopo videatur.*
15 *Ante Eccleſiam pila ne ludatur, clamores ne excitentur, cum divina præſertim celebrantur officia; tabernæ, aliæque clamoroſæ officinæ, certo ſpatio ab Eccleſia diſtent; ſi quæ ſint, amoveantur ſub excommunicationis pœna, invocatoque, ſi oporteat, ſæculari brachio.*
16 *Campanæ ſonus ad alium, quam ad ſacrum uſum ne adhibeatur.*
17 *Campanæ pro ſæcularibus, cujuſcumque ſint dignitatis, ne pulſentur, interdicti pœna propoſita.*
18 *Sabbato Sancto majoris hebdomadæ campanas pulſari prohibetur, antequã in Cathedrali, vel Matrici Eccleſia pulſentur.*
19 *Pallia perſolvere eccleſiaſticis perſonis, vel locorum piorum Oeconomis anathematis pœna vetat.*

1 Eccleſiæ, & Cappellæ, ſi quæ de novo extruendæ ſint, certior antea red-

reddatur Epiſcopus, qui illarum formam, juxta Sac. Canonum ſententiam, tradet, recentemque ſtructuram auctoritate ſua admittet, ſine cujus conſenſu nihil in jam extructis deſtrui, reædificari, innovarive poterit ſub pœna excommunicationis.

2 Parochi vero, & alii Beneficiati, vel Canonici, qui id permiſerint, decem ducatorum pœna plectantur, & alias arbitratu Epiſcopi puniantur.

Quid deſtruendum, vel conſtruendum in Eccleſiis, Epiſcopi conſenſu fiat.

3 Proventus Templorum fabricis dedicati, ac pro reparandis, ornandiſque Eccleſiis inſtituti non temere, aut ſuperflue inſumantur, ſed de iis adminiſtratores Epiſcopo rationem quotannis reddere teneantur.

4 Quoniam vero Templa permulta hujus Provinciæ reparatione indigere audivimus, idcirco Sacroſancti Concilii Tridentini decretum iiſdem pene verbis hic in medium afferri, ſimulque diligenter obſervari decernimus. *Parochiales Eccleſiæ, etiamſi ſint Juriſpatronatus, cura, & ſtudio Epiſcopi cum fructibus, & proventibus quibuſcumque ad eaſdem Eccleſias quomodocumque pertinentibus reficiantur, & inſtaurentur, qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta Epiſcopi cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota. Quod ſi nimia egeſtate omnes laborent, ad Matrices, ſive viciniores Eccleſias transferantur, cum facultate, tam dictas Parochiales, quam Eccleſias dirutas in profanos uſus, non ſordidos, erecta ibi tamen Cruce, convertendi.*

5 Altaria non quacumque in Templi parte extrui debent, ſed decenti, & commodo loco, eo ſane ſitu, ut aliquid ſpatii inter ea interſit.

6 Ne ſignum Crucis in ſolo ſculptum, depictumque inveniatur; immo ubi nunc ſit, omnino deleatur, ne, ut in ſexta Conſtantinopolitana Synodo cautum eſt, nobile Trophæum conculcetur.

7 Quibus in Eccleſiis feria quinta hebdomadæ ſanctæ Sepulcrum ornatur, aut conſtituitur, ubi Corpus Chriſti Domini aſſervatur, cum illud glorioſum fore Iſaias prædixerit, ſicuti pretioſo ornatu decorari debet, ita in iis cavendum eſt, ne profanus, & parum decens ſit ornamentorum apparatus. Ne igitur Cubilium ſtragula, cortinæ, conopæa, vel tentoria ad uſum profanum adhibita, ad illud circumveſtiendum, atque exornandum uſui ſint, niſi Eccleſiæ oblata, ejus jam propria facta, & ſacro uſui dicata ſint.

8 Nullus in Eccleſia, cujuſcumque is gradus ſit, deambulare, circulos habere, negotiis ſæcularibus operam dare, parlamenta, & Conſilia convocare, aut cum mulieribus ſuſpectis colloqui, aut Sanctiſſimo Sacramento terga vertere præſumat; ſi contrafecerit, & monitus non reſipuerit, excommunicetur.

9 Prohibemus expreſſe ſub excommunicationis pœna, ne quis Eccleſiam ingrediatur, neque in ea moretur cum ſclopetis, aliiſque hujuſmodi armis, quæ vulgo dicuntur (da fuoco) quovis tempore, vel cauſa.

Ingredientes Eccleſiam cum ſclopetis excõmunicati declarantur.

10 Interdicimus omnino, ne feneſtræ ullæ privatarum domorum in Eccleſiam proſpiciant, quæ infra duos menſes obturentur, ſi quæ ſint; Eccleſias vero, in quibus præſtitum id non fuerit in termino prædicto a promulgatione horum decretorum, interdictas ipſo facto declaramus, & ſi forte quis in eis Miſſam audierit, minime ſatisfaciat Eccleſiæ præcepto.

11 Ne res venales in Eccleſiarum, Oratoriorum, Cœmeteriorumve parietibus appendantur, neque intra ſtillicidii fines, aliudve loci majus intervallum Epiſcopi judicio præſcribendum.

12 Ne item ædium, agrorum, rerumque aliarum ejuſmodi, quæ vel locandæ, vel vendendæ proponi, aut præſcribi publice ſolent, neve omnino rei cujuſque profanæ ſchedulæ, ſcriptave ullis Eccleſiarum, Oratoriorumve, aut Cœmeteriorum foribus, valvis, parietibuſque, aut in quovis loco ſacro in poſterum affigantur.

13 Ne frumentum, millium, hordeum, ullumve tritici, aut leguminum genus, ne poma item, ne inſtrumenta ad prædiorum ruſticorum uſum comparata, ne cujuſvis generis ſupellectilem profanam, ut ab Innocentio III. Pontifice in Concilio Lateranenſi ſancitum eſt, ne denique quidquam a Domo Dei alienum in Eccleſia, etiam non conſecrata, aut in Oratorio, aut in Cœmeterio recondi, aut aſſervari ab ullo quovis homine liceat.

Concilium Lateranenſe ſubInnoc. Tertio de his, quæ in Eccleſiis retineri prohibentur, memoratur.

14 Vetitumque præterea ſit, niſi cum interdum aliter Epiſcopus faciendum cenſuerit, clavem illius Eccleſiæ, aut Oratorii, etiam Diœceſani, ruraliſve, laicis hominibus, præſertim vero colonis, vel conductoribus ejuſdem Eccleſiæ ædium, vel prædiorum committi, aut ab illis cuſtodiri, ſervarive.

Eccleſiarum claves ſæcularibus prohibentur

15 Pro foribus, atriove Eccleſiæ, præſertim, quo tempore ſacra, divinaque officia celebrantur, ne pila ludatur, aut aliud quidquam fiat, agaturve, unde ſtrepitus, clamoreſque excitentur, quibus Divinæ officiorum preces interturbentur, neve item officinæ, tabernæve, aut aliæ hujus generis ipſis Eccleſiis ſtrepitus afferentes, circa ipſas ſint, intra fines ab Epiſcopo præſcribendos, & ſi quæ fuerint locatæ, quamprimum Conductores omnino ab Epiſcopo amoveantur (ſub pœna excommunicationis) aliiſque pœnis ipſius arbi-

arbitrio, convocato, etiam ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis pro pietate, & reverentia ipſius erga Dei domum.

Concilium Card. Sabelli.

16 Renovantes decretum Concilii Provincialis bon.mem. Cardinalis Jacobi Sabelli mandamus Epiſcopis, ut ſacris campanis, niſi ad eum uſum, quem ex Eccleſiæ ritu hucuſque retinemus, uti Eccleſias quaſcumque prohibeant, abuſumque tollendum curent, ne, ſicut hactenus forſan fieri ſolitum eſt, ad convocandos pro rebus publicis hominum conventus, alioſque profanos actus exercendos iiſdem campanis ullo modo amplius populus utatur, pœnis ipſis Epiſcopis bene viſis.

Campanæ ſonare ad ſæcularē uſū proſcribitur.

17 Potiſſimum vero, ac diſtricte præcipimus, ne ullo modo unquam permittatur a Parochis, Archipresbyteriſve, vel aliis Eccleſiarum Rectoribus, etiam Regularibus, campanas ſonare, neque ipſi, vel alii quicumque Clerici, vel Regulares id per ſe præſtent, vel præſtari ab aliis, etiam laicis ſinant ob adventum cujuslibet Principis, vel Domini Sæcularis, cujuſcumque ille dignitatis ſit, neque occaſione nuptiarum, vel alterius profanæ ſolemnitatis eorumdem Dominorum ſæcularium, vel electionis novorum Magiſtratuum Communitatis, vel Gubernatorum, ſeu Magiſtrorum ipſarum Eccleſiarum, & ſimilium; ſi ſecus fiat, Eccleſia, tam ſæcularium, quam Regularium quomodolibet exempta, arbitrio Ordinarii Eccleſiaſtico interdicto ſubjaceat; ipſis autem Eccleſiaſticis, qui dictas campanas pulſaverint, ingreſſum Eccleſiæ interdicimus, quemadmodum etiam laicis, qui id mandaverint, exequi fecerint, vel exequuti fuerint per ſe.

18 Ut debitus Eccleſiæ Cathedrali, ſive Matrici tribuatur honor, vetitum eſt Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quam Regularibus, quocumque privilegio fulcitis, campanas in Sabbato majoris hebdomadæ in propriis Eccleſiis pulſare, ante ſignum Cathedralis in Civitatibus, & Matricis in aliis locis; ideo aliter attentantes pœnas in conſtitutione Leonis Papæ Decimi incipiente: *ſacro approbante*, ſubeat ejuſdemque Eccleſiæ ingreſſum utriuſque ſexus Chriſti-fidelibus interdicimus.

Conſtitutio Leonis X. de campanis pulſandis in Sabbato majoris hebdomadæ.

19 Audivimus nonnullis in locis Provinciæ noſtræ Eccleſiarum Rectores, & Abbates, aut alios Presbyteros, & perſonas Eccleſiaſticas, & ſodalitates, Confraternitates, & aliorum piorum locorum Miniſtros ab Univerſitatibus, aut Baronibus, ſeu aliis cogi ad præmia quædam, quæ vulgo Pallia appellantur, perſolvenda, ut proponantur his, qui, vel curſu, vel lucta, vel aliis hujuſmodi laicorum exercitiis ſe exercere voluerint, victoribuſque tribuantur; quem abuſum, cum is contra libertatem Eccleſiaſticam perſonarum, earumque immunitatem, & decorem inſtitutus reperiatur, renovantes decretum bon.mem. Cardinalis Sabelli in Provinciali Synodo editum, tollendum eſſe decernimus, propoſita excommunicationis pœna, & his præfatis Eccleſiaſticis perſonis, & ſodalitatum, aliorumque piorum locorum miniſtris, ſi ii quoquo modo, etiam ſponte ea præmia perſolverint, & his, qui illos ad ea, & alia hujuſmodi ſolvenda adegerint.

Decretum Card. Sabelli renovatur concernens Eccleſiaſticam immunitatem.

TITULUS XVI.

De Sacriſtia.

SUMMARIUM.

1 *Sacriſtiarum conſtructio mandatur.*
2 *Sacriſta ſacrorum ſupellectilium inventarium conficiat, in Epiſcopali Archivo ſervandum.*
3 *Epiſcopi per ſeipſos paramenta viſitent.*
4 *Locus, in quo celebrans ſe induat, in Sacriſtia parandus.*
5 *Oratorium, precum Tabella, Confeſſionale, & lavacrum ne deſint.*
6 *Silentium in Sacriſtia ſervandū: Sacriſta inde non diſcedat, ni ſubſtitutus adſit.*
7 *Sacerdotes ad Altaria ſacras veſtes ne induant.*
8 *Sacerdos ſe induens Miniſtrum coadjutorem habeat.*

1 Sacriſtia omnino in omnibus Eccleſiis, ſi adhuc in aliquibus non adeſt, loco decenti conſtruatur, in qua ſerventur omnia vaſa ſacra, & paramenta congrua pro qualitate temporum, juxta ritum Eccleſiæ.

2 Sacriſta, aut Operarius, vel alio quocumque nomine deſignetur is, cui Sacriſtia commiſſa eſt, Inventarium totius ſupellectilis conficiat, & Epiſcopis præbeat in Archivo aſſervandum.

3 Epiſcopi Sacriſtias viſitantes omnia paramenta per ſeipſos videant, & attrita jam, quæ nulli uſui eſſe poſſunt, ea in fruſta diſciſſa omnino amoveri curent.

4 Loco magis conſpicuo ſacra Imago collocetur, atque etiam Altare Cruce, & candelabris munitum, ad quod celebraturus ſacras veſtes induat.

5 Oratorium præterea ſeorſim conſtruatur, quo ſacrum celebraturus Sacerdos ſe recipere, & orare, & meditari aliquantum poſſit, in qua pia Crucifixi Imago affixa ſit; Tabella item earum, quæ ante, quæque poſt Miſſam recitari ſolent, orationum: Confeſſionale etiam loco commodiori ponatur pro Sacerdotum confeſſionibus audiendis: Lavacrum etiam ſit ad abluendas manus in pariete excavato, & ad manus tergendas linteum appendatur, idque, ne ſordibus inquinatum appareat, in ſingulas ſaltem hebdomadas mutetur.

Quæ in Sacriſtia eſſe debent notantur.

6 In Sacriſtia ſilentium obſervetur, nec ullus, niſi de rebus neceſſariis, tum vero voce ſubmiſſa, in ea loquatur; Sacriſta toto tempore, quo celebrantur Miſſæ, nunquam diſcedat, niſi alio ſubrogato.

7 Caveant Sacerdotes cujuſcumque ſint conditionis, ne ſe ad Altaria ſacras veſtes induant; ſe itaque ad Miſſas in Sacriſtia parent.

8 Sacerdoti ſe ſe induenti aliquis præſto ſit, qui albam, aliaſque veſtes decore, & concinne aptet.

TITULUS XVII.

De Feſtorum dierum cultu, & obſervatione.

SUMMARIUM.

1 *Dies feſti ſancte ab omnibus obſervandi.*

2 *Ægrotis, aut unius diei victui neceſſaria vendere licet.*

3 *At ante Eccleſiam, aut in Cœmeterio non ſunt vendenda.*

4 *Die feſto ſervilia opera, ut hic, non ſunt exercenda; ſi neceſſitas inſit, licentia gratis concedenda petatur: hujuſmodi licentias concedendi facultas ne locetur. Tranſgreſſores ſola Curſoris relatione, vel alterius perſonæ deputatæ mulctentur.*

5 *Nundinæ, ni ab immemorabili ſint conceſſæ, contractus juramenta, executiones reales, & perſonales prohibentur.*

6 *Collectæ diebus feſtis non exigantur. In Eccleſia vero, Cœmeterio, aut atrio Eccleſiæ exigere nunquam licet. Pœna in contrafacientes ſtatuitur.*

7 *Vicarii foranei, ſeu Archipresbyteri ad horum obſervantiam non incumbentes plectuntur.*

8 *Comœdiæ, & ſpectacula probibentur.*

9 *Agyrtarum ſpectacula præſcribuntur.*

10 *In tranſgreſſores Epiſcopus arbitratu agat ſuo.*

11 *Feſtis diebus omnes miſſæ interſint. Nubiles puellæ, & recenter viduæ cenſuris ad Sacra compellantur: quamdiu viduis a Miſſæ audientia abſtinere liceat?*

12 *Parochorum, & Concionatorum munus pro dierum feſtorum cultu.*

13 *Doctrina Chriſtiana tunc ediſcenda.*

14 *In quæ opera feſtis diebus incumbendum?*

15 *Epiſcopi Chriſtianarum virtutum exercitia inſtituant.*

16 *Provinciæ abuſus in feſtis diebus violandis.*

17 *Laicorum dominorum abuſus in feſtis diebus.*

18 *Laicæ poteſtates, neque per ſe, neque per Miniſtros feſtum violent: Subditi nec operam, nec animalia iis præſtare audeant abſque licentia. Tranſgreſſores non abſolvantur: Si vis interceſſerit, Epiſcopi ad cenſuras pro culpæ modo procedant.*

19 *Decretum, ut ſupra, Parochi ſæpe publicent, ejuſque exemplum ad Eccleſiæ valvas affigant.*

20 *Magiſtratus pie agendi exemplo prælucere ceteris debent.*

21 *Curent Epiſcopi, ut octies in anno diebus, ut hic, ſæculares Principes in Cathedrali Eccleſia Sacris interſint.*

22 *Si Jubilæum, aut generales proceſſiones peragantur, idem faciant.*

23 *Miſſæ Sacrificio in Parochia feſtis diebus interſint.*

24 *Feſti dies colendi juxta ordinationem Urbani Papæ VIII.*

1 DIes feſti, qui ad celebrandas Dei laudes, ſanctorumque memoriam pie colendam ſalubriter inſtituti ſunt, curandum eſt diligenter, ut ſancte ab omnibus obſerventur, & ne iis ipſis homines ad majora perpetranda ſcelera abutantur. Tridentinæ igitur Synodi auctoritate, & Summorum Pontificum decretis innixi, hæc obſervanda præcipimus, & ſtatuimus.

2 Ne feſtis diebus quid vendatur, ematurque, niſi quod ægrotis, aut illius diei victui neceſſarium ſit. Neve rerum ipſarum occaſione officinæ ullo modo apertæ ſint, ſed oſtiolum tantum pateat.

3 Res porro neceſſariæ, nec ante Eccleſiæ fores, nec in Cœmeteriis vendantur.

4 Nulla opera ſervilia die feſto fiant, neque a Tonſoribus, ſutoribus, Calceariis, ceteriſque id gradus, non a Dominis, neque a ſervis, ſeu famulis mercenariis; non metant, neque vindemient, aliaque opera vetita faciant, excepta neceſſitatis cauſa; quo caſu in Civitate Vicarii Generalis Epiſcopalis, per Diœceſim vero Vicarii foranei, Archipresbyterive licentia intercedat, gratis concedenda; Nec hujuſmodi facultas alicui perſonæ in Civitate, vel Diœceſi pacta mercede locari poſſit. Tranſgreſſores vero arbitrio Ordinarii graviter mulctentur, & contra procedi poſſit cum ſola Curſoris relatione, vel perſonæ ad id ab Ordinario ſpecialiter deputatæ. Opera ſervilia enumerantur in diebus feſtis prohibita.

5 Mercatus, & Nundinæ, niſi ab immemorabili tempore conſuetum ſit, die feſto non fiant, neve contractus ineantur, aut juramenta præſtentur, neve executiones perſonales ullo modo fiant, neque reales, ne his diebus deliteſcant fideles, & palam prodire nolint, eoque pacto ab audiendo Dei verbo, & a Divinis officiis diebus feſtis avocentur.

6 Ne collectæ, taleæve in Oppidis, Pagis, Vicis, ut ex depravata conſuetudine quibuſdam locis factum eſt, feſtis diebus exigantur, præſertim quo tempore, vel

vel ſacra fiunt, vel concio habetur, vel proceſſiones, vel alia Divina officia celebrantur, nec ullo prætextu, ulloque unquam die in Eccleſia, in Cœmeterio, atriove Eccleſiæ illa exigi liceat. Qui præmiſſorum quid contrafeçerit, præter rerum venalium, ceterarumque rerum amiſſionem, ſi opus fuerit, excommunicetur; contractus vero, & juramenta hujusmodi nullius ſint roboris, niſi habita prius licentia ab Ordinario, ſeu ejus miniſtris, aliqua urgenti de cauſsa.

7 Vicarii Foranei, ſeu Archipresbyteri, qui decretis his noſtris obſervandis omnimodam diligentiam non adhibuerint, quinque ducatorum pœna, & aliis arbitrio Epiſcopi puniantur.

8 Ne item comœdiæ, ludi ſcenici, & alia cujuſvis generis ſpectacula agantur.

9 Ne circumforanei circulatores, & id generis nebulones præſtigias ſuas, inaniaque ea ſpectacula agant, neque quidquam omnino vendant, nec medicamenti quidem prætextu.

10 Ut autem hæ omnes de feſtorum cultu leges ab omnibus ſerventur, contra eos, qui non paruerint, Epiſcopus agat pœnis, & aliis item remediis arbitratu ſuo.

11 Feſtis diebus ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificio fideles omnes interſint; neve vero excuſentur puellæ nobiles, aut deſponſatæ, neque viduæ, ob recentem mariti mortem; quæ item viduæ ad ſummum, ne hebdomada amplius ſint ſine miſſæ auditione, qua in re nulla valeat excuſatio cujuſvis conſuetudinis, quam irritam decernimus. Eas item Epiſcopi, etiam cenſuris eccleſiaſticis id facere cogant.

Nobiles & viduas ab auditione Miſſæ non excuſari declaratur.

12 Ut vero ii dies omni pietate, & religioſius colantur, hæc crebro populum Parochi, & Concionatores admoneant, atque hortentur, ut illorum dierum tempus, quod Deo, ejuſque cultui debetur, in iis actionibus totum conſumant, in quibus ſancte conſumendum eſt, ut concionem audiant, ut Divinis, Veſperarum præſertim officiis præſentes pie, religioſeque adſint.

13 Ut in Chriſtianæ Doctrinæ rudimentis, ac præceptis, vel percipiendis, vel recolendis verſentur.

14 Ut deinde ab illis actionibus, unde omnis peccandi materia, atque occaſio exiſtit feriati, in ea opera incumbant, ob quæ ſunt illi ſacri inſtituti dies.

15 Epiſcopi igitur cura ſit, vel Litaniarum proceſſiones, vel orationes, aliarumve Chriſtianarum virtutum exercitationes inſtituere, in quibus per feſtos dies occupati fideles abducant ſe a profanis actionibus.

16 Inter ceteros, ac communiores noſtræ hujus Provinciæ abuſus, eum quam maxime, non ſine ingenti animarum jactura excreviſſe comprehendimus, ut omni facilitate palam, atque irreverenter cultus dierum Deo, ac Sanctis ſuis dicatorum plerumque violetur.

Feſtorum ſanctificatio in provincia, quam facile violabatur

17 Quare firmis remanentibus decretis, ac pœnis quoad hoc ſtatutis, cum nobis relatum ſit a quampluribus Dominis temporalibus, quorum maxime eſſet exemplum ſubditis præbere pietatis, ac religionis, ut commodius, & nulla mercede uti poſsint opera ex animalibus eorumdemmet ſubditorum, data opera expectari dies feſtos, in quibus eorum utantur ſervitio, non modo ullo habito reſpectu Divini honoris, pœnarumque ab Ordinariis impoſitarum, ſed, quod iniquius eſt, metu incuſſo, minisque additis in Epiſcoporum Miniſtros, qui ſanctificandis feſtis invigilare conantur, eos deterrere, atque a proprio officio retardare, non reformidant.

Quomodo a Dominis temporalibus feſtorum dies violabatur?

18 Tanto huic malo mederi cupiens hæc ſancta Synodus, præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & quibuſcumque Dominis temporalibus, cujuslibet conditionis, aut gradus exiſtant, ne ullo pacto, ſive per ſe ipſos, ſive per miniſtros quoſcumque ſuos, abutentes dominatu terreno contra Dominatorem Cœli, feſtorum dierum cultum violare; ſubditis vero, ne operam ſuam, aut animalia iis præſtare audeant abſque licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii, alias tranſgreſſores quicumque ultra pœnas a jure, & ſacris Canonibus inflictas, non abſolvantur, niſi de ſpeciali mandato Epiſcopi, & in caſu, quo aliqui vi publica, vel privata ad inobſervantiam feſtorum dierum compellantur, tunc Epiſcopi procedant ad cenſuras contra cogentes pro qualitate factorum.

19 Atque ut præſentis ordinationis, præceptique notitia recens ſemper laicis, ac eccleſiaſticis vivida ſit, præcipimus inſuper Parochis omnibus hujus noſtræ Provinciæ, ut ſæpe feſtis diebus, cum frequentior erit populus, præſens decretum populo publicent, atque inculcent, ejuſque exemplum in valvis Eccleſiarum Parochialium affigendum, atque inviolabiliter obſervandum mandent, & curent, ut tali pacto debita Deo reddatur reverentia, & immenſa ejuſdem Altiſſimi vehementer tantam irreverentiam indignantis ſupplicia, & pœnæ quoque temporales a fidelibus avertantur.

20 Sicuti Principes, & Magiſtratus, qui gubernationi præſunt, dignitate præcellunt, ita prælucere debent exemplo, quo reliqui incendantur ad perpetuum pie agendi ſtudium.

21 Quamobrem pro muneris ſui officio eos paterne cohortando, & admonendo Epiſcopus curet, ut ipſi per annum ſolemnibus diebus, in quibus potiſſimum huma-

humanæ Redemptionis myſteria peraguntur, in Nativitate ſcilicet Domini, die Circumciſionis, & Epiphaniæ, in Hebdomada Sancta, Sancto Paſchate Reſurrectionis, Aſcenſione, Pentecoſte, in ſolemni die Corporis Domini ad Cathedralem Eccleſiam conveniant, Epiſcopalique Miſſæ ſacrificio, quod ſolemni ritu fit, diviniſque veſperarum officiis interſint, proprioque Paſtori debitum obſequium præſtent.

22 Idem præterea efficiant, cum ad Jubilæum, vel ob aliam publicam cauſſam generales proceſſiones, & ſupplicationes aguntur.

23 Hortamur autem omnes, ut in aliis diebus feſtis Miſſas cum Parochiarum frequentatione audiant.

Urbani VIII. conſtitutio.

24 Dies vero feſtos de præcepto ſervandos mandamus, juxta recentiorem ordinationem felic. record. Urbani Papæ Octavi.

TITULUS XVIII.

De Miſſæ Sacrificio.

SUMMARIUM.

1 *Miſſæ ſacrificium quomodo tractandum?*

2 *Congregatio bis in menſe habenda pro cæremoniis inſtituatur.*

3 *Capitula cæremoniarum Magiſtrum, ab Epiſcopo probandum, habeant.*

4 *Miſſa propria quotidie celebretur. Si miſſa votiva eſt canenda, ante, vel poſt miſſam diei propriam, fiat.*

5 *In Cathedralibus, & Collegiatis miſſarum celebratio ita diſponatur, ut ſingulis horis poſſint audiri.*

6 *Miſſæ ſuo ordine in Tabella diſponantur. Laici presbyteris ne miniſtrent. Clerici munus ſuum calleant.*

7 *Clericus celebranti miniſtrans talari veſte, & decenti ſuperpelliceo ſit indutus.*

8 *Hoſtias laici, ſi fieri poteſt, ne conficiant; feminæ nullimode: Urceoli ex vitro, aut cryſtallo ſint, operculum habeant, ſuper Altare cum catino apponantur.*

9 *Priſcorum Epiſcoporum pietas in miſſarum celebratione.*

10 *Innocentius III. recentiorum temporibus indoluit.*

11 *Epiſcopi ſolemnioribus ſaltem diebus ſolemniter celebrent; veſperis eo die adſint. Conſecrationis Pontificalis anniverſaria recurrente die, id præcipue præſtent.*

12 *Populus Epiſcopo pontificaliter celebranti adſtare, ejuſque benedictionem in fine recipere ne negligat. Parochi ad id ſolicite illum cohortentur.*

13 *Epiſcopo pontificalia exercenti extra Cathedralem iidem miniſtrent, qui intra Cathedralem ſolent, aut debent.*

14 *Si anniverſarius pontificalis conſecrationis dies cadat in feſto a rubricis exceptuato, Epiſcopus miſſam de feſto celebret, adjunctis pro ſe orationibus in miſſali præſcriptis.*

15 *Si dies exceptuatus non ſit, ſacrum de conſecratione faciat.*

16 *In conſecrationis die, non tantum miſſa Deo agendæ ſunt gratiæ, ſed concionibus populus excitandus.*

17 *Conſecrationis dies in Kalendario notetur, populoque denuncietur.*

18 *Sacerdotes eo die collectam in miſſa addant.*

19 *Presbyteri ad miſſarum ſatisfactiones cogantur: publice criminoſi, niſi emendatio præceſſerit, ab altari arceantur.*

20 *Quo tempore miſſæ ſunt celebrandæ?*

21 *Nullius intuitu celebrandi hora eſt negligenda.*

22 *In miſſarum novarum celebratione ſumptuoſa convivia, alioſque abuſus Epiſcopus eliminet.*

23 *Singulis ſaltem hebdomadis Sacerdos confiteatur, ni crebrius oporteat.*

24 *Sacerdotis præparatio ad miſſam, quæ eſſe debeat? ea inchoata ne intermittatur; ſi Parochus ſit, horam populo accommodam ſervet, nec concionem omittat.*

25 *Si contra ſupra ſtatutum facere Sacerdotem quis compellat, ſi Beneficiarius ſit, beneficio privetur; ſi ſimplex Clericus, per quinquennium illud conſequi non poſſit: ſi Laicus excommunicetur, & ad decennium ad feuda, aut emphiteuſes Eccleſiæ inhabilis reddatur.*

26 *Sacro peracto gratiæ agantur: Sacerdotibus miniſtri modeſte inſerviant.*

27 *Parochi Patres familias moneant ad filios, & famulos ad miſſæ intereſſendum diebus feſtis compellendos. Miſſæ compoſito habitu interſint.*

28 *Cum ad miſſam quis accedit, quæ vitare, quæ ſervare debet?*

29 *Paramenta, niſi benedicta ſint, non adhibeantur: Quibus diebus illicitum ſit in privatis Oratoriis miſſam celebrare Epiſcopi declarent.*

30 *Id præcipue Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ curandum.*

31 *Laicorum ædes, quæ Eccleſiæ parietes attingant, ne ædificentur, curet Epiſcopus.*

32 *Feneſtræ, aut portæ in Eccleſiam aditum habentes, ni Parochorum ſint, infra duos menſes obſerentur.*

1 MIſſæ Sacrificium ſalutare, quod a Domino Jeſu Chriſto inſtitutum eſt, ea tractare dignitate par eſt, qua tantum myſterium decet; quapropter, ut rite celebretur, audiaturque Miſſa, hæc, quæ ſequuntur, diligenter obſervari Synodus mandat.

2 Congregationem pro cæremoniis, & ri-

Bis in menſe Congregationẽ ſacrorum rituũ haberi ſtatuitur.

& ritibus Miſſæ erigant Epiſcopi in ſua quaque Eccleſia, in qua bis in menſe diligenter de cunctis ad miſſam, & cetera divina officia ſpectantibus edifferatur, & ad rationem, & uſum receptum a ſancta Romana Eccleſia cuncta examinentur, & receptæ cæremoniæ probentur.

3 Capitula magiſtrum cæremoniarum inſtituant, ſi non habent, qui probetur ab Epiſcopo, quique accurate a Congregatione probata, non modo edifcat, verum etiam ceteros doceat.

4 In celebrandis Miſſis hæc obſervabuntur; Miſſa unius cujuſque diei propria quoad fieri poteſt, celebretur; ſi quæ Miſſa votiva cantanda ſit, ante, vel poſt Miſſam officio conformem canatur.

5 In Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, ubi certus eſt miſſarum numerus, hic ordo ſervetur, ut pro Populi commoditate, qui ſæpe miſſis carere cogitur, non ſimul miſſæ omnes celebrentur, ſed ex intervallo, ita ut ſingulis horis miſſæ poſſint audiri.

Tabella miſſarum facienda præcipitur.

6 Fiat tabula per Deputatum a Capitulo, vel per Rectorem Eccleſiarum, in qua miſſæ ordine ſuo diſponantur; Laicus, ſi fieri poteſt, nullo modo miniſtret Altari; Clericus vero diligenter inſtruatur circa miniſterium ſuum.

7 Clericus Sacerdoti miſſam celebranti miniſtrans, ſemper indutus ſit talari veſte, & ſupepellico puro, & mundo, eoque non lacero, neque ulla alia ratione indecenti.

8 Hoſtias pro ſacra Euchariſtia conficienda non laicus homo, ſi fieri poteſt, faciat; femina vero omnino ne faciat. Urceoli, qui ad ſacrificii uſum adhibentur, quo diſtinctius, ac certius aqua a vino dignoſci poſſit, neve ſtamno, argento, aliove metalli genere ſint, ſed plane e vitro, eoque perlucido, aut e cryſtallo confecti; itidem operculum oris habeant, nec ſuper linteolo Altaris apponantur, niſi in catino.

9 Ea fuit olim vigilantiſſimorum, ſanctorumque Epiſcoporum religioſa pietas, ut non modo in ſolemnioribus anniverſariis celebritatibus, ſed fere in ſingulis feſtis, & Dominicis diebus, præſertim in Adventu, & Quadrageſima ſolemniter miſſæ ſacrificium celebrarent.

Concilium Provinciale VI. S. Caroli Borromæi.

10 Quod inſtitutum refrigeſcere aliquando Innocentius Tertius Pontifex Maximus vehementer doluit, ut Sanctiſſimus Cardinalis Borromæus in ſuo quarto Provinciali Concilio refert.

Epiſcopis ut frequenter celebrent, commendatur.

11 Quapropter ad reſtituendam, ac ſtudioſe retinendam priſtinam pietatis diſciplinam, ad cæremonialis præſcriptum, ſolemnioribus ſaltem diebus, quibus Religionis Chriſtianæ myſteria celebrantur, curent Epiſcopi in divinis officiis, ſacriſque ſolemniter faciendis frequentius, ac ſtudioſius verſari, ut miſſæ ſacrificium ſolemni, Pontificalique cæremoniarum ritu ab eiſdem celebretur, & hoc etiam pro Paſtoralis officii munere curent, ut quibus diebus miſſarum ſolemnia in Baſilica Cathedrali concelebrant, iiſdem, & veſperarum officium ſolemni ritu ipſi obeant, nec præſertim diem illum prætermittant conſecrationis ſuæ anniverſarium omni ſolemnitate, & cum gratiarum actione celebrare.

In anniverſario die ſuæ conſecrationis quilibet Epiſcopus celebrare debet.

12 Fideles vero, quo magis a Paſtoribus ſuis religioſæ vitæ exemplis, conſilio, ſpectatiſque virtutibus adjuventur, eo vehementius ſe in omnem bene, ſancteque agendi partem excitare, tum cumulatius Chriſtianæ diſciplinæ officia præſtare eos oportet. Quare feſtis his diebus, tum frequentiſſimi ad Miſſarum Epiſcopalium ſolemnia convenire ſtudeant, tum e ſacra benedictione Epiſcopali aliquem ſalutarem fructum largiente Domino conſequuturi, ne ante inde diſcedant, quam ab Epiſcopo illam demiſſo, humilique animo, & genibus flexis de more, & ut omnino decet, acceperint. Ut id ſane omni ſtudio illi præſtent, cum eos crebro præmonere, tum gravi ſermone cohortari Parochi ſollicite curent.

Quilibet de capitulo Epiſcopo Pontificalia munera obeunti etiam extra Cathedralem miniſtrare debet.

13 Epiſcopo in Urbe, etiam extra Cathedralem Eccleſiam Pontificalia munera obeunti, utpote conſecranti, vel reconcilianti Eccleſias, Cœmeteriave, aut ſanctiſſimam Euchariſtiam frequenti populo miniſtranti, aut ſolemni Miſſæ aſſiſtenti, aliaque hujuſmodi munera Pontificalia exercenti, cum is juſſerit, aſſiſtant, inſerviant, miniſtrentve quicumque ex iis, qui dignitates obtinent, & de Capitulo, ac reliqui de Eccleſiæ Clero eidem Epiſcopalia munera in Cathedrali Eccleſia exercenti, inſervire, aſſiſtere, miniſtrareve ſolent, aut debent.

14 Die autem Anniverſario conſecrationis, ſi Dominicus, vel feſtus ſit ex ſolemnioribus in rubricis exceptuatis, Epiſcopus ſolemni celebritate de eo Dominico, feſtove die Miſſam celebret, adjunctis pro ſe orationibus in Miſſali Romano præſcriptis.

15 Si vero conſecrationis Anniverſarius dies in feſtum non exceptum cadit, Miſſæ ſacrificium ſolemne de conſecratione, prout in Miſſali Romano, faciat.

Quæ Epiſcopus facere tenetur in die ſuæ conſecrationis?

16 Quo conſecrationis die Epiſcopus exemplum etiam ſequatur, atque amplectatur Sanctorum Epiſcoporum, Pontificumque, qui ſuſcepti muneris curam, onus, & ſollicitudinem in memoriam revocantes, anniverſarias eo die non ſolum ſacrificio, religioſiſque precibus divinæ bonitati gratias agere non deſtiterunt, ſed Concionibus Paſtorali charitate

plenis

plenis Clerum, Populumque expoſitis multiplicis ſuæ curæ partibus, excitare voluerunt, tum ad opem ſibi a Deo implorandam, tum ad omnia religioſæ pietatis officia colenda.

17 Utque conſecratio Epiſcopi a Sacerdotibus, etiam ſacrificiis, & a reliquo Clero piis precibus recolatur, in Kalendario anniverſarius dies notetur, tum populo etiam, ut moris eſt, denuncietur, ut is quoque ſanctius illum diem, veneretur, tum pro charitatis officio, quo erga Epiſcopum, & Patrem eſse debet, vehementius excitetur ad preces pro illo pie adhibendas.

18 Sacerdotes vero omnes eo die collectam addant in Miſſis, *Deus omnium Fidelium Paſtor, & Rector*, &c. prout in Miſsali Romano, Deumque ipſum pro communis Paſtoris vigilantia erga ſuum gregem, incolumitateque humiliter exorent.

19 Ut ſanctiſſimum Miſsæ ſacrificium, in quo illa Deo Patri placens Hoſtia Jeſus Chriſtus in odorem ſuavitatis offertur, ſingulari religione, ac pietate, & a Sacerdotibus celebretur, & a populo colatur, Epiſcopus noſse ſtudeat omnes, qui in quavis Eccleſia Miſsam celebrare, vel Sacerdotem, qui celebret, exhibere debeant; cogatque ſuo officio ſatisfacere. Sacerdotes, qui publice, & notorie criminoſi fuerint, a Miſsæ celebratione arceantur, niſi emendata vita ſceleris maculam eluerit.

Sacerdotes criminoſi a celebratione miſſæ arceantur.

20 Miſsæ nec ante auroram, nec poſt meridiem, niſi ex cauſsa jure permiſsa celebrentur.

21 Volumus autem nullius intuitu, aut rogatu, Sacerdotes dictam horam tranſgredi in celebrando.

22 Tollant Epiſcopi ſumptuoſa convivia, ludos, choreas, ſi quæ ſint, & omne inanium oblectamentorum genus, ceteroſque omnes abuſus, qui populi temeritate, aut Sacerdotum avaritia in novæ, ut vocant, Miſsæ celebrationem irrepſerunt; & in eos, qui in hoc genere aliquid peccaverint, Epiſcopus graviter animadvertat.

In novę miſſę celebratione convivia, & chorea prohibentur.

23 Ut vero puriores ad divinam rem faciendam accedant Sacerdotes, ſaltem ſingulis hebdomadis confiteantur peccata ſua, niſi eos ob mortalis peccati culpam frequentius id facere oportuerit.

24 Ut, antequam celebrent, ſe colligant, & orantes mentem in tanti myſterii cogitationem defigant: ut ſacris veſtibus induti, cum nemine colloquantur, neque loquentibus dent aures: ut pileum, biretum, ſudariolum, aut quodcumque hujus generis in Altari ne ponant, & ibi ne in mora ſint, cujuſvis expectandi gratia, neve ob eamdem cauſsam miſsa inchoata ſubſiſtant, aut ejus initium repetant, neve ſi Parochi ſint, cujuſquam rogatu, metuve miſsam anticipent, aut differant, ſed illam ea potiſſimum hora celebrent, quæ populo magis accommodata ſit, neve concionem, quam in ea habere debent, ullo modo omittant.

Parochos miſſam quocumque rogatu, aut metu prætermiſſo nec differre, nec anticipare præcipitur.

25 Quod ſi forte quiſquam imperio quodam, aut contumelia, aut minis, aut vi contenderit, ut Sacerdos quidquam, contra quam hoc decreto ſancitum eſt, faciat, ſi Clericus, & beneficium obtineat, eo privetur, ſi non habeat beneficium, ne habere quidem ad quinquennium poſſit. Si laicus, re ipſa jam tunc excommunicationis pœnam ſubeat, neque ad decennium feudi, aut emphiteuſis quidquam ab Eccleſia conſequi poſſit.

26 Ut peracta Miſſa, pro ſummi beneficii munere Deo gratias agant. Sacerdote rem divinam faciente, Miniſtri per Eccleſiam non vagentur, neve dent operam collocutionibus, ſed compoſito corpore, nullo geſtu, modeſte, ut debent, Sacerdoti aſſiſtentes, inſerviant.

27 Moneant Parochi frequenter Patres familias, ut filios, & famulos, quos in beſtiis paſcendis occupant diebus feſtis, Miſſæ omnino jubeant intereſse. Fideles cum Miſsæ interſunt, eodem veſtitu ſint, quo in publicum prodire ſolent, & ita ſe componant, ut corporis habitu animi religionem præſeferant.

28 Ne in foribus Eccleſiæ, vel extra ſubſiſtant, niſi neceſſitatis cauſsa.

Aperto capite ſint, eoque tempore, quo a Sacerdote confeſsio dicitur, & graviora Miſsæ myſteria peraguntur, ſint flexis genibus.

Ne ita prope Altare accedant, ut indecorum ſit, & Sacerdos perturbetur.

Ne prius diſcedant, quam Sacerdos Evangelium, quod poſt benedictionem dicitur, abſolverit.

29 Quæ veſtes, & ornamenta cujuſvis generis ad uſum ſacrum comparata, Eccleſiæ inſtituto benedici debent, ea in Miſsæ ſacrificio, ceteriſque divinis officiis ne prius adhibeantur, quam ſolemnibus precibus ab Epiſcopo, vel ab alio de licentia Epiſcopi benedictæ ſint. Declarent præterea Epiſcopi, aut deſignent certos quoſdam, quos decere judicaverit, dies, in quibus abſtinendum ſit a Miſſis celebrandis in privatis Oratoriis Dominorum ſæcularium quorumcumque, qui forte Apoſtolicorum Brevium gaudent indultis, ne tantopere commendata Eccleſiarum religio imminuatur.

Veſtes, aliaque ornamenta ad uſum ſacrum facta, benedicenda ſunt, antequa eis quiſque utatur.

30 Quod in primis curent in diebus Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, qui paſcendis verbo Dei Chriſti fidelibus deputati ab Eccleſia ſunt.

31 Illud curet Epiſcopus, ut ne laicorum hominum ædes in poſterum ædificentur,

centur, quæ Eccleſiarum parietes ulla ex parte attingant.

32 Si quæ vero feneſtræ, vel portæ, ſive Eccleſiaſticarum, ſive laicarum ædium, exceptis Parochorum, in ipſis Eccleſiarum parietibus inſunt, unde in Eccleſiis conſpectus ſit, aut aditus pateat, efficiant, ut duobus ſaltem poſt hujus Concilii promulgationem menſibus, obſtruantur, pœnis ſupra impoſitis, aliiſque arbitrio Epiſcopi.

TITULUS XIX.

De Quadrageſima, & Sacrorum Jejuniorum obſervantia.

SUMMARIUM.

1 *Deo ſemper ſerviendum.*
2 *Præſertim quadrageſimali tempore.*
3 *Edictum de vetitorum ciborum norma, publicetur.*
4 *Monita medicis danda.*
5 *Dominica Quinquageſimæ, & feria 4. Cinerum de jejunio populus inſtruatur.*
6 *A jejunio qui excuſantur, hi licentiam habeant.*
7 *Medici abſque neceſſitate, & ſcripto nulli cibos vetitos permittant.*
8 *Vetiti cibi in Tabernis ne vendantur, aut coquantur tempore jejunii ſub excommunicationis pœna.*
9 *Infirmis tantum laniena pateat, & de licentia: caro ne vendatur iis, qui licentiam non habent.*
10 *In Quadrageſimæ initio peccata ſunt confitenda.*
11 *In Paſchate omnes communicent.*
12 *Quæ fugienda, quæ ſectanda quadrageſimali tempore?*
13 *Ad conciones adhortatur.*
14 *Canonici, niſi legitime impediti, concionibus interſint.*

1 Deo quidem ſemper ſerviendum eſt, nec ullum tempus eſt futurum, in quo Creatori noſtro ſervitutis debitæ cultum non exhibeamus.

2 Verum Quadrageſimæ diebus cuncti fideles ſtudioſius rebus divinis vacare debent, cum & Dei ſermo crebrior habetur, & jejuniorium, ac ciborum ſalutaris abſtinentia indicitur. Quare, ut commodius quiſque, ac religioſius ſanctos quadrageſimæ dies exigere poſſit, hæc de illa ſancienda cenſuimus.

3 Edictum aliquot ante diebus ab Epiſcopis promulgetur, quo vetitorum ciborum norma præſcribatur.

Monita Medicis ab Epiſcopis danda.

4 Medicos omnes Epiſcopi aliquot ante diebus accerſant, eoſque diligenter moneant, ne propriæ ſalutis immemores, nimia facilitate quempiam male affectum valetudine affirment, iis indulgentes, qui fingunt laborem in præcepto. *Conc. Prov. Benev.* Cetera minutiora ad ciborum venditores pertinentia, late in Edicto explicentur.

5 Parochi, & Concionatores in Dominica Quinquageſimæ, & feria quarta Cinerum populo demonſtrent, neminem abſque legitima cauſſa jejunium violare poſſe abſque letali crimine, ſimulque jejunii modi, & conditiones enucleentur.

6 Excipiuntur ab jejunii lege ii tantum, qui, vel urgenti neceſſitate, vel imbecilli ætate, morbove aliquo, aliave juſta cauſſa impediti ſint, quibus tamen caſibus ſcripta ab Epiſcopo, vel ejus Vicario tantum licentia impetretur, quam concedi omnino prohibemus, niſi Parochi, & Medici teſtimonium acceſſerit, & tum gratis omnino.

7 Item Medici omnino caveant, ne cuipiam cibos vetitos prædicto tempore permittant, niſi ex neceſſitate, & in ſcriptis, in quo conſcientiam eorum oneramus; & qui ſecus fecerint, etiam graviter, arbitratu Epiſcopi, puniantur.

8 Sub excommunicationis, & aliis pœnis arbitrio Epiſcoporum infligendis prohibemus, ne in quadrageſima, aliiſque temporibus jejunii in tabernis, cauponis, aut diverſoriis a quoquam carnes, vetitique cibi vendantur, vel coquantur.

9 Qui vero a Vicario Epiſcopali carnes vendendi licentiam obtinuerint pro infirmis, cum oſtiolo tantum aperto carnes vendant, & nonniſi iis, qui licentiam prædictam obtinuerint, gratis concedendam.

10 Hortamur omnes in Domino, ut ab initio Quadrageſimæ curent peccata ſua confiteri, nec poſtremam ejus temporis partem expectent.

11 Omnes autem Paſchæ tempore communicent ſub pœnis alias a jure, & ab Epiſcopis ſtatutis.

12 Abſtineant vero a ludis prohibitis, blaſphemiis, ceteriſque actibus, qui ſcandalo ſint; totumque id ſacrum tempus in jejuniis, orationibus, & eleemoſynis conſumant, quo peccatorum ſuorum miſericordiam a Deo facilius conſequantur. Quadrageſimæ tempore orationibus, & jejuniis vacare, omnibus præcipitur.

13 Omnes, ac ſingulos hortamur, ut quoad fieri poteſt, audiendo verbo Dei frequenter adſint.

14 Canonicos vero omnes intereſſe concioni omnino volumus, quæ in ipſorum Eccleſia habetur, niſi legitime impediantur, ſub pœnis arbitrio Epiſcoporum imponendis. Canonicis, ut concionibus interſint, inculcatur.

TITULUS XX.

De Immunitate Eccleſiaſtica, & reverentia Clericis exhibenda.

SUMMARIUM.

1 *Generalia Concilia, & Pontificum conſtitutiones de libertatibus, & Immuni-*

 tati-

tatibus Eccleſiaſticis ſervari in Philippum IV. Hiſpaniarum Regem confidit.

2 *Excommunicationem latæ ſententiæ incurrunt, qui proceſſu, captura, detentione perſonarum, aut quocumque modo immunitatem lædunt, quique a locis immunitate gaudentibus extrahunt, aut extrahi mandant, vel auxilium, vel conſilium præſtant.*

3 *Excommunicantur, qui acta Eccleſiaſticæ Curiæ executioni demandari retardant.*

4 *Anathemate percutiuntur, qui Eccleſiaſticas perſonas, ſine Epiſcopi licentia, capiunt, vel detinent, vel ad ſæculare forum trahunt.*

5 *Ceteris pœnis contra hujuſmodi violatores a jure ſtatutis, non derogatur.*

6 *Anathematizantur, qui temporales dominos, vel ſæculares officiales contra Eccleſiaſticas perſonas, vel Eccleſiaſticam Immunitatem incitant, aut conſilium, vel patrocinium præſtant: aliæque pœnæ contra beneficiarios, & Clericos ſtatuuntur.*

7 *Metropolitæ cura imploratur, ut cum Romano Pontifice agat, qui Nuntio Neapolitano mandet, ut Epiſcoporum, eorumque familiarium, regios Miniſtros adeuntium, protectionem ſuſcipiat.*

8 *Excommunicatio Sedi Apoſtolicæ reſervata fertur in ſæculares Dominos, Magiſtratuſque, qui directe, vel indirecte vexant quomodolibet eos, qui immunitatem tuentur: aut qui parentes avertunt, ne filios prima tonſura initiari, vel ad alios ordines curent promoveri, vel procurant, ut jam promoti clericalem habitum deponant: ante abſolutionem ab excommunicatione ſatisfactio perquiritur.*

9 *Laici Clericorum ſedes in Eccleſia ne occupent ſub excommunicationis interminatione.*

10 *Laici Eccleſiaſticas perſonas conviciis, aut aliter lædentes excommunicationi ſubjiciantur: abſolutio non impertiatur, niſi ſatisfactione ſequuta.*

11 *Ter in anno ſupradicta conſtitutio publicetur.*

12 *Epiſcopalis Curiæ Miniſtris injuriam irrogantes, excommunicatione Epiſcopo reſervata innodantur.*

13 *Vectigalia ne imponantur emptoribus, ſeu conductoribus redituum, qui e prædiis, vel decimis Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticarum perſonarum percipiuntur. Id qui fecerit, non abſolvatur, niſi prævia reſtitutione: Idem ſi Univerſitas attentaverit, aut locorum Domini contra Univerſitates exegerint, Eccleſiaſtico ſupponantur interdicto.*

14 *Hoc decretum vulgari lingua promulgetur, & ad parœciæ valvas figatur.*

15 *Notariorum incuria non modicum Eccleſiis damnum affert.*

16 *Sæculares Notarii, niſi expreſſam habeant Epiſcopi licentiam, Inſtrumenta ad pia loca, aut Clericorum donationes pertinentia, non conficiant. Confecta, in foro Eccleſiaſtico fidem non faciant.*

17 *Hujuſmodi Inſtrumentorum rogationes a Cancellariis, ſeu Actuariis Epiſcopalibus fiant; aut ſaltem, ſuadente neceſſitate, a Notario Apoſtolico, in Epiſcopi Archivo deſcripto.*

18 *Comprovinciales Epiſcopi forti, infractoque animo declarent incurriſſe in pœnas a Sacris Canonibus ſtatutas eos, qui ordinariam impediunt juriſdictionem, Eccleſiaſticos ad ſæculare forum trahunt, ad ſæculares Judices ab Ordinariorum ſententiis appellant.*

19 *Laicæ poteſtates ſuos ſubditos, ceteroſque directe, ſive indirecte impedientes, ne bona Eccleſiaſtica colant, aut conducant, aut colonos, vel proximos eorum vexantes hac de cauſſa, excommunicatione Epiſcopis reſervata innodantur.*

20 *Præcipitur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Epiſcopis reſervatæ, laicis Dominis decimarum Eccleſiaſticarum ſolutio de bonis ſubditorum, quæ fiſco adjudicantur ob patratum delictum.*

21 *Perſonarum bona, & libertates Eccleſiaſticæ ſæcularibus Principibus commendantur.*

22 *Temporalium Principum reverentia erga res, perſonaſque Eccleſiaſticas quanta eſſe debeat?*

23 *Principum exemplo magiſtratus nihil adverſus Eccleſiaſticam Immunitatem molientur.*

1 UT Eccleſiaſticæ libertatis, & immunitatis privilegia illæſa conſerventur in hac noſtra Provincia, confidimus Invictiſſimum, ac Catholicum Regem Philippum omnino, ut hactenus ſemper fecit, curaturum, uti ejus Miniſtros, juxta canonicas ſanctiones, generalia Concilia, & Summorum Pontificum Conſtitutiones de dictis libertatibus, & immunitatibus loquentes, quas ad unguem in noſtra Provincia obſervari mandamus.

2 Si quis immunitatem, ac libertatem eccleſiaſticam, vel in confectione proceſſuum, vel in captura perſonarum, aut ipſarum detentione, aut alias quovis modo violare, aut quemquam in Eccleſiis, Monaſteriis, ceteriſque locis, quæ Eccleſiaſtica gaudent immunitate, capere auſus fuerit, aut id mandare, conſilium, vel auxilium præſtare, eo ipſo excommunicationis vinculo innodatum declaramus, abſolutione reſervata, juxta eccleſiaſticas ſanctiones.

3 Mo-

3 Monitoria, citationes, omniaque alia acta Curiæ Eccleſiaſticæ nulli cujuſvis ſtatus, gradus, & conditionis, etiam privatæ, liceat, ſub quovis prætextu retardare, quin debitæ exequutioni demandentur, ſub excommunicationis vinculo latæ ſententiæ, Ordinariis reſervatæ.

4 Si, quod non credimus, in aliqua Provinciæ noſtræ parte perſonam religioſam, aut Clericum beneficiatum, aut eccleſiaſtico ſervitio addictum, per ſæculares Judices, ſine Epiſcopi, aut Vicarii Generalis licentia, ſcienter capi, aut detineri contigerit, aut in judicium vocari ex officio, & aliorum petitione, tam in cauſſis civilibus, quam criminalibus, & miſtis, aut ab aliquo cujuſvis gradus, ordinis, & conditionis ille ſit, Clericum ad ſæcularis fori Judicem trahi per ſe, aut per alium, in excommunicationis pœnam ipſo facto incurrat, Epiſcopis reſervatæ, quamdiu detentio hujuſmodi duraverit.

5 Ceteris tamen pœnis contra captores, detentores, conſilium, auxilium, & favorem impendentes a jure, vel his conſtitutionibus ſtatutis nihilominus in ſuo robore permanſuris.

6 Quicumque Laicus, vel Clericus cujuſcumque gradus, conditionis, aut dignitatis palam, vel occulte per ſe, vel per alium Dominum temporalem, Judices ſeculares, aut alios Officiales contra Perſonas eccleſiaſticas, aut eccleſiaſticam libertatem, & immunitatem incitaverit, aut conſilium, vel patrocinium dederit contra ſacrorum Canonum, & Apoſtolicarum conſtitutionum diſpoſitiones, excommunicationis ſententia ipſo facto innodatus exiſtat, & a beneficiorum fructibus, ſi beneficia obtineat, per triennium ſit ſuſpenſus; ſin autem Clericus ſit, & beneficia non habeat, ad ea per idem tempus inhabilis exiſtat, reliquis nihilominus pœnis a Jure ſtatutis (& præſertim in Bulla Cœnæ Domini) in ſuo robore permanſuris.

7 Quoniam vero perſæpe accidit, hujus Provinciæ Epiſcopos pro diverſis ſuarum Eccleſiarum negotiis, ipſarumque juribus defendendis, Proregem Neapolitanum, Regioſque Miniſtros adire, vel ejus rei cauſſa aliquos e ſuis familiaribus mittere, ipſoſque ut plurimum impenſis fatigatos re infecta reverti, cum pro ipſarum Eccleſiarum paupertate diu ibi remanere, aut Procuratores relinquere nequeant; optat hæc Provincialis Synodus, ut Metropolitani cura ſit, cum Sanctiſſimo Domino Noſtro agere, ut Nuntio, qui pro tempore in Regno Neapolitano Sanctitatis ſuæ nomine permanſerit, Sanctitas ſua præcipue in mandatis tradat, ut Epiſcopos pro ſua apud Proregem auctoritate defendat, & tueatur, ipſorumque Epiſcoporum, & Eccleſiarum jurium protectionem ſuſcipiat, & amplectatur.

Optat S. Synodus, ut Metropolitani cura comprovinciales Epiſcopi a legato Papæ defendantur.

8 Cum ad aures noſtras non ſine magna admiratione pervenerit, nonnullos Provinciæ noſtræ Dominos ſæculares, quamvis in interiori Animarum ſuarum foro, quod ſoli Deo patet, ac ſubditur, Eccleſiaſticas cenſuras contemptui habeant, ac nihil prorſus faciant, nihilominus, ut earum declarationem eludant, aliiſque de cauſſis, humaniſque reſpectibus, abſtinere quidem ſe ab iis directe patrandis, quæ ſacri Canones, & Conſtitutiones Pontificiæ vetant, atque immunitati eccleſiaſticæ, & libertati contradicunt, ideoque nec tantum audere, ut Perſonas eccleſiaſticas vexent, indirecte tamen in eorum parentes, propinquos, famulos, ac bona, aliaque id genus animadvertere.

Domini ſæculares in contemptu cenſuras Eccleſiaſticas habentes.

Nos, ne pernicioſiſſimus hic cancer, cum ingenti animarum ruina longius ſerpat, ac dictorum Dominorum temporalium æternæ ſaluti proſpicere volentes.

Omnes, & ſingulas cenſuras a ſacro Concilio Tridentino, ſacris Canonibus, & Summorum Pontificum ſanctionibus ſtatutas ad memoriam revocantes, decernimus, & declaramus quoſcumque, & ſingulos cujuſcumque gradus, conditionis, aut dignitatis fuerint, etiam ſi Judices, & magiſtratus ſint, aut alio quopiam titulo inſigniti, qui aliis præſunt, ac dominantur, vel juſtitiam, aut communitates adminiſtrant, ſi in poſterum audeant directe, vel indirecte, ſive per ſe, ſive per alios, quolibet prætextu, aut colore carcerare, aut aliter quomodolibet animadvertere in perſonas innocentes, eorumque bona, eo animo, ut dictas Eccleſiaſticas perſonas ab immunitate, & libertate eccleſiaſtica tuenda removeant, & intuitu officii, quod gerunt, ſive, ut eorum parentes avertant, ne filios ſuos ad clericalem tonſuram, alioſve ordines curent promovendos, vel ut jam promoti, depoſito habitu ad ſæcularem ſtatum redeant, ſeu aliud quidpiam ſcienter agere, quod indirecte dictæ eccleſiaſticæ libertati, vel immunitati ullo modo repugnet, ipſo facto in excommunicationem majorem incurſuros pronunciamus, a qua ſicuti neque ab Ordinariis abſque ſpeciali facultate Sedis Apoſtolicæ abſolvi poſſint, ita niſi facta prius debita reintegratione, ac ſatisfactione commiſſi ac damni partibus læſis delicti, illati, eorūdem Ordinariorū poſtquam tamen plenā, & apertam de hujuſmodi reintegratione ac ſatisfactione ſcientiam habuerint, arbitratu nihilominus abſolvantur.

Avertentes filios a Clericali tonſura, vel facientes, ut habentes, clericalem habitum deponant, excommunicantur.

9 Nemo Laicus ſedes Clericis, præſertim Canonicis deputatas, dum divina myſteria, & officia celebrantur, vel ver-

bum Dei prædicatur, occupare præſumat ſub excommunicationis pœna.

Temporis calamitates, in quibus laici opprobriis Eccleſiaſticas perſonas proſequuntur.

10 Quia in eas temporum calamitates incidimus, ut Sacerdotibus, & Eccleſiaſticis perſonis Laici, nedum reverentiam, ut tenentur, non exhibeant, verum opprobriis illos, & contumeliis afficiant.

Nos attendentes verbum Domini dicentis: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*; ſtatuimus, quod ſi aliquis Laicus, cujuſcumque is conditionis, gradus, & dignitatis fuerit, quaſcumque eccleſiaſticas perſonas male habuerit, conviciis, aut quibuſvis factis, aut verbis contumelioſis affecerit, ubi id legitime probatum fuerit, publice excommunicatus denuncietur, neque is antea abſolvatur, quam congrue ſatisfecerit injuriam paſſo; ſalutarem penitentiam pro tranſgreſſione hujuſmodi, quam Epiſcopo reſervamus, nihilominus impleturus, niſi pro gravitate delicti ad Sedem Apoſtolicam ſpectet.

Sæcularis injuriam, vel convicium Clerico inferens excommunicatus declaratur.

11 Utque præſentis Conſtitutionis ignorantiam nemo allegare poſſit, mandamus illam, ter in anno inter miſſarum ſolemnia a Curatis omnibus publicari.

12 Si quis diabolico ſpiritu in tantam temeritatem proſiliat, ut aliquem ex officialibus Epiſcoporum, Notariis, Scribis, Curſoribus, apparitoribus, aut Curiæ Epiſcopalis ſervientibus quibuſcumq; injuriam, aut offenſionem aliquam irrogare, ſeu ad id conſilium, vel auxilium præſtare auſus fuerit, in quocumque loco, præſertim in Palatiis Epiſcopalibus, eo ipſo excommunicatus exiſtat, neque ab alio, niſi ab Epiſcopo abſolvi poſſit, exceptis his, qui dum capiuntur, vel capti ducuntur, injurioſis verbis forte apparitores, aut ſervientes affecerint.

Vectigalia, & novas gabellas imponentes cõductoribus & emptoribus redituum Eccleſiarum excommunicantur.

13 Quoniam comperimus in aliquibus noſtræ Provinciæ locis novum invectum eſſe vectigal in præjudicium immunitatis, libertatiſque eccleſiaſticæ, quo certa quædam pecuniæ ſumma imponitur ſolvenda ab emptoribus, ſeu conductoribus redituum, qui e prædiis, vel decimis Eccleſiarum, vel eccleſiaſticarum perſonarum percipiuntur; cumque hujusmodi inductio indirecte adverſetur immunitati, & libertati eccleſiaſticæ, diſtrictiſſime mandamus, ac prohibemus quibuſcumque temporalibus Dominis, eorumque miniſtris, & officialibus quomodocumque nuncupatis, ne deinceps dictum vectigal, ſeu gabellam ullo modo exigant a præfatis emptoribus, & conductoribus redituum quorumcumque ad Eccleſias, vel eccleſiaſticas perſonas pertinentium, cum ſit novum pedagium indirecte impoſitum ſuper bona ipſorum Eccleſiaſticorum, qui tanto minoris dictos reditus, ſeu fructus prædiorum ſuorum vendere coguntur, quantum eſt illud, quod a conductoribus, ſeu emptoribus pro memorato vectigali ſolvendum exigitur, atque adeo in Bulla Cœnæ Domini legi ſolita vetitum eſt: Volumus autem Ordinarios nunquam iis, qui in tale crimen incurrerint, abſolutionem impartiri, niſi prius integra reſtitutione damnum omne locis, ac perſonis eccleſiaſticis illarum ſarciant, & tantumdem prorſus reddant, quantum a dictorum fructuum emptoribus inique exegerint. Quod ſi in judicio conſtiterit communitates locorum, in quibus ea bona eccleſiaſtica ſita ſunt, vel in quibus venduntur, id a Dominis ſuis procurare, ſeu per publicas ejuſdem communitatis perſonas, aut miniſtros exigere, contra univerſitates dictorum locorum talia committentes, Ordinarii peocedant ad pœnam interdicti.

14 Ac ne noſtri hujus decreti a quopiam ignoratio præſumatur, ejus exemplum vulgari idiomate expreſſum, ut ab omnibus percipiatur, promulgandum, & in valvis Parochiarum Eccleſiarum affigendum, & promulgandum mandamus.

Eccleſiarum præjudicia a ſæcularibus Notariis illata.

15 Cum experientia ſatis compertum ſit, quanto detrimento incuria ſæcularium Notariorum afficiat Eccleſias, loca pia, atque eccleſiaſticas perſonas, eorumque bona, ac patrimonia in inſtrumentis, quæ ab ipſis rogantur, ad ejuſmodi bona Deo dicata, ejuſque miniſtrorum uſui addicta pertinentibus.

16 Nos, quorum intereſt, quæ Dei ſunt, integra, atque illæſa ſervare, mandamus, ne ullus in poſterum ineundus contractus ad Eccleſiarum, locorum piorum, perſonarum eccleſiaſticarum, atque eorum bona quæcumque, nec non ad donationes Clericis, aut Presbyteris fieri ſolitas quoquo modo ſpectans, a dictis ſæcularibus Notariis rogetur, omneſque hujuſmodi contractus, ſeu inſtrumenta per dictos Notarios ſæculares confecta, volumus nullam fidem facere in foro eccleſiaſtico, niſi ea confecerint de expreſſa in ſcriptis licentia Epiſcopi, in ipſo inſtrumento inſerenda, aut in quantum arbitrio ipſius judicatum fuerit, cadere in utilitatem Eccleſiarum, earumque miniſtrorum.

Inſtrumenta Clericorum ab Actuariis Epiſcopalibus fieri mandatur.

17 Verum omnium, & ſingulorum, quæ ſupra narravimus, inſtrumentorum rogationes a Cancellariis, ſeu Actuariis Epiſcoporum, vel ſaltem, ſi ab his unquam commode fieri nequeant, & neceſſitas ſuadeat, a Notariis Apoſtolicis in Archivo Epiſcopi deſcriptis, & approbatis conficiantur, ut tali pacto evitatis fraudibus, quæ ſupradictis bonis, Chriſti videlicet patrimonio in dies evenire videmus, facilius Ordinarii, & notitiam habere hujuſmodi contractuum, & invigilare eorum juſtitiæ, & Eccleſiarum,

eorum-

eorumque miniſtrorum indemnitati, tantopere a Sanctis Patribus, Summiſque Pontificibus commendatæ, proſpicere queant.

18 Sacrorum Canonum ſaluberrima ſtatuta, ac cenſuras hæc ſancta Synodus in memoriam revocans, in primiſque in Bulla Cœnæ Domini contentas adverſus eos, qui directe, vel indirecte impediunt Ordinarios ab exercitio libero ſuæ juriſdictionis, trahenteſve eccleſiaſticos ad ſæcularia Tribunalia, vel bona, fructus, & his ſimilia ad eccleſiaſticos pertinentia abripientes, aut retinentes, ad Judices ſæculares a ſententiis in Tribunalibus eccleſiaſticis latis appellantes.

Epiſcopis, ut induantur fortitudine, & zelũ Domus Dei aſſumant, præcipitur.

Præcipit omnibus dictæ Provinciæ Ordinariis, ut cum hæ occaſiones ſe ſe obtulerint, induantur fortitudine, ac domus Dei zelum proprium Prælatorum aſſumant, totique in eo ſint, ut parcentes nemini de tranſgreſſoribus, & contumacibus, quam acerrimam vindictam Dei ipſius Omnipotentis nomine ſumant; Armis videlicet ipſorum, atque Eccleſiæ Sanctæ propriis, hoc eſt cenſuris ſupra commemoratis, in quas, aliaſque ab ipſis forte indictas eos incurriſſe illico, fortiterque declarent; memores, ſi qua par eſt Eccleſiarum Paſtoribus fortitudine, immunitatem, ac libertatem eccleſiaſticam tueantur, ſupremum Paſtorem Chriſtum Dominum, ejuſque in Terris Vicarium Romanum Pontificem nequaquam ſituros, aut perturbatores rerum, ac rationum eccleſiaſticarum impunes manere, aut ipſos indefenſos deſtitui, vel irremuneratos. Atque illud ſemper animo verſent, conſtitutum unumquemque eorum a Deo eſſe in ſuis Diœceſibus, teſte ſancto Propheta, ut ædificet, & evellat, deſtruat, ac plantet quidquid in dies divino cultui, Eccleſiæque incremento, vel officere, vel inſervire videbitur.

Ad quid Epiſcopi in Eccleſiis conſtituantur?

Beneficia, & reditus Eccleſiaſtici ad nihilum redacti a Dominis ſæcularibus.

19 Experimento cognovimus, pleroſque reditus beneficiorum eccleſiaſticorum defectu cultorum, qui ejuſmodi prædiis operam ſuam navent, ad nihilum pene redactos eſſe, ac ſæpe ea bona manere prorſus inculta, idque inde plerumque provenire, quod eorum cultura a Dominis ſæcularibus, vel ſui commodi cauſſa, vel privatis, atque iniquis de affectionibus, odiiſque prohibetur, in tantum, ut Deum, qui omni Potentatui dominatur, obliti, audeant ſubditis ſuis interdicere dictorum prædiorum cultum, aut locationem, vel conductionem.

Quæ omnia, cum in maximum tendant detrimentum Eccleſiarum, quæ inopia redituum, qua decet honeſtate, ac ſplendore ſervari, ornarique nequeant, quemadmodũ nec eorum miniſtri de neceſſariis ad victum, & veſtitum provideri. Ideo ſub pœna excommunicationis Epiſcopis reſervatæ, atque ipſo facto incurrendæ præcipimus omnibus, & quibuſcumque Dominis temporalibus cujuſcumque gradus, & conditionis, ne ullo pacto, ſive directe, ſive indirecte impedire præſumant ſubditos ſuos, aut quamcumque aliam ſecularem perſonam a bonis quibuslibet Eccleſiaſticis ſub quovis prætextu colendis, locandis, conducendis, ejuſque generis ſimilibus, aut eorum colonos, vel proximos illorum eo animo, ac fine vexare, vel deterrere, ut hujuſmodi culturas deſerant, vel ne ſuſcipiant. Quin etiam eos omnes hortamur, ac paterne monemus, ut favorabiles ſe præſtent, atque impenſe ſtudioſos, quemadmodum gradui, ac pietati eorum congruit, dictis perſonis eccleſiaſticis, iiſque adjumento ſint, ac præſidio, quo Eccleſiarum ſuarum, ac beneficiorum reditus augere, & amplificare facile queant, ad divini cultus augumentum, & miniſtrorum Eccleſiæ Dei ſubſtentaculum.

Excommunicantur Domini ſæculares impedientes culturam, & locationem bonorum Eccleſiaſticorũ.

Domini temporales hortantur, ut favorabiles Eccleſiaſticis perſonis ſe præſtent.

Conſtitutio Cardinalis Sabelli de decimis ſolvendis innovatur.

20 Et quia rurſus audivimus abuſum quemdam intolerandum, jamdiu a bo. mem. Cardinali Sabello Prædeceſſore noſtro in Concilio Provinciali damnatum, & cenſuris coercitum, vel non fuiſſe adhuc penitus extirpatum, vel iterum inductum eſſe a modernis Dominis ſæcularibus, qui prædia ſuorum ſubditorum, cum ob aliquod ab his commiſſum delictum, aut æs alienum contractum Curiæ, ac fiſco ſuo applicaverint, nolunt deinceps ſolvendis Decimis Eccleſiaſticis ſubjici, itaut ſegetum, fructuumque tunc ſolo adhærentium, & in poſterum colligendorum debitas Eccleſiis decimas ſolvere renuant; id, cum non ſolum in præjudicium vergat Eccleſiarum, ſed in perniciem quoque animarum dictorum Dominorum ſæcularium, quorum æternæ ſaluti providere maxime Nobis eſt curæ, ejuſdem Cardinalis Sabelli, ac præfati Concilii decreto innixi, præcipimus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam ſolis Epiſcopis reſervamus, omnibus temporalibus Dominis, cujuſcumque gradus, & conditionis, ne hujuſmodi poſſeſſionum, ſeu prædiorum debitas decimas, alioſque reditus, ac fructus Eccleſiis, earumque Miniſtris debitos occupare, aut detinere ullo pacto præſumant, ſed eos, quibus debentur, omnino reddant, & tribuant, ſibique perſuadeant illud Sapientiæ cap. 7. dictum: *Potentes potenter tormenta patientur in altero ſæculo* quam maxime comprobari, ob immiſſam ab iis, ſpreta Eccleſia, falcem ſæcularem in ſegetem Eccleſiaſticam.

21 Ut igitur hoc Deus ab eis avertat, omnes eccleſiaſticas perſonas, & eorum bona libertatem, commoda, & jura

omnia

omnia Principibus, Dominiſque temporalibus ſummopere commendamus, admonentes Eccleſiaſticam immunitatem, ſive ad hominum vitam, ſive ad bonorum poſſeſſionem, fructusque pertineat, Dei ordinatione, ſummorum Pontificum decretis, & Sanctorum Conciliorum auctoritate tributam nulla ratione violandam eſſe.

22 Neque enim Principes, & Magiſtratus res Eccleſiaſticas attentare, neque ſacros, & religioſos homines, quocumque prætextu ad ſuum judicium, poteſtatemque revocare, neque Deo addictis bonis manum injicere, aut ullum onus imponere debent, immo vero meminiſſe oportet, quas a Deo facultates conſequuti ſunt, eas ad ipſius Dei gloriam, & honorem, hominumque ſacrorum ſalutem, & incolumitatem conferendas eſſe, qui pro eorum quiete, & felicitate Deo preces aſſidue faciunt.

23 Cujus officii, cum maxime intelligentes fore confidamus, in primis Catholicum, eumdemque Potentiſſimum Philippum Hiſpaniarum Regem, & reliquos deinceps Provinciæ noſtræ Principes, dubitare non poſſumus, quin re ipſa efficiant, ut eorum Magiſtratus, & Communitates nihil adverſus Immunitatem, & libertatem eccleſiaſticam ullo unquam tempore moliantur, quod ut ita fiat, Epiſcopi pro ſui officii munere curare, & eniti debebunt.

TITULUS XXI.

De Subditis, & Vaſſallis Epiſcoporum.

1 *Epiſcoporum Vaſſalli eadem, qua familiares, immunitate gaudent.*
2 *Epiſcoporum Vaſſalli, nec in civilibus, nec in criminalibus ad ſæculare forum trahantur, collectis graventur, aut in carcerem conjiciantur, ſub excommunicationis pœna ipſo facto: ſi ignoranter in ſæcularium dominorum poteſtatem devenerint, habita notitia ſtatim dimittantur.*

1 Subditi, & Vaſſalli Epiſcoporum, qui eis in ſpiritualibus, & temporalibus ſubjecti ſunt, eadem prorſus immunitate gaudeant, qua familiares ipſorum Epiſcoporum, quemadmodum de facto gaudent noſtræ hujus Metropolitanæ Sedis Vaſſalli Caſtrorum Sancti Angeli ad Cupulum, & Mottæ, qui eo quod noſtræ juriſdictionis tum ſpiritualis, tum temporalis ſint, immunes omnino tam in civilibus, quam in criminalibus ſunt.

Conſtitutio Palumbariæ cōtra Judices Epiſcoporum vaſſallos recognoſcentes.

2 Igitur renovantes decretum in ultima Provinciali Synodo ſub Archiepiſcopo Maximiliano de Palumbaria b. mem. celebrata editum, diſtricte prohibemus ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ Dominis cujuſcumque conditionis, Capitaneis, Magiſtris, Juratis, Syndicis, & electis, aliiſque Judicibus, & Officialibus quomodocumque nuncupatis, & quacumque prærogativa, ac titulo emineant, ne ſubditos, & vaſſallos Epiſcoporum quoquomodo preſumant recognoſcere, aut judicare, ſive in civilibus, ſive in criminalibus, aut in Judicium trahere, vel trahi facere, vel in carcerem conjicere, aut ad functiones fiſcales, & collectas, aliave cauſſa directe, vel indirecte ſub quovis quæſito colore ad ſolvendum adigere. Quod ſi ignoranter in judicium, vel poteſtatem eorum devenerint, ſtatim ac Vaſſallos Epiſcoporum eos eſſe deprehenderint, aut moniti fuerint, ad eorum forum remittant, nulla intermiſſa mora; ſin autem ipſo facto excommunicationem incurrant.

TITULUS XXII.

De Proceſſionibus.

SUMMARIUM.

1 *Proceſſiones diligenter fieri mandatur.*
2 *Ad publicas proceſſiones quinam intervenire teneantur?*
3 *Publicas duci proceſſiones abſque facultate prohibetur.*
4 *Proceſſionum directorem Epiſcopus conſtituat.*
5 *Idem præcedentiarum controverſias componat.*
6 *In Corporis Chriſti proceſſionibus indecoræ picturæ, aut fœda ſpectacula ne edantur.*
7 *Poſt ſolemnem Corporis Chriſti proceſſionem aliæ ne fiant, niſi de licentia, & de mane.*
8 *Clerici pileum in proceſſione ne geſtent.*
9 *In die Corporis Chriſti mulieres, aliique ad feneſtras non ſtent.*
10 *Proceſſionum egreſſus, & ingreſſus in Eccleſiam Campanarum ſono indicentur. Muſica inſtrumenta proceſſiones ne comitentur.*
11 *In proceſſionibus quidquam edere prohibetur.*
12 *Eſculenta, aut poculenta in proceſſionibus deferre, aut vendenda exponere laicis inhibetur.*
13 *Bini omnes incedant.*
14 *Clerici in Eccleſiam cū proceſſionibus ingreſſi, deambulationibus, & confabulationibus ne vacent.*
15 *Cum preces in Eccleſia perſolvuntur, Clerici extra ne maneant.*
16 *Punctari præcipitur per punctatores, ſi Canonicorum aliquis proceſſionis ordinem turbet, vana loquatur, Pſalmos cœptos omittat, aut ceteris non reſpondeat.*

17 *Soda-*

17 *Sodalitates, quæ poſt inceptam adveniunt proceſſionem, abſque licentia in eam ſe non ingerant.*

1 PRoceſſiones, publicas præſertim, rite, ac diligenter, ut cetera ad Dei cultum inſtituta, fieri neceſſe eſt.

2 Ne igitur illarum ſolemnitas minuatur, omnes Clericos, tam ſæculares, quam regulares, fratres, & Monachos cujuſvis ordinis ad eaſdem publicas vocatos accedere compellant Epiſcopi, iis tantum exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo degunt, aut privilegio Apoſtolico ſunt exempti.

3 Clericis quibuſcumque pœna excommunicationis propoſita, interdicimus, ne proceſſiones quaſcumque publicas ipſi in Civitatibus, aut oppidis obeant abſque facultate in ſcriptis ab Epiſcopo impetrata.

Qui ab Epiſcopis ad dirigendas proceſſiones inſtituendi ſunt?

4 Conſtituat Epiſcopus certos homines, qui Clerum ad ſupplicationes procedentem dirigant, eumque aliquando, cum opus eſt, ſubſiſtere moneant, tum etiam, qui Populum promiſcuum, vel ſodalitates ordine incedentes moneant, corrigantque.

5 Controverſias omnes de præcedentia, tum inter Eccleſiaſticas perſonas tam ſæculares, quam regulares, tum inter Confraternitates plerumque orientes, vel cum publicæ ſupplicationes decernuntur, vel cum alicujus defuncti corpus humandum eſt, Epiſcopus idem, amota omni appellatione, componat.

6 Sicuti Religionis inſigne quoddam ſpecimen edunt, qui dum Corporis Chriſti proceſſio fit, vias, & parietes, quibus poſſunt, ornamentis veſtiunt, ita reprehenſione ſunt digni, qui picturis parum decoris, & aliis fœdis ſpectaculis, tum diem feſtum violant, tum intuentium oculos offendunt. Nihil igitur ejuſmodi in poſterum videatur.

7 Quæ proceſſiones poſt ſolemnem illam, quæ mane in celebritate Corporis Domini fit, vel eodem die, vel reliquis ſequentibus ſeptem diebus obiri ſolent, eæ ne fiant, niſi quibus Epiſcopus conceſſerit, iiſque tantum facultatem det, ut mane, non a prandio habeantur, niſi temporis injuria impediret, quominus mane obiri poſſent.

In proceſſionibus Clericis pileum docere prohibetur.

8 Prohibemus expreſſe Clericis quibuſcumque ordine procedentibus, ne pileum, aut galanum gerant; qui contrafecerit, pilei amiſſione, & alias arbitrio Epiſcopi mulctetur.

9 Præcipimus, ut in die Corporis Domini mulieres, & alii ad feneſtras ullo modo non ſtent ſpectandi gratia, ſed ex interioribus ædibus pertranſeuntem Clerum reverenter ſpectent, & Sanctiſſimum Sacramentum adorent.

10 In omni Eccleſia, unde ad ſtatas proceſſiones Clerum, Populumque egredi ſolemne eſt, ubi primum procedendi initium fit, campanarum omnium pulſatio ſolemniter tamdiu adhibeatur, quoad inde Clerus univerſus in proceſſionis munere egreſſus ſit. Idemque, cum a proceſſione reditur, præſtetur. Itidem in Eccleſiis fiat, quæ in vicinia ſunt, ubi proceſſio agitur: Muſicis vero cujuſvis generis inſtrumentis in proceſſionibus ſonari ne ullo modo permittatur.

Muſicalia inſtrumenta in proceſſionibus interdicuntur.

11 Interdicimus omnino Clericis ſæcularibus, & regularibus omnibus, ne in proceſſionibus quibuſcumque, aut in Eccleſiis, Eccleſiarum Domibus, aut Monaſteriis, antequam abſolutæ proceſſiones ſint, etiam longioris viæ, vel tardioris horæ prætextu, quidquam comedant, vel bibant.

12 Laicis item ne eſculenta, vel poculenta in Proceſſionibus quibuſcumque deferre, aut venalia quovis modo exponere liceat ſub pœna amiſſionis illarum rerum.

13 Mandamus, ut tam Canonici, & alii de Capitulo Cathedralis, & Collegiatarum Eccleſiarum, quam ceteri ſæculares, & regulares omnes bini quiſque ſuo loco incedant, certo & congruenti ſpatio inter ſingulos interjecto.

14 Clerus, cum in aliquam Eccleſiam ad Proceſſiones, vel ad funus convenerit, illud meminerit, ſe eſſe in domo Dei ſancta, quæ domus eſt orationis; Quare nullus cujuſvis ordinis Clericus, aut Sacerdos in Eccleſia deambulet, nec in confabulationibus, & congreſſibus eo loco indignis verſetur, ſed unuſquiſque, aut ſolus, aut comitibus, ſociiſque aliis adjunctis, religioſas preces Deo in cauſſa adhibeat, quamobrem Clerus univerſus eſt convocatus.

15 Cum autem preces celebrantur, ne ullus item Clericus extra Eccleſiam maneat, ſed omnes intus ſint, omnique pietatis conſenſione Deo ſtatas illas preces canant.

In proceſſionibus Capitulares modeſtiæ exemplum priores præbere debent.

16 Et ut ordo a Capitulo incipiat, ac ceteris ſit exemplo, volumus, quod ſi eorum aliqui ordinem turbent, vel vanum aliquod colloquantur, ſeu Pſalmos ceptos omittere, aut ceteris canentibus non reſpendere præſumpſerint, aut quod gravius eſt, proceſſionibus ſupradictis non interfuerint, punctentur.

Utque id diligentius peragatur, eam curam demandamus Punctatoribus, qui ſi negligentes fuerint, dupli pœna, & alias arbitratu Epiſcopi puniantur.

17 Sodalitates, quæ poſt inchoatam proceſſionem adveniunt, in illam ſine Vicarii Epiſcopalis licentia ſe non ingerant, vel Archipresbyteri loci, ne contingat cum gravi Populi offenſione Proceſſiones turbari.

TITULUS XXIII.

De Funere Epiſcopi.

SUMMARIUM.

1 *Sanctorum Patrum Inſtitutum in Epiſcoporum exequiis renovatur.*
2 *Mutua Epiſcoporum in extremis obſequia inſtituuntur.*
3 *Epiſcopus impeditus alium in decedentis obſequio ſubſtituat.*
4 *Nihil pro tali obſequio recipiat.*
5 *Epiſcopi corpus ultra 40. horas inſepultum ne jaceat.*
6 *Cadaveris cuſtodia Capitulo incumbit.*
7 *Comprovinciales Epiſcopi ad Capituli nuncium ſemel ſolemnem Miſſam cum officio, decies privatam celebrare pro defuncto Epiſcopo teneantur.*
8 *Ad idem hortantur Clerus ſæcularis, & regularis Diœceſanus.*
9 *Publicis ſupplicationibus, ut bonus detur Succeſſor.*
10 *Plures, quam 24. cerei non accendantur, impenſis vacantis Eccleſiæ, ni defuncti bona, vel conſuetudo ſuppleant.*
11 *Epiſcoporum, vel Canonicorum negligentia in defuncti funere a quibus punienda?*
12 *Anniverſaria ſuffragia quamdiu, & a quibus perſolvenda?*
13 *Pro defunctis Epiſcopis ſolemnis Miſſa celebretur poſt omnium defunctorum commemorationem.*
14 *Hanc miſſa pro Canonicis ſubſequatur.*
15 *Singuli Sacerdotes pro ſua pietate ſacrum faciant.*
16 *Epiſcopalis Archivi poſt Epiſcopi obitum quæ ratio habenda?*
17 *Eadem ratio in Metropolitano Archivo, ac in ceteris.*

1 PIum Sanctorum Patrum inſtitutum ad concelebrandas Epiſcoporum exequias jamdiu intermiſſum renovantes ſtatuimus.

2 Ut Epiſcopo morti proximo tres primi de Capitulo præſentes vicinum Epiſcopum, vel eo impedito, alium invitent, qui ſtatim veniat, ac ſi vivum Epiſcopum invenerit, accuratiſſime conſoletur, & ea officia præſtet, quæ ad animæ ſalutem tali tempore requirantur, mortuum vero una cum ſæculari, & regulari Clero ſolemni more ad ſepulcrum proſequatur: caſu autem adveniente, infraſcriptus ordo ſervandus erit, videlicet.

Quæ facere teneatur Capitulũ, cum ejus Epiſcopus morti erit proximus?

Illuſtriſs. Domino Archiepiſcopo Beneventano aſſignantur Reverendiſs. Domini Epiſcopi Avellinen., & Sanctæ Agathæ Gothorum.

Reverendiſs. Epiſcopo Avellinen. Reverendiſs. Epiſcopus Montis Marani.

Reverendiſsimo Epiſcopo Montis Marani Reverendiſſimus Epiſcopus Tricanus.

Reverendiſſimo Epiſcopo Trivicano Reverendiſſimus Epiſcopus Ariani.

Reverendiſſimo Epiſcopo Arianen. Reverendiſſimus Epiſcopus Bovini.

Reverendiſſimo Epiſcopo Bovini Reverendiſs. Epiſcopus Aſculanus.

Reverendiſſimo Epiſcopo Aſculano Reverendiſſimus Epiſcopus Troyanus.

Reverendiſſimo Epiſcopo Troyano Reverendiſſimus Epiſcopus Luceriæ.

Reverendiſſimo Epiſcopo Larinen. Reverendiſſimus Epiſcopus Guardiæ.

Reverendiſſimo Epiſcopo Luceriæ Reverendiſſimus Epiſcopus Vulturarien.

Reverendiſſimo Epiſcopo Vulturariæ Reverendiſſimus Epiſcopus Sancti Severi.

Reverendiſſimo Epiſcopo Sancti Severi Reverendiſſimus Epiſcopus Termuli.

Reverendiſſimo Epiſcopo Termuli Reverendiſſimus Epiſcopo Larinen.

Reverendiſſimo Epiſcopo Guardiæ Reverendiſſimus Epiſcopus Bojanen.

Reverendiſſimo Epiſcopo Bojanen. Reverendiſſimus Epiſcopus Triventinus.

Reverendiſſimo Epiſcopo Triventino Reverendiſſimus Epiſcopus Aliſiæ.

Reverendiſſimo Epiſcopo Aliſiæ Reverendiſs. Epiſcopus Theleſiæ.

Reverendiſſimo Epiſcopo Theleſino Reverendiſſimus Epiſcopus Sanctæ Agathæ.

Reverendiſſimo Epiſcopo Agathen. Reverendiſſimus Epiſcopus Theleſinus.

3 Si vero contingat aliquem Epiſcopum in prænotato ordine poſitum morbo, vel alio canonico impedimento affectum eſſe, ejus vices ſubeat vicinior Epiſcopus, & munus pro Paſtorali obeat ſollicitudine.

4 Nihil autem Epiſcopus pii hujus officii gratia impenſa, vel quovis alio nomine a quoquam exigat, vel ſponte oblatam accipiat.

5 Ejus tamen expectationis cauſſa corpus Antiſtitis ne amplius quadraginta horis inſepultnm jaceat.

6 Interea vero curet Capitulum, ut cuſtodiatur corpus, & circum ipſum frequentes ex Clero ſint, qui pro ejus anima preces Deo faciant.

7 Eidem Capitulo hoc munus injungimus, ut primo quoque tempore Provinciales Epiſcopos omnes de Epiſcopi morte faciat certiores, qui in Eccleſiis Cathedralibus prima die non impedita officium, & Miſſam ſolemni cæremonia pro ejus anima celebrandam curabunt; inſuperque Epiſcopi omnes teneantur decies ſacrificium pro anima prædefuncti fratris Deo offerre.

8 Convocato totius illius Eccleſiæ Clero, prout pie etiam inſtitutum fuit a bo.

Pia conſtitutio Maximiliani de Palumbaria.

bo. mem. Maximiliano de Palumbaria Prædeceſſore noſtro in Provinciali Synodo, & ut idem fiat in Monaſteriis regularium illius Civitatis, & Diœceſis maxime optamus, & pro Chriſtiana charitate religioſorum Superiores hortamur.

9 Publicis etiam ſupplicationibus, ac precibus indictis, Deum pie, ſancteque deprecabuntur omnes, ut orbato gregi Paſtorem dare velit, juxta cor ſuum.

Epiſcopi defuncti exequiæ cujus impenſis fieri debent?

10 In exequiis ejus plures viginti quatuor cereis non accendantur, idque impenſa vacantis Eccleſiæ, niſi extent defuncti bona, vel alius ſit, qui de conſuetudine, aut jure ſumptum facere debeat.

11 Epiſcopi negligentia in comprovincialis Epiſcopi funere a Synodo Provinciali, Canonicorum vero, & Cleri a ſucceſſore Epiſcopo graviter puniatur.

12 Sacra anniverſaria pro mortuo Epiſcopo quotannis fiant in Cathedrali Eccleſia, quamdiu proximus ejus ſucceſſor in Epiſcopatu vixerit, viventis Epiſcopi, & Capituli ſumptibus.

13 Statuimus inſuper, quod poſtridie illius diei non impedito, quo omnium fidelium Defunctorum commemoratio fit ex antiquo Eccleſiæ inſtituto, & divinum officium, & ſaltem Miſſæ ſacrum ritu ſolemni in Eccleſiis Cathedralibus noſtræ Provinciæ ab Epiſcopis, & a Capitulo fiat pro Epiſcopis, qui mortem objerunt.

14 Die proxime ſequenti poſt Anniverſarium ſupradictum fiat pro mortuis Canonicis, & aliis de Capitulo ſuæ Eccleſiæ a ſingulis Capitulis, & Collegiatis ſub pœnis arbitrio Epiſcopi infligendis.

15 Reliqui vero Sacerdotes ſinguli iiſdem ipſis diebus ſacrum faciant pro eorum pietate.

Defuncto Epiſcopo quibus claves Archivi debent dari ſancitur.

16 Cum primum aliquis hujus Provinciæ Epiſcopus mortem objerit, Archivi Epiſcopalis claves, Notarii publici fide, una Capituli Vicario, altera uni de Capitulo, ad quem, vel officii ratione, vel conſuetudine pertinet, ſique talis nemo ſit, alii antiquiori reſidenti tradatur, ab iiſdemque ſua quæque aſſervetur, quoad alius Epiſcopus creabitur, cui illas reſtituant, & rationem de ſcriptis in Inventario notatis, eorumque cuſtodiæ commiſſis eidem reddant; ſi vero Capitulum ſecus fecerit, interdicto Eccleſiaſtico ipſo facto ſubjaceat, aliiſque pœnis a ſucceſſore puniatur.

17 Id autem, quod de Archivis Epiſcopalibus ſancitum eſt, primo loco de noſtro Archiepiſcopali mandamus ſub eiſdem pœnis.

TITULUS XXIV.

De Funeribus, Exequiis, & Sepulcris Mortuorum.

SUMMARIUM.

1 *Fidelium funus pie curare quæ ſuadeant?*
2 *Ante ortum, & poſt occaſum Solis cadavera efferri prohibetur, vel diebus feſtis ante miſſarum celebrationem.*
3 *Clamores in Eccleſia, & crinium ſuperſtitis uxoris in manibus defuncti mariti impoſitio ne permittantur.*
4 *Miſerabiles perſonæ expenſis Eccleſiæ ſepeliantur: ceteri mercede, qua conſuevit.*
5 *Funebres laudationes, niſi Epiſcopus permiſerit, prohibentur.*
6 *Orationem de humanarum rerum fluxibilitate habere conceditur.*
7 *Clerus, & Sodalitates funus ducturi unam in Eccleſiam conveniant.*
8 *Cerei, qui circa cadaver accenduntur, cujus ſint?*
9 *Ornamenta Altarium uſui addicta in funere ne adhibeantur; Parochianorum impenſa pannus mortuorum fiat: His renuentibus, Parochorum, qui data ſtipe illius uſum permittent.*
10 *Capitula hujuſmodi pannum pro pauperibus infra menſem conficiant.*
11 *Serica pallia a nobilioribus adhibita, in Eccleſiæ, in qua cadaver ſepelitur, uſum convertatur, at non profanum.*
12 *Cadavera in Eccleſiam ne introducantur, antequam a ſæcularibus Judicibus, ſi opus ſit, recognoſcantur; ſi humata jam ſint, non intra, ſed extra Eccleſiam de Ordinarii licentia fiat.*
13 *Decreta ad tollendas controverſias in facum delatione.*
14 *Cadavera via recta ad Eccleſiam ducantur ſub pœna Confratribus excommunicationis, Clericis ſuſpenſionis: nec ſine Parocho efferantur.*
15 *Regulares cum Cruce Parœciam ſine Parocho ne intrent.*
16 *Sacerdotes quomodo efferendi?*
17 *Sepulcrorum diſtantia ab Altaribus; eorum oſtia quomodo obtegenda? inſcriptiones abſque Epiſcopi approbatione ne inſculpantur.*
18 *In Choro, majori Cappella, aut prope Altare ſepulcra nulla ſint.*
19 *Cœmeteriorum uſus reſtitutio commendatur.*
20 *Cœmeteriorum ſtructura.*
21 *Quarta funeralium Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ, ubi conſuetudo erat, perſolvatur.*

1 CHriſtianorum funus curare piis precibus adhibitis, ac ſolemni quodam ritu Defunctorum corpora efferre, tum

tum priſca Eccleſiæ conſuetudo ſuperſtites admonet, tum futuræ reſurrectionis ſpes certiſſima præcipit. Exequiarum itaque honor Fidelium pie, ac religioſe impendatur.

2 Ante Solis ortum, & poſt Solis occaſum mortuum, & efferri, & ad ſepulturam recipi prohibemus, niſi aliud ex gravi cauſſa Epiſcopus judicaverit, neve mane diebus feſtis, niſi celebratis jam miſſis.

3 Clamores vero, & eiulatus ſuper Defunctorum corpora in Eccleſia nullo modo Parochi, vel alii quicumque permittant, & multo magis tollatur vanus, & ſuperſtitioſus abuſus collocandi crines Uxoris ſuperſtitis in manibus defuncti Mariti, ſub pœna arbitrio Epiſcopi graviter infligenda Parochis, & tranſgreſſoribus.

4 Miſerabiles perſonæ, quibus mortuis, aut nihil ſupereſt, aut ita parum, ut ſua impenſa humari non poſſint, a Parocho ſumptibus Eccleſiæ ſepeliantur ſub pœna arbitrio Epiſcopi infligenda; in aliis vero perſonis, quod laudabilis conſuetudo introduxit ſolvendum, id ut ſolvatur Epiſcopus curabit: quod ſi qui impie in mortuos hæredes nihil ſolvere intendant, Epiſcopus eos, vel per pignorum dationem, aut per idoneam cautionem abſque ſcandalo, & lite jura ſepulturæ ad ſolvendum cogat.

5 Nemini quemquam in funere laudare liceat, niſi & eum, quem laudare velit, Epiſcopus dignum cenſuerit, & laudationem ſcriptam ante probarit.

6 Liceat tamen in funere concionem habere, quæ tota referatur ad humanam miſeriam fidelium oculis proponendam, omneſque ad vigilandum cohortandos, ne cum venerit Dominus hora, qua non putarint, inveniat eos dormientes.

7 Cum mortuus efferendus erit, cujusvis Eccleſiæ Clerus, qui vocabitur, Confraternitates etiam in unam Eccleſiam conveniant, unde omnes procedentes, benigne pſalmos canentes mortuum ab ejus ædibus comitentur.

8 Candelæ, ac cerei, & intorticia, quæ circum cadaver accenduntur hæredum impenſa, ita Deo oblata eſſe intelligantur, ut ei Eccleſiæ, in qua corpus humandum erit, mox addicta ſint; loci tamen pia, ac laudabilis conſuetudo ubique ſervetur, ſine tamen præjudicio Parochialium jurium.

9 Prohibemus expreſſe, ne pallia, aut alia Altarium uſui jam dicata ornamenta in funere quovis modo adhibeantur, ſub pœnis arbitrio Epiſcopi infligendis.

Pallium ad ornandum feretrum a Populo confici jubetur.

Ac proinde præcipimus Parochis omnibus, ut curent quam primum a populo confici pallium ad feretrum ornandum, qu[illegible]ibus gratis accõmodetur. Quod ſi Parochiani id recuſaverint, ſinguli Parochi, & alii Eccleſiarum curatarum Rectores pallium ad hujuſmodi uſum emant, pro quo mortuorum hæredes illis minimum aliquid, Epiſcopi arbitratu, largiantur.

A capitulo pro pauperibus hat.

10 Capitula vero Eccleſiarum omnino infra menſem pallium hujuſmodi confici ſaltem ex panno curent pro pauperibus ſepeliendis.

11 Si qua autem pallia a nobilioribus ſerica, vel pretioſiora ſemel in funere adhibita fuerint, ea Eccleſiæ, in qua ſepeliuntur, uſui ſtatim applicentur, neque amplius ad profanum quempiam uſum inſerviant. Si ſecus fecerint, aut negligentes fuerint, quinque ducatorum pœna mulctentur.

In inquiſitione delicti, quæ ſervanda ſunt, ne immunitas Eccleſiæ lædatur.

12 Ne Eccleſiæ immunitatis violandæ aliqua detur occaſio, ne prius in Eccleſiam introducantur Defunctorum corpora, quam a ſæcularibus Judicibus, ubi, vel delicti inquirendi, vel alia quavis de cauſſa id illis competat, inſpiciantur; ſin autem ſint humata, nullo pacto in Eccleſia, ſed ſi neceſſe ſit, extra Eccleſias, habita prius ab Ordinariis locorum licentia, inſpiciantur.

13 In controverſiis, quæ plerumque occurrere ſolent in delatione facum circa feretrum inter Clericos, & Confratres, ac Religioſos, ut omnis prorſus jurgiorum ceſſet occaſio, mandamus obſervari, ut infra.

Primum declaramus, atque decernimus delationem facum circum circa feretrum Defunctorum non eſſe actum præcedendi, ſed ſerviendi, & obſequendi tantum.

Deinde, ſi quando continget deferri faces per Confratres, aut Religioſos, ad quorum Eccleſiam defunctus defertur, tunc, ſi plures ſint Confraternitates, non poſſunt circumcirca feretrum accedere cum facibus, niſi quatuor ex qualibet Confraternitate, & quatuor Religioſi dictæ Eccleſiæ. Si vero una tantum adſit Confraternitas, poſſunt accedere ſex Confratres, & ſi Religioſi interfuerint cum facibus, nonniſi quatuor Confratres, & totidem Religioſi.

Si duo, octo, ſi tres, duodecim, & Religioſi, ut ſupra, in primo capite.

In omnibus caſibus ſupradictis liceat Clericis de Capitulo deferre, quot faces velint.

Inter omnes prædictos ſervetur gradus prærogativæ.

Religioſi, ad quorum Eccleſiam ducitur Defunctus, incedant in proceſſione in loco eorum Religioni debito, & eorum quatuor tantum, ut præfertur, poſſint deferre faces circumcirca feretrum.

Quæ omnia ad unguem obſerventur ſub pœnis arbitrio Epiſcopi infligendis.

14 Cadaverum circumductionem, quæ fieri

fieri forte conſuevit in nonnullis locis, uti abuſum abrogantes.

Præcipimus Laicis, & Confratribus ſub excommunicationis pœna, Clericis vero ſub pœna ſuſpenſionis, ut Defunctorum corpora deinceps commodiori via recta in Eccleſiam ducant, quæ nullo modo efferantur a propriis domibus, niſi præſente Parocho, vel alio ejus nomine.

Defunctorum corpora, ut recta via ad Eccleſiam ducantur, pœnis ſtatuitur.

15 Nulli liceat Regularium juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii pro funere Parochiam cum Cruce intrare, aut Cadaver accipere, niſi Parocho præſente, & permittente.

16 Sacerdotes mortui cum paramentis ſacerdotalibus efferantur calice ſuper pectus poſito, atque cum alba ſepeliantur.

Conſtitutionem ſan. mem. Pii V. de ſepulcris, & monumentis diligenter Epiſcopi obſervent, & obſervari curent.

Conſtitutio Pii V. de ſepulcris.

17 Quæcunque ſepulcra, quæ ſunt ſub Altari, quæve oſtium habent ſub Altaris ſcabello, omnino tollantur. Quæ vero ſcabello proximiora ſunt, permittantur, ita tamen, ut oſtium ſepulcri a ſcabello ſaltem cubitum diſtet; quæ vero in poſterum ſepulcra conſtruentur, illorum oſtia omnino duplici lapide contegantur, in quorum ſuperiori ſine licentia Epiſcopi nihil effingatur, ipſaque epitaphia non ſine ipſius conſenſu, & approbatione inſculpantur.

18 Nulla prorſus in Choro, aut in Capella majori ſepulcra ædificentur; nulla denique ſint prope Altaria.

19 Si cui locus ſepulturæ dabitur in Eccleſia, humi tantum detur, ut ſepulcrum, in quo condatur, opere fornicato cum reliquo Eccleſiæ pavimento aptatum ſit.

20 Monemus vero Epiſcopos, ut morem multis locis intermiſſum mortuos in Cœmeteriis ſepeliendi reſtituendum curent, inde ſubtractis, ſi quæ ea uſurpaverint.

21 Sint autem ſemper clauſa, parietibus trium cubitorum altitudinis circumſepta, ne illac Animalia pertranſire poſſint.

Locus autem aliquis ſeparatus ſit in Cœmeteriis, teguliſque ſaltem contectus, in quo ſacroſanctum Chriſti vexillum conſpiciatur, vel etiam ſub dio, modo decenti loco, collocetur.

Forma cœmeteriorum qualis eſſe debet?

22 Ordinarii, ubi ſe ſe obtulerit occaſio, ne prætermittant exequi decretum Trid. Concil. quo cavetur, ut quibuſcumque in locis jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſtea fuerit ex quocumque privilegio aliis Miniſtris, Hoſpitalibus, aut quibuſcumque locis piis conceſſa, eadem poſthac integro jure, & eadem portione, quæ antea ſolebat, Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſiæ perſolvatur, non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, privilegiis, etiam mari magno nuncupatis, aut aliis quibuſcumque.

TITULUS XXV.

De Indulgentiis.

SUMMARIUM.

1 *Jubeat Epiſcopus, ut Indulgentiarum vis, valor, & conſequendi modus per Parochos, & Concionatores populo explicetur.*

2 *Indulgentiarum publicatio ab omni lucri ſuſpicione abſit.*

3 *Indulgentiarum conceſſiones in codicem referantur.*

4 *Indulgentiarum, & Altarium privilegiatorum tabella ſit in qualibet Eccleſia: Epiſcopi per Diœceſim Indulgentias recognoſcant.*

5 *Nemo abſque Epiſcopi, aut Vicarii facultate Indulgentias evulget: Contrafacientes excommunicentur.*

6 *Ad Indulgentias conſequendas eleemoſynæ neceſſariæ non ſunt.*

7 *Stationes affixis tabellis, & campanarum ſonitu die ante indicentur. Indulgentiarum exemplar in Epiſcopali Archivo ſervandum.*

1 De ſanctis indulgentiis tractatio, prout uſuvenerit, accurate in ſermonibus item habeatur, ut earum cæleſtem vim, & pietatis officia ad illas conſequendas neceſſaria Populus intelligat, ſeque propterea omni intima mentis, animique religione, & chriſtianæ charitatis actionibus, atque operibus ad uberrimas, ſalutareſque earum utilitates conſequendas diligenter parent.

Id autem omne officium per Parochos, & alios, quorum intereſt, præſtari Epiſcopus jubeat, ipſique Parochi, & Concionatores indulgentiarum valorem interdum explicent, ſimulque oſtendant, quo in pretio a cunctis fidelibus haberi debeant.

2 In publicandis Indulgentiis omnis turpis quæſtus ſuſpicio tollatur, quod, ut commodius fieri poſſit, eæ cautiones ſerventur, quas præſcribit Concilium Trid.

3 Singulæ Eccleſiæ, quibus, vel conceſſæ ſunt, vel concedentur Indulgentiæ, codicem habeant, in quo per ordinem illæ memorentur, ac Summorum Pontificum nomina, qui ipſas conceſſerunt, menſis item, & annus.

Librum Indulgentiarum ſibi conceſſarum quælibet Eccleſia habere debet

4 Tabella etiam in ſingulis Eccleſiis, in qua idem prorſus exhibeatur pari diligentia, Altarium privilegiatorum memoria teneatur. Epiſcopi quam primum in ſua quiſque Diœceſi diligenter recognoſcant Indulgentias, quæ ibi erunt, an veræ ſint, & approbatæ.

5 Inhibeant Parochis, aut Concionatoribus, & quibuſcumque etiam Regularibus, ut Indulgentias non promulgent ſine facultate ipſorum, aut Vicarii Generalis manuſcripta. Qui contrafecerint prætextu cujuſvis privilegii, excommunicentur.

6 Doceantur Fideles per Concionatores ad indulgentias conſequendas eleemoſynas non eſſe neceſſario largiendas; ſi tamen ſponte dantur, non recuſentur.

7 Cum venerit celebritas indulgentiarum in aliqua Eccleſia, id, & tabellis publice affixis, & campanarum ſonitu pridie ejus ſtationis omnibus ſignificetur, illarumque exemplar in Archivo Epiſcopali conſervetur.

TITULUS XXVI.

De Capitulo, & Canonicis.

SUMMARIUM.

1 *Capitula, ſi ſtatutis careant, infra ſex menſes conficiant: ab Epiſcopo approbentur. Capitulum ſemel in hebdomada congregetur.*

2 *Capitulares Congregationes oratio præcedat, & ſubſequatur.*

3 *In Capitulis contentiones, confabulationeſque vitandæ.*

4 *Capitulorum inventaria conficiantur in S. Viſitatione, vel Synodo exhibenda.*

5 *Procuratores rationem coram Capitulo reddant; Singulis annis coram Epiſcopo de Anniverſariorum, & legatorum piorum ſatisfactione doceant.*

6 *Solemnioribus diebus, & quibus Epiſcopus pontificaliter aſſiſtit, Canonici, aliique de capitulo choro interſint. Contrafacientes puncto bono totius diei careāt.*

7 *Conventuali miſſæ, & horis canonicis non ſatisfit, niſi per Canonicos, aliuſq; ab initio ad finem choro intereſſentes.*

8 *Eccleſiaſticorum quicumque abſq; Epiſcopi teſtimonialibus litteris diſcedens ſuſpenſionem a divinis incurrit, nec illis uti poteſt abſque facultate, præterquam ad ſacrum faciendum, ſub eadem ſuſpenſionis pœna.*

9 *Canonici ceteris morum gravitate præſtare debent.*

10 *Canonici ceteris prælucere ſtudeant.*

11 *Dignitates diligenter ſua munera obeāt.*

12 *Pſalmodia quomodo perſolvenda?*

13 *Libri, litteræ, privatum officium in choro ne legantur.*

14 *Dormitationes, nugæ, excurſiones per Eccleſiam, colloquutiones, diſceſſus e choro abſque licentia prohibentur; pœnæ in delinquentes ſtatuuntur.*

15 *Per ſe quiſque ſtatuta die miſſam, aliaque divina celebret officia; feſtis diebus peritiores huic muneri deputentur: renuentes tridui diſtributionibus, & ab ordinis exercitio ſuſpenſione mulctetur.*

16 *Epiſcopo ſolemniter celebraturo Cæremoniarius neceſſaria paret, ac miniſtros inſtruat. Nemo in illius officium ſe ſe intromittat: ſed quoad cæremonias ei omnes obediant.*

17 *Punctatores in Synodo jurent, ſe fideliter commiſſum munus præſtituros.*

18 *Punctatorum munus deſcribitur.*

19 *Punctatores Canonicorum ſimulatas infirmitates Epiſcopi Vicario deferant.*

20 *Punitionis cauſſa exprimatur; punctorum liber Canonicis ne oſtendatur, præterquam in eorumdem exequutione.*

21 *Si injuria punctarint, aut punctare prætermiſerint, de ſuo ſatisfaciant, & unius hebdomadæ diſtributiones amittant.*

22 *Punctator e choro ſemper interſit; ſi de licentia abſit, alius a chori Præfecto probandus ſubſtituatur. Si ſecus fecerit unius diei diſtributionibus privetur.*

23 *Singulis hebdomadis punctorum libri conferantur; controverſiis Vicarius definiat. Epiſcopus in Punctatorem, quem voluerit, eligat.*

24 *Epiſcopus etiam propoſitis pœnis quem Punctatorem elegerit, ad acceptandum cogere poteſt.*

25 *Canonicus Punctatoribus, aut Cæremoniario injuriam inferens, qua pœna plectiendus.*

26 *Canonicus, qui abſuit, Epiſcopum de reditu certiorem faciat.*

27 *Sine ſcripta licentia a Diœceſi abeſſe vetatur, & obtenta Canonicus Procurator conſtitui debet.*

28 *Ultra tres menſes abeſſe non licet.*

29 *Una tantum procuratio ſuſcipi poteſt.*

30 *Officiales per ſecreta vota eligantur. Electus renunciare non poteſt; pœnæ in contrafacientes decernuntur.*

31 *Qui a Capitulis eliguntur, Epiſcopi, vel ejus Vicarii approbationem, & confirmationem habeant; alias electio nulla ſit, & electi a divinis ſuſpenduntur.*

32 *Officio Defunctorum, & anniverſario concurrentibus, ſi quadrageſima ſit, officium, & miſſa duplicentur; ſi aliter, alterutrum transferatur.*

33 *Concurrentibus duabus conventualibus miſſis, & alia ex conſuetudine, omnes cani debent. Pœna in negligentes decernitur.*

34 *Dominicis diebus, aliiſque feſtis duplicibus Canonicus hebdomadarius, duoque miniſtri pluvialibus induti veſperas celebrent; reliquæ minores horæ cum cantu recitentur. Ad Matutinum vero, & Primam, Epiſcopi arbitrio, exceptis Anniverſariis ſolemnitatibus, Pſalmos ſine cantu, diſtincte tamen recitare licebit.*

35 *Ubi cantus in omnibus adhiberi conſuevit, retinendus.*

36 Cam-

36 *Campanæ ſigno meridies, & veſper a ſæcularibus, & regularibus indicentur.*

37 *Ad hujuſmodi ſignum ter Angelicam ſalutationem recitantibus, præter Apoſtolicas, quadraginta indulgentiæ dies conceduntur. Idem in Veſperis pro Defunctis.*

38 *Epiſcopo ſolemniter celebraturo dignitates, & Canonici, veſtibus ordini congruentibus induti, aſſiſtant; ſi ordinum diſtributio non adſit, Presbyter aſſiſtens ſemper prima dignitas ſit, Diaconi duæ ſequentes, iiſque deficientibus digniores de Capitulo. Ubi ordines ſunt diſtributi, & Epiſcopus cum cappa tantum aſſiſtit, loco primæ dignitatis Decanus Canonicorum, duoque primi Diaconi miniſtrent. De hoc Sacr. Congreg. decreta.*

39 *Decretum Sacr. Congreg. de Canonicorum thurificatione, loci ceſſione, Eucharistiæ incenſatione in peculiari Sacello, ceroferariorum aſſiſtentia, & Diaconi miniſterio in Altaris thurificatione obſervandum proponitur.*

40 *Allata decreta tranſgredientes quomodo puniendi?*

41 *Epiſcopo aſſiſtente, ſex in Altari accendantur candelæ.*

42 *Ceremoniarii munus.*

43 *Ceremoniarius, Epiſcopo celebrante, Clericum miniſtrum habeat.*

44 *In acceſſu, & receſſu Prælati ad Eccleſiam organa pulſentur, ſervata temporum ratione.*

45 *Feria V. in Cœna Domini Capitulares, & Cathedralis Eccleſiæ Clerici de manu Prælati Eucbariſtiam ſumant, niſi ad celebrationem eo die teneantur.*

46 *Parochi populum moneant, ut ſummo mane in Parœcia communicet, quo in Cathedrali intereſſe poſſit.*

47 *Canonicorum, & dignitatum funus, Capituli ſumptibus peragatur; pro eis Conventualis miſſa celebretur; ſinguli Canonici, & Eccleſiæ Presbyteri idem faciant. Ad Collegia extenditur.*

48 *Capitulum venientem ad Eccleſiam Epiſcopum, redeuntemque aſſociet ab Epiſcopii aula. Sacr. Congreg. Decr. hac ſuper re referuntur.*

49 *Si Eccleſia ad Epiſcopio diſtet, conſuetudo laudabilis ſervetur.*

50 *Pœnitentiarius quotidie confeſſionario aſſiſtat; ſi Canonicus ſit, præſens in choro reputetur.*

51 *Singulis menſibus Capitulares habeantur congreſſus: ſpiritualia pertractentur: res graves per ſecreta ſuffragia decernantur.*

52 *Pro receptione in capitulum, vel in chorum nihil ſolvatur.*

53 *Capitulares Capituli bona per ſe, vel per alium ne conducant, ſub nullitatis pœna.*

54 *Idem de eorum conſanguineis primo, aut ſecundo gradu conjunctis decernitur, ni Epiſcopi licentia intercedat.*

55 *Exactiones decimarum Capituli, urgente cauſſa, & obtenta ab Epiſcopo facultate, concedere licet.*

56 *Diſcordiæ inter Canonicos ab Epiſcopi Vicario paterne componantur.*

57 *Miſſæ reſpondentes cottam, & talarem habeant veſtem.*

58 *Per Eccleſiam ne vagentur, nec quid ab Altari tollant.*

59 *Muſici vaniloquia, riſuſque ne habeant.*

60 *Reliqua, quæ ad capitulum, vel ex conſuetudine, vel ex Synodalibus conſtitutionibus ſpectant, ad unguem in uſum revocentur.*

61 *Ceteris Collegiatis, quæ ipſa concernunt ſub pœnis arbitrariis, ut obſervent, mandatur.*

1 CApitula, quæ ſtatuta non habent, intra ſex menſes ea conficere teneantur ab Epiſcopo examinanda, & probanda. Semel in hebdomada in loco conſueto Capitulum congregetur, die à Canonicis ſtatuendo, qui tamen certus ſit, ante, vel poſt Miſſam, ſeu Veſperam, ne chori ſervitium impediatur.

2 Congregati Canonici oratione præmiſſa Capitulum inchoabunt, quod itidem brevi facta precatione abſolvant.

3 In Capitulo contentioſas, & clamoſas confabulationes evitabunt: de iis quæ ad Eccleſiæ cultum, & ad pietatem promovendam ſpectant, deque bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione tractabunt.

4 Curabit omnino Capitulum Inventarium confici præbendarum, & quorumcumque beneficiorum, diſtributionumque quotidianarum, quod in viſitatione Epiſcopo exhibebitur, vel in Synodo Diœceſana.

5 Adminiſtratores, ſeu Procuratores teneantur rationem reddere coram Capitulo, pœna propoſita ad Epiſcopi arbitrium. Rationem quoque Anniverſariorum, & piorum legatorum reddant Epiſcopis ſingulis annis, ſi celebrata illa fuerint, hæc vero ſi exequutioni mandata. *Piorum locorum ratio Epiſcopo reddenda.*

6 Quoniam vileſcit Pontificalis dignitas, ſi in Eccleſia, dum Prælatus potiſſime præſens reperitur, vix aliquando ſint, qui divinas laudes decantent; Mandamus ut Canonici, & alii de Capitulo ſolemnioribus diebus, ac ſemper quoties Prælatum contigerit ſolemniter intereſſe officiis, choro præſentes ſint. Qui ſecus fecerint, legitimo ceſſante impedimento, a Punctatoribus approbando, totius diei emolumento puncti boni carere volumus. *Prælato celebrante Canonici choro omnes intereſſe debent.*

7 Ad compeſcendos animos illorum, qui excurſus, & recurſus ſuos ita partiri ſolent, ut de laboribus minimum, de-

emolumento autem plurimum percipere ſatagunt; inhærendo ſancitis a Sacra Congregatione decernimus, dum Miſſæ Conventuales, & Horæ Canonicæ pſalluntur, non niſi Canonicos, & alios ab initio ad finem intereſſentes in Choro, eorum oneri ſatisfacere, licet in Eccleſia tempus conterant, & ideo mandamus tranſgreſſores punctari, ac ſi fuiſſent abſentes, quacumque conſuetudine, ſeu potius abuſu in contrarium non obſtante.

Abſque Epiſcopi licentia nulli Clericorum diſcedere licitū eſt.

8 Tam Canonici, quam Sacerdotes, & Clerici, qui abſque ſui Antiſtitis teſtimonialibus a Diœceſi in futurum receſſerint, ſuſpenſionem a Divinis eo ipſo incurrant, & qui cum litteris commendatitiis exierint, præterquam occaſione conficiendi Miſſæ Sacrum, illis uti non valeant, tam in Judicio, quam extra, etiam ad effectum dignitatum, beneficiorum, & privilegiorum quorumcumque adipiſcendorum, niſi prius habita facultate in ſcriptis ejuſdem Ordinarii; alias innodati vinculo ſuſpenſionis a divinis ipſo facto exiſtant.

9 Quoniam in toto ordine Clericali Canonicos decet præ ceteris eſſe conſpicuos, iccirco ab ipſis multo potiori jure morum gravitatem, totiuſque corporis habitus decentem quamdam ſpeciem Synodus depoſcit.

10 Curabunt itaque tam in Eccleſia, quam extra virtutum ſtudio ceteris prælucere, ut non tantum nomine, ſed re ipſa vere ſe Canonicos profiteantur.

11 Qui vero dignitates obtinent in Capitulo, quo digniores ſunt, eo magis virtutum omnium ſplendore fulgere debent, ac ſancta humilitate, & obedientia, quam exhibere præ ceteris debent. Studeant igitur omnes munera, quæ illis ex Sacrorum Canonum jure, vel cujuſvis Eccleſiæ noſtræ Provinciæ probato ritu, vel ſtatuto, vel ex noſtrorum decretorum præſcripto incumbunt, omni diligentia, & ſollicitudine obire, quæ illis pro divini cultus augumento diſtricte obſervanda præcipimus, tum infra notatis, tum etiam aliis gravioribus pro modo culpæ arbitratu Epiſcoporum irrogandis pœnis.

12 Pſallant Canonici per ſe ipſos diſtincte, tractim, ſedate, factaque pauſa in medio verſiculi, neque verba tranſcurrant, vel ſyncopent: decenti geſtu, habituque, & compoſita voce pronuncient.

Litteras in choro legere Canonicis prohibetur.

13 Libros ad officia, quæ cantantur, non pertinentes, ac litteras nullo modo legant; neque item ubi commune officium perſolvitur, vel Miſſa cantatur, privatim quiſquam officium recitet.

14 Nemo dormiat, nugeturve, aut per Templum curſitet, vel vagetur, aut cum laicis colloquatur, neque etiam ex choro, quovis colore, diſcedat, niſi neceſſariam ob cauſſam a Magiſtro Chori, vel cui ex conſuetudine competit, licentia obtenta.

Qui in prædictorum aliquo deliquerit, horæ illius, cui tunc aderit, diſtributione privetur, ac gravius, etiam pro modo culpæ; præſertim vero ſi monitus parere, vel neglexerit, vel recuſaverit, arbitratu Epiſcopi puniatur.

15 Hebdomadas, ſtatoſque dies, quibus quiſque Miſſas, aliaque Divina Officia celebrare debet, omnino ſervent, neque illas invicem ullo modo commutare poſſint, niſi ex neceſſaria, & urgenti cauſſa a Vicario Epiſcopi probanda; diebus vero feſtis, præſertim ſolemnioribus, peritiores deputentur; qui autem celebrare, vel alia Divina officia facere pro ratione ipſius Dignitatis, aut Canonicatus neglexerit, vel contempſerit, tridui diſtributionibus non ſolum mulctetur, ſed etiam ab ordinis ſui munere ſuſpendatur, Epiſcopi arbitratu.

16 Cum ſolemniter eſt celebraturus Prælatus, Cæremoniarum Magiſter ſingula, quæ neceſſaria erunt, diligenter paret, atque eos, qui inſervire debent, opportune prius moneat, atque inſtruat, ut inde omni, qua decet, reverentia cultus Deo reddatur, ſubiturus pœnam arbitratu Epiſcopi, ſi negligentiæ arguatur. Inhibemus tam Diaconis aſſiſtentibus, quam Canonicis, ne dum Prælatus ſolemniter celebrat, ac alias in ſpectantibus ad Cæremonias in aliquo ſe intromittant, niſi nutu Magiſtri Cæremoniarum. Immo præcipimus omnibus, ut ei in ſpectantibus ad officium ſuum ſine contradictione obediant; qui ſecus fecerit, ſecundum conſuetudinem punctetur.

Omnia nutu cæremoniarum Magiſtri fieri debent.

17 Cum laudabiliter duo Punctatores in noſtra Metropolitana Eccleſia inſtituti ſint, unus a Nobis, alter a Capitulo, curent Epiſcopi, ut idipſum fiat in eorum Eccleſiis. Ut deinceps majori diligentia officium ſuum peragant, præcipimus, ut electi Punctatores hujuſmodi ſemel in anno in Synodo Diœceſana in manibus Epiſcopi jurent, ſe fideliter, ac diligenter ſuum munus præſtituros.

18 Punctatorum curæ erit ſtudioſe omnes notare, qui in divinorum officiorum celebratione colloquuntur, dormiunt, a Choro exeunt, litteras legunt, vel horas privatim recitant, pauſas, debitaſque Cæremonias, aliaque circa divinum cultum non obſervant, vel eos, qui lapſu temporis non interſunt, aut qui ſunt punctati, poſt punctum recedentes.

19 Curent Punctatores ſub pœnis arbitrio Epiſcopi infligendis, ne quis Canonicorum, aliuſve de Choro ſe infirmum ſimulet, quoſque tales compererint Vicario Epiſcopi denuncient puniendos, præter diſtributionis amiſſionem.

20 Idque muneris ſine perſonarum ac-

Digitized by Google

acceptione, aut excuſatione exequantur, in quibus conſcientiam eorum oneramus; cauſſa, ob quam punitus fuit, ſit expreſſa; nulli parcant, neque ulli ex Capitulo librum oſtendant, niſi cum Punctatorum exequutio facienda erit.

21 Si aliquem injuria notarit, de ſuo ei ſatisfaciat; ſi vero notandum prætermiſerit, de ſuo item tantumdem det, quod in Eccleſiæ uſum convertatur, & integras unius hebdomadæ diſtributiones amittat.

22 Quo tempore is in officio Punctatoris permanſerit, ſacris horis, & officiis omnibus interſit, niſi abſit de ejus licentia, qui Choro præſidet; quo tempore alium ab eodem Chori Præfecto probandum ſubſtituat, qui ſuo muneri ſatisfaciat; ſi ſecus fecerit, pro ſingulis vicibus unius diei diſtributionem amittat.

23 Ambo Punctatores libros conficiant, & ſingulis hebdomadis libros punctationum inter ſe conferant, & ſi qua inter eos controverſia orta fuerit, Vicarius Epiſcopi ſtatim definiat. Epiſcopus deligat ad id punctatoris officium, quem voluerit idoneum Clericum.

24 Eidem Epiſcopo facultas ſit de ea Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia, in qua Punctator creandus ſit, omnes quoſcumque libuerit, propoſitis pœnis ſuſpenſionis a Divinis, & aliis, ſuo arbitrio cogendi, ut id munus ſuſcipiant, & obeant.

25 Si quis Canonicorum Punctatoribus, aut Magiſtro Cæremoniarum, vel comminari, vel injuriam verbo, aut facto inferre auſus fuerit, decem ducatorum pœna, ac etiam aliis pœnis pro modo injuriæ arbitrio Epiſcopi puniatur.

26 Qui impetrata ab Eccleſia diſcedendi facultate, tam de Capitulis, quam de reliquis Clericis aliquandiu abfuerit, menſis ſaltem ſpatio, poſtquam redierit, Epiſcopum de ſuo ad Eccleſiam, ſeu Diœceſim reditu certiorem faciat; quod ſi neglexerit, perinde cenſeatur, ac ſi non legitime abfuerit, & arbitrio Epiſcopi puniatur.

A Diœceſi neque dignitas, neque Canonicus ſine Epiſcopi licentia abeſſe poteſt.

27 Nullus Dignitatum, ſeu Canonicorum a Diœceſi ſine ſcripta Ordinarii licentia abeſſe poſſit, quo loco alium Canonicum Peocuratorem conſtituere ei licitum ſit; juxta juris diſpoſitionem ab Epiſcopo, vel ejus Vicario approbandum, qui ſuo nomine actibus capitularibus neceſſariis intereſſe poſſit, & conſenſum præſtare.

28 Inſuper idem non potiri valeat majori tempore abſentiæ, quam trium menſium ad præſcriptum Sacri Concilii Tridentini, contraria quacumque conſuetudine non obſtante.

29 Ne autem duorum, vel plurium procurationem aliquis ſuſcipiat, omnino vetamus, & interdicimus, procurationeſve hujuſmodi mandamus non admitti, conſenſumque, quem illarum vigore forſan præſtari contigerit, irritum fore decernimus.

Capituli officiales quomodo eligendi?

30 Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum Capitula, quibus jus eſt eligendi quolibet anno, vel alio ſtatuto tempore cujusvis generis officiales, & Miniſtros, ſchedulis per vota ſecreta ad electionem dignioris deveniant, nullique ſuffragia per ſe, vel per alios exquirere, vel alteri pandere liceat ſub pœna ſuſpenſionis a divinis eo ipſo, & electio aliter facta nulla, & irrita ſit. Electus vero obeat munus, cui præponitur, & ſi renunciat abſque legitima, & juſta cauſſa coram Epiſcopo diſcutienda, privatus ipſo facto exiſtat voce activa, & paſſiva per triennium, aliiſque pœnis arbitrariis ab Epiſcopo plectatur.

Conſtitutio Cardinalis Sabelii de electione facienda.

31 Inhærentes decretis in Conſtitutionibus Synodalibus bo. mem. Cardinalis Sabelli anno 1557. editis, decernimus, & mandamus, quod omnes dignitates, Canonicatus, & Beneficiati Cathedralium, ſive Collegiatarum quarumcumque electi a Capitulis, Collegiis, aut aliis jus eligendi habentibus, non admittantur, minusque in poſſeſſionem immittantur, niſi prævio examine idonei doctrina, moribus, & ætate ab Ordinariis locorum, ſive eorum Vicariis prius judicentur, & poſtea confirmentur; alias electiones cum omnibus inde ſequutis nullius ſint roboris, & momenti, & penitus invalidæ cenſeantur; electi vero aliter attentantes ipſo facto ſint ſuſpenſi, ac etiam Ordinarii arbitratu puniantur.

32 Quotieſcumque dicendum erit in Choro officium defunctorum ex præſcripto Breviarii, ſi in illum diem Anniverſarium alicujus defuncti incidat, volumus quod nullatenus defunctorum officium omittatur, ſed Officium, & Miſſa, ſi dicenda erit, duplicetur in Quadrageſima. Reliquo tempore, ſi concurrant, unum transferatur in diem ſequentem non impeditam; alioquin contrafacientes notentur, & nihilominus arbitrio Epiſcopi puniantur.

In Cathedralibus quando duæ miſſæ Conventuales celebrandæ ſunt?

33 Quibus diebus ex Miſſalis Romani rubricarum præſcripto in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis miſſas duas Conventuales celebrari oportet, eæ ambæ canantur; cum cantu item celebretur, ſi qua præterea alia miſſa eodem, vel alio die, ut diximus, ex conſuetudine, legatove pio, aut alio jure ibi cani debet. Quod ſi Capitulum præſtare omiſerit, neglexeritve, non ſolum illius diei, in quo huic muneri defuerit, verum alterius etiam diei diſtributionibus mulctetur, & alio die ſuppleantur omiſſa; mulcta vero arbitrio Epiſcopi locis piis, aut pauperibus applicetur.

34 Diebus Dominicis, feſtiſque aliis,

quibus

quibus officium duplex peragitur, Canonicus hebdomadarius, dum Veſperarum officium obit, celebratve, pluviale induat, tum etiam duo Eccleſiæ Miniſtri pluvialibus induti adſint, eaque munera præſtent, quæ præſtari moris eſt; iiſdem præterea diebus divina ſingularum horarum canonicarum officia, pſalmi ſcilicet, hymni, antiphonæ, reſponſoria, & reliquæ horariæ preces non verbis recitentur, ſed ſtata modulatione canantur. In matutini tamen officio, & prima, ſi ita Epiſcopo videbitur, præterquam in Anniverſariis feſtorum dierum ſolemnitatibus celebrioribus, canora, & diſtincta tamen vocum pronunciatione Pſalmos dici liceat; at hymni, antiphonæ, reſponſoria, & reliqua ejusmodi, tum præterea pſalmi ad laudes, ſtata omni cantus modulatione, omnino pronuncientur.

35 Ubi vero, vel inſtituti, vel conſuetudinis eſt feſtis diebus matutini etiam, vel primæ pſalmos, aut aliis præterea diebus reliquarum horarum pſalmos, & omne officium cantu præſtari, illud inſtitutum, conſuetudinemve perpetuo retineri jubemus.

36 Curent Epiſcopi ſaluberrimum Caliſti Tertii generale inſtitutum de campanæ ſigno in meridie, & in Veſpere dando, ab omnibus tam ſæcularibus, quam regularibus Eccleſiis obſervari.

37 Quapropter monemus omnes, ut dato ſigno prædicto genuflexi ſalutationem Angelicam ter recitent, Deum etiam rogantes pro tranquillitate, & exaltatione Sanctæ Matris Eccleſiæ, ac Chriſtianorum Principum concordia, eisque, qui ſic oraverint, contritis, præter alias Apoſtolicas indulgentias, quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis a Domino concedimus, & elargimur. Idque etiam quotidie in Veſperis pro defunctis.

Anno 1686. diſtributiones factæ fuerunt in Metropolitana.

38 Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius, ceterique Canonici, qui Prælato ſolemniter celebraturo in Choro aſſiſtere debent, ſacris induantur, & miniſtrent in ordine ſuo juxta diſpoſitionem cæremonialis Epiſcoporum nuper impreſſi, ita tamen ut in Eccleſiis, ubi præbendæ non ſint diſtinctæ inter Presbyterales, & Diaconales, prout in noſtra Metropolitana Eccleſia, ſive Epiſcopus celebret, ſive divinis officiis præſens ſit cum cappa, munus Presbyteri aſſiſtentis ſemper per primam Dignitatem, quocumque nomine appelletur, adimpleatur; officium vero duorum Diaconorum aſſiſtentium Epiſcopo per duas ſequentes Dignitates poſt primam, & ipſis deficientibus per digniores, ſeu antiquiores Canonicos. Si autem præbendæ ſint diſtinctæ, quando Epiſcopus non celebrat, & ſolum præſens ſit cum cappa, tunc loco primæ Dignitatis Decanus Canonicorum, & duo primi Diaconi aſſiſtere ei debent, prout infraſcriptis decretis Sacra Rituum Congregatio pronunciavit.

Beneventana.

39 Ex Sacra Rituum Congregatione proponente Eminentiſſimo D. Cardinali Sfortia die 5. Septembris 1648. utraque parte informante.

Archiepiſcopus Beneventanus ſupplicavit declarari

An Archidiaconus prima Dignitas Archiepiſcopo tam ſolemniter celebranti, quam divinis tantum intereſſenti cum Cappa, aſſiſtere teneatur, cum præbendæ non ſint diſtinctæ?

Et Sacra Congregatio reſpondit aſſiſtentiam prædictam præſtandam eſſe per Archidiaconum juxta formam Cæremonialis, eumque ad hoc poſſe cogi ſub cenſuris, etiam in ſubſidium.

A. Cardinalis Capponius.

M. Gallius S. Rit. Congreg. Secret.

Beneventana.

Ex eadem Sacra Rituum Congregatione, proponente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Sfortia die 21. Novembr. 1648.

Cum in Eccleſia Metropolitana non fuerint diſtinctæ præbendæ Presbyteralis, & Diaconalis, quæſivit Archiepiſcopus: An ipſi ſolemniter celebranti, vel ſi divinis officiis cum cappa interſit, Archidiaconus, qui eſt prima dignitas, aſſiſtere teneatur, & die 5. Septembris præſentis anni *Sac. Rituum Congregatio affirmative reſpondit.*

Dubitatum inde fuit, qui nam loco duorum Diaconorum aſſiſtere deberent, & eadem Sacra Rituum Congregatio, referente Eminentiſſimo D. Cardinali Sfortia, utraque parte informante, declaravit.

Dignitates proxime ſequentes poſt Archidiaconum, aſſiſtere debere, & recuſantes etiam ſub cenſuris cogendos eſſe die 21. Novembris 1648.

Hodie hæc non militant, quia facta eſt diſtributio præbendarum de anno 1686.

A. Cardinalis Capponius.

Hieronymus Boncompagnus Sac. Rit. Cong. Secr.

Et quia ſunt etiam ex eadem Sac. Rit. Congregatione infraſcripta decreta, ideo pro qualitate Eccleſiarum obſervanda erunt, videlicet.

Beneventana.

Ex Sacra Rituum Congregatione, proponente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Sfortia die 5. Decembris 1648. utraque parte informante.

Archiepiſcopus Beneventanus ſupplicavit declarari.

Primo: An dignitates illius Cathedralis,

lis, quæ ſedent ab utroque latere Chori, debeant omnes prius thuriferari, quam Canonici ejuſdem Eccleſiæ, qui tam a dexteris, quam a ſiniſtris Chori una cum Dignitatibus ſedent?

Et Sacra Rituum Congregatio reſpondit, tam Dignitates, quam Canonicos a latere digniori Chori ſedentes, prius thuriferandos, quam Dignitates, & Canonicos, qui ſedent a latere Chori minus digno.

Secundo: An Dignitates, ſive Canonici, qui aſſiſtunt Archiepiſcopo, ſupervenienti Dignitati, ſive Canonico digniori, quibus convenit aſſiſtere, locum aſſiſtentiæ cedere debeant?

Et Sacra Rituum Congregatio affirmative reſpondit.

Tertio: An Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod inter Veſperarum divina peculiari cuſtoditur Sacello thuriferandum ſit?

Et Sacra Rituum Congregatio in caſu propoſito SS. Euchariſtiæ Sacramentum thurificari mandavit.

Quarto: An in Miſſa Conventuali, quando decantatur Evangelium, Ceroferarii cum cereis accenſis aſſiſtere, & Diaconus, quoties thurificatur Altare, incenſum miniſtrare teneantur?

Et Sacra Rituum Congregatio teneri reſpondit.

A. Cardinalis Capponius.

Locus Sigilli.

M. Gallius Sac. Rit. Cong. Secr.

40 Curent igitur Epiſcopi, ut in eorum Eccleſiis hic ritus obſervetur, & qui recuſaverit ex Canonicis, vel contradixerit, legi ima ceſſante cauſſa, & approbata a Punctatoribus, pœnis in eiidem decretis contentis puniatur, & alias arbitrio Epiſcopi.

41 Quotieſcumque Epiſcopus aſſiſtere voluerit divinis officiis, ſemper in Altari accendantur ſex candelæ, ſive in omnibus Dominicis per annum.

42 Cæremoniarum Magiſter, qui, ſi fieri poteſt, pro ſervitio, & aſſiſtentia Epiſcopi, ſaltem debet unus eſſe de Canonicis, diligenter videat: An cæremoniæ debitæ, etiam in Choro ſerventur, rudeſque recte illas obire doceat.

43 Unus ex Sacriſtis minoribus, vel aliis Clericis, Epiſcopo celebrante, ſemper Magiſtro cæremoniarum aſſiſtat, ut quæ ad divina officia præſtanda erunt, illius mandato præſtare poſſit; ſi ſecus fecerit, arbitrio Epiſcopi puniatur.

In ingreſſu, & diſceſſu Epiſcopi ab Eccleſia organum pulſandum.

44 Organiſta, quotieſcumque Prælatus Eccleſiam ad divina officia ingreditur, ſemper temporum ratione ſervata, organum pulſet, idque faciat in diſceſſu ab Eccleſia.

Conc. Prov. Benev.

45 Feria quinta in Cœna Domini ſinguli Canonici, & alii de Capitulo in Eccleſia Cathedrali, reliquive Clerici Eccleſiæ prædictæ in ſolemni Miſſæ ſacro, quod eo die fiet, Corpus Domini de manu Prælati ſumant, niſi ex eis aliqui ſint, qui eo ipſo die miſſam ex proprio munere celebraturi ſint. Quod ipſum in Collegiatis etiam Eccleſiis omnino obſervari mandamus, ſub pœnis arbitrio Epiſcopi infligendis.

46 Parochi frequenter Populum moneant, ut ſummo mane SS. Euchariſtiæ Sacramentum in Parochiali Eccleſia ſumat, quo commodius deinde in Cathedralem ſolemnibus officiis audiendis convenire poſſit.

Canonici funus Capituli expenſis fiat.

47 Canonici mortui funus, ejuſve, qui ejuſdem Eccleſiæ, in eave dignitatem obtinebat, Capituli ſumptibus a reliquis Canonicis fiat; tum pro ejus Animæ ſalute Miſſa conventualis celebretur, & unuſquiſque item Canonicus, miniſterve ejuſdem Eccleſiæ, qui Sacerdos ſit, miſſam itidem pro eo celebret; quod etiam obſervetur in Collegiatis Eccleſiis.

Quouſque Canonici Prælatum aſſociare teneantur?

48 Dignitates, Canonici, & alii omnes de Capitulo Prælatum in Eccleſiam venientem ab aula ſui Palatii ab ipſo deſtinata proceſſionaliter conducant, & redeuntem omnes item proceſſionaliter reducant ad formam Cæremonialis, & præſcriptum in ſequenti Decreto Sacræ Congregationis Rituum, ſub pœnis in dicto Decreto contentis in tranſgreſſores, & aliis arbitrio Epiſcopi infligendis.

Beneventana.

Sacra Congregatio Rituum proponente Eminentiſſimo D. Cardinali Sfortia die 5. Septembris 1648. utraque parte informante.

An Canonici Archiepiſcopum ad Eccleſiam accedentem aſſociare, & ab eadem recedentem uſque ad anticameram ſuæ habitationis juxta ſuorum Prædeceſſorum conſuetudinem comitari teneantur?

Et Sacra Rituum Congregatio reſpondit. Quod circa aſſociationem ſerventur decreta, & ad formam compellantur Canonici renitentes, ſi aliqui adſunt, ſub cenſuris in ſubſidium.

A. Cardinalis Capponius.

M. Gallius Sac. Rit. Congr. Secret.

Ex eadem Sac. Rituum Congregatione, proponente Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Cardinali Sfortia die 21. Novembris 1648. utraque parte informante.

Cum circa aſſociationem a Capitulo, & Canonicis præſtandam Archiepiſcopo Cappa induto ad Eccleſiam accedenti Sa-

cra Rituum Congregatio decreverit ſervandum eſſe ſolitum, & nihil innovandum, ac deinde decretum ſervari mandaverit.

Idem Archiepiſcopus, ad tollendas controverſias, quæ denuo oriri poſſent, ſupplicavit declarari diſtincte, quid deſuper ſervandum ſit, & eadem *Sacra Congregatio referente Eminentiſſimo D. Cardinali Sfortia, utraque parte informante, reſpondit Capitulum, & Canonicos debere accedere ad aulam, ſive cameram, quam ad hoc Archiepiſcopus deſtinaverit, tam in acceſſu ad Eccleſiam, quam in reditu, ad formam præſcriptam in cæremoniali Romano, & renitentes etiam ſub cenſuris in ſubſidium compellendos eſſe die* 21. *Novembris* 1648.

A. Cardinalis Capponius.

Hieronymus Boncompagnus S.R.Cong. Secret.

49 Si autem Eccleſia diſtet a Palatio Epiſcopali, tunc ſervetur conſuetudo laudabilis, niſi forte ſit contra diſpoſitionem Cæremonialis ab Epiſcopo declaranda.

50 Pœnitentiarius ſingulis diebus in Eccleſia aſſiſtat in loco ad id deputato, & ſi Canonicus fuerit, dum in Eccleſia confeſſiones audit, integras diſtributiones habeat, ac ſi choro ſingulis horis intereſſet.

Semel in menſe Capitulum congregatum, tractatum de ritibus habeat.

51 Capitulum deinceps ſingulis menſibus, vel ſaltem frequenter habeatur, in quo quidem Capitulo de rebus ſpiritualibus, ac ad divinum cultum pertinentibus tractetur; ſinguli vota ſua ſedate, & ex ordine proferant, & cum electiones officialium erunt faciendæ, aut cenſus, & bona Eccleſiæ locanda, aut de quacumque re gravi deliberandum, ſuffragia ſemper ſecreto dentur, ut & canonice omnia fiant, & liberius quiſque ſuam ferat ſententiam, alioquin actus prædicti nullius ſint roboris, & trangreſſores arbitrio Epiſcopi puniantur.

52 Prohibemus omnino, ne quid ſolvatur ob receptionem in Capitulum, vel chorum.

53 Neque deinceps Canonici, aliique de Capitulo bona, reditus, & proventus, aut exactiones, emolumentave, etiam incerta, ad Capitulum quovis modo ſpectantia per ſe, vel per interpoſitam perſonam, ne per modicum quidem tempus conducant, alioquin contractus omnes irriti ſint, ac nulli, & tam locatores, quam conductores Canonici, Epiſcopi arbitratu, puniantur.

54 Idem ſancimus de eorum propinquis, & conſanguineis ſecundo, vel arctiori gradu conjunctis, niſi, quod ad hoc attinet, cognita Eccleſiæ utilitate Epiſcopus licentiam in ſcripto conceſſerit.

55 Exactiones tamen Decimarum Capituli, etiam ab iis de Capitulo ſuum ad uſum concedi liceat, facultate ab Epiſcopo data, cum gravis cauſſa urgebit.

56 Si quæ ſint inter Canonicos diſcordiæ, & diſſenſiones a Vicario Epiſcopi ſedentur, & componantur paterne, & amanter; quos vero errantes, contentioſoſque compererit, arbitrio ſuo puniat.

57 Acolythi, vel alii Clerici, qui in Miſſa, ut Sacerdoti celebranti aſſiſtant, & reſpondeant, adhibentur, ne ſine cotta, & veſte talari adhibeantur, omnino vetamus.

58 Acolythi, aut Clerici prædicti, dum Sacerdos celebrat, per Eccleſiam non vagentur, neque candelas, aut quid aliud ab Altari tollant ante finitum ultimum Evangelium: fidei rudimenta, aliaque ad divinum cultum, & eccleſiaſticam diſciplinam neceſſaria addiſcant.

59 Muſici, & Cantores pie verſentur, neque riſus, & vaniloquia habeant, dum divina celebrantur, ſed ita ſe gerant, ut divinis laudibus obſequentes ceteris exemplo eſſe poſſint.

60 Reliqua item, quæ Capitulis incumbunt ex antiqua, & laudabili conſuetudine, & ex Decretis in Synodis Diœceſanis emanatis, ad priſtinum uſum revocentur, & Canonici, aliique de Capitulo diligenter obſervent, dummodo non adverſentur ſacris Canonibus, & juriſdictionibus Epiſcoporum, ſeu ipſorum menſis, quæ omnia ab iiſdem Epiſcopis de conſilio Capituli declarabuntur.

Antiquas conſuetudines, ſynodaleſque conſtitutiones Capitulum obſervare tenetur.

61 In Collegiatis vero Eccleſiis prædicta a Nobis conſtituta, quæ illas poterunt concernere, ſub pœnis arbitrio Epiſcopi irrogandis obſerventur.

TITULUS XXVII.

De vita, & honeſtate Clericorum.

SUMMARIUM.

1 *Clericorum ignorantia, vel neglectus circa ſanctiones de eorum vita, & honeſtate.*
2 *Libri, qui a Clericis haberi debent.*
3 *Qui a Parochis.*
4 *Veſtes domeſticæ Clericorum quales?*
5 *Veſtitus extra domum talaris, & modeſte compoſitus.*
6 *Veſtes breviores in itinere permittuntur. Pileorum uſus probibetur, niſi valetudinis cauſſa deferantur, & tunc in Eccleſiæ ingreſſu deponendi.*
7 *Quibus, quot, quo in digito, & quando Clericis anulos deferre liceat?*
8 *Barbæ, & capitis tonſura, & veſtium color, quales eſſe debeant?*
9 *Armorum delatio probibetur. Pœna in contrafacientes.*
10 *Nocturnæ vagationes, inceſſus cum perſona, ac veſtitus novitas, ſive elegantia, ſive negligentia, Clericis inhibentur.*

Tranſ-

Tranſgreſſores quibus pœnis plectendi?

11 *Clerici clericalem habitum pro ſuo arbitrio modo deponentes, modo reaſſumentes, Eccleſiaſtico foro ſubjecti ſunt, quouſque privilegiũ amiſerint, vel ſtatus mutatione, vel canonico impedimento ab Ordinario probando. Habitus renunciatio nulla eſt, niſi ab Ordinario, interpoſito decreto, recipiatur.*

12 *Suſpectæ mulieres cum Clericis ne cohabitent.*

13 *Ancillæ quinquagenariæ, & pudicæ permittuntur, habita ab Ordinario licentia in ſcriptis.*

14 *Comœdiis, fabulis, choreis, profaniſque ſpectaculis Clerici ne interſint: minuſque ea agant: publica convivia, & comeſſationes vitent.*

15 *Alearum, talorumque luſus inhibetur ſub pœna ducatorum 20. & poſt tres vices excommunicationis, quam Epiſcopi latæ ſententiæ, ſi opus ſit, imponant. Venationes prohibentur.*

16 *Monitio ad Epiſcopos, ut a ludis, & venationibus abſtineant.*

17 *Clerici abſque neceſſitate cauponas ne frequentent: Ab illicita abſtineant venatione.*

18 *Cum Muſicis obſcena ne canant.*

19 *Clericali militiæ adſcripti, quibus vacare debent?*

20 *Clerici laicis Dominis ne inſerviant, niſi ad puerorum inſtitutionem, obtenta ab Epiſcopo licentia.*

21 *Mulieres legere, ſcribere, canere, aut ſonare ne doceant, niſi ætate, & moribus ii ſint, qui ab Epiſcopo probentur, & facultatem in ſcriptis obtinuerint.*

22 *Libris obſcenis de muſico cantu ne utantur.*

23 *Feminas ne aſſocient, nec in menſis deſerviant; apud Eccleſiaſticos in vilibus ne ſe exerceant officiis.*

24 *Clerici, qui poſt patratum crimen e Diœceſi aufugiunt, ad proprium Epiſcopum mittantur, ſi petierit, & de delicto teſtimonium miſerit.*

25 *Clerici a cauſſarum patrocinio apud ſæculares Judices abſtineant, exceptis cauſſis a jure permiſſis de Epiſcopi licentia.*

26 *Notariatus, & tabellionatus officium, ac medicinæ, præcipue chirurgiæ exercitium Clericis prohibetur.*

27 *Tutores ne ſint, niſi pietatis cauſſa de Epiſcopi licentia.*

28 *Mercaturam, in contractibus medios eſſe, vadimonia, laicorum procurationes vitent; id ſi cauſſa poſtulet, ab Epiſcopo gratis licentia concedatur, quotanniſque renovetur.*

29 *Agros, vel greges ne conducant, nec lanas, aut uvas, vel muſtum, ut per conductas operas pannum, vel vinum vendenda conficiant; etiam ex propriis gregibus id eſt illicitum; jumenta vero, lucri cauſſa locanda, ne emant.*

30 *Locorum temporalem juriſdictionem ne conducant ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto, neque etiam eorumdem reditus, licet per intermediam perſonam id muneris peragerent.*

31 *Libri ſacri, vetuſtate conſumpti ad ſordidos uſus ne adhibeantur, ſed potius igni tradantur.*

32 *In iis, quæ prohibita ſunt, delinquentes, quomodo plectendi?*

33 *Clerici publica vectigalia, ſive arrendamenta ne conducant, aut alias illicitas negotiationes exerceant.*

34 *Simplices Presbyteri ſingulis Dominicis, feſtiſque diebus, niſi impediti ſint, Parochi ter ſaltem in hebdomada celebrent; ceterique Clerici ſingulis menſibus communicent.*

35 *Omnes quotidie Miſſæ interſint.*

36 *Abuſus in novellis Miſſis eliminentur.*

37 *Presbyteri habitationes eligant in loco Civitatis honeſtiori.*

38 *Prima tonſura non initiati, Clericalem habitum ſine Epiſcopi ſcripta licentia ne geſtent.*

39 *Beneficiarii, & in ſacris conſtituti Canonicas horas omittentes, quas ſubeant pœnas; Penſionarii item, qui B.V. officium non recitant?*

40 *In ſacris conſtituti, Beneficiarii, ac etiam inferioribus ordinibus initiati, qui alicui Eccleſiæ ſunt addicti, infra menſem nomen, cognomen, patriam, ordines, & beneficia in Curia Epiſcopali deſcribant; Si alienæ ſint Diœceſis, dimiſſorias litteras oſtendant; in Civitatem advenientes, idem ſervent: talis adnotatio gratis in Curia fiat: contrafacientes pecuniaria pœna, & corporali, aut alia Epiſcopi arbitrio puniantur.*

41 *Pecuniariæ pœnæ in pios uſus erogandæ, pro tertia parte accuſatoribus dentur. Accuſatoris nomen ſecreto ſervetur.*

42 *Clerici omnes Dominicis, feſtiſque diebus Eccleſiæ, cui adſcripti ſunt, cotta induti deſerviant, alias Epiſcopi arbitrio puniantur: pœnis etiam pecuniariis applicandis, vel Eccleſiis, quibus defecerunt, vel pauperibus.*

43 *Clerici, ſeu Presbyteri, qui ad chorum non tenentur, proprium Parochum in Doctrina Chriſtiana edocenda juvent, ſub pœnis Epiſcopo arbitrariis.*

1 QUoniam multa a Conciliis tam generalibus, quam Provincialibus, & a Summis Pontificibus de vita, & honeſtate Clericorum ſtatuta ſunt, experientiaq; didicimus, a pleriſque, vel ignorari, vel negligi; iccirco, quæ ſequuntur, in memoriam reducenda eſſe cenſuimus, ab omnibus Clericis inviolabiliter obſer-

vanda, gravi pœna ad Ordinariorum arbitrium tranſgreſſoribus propoſita.

2 Quia vero (ut ſcriptum eſt) Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore ejus*, ſunt enim ſal terræ, icciрco Sacerdotes omnes hos libros penes ſe habeant; Teſtamentum vetus, & novum latinum editionis vulgatæ, Catechiſmum Romanum, Concilium Tridentinum, Compendium Navarri, aut alterius, Conſtitutiones Synodales proprii Epiſcopi, & Provinciales; libri autem obſceni, inutiles, & vani, apud eos nullo pacto reperiantur.

3 Curati vero, præter jam numeratos, alios etiam codices ſibi comparabunt, eum præſertim, in quo recta adminiſtrandorum Sacramentorum ratio contineatur, & inſtructiones a Nobis tradendas.

4 Veſtes, quas domi privatim clericalis ordinis homines induent ejuſmodi ſint, quæ non colore, non ulla habitus ſpecie a clericali modeſtia diſcrepent. Decorum enim exterioris habitus cultum enixe ſervandum eſſe, & res ipſa docet, cum ab exterioribus interiora judicentur, & SS. Canones accurate præcipiunt.

5 Cum extra domum verſantur, veſtem ſuperiorem interiorem ſimplicem, & talarem omnes geſtent, non reflexam, ſed compoſite, & apte ad collum annexam. Pallium, quod ferajolum dicitur, id habeant, ut a Clericali decore non ſit alienum, idque tantum cum talari tunica, & non alias geſtent.

6 Quas tamen veſtes, ad longioris itineris neceſſariam commoditatem, breviores, modo ordinis honeſtati conveniant, adhiberi permittimus. Pileos ne habeant, niſi valetudinis cauſſa, & eos ſimplices, quos ingredientes Eccleſiam ſemper omittant.

7 Nulli Sacerdoti, Clericove anulum, niſi ea dignitate prædito, in qua conferēda ille ſibi traditur, geſtare liceat, ſub pœna ſuſpenſionis, tuncque unum ſolum, & digito dexteræ manus quarto; eum vero, dum Miſſæ ſacrificium facit, Sacerdos deponat omnino, ſub eadem pœna ipſo facto.

Barbam, comamque Sacerdotibus nutrire inhibetur.

8 Sacerdotes ab Superiore labio barbam ita tondeant, ne ſalutare corporis, & ſanguinis Chriſti Sacramentum ſumentibus impedimentum afferat. Clericalem tonſuram, quæ eſt militiæ ſpiritualis inſigne, uniuſcujuſque ordini, & gradui convenientem perſpicue gerant: ne comam nutriant: veſtium colorem tantum nigrum adhibeant, exteriore circa lumbos præcincta.

9 Arma ne ferant cujuſvis generis ſub pœna illorum amiſſionis, & ducatorum auri decem; mandantes Epiſcopis, ut cum id oportere exiſtimaverint, excommunicationem latæ ſententiæ injungant.

Vagationes nocturnæ, veſtiuum elegantiæ, ſordeſque vitari debent.

10 Noctu ne vagentur, neve perſonati incedant; in omni denique veſtitu novitatem, & tam elegantiæ, & concinnitatis, quam negligentiæ, ac ſordium ſuſpicionem vitent. Qui in aliquo horum deliquerit, præter veſtium, aliarumque rerum exequutoribus, ſive de die, ſive de nocte capientibus arbitrio Epiſcopi applicandarum amiſſionem, viginti quinque aureis mulctetur, locis piis, prout Epiſcopo videbitur, attribuendis. Carcere etiam, ac beneficiorum privatione, majoribuſque pœnis pro delicti, & perſonarum genere, arbitrio Epiſcopi, puniatur, præcipue juxta diſpoſitionem fel. rec. Sixti Papæ V.

Diſpoſitio Sixti V.

11 Et ſi quamplurimis Sacrorum Canonum, Conciliorum, Summorumque Pontificum ſanctionibus expreſse, ac ſatis ſignificanter, pœnis etiam additis, cautum ſit, ne ullius conditionis Clerici abſque habitu, & Clericali tonſura incedere audeant, quia tamen ſæpe uſuvenire cognovimus, eorum nonnullos, ſive prima tantum tonſura, ſive minoribus quoque ordinibus initiatos, habitum, pro libito, & arbitrio ſuo, modo deponere, modo reaſſumere præſumentes, ac hujuſmodi viciſſitudine habitus ſibi perſuadentes utrumque forum, eccleſiaſticum ſcilicet, & ſæculare, ſe callide evaſuros.

Clericali habitu dimiſſo Clerici ne incedant.

Diſtricte decernimus id genus Clericorum eccleſiaſtico foro omnino ſubjectum eſse, quoſque vel ſtatus mutatione, vel alio canonico impedimento (quod ſolius Ordinarii ſit declarare) fori privilegium amiſerint. Quod ſi eorum aliqui in Epiſcopali Curia Clericatum abrenunciaverint, volumus illis hujuſmodi renunciationem nullo modo ſuffragari, niſi ea ab Ordinariis, interpoſito decreto, recipiatur, qua receptione deficiente, ſi nihilominus illi, ut laicos ſe gerere præſumpſerint, ſtatutis pœnis, aliiſque inſuper ſeverioribus ab Epiſcopis puniantur, juxta delictorum, eorumque contumaciæ qualitatem, ut ſaltem timore pœnæ, ſi minus amore virtutis, tam pernicioſa peſtis, & non unius ſcandali materia ab eccleſiaſtica militia eliminetur; quo fiet, ut nullus in poſterum conqueri queat, clericale pallium ad nequiſſima ſcelera obtegenda uſui eſse.

12 Non permittantur ullo modo mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, Clericis cohabitare.

13 Ancillæ, dummodo ſint provectæ ætatis, quæ ſcilicet quinquageſimum annum expleverint, nec alias impudice vixerint, obtenta prius licentia in ſcriptis ab Ordinario, concedantur.

14 Clerici, quos propter Chriſtum ſpectaculum fieri oportet, mundo, Angelis,

lis, & hominibus, maxime debent ab iis ſpectaculis, quæ Chriſtum non ſapiunt, abſtinere.

Itaque decernimus, prout in noſtra Synodo Diœceſana cautum eſt, ne comœdias, fabulas, choreaſque, ullumque profanum ſpectaculi genus agant, vel ſpectent, ne publicis conviviis, & comeſſationibus interſint, quibus ſæpe fit, ut contemptui ſit eccleſiaſtici miniſterii dignitas, & quemadmodum per ſacros Canones vetita ſunt perſonis eccleſiaſticis quædam ludi genera, ita expreſse illis prohibemus.

Omne ludi genus ſub pœna duc. viginti Clericis interdicitur.

15 Ne pagellis pictis, ſeu alea, & talis vetitis, & indecoris ludi generibus in poſterum ludant ſub pœna ducatorum auri viginti, & poſt tres vices excommunicationis, quam Epiſcopi, ſi opus erit, latæ ſententiæ imponant. Venationibus tempus inutiliter, & indecore impendere, quod ex ipſorum profeſſione in Dei cultum, obſequiumq; diligentius procurandũ unice deſtinare tenerentur, uti nunc vetamus, idipſum Nos alias decretis, & ſanctionibus noſtris Synodalibus, additis etiã pœnis, firmius ſtabilire conati ſumus.

16 Jam vero iterum, iterumque Venerabilibus Fratribus noſtris Epiſcopis in memoriam revocamus, quantopere ipſis cavendum ſit, ne qui pœnas a tranſgreſſoribus repetere tenentur, ſcandalo potius ſint, quod abſit, & exemplo ſuo licere doceant, quæ paſtorali auctoritate, tanquam illicita punire deberent, adeoque jure illis exprobrari poſſit ex Evangelio, Luc. 6. *Ejice primum trabem ab oculo tuo, & deinde ejicies feſtucam ab oculo fratris tui*. Studeat igitur diligenter ſi quis in hac re olim peccaverit, quod non credimus, ita ſe ab omni ludorum, aut venationum exercitio compeſcere, ut corrigat, quod deliquit: ſeque totum animarum venationi addicere, de qua Dominus per Prophetam Jer. 16. *Ecce ego mittam Venatores multos;* alioqui noverit ſe, non apud Deum modo culparum omnium vindicem, verum etiam apud futuri Concilii Patres, de neglecta Paſtoralis officii dignitate, contempto animarum bono, & oblato ſuis ovibus ſcandalo rationem redditurum.

17 Clericos cauponarum aditu, & uſu omnino interdicimus, niſi in itinere neceſſitatis cauſſa. Abſtineant & Clerici ab illicita venatione, prout deſuper ſtatutum eſt, etiam ſub pœnis arbitrio Epiſcopi infligendis.

18 Cum Muſicis nunquam obſcena canant, ſed ſobrie, & caſte juxta doctrinam Apoſtoli vivant.

19 Illud autem unuſquiſque Clericus ſæpe ſecum animo repetat, ſe non ad inertiam, atque ignaviam, ſed ad ſpiritualis, & eccleſiaſticæ militiæ labores vocatum eſſe.

20 Nullus Clericorum, etiam forenſium, Laicis Dominis inſerviat, niſi forte eorum pueros inſtruat, quod etiam cum dignitate facere curabit de Epiſcopi licentia.

Sine Epiſcopi judicio Clerici mulieres, nec etiam illuſtres doceant.

21 Clerici in eo officio ne ſe exerceant, ut ullas mulieres, etiam quavis dignitate illuſtres doceant legere, ſcribereve, aut canere, aliove cujuſvis generis muſico inſtrumento ſonare, niſi ii ſint, quibus ætate, moribus, & vitæ probitate, Epiſcopi judicio id permiſſum eſt, facultate ab eodem in ſcriptis data.

22 Ne libris item de muſico cantu obſcenis, vel parum pudicis ſcriptis ullis utantur.

23 Ne feminas etiam nobiles aſſectentur, neve officii cauſſa ſtent circum menſam illis accumbentibus. In famulatu vero eccleſiaſticarum perſonarum vilia officia, aut opera, quæ clericali decori non convenient, minime faciant.

24 Epiſcopus Clericum alienum, qui in propria Diœceſi deliquerit, & ad ſuam Diœceſim confugerit, proprio illius Epiſcopo petente, & ſibi de Clerici, qui deliquit, citatione, & contumacia, aut condemnatione fidem mittente, comprehendi, & ad illum mitti curet, idque ſumptibus petentis.

25 Interdicimus autem Clericis procuratione, advocatione, patrocinio, & omni actione cauſſarum apud Judicem ſæcularem fungi, exceptis cauſſis a jure permiſſis, quo loco ſcripta ab Epiſcopo licentia impetretur.

26 Quos propterea in rebus profanis omni Notariatus, & Tabellionatus officio, nec non arte medendi, maxime Chirurgica prohibemus.

27 Nullius tutelam, curamve, niſi pietatis cauſſa, idque conceſſione Epiſcopi ſuſcipiant.

28 Mercaturam ne exerceant, neve in rebus contrahendis ſe medios, vel interpretes exhibeant, pro nemine ſpondeant omnino, Laicorum negotia ne procurent, aut eis inſerviant, niſi cauſſa id poſtulet, & a clericali officio non aliena, qua in re tamen conceſſio, quam in hoc, & aliis præfatis caſibus ab Ordinariis permittentibus, gratis ſemper fieri volumus, intercedat, eaque quotannis renovetur.

Conſtitutio Concilii Carthaginienſis.

29 Alienos agros, vel greges ne conducant, ut fructus vendant, id, quod diſerte vetitum eſt ex Concilio Carthaginienſi 1. & 4. Lanas alienas, vel uvas, aut muſtum ne emant, ut per operarios conductos pannum, vel vinum conficiant vendendum, immo nec ex lana ſuorum gregum panni mercaturam per operarios conductos exerceant, & multo minus, quod indecentius eſſet, jumenta emant, ut poſtea lucri gratia ea locent.

30 Di-

30 Diſtrictius autem præcipimus ſub pœna ſuſpenſionis a divinis ipſo facto incurrendæ, ne Oppidorum, Caſtrorumve temporalem quamcumque Juriſdictionem, ſeu, ut vocant, Baronatum, vel eorum reditus conducant, etiam ſi non per ſe ipſos, ſed per intermediam perſonam id muneris, ac locationis adminiſtrent.

31 Libri ſacri Veteris, & Novi Teſtamenti, volumina item Sanctorum Patrum noſtræ Fidei Iuterpretum, tum ſcripta etiam eccleſiaſtica, quibus & res, & verba divina conſignata ſunt, etſi temporis vetuſtate omnino conſumpta, ad rerum tamen vilium, & ſordidarum uſum ne ullo pacto convertantur, ſed in ignem potius conjiciantur.

32 Quicumque in iis, quæ a Nobis prohibita ſunt, deliquerit, præter mulctam vigintiquinque aureorum ob ſingula delicta exigendorum, & quemadmodum diximus, in pios uſus erogandorum, carcere, privatione beneficii, & gravius etiam pro perſonæ conditione, & flagitii modo, arbitratu Epiſcopi plectantur.

Vectigalium exactio Clericis prohibetur.

33 Caveant qui in ſortem Domini vocati ſunt, ne publica vectigalia exigant, neve arrendamenta, quæ vocant, ullo modo conducant, aut alias illicitas negotiationes, ut diximus, exerceant, quibus res aliqua eo animo emitur, ut integra, & non mutata cum lucro vendatur.

34 Inhærentes præterea Concili Tridentini decretis, Presbyteros omnes vehementer hortamur, ut ſingulis Dominicis, & aliis feſtis diebus, niſi juſte impediantur, ſalutare miſſæ ſacrificium faciant. Curati vero ter in hebdomada ſaltem, ceteri vero Clerici ſingulis menſibus Sacroſanctum Chriſti Corpus, qua majori poſſunt devotione, ſumant.

35 Omnes interim quotidie miſſam audiant, ſi poterunt.

36 Omnes abuſus circa miſſas novas prorſus tollantur.

37 Sacerdotes, ut etiam a criminis ſuſpicione abſint, domos ad habitandum eligant in parte Civitatis honeſtiori.

38 Ne cuiquam, antequam prima tonſura is initietur, clericalem habitum ſumere liceat ſine Epiſcopi conceſſu, eoque ſcripto dato.

Penſionarii officium B. V. recitare tenentur.

39 Qui eccleſiaſticum beneficium obtinentes, aut in ſacro ordine conſtituti horas canonicas non recitaverint, pœnas in conſtitutione ſan. me. Pii Quinti contentas, ſciant incurrere, quas etiam ſubibunt penſionarii, qui horas Beatæ Mariæ Virginis non dixerint.

40 Quo autem hæc facilius exequutioni demandentur, jubemus, ut omnes, & ſinguli Clerici in ſacris ordinibus conſtituti, aliique beneficia eccleſiaſtica, etiam ſimplicia obtinentes, & inferiori ordine initiati alicui Eccleſiæ addicti, infra menſem ab harum promulgatione, ſeſe tam in noſtra Curia, quam ſui Ordinarii ſiſtant, & nomen, cognomen, patriam, ordines, & beneficia profiteantur, & ſi alienæ ſint Diœceſis litteras, ut vocant dimiſſorias, quorum omnium adnotatio gratis fiat, oſtendant, & cum in noſtram Civitatem, vel in aliam pro tempore advenerint, idipſum infra terminum prædictum obſervent. Qui contrafecerint, vigintiquinque aureis, & carcere, aliave pœna judicio Epiſcopi puniantur.

Clerici ex aliena Diœceſi in illa, ubi morantur, dimiſſoriales litteras oſtendant ſub pœna viginti quinque aureorum.

41 Pœnas autem pecuniarias in ſupradictis capitibus contentas, & ſicut præfertur, in pios uſus erogandas, volumus pro tertia earum parte ad Accuſatorem pertinere: Accuſatoris vero nomen omnino ſervari ſecreto mandamus.

Accuſatoribus tertia pœnarum pars; illorumque nomen reticeri promittitur.

42 Clerici omnes tam noſtræ Civitatis, & Diœceſis, quam aliorum Epiſcoporum Dominicis, feſtiſque diebus teneantur in Eccleſiis, in quibus adſcripti ſunt, cotta induti intereſſe divinis officiis devote, & rite canendo, tam in miſſis ſolemnibus, quam in Veſperis; alias ſevere puniantur juxta ſacros canones, aliiſque pœnis arbitrio Epiſcopi, etiam pecuniariis, applicandis Eccleſiis, vel pauperibus de mandato Ordinarii.

Dominicis diebus cuilibet Clerico Eccleſiæ, cui adſcriptus eſt, inſervire jubetur.

43 Item ſupradicti omnes, & etiam Sacerdotes, qua hora in choro divinis officiis celebrandis adſtricti non ſunt, Parochum, intra cujus Parochiæ fines habitant, & ſunt adſcripti, in Doctrinæ chriſtianæ ſcholis adjuvent ſub pęnis, ut ſupra, arbitrio Epiſcopi.

TITULUS XXVIII.

De Seminario.

SUMMARIUM.

1 *Seminariorum utilitas.*

2 *Decimarum, fructuumque exactio, vel inſtituta, vel inſtituenda ad Seminarii beneficium per Epiſcopos ne remittatur; ſi quidquam remiſſum eſt, in priſtinum revocetur: ubi nihil unquam exactum eſt, Epiſcopus infra duos menſes exactionem inſtituat; ita tamen, ut dimidiam decimæ partem non excedat.*

3 *Hæc exactio tandiu duret, quoad Seminarium ſufficientes habeat reditus, & tantumdem de exactione remittatur, quantum redituum ex beneficiorum unione, aut alia ratione acceſſerit.*

4 *De beneficiorum unione decreta.*

5 *Beneficia nullius Diœceſis, decimam ſubminiſtrent Seminario illius Diœceſis, intra cujus limites antea erant, & cenſebantur.*

6 *Beneficia in diverſis Diœceſibus bona habentia, decimam dent Seminario Diœ-*

Diœceſis, intra quam ſita eſt primaria Eccleſia beneficii, cui olim bona ipſa tributa fuerant, licet extet alia Eccleſia a primario illo beneficio dependens, ædificata ex fructibus illorum bonorum.

7 Si vero Eccleſia ædificata eſt aliquo in prædio, antequam illud conſequeretur, ac deinde tam Eccleſia, quam prædium primariæ beneficii Eccleſiæ adjuncta ſunt, contributio pertinet ad Seminarium ejus Diœceſis, in qua prædium cum Eccleſia ſunt ſita.

8 Epiſcopus deputatorum conſilio, tot beneficia Seminario uniat, quot ſufficientem ſummam pro loci qualitate, ab eodem Epiſcopo taxandam conficiant, una cum aliis, quæ jam poſſidet.

9 Sufficienti ſumma confecta, beneficia Seminario unita, ſed nondum ad illius dominium translata, quia adhuc non vacarunt, tanquam non unita cenſeantur.

10 Beneficia ſimplicia, quæ vacare contigerit, nulli conferantur, ſed Seminario uniantur per Epiſcopos. Qui contrafecerint, quam pœnam ſubibunt? Collatio huic decreto contraria nulla ſit.

11 Cenſuum Seminarii ratio, æſtimatioque præſcribitur.

12 In Seminarii inſtitutione, cura, & adminiſtratione Concil. Trid. ſervandum: Duo Canonici eligendi, qui in puerorum recta inſtitutione, ac diſciplina conſilium ferant, nec non in rebus temporalibus Seminarii: Ii ſemel delecti ne removeantur, niſi rationabili de cauſſa.

13 Seminarii viſitatio tertio quoque menſe peragatur, doctis ad id viris, ſi ita Epiſcopo videbitur, etiam adhibitis.

14 Epiſcopo omne Seminarii bene gerendi onus incumbit ex Tridentino Concilio.

15 Epiſcopus Deputatorum conſilium ſequi non tenetur.

16 Decreta Provincialia Cardinalis Archiepiſcopi Sabelli de Seminario innovantur; quod in Diœceſana Synodo Benevent. de eodem ſtatutum eſt, ſervandum ſuadetur: Referuntur Decreta Concilii Provincialis de anno 1567.

Decretum Concilii Provincialis Beneventani celebrati Anno 1567.

Cap. 1.

Ratio Seminarii inſtituendi exhibetur: Bonorum eccleſiaſticorum taxatio conficienda proponitur.

Cap. 2.

Taxatio vel in totum, vel in partem remittenda, ad ratam beneficiorum, quæ Seminario erecto uniri contigerit.

Cap. 3.

Ubi Seminarium erigi non poteſt, taxatio tamen fiat, ad cujus rationem Clerici in Seminarium Metropolitanum, ſive aliud in Provincia inſtitutum, mittantur. Datur quoque ratio Seminarii inſtituendi, ubi tenues ſunt reditus. Alumnorum quæ ætas, & qualitas, Convictorum quæ ratio habenda, præſcribuntur.

Cap. 4.

Adulti ſacris initiandi, ſi ſpes adſit profectus, & pauperes Presbyteri in Seminarium admittantur.

---

17 Referuntur Decreta Diœceſanæ Synodi Beneventanæ de anno 1646.

1 Minores duodecim, vel majores viginti duobus annis, illegitimi, & latinæ linguæ omnino rudes ne recipiantur in Seminarium.

2 Pauperes ſint; divitum filii non excluduntur, dummodo victum perſolvant.

3 Sint bonæ indolis, quique Eccleſiæ addici velint: bene valeant, quique profectus ſpem indicent.

4 Singuli promittant, a Seminario non diſceſſuros, niſi impetrata ab Epiſcopo venia; promittant quoque, & vades dent, expenſas Seminario reſtituturos, ſi venia non impetrata diſceſſerint, vel ad ſtatum ſæcularem redierint. Si 14. adhuc non agant annum, pater, ac proximior cognatus ſe ad idem obliget; talis obligatio, & vadimonium ſingulis renovetur bienniis.

5 Superioribus conſtitutis obſequium, & obedientiam præſtent.

6 Notis, ac maculis careant, quibus de jure homines a Sacerdotali dignitate arcentur.

7 Admittendi in Seminario, prius examinentur; illis ſtatuta offerantur, & Ordinarii licentiam habeant.

8 Antequam in numerum adſcribantur, per dies aliquot ſejunctim ab aliis maneant.

9 Eodem tempore generalem emittant confeſſionem, & in via Domini ambulare doceantur.

10 Hora præſcripta cubitum ibunt, mane diluculo ſurgent, miſſæ interſint, lectiones audiant.

11 Qui in ſacris non ſunt conſtituti, quotidie officium B. M. V. recitent, & ſingulis ſextis feriis Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis, & pro Summo Pontifice, pro Eccleſia, pro Epiſcopo, pro Benefactoribus orent.

12 Quotidie miſſæ interſint, & feſtis diebus in Cathedrali; miſſæ unus inſerviat, omnes inſervire ſciant; ſingulis Dominicis confiteantur, & communicent: Dominicis, feſtiſque diebus miſſam ſolemnem, veſperas, prædicationem, lectionem

nem pro tempore in Cathedrali audiant, & celebrantibus miniſtrent.

13 *Lectio ſurgentes orent, dormitum euntes idem faciant.*

14 *Doctrinæ chriſtianæ præcepta memoriæ mandent.*

15 *Domi exerceantur vel orando, vel ſermocinando: ſtatim ac in Seminarium ſunt recepti, clericalem induant habitum, confirmationem, & primam tonſuram recipiant.*

16 *Accumbentes menſæ benedicant, e menſa ſurgentes gratias agant: comedentes, ſacrorum librorum lectionem adhibeant.*

17 *Quibus animi virtutibus pollere debeant?*

18 *Virtutes, quæ alterum reſpiciunt.*

19 *Pecuniæ, quas habent, cum admittuntur, parentibus, aut propinquiori cognato tradendæ. Si quopiam egebunt, Rectori indicent: e communi, Rectore inconſulto, ne quidquam capiant, aut ab alio recipiant. Pecunias apud ſe retinere prohibentur.*

20 *Abſque venia, & ſocio, & abſque neceſſitate e Seminario non exeant; ad lectiones accedentes, iis auditis, recta in Seminarium redeant: cum iis, qui de Collegio non ſunt, ne loquantur abſque licentia. Rectori mutuas inter ſe colloquutiones ex cauſſa prohibere licet.*

21 *Suo quiſque dormiat loco, cubicula in claſſes dividantur, præficianturque ſingulis claſſibus ſinguli Præfecti; alterius cubiculum ne ingrediantur abſq; licentia. Nitorem cordis, veſtimentorum, utenſilium quiſque ſervet.*

22 *Idonei Philoſophiæ, & Theologiæ incumbant: Omnes grammaticam, muſicam, & eccleſiaſticum computum ſciant; Sanctorumque Homilias perlegant: Sacramentorum adminiſtrationem, & ſacros ediſcant ritus.*

23 *Per horam poſt prandium, & cœnam ſolatia ſumant: ſi hebdomada duos non habeat feſtos dies, die uno integro liceat honeſte feriari.*

24 *Alicujus culpæ rei humiliter correctionem, injunctamque pœnam accipiant.*

25 *Ex admiſſis, qui idonei non ſunt ingenii, valetudinis, aut morum defectu, Epiſcopi arbitrio removebuntur, aliique idonei ſubſtituentur.*

26 *Qui in admiſſione mentitus fuerit, vel natalia, vel paupertatem, vel aliam qualitatem, foras eiiciatur, & ad ſumptus Seminario reficiendos teneatur.*

27 *Nullus in Seminarium admittatur, niſi capta informatione de qualitate, ac interveniente Deputatorum conſilio, & Epiſcopi licentia in ſcriptis.*

28 *A Seminario per duos menſes abſentes, ne recipiantur abſque ſcripta Epiſcopi licentia.*

29 *Laicorum frequentia vitetur: in Seminario nullus hoſpitetur abſque ſpeciali licentia, neque ad menſam, & pernoctandum.*

30 *Ad canendum ne accedant ſine licentia, præterquam in Seminario, & Metropolitana Eccleſia.*

31 *Admiſſi, & admittendi, abſentes, & redeuntes, quique ejiciuntur, in libro per Rectorem notentur.*

32 *Suo ſumptu in Seminario convivere volentes, ſtatuta obſervent, & annuos ducatos triginta præſtent.*

33 *Statutorum obſervantiam Rector curet, aliter Epiſcopi arbitrio puniatur.*

34 *Rector dati, & accepti librum habeat; quotanniſque rationem reddat coram Epiſcopo, & Deputatis.*

35 *Quotannis eligantur Deputati, ſine quorum conſilio, & conſenſu, nihil præter quotidianas expenſas peragat, alioquin de proprio ad damna teneatur.*

36 *In Seminarium recipiendi idoneam præſtent cautionem de reſtituendis expenſis, ſi ad ſæcularem ſtatum redeant.*

1 Seminarii inſtitutio, quam utilis ſit, ac neceſſaria ad Cleri diſciplinam in ſingulis Eccleſiis propagandam, tum ex Concilii Tridentini decreto facile intelligi poteſt, tum ex eo etiam, quod rei illius ſalutaris ratio aliquando intermiſſa non mediocria detrimenta rei Eccleſiaſticæ attulit.

2 Cum igitur in nonnullis Provinciæ noſtræ Eccleſiis jam omnino, aut aliqua ex parte deſitum ſit, decimas, fructuumque penſiones, quæ Concilii Provincialis decreto ex Sacroſanctæ Oecumenicæ Synodi Tridentinæ auctoritate ad illius ſuſtentationem conſtitutæ ſunt, exigi, atque inde in iis ipſis Eccleſiis pene collapſum ſit tam ſalutare inſtitutum, ob eam cauſſam Provinciali hoc decreto inhærentes, etiam Mediolanenſis Concilii veſtigiis, ac Sanctiſſimi Præſulis illius Civitatis Cardinalis Borromæi decreta ſequentes id cavemus, ut quæ decimarum, fructuumque exactio illo Tridentino, Provincialique decreto jampridem Seminarii nomine inſtituta eſt, vel inſtituenda, de ea nihil plane quidquam per Epiſcopos remitti liceat, niſi, ut eo jam ipſo Concilio Provinciali celebrato de anno 1567. a bon. mem. Jacobo Cardinali de Sabellis Prædeceſſore noſtro, & nunc hac ipſa ſanctione cavetur; quod ſi hactenus quidquam eo de genere, aut plane totum remiſſum eſt, id ad priſtinam rationem revocari, atque omnino reſtitui jubemus. Ubi vero nihil unquam eo nomine exactum eſt, ibi Epiſcopus menſium duorum ſpatio exactionem ad illorum Conciliorum Provincialium præſcriptum ita plane inſtituat, ut dimidiam tamen partem decimæ illa non excedat.

S. Caroli veſtigia ſequentes decimarum exactiones integras fieri præcipitur.

3 At-

Tit. XXVIII.

Decimarum exactionis tempus ſtatuitur.

3 Atque eam quidem exactionem ſic præfixam tamdiu durare decernimus, quoad Seminarium eo cenſu, iiſque reditibus conſtitutum, atque cautum erit, quos pro locorum Diœceſis, cenſuum amplitudinis ratione, ſingulis Provinciæ Eccleſiis re mature deliberata infra præſtituimus. Ea tamen lege, ut pro rata parte redituum, quos jam nunc, aut in poſterum beneficiorum acceſſione, aliave ratione Seminarium poſſidere, habereve contigerit, tantumdem de exactione remittatur ad ejuſdem Concilii Tridentini, & Provincialis præſcriptum.

4 Ne vero in poſterum aliqua lis, & controverſia ex eo exiſtat, quod ſæpe dubitatur, cui potiſſimum Seminario illam præſcriptam decimæ partem, certa quædam beneficia in ſuſtentationem conferant, de iis ſic decernimus.

5 Beneficia, quæ Diœceſis nullius ſunt, illam ſubminiſtrent, & ſolvant Diœceſis ejus Seminario, intra cujus limites ea olim erant, & cenſebantur.

6 At vero, quæ beneficia in hac, & in illa Diœceſi prædia, bonave habent, id præſcriptæ decimæ dent Seminario Diœceſis, locive, ubi ſita eſt primaria Eccleſia beneficii, cui ea prædia attributa olim fuerant, etiamſi alia Eccleſia, quæ beneficio illi primario adjuncta eſt, ædificata deinceps ſit cenſu illorum prædiorum.

7 Sin autem in iis prædiis Eccleſia antea ædificata eſt, quam illa adipiſceretur, poſteaque una cum illis aliis Eccleſiæ primariæ adjuncta eſt, tunc ejus contributio ad Seminarium pertineat ejus Diœceſis, in qua prædia una cum Eccleſia ſita ſunt.

8 Ut autem Seminarium, & ſuis facultatibus perpetuo ſuſtentari poſſit, & aliquando brevi fore ſperetur, ut ea exactio denique ceſſet, Epiſcopus, Deputatis in conſilium adhibitis, decreti Tridentini auctoritate, tot beneficia ſimplicia adjungat, attribuatve, ut iis etiam ſupputatis, qui jam quovis nomine, aut jure eidem attributi ſunt, reditibus, ſummam conficiant annui cenſus, pro qualitate loci ſufficientem, arbitrio Epiſcopi taxandam.

9 At cum primum ad eam ipſam ſummam pervenerit, ſi quæ beneficia, antequam vacaverint, jure unionis adjuncta ſint, neque dum ea adjunctio, uniove ſuum adhuc ſortita ſit effectum, illam jam nunc reſciſſam, ac plane irritam eſſe declaramus.

10 Atque ut quidem ab eo onere, quam citiſſime fieri poterit, Clerus liberetur, & eximatur, Epiſcopus caveat, ne beneficia ſimplicia, qualia ſint, quæ interea vacare contigerit, cuiquam conferat, aliive uſui attribuat, ſed quæcumque illa ſint, Seminario jure unionis conjungat pro ratione facultatis ſibi Tridentini jure datæ, & permiſſæ. Si contra Epiſcopus ullo modo fecerit, Seminarii detrimento, damnove, quod inde inferetur, de ſuo primum ſatisfaciat, deinde iſtiuſmodi culpæ norit ſe in Concilio Provinciali proximo rationem redditurum, tum præterea illa ipſa beneficiorũ collatio, & proviſio, quam aliter contra hujus decreti præſcriptum fecerit, irrita nihilominus ſtatim ſit, nullaque omnino.

Beneficia ſimplicia ex Tridentino decreto Seminario adiungantur.

11 Cenſus vero, quem de Reverendiſſimorum Coepiſcoporum noſtrorum aſſenſu, & conſilio unicuique Seminario Eccleſiarum Provinciæ noſtræ auctoritate hujus Conſtitutionis præfinimus, certa ratio, æſtimatioque ea ſit, quam infra ordine deſcribemus.

12 In omni Seminarii inſtitutione, cura, atque adminiſtratione Epiſcopus ſe ſe conformet decreto Tridentini, quod cum in omnibus partibus exequatur, tum in ea maxime, ut certum locum deligat, ubi collegiatim certus puerorum numerus alatur, atque adeo inſtituatur, litteris, diſciplinisque eccleſiaſticis: eligat duorum menſium ſpatio, qui nondum elegerit, Canonicos duos, quorum conſilio in iis utatur, quæ ad puerorum ejuſdem Seminarii inſtitutionem, diſciplinam, moreſq; attinet, eoſque adhibeat in conſilium, conſultationemve adminiſtrationis, quæ in rebus temporalibus ineunda ſit. Ii porro, ubi ſemel delecti ſunt, ne unquam niſi ob cauſſam, quæ cum ratione conveniat, abdicentur.

In adminiſtratione Seminarii Epiſcopus Tridentini decreto ſe conformet.

13 Epiſcopus ipſe tertio quoque menſe ſaltem, niſi juſta cauſſa impeditus ſit, Seminarium viſitet, in eoque viſitationis munere, adhibitis etiam, ſi modo ei videbitur, aliis doctis, & piis Viris, tum de Magiſtrorum diligentia, tum de progreſſionibus, quas, & in vitæ diſciplina, & in litterarum ſtudiis Seminarii Clerus habuerit, accurate inquirat.

Quater in anno Seminarium ab Epiſcopo viſitandum.

14 Meminerit autem Epiſcopus ſibi Concilii Tridentini decreto omne Seminarii adminiſtrandi, beneque gerendi onus impoſitum eſſe, quod ipſe propterea ſubſtinere, tuerique debet etiam, atque etiam diligenter.

15 Eorum igitur, quos delegerit, conſilium ſequi, cum non cogatur, ubi illorum ſententiam de re, quæ in conſultationem cadit, audierit, ipſe tamen deliberet, ſtatuat, & exequatur quæcumque pro ſua pietate, & prudentia coram Deo potiora, atque præſtantiora eſſe exiſtimaverit ad inſtituti Seminarii optimam, tum converſationem, tum adminiſtrationem.

16 Ut autem hoc facilius unuſquiſque Epiſcoporum agere valeat, quæ in Concilio Provinciali a Prædeceſſore noſtro bon. mem. Cardinali de Sabellis ſancita ſunt, innovanda cenſuimus; ea vero, quæ

a Nobis in Diœceſana Synodo ſunt ordinata, optamus, ut pro eorum arbitrio, & locorum qualitate ſecundum ſcientiam Sanctorum exequutioni demandent.

Decretum Concilii Provincialis Beneventani celebrati Anno 1567.

Cap. „ 1. UT vero, quæ pro inſtitutione Seminarii Clericorum a Sancta Tridentina Synodo ſtatuta ſunt „ exequantur, ne hoc tam ſanctum, & huic Provinciæ maxime neceſſarium opus omittatur, aut aliquo pacto differatur, decernimus, ut ubi id Seminarium jam inſtitutum non eſt, Epiſcopi ſtatim a fine hujus Provincialis Synodi inſtituendum curent, præſcripta forma a dicto Concilio Tridentino, ita tamen, ut ex fructibus cujuſcumque menſæ Epiſcopalis, & Capituli, aliarumque Eccleſiarum Collegiatarum, & quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, Abbatiarum, & Prioratuum, & quocumque alio nomine nuncupentur, etiam regularium, & exemptorum, etiamſi nullius Diœceſis fuerint (mendicantium Eccleſiis, & præceptoriis militum Sancti Joannis Hieroſolymitani, & aliis Collegiis, in quibus Seminaria diſcentium, vel docentium ad commune Eccleſiæ bonum promovendum actu habentur, dumtaxat exceptis) & ex quibuſcumque aliis Eccleſiaſticis reditibus, quocumque ii nomine, vel cauſſa percipiantur, etiamſi penſiones quantumlibet exemptæ fuerint, quinque pro centenario annis ſingulis exigantur. Quam ſummam imminui, & augeri poſſe decernimus ab Epiſco„ pis, communicato conſilio cum iis, „ qui ad id munus delecti fuerint, prout „ accepti, & expenſi Seminarii ratio po„ ſtulabit.

Cap. 2. Hanc autem exactionem incho„ andam, & faciendam ſtatuimus pro an„ no jam elapſo MDLXVI. in illis Eccle„ ſiis, in quibus Epiſcopi ex decreto Concilii Tridentini Seminarium jam inſtituendum denunciaverunt; in aliis vero pro præſenti anno, & ita deinceps unoquoque anno proſequendam, donec Seminario aliquot beneficia ſimplicia, prout ea vacare contigerit, ex auctoritate, & præſcripto Concilii attributa, & unita fuerint, quæ ſi ſummam exigi mandatam confecerint, omnino exactio remittatur, „ ſin minus pro rata fructuum beneficio„ rum illi attributorum remittatur.

Cap. 3. Ubi vero id ſeminarium com„ mode inſtitui non poteſt propter tenui„ tatem redituum, tam Cathedralis Ec„ cleſiæ, quam aliorum beneficiorum Civitatis, & Diœceſis, quæ illi contribuere debent, Seminario Beneventano, aut in aliqua Suffraganeorum commodiori, & viciniori Eccleſia inſtituto, aut inſtituendo contribuant, & pro rata pecuniarum, quæ a dictis Eccleſiis exigentur, aliquot ipſorum Clerici in dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ, aut alterius (ut dictum eſt) Seminario alantur, & inſtruantur. Si vero Epiſcopis videbitur commodius in ſuis Eccleſiis, quocumque modo poterunt, hujuſmodi Seminaria inſtituere, quam Seminario Beneventano, aut in aliis vicinioribus Eccleſiis inſtituendis contribuere, eo quo meliori, & commodiori fieri modo poterit, inſtituantur. Quod ſi hujuſmodi Seminariorum facultates non ſuppetent in eis inſtituendorum victui, veſtituique, & libris emendis, & Magiſtrorum ſalariis perſolvendis, Epiſcopi deductis ex fructibus, reditibusq; Seminariorum neceſſariis ſumptibus librorum comparandorum, & ſalariorum perſolvendorum, quod reliquum erit Clericis in Seminario recipiendis pro rata elargiri faciant, quod eorum vitæ aliqua ex parte ſuſtentandæ, & ſtudiis proſequendis auxilio eſſe poſſit, ita tamen, ut ſervitiis etiam Catedralis, aut aliarum Eccleſiarum, prout Epiſcopis videbitur, inhæreant. Præcipua vero Epiſcoporum cura ſit, ut in ætate duodecim ſaltem annorum conſtituti, & qui legere, & ſcribere ſciant, juxta præſcriptum Concilii in Seminario recipiantur. *Ætas eorum, qui in Seminario recipiendi ſunt, qualis?*

Alii vero, etiamſi ſuo ſumptu recipi velint, ſi ii primis elementis imbuendi „ ſint, reiiciantur, ut a Magiſtris, qui ab „ Univerſitatibus conducentur, edocean„ tur.

Cap. 4. Quoniam vero in hac Provin„ cia pauci reperiuntur idonei Presbyteri, „ quibus animarum cura recte committi poſſit, ne Eccleſiæ diu idoneis rectoribus deſtituantur, quod eveniret, ſi expectandum eſſet, ut pueri ſolummodo hujus rei cauſſa in Seminario inſtituerentur, hortamur Epiſcopos, ut homines etiam adulti, quos ſperandum ſit in litteris ita profecturos, ut brevi ad ſacros, etiam Presbyteratus, ordines promoveri poſſint, atque pauperes Presbyteri, qui abſque beneficio jam promoti exiſtunt, in Seminario ab ipſis recipiantur, & ibi edoceantur, ut Sacerdotali ordini, quem jam ſuſcepe„ runt, ſatisfacere, & Parochialibus Ec„ cleſiis præfici poſſint.

17 Hucuſque decreta Concilii Provincialis bon. mem. Cardinalis Jacobi de Sabellis in titulo de Seminario Clericorum. Quæ vero a Nobis in Synodo Diœceſana typis impreſſa, & habita de anno 1646. hæc ſunt.

1 Non recipiantur in Seminario minores duodecim annis, nec alias ullo modo, niſi de legitimo Matrimonio nati, neque

que majores annis viginti duobus. Niſi latinam linguam aliquo modo calleant, nequeant in Seminario admitti.

Pauperes in Seminario recipi præcipitur; divites non excludendi.

2 Sint vere pauperes, & ex Patre paupere, neque tamen divites, & divitum filii intelligi debent excludi, dum tamen ipſi ſibi victum perſolvant, & Deo, atque ipſius Eccleſiæ cupiant inſervire.

3 Sint ejus voluntatis, ac indolis, ut ſperari poſſit eos fore ſemper addictos Eccleſiæ; eoque ſint ingenio, ſolertia, & corporis ſanitate præditi, ut credi facile poſſit, ſtudiorum laboribus eos non eſſe vincendos, ſed fore litterarum ſcientia claros, & muneribus Eccleſiaſticis obeundis idoneos.

Inſtitutionis Seminarii qualis ſit finis?

Fidejuſſio a recipiendis in Seminario.

4 Quoniam hoc Collegium debet eſſe perpetuum Seminarium Miniſtrorum Dei, in quo Adoleſcentes ad curam animarum, & eccleſiaſtica miniſteria inſtituendi, atque formandi ſunt, ne finis iſte vanus unquam exiſtat, promittant ſinguli ſponte, ac libere, quod nunquam ab ipſo Seminario diſcedent, niſi a Nobis petita, & in ſcriptis impetrata venia; promittant autem expreſse, datis fidejuſſoribus idoneis in Curia noſtra recipiendis, ſe omnes expenſas reſtituturos, quas propter diſciplinam, & alimenta ad illam uſque diem conſumpſerint, ſi licentia non impetrata receſſerint, vel ſi ad ſtatum ſæcularem redierint; quod ſi quis quartum decimum annum non impleverit, dum hoc promittit Pater, aut proximior cognatus, id ipſum obligetur ſe præſtiturum; quæ obligatio, & fidejuſſio ſingulis bienniis renovetur, ut muneris ſui frequenter commoneſiant.

5 Teneantur ſinguli, quamdiu fuerint in Seminario, ipſis Superioribus conſtitutis obſequium, & obedientiam præſtare circa ea omnia, quæ ad morum, & litterarum diſciplinam ſpectare noſcentur.

6 Et quoniam ipſi ad Sacerdotium diriguntur, ceteraque Eccleſiaſtica munera obeunda deſtinantur, oportet, ut omnibus illis notis careant, & maculis, quibus arceutur de jure homines ab hujuſmodi dignitatibus, atque muneribus; quod quidem eſt diligentiſſime perquirendum, antequam in Seminarium recipiantur.

7 Quicumque fuerint admittendi examinentur prius; deinde offerantur ipſis ſtatuta, legeſque omnes Seminarii, ut meditari ſecum ipſi valeant, aut poſſint, an velint omnia ſervare mandata, nec ullo modo cenſeantur admitti, vel eſse de Seminario, niſi noſtra in ſcriptis auctoritas interceſserit, atque licentia.

Admiſſos in Seminario, antequam inter Convictores adſcribantur, quid facere oportet?

8 Cum primum admiſſi fuerint, antequam in numerum adſcribantur, maneant per dies aliquot ſejuncti ab aliis, ut interim diligentius perpendant, quod vitæ genus elegerint, & maturius etiam deliberent, quid videatur agendum, majorique devotione, atque ſanctimonia ſe ſe accingant ad implenda ea omnia, quæ promiſerunt.

9 Eo ipſo tempore teneantur generalem confeſſionem emittere, per quam omnis ante acta vita purgetur: edoceantur etiam, quo pacto debeant ſingulis diebus propriam excutere conſcientiam, quo etiam orare, & tum Deo reconciliati, SS. Euchariſtiæ Sacramentum accipiant, ſi alicui per ætatem licebit.

10 Ibunt noctu cubitum hora eadem omnes, quæ fuerit illis præſcripta, mane autem ſurgant diluculo, & interſint Miſſæ ſacro, & lectiones audiant, prout, vel campanæ ſigno, vel majorum monitis indicabitur.

Pro quibus in Seminario degentes orare debeant, ſtatuitur.

11 Qui ſacris non erunt initiati, recitent quotidie ſuum cum devotione officium Beatæ Virginis, omnibus ſextis feriis ſeptem Pſalmos pœnitentiales, cum Litaniis, Deumque precentur pro Summo Pontifice Chriſti Vicario, pro Sancta Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum matre, & magiſtra, pro Nobis, ac Benefactoribus vivis, & defunctis, & pro iis omnibus, de quibus ab ipſis Collegii Præfectis fient pro tempore certiores.

12 Miſſæ Sacrificio ſingulis diebus interſint, & in diebus feſtis audiant in noſtra Cathedrali Eccleſia, devoteque unus eorum Sacerdoti celebranti inſerviat; ſciant vero omnes inſervire. Singulis itidem Dominicis confiteantur peccata ſua, & Chriſti corpus aſſumant, quatenus Confeſſori videbitur. Dominicis, feſtiſque diebus Miſſam ſolemnem audiant, & Veſperas, & Prædicationem, Lectionemque pro tempore, quibus etiam diebus Miſſæ miniſtrabunt in noſtra Cathedrali omni diligentia.

Orationes de mane, & de ſero faciendæ.

13 Quotidie, cum lecto ſurgent, brevem quampiam orationem recitent, ac mentalem faciant, prout illis a Præfecto indicabitur, quibus Deum precentur, ut ea die ipſorum cogitationes, & opera dirigantur in ipſius honorem, & gloriam, ad idque invocabunt Glorioſæ Virginis, Sanctorumque omnium ſuffragium, prout fuerint a Præfecto edocti; ſimili modo edocebuntur orare, cum oportuerit ire dormitum.

14 Teneantur omnino Chriſtianæ doctrinæ, ſeu Catechiſmi præcepta, non audire tantum ab iis, quibus illud onus fuerit injunctum, ſed etiam illa diligenter mandare memoriæ, ut primum admiſſi fuerint.

15 Exerceantur domi familiariter quiſque pro captu ſuo, vel orando, vel ſermocinando, præſertim vero Chriſtianam exponendo doctrinam. Ubi fuerint in Collegio recepti, ſtatim habitum clericalem induant. Juxta ritum S.R.E. confirmationis recipiant Sacramentum, niſi

antea receperint, deinde prima tonſura quamprimum initientur.

16 Ante prandium, & cœnam benedicatur menſa; poſtea vero gratiarum actio fiat, juxta formam a Romano Breviario præſcriptam. Dum autem comeditur, legat aliquis Sacræ Scripturæ libros, & vitas Sanctorum, qua lectione reficiatur animus.

Lectio in menſa habenda.

17 Edoceantur, quo pacto ſenſus omnes proprios cuſtodire debeant, præſertim oculos, aures, & linguam; quomodo etiam abſtinere debeant ab omni vitiorum genere, & humilitatem, pacemque mentis conſervare, quæ virtutes in ſilentio potiſſimum cuſtoditæ videntur.

In inceſſu venuſtatem, in omni geſtu, motuque gravitatem oſtendant, & ab omni demum impatientiæ, ac ſuperbiæ ſuſpicione ſint alieni.

18 Præfectis exhibeant honorem, & obſequium in Domino, ſe ſe mutuo diligant ſine fuco, & fallaciis, caveant tamen, ne domeſtice nimis conveniant, ac fabulentur.

Nemo alterum dicto, factove lædat. Si tamen hoc quandoque contigerit, concilientur ea ipſa die prius, quam dormitum eant, pœna decenti per Rectorem injuncta illi, qui primus offenderit.

19 Si quid pecuniarum habuerint, cum admittuntur, aut aliud quidpiam, quod pro eorum uſu quotidiano non eſſet, reddant confeſtim Patri, aut Matri, aut Cognato propinquiori.

Si vero egebunt re quapiam in ſtudiorum uſu, vel veſtium, vel cubiculi, vel valetudinis, certiorem faciant Rectorem ipſum, cujus erit officium, ne quid illis deficiat, prout conſuetum erit in Seminario.

Caveant autem omnino, ne quidquam e communi capiant inconſulto Rectore, vel aliis tradant, vel ab alio recipiant; pecuniam apud ſe non habeant ullo modo, ſed per Rectorem illa ſervetur.

Inconſulto Rectore nihil dabunt, vel accipient.

20 A domo ipſa, locove Seminarii nunquam recedat aliquis, niſi prius veniam, & comitem a Rectore receperit, quod non niſi ex neceſſaria cauſſa permittatur; & cum ad lectiones audiendas accedunt, iis auditis, ſtatim recta via in Seminarium redeant; cum illis autem, qui de Collegio non ſunt, abſque venia, ne loquantur; Poterit autem Rector, & ne ipſi ad invicem colloquantur, ex cauſſa prohibere, ſi quid in ea re periculi animadverterit.

21 Suo quiſque loco dormiat, ipſaque cubicula dividantur in claſſes pro ipſorum numero, & ætate, ſinguliſque claſſibus ſinguli per Rectorem aſſignentur Præfecti, qui videbuntur idonei, ipſiſque clavium cura demandetur, neque ullus alterius cubiculum ingrediatur abſque proprii Præfecti, Rectoriſque licentia.

Nitorem præterea quiſque ſuum exerceat, cordis primum, deinde veſtimentorum, ceterorumque utenſilium, præſertim in Eccleſia.

22 Si qui eorum per ætatem, aut ingenium poterunt, non humanioribus tantum litteris operam dabunt, ſed & Philoſophiæ, & Theologiæ quoque ſtudiis immorabuntur. Omnes autem generaliter, ſciant Grammaticam, Muſicam, & Eccleſiaſticum computum; perlegant etiam frequenter ex ſacris litteris aliquid, homilias Sanctorum videlicet, & quæ ipſorum capacitati judicabuntur idonea.

Præſertim vero diligentem operam impendant iis omnibus, quæ ad divinum cultum ſpectabunt, hoc eſt Sacramentorum adminiſtrationem, ad confeſſiones audiendas, ad Eccleſiæ ritus, & cæremonias, quæ omnia non modo diligenter addiſcent, ſed etiam punctatim memoriæ mandabunt.

23 Genio bis indulgebunt in die, nempe a cœna, & prandio per horam, quo tempore colloqui poterunt de honeſtis ſolatiis; ex tota autem ſeptimana, quæ duos feſtos dies non habeat, diem integrum elargiatur Rector, quo liceat a ſtudiis vacare, ita tamen ut bonos mores, atque ſanctimoniam non perturbent. Ipſum diem poterunt deambulationibus, cantu, alioque honeſto luſu tranſigere, idque in ejuſdem Seminarii vinea, una cum Rectore ejuſdem Seminarii; a modeſtia tamen. & bonorum ædificatione nunquam recedant.

Colloquia, & vacationes quando permittuntur?

24 Omnes amore virtutis potius, quam pœnæ formidine diligenter omnia prædicta obſervent, atque cuſtodiant; ſin autem in aliquo fuerint quandoque Rei, excipiant humiliter, & hilariter majorum correctionem, & monita. Ipſam quoque pœnam injunctam, ſi culpa fuerit, ſubeant libenter, ſcientes pari charitate moveri majores in infligendis pœnis, atque ignoſcendis erroribus.

25 Si qui eorum, qui admiſſi fuerint, minus idonei fore videbuntur ad ea munera, propter quæ Seminarium ipſum erigitur, vel ob ingenii tenuitatem, vel ob malam quamlibet valetudinem, vel (quod Deus avertat) ob mores deſperatos, & incorrigibiles, tunc noſtrum erit arbitrium eos a Collegio removere, in eorumque locum alios ſubſtituere magis idoneos.

Qui e Seminario ejiciuntur.

26 Si quis autem quoquo modo legibus hiſce noſtris fraudem fecerit in impetrando a Nobis Collegio, quia videlicet, vel natalia, vel paupertatem, vel aliam qualitatem iiſdem legibus requiſitam fuerit mentitus, ſtatim ejiciatur foras, & ipſo penitus Collegio privetur, & cuncta jura illius amittat; inſuper quoque da ſum-

Qui mentitur natalia, & paupertatem, Seminario privatur.

ſumptus omnes Seminario reficiendos teneatur.

27 Ut autem huic rei proſpiciatur, præcipimus, ut nullus poſthac in Seminarium recipiatur, niſi prius diligenti informatione de mandato Vicarii noſtri de ſupradictis omnibus capta, & de conſilio Deputatorum, & ſcripta a Nobis licentia impetrata.

28 Qui a Seminario per duos menſes abfuerit, non recipiatur, niſi ſcriptam a Nobis licentiam obtinuerit.

29 Laicorum frequentia omnino evitetur; nullus vero in Seminarium hoſpitio recipiatur ſine noſtra licentia ſpeciali, ſed neque ad menſam, neque ad pernoctandum.

30 Extra Seminarium, & Eccleſiam Metropolitanam nunquam ad canendum accedant ſine noſtra, aut noſtri Vicarii permiſſu.

Sit in Seminario liber, in quo admiſſi, & ad mittendi debent deſcribi.

31 Habeat Rector Seminarii librum, in quo deſcribat omnes, & admiſſos, & admittendos, abſentes item omnes, & redeuntes, & eos etiam, qui ejiciuntur.

In Seminario inſtrui volentes pro ſumptibus triginta ducatos in anno ſolvere adſtringuntur.

32 Qui ſuo ſumptu in Seminario inſtitui velit, omnia illius ſtatuta obſervet, nec minus quam triginta ducatos annuos præſtet.

33 Curet Rector, ut ſtatuta prædicta omnia quam diligentiſſime obſerventur, alioquin arbitratu noſtro puniatur.

34 Habeat librum acceptorum, & expenſarum, & ſingulis annis rationem reddat coram Nobis, ac Deputatis, ſervata forma Sacri Concilii Tridentini.

Seminarii deputati ſingulis annis in Synodo confirmari debent.

35 Deputati ſingulis annis confirmentur in Synodo, prout conſuetum, ſine quorum conſilio, & conſenſu nihil Rector, præter quotidianas expenſas impendat, neque agat, aut contractus ullos celebret, alioquin damna omnia de ſuo refundere teneatur.

36 Quia comperimus aliquos ex prædictis alumnis, ubi ad ætatem conſtitutam pervenerint, ad ſæculum rediiſſe: ideo ſtatuimus, neminem deinceps in Seminarium recipi, niſi idoneam præſtet cautionem, ut ſupra dictum eſt, de reſtituendis expenſis, ſi ad ſæcularem vitam revertatur.

Hucuſque decreta a Nobis edita de Seminario in Diœceſana Synodo.

TITULUS XXIX.

De Sanctimonialibus.

§. I.

SUMMARIUM.

1 *Curet Epiſcopus Moniales ad regularem obſervantiam reducere juxta regulam, quam profeſſæ ſunt.*

2 *Decreta Synodi Diœceſanæ Beneventanæ de anno 1646. de Monialibus, ſervanda referuntur.*

1 Sanctimoniales Chriſto deſponſatæ, peculiari quodam modo Epiſcoporum fidei creditæ, eorumque pervigili curæ commiſſæ ſunt; idcirco curent Epiſcopi omnia Monaſteria ſuæ juriſdictionis ad priſtinam obſervantiæ regularis formam reducere juxta Religionis leges, quas profeſſæ ſunt.

2 Quoniam vero multa a Prædeceſſoribus noſtris in Provincialibus Conciliis ſancita ſunt, & præſertim a Nobis in Diœceſana Synodo ſtatuta, quæ ſervare oportet in Monialium Monaſteriis, earumque clauſura, & diſciplina, nihil hac in re aliud Nobis faciendum eſt, quam cuncta innovando præcipere, ut in eam maxime curam incumbant Epiſcopi, ut a Monialibus, & decreta Concilii Tridentini, & ſan. mem. Pii Quinti Conſtitutio ſervetur ad præſcriptum infraſcriptorum noſtrorum decretorum pro ipſorum Epiſcoporum prudentia.

Decreta Diœceſanæ Synodi Beneventanæ de anno 1646.

De Monialibus.

§. II.

SUMMARIUM.

1 *Deo dicatæ Virgines, Chriſto ſponſo placere, & hominibus caſtitatis, & Religionis exemplum ſe præbere debent.*

2 *Monialium numerus ad Monaſterii redituum rationem præfigatur: ad vitandas fraudes, bonorum inventarium in Epiſcopali Archivo ſervandum conficiatur: de contractibus, quos fieri contigerit, Vicarius certioretur, ut inventario addi poſſint.*

3 *Præter victum, & veſtitum nihil Monaſterio detur pro novitia alenda ante profeſſionem.*

4 *Puellæ ad profeſſionē ne admittantur, niſi adſit dos ducatorum quadringentorum, aut trecentorum, juxta Monaſteriorum conſuetudinem, in pecunia numerata, penes Virum ab Epiſcopo approbandum numeranda in ipſius puellæ ingreſſu, & Monaſterio ſtatim, emiſſa profeſſione, ſolvenda. Secus faciens Abbatiſſa officio privetur.*

5 *Decimoſexto anno minores, quæque integro anno probatæ non fuerint poſt habitus ſuſceptionem, ad profeſſionem non admittantur, alias profeſſio nulla. Per menſem ante profeſſionis diem Epiſcopus certioretur, ut puellæ voluntatem exploret, & de dote, ceteriſque neceſſariis perquirat: alias Abbatiſſa officio privetur.*

6 *Cenſus, eleemoſynæ nomine conſtitutos, infra ſex menſes Epiſcopalis Vicarius revideat. Eleemoſynæ quæcumque conſulto Epiſcopo erogentur.*

7 *Bis in anno domeſtica miniſteria viſitentur. Victui, & veſtitui neceſſaria*

oppor-

opportune provideantur. Negligentes miniſtræ corrigantur.

1 Sicut ſumma in exiſtimatione Virgines Deo dicatæ ſemper habitæ ſunt, ita ſe gerere ipſæ debent, ut Virginitatis flore decoratæ Jeſu Chriſto earum ſponſo gratiores ſint, & hominibus caſtitatis,& religionis exemplū ex omni parte præſtent, aſſiduiſque orationibus, & vigiliis Eccleſiæ præſidium ſemper afferant. Ut igitur facilius hoc agere valeant, has certas vivendi formulas obſervandas proponimus firmis ſemper,& ſalvis remanentibus earum regulis.

2 Ne ex nimio Monialium numero, quæ in Monaſteriis recipiuntur, ad paupertatem ipſa Monaſteria redigantur, præcipimus ex Concilii Tridentini decretis, ut in Monaſteriis noſtræ Civitatis is tantum perſonarum numerus conſtituatur, atque in poſterum conſervetur, qui vel ex propriis Monaſteriorum reditibus, vel conſuetis eleemoſynis commode ſuſtentari poterit: Quem numerum ex Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium quamprimum præfigemus.

Juxta Conc. Trid. decretum numerus Monialium definitur.

Ne vero ſic præfigendo fraus aliqua fiat, inventarium bonorum cujuslibet Monaſterii publici Notarii manu conſcribatur, in Archivo noſtro aſſervandum, curentque Abbatiſſæ, ut ſingularum alienationum, & bonorum acceſſionum, quas deinceps fieri continget, ſtatim certior fiat Vicarius noſter, ut inventario addi poſſint, perpetuoque conſtet de vera bonorum quantitate.

3 Novitiæ alendæ cauſſa nihil Monaſterio detur ante profeſſionem, juxta Concilii Tridentini decretum, præter id, quod neceſſarium ſit ad victum, & veſtitum.

4 Puellæ de cetero ad profeſſionem non admittantur, niſi eleemoſynæ, ſeu nomine dotis dentur, ac ſolvantur in pecunia numerata, ad minus ducatorum quadringentorum, qui ante ingreſſum puellæ deponantur apud idoneum aliquem Virum a Nobis probandum, ut emiſſa ſtatim profeſſione Monaſterio ſolvantur, in ejus perpetuam utilitatem convertendi de noſtra, aut Vicarii noſtri licentia, & approbatione. Si Abbatiſſa ſecus fecerit, officio privetur.

5 Ad profeſſionem nulla admittatur ante decimumſextum annum, & niſi integrum annum poſt ſuſceptum habitum in probatione egerit, alias profeſsio irrita, & nulla intelligatur.

Ad profeſſionem quæ ætas ſit neceſſaria?

Quando autem erit annus profeſſionis emittendæ, Abbatiſſa ipſa, juxta Concilii Tridentini formam per menſem ante Nobis, vel Vicario noſtro id ſignificet, ut certiores facti voluntatem puellæ explorare, & quæ dotis nomine aſſignata fuerunt, proſpicere, ceteraque neceſſaria curare poſſimus, alias Abbatiſſa officio privetur, ac etiam aliis pœnis arbitrio noſtro puniatur.

6 Cenſus hactenus eleemoſynæ nomine conſtitutos, Vicarius noſter infra ſex menſes revideat, ac legitime conſtitutos permittat. Eleemoſynæ vero tam præteritæ recuperandæ, quam deinceps recipiendæ in cujuſque Monaſterii utilitatem, aut neceſſitatem, Nobis ſcientibus, & permittentibus, impendatur, & hoc juxta decreta Sacræ Congregationis.

Monaſteriorum cenſus a Vicario revideantur.

7 Domeſtica miniſteria ſingulis annis cum Vicaria, & diſcretis ſaltem bis diligenter inſpiciat Abbatiſſa, curetque, ut omnia ex ordine tractentur, quæ ad victum erunt neceſsaria, & veſtitum ſuis etiam temporibus provideant,& opportune neceſſitatibus omnibus prudenter conſulat.

Si quam ex miniſtris negligentem compererit, corrigat, ſalutarique pœnitentia, pro errorum qualitate,illarum deſidiam caſtigabit.

De his, quæ ad communem vitam Monialium pertinent.

§. III.

SUMMARIUM.

1 *Semel in hebdomada, ſingulisque ſolemnioribus feſtis generalis communio fiat. Singulis quatuor menſibus extraordinarius Monialibus offeratur Confeſſarius.*

2 *Miſſæ ſacrificio quotidie interſint: Chori aſſiſtentia, vigilantia, devotio injungitur: Contrafacientes Abbatiſſæ puniantur arbitrio.*

3 *Choriſtæ electio, & poteſtas: Fidei rudimenta ſtata die tradantur; ſacra lectio in menſa adhibeatur: feſtis diebus poſt prandium, Sanctarum Virginum, vel Sanctorum vitæ, & aliqua regulæ pars recitetur. Synodalia hæc decreta vulgari lingua frequenter perlegantur.*

4 *In Refectorio omnes, non privatim in cella comedent: Singulæ, ſingulos habeant lectos, & cellas, quæ diu, noctuque ſint apertæ: Libros m. s. aut impreſſos abſque Vicarii ſubſcriptione, ne habeant ſub excommunicationis pœna: profanos, aut prohibitos retinentes, præter pœnam prædictam, carcere puniantur.*

5 *Abbatiſſæ obedientia in omnibus præbeatur; ſi injuſte corrigi alicui videbitur,humiliter ferat,eidem Abbatiſſæ poſtea rationem expoſitura. Irreverentes in Refectorio poniantur, pervicaces per Confeſſarium Vicario deſerantur. Conniventia ob humanos reſpectus in Abbatiſſa damnatur.*

6 *Injuriam nemini inferant; inferentes die ſe-*

ſequenti jejunent. De injunctis pœnitentiis cum exteris ne colloquantur. Injunctæ pœnitentiæ non ſatisfacientes, communi menſa priventur, uſque dum Vicarius reſciverit. Regulam, & Synodales Conſtitutiones ſervent: pœnitentiam aliquam ſibi injungi aliquando petant, ad veræ religionis exemplum.

7 *Neque directe, neque indirecte officia, aut dignitatem procurent. Omnes Monaſterii famam tueantur; ejuſque ſecreta nulli pandant, Abbatiſſa, & Confeſſario exceptis.*

1 MOniales omnes ſemel ſaltem in hebdomada, ſinguliſque præterea ſolemnioribus feſtis peccata ſua Sacerdoti a Nobis, vel Vicario noſtro deputato confiteantur, ſacramque Euchariſtiam ſumant, niſi aliter Confeſſario viſum fuerit. Curet autem Vicarius noſter, ut ſingulis quatuor menſibus offeratur extraordinarius Confeſſarius ex Concil. Tridentini præſcripto, ad quem in Confeſſarii locum omnes accedant, etiamſi confeſſionem facere noluerint.

Juxta Trid. ter in anno extraordinarius confeſſarius conceditur

2 Niſi legitimo impedimento fuerint detentæ, omnes diebus ſingulis miſſam audiant; deficientes ſalutarem pœnitentiam ab Abbatiſſa ſubeant. Teneantur omnes, niſi infirmæ, vel ex neceſſaria cauſſa impeditæ fuerint, ſingulis horis in Choro intereſſe, & ab initio ad finem uſque divinis officiis perſolvendis aſſiſtere, & nedum orationibus communibus, ſed privatis etiam, niſi per neceſſarias occupationes licebit vacare.

Singulæ per ſe ipſas canant cum animi attentione, vel devotione; caveant autem, ne, dum officia divina perſolvuntur, dormiant, vel invicem colloquantur: Si qua in prædictorum aliquo defecerit, pœnitentia arbitrio Abbatiſſæ injungenda, vel genuflexionibus, vel ſtationis in medio Chori plectatur.

3 Choriſta, ſeu Sacriſta, ubi non fuerit, infra menſem eligatur, quæ peritior fuerit; ejus autem curæ erit, Pſalmos, Antiphonas, lectiones, ceteraque ad divinum officium neceſſaria, diſponere, ac diſtribuere; cui in prædictis omnibus ad officium ſuum ſpectantibus omnes parere teneantur, neque ab ulla argui poſſit, niſi ab Abbatiſſa, vel quæ Abbatiſſæ locum tenet. Si qua vero contrafecerit, ſtet per duos dies in medio Chori, donec divina celebrantur.

Quæ ad choriſtam ſpectant?

Singulæ rudimenta fidei Chriſtianæ addiſcent, cujus rei cauſſa Abbatiſſa diem ſtatuat, in qua ſingulis hebdomadis, quæ rudes ſunt, coram peritioribus eadem rudimenta memoriter recitent.

Numquam deſit in menſa lectio ſacra, & a prandio diebus feſtis, præſertim Dominicis, omnibus in unum collectis curet Abbatiſſa recitari aliquam Sanctarum Virginum, vel Sanctorum vitam, aliquamque ſuæ regulæ conſtitutionem.

Decreta vero hæc noſtra prælegantur frequenter, ut omnia diligenter obſerventur, quæ, ut facilius fieri poſſit, lingua vulgari exprimi voluimus, ut melius ab omnibus audiantur.

4 Singulæ ad campanæ ſonum in refectorium conveniant, nec privatim cuiquam in cella Abbatiſſa comedere permittat, ſed omnes in benedictione, & gratiarum actione ea ſint reverentia, quæ optimas moniales decet.

Omnibus in refectorium accedere injungitur.

Singulæ in ſuis lectis, & ſingulis cellis cubent; cellæ diu, noctuque ſint apertæ, vel bacillo ligneo, aut ferreo obſeratæ, ut extrinſecus aperiri, & ſemper ab Abbatiſſa inſpici poſſint. Prohibemus ſub excommunicationis pœna, ne Monialis ulla cujuſvis generis libros, ſive impreſſos, ſive manuſcriptos habeat, niſi prius Vicarius noſter viderit, & eis ſubſcripſerit.

At ſi profanos, vel prohibitos libros, & qui dedeceant, apud ſe habuerint, præter pœnam prædictam, carcere etiam, arbitratu noſtro, puniantur.

5 Singulæ ad obediendum Abbatiſſæ ſint paratæ, ac re ipſa obediant, nedum in his Conſtitutionibus, ſed in reliquis omnibus, quæ ſibi ab ea injungentur; ſi quando autem alicui videatur injuſte reprehendi, aut corrigi, id humiliter, & cum ſilentio toleret, expoſitura poſtea opportune Abbatiſſæ, quæ ſibi videbuntur, ſine ulla pertinacia.

Si qua autem irreverenter ad illius monitiones, & correctiones ſe geſſerit, in refectorio condigna pœnitentia plectatur; quod ſi obedire noluerit, per Confeſſarium Vicario noſtro Abbatiſſa ſignificet.

Nihil adverſus prædicta Abbatiſſa indulgeat, aut conniveat, quocumque humano affectu conſanguinitatis, aut alias, ſed monialibus dirigendis in viam Domini, omnibus ſe ſe eamdem exhibeat.

6 Neque ſerio, neque joco alicui injuriam verbo, vel facto inferent; contrafacientes die ſequenti jejunent, ac pœnitentiam ei injungendam ab Abbatiſſa agant, præſertim ſi ex odio injuriæ provenerint.

De pœnitentiis vero, quæ injunguntur, nulla colloqui cum perſonis exteris poſſit; alioquin ſevere puniatur.

Si qua pœnitentiæ ſibi injunctæ non ſatisfecerit, communi menſa privetur, donec id Vicarius noſter reſciverit; ſervent nedum regulam, & haſce noſtras conſtitutiones, ſed orationi, & internæ pietati ſemper ſint deditæ, curentque ex vera humilitate ſibi aliquando pœnitentiam

tiam aliquam injungi, ut veræ religionis exemplum præſtent.

7 Nulla Monialis per ſe, vel aliam directe, vel indirecte officium quodcumque, aut dignitatem procuret ſub pœna excommunicationis, ſed omnes paratæ ſint obedire, commune bonum, ac Dei ſpiritum ſemper præ oculis habentes.

Denique in eam curam incumbant omnes, ut quam diligentiſſime nomen, & famam Monaſterii tueantur, optimamque illius exiſtimationem; Caveant autem, ne cui eorum ſecreta pandant, præterquam Abbatiſsæ, & Confeſsario.

Monaſterii ſecreta pandere prohibetur.

De his, quæ ad Monialium clauſuram ſpectant.

§. IV.

SUMMARIUM.

1 *Nullus ad Monaſteriorum portas, vel parlatoria accedat, aut alicubi ingrediatur, Monialis, aut Educandæ alloquendæ cauſſa abſque licentia in ſcriptis. Contrafacientes excommunicantur.*

2 *Nulli Monialium, aut Educandarum hujuſmodi alloquutiones abſque licentia permittantur. Sic alloquentes Vicario quam primum ſignificentur. Inobedientes per duos menſes a parlatorio arceantur: Si Abbatiſſa, aut Præfecta ſit, officio priventur, vel Epiſcopi arbitrio ſuſpendantur.*

3 *Ad crates tantum, vel ad rotam, non ad portas colloquendum. Veſperi hora vigeſima tertia cum dimidio, exterior Monaſterii porta claudatur per Virum deputandum; nec ante Solis ortum aperiatur. Porta duas habeat claves; altera a Deputato, altera ab Abbatiſſa ſervanda. Deputatus juret quotannis in manibus Epiſcopi de fideliter munus exercendo.*

4 *Nemo in Monaſterii clauſuram introducatur abſque ſcripta licentia, aut niſi introducendus ad Monaſterii neceſſitatem ſit deputatus. Contrafacientes Moniales, aliique ex Bulla Gregorii PP. XIII. excommunicationem ſubibunt, in mortis articulo tantum exſolvendi. Confeſſarii ab hujuſmodi excommunicatione abſolventes, excommunicationem incurrent. Si exteriorem clauſuræ clavem tenens, criminis particeps fuerit, excommunicatur, & carcere puniatur, aut gravius Epiſcopi arbitrio.*

5 *Qui ex neceſſitate cum licentia in ſcriptis ingredi poterunt, neceſſitate præciſa, ne ingrediantur. Medici Ordinarii licentiam habeant. Chirurgi, extraordinarii Medici, Phlebotomator, mulio ſingulis vicibus veniam petant. Confeſſarius abſque Medici teſtimonio de monialis infirmitate, & Epiſcopalis Vicarii licentia ne ingrediatur. Periculo ſubitæ mortis imminente, ingredi liceat ad Sacramenta miniſtranda, quod ſequenti die Vicario teſtetur ex Medici teſtimonio. Operarii quicumque licentiam ſcriptam ſingulis impetrent vicibus.*

6 *In Monialium curatione ſemper Abbatiſſa, aut ejus Vicaria cum aliquibus ſenioribus Monialibus aſſiſtat. Ad Confeſſarii, Monialis ægrotæ peccata excipientis, proſpectum duæ, aut tres Monialium antiquiſſimæ adſtent. Virorum in Monaſterium ingreſſus campanæ ſigno indicetur. Rebus, ob quas venerant, expeditis ſtatim egrediantur.*

7 *Infames mulieres, & parum honeſta exercentes a Monaſteriorum vicinia prohibeantur, etiam invocato brachio ſæculari. Si ex quorumcumque ædibus, aut feneſtris in Monaſteria proſpectus pateat, Epiſcopalis Vicarius, aut ſublatis altius parietibus, aut occluſis feneſtris proſpiciat, etiam invocato ſæcularis Magiſtratus auxilio.*

1 UT facilius, quæ de Monialium clauſura conſtituta ſunt, obſerventur, præcipimus, ne quis utriuſque ſexus Chriſti fidelis, cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtat, ſive is ſit Laicus, ſive Clericus, vel Regularis, ad Monaſteriorum portas accedere, vel in parlatoria, aut in alium locum ingredi alicujus Monialis; ſeu Educandæ alloquendæ gratia, quoquo modo audeat, vel præſumat, niſi a Nobis, vel Vicario noſtro licentia in ſcriptis obtenta, quæ gratis concedatur: Qui contrafecerit, eo ipſo, abſque alia declaratione, excommunicationis ſententia innodatus exiſtat.

Cum Monialibus loquentes ſine licentia, excommunicantur.

2 Et ut prædicta diligentius obſerventur, præcipimus Abbatiſsæ, & Præfectis, & Monialibus Monaſteriorum prædictorum, etiam Puellis, quæ educationis cauſa in eis commorantur, ne ullo modo audeant, ſeu permittant alloqui Viros, ſine ſcripta hujuſmodi facultate accedentes: Immo debeant ſine licentia ſic accedentes Vicario noſtro, cum primum commode potuerint, ſignificare. Moniales, ſi in prædictorum aliquo contrafecerint, per duos menſes a Parlatorio arceantur: Abbatiſsæ vero, ſeu aliæ Præfectæ, ſi in crimine participes fuerint, officio priventur, vel ſuſpendantur arbitrio noſtro.

3 Clauſuræ porta nullo modo colloquutionis tempore, ne minimum quidem temporis ſpatium aperta retineatur, ſed omnes ad Crates, vel Rotam colloquãtur.

Clauſuræ janua ſemper clauſa exiſtere debet.

Præcipimus, quod Porta exterior Monaſterii claudatur per unum ex probis viris Deputatis hora vigeſima tertia cum dimidio, & mane ante ortum ſolis non aperiatur.

Clau-

Clauſuræ porta duas habeat diverſas claves, alteram, quæ a Deputato clauſuræ, alterā, quæ ab ipſa Abbatiſsa aſservetur.

Is autem Deputatus juret in manibus noſtris, ſe fideliter munus ſuum præſtiturum, quod jusjurandum ſingulis annis renovet.

4 Nulla Abbatiſsa, vel Janitrix, aut quælibet Monialis quempiam audeat, quocumque prætextu, in Monaſterii clauſuram inducere, niſi ſcriptam facultatem a Nobis, vel Vicario noſtro obtinuerit, aut ii ſint, qui ad neceſſitatem Monaſterii deputati ſunt, cum eos ſuo munere fungi oportebit.

Moniales vero ipſas commonemus, omneſque alios, quorum intereſt, ſi præcepto jam dicto non obtemperaverint, cenſuras, ac pœnas in Bulla fel. rec. Gregorii XIII. & aliorum Summorum Pontificum eo ipſo ſubituros eſse, & ab excommunicationis vinculo, quo ob eam cauſsam obſtringentur, a Summo tantum Pontifice, præterquam in mortis articulo, abſolvi poſse.

Conſtitutio Gregorii XIII.

Confeſsarii vero, qui auſu temerario hujuſmodi Moniales, ac alios viros, & mulieres abſolverint in excommunicationem incidant contra eos latam, qui a caſibus Sedi Apoſtolicæ, & Summo Pontifici reſervatis abſolverint.

Si autem is, qui exteriorem clavem clauſuræ detinet, criminis particeps fuerit, ut aliquis ſine ſcripta licentia, vel præter caſus ſupradictos ingrediatur, eo ipſo excommunicatus exiſtat, & carcere, ac gravius etiam arbitrio noſtro puniatur.

5 Qui in neceſsariis caſibus ingredi poterunt cum licentia a Nobis ſcripta, vel a Vicario noſtro, caveant, ne præter neceſſitatis cauſsam ingrediantur ſub iiſdem cenſuris, & pœnis, quæ in prædicta, & aliis Conſtitutionibus continentur.

Medici igitur Ordinarii licentiam habeant, ut ægrotas Moniales viſitent; Chirurgi item, & alii medici extraordinarii ſcriptam, cum opus erit, licentiam ſingulis vicibus habeant, Tonſor, ut ſanguinem mittat, ac mulio ordinarius, ut res neceſsarias introferat.

Confeſsarius ad infirmarum confeſsiones audiendas, niſi Medici fide de infirmitate ſibi conſtet, & niſi ſpecialem licentiam a Vicario noſtro habeat, nullo pacto ingrediatur, neque alia Sacramenta inibi miniſtret.

Sin autem periculum ſubitæ mortis adeſſet, confeſſionem poſſit audire, & alia Sacramenta miniſtrare, cujus rei ex Medici teſtimonio fidem Vicario noſtro faciat ſequenti die.

Cribratores, Molitores, Vinigeruli, Olitores pro colendis hortis, Fabri cæmentarii, Lignarii, Ferrarii, Architecti, & alii, quorum opera neceſſaria erit, ſingulis vicibus ſcriptam a Vicario noſtro licentiam impetrent; alioquin pœnis ſtatutis ſubjaceant.

6 Medici, Chirurgi, Tonſores, cum Moniales infirmas curabunt, ſemper ab Abbatiſſa, ſeu ejus Vicaria, & aliquibus Monialibus ſenioribus ſint aſſociati, neque ibi longiorem moram trahant, quam par ſit.

Dum Confeſſarius peccata ægrotæ audiet, duæ, aut tres Moniales antiquiſſimæ eo loco ſint, ut Confeſſarium poſſint intueri, quo, & aliis ſupradictis Monaſterium ingredientibus, minoris campanæ ſignum detur, ut Moniales ſe ſtatim recipiant. Qui ingreſſi erunt, opere, cujus gratia venerant, abſoluto ſtatim egrediantur, nec fruſtra per Monaſterium divagentur; alias excommunicati ipſo facto exiſtant.

7 Inhoneſtæ, & infames mulieres, item aliæ perſonæ exercitia parum honeſta facientes Monaſteriis Monialium vicinæ prohibeantur habitare, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Ubi ex vicinorum tam Laicorum, quam Clericorum ſæcularium, vel regularium ædibus, aut feneſtris proſpicere licet in Monaſteria, curet quamprimum Vicarius noſter, invocato etiam, ſi opus fuerit, ſæcularis Magiſtratus auxilio, ut proſpectus hujuſmodi, ſublatis altius parietibus, vel occluſis officientibus feneſtris impediatur, ut hactenus magna ex parte curavimus.

§. V.

De Monialium Confeſſariis, & Capellanis.

SVMMARIVM.

1 *Ætas, mores, & doctrina Confeſſarii Monialium quales eſſe debeant. Sine licentia Monaſterii ſepta ne ingrediatur. Extraordinarius Confeſſarius ter, aut quater in anno concedatur. Confeſſiones in Eccleſia ad ordinariam cratem excipiantur. Quomodo Moniales a Confeſſariis dirigendæ?*

2 *Monialium Capellani ab Epiſcopo antea probentur, & in ſcriptis licentia concedatur. Abbatiſſa, & iis, quæ Sacriſtiæ præſunt, ſecluſis, cum Monialibus abſque licentia ne colloquantur. Sacris operati ab Eccleſia diſcedant. Feneſtrellæ, per quas Eucharistia Monialibus miniſtratur, duas habeant claves, alteram, quæ interior ab Abbatiſſa, alteram, quæ exterior, a Capellano habendam.*

1 Vicarius noſter nullum in Monialium Confeſſarium admittat, niſi pro-

Monialium Confeſſarii conditiones.

provectæ ſit ætatis, probatis moribus, caſuumque conſcientiæ non mediocriter doctus, Monaſterii ſepta nullo pacto ingrediatur ſine licentia ſpeciali, quo loco ſerventur ea, quæ a Nobis ſuperius ſunt ſtatuta. Confeſſarius extraordinarius ſaltem ter, aut quater ſingulis annis a Vicario noſtro provideatur, juxta Concilii Tridentini formam: confeſſiones ad cratem ordinariam audiantur in Eccleſia.

Diligenter Confeſſarii proſpiciant, ut Moniales in viam Domini, ſuæ regulæ, ac etiam noſtrorum mandatorum cuſtodia dirigant.

Capellani ab Epiſcopo probandi.

2 Capellani Monialium a Nobis ante probentur, quam munus ſuum exerceant, quibus in ſcriptis licentia concedatur, neque illis liceat ſine noſtra licentia colloqui cum Monialibus, niſi tantum cum iis, quæ Sacriſtiæ præſunt, & Abbatiſſa, cum quibus tamen ad rotam breviſſime colloquantur, ſub pœna excommunicationis, & ſtatim, ut celebraverint, ab Eccleſia diſcedant.

Feneſtrellæ autem, per quam Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Monialibus miniſtratur, duabus clavibus obſerentur; interior clavis per Abbatiſſam, exterior vero per Capellanum aſſerventur.

§. VI. *De Procuratoribus, & Rationali Monialium, & officio Scribæ.*

SUMMARIUM.

1 *Monaſteriorum Procuratores ſcriptam habeant ab Epiſcopo facultatem, jurentque in manus Vicarii, dentve fidejuſſores de fideli adminiſtratione, & eidem quotannis rationem reddant.*

2 *Abbatiſſæ accepti, & expenſi libros habeant. Quotannis menſe Decembri Rationali ab Epiſcopo deputando rationem reddant, conſtitutamque perſolvant mercedem. Negligens Abbatiſſa officio privetur, ac Epiſcopi arbitrio puniatur. Rationalis Monaſteriorum computa per totum Decembrem menſem videat, ac ſignificatorias Epiſcopali Vicario indicet.*

3 *Scriba infra menſem eligatur. Ejus officium per capita recenſetur.*

4 *Provincialia de Monialibus adduntur decreta.*

5 *Moniales proprietatem caveant: Ubi aliquid ad uſum retinere eſt permiſſum, proprietatem præ ſe non ferant. Ægrotationis tempore omnia in Abbatiſſæ, & Vicariæ manibus reſignent.*

6 *Decedente Moniali, & tali reſignatione non ſequuta, collectrix ſpolii deputetur, quæ coram Abbatiſſa, & Vicaria inventarium conficiat. Spolium totum Monaſterio addicetur, nec aliqua in eo, quocumque prætextu, ſe immiſceat ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, & officii per triennium; ſi ſit Abbatiſſa, præter rerum perceptarum reſtitutionem infra quinque dies, ſub pœna excommunicationis ipſo facto.*

7 *Cellulæ, quæ in Monaſteriis, ubi communis vita in cubando non ſervatur, conceduntur, etiamſi pretium perſolvatur, aut funditus a conſanguineis conſtruantur, ad unius vitam tantum concedi poſſunt. Ea, cui conceſſæ ſunt, vita functa, aut e Monaſterio exeunte, in Monaſterii omnimodam proprietatem tranſeunt. Conceſſiones aliter factæ nullæ ſint.*

Monaſteriorum Procuratores licentiam petant, & in Epiſcopi manibus de bene adminiſtrando juramentū præſtabunt.

1 Qui Monaſteriorum bona, & reditus procurant, quicumque illi ſint, ſcriptam a Nobis licentiam habeant, jurentque in manibus Vicarii noſtri, ac ſi videbitur, datis etiam fidejuſſoribus, caveant ſe fideliter adminiſtraturos, & quotannis Vicario noſtro rationem reddituros.

2 Abbatiſſæ exigendis Monaſteriorum creditis omnem curam adhibeant, & acceptorum, & expenſorum libros conficiant, & ſingulis annis Rationali a Nobis deputato, ſeu deputando, cui Monaſteria ſingula ſtipendium a Nobis conſtitutum perſolvant.

Abbatiſſæ in exactione negligentes officio privantur.

Si prædictis exequendis Abbatiſſa negligens fuerit, officio privetur, ac alias arbitrio noſtro puniatur.

Rationalis prædictus computa Monaſteriorum per totū menſem Decembrem videat, ac ſignificatoriam, quam vocant, Vicario noſtro faciat, ut Monaſteriorum utilitati proſpici poſſit.

3 Scriba, ubi in Monaſteriis non eſt, infra menſem eligatur, cujus officium erit infraſcripta omnia diligenter efficere, ac in librum referre cum die, & anno, & ſub qua Abbatiſſa illa fient cum nominibus, & cognominibus.

Conſultationes, quæ de puella aliqua ad Monaſteria admittenda, vel ad profeſſionem in capitulo habebuntur; quo tempore aliqua in Monaſterium, etiam educationis, vel ſervitii cauſſa ingreditur; quando examinabitur, adnotans nomina, & cognomina Examinatorum.

Cum habitum aliqua induit, cum profeſſionem emittet, & cum ex hac vita migrabit.

Habeat etiam alium librum, in quo ſingulæ profeſſionem emittentes ſubſcribant propria manu, ſi norint, vel alia illarum nomine, ſubſcribens, ſe id profitentis rogatu ſcripſiſſe, & ſubſcripſiſſe.

In alio præterea libro omnes electiones, & officiorum mutationes cum iis, qui interfuerunt, & præfuerunt, deſcribet, nec non nomina, & cognomina Confeſ-

ſariorum ordinariorum, & extraordinariorum.

Librum etiam diligentiſſime Advocatis Monaſterii, Procuratoribus conficiet, in quo omnia ſtabilia bona, & mobilia ſcripta ſint cum eorum confinibus, locationibus, livellis, & proprietatibus, unde illa provenerint. Nomina item eorum, & cognomina, qui locationum fructus perſolvunt, & reditus, proventus, nomina debitorum, ac ipſius Monaſterii debita.

Adnotabit etiam diem, quo Miniſtri aliqui inſervire incipiant, quæ res pro munere perficiendo aſſignabitur, ut omnia diligenter in rationibus perſpici poſſint.

Habeat etiam Catalogum omnium Monialium, & omnium, qui Eccleſiæ inſerviunt, ut Confeſſarii, Medici, Cauſidici, Procuratoris, Colonorum, Famulorum, ac id genus reliquorum. Quæ in viſitatione decernuntur, aut alias mandabuntur, in unum librum ſingillatim referantur.

Inſtrumenta cujuſcumque generis, quæ fient, in alio libro deſcribi curet, & jam facta adjungat.

Libellum quoque habeat, in quo omnia cibaria, eleemoſynæ, & mercedes operarum deſcribentur.

Hæc ſunt, quæ de Monialibus in præſenti ſtatuenda cenſuimus, tum ordinaria auctoritate, tum ex decretis ſacri Concilii Tridentini, tum etiam circa majorem reformationem, & clauſuram, „ prout expedire Nobis viſum fuerit, No„ bis expreſſe reſervamus.

Hucuſque decreta a Nobis edita in Diœceſana Synodo de anno 1646.

4 Hæc vero in hac Provinciali Synodo addenda cenſuimus.

5 Virtutis, & ſanctimoniæ amore, ſin minus pœnarum adverſus proprietarias a Sacro Concilio indictarum formidine, caveant Moniales etiam quid minimum uti proprium poſſidere; in illis autem Monaſteriis, in quibus eſt permiſſum Monialibus ad uſum tantum aliquid penes ſe retinere, tanquam non poſſidentes, & nihil habentes præſeferant, quamobrem quævis Monialis ſaltem tempore, quo ægrotat, ſponte, & ex toto animo reſignet ſingulatim in manibus Abbatiſſæ, & Vicariæ Monaſterii omnia bona, & res in ſua poteſtate exiſtentes.

Monialium paupertas qualis?

6 Decedente autem Moniali, his non adimpletis, deputet Abbatiſſa Collectricem ſpolii vita functæ, a qua inventarium coram ſe, & Vicaria conficiatur, omniaque ſint Monaſterio addicta, nullaque alia prætextu conſanguinitatis, vel alio quovis titulo in prædictis ſe ſe immiſceat ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, & officii etiam Abbatiſſæ per triennium, ultra reſtitutionem bonorum, & rerum perceptarum, ad quam obnoxiæ exiſtant infra ſpatium quinque dierum, ſub pœna excommunicationis, dicto termino elapſo, ſtatim incurrenda.

Bona Monialis defunctæ Monaſterio applicanda

7 Cellulas autem, quæ in dies conceduntur pro habitatione Monialium, ſive aliarum quarumcumque in Monaſteriis commorantium, in quibus vita communis in cubando non ſervatur, etiam ſi pretium ab iis perſolvatur, vel a conſanguineis earum, ſive ab aliis quibuſcumque funditus conſtruantur, vel reparentur, nonniſi ad uſum dumtaxat cujuslibet earumdem concedere licitum eſſe ſciant; iiſque vita functis, ſeu quovis modo a Monaſterio exeuntibus, ſtatim, ac ipſo facto, uſusfructus, ſive uſus ipſarum cum proprietate ad favorem Monaſterii delapſus, & conſolidatus declaratur; neque quidquam amplius præfati conſanguinei, vel alii quicunque exquirere queant, mandantes propterea eo ipſo invalidas, nulliusque momenti, ac roboris quaſcumque conceſſiones aliter factas haberi.

TITULUS XXX.

De Confraternitatibus Laicorum, Hoſpitalibus, Montibus Charitatis, vel Pietatis, ipſorumque, ac aliorum piorum locorum adminiſtratoribus.

SUMMARIUM.

1 *Locorum piorum cura, paſtoralis eſt ſollicitudinis.*

2 *Hoſpitalium, & locorum piorum Curatores Epiſcopus viſitet, ad Tridentini præſcriptum. Quotannis rationem Ordinario reddant; ſi inſtitutionis, vel privilegii rei, aut juſta de cauſa ab Epiſcopo probanda ſecus fiat, Ordinarius etiam aſſiſtat, aliter liberationes nullæ ſint. Qui ex Tridentini, aut laudabili conſuetudine Epiſcopo reddere tenentur, & renuunt, admoniti, per cenſuras compellantur.*

3 *Librum locorum adminiſtrator, ſive Laicus, ſive Clericus antea non exerceat, quam juramentum præſtiterit in Epiſcopi, aut ejus Vicarii manibus de recte, fideliterque miniſtrando, ſub excommunicationis pœna, aliiſque eccleſiaſticis cenſuris. In adminiſtratores non eligantur, niſi prudentes viri; quique ſaltem legere, & ſcribere ſciant. Electio canonica ſit, aliter nulla, & electi ab Eccleſiæ ingreſſu interdicti remaneant, quacumque contraria conſuetudine non obſtante.*

4 *Alii præter Confratres in electionibus ſe non intromittant, ſub excommunicationis pœna.*

5 *Confraternitates Laicorum abſque Epiſcopi auctoritate inſtituentes excommunicantur, ſi Laici ſint; ſi Clerici ducator.25. pœna, & carcere mulctantur.*

6 *Publici peccatores in Confraternitatem ne admittantur; admiſſi, & correctionem nolentes, ejiciantur.*

7 *Arma, intra Oratorium, aut Eccleſiam ne deferant ſub excommunicationis pœna.*

8 *Confratrum cadavera, niſi ex conceſſione, aut privilegio ab Epiſcopis probando, intra Oratorium ne humentur.*

9 *Miſſa ante parochialem ne celebretur, niſi populi commodum, & Parochi conſenſus acceſſerit: Officiales aliter facientes ab officio ſuſpendantur.*

10 *Sodalitates ad proceſſiones invitatæ, omnes accedant; devote incedant; recuſantes pœnam Epiſcopo arbitrariam ſubeant.*

11 *Antiquiores Confraternitates recentioribus præcedant; & prius confirmatæ iis, quæ poſterius, ni privilegium aliquod Apoſtolicum aliter caveat. Sumptus in rebus non neceſſariis devitentur.*

12 *Convivia, & comeſſationes prohibeantur.*

13 *Recreationes propriis Sodalium ſumptibus tolerari poſſunt, dummodo in Eccleſiis non fiant.*

14 *Confraternitatum Viſitator præficiatur.*

15 *Rectores rationem reddant de oneribus, & beneficiis, & an ſuo ſatisfaciant muneri.*

16 *Locorum piorum inventaria, in Epiſcopali Archivo authentice ſervanda, cum Parochi aſſiſtentia conficiantur infra menſem: nec non Tabella legatorum, & onerum, quæ affixa præſtet.*

17 *In locorum piorum locationibus, & alienationibus ſerventur, quæ ſtatuta ſunt de locationibus bonorum Eccleſiæ.*

18 *E fructibus ſuperantibus fundi emptio, aut cenſus fiant.*

19 *Locorum piorum Oeconomi quotannis rationem reddant Epiſcopo, aut ejus Deputato.*

20 *Renuentes quibus pœnis plectuntur?*

21 *Expenſum ne ſuperet acceptum, alias Oeconomi de proprio teneantur, & excommunicati exiſtant.*

22 *Comeſtibilium diſtributio in locis piis prohibetur fieri, niſi pauperibus.*

23 *Oeconomos abſque Epiſcopi licentia cenſus emere, vel abſque fidejuſſione creare vetatur, alias de proprio damnis ſubjaceant, & Epiſcopi arbitrio uſque ad interdictum incluſive puniri poſſunt.*

24 *Annuos proventus, & pecunias, ad proprium uſum, & quæſtum convertere, vel conſanguineis, aliiſque mutuo dare Oeconomis inhibetur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.*

25 *In Hoſpitalibus ſexus diviſio ſervetur.*

26 *In pia loca recepti ſtatim confiteantur, & communicent. Hoſpitantes in Paſchate communicare, adminiſtratoribus, & medicis curæ ſit; aliter Parochi id præſtent.*

27 *Locorum piorum Oeconomi quotannis a majori Confratrum parte eligantur; abſque Epiſcopi ſcripta licentia ne confirmentur: Confirmatio aliter facta nulla ſit.*

28 *Epiſcopi incumbant, ne uſuraria labes irrepat in Montibus Pietatis.*

29 *Eodem in loco, ſi duo ſint Hoſpitalia tenuium redituum, uniantur. Si Peregrini, aut infirmi perpauci conveniant, reditus in pios uſus convertantur.*

30 *Debitores, Oeconomi ne fiant.*

31 *Quicumque ſcripturas ad loca pia ſpectantes detinent, aut ab aliis detineri ſciunt, ſub excommunicationis ipſo facto pœna, infra tres menſes Epiſcopo deferant. Idem de ſcripturis legata ad pias cauſas, ſeu pro malis ablatis continentibus, decernitur.*

32 *Parochi, etiam nominatim, ſi opus ſit, Parochianos, de ultimarum voluntatum ad pias cauſas ſpectantium exequutione moneant.*

33 *Notarii, qui de legatis ad pias cauſas ſe rogaverint, intra menſem a die obitus teſtantis, teſtamenti particulam authenticam tradant Epiſcopo, vel ejus Vicario, vel loci pii Oeconomo, debita ſibi mercede ſoluta, ſub excommunicationis pœna.*

1 INter cetera Paſtoralis ſollicitudinis onera, hoſpitalium, omniumque piorum locorum cura locum habet.

2 Quare ea diligenter viſitet Epiſcopus: Adminiſtratores Hoſpitalium, ac piorum locorum quorumcumque, juxta Concilii Tridentini decreta, rationes reddant Ordinariis ſingulis annis, niſi ſecus forte in inſtitutione, & ordinatione talis Eccleſiæ, ſeu fabricæ expreſſe cautum ſit. Quod ſi ex privilegio, aut ex aliqua juſta cauſſa ab Epiſcopo approbata, aliis ad id deputandis ratio reddenda eſſet, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis Adminiſtratoribus minime ſuffragentur; quod ſi in caſibus, in quibus ex dicti ſacri Concilii Tridentini præſcripto, aut ex laudabili conſuetudine reddere rationem Ordinario teneantur, ab eo admoniti non paruerint, per cenſuras eccleſiaſticas compellantur.

Loca pia diligenter Epiſcopi viſitare debent.

3 Nullus Adminiſtrator Hoſpitalium, ceterorumque locorum religioſorum electus antea adminiſtret, quam in manibus Epiſcopi, vel Vicarii juramentum præſtiterit ſe fideliter, diligenterque munus

Hoſpitalium adminiſtratores electi in manibus Epiſcopi juramentum præſtabunt.

nus

nus ſuum exequuturum, ſtudioſeque proſpecturum, ne bona, ac reditus in alios, quam in deſtinatos pios uſus convertantur, ſive Clerici, ſive Laici fuerint ſub excommunicationis, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis arbitrio Epiſcopi infligendis. Ad adminiſtrationem vero hujusmodi eligantur pii, & prudentes viri, qui ſaltem legere, & ſcribere norint, eorumque electio canonice fiat, nec aliter facta ſit valida, niſi ad ſonum Campanæ, & a majori parte confratrum; ſi ſecus factum fuerit, irrita ſit talis electio, & Electores ipſo facto ſuſpenſi remaneant ab ingreſſu Eccleſiæ arbitrio Epiſcopi, quacumque conſuetudine in contrarium non obſtante.

4 In electione Gubernatorum, & aliorum Miniſtrorum non ſe intromittant Domini temporales, ſive alii quicunque, præter Confratres ſub pœna excommunicationis.

Nullus Laicorum Sodalitates inſtituat ſine Epiſcopi licentia,

5 Omnibus, & ſingulis Clericis, & Sacerdotibus, & quibuſcumque aliis, quavis poteſtate præfulgeant, præcipimus, ne Laicorum Confraternitates inſtituere audeant ſine Epiſcopi licentia, & auctoritate. Qui contra fecerit, laicus eo ipſo excommunicatus exiſtat, Clericus vigintiquinque ducatorum, & carceris ſemeſtris pœna mulctetur.

6 Publicos peccatores in ſodalitatibus præcipimus non admitti, & ſi admiſſi, tales evaſerint, aut Superioribus inobedientes corrigi noluerint, ejiciantur.

7 Prohibemus autem talibus expreſse ſub pena excommunicationis, ne dum in Oratorium, aut Eccleſiam conveniunt, cujuſvis generis arma deferre præſumant.

In Oratoriis Confratrum corpora ſepeliri prohibetur.

8 Nulla etiam defunctorum Sodalium corpora in Confraternitatum Oratoriis, Eccleſiis, ſeu Cappellis ſepeliantur, niſi conceſſione, aut privilegio liceat ab Epiſcopo approbando.

Neque miſſam celebrari ante parochialē permittitur.

9 Nullo modo miſſam ante celebrare faciant, quam Parochialis miſſa fuerit celebrata, niſi fortaſſis Populi commoditas aliter poſtulabit, & Parochi conſenſus acceſſerit. Qui ſecus fecerint Officiales Sodalitatum, eo ipſo ſuſpenſi exiſtant ab eorum officiis arbitrio Epiſcopi.

Quo ordine in proceſſione Confraternitates procedere tenentur?

10 Confraternitates in proceſſionibus vocatæ omnino omnes accedant, & ordine debito, ac devota quadam gravitate incedant, nihil tumultuarie, nihil litigioſe agentes. Quæ recuſaverint, pœnam arbitrio Epiſcopi conſtituendam ſubibunt.

11 Controverſiæ vero de præcedentia ſic dirimantur, ut antiquiores Confraternitates ſemper recentioribus præferantur, & quæ prius confirmatæ fuerint iis, quæ poſterius, niſi aliter privilegio Apoſtolico cautum ſit: immenſi quidem ſumptus, quos confraternitatum officiales plerumque faciunt in rebus parum neceſſariis, omnino arbitrio Epiſcopi devitentur.

Confratribus convivia, & cōmeſſationes non licere ſtatuitur.

12 Intolerabilius illud eſt, quod eleemoſynis ad pios uſus deſtinatis convivia, & comeſſationes inſtruantur. Hos itaque, & ſimiles abuſus deteſtantes omnino tollendos curent Epiſcopi.

13 Si vero Sodalium, Confraternitatumque ipſorum propriis pecuniis recreationes, ut vocant, aliquæ fieri ſoleant, tolerari ab Epiſcopis poterunt, dummodo in Eccleſiis eas fieri non permittant.

14 Præficiatur vir aliquis pietate, ac prudentia præditus, qui Confraternitates inviſet, ut ſi quid vitioſum in eis repullulare viderit, ipſe omnino tolli procuret, & ad Epiſcopum deferat.

Confraternitatum Rectoribus de oneribus, & beneficiis illarum rationem reddere.

15 Rectores reddant rationem de oneribus, & beneficiis, ſi quæ habeant unita, ceteriſque proventibus, & an muneri ſuo ſatisfaciant.

Sicut inventarium legatorum fieri jubetur.

16 Conficiatur infra menſem Inventarium legatorum, onerum, ac bonorum omnium, jurium, & actionum cujuſcumque Sodalitatis, Hoſpitalis, aut pii loci, illiusque exemplum publici Notarii manu ſubſcriptum, cum aſſiſtentia Parochi illius loci, & in Archivum Curæ Epiſcopalis deferatur, fiatque tabella legatorum, & onerum, quæ affixa ſit ſemper in loco, ubi ab omnibus videri poſſit, ubi non adeſt.

17 Quæ de donorum Eccleſiæ locationibus, & alienationibus, ac illorum conſervatione, & contractibus ſtatuta erunt, eadem in Sodalitatum, Hoſpitalium, ac piorum locorum hujusmodi bonis obſervari præcipimus, & mandamus.

De fructibus ſuperantibus quid faciendum?

18 Si confraternitatum, ac locorum prædictorum fructus ſupererint, fiat ex eis emptio alicujus fundi, vel certi annui cenſus, prout infra ſub pœna arbitrio Epiſcopi.

Adminiſtratores Confraternitatum rationes quotannis Epiſcopis reddent.

19 Adminiſtratores Confraternitatum, Hoſpitalium, & piorum locorum quorumcumque, juxta Concilii Tridentini decreta rationem omnino reddant quotannis Epiſcopo, ſeu ejus Vicario generali, vel alteri ab ipſo Ordinario deputando.

Recuſantes compelli debent.

20 Si quis eorum recuſaverit, cenſuris eccleſiaſticis, prout etiam deſuper ſtatutum eſt, compellatur, & officiales eo ipſo ſuſpenſi exiſtant ab eorum officiis arbitrio Epiſcopi.

21 Gubernatores, Magiſtri, & Officiales, quocumque nomine nuncupati Confraternitatum, Hoſpitalium, & locorum piorum cujuſvis generis, in impenſis, etiam neceſſariis, annuos proventus non excedant, alias ſolutioni de proprio obnoxii exiſtant, & eo ipſo vinculo excommunicationis irretiti cenſeantur,

nec

nec ab Epiſcopis abſolvantur, donec ſatisfecerint.

Diſtributio comeſtibiliũ prohibetur.

22 Tollantur abuſus in multis locis inducti diſtribuendi certis diebus panes, fruges, & alia comeſtibilia, cum talis diſtributio reſultet magis ad utilitatem divitum, quam egentium: Ideoque ſub pœnis arbitrio Epiſcopus mandet, ne fiat, niſi pauperibus.

23 Ut autem indemnitati eorumdem locorum piorum conſulatur, vetitum ſit eiſdem Miniſtris, & Officialibus annuos cenſus, ut ſupra cautum eſt, abſque licentia Epiſcopi in ſcriptis emere, vel creare abſque idonea fidejuſſione, alias de proprio refectioni damnorum, & intereſſe ſubjaceant, & arbitrio Epiſcopi uſque ad interdictum Eccleſiaſticum incluſive puniri poſſint.

24 Ut omnium malorum occaſio præcidatur, quæ in dies loca pia prædicta patiuntur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ mandamus, ut nulli eorum locorum Officiali, & Miniſtro liceat proventus annuos, & pecunias ad proprium uſum, & quæſtum exponere, minuſque conſanguineis, vel aliis mutuo dare.

25 In Hoſpitalibus, piiſque diverſoriis mares cum feminis nullo modo verſentur, etiam ſub ſpecie matrimonii, etiam ſi fratres, vel ſorores in Chriſto, vel quocumque alio ſimili nomine nuncupentur.

26 Qui in Hoſpitalia, aliaque pia loca recipiuntur, ſtatim confiteantur, atque communicent, & deinde Hoſpitalium Adminiſtratoribus curæ ſit, ut omnes in Hoſpitali commorantes in Paſchate Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumant. Atque etiam id Medici præſtent, ſi in Hoſpitalibus verſentur, alioquin Parochi in eam curam incumbant.

27 Adminiſtratores, Deputati, Magiſtri, ſeu alio quovis nomine nuncupati Cappellarum, Hoſpitalium, Confraternitatum, ac piorum locorum quorumcumque ſingulis annis eligantur, ut ſupra cautum eſt, a majori parte Confratrum, nec confirmari poſſint ſine licentia Epiſcopi in ſcriptis; ſi contrafecerint, confirmationem ipſam nullam, & irritam declaramus.

28 Epiſcopi, eorum locorum, qui Montes Pietatis appellantur, quibus gratis pauperibus pecuniæ mutuo dantur, præcipuam curam gerant, & præcipue invigilent, ne in montibus Pietatis, quibus commodantur frumenta, quid nimis in eorum reſtitutione exigatur, ne uſuraria labe deturpentur.

29 Si qua vero in Civitate, Oppidove duo, vel plura fuerint Hoſpitalia, quibus pauci ſint fructus, in unum Epiſcopi redigenda curabunt; eorum vero Hoſpitalium fructus; quæ ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum perſonarum genus ſuſcipiendum fuerint inſtituta, ſi in loco, ubi dicta Hoſpitalia ſint, nullæ, aut perpaucæ ſimiles perſonæ reperiuntur, juxta Concilii Tridentini decretum in pios uſus pro loci, & temporis qualitate convertantur.

Hoſpitalia pauperes alendos non habentia in alium pium uſum convertantur juxta Triden. decretum.

30 Ab his, qui eiſdem piis locis, Confraternitatibus, & ſimilibus debitores ſunt, procurationem, aut aliquam negotii partem agi, Epiſcopi ne permittant.

31 Notariis, ſcribis, aliiſque omnibus, qui Teſtamenta, Codicillos, aliaſque tabulas ſcripſerunt, aut ab aliis ſcriptas detinent, aut quæcumque alia ſcripturarum genera ad pia loca, Eccleſiaſque, earumque quæcumque bona, & reditus quovis modo ſpectantia tenent, aut teneri ab aliis norint, ſub excõmunicationis pœna ipſo facto præcipimus, ut ad tres menſes ea Epiſcopis deferant, & de legatis ad pias cauſas relictis pro male partis, ſeu furto ablatis, deque omnibus præfatis ſcripturarum generibus, quæ in eorum Protocollis, aut alias ſcriptis continebuntur, Epiſcopos ipſos certiores faciant, ut, quibus debentur, mandare poſſint, ut tradantur, cum teſtamentorum, & ultimarum voluntatum, & bonorum Eccleſiaſticorum defenſio ad Epiſcopos ipſo jure pertineat.

Notariis quaſcumque ſcripturas ad pia loca ſpectantes Epiſcopis deferre præcipitur.

32 Quare etiam, juxta decreta Beneventanæ Synodi noſtrorum Prædeceſſorum, præcipimus omnibus Parochis, & curam animarum habentibus, ut ſæpe Parochianos ſuos, etiam nominatim, ſi opus ſit, moneant de teſtamentis, & ultimis voluntatibus defunctorum in his maxime, quæ ad piascauſas ſpectant, exequendis.

33 Poſthac vero, ſi de ejuſmodi legatis Notarios rogari contigerit, ipſi intra menſem a die obitus illius, cujus teſtamentum, aut aliud hujuſmodi ſcripſerint, particulam teſtamenti, aut alterius pii legati deſcriptam, & auctoritate publica munitam Epiſcopo, vel ejus Vicario, aut piorum locorum ſuperiori tradere teneantur, debita ſibi mercede ſoluta, ſub pœna excommunicationis poſt elapſum tempus incurrenda.

TITULUS XXXI.

De Confidentia, & Simonia.

SUMMARIUM.

1 *Pœna in Bullis Pii IV. & V. de Confidentia Simoniaca in hujuſmodi delinquentes feruntur: a Judicibus Eccleſiaſticis procedi mandatur; præfatæ Bullæ bis in anno diebus Dominicis publicatio Parochis præcipitur.*

2 *Redimendæ vexationis gratia in beneficio-*

ficiorum cauſſis pecuniam dare, quidquam paciſci, aut tranſigi probibetur abſque Epiſcopi conſenſu, qui re diligenter inſpecta, ſi a jure permiſſa ſit, talem conſenſum non denegabit; Qui contrafecerit, Epiſcopi arbitrio plectatur, & actum irritum ſit.

3 *Tam ſimoniæ Auctores, quam Internuntii, & Notarii iiſdem, ac ſimoniaci, ſubduntur pœnis.*

4 *In beneficiorum permutationibus nihil inter permutantes paciſcatur, niſi in ordine ad legitimum Superiorem; nec pecunia, aut pactum aliquod temporalis commodi intercedat. Talia etiam implicite patrantes ſevere puniantur. Pacta ſimoniaca implicita tunc præſumuntur, cum pecunia, vel pretium in beneficii collatione, præſentatione, aut permutatione datur, etiamſi nulla explicita fiat mentio.*

5 *Juriſdictionis poteſtas, vices, patronatus jura ne locentur, aut vendantur, niſi talia jura annexa ſint rei temporali, nec tunc plus ratione principalis juris accipiatur.*

6 *Pro præſentatione, confirmatione, interventione ad votum, aut pro interceſſione in beneficiis nil accipiatur, aut detur. Cum pretio beneficia adepti, etiam ſi inſcii ſint, illa dimittere, cumprimum ſciunt, tenentur, nec ſuos fructus faciant.*

7 *Pro examine ad Parochiam nihil ante, vel poſt, etiam a ſponte dantibus, recipiatur.*

8 *Ultra congruam ſuſtentationem communi uſui applicandam, nihil, vel a Monaſterio, vel a particularibus Monialibus accipiatur pro puellarum ingreſſu ad religioſum ſtatum, vel pro admiſſione ad profeſſionem.*

Temporum conditio deploranda, in qua homines pro terrenis cæleſtia deſerunt.

1 Deploranda ſane omnibus eſt, & miſerabilis horum temporum, atque locorum conditio, quibus timore Dei, & ſacrarum Conſtitutionum placitis poſthabitis, eo cæcitatis devenerunt homines, ut dummodo marſupium repleant, animas perdere nequaquam curent, ac propterea hæreditate poſſidere Sanctuarium Dei, & beneficiorum eccleſiaſticorum pactiones, licitationeſque publice exercere non erubeſcentes, & qui conjugati, ac omnino laici ſunt, propoſitis illis, ac perditiſſimis hominibus, quos cuſtodianos appellant, beneficiorum etiam Parochialium fructus ſibi uſurpent, in grave Eccleſiæ Dei ſcandalum, divini cultus detrimentum, & animarum perniciem. Quamobrem Nos tanto malo quoad ejus fieri poteſt, obviam ire cupientes, ſanctiones Pii Quarti, & Quinti ſuper confidentia ſimoniaca emanatas in memoriam, & in uſum revocantes, omnes, qui ad hanc diem beneficia præfata confidentialiter obtinent, quique illorum fructus quovis modo illicite percipiunt, cenſuras dd. Pontificum incurriſſe declaramus, titulos beneficiorum prædictorum, & aliorum quorumcumque nullos, & irritos, ipſoſque ad alia etiam obtinenda inhabiles eſſe ſignificamus, fructus non feciſſe ſuos, ad illorumque reſtitutionem in utroque foro ſub interminatione anathematis teneri notum facimus tenore dictarum Conſtitutionum, pro expreſſis eas haberi volentes, atque contra hujuſmodi delinquentes via juris inquiri, & procedi a Judicibus Eccleſiaſticis omni meliori modo mandantes, prædictaſque Bullas, ne quis ignorantiam obtendere poſſit, a Parochis noſtræ Provinciæ, ſaltem bis in anno diebus Dominicis intra Miſſarum ſolemnia publicari, & promulgari omnino præcipimus.

Conſtitutiones Pii IV. & V. in uſum revocantur.

Ad redimendam vexationẽ in cauſſis beneficiorum nulli quid dare, & paciſci licet.

2 Ne redimendæ vexationis ſpecie in cauſſis beneficiorum Simoniacæ pactiones intercedant, nemini licere volumus ad redimendam vexationem, ne in caſibus quidem jure permiſſis, pecuniam dare, quidquamve paciſci, aut tranſigere, niſi Epiſcopi conſenſus acceſſerit, cujus partes erunt, & perſpicere diligenter, an ſubſit aliqua fraus, & ubi rem fraude carere, & jure permiſſam eſſe cognoverit, non denegare ei, qui petierit, facultatem ſe a vexatione liberandi: Qui contra quam decretum a Nobis eſt, fecerit, Epiſcopi arbitratu plectatur, & quod actum fuerit, irritum ſit, ac nullum.

3 Ut omnis ad Simoniam aditus intercludatur, ſtatuimus, ut non ſolum auctores Simoniæ, ſed ejus internuncii, & interpretes, Notarii etiam, qui ſimoniaca inſtrumenta conficiunt, iiſdem pœnis teneantur, quibus addicti ſunt ii, qui per ſimoniam contraxerunt.

Quid vetandum in permutationibus beneficiorum?

4 In permutationibus beneficiorum, quæ tractantur cum conditione obtinendæ facultatis, caveant omnes ante illam obtentam abſolute inter ſe paciſci, niſi in ordine ad legitimum Superiorem, in cujus manu beneficia ſunt deponenda, vel ſpeciale aliquod pretium interponere, pecuniam vel alteri dando, eo quod illius beneficium majoris ſit dignitatis, vel accipiendo, eo quod proprium pinguius, vel aliquod aliud temporale commodum in pactum deducere, nempe remiſſionem debiti, vel injuriæ, vel mutationem pecuniæ ad expenſas pro expeditione Bullarum, vel quodpiam ſimile. Epiſcopi autem in eos ſevere animadvertant, juxta ſacrorum Canonum ſanctiones, pacta omnia ſimoniaca, etiam implicita acriter puniendo. Volumus autem hujuſmodi implicita pacta ſemper præſumi, quando pecuniam, vel pretium ſimul cum beneficii collatione, vel proviſione, aut præ-

ſen-

ſentatione, vel permutatione dari contigerit, licet nihil exterius exprimatur.

5 Poteſtas juriſdictionis, ſeu vices principales, ſive Ordinariorum, ſive Curatorum ne locentur, jura patronatus, utpote ſpiritualia jura ne vendantur juxta Concilii Tridentini decretum, niſi cum annexa ſunt Villæ, aut Caſtello, aut rei temporali, tuncque nihil accipiatur plus ratione talis juris principalis.

6 Pro actionibus, per quas habetur beneficium, quæque ex ſe ad illud ordinatæ ſunt, videlicet non ſolum pro præſentatione, electione, confirmatione, verum etiam pro interventione ad votum præſtandum, vel pro interceſsione apud Præſentatores, Electores, Inſtitutores nihil pretii accipiatur, aut detur, ſive pro ſe, ſive pro aliis beneficium petatur; ſciantque taliter adepti beneficium, etiamſi de eo pretio intercedente inſcii fuerint, cum primum ſciverint, teneri ſe beneficium admittere, nec facere fructus ſuos.

7 Pro examine ad Parochiam nihil muneris, etiam ſponte oblati, nec ante, nec poſt accipiatur ſub pœnis a Tridentino ſancitis.

8 Pro ingreſſu puellarum ad ſtatum religioſum, ſeu novitiatum ineundum, vel pro admiſſione ad profeſſionem in Monaſteria Monialium, nihil pretii ex pacto, & conventione tradatur, vel accipiatur, ſive a communitate, ſive a particularibus, excepta congrua ſuſtentatione ob Monaſterii tenuitatem, juxta conſuetudinem loci, & in communem uſum.

TITULUS XXXII.

De Jure Patronatus.

SUMMARIUM.

1 *Eorum deteſtatio, qui ſibi jus nominandi in beneficiis mentiuntur.*

2 *Præſentationes, quando ſunt admittendæ? Univerſitates plerumque ex uſurpatione Jus patronatus prætendunt, quare exactior probatio ad docendum de titulo requiritur. Poſſeſſio effectiva quinquaginta annorum cum reliquis requiſitis oſtendenda.*

3 *Juris patronatus occaſione, pluris res ne vendantur, aut transferantur. Ita vendentes Simoniacorum pœnis ſubjaceant.*

4 *Formula juramenti præſtandi a proviſis de beneficio juris patronatus.*

1 SÆva habendi cupiditas, quæ tam multos noſtris temporibus tranſverſos agit, in cauſſà eſt, ut ii aliena, quacumque demum ratione, poſſunt, ſurripiant, & quod maxime deteſtandum eſt, divino cultui jampridem dicata bona uſurpent. Id, quod non modo per vim fieri contingit, ſed etiam per fraudem, dum ſibi jus nominandi, atque præſentandi competere mentiuntur.

2 Cui malo ut occurratur, decretum Concilii Tridentini cap. 9. ſeſſ. 2. ſumma vigilantia, & diligentia ſtudeant Ordinarii obſervare, non aliter præſentationes admittendo, quam ſi titulus Juris patronatus ſit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis juris requiſitis oſtendatur, ſive etiam ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, aliaſque ſecundum Juris diſpoſitionem. In iis vero perſonis, ſeu communitatibus, vel univerſitatibus, in quibus id jus plerumque ex uſurpatione potius quæſitum præſumi ſolet, plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorabilis temporis probatio aliter eis ſuffragetur, quam ſi, præter reliqua ad eam neceſſaria, præſentationes, etiam continuatæ non minori ſaltem, quam quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſint, authenticis ſcripturis probentur. Univerſitates multoties jurapatronatus uſurpant.

3 Epiſcopi munus erit cavere, ne propter Juris patronatus occaſionem pluris aliquando res, cui illud jus annexum eſt, vendatur, aut transferatur; Si qui vero nihilominus ita vendiderint, pœnas contra Simoniacos editas incurrant.

4 Neminem autem, vel præſentatum, vel nominatum, vel electum, vel ab inferioribus proviſum de quocumque beneficio prius admittant, vel inſtituant Epiſcopi, quam infraſcriptum jusjurandum ab eo exegerint, in Provinciali primo Concilio a Sanctiſſimo Cardinali Carolo Borromeo editum.

Ego N. præſentatus, vel electus &c. ad beneficium N. juro per Sacroſancta Dei Evangelia, quæ meis manibus tango, neque me beneficii obtinendi cauſſa, ut ad id præſentarer, vel nominarer, &c. neque quemquam alium meo nomine, aut conſentiente, vel ſciente me, quidquam Collatori Patrono, ſeu alii cuiquam ea de cauſſa promiſiſſe, aut dediſſe, aut compenſaſſe, aut prius datum confirmaſſe, vel apud quemquam depoſuiſſe. Jusjurandum ad formam Concilii Mediolanenſis a præſentatis ad beneficia emittendum.

Neque mutuo dediſſe, vel locaſſe, vel prius mutuo datum, commodatum, locatum, aut quocumque modo debitum remiſiſſe, aut relaxaſſe.

Nec de domibus, terris, prædiis, reditibus ejus Eccleſiæ, fructibuſve, decimis, aut oblationibus ejuſdem præteritis, præſentibus, ac futuris, donationem, remiſſionem, locationemve feciſſe, promiſiſſe, aut iniviſſe, aut alium mandante, vel conſentiente me, promiſiſſe, feciſſe, aut iniviſſe. Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

TITULUS XXXIII.

De Regularibus.

SVMMARIVM.

1 *Quoties Curatus in monaſteriis curam animarum habentibus præficiendus eſt, Ordinarii examen ſubire debet, ejuſque juriſdictioni ſubjacet quoad viſitationem, & correctionem.*

2 *Quæ Sacramenta miniſtrare, & a quibus abſolvere non liceat Regularibus? Contrafacientes excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſervatam, incurrunt.*

3 *Epiſcopi obſervari curent decreta Sac. Conc. Trid. de Sacræ Scripturæ interpretatione in Monachorum Monaſteriis, & juris remediis ſuperiores compellant.*

4 *Regulares ſine Superiorum mandato ſcripto a Conventu diſcedentes ab Epiſcopo puniantur.*

5 *Regulares antequam a propriis Superioribus ſint approbati, & eorum licentiam habeant, in Eccleſiis ſui Ordinis ne prædicent; hanc approbationem locorum Ordinariis exhibeant, ab eiſque benedictionem petant.*

6 *In Eccleſiis, quæ ſui Ordinis non ſunt, ut prædicare poſſint, etiam licentiam Ordinarii habere debent.*

7 *Excommunicantur mulieres monaſteriorum clauſtra ingredientes, & Regulares id permittentes; Epiſcopus in eos ſevere agat.*

8 *Quouſque ingredi mulieribus liceat in monaſteriorum clauſtra, quoque tempore declaratur.*

9 *In clauſtrorum finibus cenſentur horti, & vineæ, inter quorum aditus, & monaſterium, nulla via, locuſve publicus interjacet.*

10 *Difficultates de clauſtrorum finibus per loci Ordinarium, adhibitis regularium Superioribus, diſſolvantur, & certa circumſcriptio ſtatuatur.*

11 *Regularium Conſervator ſemel electus ne mutetur, & infra menſem Epiſcopo ejus nomen deferatur, aliter Regulares ipſos in jus vocare liceat.*

12 *Apoſtatæ ſevere puniantur.*

13 *Conſtitutiones Innocentii PP. X. & declarationes Alexandri PP. VII. circa regularem obſervantiam, eorumdemque ſubjectionem locorum Ordinariis, ad unguem exequutioni mandentur.*

Monachi curam animarum agentes Epiſcoporum ſubditi redduntur.

1 MOnaſteria, quæ animarum curam habent annexam, quoties erit eligenda perſona ad exercendum idonea, Ordinariorum Judicium, & examen ſubeant. Is vero, cui fuerit cura commiſſa, illorum juriſdictioni ſubjiciatur quoad viſitationem, & correctionem ex Concilii Tridentini præſcripto.

Conç. Prov. Benev.

Quæ Sacramenta miniſtranda Regularibus ſunt interdicta?

2 Meminerint regulares ſibi non licere Clericis, aut laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel Euchariſtiæ miniſtrare, matrimonia abſque licentia Parochi ſolemnizare, aut quemcumque abſolvere excommunicatum a canone, præterquam in caſibus a jure expreſſis, aut vigore privilegiorum a Sede Apoſtolica conceſſorum, vel a ſententia per decreta Concilii Provincialis, aut Diœceſanæ Synodi promulgata; quod ſi in aliquo ex prædictis contrafecerint, ipſo facto in ſententiam excommunicationis incurrant, quæ Sedi Apoſtolicæ eſt reſervata, quemadmodum providentiſſime ſtatuit Clemens V. in Concilio Viennenſi.

In Monaſteriis Sacræ Scripturæ interpretationē inſtitui Epiſcopi curabunt.

3 Quod Sacroſancti Concilii Tridentini decreto de interpretatione Sacræ Scripturæ in Monachorum Monaſteriis inſtituenda ſancitum eſt, id Epiſcopi omnino efficiant, ut quibus in Monaſteriis commode præſtari poteſt, ea inſtituatur, vel ſi intermiſſa eſt, reſtituatur; qua in re præſtanda Abbatem, atque alios quocumque nomine vocatos, qui Monaſterio præſunt, opportunis juris remediis compellant.

4 Cum nulli ex regularibus, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, a ſuo Conventu recedere liceat, Sacroſancti Concilii Tridentini decreto inhærentes mandamus, ut qui ſine prædicto mandato in ſcripto contento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tanquam ſui inſtituti deſertor puniatur.

Regulares a ſuis Superioribus de ſcientia, vita, & moribus non approbati, ad prædicandum non admittuntur.

5 Facit rei gravitas, & momentum, ut quod alibi diximus, hic etiam commemoremus. Sane cum interdum ex Regularibus aliqui ad concionandum mittantur, qui & vita, & doctrina tanto muneri impares exiſtunt, id ne contingat, provide ſtatuit Tridentinum Concilium, ut regulares cujuſcumque ordinis, niſi a ſuis Superioribus de vita, & moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum ordinum prædicare non poſſint, cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.

6 In Eccleſiis vero, quæ ſuorum ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum ordinum nullo modo prædicare poſſint. Hoc itaque tam utile, ac proficuum decretum, qua par eſt, diligentia erit obſervandum.

7 Bullas Pii V. ſan. mem., & Gregorii XIII. adverſus mulieres, quæ Monaſteriorum Virorum clauſtra ingrediuntur, & regulares, qui eas ingredi permittunt, editas tranſgredientes cunctos excommunicatos decernimus, & pro earum

ſanctionum jure, Epiſcopus pœnarum, cenſurarumque declaratione, & irrogatione contra illos ſevere agat.

8 Ad priores autem Clauſtri porticus, exteriorique oſtio viciniores, ut a Sancta Sede Apoſtolica declaratum eſt, ingreſſus mulieribus non vetatur, quo tempore ubi Cœmeteria, ſepulcrave ſint, pro mortuis fiunt a regularium univerſo Monaſterii, domuſve illius Conventu ſupplicationes, vel Proceſſiones publicæ de more aguntur.

Clauſtra Monaſteriorum quo extendantur?

9 In Clauſtrorum autem finibus cenſeantur horti etiam, ac viridaria, vineæ, & ejuſmodi loca, quæ Monaſteriis, domibuſve Regularium ita continenter ſunt adjuncta, ut ab illis domibus, vel Monaſteriis ad eos hortos, aut loca aditus ſit, nulla via, locove publico interjecto.

10 Si autem de Clauſtrorum finibus, circumſcriptioneve dubitatio, aut difficultas aliquando exiſtat, per loci Ordinarium, adhibitis regularium Superioribus, explicetur, certaque demum ipſis limitibus clauſtralibus, definitio, ac circumſcriptio ſtatuatur, ne ob varias eorum Superiorum regularium interpretationes occaſio præbeatur, quamobrem cenſurarum vinculis fidelium Animæ irretiantur.

Regularium Conſervatores ne mutentur, præcipitur.

11 Regulares, quibus ex privilegio vis competit Conſervatores eligendi, apud quos in judicium vocentur, quos ſemel delegerint, ne mutent; eorumque præterea nomina menſis ſpatio Epiſcopo Diœceſano ſignificent; alioquin ad Epiſcopale forum in jus illos vocare liceat.

12 Apoſtatæ juxta Summorum Pontificum conſtitutiones ſevere puniantur.

13 Cuncta vero, quæ de regularibus a fel. rec. Innocentio Decimo ſancita, & a Sanctiſſimo Domino noſtro Alexandro Papa VII. declarata, & ordinata ſunt circa regularem obſervantiam, & ſubjectionem eorumdem Regularium Ordinariis locorum, ad unguem exequutioni omnino demandentur.

TITULUS XXXIV.

De Duello.

SUMMARIUM.

1 *Ad duellum ſeſe, etiam verbo tenus, & ſine provocationis litteris, aut denunciationis chartulis provocantes, infames declarantur, & veluti homicidæ puniendi: in conflictu decedentes Eccleſiaſtica perpetuo careant ſepultura. Conſilio, vel opera ad duellum ſuadentes, impellentes, vel juvantes, ac etiam ſpectatores, anathemate, & perpetua maledictione percutiuntur.*

1 Nefariam duellorum, ſive ſingularium certaminum provocationem, qua infelices homines inſano tuendæ, vel vindicandæ contumeliæ furore correpti extremam ſibi tam corporum, quam animarum perniciem accerſunt, execrantes, & Sacroſancti Concilii Tridentini, & Summorum Pontificum Julii II. Leonis X., Clementis VII., Pii IV. Gregorii XIII. & Clementis VIII. pœnas omnes in uſum revocantes, illud hominum genus, qui ſe ſe ad duellum quocumque colore, vel prætextu invitant, provocant, & pertrahunt, etiam verbo tenus, quamvis privatim certamen ineant, nec ullæ provocatoriæ litteræ, aut denunciationis chartulæ præceſſerint, definitis a jure pœnis omnibus ſubjici declaramus, itaut infames perpetuo habendi ſint, atq; ut homicidæ puniendi; quod ſi in conflictu deceſſerint, perpetuo careant Eccleſiaſtica ſepultura. Illi vero, qui conſilio, vel opera quemquam ad duellum ſuaſerint, impulerint, vel juverint, aut denique ſpectatores extiterint, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.

Contra duellantes Summorum Pontificum conſtitutiones memorantur.

TITULUS XXXV.

De Teſtamento, & legatis piis.

SUMMARIUM.

1 *Teſtatorum mentes metu, precibus, aut conſilio nemo a pietate diſtrahat, ſi Eccleſiis legare velint.*

2 *Notarii ſcripturæ particulam ad cauſſas pias ſpectantium, Epiſcopo in forma publica deferant ſub excommunicationis pœna, Epiſcopo privative reſervata. Contrafacientes ne abſolvantur, niſi damnis ex tali non revelatione ortis ſatisfecerint.*

3 *Idem ad hæredes legatis ſatisfacere negligentes extenditur, niſi invincibilis excuſet ignorantia.*

4 *Id Parochi, & Confeſſarii in confeſſionibus diligentiſſime obſervari curent.*

5 *Parochorum cura ſit, ut antequam defuncti corpus efferatur, piorum legatorum habeat notitiam.*

6 *Parochi infra triduum a ſcientia, Epiſcopali Curiæ deferant piorum legatorum notitiam.*

7 *Omnes Eccleſiæ habeant librum legatorum, quæ nondum ſunt ſoluta.*

8 *Legatorum piorum ambiguitas ab Epiſcopo dirimatur, idem de legatis incertis diſponat.*

9 *Epiſcopus legata pia diligenter Eccleſiis vendicet.*

10 *Inſtructio pro conficiendis decedentium ab inteſtato teſtamentis, animæ, dictis. Si quis in hujuſmodi teſtamentis gravatum ſe prætendit, Epiſcopum adeat.*

1 Nemo Teſtatorum mentes, qui propenſo ſtudio ad relinquenda

Eccleſiis

Eccleſiis legata feruntur, metu, precibus, conſilio a pietatis amore deducat. Qui ſecus fecerit, tanti ſe criminis rationem coram Deo redditurum intelligat.

Notitias teſtamentorum ad pias cauſſas ſpectantium Notarii Epiſcopis deferre adſtringuntur.

2 Notarii omnes infra menſis ſpatium Teſtamentorum, Codicillorum, & quorumcumque hujuſmodi ad pias cauſſas ſpectantium ex teſtantium, ac diſponentium voluntate Epiſcopis particulam deſcriptam, ac publica auctoritate munitam tradere teneantur, pœna excommunicationis ipſo facto propoſita, Ordinariis tantum modo reſervata; illique, qui contrafecerit, abſolutio ab Epiſcopo non concedatur, niſi ſatisfacto Eccleſiæ, aut loco pio de damnis omnibus, quæ ob hujusmodi non revelationem paſſa erunt.

3 Quæ omnia etiam de hæredibus legata hujusmodi, cum poſſint, & debeant, non adimplentibus, ſtatuta eſſe volumus, niſi ii invincibilem ignorantiæ cauſſam habuerint.

4 Curent Parochi, & Confeſſarii omnes, ut decretum prædictum omnino obſervetur, ſcrutenturque in confeſſione diligentiſſime a Notariis, & hæredibus etiam, qui præmiſsa non adimpleverint.

5 Curent Parochi, ut antequam defuncti corpus ſepulturæ tradatur, legatorum piorum notitiam habeant.

6 Præcipimus Archipresbyteris, & Parochis omnibus, ut legatorum piorum, quæ ſibi innoteſcent, notitiam Curiæ Epiſcopali infra triduum, poſtquam ſibi innotuerint, dent, ut illorum exequutioni quantum in Domino poterunt, proſpiciant Epiſcopi, illaque plenum ſortiantur effectum, ut decet.

7 Liber conficiatur in ſingulis Eccleſiis, in quo diligenter adnotentur legata olim facta, nondum tamen ſoluta, & quæ deinceps tam in Civitate, quam in Diœceſi fient.

8 Si quis aliquid Eccleſiæ, vel ad pias cauſſas leget, conditione appoſita, quæ non nihil ambiguitatis pariat, aut legati exequutionem retardet, habeatur de ea cum Epiſcopis conſultatio, & de legatis incertis, juxta Conſtitutionem Sanctiſſimi Domini noſtri Alexandri Papæ VII. diſponant Epiſcopi.

Conſtitutio Alexandri VII.

9 Legatis ad pias cauſſas cum jura plurimum faveant, nec eæ ſolemnitates neceſſariæ ſint, quas cetera poſtulant, curet Epiſcopus, quacumque poterit diligentia, illa Eccleſiis vendicare.

Teſtamenta animæ quomodo conficienda, vide tamen in XIV. Concilio tit. 27. cap. 2.

10 Laudabilem multarum Eccleſiarum conſuetudinem, ut his, qui inteſtati decedunt, Epiſcopi, vel Archipresbyteri teſtamenta conficiant ad pias cauſſas uſq; ad quartam partem bonorum mobilium, juxta reſcriptum Sacræ Congregationis; Nos approbantes, & hoc præſenti decreto innovantes, præcipimus omnibus tam Epiſcopis, quam Archipresbyteris, & Curatis noſtræ Civitatis, & Provinciæ, ut ejus rei ſummam curam gerant, & quoties aliquis ab inteſtato deceſſerit, adhibeant ſecum loci Syndicum, & Electos, aut alios probos viros ſibi bene viſos, a quibus de perſonæ defunctæ bonis recte inſtrui poſſint, illique teſtamentum coram eiſdem a publico Notario, vel aliquo Presbytero conſcribendum ad pias cauſſas conficiant, habita ratione filiorum, aut filiarum, ſororumve, aut conſanguinearum nubilium, ſi quæ ſint; quod ſi aliqui in teſtamentorum hujuſmodi confectione ſe ab Archipresbytero loci gravatum prætendant, ii Epiſcopum adeant, qui rerum, locorum, ac perſonarum qualitate penſata, ſuper gravamine hujusmodi paterna charitate providere omnino curabit.

TITULUS XXXVI.

De Medicis.

SUMMARIUM.

1 *Pii PP. V. Conſtitutio* de Medicis, *commemoratur.*

2 *Ægrotos inconfeſſos tertio die ulterius Medici ne viſitent. Confeſſio confeſſoris teſtimonio conſtet.*

3 *Medicorum inobedientium pœna.*

4 *Nulli a quovis Collegio, & Univerſitate medendi privilegium concedatur, niſi coram publico Notario, & teſtibus juret, ſe obſervaturum, quæ in Conſtitutione Pii V. continentur. Hujuſmodi juramentum in Epiſcopi manibus emittatur, cujus in privilegio, vel licentia mentio fiat. A promotis Medicis id juramentum Epiſcopi exigant; renitentes canonicis plectant pœnis.*

5 *Ad corporis ſalutem adipiſcendam, quidquam in animæ detrimentum Medici ne ſuadeant.*

1 ITa corporis valetudo curanda eſt, ut animæ ſalus non negligatur; quapropter Medicis tam Phyſicis, quam Chirurgicis præcipimus, ut cumprimum ad ægrotos vocati fuerint, eis neceſſariam peccatorum confeſſionem faciendam eſſe perſuadeant. Quoniam vero res iſta magni eſt momenti, idcirco quæcumque conſtitutio ſan. mem. Pii V. circa Medicorum munus decrevit, & ſancivit, hic commemoranda eſſe cenſuimus, ne cuiquam ignorantia ſuffragetur.

Infirmi infra tres dies non confitentes, Medicorum viſitatione privantur.

2 Medici igitur tertio die ulterius ægrotos non viſitent, niſi longius tempus ipſis Confeſſor ob aliquam rationabilem cauſſam, ſuper quo ejus conſcientiam oneramus, conceſſerit, & illis per fidem Confeſſoris in ſcriptis factam conſtiterit, quod infirmi, ut præmittitur, peccata ſua confeſſi ſint.

3 Quod ſi qui Medicorum præmiſſa non obſervaverint, ultra pœnas in Conſtitu-

ſtitutione Innocentii III. contentas, ac ſan. mem. Pii V. innovatas, quas incurrunt, gradu medicinæ, quo inſigniti ſunt, omnino priventur, ac pœna etiam arbitraria Ordinarii, ubi deliquerint, mulctentur, & nihilominus excommunicationis ſententiam ipſo jure omnino ſubeant, ſolis Ordinariis reſervatam.

4 Nullus medicinæ Doctor creari poſſit, nullive quomodolibet medendi facultas a quovis Collegio, & Univerſitate concedatur, niſi omnia in Conſtitutione Pii V. & ejuſdem Summi Pontificis præſcripto contenta, medio juramento coram Notario publico, & teſtibus, obſervaturum ſe eſse promittat; quod juramentum in manibus Ordinarii præſtetur, cujus etiam in privilegio Doctoratus, & licentia medendi ſpecialis mentio fiat. Epiſcopi vero prædictum juramentum a Medicis jam promotis, omnibus juris remediis, exigant, renitentes pœnis narratis afficiant.

Medici in manu Epiſcopi quid jurare tenentur?

5 Ne quis Medicorum pro corporali ſalute aliquid ſuadeat, vel permittat, quod in animæ periculum vertat.

TITULUS XXXVII.

De Concubinariis, & Meretricibus.

SUMMARIUM.

1 *Concubinarii quicumque ter ex officio moniti ab Ordinario, & inobedientes, excommunicentur, nec abſolvantur uſquedum paruerint: Per annum in concubinatu, cenſuris neglectis, inſurdeſcentes, ſerio puniantur.*

2 *Mulieres quæcumque cum concubinariis publice viventes, pœnis S.T.C. afficiantur; ni reſipuerint extra Diœceſim ejiciantur.*

3 *Temporales Domini in concubinatu viventes, & in Paſchate non communicantes excommunicantur cum concubinis. Parochi eorum notitiam Ordinario deferre negligentes, a divinis ſuſpenduntur: Parochi, injuriæ alicujus metu id prætermittentes, ſi metus cadat in conſtantem virum, non ſuſpenduntur; at ſæculares Domini præter excommunicationem latæ ſententiæ, Eccleſiaſtica ſepultura cum concubinis privantur, ſi decedant, licet confeſſi fuerint.*

4 *Clerici concubinarii ultra canonicas pœnas, carcere, beneficiorum privatione, aliterque Epiſcopi arbitratu plectantur. Si Epiſcopi negligentes fuerint, proximæ Provinciali Synodo reddant rationem.*

5 *Hortatio ad ſæculares magiſtratus, ut concubinas ejiciant, meretrices ad certum locum compellant, in cauponis ultra diem commorari, & prope Eccleſias, & Monaſteria, præcipue Monialium inhabitare interdicant.*

6 *Lenones graviſſime puniantur, & ſi opus ſit, a ſuis arceantur finibus.*

7 *Si ad Parochi requiſitionem ſæculares Magiſtratus auxilium denegaverint, peccatores hujuſmodi Epiſcopo denuncient.*

1 Concubinarios tam ſolutos, quam copulatos, cujuſcumque ſtatus, dignitatis, conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab Ordinario etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſejunxerint, excommunicationis ſententia ferire neceſſe erit, a qua non abſolvantur, donec re ipſa admonitioni factæ paruerint; quod ſi in concubinatu per annum, cenſuris neglectis, permanſerint, contra eos ab Ordinario ſerio procedatur.

Concubinariorum pœnæ.

2 Mulieres cujuſcumque generis, quæ cum concubinariis publice vivunt, pœnis iis afficiantur, quæ decrevit Synodus Tridentina, itaut ſi admonitæ non reſipuerint, extra Diœceſim ejiciantur.

Eaſdem pœnas mulieres cum illis viventes ſubibunt.

3 Quoniam non raro contingit Dominos temporales, vel alios potentes viros, eo quod in concubinatus cœno demerſi recipiantur, annuum præceptum communionis Paſchalis prætermittere, & aliquando plures continenter annos Eccleſiæ mandato obſurdeſcere, cum Subditorum, quibus exemplo ſuo prælucere deberent, ſcandalo, & interim a Parochis timentibus ſæpe timore, ubi non eſt timor, ac ſpiritu puſillanimitatis, vel alio quopiam humano, indignoque muneris ſui affectu ductis, eos diſſimulari, nec deferri, ut oporteret, Epiſcopis, ut hi pro paterno zelo eorum ſaluti proſpiciant; Nos, ut hoc ſcandalum eo majoris momenti, quo eminentiori loco ſitum omnibus patet, a Provincia noſtra prorſus exterminemus, in primis dictos Dominos temporales cujuſcumque gradus, & conditionis, & quoquo dignitatis titulo fulgeant, ſi Paſchali tempore annuæ communionis præceptum non adimpleverint, eo quod in concubinatu verſentur, ipſo facto excommunicamus, una cum eorum concubinis; Parochos vero, qui eos Ordinariis non denunciaverint, ipſo facto ſuſpendimus. Quod ſi Parochi timore mortis, aut gravis alterius injuriæ, quæ ſolet eſſe ordinaria eorum excuſatio, dummodo ſit metus cadens in conſtantem virum, officium ſuum quoadhoc agere prætermiſerint, cum coram Deo vacent culpa, nolumus eos ſupradictæ ſuſpenſioni ſuppoſitos eſſe; verum tanto acrius in dictos Dominos ſæculares inſurgentes mandamus, ut in eo caſu dicti Domini ſæculares concubinarii publici, & habituati, ut ſupra memorati, præter pœnam, cui eos ſubjicimus, excommunicationis latæ ſen-

Parochi humano motivo Dominos temporales concubinarios non revelantes qua pœna puniantur?

ſententiæ, careant quoque Eccleſiaſtica ſepultura, tum ipſi, tum eorum concubinæ, ſi intra eum annum, in quo tranſgreſſi ſunt annuæ communionis præceptum, mori eos, eaſque contigerit, etiam ſi in mortis articulo ſigna doloris, ac pietatis dederint, aut etiam confeſſi fuerint, prout Nos ex nunc pro tunc ſepultura Eccleſiaſtica privamus, & privatos eſſe volumus, ac mandamus.

4 Clerici vero ultra pœnas a ſacris Canonibus, & Concilio Tridentino de hujuſmodi crimine ſtatutas, carcere, privatione beneficiorum, aliiſque pœnis arbitratu Epiſcopi puniantur, ut ſe ab hujuſmodi ſcelere cohibeant omnino, quæ omnia Epiſcopi diligenter exequi curent; quod ſi facere omiſerint, & Deo, & proximæ Provinciali Synodo rationem erunt reddituri.

5 Hortamur in Domino Magiſtratus omnes temporales, ut concubinas hujuſmodi ejiciant, Meretriceſve certo loco habitare compellant, neque in cauponis, aut tabernis, niſi itineris cauſſa diutius, quam diem unum morari permittant, illiſque expreſſe interdicant, ne prope Eccleſias, & Monaſteria, præſertim vero Monialium ullo modo habitent.

6 Quicumque vero lenocinium exercent, vagantur, aleaque ludunt, velut bonorum morum peſtem, eos graviſſime puniant, a ſuis etiam finibus, ſi opus erit, arcendo.

7 Quod ſi Magiſtratuum ſæcularium auxilium ad Parochorum requiſitionem præſto non erit, curent Parochi peccatores hujuſmodi Epiſcopis denunciare, ut per cenſuras eccleſiaſticas poſſint corrigi, & emendari, aliiſque pœnis arbitrio ipſorum puniri.

TITULUS XXXVIII.

De Sacramentis in communi.

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopi, quæ miniſtrant, Sacramentorum vim ſuſcipientibus explanent. Idem Parochi patria agant lingua.*
2 *Materia, forma, & adminiſtrationis ritus diligenter attendantur.*
3 *Parochi Sacramenta adminiſtraturi, cottam, & ſtolam adhibeant.*
4 *Pro Sacramentorum adminiſtratione nihil verbis, aut nutibus petatur; adſtantes, ut devote interſint, moneantur; excommunicati arceantur.*

1 UT Sacramenta majori cum religione, animique pietate ſuſcipiantur, Epiſcopi in iis, quæ per ipſos tantum adminiſtrari poſſunt, qualia ſunt Confirmatio, & Ordo, prius illorum vim, & uſum pro ſuſcipientium captu explanare ſtudeant. Idem a Parochis in ceteris Sacramentis miniſtrandis fieri curent lingua vernacula, juxta formam in Catechiſmo præſcriptam.

2 Illi vero materiam, & formam, & ritum, juxta Romanum Rituale, diligenter attendant.

3 Cum Sacramenta miniſtranda erunt, Parochi, ſuperpelliceo mundo, & integro, ſtolaque induti ſint.

4 Pro Sacramentorum miniſterio nullus Sacerdos, quantumvis egens, verbis, aut nutibus quidquam prorſus, vel minimum petat, exigatque: Adſtantes vero, ut remoto omni colloquio pie, ac religioſe admodum interſint, moneantur. Excommunicati, ne Sacramentorum adminiſtrationi intereſſe permittantur.

TITULUS XXXIX.

De Sacramento Baptiſmi.

SUMMARIUM.

1 *Baptizantes Parochi Romanum Rituale ſervent.*
2 *Præciſa neceſſitate, baptiſmus ſine ſolemnitate, conſuetiſque cæremoniis ne fiat.*
3 *Obſtetrices de materia, & forma Baptiſmi per Parochos inſtruendæ. Si infanti periculum immineat, Sacerdos Clerico, hic Laico, Vir peritus mulieri, in baptiſmate ſunt præferendi.*
4 *Baptiſmus ultra tres dies ne protrahatur.*
5 *Extra neceſſitatis caſum in privatis domibus baptizare non licet ſub excommunicationis pœna. Domi baptizatus, infra dies octo in Eccleſia ſiſtatur ad eccleſiaſticas cæremonias ſupplendas.*
6 *Impiorum, & impurorum nomina infantibus ne imponantur.*
7 *Epiſcopi ſibi reſervent earum abſolutionem, quæ infantes unius anni nondum expleti ſecum in lecto tenent, abſque cautione ab Epiſcopo per Parochum tradita; ne abſolvant, niſi inſigni impoſita pœnitentia.*
8 *Unus, ad ſummum duo, vir, & femina, ſint Compatres. Parochi id diligenter curent. Compatres de parentum voluntate accedant.*
9 *Parochi doceant baptiſmi cognationem matrimonia contrahenda impedire, contracta dirimere: ac ſuſcipientes tantum, non tangentes compaternitatem contrahere.*
10 *Excõmunicati, in Paſchate inconfeſſi, infames, publice criminoſi, fidei rudimenta ignorantes, ad levandum de fonte ne admittantur. Clericis etiam, & Regularibus inhibetur.*
11 *Pluribus baptizandis eodem tempore oblatis, Parochus ſingulis omnia ex Rituali miniſtret.*

12 *Et*

12 *Ex duobus infantibus mari, & femina, mas primum baptizetur, ni periculum feminæ adſit. Idem ſervandum, ſi plures erunt baptizandi, mares partim, partim feminæ.*

13 *Ante ortum, & poſt occaſum Solis, in Eccleſia ne baptizetur, neceſſitate ſeclusa.*

14 *Abſque Parochi, aut Epiſcopi licentia nemo baptiſmo ſolemniter miniſtret. Compater, aut Commater, ne ſint ſacro Chriſmate non delibuti.*

15 *Minor quatuordecim annis in Compatrem, ſive baptiſmi, ſive chriſmationis, ne admittatur.*

16 *Pelvis Eccleſiæ uſui addicta tantum adhibeatur ad excipiendam e baptizati capite aquam, vel Sacerdotis manibus, cum eas lavat.*

17 *Obſtetrices poſt tres ab hujus decreti publicatione menſes, officium ne exerceant, niſi in Diœceſi Vicarii foranei, in Urbe Epiſcopalis Deputati examen ſubierint. Probatæ coram duabus ſaltem mulieribus, aut matre, cum opus fuerit, baptizent.*

18 *Parochus diligenter de verbis ab Obſtetrice in baptiſmo prolatis perquirat, & ad quem finem.*

19 *Sanctorum, Sanctarumque nomina infantibus imponantur, alias ea Parochi ne recipiant. Baptizatorum, & Compatrum nomina, & cognomina deſcribantur in libro, cujus exemplum quotannis Epiſcopali Curiæ tradatur ſub pœna ducatorum trium.*

20 *Apud fontem baptizetur: altus is ſit, & profundus, ac mundus, & clavi clauſus retineatur.*

21 *Fons qualis eſſe debeat, & quomodo munitus?*

22 *Sabbato ſancto, & Pentecoſtes aqua renovetur: vetus in Sacrarium vergat.*

23 *Olea quoties mutanda, & vetera quando comburenda? Olea nova in ſacris ordinibus conſtitutis deferenda tradantur, qui libro ſubſcribant, cujus nomine, quove die ea deſumant.*

24 *Sal benedictum, olea, aqua, albæ laicis ne dentur.*

25 *Baptiſmalis fons bene ſit clauſus, ſemel in hebdomada inſpiciatur, purgeturque; ne aqua elabatur, diligenter videndum.*

26 *Parochi gratis, ſincere, rectaque intentione baptiſmi Sacramentum miniſtrent.*

27 *Captivi baptizari cupientes ab aliis ſeparentur, inſtruanturque private in domo; niſi diligenter inſtructi, ſacro fonte ne abluantur: Abluti, alicujus probi Viri curæ per tres menſes committantur.*

28 *Infantes expoſiti, de quibus dubitatur, an ſint baptizati, qua forma ſint baptizandi?*

29 *Ad Neapolitanum Proregem hortatio, ut omnibus præcipiat, ne captivos baptizari volentes, impediant.*

1 DEcernimus ſacras Cæremonias in Baptiſmo adminiſtrando ex Rituali Romano a Parochis omnino ſervari debere, maxima cum pietate, & reverentia.

2 Præcipimus, ne in poſterum expectandi Patrini gratia, aliave de cauſa, præterquam neceſſitatis extremæ, cum ſcilicet periculum vitæ infanti timetur, Baptiſmus ſine ſolemnitatibus, cæremoniiſque adhiberi ſolitis, miniſtretur. Baptiſmus ſine cæremoniis, & ſolemnitatibus non conferendus

3 Parochi Obſtetrices diligenter inſtruant de materia, & forma in Baptiſmo habenda, ſimulque doceant, cum infanti periculum imminet, hunc ordinem ſervandum eſſe, ut ex præſentibus Sacerdos Clerico, Clericus Laico, Virque peritus mulieri præferatur, dummodo formam, & baptizandi modum recte noverint.

4 Baptiſmus nonniſi ad tertium diem protrahatur, niſi aliter Epiſcopo viſum fuerit.

5 In privatis domibus, niſi urgente neceſſitate, & vitæ periculo, nemo ſub excommunicationis pœna baptizetur, ſed in Eccleſia a proprio Parocho Baptiſmus conferatur, & baptizatus ſaltem intra octo dies, & quamprimum per valetudinem licebit, in Eccleſia ſiſtatur, ubi ſi rite baptizatum eſſe conſtiterit, ei tantum ritus, & cæremoniæ Baptiſmi in Eccleſia adhibeantur. In privatis domibus baptizari prohibetur.

6 Curet Parochus, ut infantibus proprio nomine in Baptiſmo appellandis ea nomina non imponantur, quæ impiorum, & impurorum hominum memoriam referant, ſed illorum, qui ob veræ pietatis, & ſanctæ religionis, virtutiſque chriſtianæ laudem Sanctorum numero adſcripti ſunt, ut & in ipſo vitæ ingreſſu cum Ethnicis, ne nomen quidem commune Fideles habere velle proteſtentur, & ipſi infantes, etiam cum ætate proceſſerint, nominum ſimilitudine, ad eorum, a quibus illa accepta ſunt, imitationem excitentur, & præterea quos imitari ſtudeant, eoſdem quoque frequentius precentur, ac ſperent, eos potiſſimum ſibi ad ſalutem tum animæ, tum corporis Advocatos fore. Baptizandis nomina Sanctorum, non Ethnicorum imponenda.

7 Grave, & immane facinus eſt, Infantes per imprudentiam illorum ſuffocari, qui eos ne annum quidem natos in cubili nulla cautione collocant. Itaque quæcumque mulier infantem, anno ætatis non expleto, ſecum in lecto jacentem non ea cautione tenuerit, quam ab Epiſcopo præſcriptam Parochus unuſquiſque eis ſigillatim demonſtraverit, non abſolvatur; verum hujus caſus abſolutionem Epi-

ſcopis

ſcopis reſervamus, cujus vinculo irretita non abſolvatur, niſi gravi, atque inſigni impoſita pœnitentia, quæ ceteris exemplo ſit.

Pluralitas Compatrum proſcribitur.

8 Plures non eligantur Compatres, ſed unus tantum, ſive Vir, ſive Mulier; ad ſummum autem unus, & una baptizatum de fonte ſuſcipiant, curentque Parochi, ne omnino hoc violetur, ac ut Compatres ii ſint de voluntate parentum.

Cognatio Spiritualis Matrimonium dirimit.

9 Doceant Parochi cognationem, quæ in Sacramento Baptiſmi contrahitur, non ſolum impedire matrimonium contrahendum, ſed dirimere contractum; doceant etiam ſuſcipientes tantum, non vero alios tangentes eſſe Compatres.

Qui ad ſuſcipiendum baptizatum non admittuntur?

10 Caveant Parochi, ne excommunicatos, vel eos, qui eo anno in Paſchate ex præcepto Eccleſiæ peccata ſua confeſſi non fuerint, & ſacram Euchariſtiam non ſuſceperint, aut quoſcumque infames, & publice crimino ſos, aut Fidei rudimenta ignorantes ad ſuſcipiendum baptizatum de ſacro fonte admittant, quod etiam Clericis omnibus, & Regularibus ad vitandam familiaritatis occaſionem prohibemus.

Quomodo plures ſint baptizandi?

11 Si duo, pluresve infantes offeruntur, qui eodem tempore baptizentur, eorum unicuique catechiſmum, exorciſmum, & reliquas ſtatas functiones, Baptiſmumque Parochus ſigillatim miniſtret, atque exhibeat.

12 Cum duo infantes, mas ſcilicet, & femina ad baptiſmum offeruntur, is ordo ſervetur, qui antiquiſſimus ritus eſt, ut mari primum, deinde feminæ miniſtretur, niſi neceſſitas aliter cogat; idemque ſervetur, ſi plures offeruntur, partim mares, partim feminæ.

13 Ne ante ortum, ne vero poſt occaſum Solis Baptiſmus in Eccleſia miniſtretur, niſi aliter fieri aliquando temporis ratio neceſſitate cogat.

14 Nemo, niſi Parochus, aut is, cui ille, Epiſcopuſve nominatim conceſſerit, in Baptiſmo miniſtrando ſtatas ſolemnes cæremonias adhibeat, etiam ſi ob neceſſitatem miniſtret: In Baptiſmo etiam Compater ne ſit, qui ſacro Chriſmate confirmatus non eſt, eademque de Commatre cautio ſit. Proinde Parochi erit ſtudioſe de hoc ante perquirere.

Compatrum ætas qualis?

15 Ne præterea Compater adhibeatur, neque in confirmationis Sacramento is, qui minor natu ſit quatuordecim annis, ſed qui major, vel potius ætate ſit provectiori, ut non ore ſolum, ſed animo, atque ſerio ad interrogata, quæ in Baptiſmo fiunt, reſpondeat, ac plane intelligat ſuſcepti a ſe muneris partes.

16 Ad aquam baptiſmalem, quæ capiti illius infunditur, qui baptizatur, eamque excipiendam, qua Sacerdotis manus ſacro oleo illitæ abluuntur, pelvis ne adhibeatur, quæ Eccleſiæ tantum uſui addicta non ſit.

Obſtetrices a quibus examinandæ?

17 Obſtetrices tribus poſt hujus decreti promulgationem menſibus, pœna arbitratu Epiſcopi propoſita, officium ne præſtent, niſi per Vicarium Foraneum, ſi in Diœceſi ſunt; at vero in Urbe per eum, cui Epiſcopus id curæ dederit, ſcripto probatæ ſint idoneæ ad Sacramentum Baptiſmi, cum neceſſe erit, miniſtrandum; quæ vero probata eſt, cum baptizabit, curet, quoad ejus fieri poteſt, ut duæ ſaltem mulieres, aut mater præſertim, ſi poteſt, præſentes adſint, quæ in baptizando verba ab ea prolata audiant.

18 Parochus vero cum perquiret, an infans baptizatus ſit, diligenter Obſtetricem, & teſtes etiam de verbis prolatis interroget, ut ſibi conſtet, An Baptiſmi forma recte adhibita ſit, an vero ſecus; quamobrem oporteat infantem a ſe baptizari.

Baptizandorum nomina qualia eſſe debent?

19 Quia, ut ſupra diximus, valde reprehenſibile eſt Chriſtianæ profeſſionis homines filiis ſuis Paganorum nomina imponere, iccirco iterum monemus, & hortamur omnes utriuſque ſexus Chriſti fideles noſtræ Provinciæ, ut infantibus ſuis nomina Sanctorum, & Sanctarum imponant; Parochis autem mandamus, ne alia recipiant. Baptizatorum, & ipſorum Compatrum nomina, & cognomina in libro ad id parato a Parocho deſcribantur, cujus exemplum ſingulis annis Curiæ Epiſcopali tradat, in illius Archivo conſervandum. Qui contrafecerit, trium ducatorum pœna mulctetur, arbitrio Epiſcopi locis piis applicandorum.

20 Sacrarium ſit apud fontem, & illud quidem altum, & profundum, quod mundum, & ſub clavi clauſum ſemper retineatur.

21 Sit fons lapideus, ſtabilis, rotundus, integer, & elevatus, ubi id commode fieri poterit, pyramide ornatus, ſine rimulis, ac ligneis cancellis circumdatus, & clauſura tutus, habeatque tabellam intermediam, in qua aſſerventur olea, & vas decens ad aquam fundendam, habeatque ſupra pyramidem depictam Imaginem Sancti Joannis Baptiſtæ Chriſtum in Jordane baptizantis: habeat etiam ſupra pyramidem omnino tegmen, ſeu umbellam, aut baldachinum ex tabulis decenter pictum.

Quo tempore aqua ſit renovanda?

22 Aqua ſuis temporibus omnino renovetur, hoc eſt Sabbato Sancto, & Sabbato Pentecoſtes, & vetus projiciatur in Sacrarium.

23 Olea ſingulis annis mutentur, ac vetera in Sacrario comburantur in die Cœnæ Domini, neque olea nova omnino alicui deferenda dentur, niſi in ſacris ordinibus ſaltem conſtituto, qui libro in Eccleſia Cathedrali aſſervando ſubſcribat,

bat, cujus nomine olea ſumat, quove dic.

24 Caveant Parochi, ne ſal benedictum, olea, aquam, aut albas Laicis dent, ne inde alicujus maleficii, vel ſuperſtitionis occaſio detur.

Fons baptiſmalis quomodo a Parochis aſſervandus?

25 Parochi ita clauſum teneant fontem baptiſmalem ſacrum, ut nihil ſordidi in eum decidere poſſit; quod ut accuratius fiat, ſaltem ſemel in hebdomada diligenter ſuſpiciant, an pulvis, araneæ, vermiculi, aut aliquid immundi in aquam deciderit, eamque purgent, & diligenter proſpiciant, an aqua ex aliqua fontis parte elabatur; alioquin graviter arbitrio Epiſcopi puniantur.

26 Adminiſtrent Parochi Sacramentum hoc gratis, & ſincere, & quanta fieri poteſt, vehementi intentione regenerandi hominem in Chriſto, & faciendi, quod facere Eccleſia intendit, ad laudem, & honorem Dei, & quando ſibi opportunum videbitur, cæremonias populo declarent.

27 Optamus maxime in eam præcipue curam Epiſcopos incumbere, ut infideles (captivi), qui vulgo *Schiavi* appellantur, in quibus ſignum aliquod converſionis cognitum fuerit, ut in confeſſione Chriſti nominis ejus fidem agnoſcere, & ſacro fontis baptiſmate renaſci cupiant, ab aliis ſeparentur, & in domum aliquam, in qua catechizentur, deducantur, ibique omnia, quæ ſcire Chriſtianos oporteat, doceantur: Catechumeni vero hujuſmodi ne baptizentur, niſi prius diligenter inſtructi, & examinati fuerint, præſertim, ſi natu grandiores extiterint: Baptizati autem cum fuerint, alicujus probi curæ, ſaltem per tres menſes committantur, qui illorum vitam recta, & Chriſtiana ratione regat, & moderetur.

Expoſiti, de quorum baptiſmo dubitatur, quomodo ſint baptizandi?

28 Infans expoſitus, licet appoſitum collo ſcriptum habeat, quo ille baptizatus ſignificetur, ſi tamen re diligenter perquiſita, quemadmodum a Catechiſmo Romano expreſſum eſt, adhuc dubium ſit, eum baptizatum eſſe, ea conditionis formula baptizetur: *Si tu nondum es baptizatus, Ego te baptizo: & ſi tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo, &c.*

Card. Sabell. decretum.

29 Ne vero Eccleſia Dei fœtu novæ prolis amplificari impediatur, decretum a bon. mem. Cardinali Sabello in Provinciali Concilio editum renovantes, Proregem Neapolitanum per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obteſtamur, ut pro ſumma ejus auctoritate, & pietate præcipiat omnibus, in quorum poteſtate ii ſupradicti homines, qui vulgo *Schiavi* appellantur, erunt, ne ad ſacrum baptiſmum cupientes venire impediant, aut quoquo modo retineant, cum certum, exploratumque illis eſſe debeat, ſe nullum majorem quæſtum eſſe facturos, quam ſi hujuſmodi hominum animæ per baptiſmum Chriſto renaſcantur, & lucrifiant.

TITULUS XL.

De Oleis Sacris.

SUMMARIUM.

1 *Poſt confecta nova ſacra olea, antiquis Parochi ne utantur.*
2 *Sacrorum oleorum clavis a Rectore, non a Clerico teneatur.*
3 *Vaſcula qualia eſſe debent, & quomodo cuſtodienda?*
4 *Qui in Cathedrali ſacra olea diſtribuit, nomina eorum, quibus dederit, & Eccleſiæ, cui deſerviunt, in librum referat.*
5 *In olei Chriſmatis confectione Dignitates, & Canonici, & Cathedralis Eccleſiæ clerici adſint, aliique, quos Epiſcopus judicaverit, ſub pœnis arbitrariis.*

1 Parochi omnes poſt feriam quintam in Cœna Domini, quando ſcilicet olea nova ſunt conſecrata, antiquis amplius, prout ordinavimus, non utantur, ſed quotannis mittatur Sacerdos aliquis, aut ſaltem aliquis in ſacris conſtitutus, qui nova accipiat, & vetera comburantur.

Olea ſacra quomodo ſervanda ſunt?

2 Olea ſacra ſerventur ſub bona cuſtodia, loco ſcilicet tuto, clavibus munito, quæ a Rectore ipſo teneantur, non a Clerico.

3 Vaſcula vero dictorum oleorum decenti conſtent materia, & forma cum inſcriptione eorum, ac perpolita, & munda perpetuo ſint, & ſacculo ſerico incluſa.

4 Cui in Eccleſia Cathedrali id muneris datum eſt, vel ex officio pertinet, ut oleum, aut chriſma ſacrum Plebanis, aliiſque Parochis diſtribuat, hic in librum eo nomine confectum referri faciat nomina eorum, quibus dederit, & Eccleſiarum, pro quibus acceperint, prout ſupra mandavimus.

In conſecratione Chriſmatis, qui intereſſe debent?

5 Cum oleum Chriſmatis conſecratur, omnino interſint cooperatores, & qui dignitates, ſeu perſonatus obtinent, & Canonici item, ac reliqui Cathedralis Eccleſiæ Clerici, & quos ex aliis Eccleſiis ſuæ Civitatis, & Diœceſis Epiſcopus vocandos duxerit, ſub pœnis arbitrio ipſius imponendis.

TITULUS XLI.

De Sacramento Confirmationis.

SUMMARIUM.

1 *Dies aliquot ante Confirmationis miniſtrationem, Parochi populo denuncient, eumque inſtruant de dignitate, & fructu hujus Sacramenti, inſtructioneſque patria*

patria lingua Dominica ante Pentecoſtem promulgare.

2 *Parochiani omnes ea ætate, qua Epiſcopus duxerit, Chriſma recipiant.*

3 *Confirmandi ante Sacramenti ſuſceptionem, ad Eucharistiam ſumendam, (ſi ætas permiſerit) inducantur.*

4 *Septennio minores ne confirmentur: Si tamen Epiſcopi judicio id fiat, creſcente ætate, parentes eos certiorent de ſuſcepto Sacramento.*

5 *Excommunicati, criminoſi, & in Paſchate inconfeſſi pro Patrinis, ne recipiantur.*

6 *Parochi Confirmatorum, & Patrinorum nomina, & cognomina in libro ſcribant, ejuſque exemplum quotannis in Epiſcopale Archivum mittant, ſub pœna Epiſcopo arbitraria: Doceant quoque populum de contracta cognatione.*

7 *Neque Clerici ſine Epiſcopi licentia, neque Regulares Compatres agant.*

8 *Per Presbyteros deputatos Confirmatorum frons goſſypio abſtergatur, idque poſtea combuſtum in Sacrarium vergat.*

9 *Octava Pentecoſtis in Civitate, cum viſitatur, in Diœceſi, Chriſma eſt miniſtrandum.*

10 *Periculoſe ægrotantes, Chriſmaque antea non delibutos petentes, Epiſcopus confirmet.*

11 *Chriſmandi ritus, & ordo.*

12 *Hora tertia Chriſma miniſtrare Epiſcopus ſtudebit.*

13 *Compater confirmandum dextero teneat brachio, ſi adultus eſt, pedem ſupra Compatris dexterum imponat.*

14 *Turpia nomina, aut ridicula in confirmatione mutentur.*

15 *Moneat Parochus, ne confirmandi, aut Compatres arma in Eccleſiam ferant.*

1 Epiſcopus cum Sacramentum Confirmationis miniſtraturus erit, Parochis jubeat aliquot ante dies id Populo denunciare, eumque tanti Sacramenti dignitate, & fructu ex Catechiſmi Romani doctrina docere, atque inſtruere, inſtructioneſque hac de re lingua vernacula promulgare Dominica ante Pentecoſtem.

Ad quid Parochi ante collationem hujus Sacramenti teneantur?

2 Videant item Parochi, ne quis eorum, qui ſibi in curam traditi ſunt, illud ſuſcipere negligat; quare præmoneant, quod etiam Concilii Vormatienſis canone ſancitum eſt, ut quicumque intra Parochiæ ſuæ fines habitant, neque confirmati adhuc ſunt, illud omnes ſuſcipiant, qui ætate ſunt, qua Epiſcopus eos duxerit eſſe debere, qui ad hoc Sacramentum tunc accedant.

Concilium Vormatienſe refertur.

3 Confirmandi autem, ut melius præparati hujus Sacramenti gratiam, & dona percipiant, ad confeſſionis, & Euchariſtiæ (ſi tamen id ætas permiſerit) Sacramenta ſuſcipienda cohortationibus inducantur.

4 Pueri, non niſi ſeptennes ad confirmandum offerantur, niſi aliter juſta de cauſſa Epiſcopo viſum fuerit; iis vero minoribus natu, atque adeo parvulis, ſi quandoque miniſtrabitur, eorum parentes, vel qui curam gerunt, Parochus moneat, ut ætate procedente illos ea de re certiores faciant, ne Parentibus, Curatoribuſque poſtea mortuis, ipſi aliquando dubitent, an hoc Sacramentum, quod iterari nefas eſt, ſuſceperint.

Confirmandorum ætas.

5 Excommunicati criminoſi, qui in proximo Paſchate non communicaverint, aut Fidei rudimenta ignorent, Patrini confirmandorum ne accedant.

Quibus Compatres eſſe prohibetur?

6 Curent Parochi, ut Confirmatorum, & Patrinorum nomina, & cognomina certo libro ſcribantur, cujus exemplum ſingulis annis Curiæ Epiſcopali tradant in Archivo aſſervandum ſub pœna arbitrio Epiſcopi; doceantque etiam Populum cognationem hoc Sacramento contrahi inter Confirmantem, & Confirmatum, confirmatique patrem, & matrem, & tenentem tantum, ultraque eas perſonas non progredi.

Inter quos cognatio per hoc Sacramentum extendatur?

7 Clerici ſine licentia Epiſcopi in confirmationis Sacramento Patrini nullo modo ſint, nec etiam Regulares.

8 Confirmati frons a Presbyteris ad id deputatis bombice abſtergatur, quæ poſtea comburatur, & in Sacrarium projiciatur.

9 Tempus autem proprium hujus Sacramenti adminiſtrandi, in Civitate quidem eſt octava Pentecoſtes, in Diœceſi vero, cum viſitatur.

Quo tempore hoc Sacramentum eſt miniſtrandum?

10 Quod, ſi quis cum periculoſe ægrotat, ſe Chriſmatis Sacramento confirmatum non eſſe meminerit, ac propterea id ſibi miniſtrari petat, tunc Epiſcopus, ſi eo loci eſt, ubi ille ægrotat, ut ne ſine hoc Sacramento decedat, cum paterna charitate inviſat, & recte confirmet.

11 Qui confirmandi ſunt, primo mares in Eccleſia a parte ſua, feminæ ab altera ſint, ſicque ſeparatim, diſtincte genibus flexis, manibus ante pectus junctis, ſuo quiſque ordine pie, & religiose orent, &, qui vetus ritus eſt, primo mares, deinde feminæ confirmentur, niſi aliquando aliter fieri Epiſcopus cenſuerit.

Confirmandorum ſitus.

12 Hoc Sacramentum Epiſcopus miniſtrare ſtudebit hora tertia potiſſimum, ſi fieri poteſt, quæ ex antiquo ritu ſtata hujus Sacramenti hora eſt.

13 Quod antiqui quoque ritus eſt, id ſervetur, ut Compater in brachio dextero ſuſcipiat, & teneat, quem in hoc Sacramento Epiſcopo miniſtranti offert; ſi vero qui offertur adulta ætate eſt, pedem ſuum ſuper dexterum Compatris, qui ipſum offert, ponat; id, quod non ſine my-

myſterii ſignificatione fit, quam ob cauſſam, & qui confirmatur, & Patrinus tunc coram Epiſcopo confirmante ſtet.

14 Curet etiam Epiſcopus, ac Parochus, ut qui turpe, ridiculumve nomen habet, neque plane conveniens Chriſtiano homini, illud mutet, ſumatque in confirmationis Sacramento nomen alicujus, qui veræ pietatis, ſanctæque religionis laude floruit, ut qui hactenus non ad normam Chriſti Domini vitam inſtituit, jam abjecto ejuſmodi nomine, depoſitoque veteri nomine, & antiqua ſocordia, rurſuſque novo, ac ſancto ſuſcepto nomine virilem in ſancte agendo conſtantiam perpetuo deinceps præſtet.

In ſuſceptione hujus, arma deponenda ſunt.

15 Moneat ſæpe Parochus, hocque tum maxime, cum Sacramenta miniſtrat, ut fideles, quibus ea miniſtrantur, & qui Compatres ad Sacramenta Baptiſmi, & Confirmationis adhibentur, enſem, pugionem, & hujuſmodi deponant, memores ſe in omni ſpiritu humilitatis, ſanctæque pietatis ſtudio adeſſe oportere ſacris illis myſteriis.

TITULUS XLII.

De Sacramento Euchariſtiæ.

SUMMARIUM.

1 *Parochi, & Concionatores ſæpiſſime populum moneant ad frequenter communicandum.*

2 *Epiſcopo curæ ſit, ut in Cathedrali, Collegiatis, Parochialibus, aliiſque Eccleſiis, in quibus Euchariſtia cuſtodiri ſolet, in majori altari collocetur, niſi juſta cauſa aliter ſuadeat. Una ſaltem lampas ante ipſam jugiter ardeat.*

3 *Tabernaculi qualitas deſcribitur.*

4 *Binas Pyxides ſingulæ habeant Parœciæ, unam grandiorem pro populi, alteram minorem pro infirmorum communione, velo contectas.*

5 *Quinque ſaltem ſerventur particulæ, & octavo quoque die renoventur.*

6 *Sacramenti Sodalitas inſtituatur: ejus munus quale? indulgentias procuret.*

7 *Dominicum Corpus de patena non eſt miniſtrandum.*

8 *Nec de conſecrato calice purificatio exhibeatur.*

9 *Diaconis, & Clericis in presbyterio, Laicis extra illud Euchariſtia præbeatur.*

10 *Parochus ipſe, vel eo impedito Sacerdos ad confeſſiones approbatus, Euchariſtiam ægris deferat.*

11 *Devotis ægris frequentem communionem Parochi ne denegent.*

12 *In Sacramenti proceſſionibus Reliquiæ ne circumferantur; tunc in oſtenſorio argenteo magna Hoſtia includatur; per certas eundum vias, nec laſcivæ picturæ pendeant.*

13 *Proceſſionis tempore mulieres, aliive e feneſtris ne proſpiciant. Parochi injuncta opera, & indulgentias, ut infra, populo denuncient Dominica ſolemnitatem præcedente.*

I. Ut confeſſi in die ſolemnitatis, vel infra octavam communicent.

II. Ut eleemoſynam dent, orationibuſque vacent.

III. Ut in ſolemnitatis die, & aliis deinceps octavæ diebus divinis officiis, & proceſſionibus interſint.

IV. V. VI. VII. Indulgentiæ enumerantur.

14 *Adhuc non communicatos communicare volentes Parochus, aut Confeſſarius Parocho cognitus, aliquot ante dies inſtruant.*

15 *Publicis fæneratoribus, blaſphemis, concubinariis, aliiſque id generis, contumacibus, & fidei rudimenta ignorantibus Euchariſtia denegetur.*

16 *Humili geſtu, modeſtoque veſtitu, & ſine armis ad Euchariſtiam accedendum.*

17 *Mulieres non fucatæ, non ſtudioſius ornatæ, nec pretioſis veſtibus ornatæ, ſed velato capite, & a maribus ſejunctæ accedant.*

18 *In Paſchate, aut ejus octava in propria Parochia non confitentes, ſcriptum teſtimonium de confeſſione Parocho afferant; alias ad communionem non admittat.*

19 *Abſentes tempore paſchali, niſi reverſi teſtimonium de percepta Euchariſtia, Ordinarii loci, ubi ſumpſerunt, ſigillo communitum habeant, iiſdem ſubjaceant pœnis, ac non communicato.*

20 *Ut carcerati, & mendici id ſervent, Parochi proſpiciant.*

21 *Communicantium in Paſchate nomina in libro ſignentur. In Cathedralibus, aut aliis Eccleſiis, etiam Regularium, præcepto non ſatisfit, niſi ab Ordinariis licentia detur, aut ipſi diſtribuant: publicis tamen peccatoribus, aut a communione excluſis id non ſuffragatur; exteri, & ignoti inconſiderate ne admittantur.*

22 *In Paſchate non communicantes, quicumque ſint, mandet Epiſcopus, uti excommunicatos, & Eccleſiæ ingreſſu, ac eccleſiaſtica ſepultura interdictos denunciari, eorumque nomina in Cathedralis, & Parochialis Eccleſiæ valvis affigi: inſordeſcentes, ut juris eſt, puniantur.*

23 *Tunc vaſculum ad eleemoſynas colligendas ne proferatur a Parocho, vel Miniſtro; tranſgreſſores Epiſcopi arbitrio plectantur.*

24 *Parochi Euchariſtiam ad infirmos deferentis indumenta.*

25 *Proceſſionis ordo.*

26 *Pſalmi a Parochis alternatim recitandi. Duæ ſint in argentea pyxide particulæ.*

27 *Quid*

27 *Quid in infirmi domo agendum?*
28 *Quid in Eccleſiam reverſis?*
29 *Parochi parochianos ægros ſtatim adeant, ac ad confeſſionem, & communionem inducant.*
30 *Mulieres proxime ante partum ad Euchariſtiam in Eccleſia ſumendam moneantur.*
31 *Ad mortem damnatis, pridie quam moriantur, a Parocho, intra cujus fines ſunt, vel ab alio, cui Epiſcopus commiſerit, Euchariſtia præbeatur.*

Ad hujus Sacramenti ſumptionem frequentem ex naſcentis Eccleſiæ inſtitutione, & exemplis populus inducatur.

1 AD ſaluberrimum illum Sacræ Euchariſtiæ frequenter ſumendæ uſum Parochi, & Concionatores, quam ſæpiſſime populum cohortentur naſcentis Eccleſiæ inſtitutis, atque exemplis, & graviſſimorum Patrum vocibus, & uberrima hoc ipſo de genere Catechiſmi Romani doctrina, & ſententia denique Tridentinæ Synodi, quæ optaret quidem fideles in ſingulis Miſſis, non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicare.

Vide Conc. XIV. tit. 17. de cuſtodia Euchar. ca. 6.

2 Epiſcopus diligenter curet, ut in Cathedrali, Collegiatis Parochialibus, & aliis quibusvis Eccleſiis, ubi Sacramentum Euchariſtiæ cuſtodiri ſolet, vel debet, in majori Altari collocetur, niſi neceſſaria, vel gravi de cauſſa aliud ei videatur, aut in peculiari aliqua Cappella, ac inſigni, & conſpicuo loco conſueverit, de mandato ipſius Epiſcopi aſſervari; ante ipſum autem una ſaltem lampas ſemper accenſa colluceat.

Tabernaculi ornamenta, & materia.

3 Tabernaculum ligneum, aliave materia conſtans, in quo Sanctiſſima Euchariſtia conſervatur, panno ſerico intrinſecus circumveſtitum, undique ſit conopæo etiam decenti ad formam rubricarum, & pro Eccleſiarum facultate, locique dignitate contectum, ac bene præterea, tutoque clauſum, atque ita quoque aptatum, ut inde Sanctiſſimum Sacramentum commode deponi poſſit.

Quælibet Parœcia duas Pyxides habeat.

4 Duas pyxides deauratas, unaquæque Parochialis Eccleſia ſaltem habeat, alteram forma majori ad uſum Sacræ Cõmunionis populo in Eccleſia miniſtrandæ, & aſſervandæ, alteram minori, qua Sanctiſſimum Sacramentum ad infirmos deferatur; utraque pyxis velo ſerico, vel conopæo contegatur.

5 Quinque ſaltem particulæ ſemper conſerventur, quæ octavo quoque die renovabuntur.

Sodalitatis Corporis Chriſti munera.

6 Inſtituatur Confraternitas Corporis Chriſti iis locis, ubi non eſt; Confratribus regulas ſervandas Epiſcopus tradat, quorum præcipuum munus, ut quoties Sacroſanctum Chriſti Corpus ad infirmos, vel in proceſſionibus deferendum erit, ipſorum aliqui nunquam deſint, qui præter alios honorifice illud cum luminibus comitentur. Curent autem hi a Sancta Sede Apoſtolica Indulgentiarum theſauros obtinere, aut eos, quos jampridem ſibi conceſſos Archiconfraternitas Sanctæ Mariæ ſuper Minervam ſolet aliis Societatibus Sanctiſſimi Sacramenti extra urbem communicare.

7 Caveant omnes Sacerdotes, qui Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrant, ut Sacroſanctum Domini Corpus de patena communicantibus exhibeant, niſi forte pauci ſint, ſed vel calice, vel pyxide contineantur.

8 Purificatio poſthac in calice conſecrato non præbeatur.

Bracarenſe, & Toletanum Concilium.

9 Quod ex Toletano IV. & Bracarenſi I. Conciliis ſancitum eſt, id de ſacra communione adminiſtranda religioſe ſervetur, ut Diaconis ſcilicet, & Clericis ad Altare, aut in Choro illa præbeatur, populo autem loco a Choro, Altarive aliquanto remotiori.

Quis infirmis hoc Sacramentum miniſtrare poteſt?

10 Ad ægrum Parochus ipſe, niſi valetudine, aliave neceſſaria cauſſa impeditus ſit, Corpus Domini deferat; ſi vero aliquando in hoc miniſterio neceſſe habet alio Sacerdote uti, ne alio utatur, niſi quem ad confeſſiones audiendas conceſſa in ſcriptis facultate Epiſcopus probaverit, idoneumque ad hoc judicaverit, cum ſæpe contingat ægrum, cùm Sanctiſſimum Corpus Domini defertur, iterum confiteri velle, eo quod poſt peractam confeſſionem aliquid commiſerit, vel ante commiſſum meminerit.

11 Ægrotantibus etiam ſine mortis periculo Sacræ Euchariſtiæ frequentius ſumendæ deſiderio flagrantibus, iis præſertim, qui dum integra valetudine ſunt, frequenti Sacramentorum uſu ſe religioſe, ſalutariterque paſcunt, ne Parochus, quantum per alias neceſſarias in Parochiali munere occupationes ſibi licet, ſpiritualem illam conſolationem, ſalutareque adjumentum, præparatione ab iiſdem habita, deneget.

Proceſſio Corporis Domini quomodo facienda?

12 In ſolemni illa proceſſione, in qua Sanctiſsimum Domini Corpus per Urbem, vel per alios locos religioſo cultu defertur, ne reliquiæ ullæ, ſed illud ſolum, ut veteris inſtituti, Eccleſiæque Romanæ Matris conſuetudinis eſt, pio, religioſoque apparatu, ſolemniq; celebritate deferatur, & quidem in Tabernaculo oſtenſorio argenteo cum magna hoſtia per certas, ac diſtinctas vias, quibus laſcivæ picturæ nullo modo ſint appoſitæ.

13 Quo tempore prohibemus omnino, ne mulieres, aut alii ex feneſtris Sanctiſsimum hoc Sacramentum poſpectent, ſed ex interioribus ædibus pertranſeuntem Clerum reverenter proſpiciant, & Sanctiſsimum Sacramentum adorent; quo autem religioſius Provinciæ noſtræ fideles Sanctiſsimi Corporis Chriſti ſolemnitatem

tatem colant, pietatiſque operibus, quæ ſacro illo ſolemnitatis tempore præſtanda ſunt, indulgentias a Summis Pontificibus Urbano IV. Clemente V. Martino V. item, & Eugenio IV. conceſſas conſequantur, Parochorum cura ſit die Dominico ſolemnitatem præcedente, hæc paterna charitate, gravique ſermone illos præmonere, atque hortari.

I. Ut confeſſi, vel in ſolemnitate, vel intra octavam ſacram communionem ſumant.

II. Ut pro facultatibus eleemoſynam dent; ut pure, caſteque in orationibus frequentes, atque aſſidui ſint, piiſque in exercitationibus verſentur.

III. Ut in ſolemnitate, & reliquis deinceps ſeptem diebus ad veſpertinum, & matutinum, aliarumque canonicarum horarum officium, & Miſſæ ſolemnis ſacrum frequentiſsime conveniant, proceſſionem ſolemnem item ſupplices obeant; utque ad ea Chriſtianæ pietatis officia fideles magis inflammentur, per eoſdem Parochos Indulgentiæ, ut infra exponuntur, ab iiſdem Pontificibus unicuique vere pœnitenti, ac confeſſo datæ evulgentur.

IV. Jejunantibus pridie ſolemnitatis indulgentia conceſſa annorum centum; præſentibus in Veſperis primis indulgentia etiam annorum totidem.

V. Qui in matutino aderunt, iis indulgentia annorum totidem.

VI. Qui in ſecundis Veſperis intererunt, iis quoque data indulgentia totidem annorum. Qui primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, completorii officiis aderunt, Indulgentia iis datur quadraginta annorum pro ſingulis horarum officiis.

VII. Qui infra octavam veſpertino, matutinoque officio, & Miſſæ ſolemnis ſacro aderunt, iis Indulgentia item datur annorum centum.

14 Cum Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum iis miniſtrandum erit, qui nunquam illud antea ſumpſerint, eos Parochus, aut Confeſſarius, qui Parocho cognitus, aliquot ante dies diligentius inſtruat de vi, & dignitate tanti Sacramenti.

15 Arceantur ab hujuſmodi auguſtiſſimi Sacramenti perceptione manifeſti fœneratores, blaſphemi, concubinarii, ac ejus generis alii peccatores, niſi prius veræ pœnitentiæ aliquod ſolidum, & non fictum dederint indicium; iis vero, qui prima fidei rudimenta ignorant, neque aliqua poſt monitiones perdiſcere curarunt, nequaquam miniſtretur.

Ad Euchariſtiam quomodo accedendum?

16 Accedentes ad hoc Sanctiſſimum demiſſa facie, humilique geſtu, ac modeſto veſtitu accedant, omnique armorum genere depoſito.

17 Mulieres item non fucatæ, aut ſtudioſius ornatæ, neque pretioſioribus veſtitibus indutæ, ſed velato capite, prout Apoſtolus præcipit, & a maribus (quantum fieri poteſt) in miniſtratione ſejungantur, ubi id per Eccleſiæ amplitudinem licebit.

Epiſcopi cura, ut omnes in Paſchate Euchariſtiam ſumant.

18 Curabit Epiſcopus, ut juxta C. omnis utriuſque ſexus, quilibet in Paſchatis ſolemnitate, aut ad ſummum in Octava Paſchatis, peccata rite confiteatur, & in propria Parochia communicet; qui Parocho confeſſi non fuerint, ſed aliis Sacerdotibus ab Ordinariis approbatis, ſcriptam de confeſſione, & abſolutione hujuſmodi fidem afferant, alioquin ad communionem non admittantur.

19 Qui Paſchæ tempore abſfuerint, niſi reverſi fidem afferant Sacerdotis, a quo communionem perceperint, Ordinarii ſigillo communitam, ubi Sacram Euchariſtiam ſumpſerint, iiſdem pœnis ſubjaceant, quibus ii, qui non communicarunt.

20 Utque hoc decretum carcerati, & mendici obſervent, diligentiſſime Parochi proſpiciant.

Communicatorum nomina Parochi deſcribant.

21 Parochi item ſigillatim deſcribant omnes, qui in Paſchate communicaverint; in Cathedralibus vero Eccleſiis, aut aliis etiam regularium, eo tempore nulli Sacramentum hoc miniſtretur ad effectum ſatisfaciendi præcepto, quod communicantibus ſignificetur, niſi ſcriptam ab Ordinariis licentiam impetraverint, aut niſi ex manibus Prælatorum ſuorum Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, dummodo publicus quis peccator non ſit, vel aliis a communione de cauſis excluſus. Exteri vero, atque ignoti non paſſim admittantur, neque inconſiderate.

Non communicantes in Paſchate, quas pœnas ſubibunt?

22 Qui Paſchæ tempore Euchariſtiæ Sacramentum non ſumpſerint, etiam eos, qui dignitate quavis, aut gradu, honoreve præditi ſint, jubeat Epiſcopus, uti excommunicatos ſupra a Nobis, & Eccleſiæ ingreſſu, Eccleſiaſticaque ſepultura interdictos in propria Parochiali Eccleſia denunciari, tum eorum nomina deſcripta ad Cathedralis, & Parochialis Eccleſiæ valvas affigi; ſi vero in contumacia perſeveraverint, in eos præterea, prout juris eſt, animadvertat.

In adminiſtratione hujus, capſulæ pro eleemoſyna non ſunt exponendæ.

23 Eo tempore a nullo vaſculum proferatur ad aliquas eleemoſynas percipiendas. Parochus, vel miniſtrans, qui in prædictorum aliquo deliquerit, pœna arbitratu Epiſcopi puniatur.

Quomodo ad infirmos ſit deferendum?

24 Cum ad infirmum deferendum erit Sacramentum, ſit Parochus indutus ſuperpelliceo, ſtola, & pluviali, & Sacramentum deferat ſub decenti umbella, ſeu Baldacchino, quod digniores ſemper geſtent, habeatque velum ſericum, quod humeros, & pixidem, ſeu vas, in quo eſt Sanctiſſimum Sacramentum, contegat.

25 Præ-

25 Præcedant Clerici pſalmos cantando, vel ſaltem unus cum Cotta, & tintinnabulo, & duæ ſint magnæ Laternæ, ut ſurente vento lumen non deficiat.

26 Recitetque ipſe Parochus, oculis ad Sacramentum ſemper intentis, pſalmos pœnitentiales, intelligibili voce, Clerico, vel aliis etiam, qui reſpondere norint, alternatim reſpondentibus. Sit vas argenteum intus inauratum, cum duabus ſaltem particulis, ut una ab infirmo ſumpta, altera ad Eccleſiam eodem honore deferatur.

27 Cum ad infirmi domum perventum fuerit, ſerventur omnia ex Rituali Romano præſcripta, præmiſſaque adoratione, confeſſione, & adhortatione, monitiſque adſtantibus, ut pro infirmo orent, qui ante pectus pannum habeat lineum mundum, in quo Sanctiſſimum hoc Sacramentum exhibeatur, monito poſt communionem infirmo, ut in Dei ſe gratia conſervet.

In Infirmi domo, quæ a Parocho agenda erunt?

28 Ad Eccleſiam cum redeunt, iiſdem orationibus, & reverentia utantur, cumque ad illam perventum fuerit, denunciata aſſociantibus indulgentia, quam fuerunt conſequuti, illis Parochus benedicat, manibus pixidem cum Sacramento tenentibus, illoſque in pace dimittat, ac Sanctiſſimum Sacramentum reponat.

In regreſſu, ad Eccleſiam Populo benedicat, indulgentiam aſſociantibus enunciabit.

29 Parochi diligenter curent, ut nullus unquam (quoad ejus fieri poterit) intra fines ſuæ Parochiæ degens ſine hoc ſalutari Sacramento decedat, atque iccirco quoſcumque ægrotare noverint, ſtatim adeant, & ad peccatorum ſuorum faciendam confeſſionem, & communicandum inducant, quod omnino ſervari præcipimus.

30 Moneant etiam Mulieres proxime ante partum, ut propter inſtans mortis periculum Euchariſtiam ſumant in Eccleſia.

31 Damnatis vero ad mortem delinquentibus, pridie quam moriantur, Parochi, juxta quorum Parochiæ fines carcerati maneant, vel alii, qui curæ hujuſmodi de Ordinarii mandato præſunt, ſalutare hoc Sacramentum præſtent. Utque id officiales ſæculares ſervent, in virtute ſanctæ obedientiæ jubemus.

TITULUS XLIII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

1 *Confeſſariorum doctrina ab examinatoribus, vita a fide dignis teſtibus Epiſcopi juſſu exploretur.*

2 *Lectio caſuum conſcientiæ inſtituatur, ad quam Parochi, ceterique Pœnitentiæ Miniſtri ſemel ſaltem in hebdomada accedent, cum viri docti præſidentia.*

3 *Inſtructio pro Confeſſariis fiat a Synodalibus Deputatis.*

4 *Paulo rudioribus confeſſionis facultas ne concedatur, niſi aliter Epiſcopus judicaverit.*

5 *Approbati Bullam in Cœna Domini, & Caſus Pontifici, & Epiſcopo reſervatos habeant.*

6 *Ni Vicarii perpetui adſint, conſtituantur.*

7 *Pœnitentiaria in Cathedralibus inſtituatur. Negligentes Epiſcopo in proxima Provinciali Synodo rationem reddent.*

8 *Singuli Epiſcopi in Diœceſanis Synodis caſus colligant reſervatos, & ex his per Provinciale Concilium reſervandi deligantur.*

9 *Trigeſimo tertio anno expleto Confeſſarii eligantur: juſta de cauſſa Ordinarius poteſt diſpenſare. Si Regulares ſint, ſuorum Superiorum litteras habeant; licentiæ in Epiſcopali Curia non regiſtratæ nullæ ſunt.*

10 *In Eccleſiæ foribus, ubi confeſſiones excipi ſolent, Tabella per Sacriſtam apponatur cum Confeſſariorum nominibus, & cognominibus.*

11 *Curent Parochi, ne quis abſque Ordinarii ſcripta facultate confeſſiones audiat. Hujuſmodi temerarios ſtatim Epiſcopis renuncient.*

12 *Nullius privilegii prætextu abſolvere licet a caſibus Epiſcopo reſervatis, ſine ejus ſpeciali licentia.*

13 *Pœnæ recenſentur, quas a caſibus reſervatis ſine licentia abſolventes incurrunt, cujusvis privilegii prætextu.*

14 *Medici ſive Phyſici, ſive Chirurgici, niſi infra triduum a prima viſitatione ægri confiteantur, eis nuncient, ſe a curatione defuturos:*

15 *Hoc triduo tranſacto, medici ſe ab inconfeſſorum curatione abſtineant ſub excommunicationis pœna, niſi aliter Epiſcopo viſum fuerit. Conſtitutio Pii V. de Medicis ſemel ſaltem in anno a Parochis promulgetur.*

16 *Hortatio, ut omnes ægrotis inculcent, quæ animarum ſalutem attingunt.*

17 *Confeſſarii vigore Jubilei ab irregularitate abſolvere non poſſunt, niſi nominatim ei diſpenſetur.*

18 *Ni reſtituerint, non abſolvantur, qui alienas res, legata pia, aut bona Eccleſiæ habent, aut alienæ famæ detraxerint. Idem de falſis teſtibus, qui ad damna ſarcienda compellantur.*

19 *Ante omnia pœnitens interrogetur de impedimentis confeſſionis, quæ ſi habeant, dimittantur, & ad reditum moneantur, quo abſolvendi facultas interim obtineri poſſit.*

20 *Singulis Quadrageſimæ Dominicis per Parochos, & Concionatores moneantur Pa-*

Parochiani, ut per totam Paſchatis octavam præcepto faciant ſatis. Inobedientium nomina Epiſcopo, vel ejus Vicario deferantur. Si proprio Sacerdoti infra dictum tempus non confeſſi fuerint, niſi ab Epiſcopo, aut ejus Vicarii, aut de proprii Sacerdotis conſilio aliud judicetur, anathemate feriuntur.

21 *Parochi hujus decreti, initio quadrageſimæ legendi, exequutionem negligentes 25. ducatorum pœna mulctantur, aliaque Epiſcopi arbitratu.*

22 *Confeſſarii pœnitentias pecuniarias ſibi ipſis applicandas, aut a ſe diſtribuendas, ne imponant, nec miſſarum pro pœnitentia ſatisfactionem in ſe ſuſcipiant, niſi hæc ſponte offerantur. Contrafacientes a confeſſionibus audiendis, donec reſtituerint, ſuſpenduntur, gravius Epiſcopi arbitrio plectendi.*

23 *Pro publicis delictis publica injungatur pœnitentia; quos ſolemniter pœnitere opus fuerit, menſe ante Quadrageſimam Parochi Epiſcopo nuncient, ut pœnitentiam exſolvere, & die Cœnæ Domini reconciliari ſtato ritu poſſint.*

24 *In Confeſſionali Sede confeſſiones excipiantur.*

25 *Dum abſolutionis formula, preceſque adjunctæ proferuntur, dextera manus ſupra pœnitentis caput elevatur.*

26 *Pœnitentes qaomodo ad confeſſarium accedere debent?*
Caſus reſervati, quibus latæ ſententiæ excommunicatio eſt annexa.
Caſus reſervati, quibus non eſt annexa excommunicatio.

27 *Pueri, & puellæ ante pubertatem expletam caſibus reſervatis non includuntur.*

Munus Confeſſarii a quibus ſuſcipiendum?

1 MUnus audiendi confeſſiones, cum ſit longe graviſſimum, nemini committi debet, qui doctrina, moribus, ac prudentia idoneus ad id ſuſcipiendum non inveniatur: Doctrina itaque illorum ab Examinatoribus, vita a fide dignis teſtibus, Epiſcoporum cura, & juſſu, diligenter explorabitur.

Inſcitia Sacerdotum quomodo ab Epiſcopis propulſanda?

2 Ut vero inſcitiam, quæ calamitatis hiſce temporibus multorum malorum cauſſa eſt, facilius propulſent Epiſcopi, lectionem caſuum conſcientiæ, ubi id commode fieri poterit, inſtituant, ad quam Parochos, ceteroſque Sacramenti pœnitentiæ Miniſtros ire procurent, ſemel ſaltem in hebdomada, cui vir doctus præſit.

3 Brevis inſtructio fiat pro Confeſſariis a Deputatis ab hac Synodo Provinciali, quam ipſorum ſinguli habere teneantur.

4 Si quis prævio examine paulo rudior repertus fuerit, non ei facultas concedatur, niſi ad breve tempus ex rationabili cauſſa putaverit Epiſcopus eſſe concedendam.

5 Approbati habeant Bullam in Cœna Domini, & caſus Summo Pontifici, & Epiſcopis quavis ratione reſervatos, ne quid ignoranter ſibi non ſuæ facultatis aſſumant.

6 Ubi Vicarii perpetui non ſunt, conſtituantur, juxta Bullæ ſan. mem. Pii Quinti formam.

7 Pœnitentiarius, ad præſcriptum ſcilicet Concilii Tridentini, inſtituatur in cunctis Eccleſiis Cathedralibus cum unione præbendæ proxime vacaturæ. Negligentes proxima Provinciali Synodo prætermiſſi officii rationem reddent.

Caſus reſervati Provinciæ deligendi in Provinciali Concilio.

8 Colligantur in unum caſus reſervati a ſingulis Epiſcopis in ſuis Synodis Diœceſanis, at ex omnibus certus numerus ſeligatur eorum, qui per Concilium Provinciale reſervandi ſunt.

9 Licentia vero audiendi confeſſiones nulli concedatur, niſi compleverit ſaltem trigeſimum tertium annum; cum hoc tamen, ut ſi aliter juſta de cauſſa viſum fuerit Ordinariis, diſpenſare poſſint ſuper tali ætate; & ſi regulares ſint, habeant ſuorum Superiorum litteras; nullius autem licentia ſupradicta ſuum ſortiatur effectum, priuſquam in Curia Epiſcopali regiſtrata fuerit.

Confeſſariorum nomina in foribus Sacriſtiæ affigenda.

10 In foribus Sacriſtiæ cujusvis Eccleſiæ, ubi confeſſiones audiri, & Confeſſores plures eſſe ſolent, affigatur tabella, in qua nomina, & cognomina Confeſſorum approbatorum deſcripta ſint.

11 Diligenter autem proſpiciant Archipresbyteri, & Parochi, ne quis ſæcularis, ſeu regularis confeſſiones audiat ſine ſcripta ab Ordinariis licentia; ſi quos id temerario auſu attentantes invenerint, Epiſcopis ſtatim denuncient.

12 Sciant cuncti etiam Regulares, qui audiendi confeſſiones ſcriptam licentiam obtinuerint, fas illis non eſſe quorumcumque privilegiorum prætextu a caſibus ab Epiſcopis reſervatis ſine illorum ſpeciali licentia abſolvere.

Abſolventium a reſervatis pœnæ.

13 Si quis autem tam ſæcularium, quam regularium, cujuſcumque Ordinis, Congregationis, aut inſtituti ille ſit, etiam ſub prætextu privilegiorum, indultorumve a caſibus hujusmodi ſine prædicta conceſſione aliquem ſcienter abſolverit (niſi in mortis articulo) ſciat ſe pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, privationis officiorum, dignitatum, ac beneficiorum, & inhabilitatis ad quæcumque beneficia obtinenda, ipſo facto, abſque alia declaratione incurſurum, ſuper quibus a nemine, niſi a Summo Pontifice diſpenſatio, ac abſolutio, & habilitatio impetrari poſſit, juxta decretum Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Cardina-

na-

nalium Sacri Concilii Tridentini interpretum ex ſpeciali mandato fel. record. Clementis Papæ Octavi, Datum Romæ die 26. Novembris 1602.

Caſus vero a Concilio Provinciali reſervati inferius adnotabuntur.

Innocentii III. & Pii V. conſtitutiones de Medicis innovantur

14 Salutarem Innocentii Tertii conſtitutionem in Generali Concilio editam, & a ſan. mem. Pio V. innovatam, Nos ad uſum revocantes, iterum præcipimus, ut Medici tam Phyſici, quam Chirurgici ad ægrotos in lecto jacentes adducti, ut illorum curam ſuſcipiant, eos plane moneant, ut idoneo Confeſſario de eorum peccatis confiteantur, quibus etiam denuncient, id, niſi tridui ſpatio ad ſummum præſtiterint, eorum ſe curationi defuturos.

15 Jubemus etiam Medicos, excommunicationis pœna iis propoſita, quam jure ipſo ſubeant, Epiſcopis reſervata, ſi ſecus ii fecerint, tranſacto eo tempore ab illorum curatione omnino abſtinere, niſi aut Epiſcopo, ſive cui Epiſcopus ejuſmodi facultatem dederit, aliud ex juſta cauſſa videatur. Conſtitutio autem prædicta ſan. mem. Pii Quinti quotannis ſemel ſaltem a Parochis promulgetur inter miſſarum ſolemnia.

Bulla Pii V. ſemel in anno legenda.

16 Hortamur denique omnes, quos aliqua de ægrotis cura attingat, ut nullam occaſionem omittant inculcandi eis, quæ ad animæ ſalutem pertineant.

17 Confeſſarii vigore Jubilei, aut aliarum quarumcumque litterarum, quibus illis conceditur facultas abſolvendi a peccatis gravioribus, & cenſuris, cum eo, qui irregularitatem incurrit, diſpenſare non poterunt, niſi nominatim diſpenſandi ſuper irregularitate facultas exprimatur.

18 Ante debitam ſatisfactionem neminem abſolvant eorum, quibus obligatio inſit aliena reſtituendi, aut legata pia perſolvendi, præſertim ſi jura, cenſus, juriſdictiones, & bona Eccleſiarum quovis quæſito colore occupata detineant, eorum itidem qui alienæ famæ detraxerint, niſi ipſorum exiſtimationi integre ſatisfecerint, idque præcipue in falſis teſtibus, quos ad ſarciendum damnum in bonis eo nomine compellant.

19 Confeſſarii ante omnia pœnitentem interrogent de impedimentis confeſſionis, ſi nimirum ſit excommunicatus, vel ſi caſus habeat reſervatos, quo loco paterne, & ſine ſcandalo eum dimittant, ſuadeantque, ut redeat, donec facultate obtenta abſolvendi, poſſint eorum conſcientiæ mederi, ne audita aliorum peccatorum confeſſione, ob præmiſſa abſolvere impediti, occaſionem conquerendi, aut alicujus ſcandali pœnitenti præbeant.

20 Curent diligenter Parochi, ut eorum Parochiani debito tempore confiteantur, & communicent, ut a ſacris Canonibus eſt ſtatutum, illoſque per omnes quadrageſimæ Dominicas paterne moneant, ac etiam per Concionatores moneri curent, ut id per totam octavam Paſchatis ad ſummum adimpleant. Quod ſi tranſacta Paſchatis octava aliqui id non præſtiterint, mittant ad Epiſcopum, vel ejus Vicarium notam eorum, qui neque confeſſi fuerint, neque communicaverint, ut eos, uti excommunicatos, publicari curent. Nos enim ex nunc pro tunc in eos ſic monitos, cujuſcumque dignitatis, & gradus honore præditos, qui per totam octavam Paſchatis peccata ſua proprio approbato Sacerdoti, vel alteri ab Ordinario approbato confeſſi non fuerint, vel ſacram Euchariſtiam a proprio Parocho non ſuſceperint, niſi ab Epiſcopo, vel ejus Vicario, aut de proprii Sacerdotis conſilio aliud judicetur, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrendam præſentis Conſtitutionis auctoritate declaramus, & promulgamus, illoſque anathematis mucrone ferimus.

In Paſchate non confeſſi excommunicantur.

21 Quod ſi præſentis Conſtitutionis, quam initio quadrageſimæ ſemper legi volumus, exequutionem Parochi in aliqua parte neglexerint, vigintiquinque ducatorum, & alia arbitratu Epiſcopi pœna mulctentur.

22 Caveant omnino Confeſſarii, ne pœnitentias pecuniarias ſibi applicandas, aut a ſe diſtribuendas pœnitentibus imponant, quærentes, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti; ſponte tamen oblatas eleemoſynas non recuſent, cum Eccleſia Dei eleemoſynis ſuſtentetur; quod etiam prohibemus in miſſis pro pœnitentia injunctis, ut omnino prorſus turpis lucri ſuſpicio ceſſet. Qui contrafecerit, ab audiendis confeſſionibus, donec prædicta reſtituerit, eo ipſo ſuſpenſus exiſtat, gravius tamen arbitrio Epiſcopi puniendus.

23 Studeat Epiſcopus ad Sacrorum Canonum, & Tridentini Concilii præſcriptum pro publicorum delictorum ratione, & publicam, & ſolemnem pœnitentiam in uſum revocare. Quos vero ita ſolemniter pœnitere oportet, menſe ante Quadrageſimæ initium ad ſe per Parochos deferri curet, ut primum ineunte Quadrageſima, illi pœnitentia affici, tum die Cœnæ Domini Eccleſiæ reconciliari poſſint, ſtato ſolemni ritu.

Confeſſarii ſedentes confeſſiones audiant.

24 Confeſſarius quicunque, vel ſæcularis, vel regularis ſit, non ſtando, ſed in ſede, tanquam pro Tribunali Iudex, ſedendo, ſacram confeſſionem audiat pœnitentium, quales ſint, etiam in ſummo aliquo dignitatis gradu conſtituti; itidem faciat, cum abſolutionis ſententiam pronunciat.

25 Quod in Eccleſia antiqui inſtituti, veteriſque conſuetudinis eſt, recte omni-

no

In abſolutione manum dexteram ſuper caput pœnitentis elevare, cum myſterio fit.

Quæ pœnitentes in ſuſceptione hujus Sacramenti agere teneantur?

no ſervet, ut dum abſolutionis formulam, preceſque adjunctas profert, ſupra caput pœnitentis manum dexteram elevet, cum id myſterii ſignificatione non vacet.

26 In pœnitentiæ Sacramento magna humilitas ſumme neceſſaria eſt. Itaque pœnitentes cum ad Confeſſarium, qui Chriſti locum in eo miniſterio tenet, accedunt, intimo animi dolore, omnique humilitate, non ſubjectis pulvinaribus, ſi neceſſitas aliud non poſtulat, ſe ſe ad illius pedes projiciant, ac proſternant, id, quod ab Apoſtolicis utique temporibus in more, uſuque poſitum eſt, ut ſe reos agnoſcant, atque profiteantur mortis extremæ.

Dum confitentur, ſint manibus junctis, digitis paululum erectis, oculis demiſſis.

De caſibus reſervatis, quibus annexa eſt excommunicatio latæ ſententiæ.

1 Qui manus violentas in Clericum injecerit, (quatenus de jure abſolutio ab hac cenſura Nobis reſervatur.)
2 Procurantes abortum fœtus animati ſequuto effectu.
3 Abutentes per ſe, aut per alium Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, Chryſmate, aut Oleo Sancto, aut alia quacunque re ſacra in operibus divinationum, veneficiorum, aut in aliis rebus illicitis. Dantes item, aut recipientes res hujuſmodi ad prædictos fines, etiamſi non ſequantur abuſus.
4 Venefici, Sortilegi, Striges, aut qui cum expreſſa Dæmonis invocatione utuntur incantationibus, faſcinationibus, ligaturis, aut in his ſolvendis maleficia adhibent, aut in ſupradictis auxilium, aut conſilium dantes.
5 Notarii teſtamenta, codicillos, & quæcumque legata ad pias cauſſas facta infra menſem non revelantes Archiepiſcopali noſtræ Curiæ.

De caſibus, quibus annexa non eſt excommunicatio.

1 Concubinarii publici, tam Viri, quam Mulieres.
2 Inceſtum committentes in primo, aut in ſecundo gradu conſanguinitatis, aut affinitatis, ita ut maſculi tantum comprehendantur.
3 Blaſphemantes Deum, aut Beatiſſimam Virginem, & Sanctos.
4 Colloquentes cum Monialibus, cum novitiis, aut cum puellis educationis cauſſa in clauſtris commorantibus ſine noſtra licentia.
5 Cum brutis coeuntes, ita ut maſculi tantum comprehendantur.
6 Homicidæ voluntarii, & eis dantes auxilium, conſilium, vel favorem.
7 Falſificantes ſcripturas publicas, aut eiſdem in judicio ſcienter utentes, aut falſum teſtimonium in judicio ferentes.
8 Confeſſarii in actu confeſſionis, aut prope, pœnitentes ad res turpes inducentes, aut ſollicitantes, qui etiam ipſo facto ſint a divinis ſuſpenſi.
9 Qui tempore debito decimas non ſolvunt tam prædiales, quam perſonales.
10 Stateras, aut menſuras adulterantes, aut corrumpentes.
11 Impedientes, occultantes, & cum poſſint, & debeant, non exequentes teſtamenta, & legata ad pias cauſſas, & pervertentes ultimas teſtantium voluntates.

Declaramus pueros, & puellas ante pubertatem expletam his noſtris caſibus non eſſe incluſos.

TITULUS XLIV.

De Sacramento Ordinis.

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopi in ordinum collatione T. C. ſervent.*
2 *Plures, quam Eccleſiæ ſervitium depoſcit, ne initientur, aut ii, de quibus probabilis conjectura non eſt, ad ſacros ordines promoveri velle: omnino pauperes, qui ſtudendo non ſunt, a prima tonſura arceantur.*
3 *Prima tonſura initiandis requiſita per Parochi informationem exquirenda. Curent Epiſcopi, ne Clericorum numero ordo vileſcat: neve ſæcularis judicii, aut publica vectigalia vitandi cauſſa, Clerici initientur.*
4 *Fidei rudimenta edocti, legere, & ſcribere ſcientes, tantum initientur, quique certæ Eccleſiæ ſervitio adſcribantur.*
5 *Idem quoad ſervitium de promovendis ad minores ordines ſancitur; alias fructibus, quos lucrati fuerint, priventur.*
6 *Ad ſacros ordines promovendi, Parochi, & magiſtri teſtimonium habeant de eccleſiæ ſervitio, & de latinæ linguæ intelligentia.*
7 *Ad minores promoti ordines, ſuo quiſque munere, ſe exerceant, niſi legitime abſint; ad hos vero nullus promoveatur, ni majoribus dignum ſe oſtendat. Aſſidui ſint Eccleſiæ in miniſterio; frequenter communicent.*
8 *Ad majores ordines promovendi per menſem ante ordinationem coram Epiſcopo ſe ſiſtant, ut de requiſitis inquiri poſſit.*
9 *Ad Subdiaconatum ætas 22. annorum, ad Diaco-*

Diaconatum 23. ad Presbyteratum 25. requiritur.

10 *Ordinationis die ab Archidiacono Bulla Pii Papæ II. de Clericis male promotis legatur.*

Sequitur Bulla Pii Papæ II.

11 *Fraudem directe, vel indirecte committentes, aut permittentes, ne inquiſitio ad bullæ tenorem fiat, ſuſpenduntur a divinis; ulterius ab Epiſcopo puniri poſſunt, etiam uſque ad beneficiorum privationem, & detruſionem in monaſterium.*

12 *Qui ante menſem prædictum coram Epiſcopo pro requiſitorum inquiſtione non comparuerit, ad alia tempora reiiciatur.*

13 *Regulares cujuſcumque ſint ordinis, niſi legitimam ſe habere ætatem, laudabiliter in Religione verſatos eſſe, & rite ad priorem ordinem promotos eſſe, teſtatum faciant, ne admittantur.*

14 *Quoties publica habenda erit ordinatio, edicta proponantur in eccleſiarum valuis.*

15 *Prima tonſura initiandi ad examen clericali habitu, ad ordinationem cotta munda, & propria accedant.*

16 *Ordinandi in aula Epiſcopii feria IV. & VI. ejus hebdomadæ, qua ordinatio habenda erit, ad examen accedant poſt meridiem: omnium nomina Cancellarius recenſeat.*

17 *Temporum interſtitia, ne diſpenſentur, niſi eccleſiæ utilitas, & neceſſitas aliter ſuadeat; tunc Archipresbyter, vel Capitulum loci, non vero ipſe ordinandus inſtet.*

18 *Niſi patrimonium ad ſuſtentationem ſufficiat, aut alicujus Eccleſiæ ſervitio adſcribatur, nemo ad illius titulum ordinetur.*

19 *Patrimoniales donationes non niſi ab Epiſcopali Notario, vel ab altero ab Epiſcopo deputato recipiantur. Duorum omni exceptione majorum teſtimonio conſtet, ſtabilia donata ſine controverſia poſſideri, ære alieno, ſive anteriori credito non gravari. Donatarius ſpondeat donata donanti, vel alteri nunquam ſe retroceſſurum abſque Epiſcopi licentia: tranſgreſſores a ſuſcepto ordine ſuſpenduntur, & ad alios ſuſcipiendos incapaces redduntur.*

20 *Patrimonii aſſignandi valor trecentorum ſit ſaltem ducatorum, niſi Epiſcopus ex cauſſa aliud judicaverit.*

21 *Simulatæ donationes, & doloſæ actionum ceſſiones in eccleſiaſticorum beneficium ne fiant, ſub excommunicationis pœna, a qua eccleſiaſtici ni reſtituant, abſolvi nequeunt; cauſſæ de hujuſmodi donationum, aut ceſſionum validitate, ſummarie dirimantur in Eccleſiaſtico Tribunali.*

22 *In ordinum collatione, nec Epiſcopi, nec ejus familiares, etiam a ſponte dantibus quidquam recipiant.*

23 *Idem Examinatores ſervent ſub excommunicationis pœna.*

24 *Examinatorum inſtructio pro examinandis ad majores ordines.*

25 *Ordinati miſſam ne celebrent, niſi a cæremoniarum Magiſtro approbati, & de Epiſcopi licentia. Contrafacientes per ſex menſes ſuſpenduntur, aliis pœnis Epiſcopi arbitrio afficiendi.*

26 *Epiſcopus peritos Sacerdotes aliorum Sacerdotum ſacro adeſſe jubeat, & aliquem de ſingulis evocet ad ſacrarum cæremoniarum experimentum.*

27 *Ad Epiſcopos hortatio, ut in manuum impoſitione S. C. T. & Provincialis Synodi decreta ſervent; nec ulli cito manus imponant.*

28 *Jubeant Epiſcopi, ut Parochi Dominica die quatuor tempora præcedente, tum jejunium in propria parochia, tum ſupplicationes indicant, ad divinam ſpem implorandam in ordinum collatione.*

1 Accurate complexa eſt Tridentina Synodus omnem diligentiæ rationem, quam in conferendis ordinibus adhibere debeant Epiſcopi, ut Eccleſiæ idoneos Sacerdotes, & alios miniſtros habeant, quamobrem eos admonendos duximus, ut idem ſtudium in exequendo præſtent, quod in præcipiendo adhibitum eſſe omnes intelligunt. *Ex Tridentino quos Epiſcopi ordinare debent?*

2 Juxta igitur Sacri Concilii Tridentini monita in illud Epiſcopi potiſſimum ſedulo incumbant, ut prima Clericali tonſura, neque majorem numerum initient, quam pro ſervitio ſuarum Eccleſiarum opus habeant, neque id genus hominum, de quibus probabilis conjectura non ſit, eos ad ordines ſacros, cum per ætatem licuerit, progreſſuros; hi vero, quibus extrema pauperies oſtendat tantum æris proprii, vel bonorum non ſuppetere, quantum ad obeunda, perficiendaque litterarum ſtudia oportuerit, omnino a prima tonſura arceantur. *Qui clericali tonſura initiandi?*

3 Quo circa ſtatuimus, ut prima tonſura nullus initietur, niſi habita diligenti informatione a Parocho capienda, quod confirmationis Sacramentum ſuſceperit, & ſi adultus ſit, quod nullum delictum commiſerit, ſitque bonæ famæ, & converſationis ad præſcriptum Sacræ Congregationis, neque ſæcularis judicii fugiendi cauſſa hoc vitæ genus elegerit. Quapropter enixe rogamus, & monemus Epiſcopos omnes, ut evigilent, ne Clericorum multitudine abſque neceſſitate Eccleſiarum, vel earum utilitate vileſcat Clericalis ordo, neve qui Clerici fiant judicii ſæcularis fugiendi cauſſa in præjudicium præſertim communitatum pro non ſolvendis publicis, juſtiſque collectis. *Ad collationem primæ tonſuræ, quæ prærequiruntur?*

4 Hæc autem tonſura his, qui fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & ſcribere neſciant, nullatenus conferatur. Quique illa initiati fuerint, certæ Eccleſiæ in teſtimonialibus litteris deſcribendæ ſervitio aſcribantur.

5 Quod ipſum etiam de promovendis ad minores ordines ſancimus; cui ſervitio, ſi non ſatisfecerint, fructibus omnibus, & emolumentis, quos tonſuræ, & ordinum cauſſa lucrati fuerint, ab Epiſcopis omnino priventur, ut reſipiſcant.

Ad minores ordines promovendi quæ teſtimonialia ſecum ferre opus ſit?

6 Qui ad majores ordines promovendi erunt, bonum habeant a Parocho, & Magiſtro Scholæ teſtimonium, quodque in prima tonſura Eccleſiæ ſibi aſſignatæ inſervierint: hi vero latinam linguam ſaltem intelligant, alioquin non promoveantur.

7 Promoti vero in ſuo quiſque munere ſe exerceant, niſi ſtudiorum cauſſa abſint; his vero nullus initietur, quem non ſcientiæ ſpes majoribus ordinibus dignum oſtendat. Sint aſſidui in eccleſiaſtico miniſterio, & frequenter communicent.

Promovendi ad majores ordines quibus obnoxii eſſe non debent?

8 Qui ad majores ordines erunt promovendi, compareant coram Epiſcopo per menſem ante ordinationem, quo, eorum deſiderio, & pia voluntate explorata, mandare poſſit, ut ipſorum nominibus in Eccleſia propoſitis diligenter inquiratur, an legitimis ſint natalibus orti, an publice enorme aliquod grave peccatum admiſerint, & an in eo perſiſtant: an ſint percuſſores, homicidæ, uſurarii, ſeditioſi, bigami, ſimoniaci, abſtemii, aut alicui Curiæ quacumque de cauſſa obligati, an ſint de hæreſi ſuſpecti, publicamque aliquam pœnitentiam egerint, & denique an pie, honeſte, & religioſe ſe geſſerint, ut bonorum exemplo operum, Eccleſiæ prodeſſe poſſint: an habitum, & tonſuram ſemper geſtaverint; Eccleſiæ, in qua adſcripti ſunt inſervierint, & frequenter communicaverint, & an in canendo omnino ſint bene inſtructi.

9 In his erit etiam diligenter inquirendum, an in ætate legitima conſtituti ſint, quique Subdiaconi eſſe velint non ante vigeſimum ſecundum, Diaconi non ante vigeſimum tertium, Presbyteri vero non ante vigeſimum quintum ætatis annum promoveantur.

10 Ne autem ordinati ſuſpenſionis, vel irregularitatis pœnam incurrant ex Conſtitutione fel. recod. Pii Secundi, quam hic ſubiicimus, ut omnino innoteſcat: Volumus eam ipſa die ordinationum ſemper legi, antequam illæ inchoentur, præter id, quod ab Archidiacono ex præſcripto Pontificalis Romani legitur.

Pius Epiſcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam. Cum ex Sacrorum Ordinum collatione character inviſibilis animæ imprimatur, Sacra myſteria diſpenſentur, & ipſarum cura tribuatur animarum in eorum ſuſceptione; exceſſus graves tanto magis plectendi ſunt, quanto ex illis majora in mentibus fidelium ſcandala generantur: Cum itaque (ſicut fide dignorum relatione, non niſi moleſte accepimus) nonnulli Clerici extra tempora a jure ſtatuta, quidam ante ætatem legitimam, alii vero ſine dimiſſoriis litteris contra ſanctiones canonicas ſe faciant ad ſacros ordines promoveri; Nos eorumdem temeritatem tali caſtigatione reprimentes, ut aliis in poſterum committendi ſimilia aditus præcludatur, auctoritate Apoſtolica, ac noſtra Conſtitutione perpetuo valitura ſtatuimus, & ordinamus, quod & ſinguli, qui abſq; diſpenſatione canonica, aut legitima licentia, ſive extra tempora a jure ſtatuta, ſive ante ætatem legitimam, vel abſq; dimiſſoriis litteris, etiam Citramontani a Citramontanis (præterquam ſi hoc ultimo caſu per Cameram Apoſtolicam juxta illius ſtilum ordinati fuerint) ad aliquem ex ſacris ordinibus ſe fecerint promoveri, a ſuorum ordinum exequutione ipſo jure ſuſpenſi ſint, & ſi hujuſmodi ſuſpenſione durante, in eiſdem ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant. Præterea ultra alias pœnas in tales generaliter a jure inflictas, beneficiis eccleſiaſticis poſſint jure privari, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno ab Incarnatione Dominica milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto, decimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno quarto.

Pii II. Bulla.

11 Si quis autem inquiſitioni hujuſmodi faciendæ directe, vel indirecte fraudem ullam fecerit, aut quoquo modo permiſerit, eo ipſo ſit ſuſpenſus, & nihilominus ſeveriſſime arbitratu Epiſcopi puniatur, etiam uſque ad beneficiorum privationem, & detruſionem in Monaſteriū, aliaſque pœnas, prout Epiſcopo videbitur.

12 Qui vero ante menſem prædictum non comparuerit, omnino rejiciatur uſq; ad alia tempora.

13 Regularis cujuſcumque ordinis non admittatur, niſi hæc teſtata faciat, ſe legitimæ eſſe ætatis, in religione cum laude verſatum eſſe, loco tituli emiſſam regulæ profeſſionem, & rite ad priorem ordinem promotum fuiſſe.

14 Quotieſcumque Ordinatio de more publice celebranda erit, Edictum antea promulgetur, affigaturque in valuis Eccleſiarum.

15 Quiſque tonſurandus eſt, ad examen veſtitu Clericali decenter indutus accedat, & ſi approbatus fuerit, quando ordinandus erit, deferat cottam mundam, & propriam.

Ordinandi ad aulam Epiſcopii quando accedere debent?

16 Ordinandi feria quarta, & ſexta ejus hebdomadæ, qua ordinatio facienda eſt, ad Aulam Palatii Epiſcopalis hora pomeridiana pro examine conveniant,

omnium-

omniumque nomina a Cancellario recenſeantur.

17 Temporum interſtitia tam in minoribus, quam in Sacris ordinibus, quæ arbitrio Epiſcopi a Sacro Concilio Tridentino conceduntur, nunquam relaxentur, niſi aperte conſtet de utilitate, & neceſſitate Eccleſiæ, neque tum ad ordinandorum inſtantiam, ſed ad Archipreſbyteri, & Capituli illius loci.

18 Nemo ad titulum patrimonii ordinetur, qui re vera patrimonium ad congruam ſuſtentationem ſufficiens non habuerit, quique alicui Eccleſiæ non adſcribatur, quod Epiſcopi diligentiſſime obſervent.

19 Donationes vero, quæ patrimonii aſſignandi cauſſa fiunt, non niſi a Notario Epiſcopali, vel aliquo ex loci gravioribus ab Epiſcopo deputando, ut inferius cautum eſt, recipiantur, cui duorum ſaltem omni exceptione majorum teſtimonio liquido conſtet, bona illa ſtabilia, quæ donantur, ab eo, qui donat, ſine aliqua controverſia poſſideri, nec eſſe ære alieno gravata, ut dubitari aliquando poſſit, ne donata res ab aliquo anterioris crediti, vel evictionis jure repetatur. Clericus autem ſpondeat, ſe rem donatam nunquam donanti retroceſſurum, vel alteri quavis de cauſſa ſine Epiſcopi conſenſu; qui ſecus fecerit, aut fraudem aliquam commiſerit, ſit eo ipſo ſuſpenſus ab ordine ſuſcepto, & ad ſuſcipiendos incapax.

20 Valor autem patrimonii, aut fundi, vel cenſus donati trecentorum ſit ſaltem ducatorum, niſi aliud ex cauſſa Epiſcopus expedire judicabit, ut clericorum paupertati, & Miniſtrorum paucitati aliquid det, quæ omnia inviolata cuſtodiri præcipimus.

Simulatæ donationes proſcribuntur.

21 Caveant Laici, omneſque alii quacumque dignitate fungentes, ne pro fraudandis publicis vectigalibus, & collectis ad ſimulatas donationes, & doloſas actionum ceſſiones in favorem Eccleſiaſticorum deveniant ſub pœna excommunicationis. Eccleſiaſtici vero, non niſi prævia reſtitutionis ſatisfactione abſolvi valeât; mandantes, ut in cauſſis quomodolibet in Tribunali Eccleſiaſtico ſuper illorum validitate vertentibus, ſummarie, ſine ſtrepitu, & figura judicii, prout in exequutivis, procedi debeat.

22 Quod a Tridentina Synodo ſancitum eſt, ne in conferendis ordinibus Epiſcopi, & eorum Miniſtri quidquam, etiam a ſponte dantibus accipiant, id, & ipſi inviolate ſervent, & a ſuis Cubiculariis, ceteriſque familiaribus ſervandum curent.

23 Examinatores, & quævis aliæ perſonæ nihil prorſus, neque a ſponte dantibus recipient ſub pœna excommunicationis.

24 Neminem contra ea, quæ ſtatuimus, admittant, neve oculis, quod ajunt, clauſis aliquem, etiam regularem, nullo prævio examine ad ordines recipiant; curent præterea, ne quem ad majores ordines probent, niſi is horas Canonicas recitare, aut Catechiſmum, vel Sanctorum vitas interpretari norit, ac in Sacramentis inſtructus exiſtat, propriumque Breviarium afferat, atque in cantu omnino ſit inſtructus; quod ipſum exactius obſervari mandamus, ſi ad Sacerdotium promoveri quis velit: ad majores vero ordines aliquem non admittant, qui præterea, quæ ſuperius ſtatuta ſunt, horas Beatæ Virginis recitare neſciat.

Regularis ſine prævio examine ad ordines non recipiendus.

25 Ordinati ad Sacerdotium caveant omnino, ne miſſam celebrare præſumant, niſi a Magiſtro Cæremoniarum Cathedralis Eccleſiæ circa ritum miſſæ dicendæ diligenter examinati, ac ab eo documento recepto, coram Epiſcopo ſe ſiſtant, celebrandi licentiam petituri; qui ſecus fecerit, ab executione ordinum per ſex menſes ſuſpenſus eo ipſo exiſtat, ac alias arbitratu Epiſcopi puniatur.

Ordinati ad ſacerdotium a cæremoniarum Magiſtro circa ritum examinandi.

26 Et ut exploratum ſit, an Sacerdotes ſtatarum cæremoniarum uſum, peritiamque teneant, Epiſcopus, cum aliquando Miſſæ ſacrificio, quod illi faciunt, alios peritos Sacerdotes præſentes adeſſe jubeat; tum aliquando ſingulos evocet, eorumque in Miſſæ ſacrificio rite faciendo exercitationem, ac peritiam per examen, experiendove cognoſcat.

27 Denique Epiſcopos, quibus manuum impoſitio a Chriſto Domino commiſſa eſt, vehementer per viſcera ipſius Domini hortamur, ut quod a Sancta Tridentina Synodo, & a Nobis ſalubriter inſtitutum eſt quoad ea, quæ ſervanda ſunt in conferendis ordinibus, inviolabiliter obſervent, & ab omni humana affectione omnino vacantes, juſſu Apoſtoli, nemini cito manus imponant.

Ab humana affectione Epiſcopi longe ſint.

28 Jubeat igitur unuſquiſque Epiſcopus, ut Dominico illo die, qui quatuor ſtata jejunii tempora, quibus ordinis Sacramentum miniſtratur, proxime antecedit, Parochi non ſolum ſolemne illud jejunium hujus rei cauſſa inſtitutum denunciabunt, verum etiam in ſua ſinguli Parochiali Eccleſia ſupplicationes, Litaniaſque pie, ac religioſe, vel intus habeant, vel proſequente fidelium multitudine foris Eccleſiam, ut moris eſt, obeant, ut Dei, Sanctorumque ope implorata, tum Epiſcopus in eorum delectu, quibus ordines confert Spiritus Sancti lumine illuſtretur, tum illi, quibus conferuntur, in vitæ ſanctitate, doctrina, religioſiſque virtutibus proficiant.

Supplicationes ante ordinationem faciendæ.

TITULUS XLV.

De Confeſsariis.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſarii pecuniam, etiam ſponte oblatam, in Confeſſionali Sede ne recipiant, nec celebrandarum miſſarum onus, ſi injungant, in ſe recipiant.*

2 *A criminibus ad ſanctum officiū ſpectantibus Confeſſarii ne abſolvant, ſed pœnitentes moneant de obligatione revelandi eos, quos criminis conſortes noſcunt, peccati mortalis, & excommunicationis reſervatæ pœna propoſita, licet ſub juramento ſciant, niſi infra duodecim dies revelaverint, & ab abſolutione abſtineant, & abſolutionem irritam eſſe, ſi ab alio Confeſſario detur, doceant.*

3 *Abſolutione careat, qui confeſſarium, etiam non approbatum, denunciare renuat, ſi verbis, aut ſignis pœnitentem ad turpia ſecum, vel cum aliis perpetranda ſollicitavit, vel inhoneſtos habuit ſermones ante, vel poſt confeſſionem, etiam ea non ſequuta; vel ſollicitatus aſſenſum præſtitit in totum, vel in partem, vel confeſſionem ex turpi fine cum pœnitente ſimulavit; vel chirographo, domi legendo, ſollicitavit. Pœnitens denunciare non tenetur, conſenſerit, necne; & ad denunciationem confeſſarii moneatur mortali culpa, & excommunicatione, quam renuens incurret, propoſita. Idem intelligitur de eo, qui confeſſarium ſollicitaſſe ſcivit, aut audivit, ſub quocumque ſecreto, non tamen Sacramentali.*

4 *Qui ad famæ, vel pecuniæ reſtitutionem tenentur, ea, prout de jure ſequuta, abſolvantur. Si totum illico juſta de cauſſa reſtitui nequeat, ſecundum regulas juris læſorum indemnitati conſulatur. Potentes, & nolentes in vita reſtituere, ne abſolvantur.*

5 *Monetas cujuſcumque Principis adulterantes nullimode abſolvantur, niſi inſtrumenta adulterationis abjecerint, & reſtituerint. Monetæ adulteratores, qui ſint, declaratur.*

6 *Hujuſmodi adulteratoribus auxilium, conſilium, operam, aut commoditatem quamcumque præſtantes abſolutione priventur, & reſtitutioni ſubjaceant.*

7 *Confeſſarii quicumque quovis pretextu, aut colore abſolutionem in his caſibus impertientes, ab audiendis confeſſionibus ſuſpenduntur.*

8 *Nec ante reſtitutionem ii abſolvendi ſunt, qui falſas monetas expendunt, licet ipſi etiam ſint decepti; ſi bona fide expenderint, earum falſitate cognita, ad reſtitutionem etiam tenentur, nec non ſi alteri donaverint, aut mercatori, quos probabiliter ad aliorum deceptionem accepiſſe ſciant, dederint. Si hujuſmodi monetæ per multorum manus fuerint diſtractæ, ut certa læſorum notitia haberi nequeat, reſtitutio in pauperes, vel pia loca vertatur.*

9 *Confeſſarii, præſertim Parochi, ſi conſilio ex malitia, aut ignorantia craſſa reſtitutionem impediunt, ipſi ad eamdem tenentur reſtitutionem.*

1 Confeſſarii, de quorum manibus ſuo redemptas ſanguine animas requiret Chriſtus Dominus, in earum ſalutem ſedulo incumbant, nihil avaritiæ præſeferant, pecuniam, aliaque ſimilia, etiam ſponte oblata, poſt auditas confeſſiones in confeſſionali non accipiant: Si quando Miſſarum celebrandarum onus pro pœnitentia ſacramentali injungant pœnitentes, non obligent, ut pecuniam ad ſe deferant pro iis celebrandis, ſed eorum id libertati, ac devotioni remittant.

Sanguine Chriſti redemptæ animæ a Confeſſorum manibus requiruntur.

2 Cum crimina in confeſſionibus audiendis occurrent ad Sanctum Officium ſpectantia, qualia ſunt hæreſis, ſive formalis, ſive præſumpta, ſortilegia, incantationes, magiæ, divinationes, maleficia, enſalmationes, aſtrologia judiciaria, & cetera, hujuſmodi pœnitentes diſerte moneant de obligatione denunciandi ſub onere peccati mortalis, atque etiam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ reſervatæ, ſtante præcepto Sanctæ Univerſalis Inquiſitionis Romanæ perpetuo de anno 1623. quotquot ſciant reos, ac participes talium ſcelerum, etiamſi ſub ſecreto, vel juramento a quacumque perſona ſciantur, quod ſi tali obligationi ſatisfacere renuant infra duodecim dies a notitia præfati præcepti, non ſolum eos non abſolvant, verum etiam doceant, ſi forte ab aliis Confeſſariis ignoranter abſolvantur, irritam, ac nullam futuram abſolutionem, eoſque manſuros nihilominus gravi culpa, ac cenſura irretitos.

3 Pari modo abſolutionem impertire non audeant pœnitenti, quæ denunciare renuat eidem Sancto Officio Confeſſarium, etiam non approbatum, qui verbis, vel ſignis ſollicitaverit cujuſvis ſexus pœnitentem ad turpia cum ſe ipſo, vel aliis perpetranda, vel habuerit cum eo inhoneſtos ſermones in confeſſione, vel immediate ante, vel poſt, etiam confeſſione non ſequuta in confeſſionario, aut prætextu confeſſionis, vel conſenſum præſtiterit in totum, vel in partem pœnitenti ipſum ſollicitanti, vel ſimul convenerint ad ſimulandam confeſſionem ex turpi eo fine, vel per chirographum domi legendum ſollicitaverit, etiamſi pœnitens complex ſit, quo caſu illa reticere poterit conſenſum, & peccatum ſuum; neque ullo pacto flecti ſe ſinant ad abſolutionem præſtandam, antequam denun-

Qui nullo modo ſint abſolvendi?

cietur

cietur Sancto Officio ſollicitator, monito pœnitente, ſi parere nolit, de mortali culpa, ac cenſura, ut ſupra dictum eſt. Quod idem intelligendum ſit de quocumque, qui hujuſmodi ſollicitationem Confeſſarii audiverit, ac reſciverit aliunde, etiam ſub ſecreto quocumque, excepto ſacramentali.

Pœnitens ad reſtitutionem famæ, vel pecuniæ adſtrictus, quando abſolvendus?

4 Cum reſtitutionem famæ, vel pecuniæ, & ſimilium deprehenderint a pœnitente faciendam, jubeant eam prius, ut adimpleat eo modo, ac loco, quo jus, & intereſſe damnum paſſi exigit, ac juſtitiæ ordo requirit, deinde ut revertatur ad abſolutionem recipiendam: Quod ſi, vel impotentia, vel alio juſto impedimento præſtari ſtatim id non poſſit, omni meliori modo caveatur indemnitati læſorum, juxta regulas juris, eorum damno paulatim, & per partes refecto, ſi totum illico ſarciri nequeat. Nec abſolvantur, qui cum ſciant ſe teneri ad reſtitutionem, & poſſint in vita reſtituere, nolunt, niſi in articulo mortis, vel poſt mortem per hæredes.

Cum Monetariis quomodo Confeſſarius, ſe gerere debet?

5 Monetariis, ſeu falſi crimen quodcumque circa monetas cujuslibet Principis committentibus, abſolutionem nullo pacto Confeſſarii tradant, niſi prius illi, & inſtrumenta hujuſmodi falſationis abjiciant, & debitæ reſtitutioni ſatisfaciant; falſarios autem vocamus, & declaramus tum eos, qui monetam cujuſcumque Principis ſine legitima auctoritate, privata fuſione, quamvis nec iniquo pondere, nec adulterina materia formaverint, tum eos, qui monetam adulteraverint, aureæ quid argenti, vel argenteæ quid æris, aut alterius alienæ materiæ commiſcentes, vel jam adulteratas tingentes, aut colorantes, ut appareant aureæ, aut argenteæ, quæ tales re ipſa non ſint: tum denique eos, qui de juſtæ monetæ pondere quid detraxerint abſcindendo, ſeu tondendo, vel radendo, quos omnes ad reſtitutionem teneri, vel ipſis Principibus, eorumve legitimis monetariis, vel communitati, aut pauperibus, lociſque piis reſpective ſancimus, facultate quibuſcumque aliter interpretandi penitus interdicta.

Ad falſificandas monetas quoquo modo cooperantes ad reſtituendum adſtringantur.

6 Eos vero, qui dictis omnibus falſariis quoquo modo auxilium, conſilium, operam, inſtrumenta, commoditatem, vel ſcienter ipſam materiam, ſeu pecuniam integram, ac juſti ponderis, ut adulteretur, ſeu tondeatur, præſtiterint, aut quomodocumq; tam iniquo crimini cooperati fuerint, abſolutione Confeſſarii, eodem prorſus modo privent, eidemque obligationi reſtituendi ſubjiciant.

Confeſſarius abſolvens a prædictis caſibus, a confeſſione audienda ſuſpenditur.

7 Quod ſi Confeſſarius aliquis, ſive ſæcularis, ſive regularis, prætextu contrariæ his, quæ hic decernimus, doctrinæ, aut quovis alio colore ſupradictos perditos homines abſolverint, ipſo facto ſuſpenſus ſit ab audiendis in poſterum confeſſionibus.

8 Neve item abſolvant eos, qui falſas monetas, nempe ſtamneas, vel plumbeas, aut æreas pro argenteis, aut argenteas coloratas, ſeu auratas pro ſolide aureis ſcienter expenderint, niſi facta reſtitutione, nihil obſtante, quod ab aliis decepti fuerint, & ipſi; immo ſi bona fide, ſeu ignoranter expenderint, quandocumque comprehenderint earum falſitatem, ac læſionem alterius, vel etiam ſi alteri donaverint, aut mercatori ſcienti, & conſentienti dederint, quos probabiliter ſciant eo animo accepiſſe, ut alium deciperent. Si vero ejuſmodi falſæ monetæ per manus multorum accurrerint, nec facile haberi queat, quiſnam læſus fuerit, & in cujus manu illæ conſtiterint, in pauperes, & pia opera reſtitutio convertatur.

Confeſſarii reſtitutionem impedientes, ad quid tenentur?

9 Animadvertant omnes Confeſſarii, præſertim Parochi, qui ex officio confeſſiones audiunt, ſi reſtitutionem quamcumque impediant conſilio ſuo ex malitia, immo etiam ex ignorantia craſſa, vel culpa lata, teneri ſe ad eamdem reſtitutionem, damnumque ſarciendum, cujus ipſi cauſſa efficax ſunt.

10 In iis, quæ ad famæ reſtitutionem pertinent, accurate perpendant, quæ infra dicentur de maledicis, & detractoriſus, ut muneri ſuo plene ſatisfaciant.

TITULUS XLVI.

De Sacramento Matrimonii.

SUMMARIUM.

1 *Pie, ac ſancte matrimonium eſt tractandum.*

2 *Bis ſaltem in anno materna lingua Parochi evulgent decretum S. C. T. de clandeſtinis matrimoniis.*

3 *Denunciationes a Parocho coram contrahentibus, vel ſaltem parentibus fiant, puellæ curatoris inſtantia. Si contrahentes diverſas habitent Parœcias, in utraque denunciationes fiant; niſi ab altero Parocho, de conſenſu curatoris, certior ſit factus Parochus alter.*

4 *Tres fiant proclamationes feſtis diebus, nec aliqua omittatur, niſi Epiſcopus ex cauſſa conſenſerit.*

5 *Falſum ſcienter revelans impedimentum excommunicetur.*

6 *Clam contrahere tentantes, matrimonio ne jungantur ſine Epiſcopi conſenſu, qui præſtandus non eſt, niſi de delicto legitimum non conſtet indicium.*

7 *Poſt diluculum poſtridie ejus diei, quo nuptiæ a T.C. probibentur, ſolummodo ſolemnes nuptias celebrare licet.*

8 *In ipſa die ultimæ denunciationis matrimonium ne celebretur abſque Epi-*

ſcopi

ſcopi licentia, quæ tamen deneganda, ſi initium Quadrageſimæ, vel Adventus immediate ſubſequitur. Præter Epiſcopi licentiam requiritur, ut Parochus in ſecunda devunciatione ſignificet, matrimonium ipſa die ultimæ denunciationis eſſe contrahendum.

9 *Si ſponſus, vel ſponſa alienæ ſit Diœceſis, non tantum proprii Parochi, ſed Epiſcopi etiam teſtimonium habeat ſigillo munitum, in Epiſcopali curia recognoſcendum.*

10 *Mulieres ex aliena Diœceſi ductæ abſq; matrimonii teſtimonio concubinæ ſunt judicandæ, ſi tamen infamia, aut probabilitas adſit; & tam feminæ, quam viri nomina per Parochum ad Epiſcopum ſunt deferenda.*

11 *Sacerdos alienæ Parœciæ ſponſos matrimonio ne jungat abſque Epiſcopi, vel proprii Parochi expreſſa licentia; contrafacientes a divinis ſuſpenduntur, gravius Epiſcopi arbitrio puniendi.*

12 *Parochi in aliena parœcia ſponſos ne jungant: oſcula, & amplexus inter eos in Eccleſia prohibeant, ſub pœna Epiſcopo arbitraria.*

13 *Epiſcopo reſervatur eorum abſolutio, qui copulam habent ante matrimonium coram Parocho, & teſtibus celebratum.*

14 *Extra Eccleſiam Parochus matrimonio ne jungat, niſi ex Epiſcopi facultate. Inobedientes graviter puniantur.*

15 *Sponſi ante matrimonii conſummationem, Parochi benedictionem accipiant, & Euchariſtiam ſumant, ſub pœnis ſupra ſtatutis.*

16 *Si ex gravi cauſſa matrimonium ante denunciationes contrahatur, ne conſummetur.*

17 *Populum inſtruant Parochi impedimento matrimonii non diſpenſari Apoſtolico mandato, ante quam Epiſcopus, vel Vicarius ea verificet, quæ in mandato continentur.*

18 *Nullis ſponſalibus, nullum eſt publicæ honeſtatis impedimentum; iis validis primum non excedit gradum.*

19 *Siquis matrimonium in gradu a jure prohibito contraxit, Epiſcopali Curiæ denuncietur, & cohabitatio prohibeatur: deinde proceſſus conficiatur de conditionibus intervenientibus, & ad Sanctiſſimum tranſmittatur.*

20 *Sponſalia abſque Epiſcopalis curiæ decreto contracta diſſolvantur, etiam cum altera contrahendo. Contumaces excommunicentur, ſicuti etiam matrimonium ratum, & conſummatum dirimentes.*

21 *Ad 2. tranſeuntes matrimonium, ante quam primum ab Epiſcopo nullum fuerit declaratum, cum Parocho, & Notario excommunicantur: contrahendi licentia ab Epiſcopali Curia eſt petenda.*

22 *Directe, vel indirecte matrimonii libertatem impedientes excommunicantur.*

23 *Excommunicantur Clerici, vel laici cauſſas matrimoniales cognoſcere præſumentes abſque Epiſcopi ſpeciali mandato.*

24 *Parochi contrahentium nomina, diem contracti matrimonii, teſtes, & ſingulorum denunciationum diem referant in librum, cujus exemplar quotannis ad Epiſcopale Archivum mittatur, ſub pœna ducatorum 10. Atteſtationes tamen ex hoc exemplari ne extrahantur, niſi ob impotentiam Parochi.*

25 *Puniendus eſt Parochus, qui denunciationes, vel benedictionem procraſtinavit, ceſſante probabili cauſſa, ab Epiſcopo probanda.*

26 *Tridentini Concilii, & hujus Provincialis decreta de matrimonio Epiſcopi in maternam linguam verti curent, & ſingulis Parochis eorum exemplum tradant, tertio quoque menſe populo vulgandum, niſi aliter Epiſcopo videbitur.*

1 Religioſam animi præparationem matrimonii ratio, & ſanctitas exigit, quam cum minus intelligant laici homines, fit, ut ſæpe graviter in re peccent, quam ſancte inire deberent; ut igitur Sacramentum hoc, quod magnum eſt, & ab ipſo mundi exordio a Deo ipſo ſanctiſſime inſtitutum, ea pietate, qua par eſt, & ſanctitate a fidelibus tractetur, hæc obſervanda præcipimus.

Mundi exordio hoc Sacramentum a Deo inſtitutum.

2 In ſingulis Parochialibus Eccleſiis decretum Sacri Concilii Tridentini de clandeſtinis matrimoniis materna lingua verſum, ſaltem bis in anno a Parochis publicetur, ut ab omnibus percipi poſſit.

De matrimoniis clandeſtinis decretum Conc. Trid. bis in anno a Parochis evulgandum.

3 Matrimonii denunciationes in poſterum a Parocho ne fiant, niſi iis præſentibus, aut conſentientibus, de quorum matrimonio contrahendo agitur, vel eorum ſaltem parentes, iique, qui puellæ curam habent, id poſtularint; quod ſi in diverſis Parochiis illi habitent, utriuſque item Parochus hoc ipſum ſervet. Neque matrimonium alter Parochus denunciet, niſi ab altero Parocho certior factus ſit de poſtulatu, & conſenſu illius, qui ejus eſt curæ ſubjectus.

4 Denunciationes fiant tribus feſtis diebus, qui ex Eccleſiæ præcepto colendi ſunt, atque inter illius Miſſæ ſolemnia, ad quam major Populi frequentia convenire ſolet; eas autem denunciationes ne ulla quidem ex parte remittere eis liceat, niſi proprii Epiſcopi conſenſu, idque cauſſis jure permiſſis.

Quando denunciationes ſint faciendæ?

5 Qui falſum aliquod impedimentum malitioſe attulerit, quo futurum legitime matrimonium impediat, ſi prudens, ſcienſ-

ſciensq; hoc fecerit, præter alias juris pœnas, excommunicationis etiam pœna afficiatur.

6 Ne Parochus matrimonio quempiam jungat, qui illud clam contrahere attentarit ſine Epiſcopi conſenſu, ut de eo debitas ante poſſit ille ſumere pœnas ex Concilii Tridentini decreto; qui conſenſus nec præſtetur, niſi delictum hoc ita ſit occulte admiſſum, ut nullum ejus indicium legitimum extet.

7 Ne ſolemnes nuptias liceat celebrari, niſi poſt diluculum poſtridie illius diei, qui poſtremus eſt temporis, quo Trid. Conſtitutione nuptiarum celebritas interdicta eſt.

8 Quo die de matrimonio contrahendo denunciatio ultima facta eſt, ne eo ipſo die, niſi impetrata ab Epiſcopo facultate, illud celebretur, idque nullo modo, ſi poſtrema ea denunciatio facta ſit pridie illius diei, quo initium eſt Quadrageſimæ, vel Adventus, ac niſi item Parochus populo, antecedente denunciatione, ſignificaverit, eo die, quo poſtrema denunciatio fiet, matrimonium eſſe contrahendum.

Alienæ Diœceſis ſponſus, vel ſponſa non ſolũ a ſuo Parocho, ſed & ab Ordinario teſtimonialia ſubſcripta afferre tenentur.

9 Si ſponſus, vel ſponſa alienæ ſint Diœceſis, teſtimonium in ſcriptis habeatur non ſolum Parochi, ſed etiam Ordinarii loci ſubſcriptione, & ſigillo munitum, quod in Curia Epiſcopali recognoſcatur, ut juxta litteras Sacræ Congregationis univerſalis, & generalis Inquiſitionis ad unguem omnia obſerventur, ne, quod quandoq; contingit, plures ab ignotis, vagiſque hominibus uxores ducantur.

10 Si quis ex aliena Diœceſi ſecum duxerit mulierem, quam ipſe uxorem ſuam eſſe affirmet, ex infamia tamen, vel probabili conjectura Parochus illam eſſe concubinam ſuſpicetur, ab eo legitimi ſidem exigat matrimonii, quam ſi is non oſtenderit, utriuſque nomina ad Epiſcopum deferat, ut opportunius proſpicere poſſit.

Nulli Sacerdoti alterius Parochiæ ſponſos Matrimonio jungere ſine Epiſcopi licentia licet.

11 Nulli liceat Sacerdoti ſponſos alterius Parochiæ matrimonio injungere, niſi ab Epiſcopo fuerit conceſſum, vel de Parochi conjugum licentia expreſſa, non autem tacita ex permiſſione; ſi quis contrafecerit, eo ipſo a divinis ſuſpenſus exiſtat, & gravius arbitrio Epiſcopi puniatur.

Dum matrimonia celebrantur, inter conjuges oſcula, & amplexus in Eccleſia proſcribuntur.

12 Caveant autem omnino Parochi, ne in aliena Parochia ſponſos matrimonio jungant, neve tum oſcula, & amplexus, dum matrimonia celebrantur, inter conjuges in Eccleſia permittant, alioquin graviter arbitrio Epiſcopi puniantur.

13 Qui ſponſalia contraxerint, ſi una ante coierint, quam coram Parocho, & teſtibus, juxta Sacri Concilii Tridentini formam, inter eos celebratum ſit, illius peccati, quoniam in eo ſæpe delinquitur, abſolutionem Epiſcopo reſervatam eſſe volumus, gravemque illis pœnitentiam imponi.

14 Ne Parochus ullo alio loco, quam in Eccleſia ipſa, quæ Sacramentorum proprius locus eſt, ſponſos matrimonio jungat, niſi ex facultate ab Epiſcopo ex cauſſa permiſſa; ſi ſecus fecerit, graviter ab ipſo puniatur.

Quæ ſponſi ante copulam facere monentur.

15 Moneant Parochi repetitis, & efficacibus hortationibus ſponſos, ut ante benedictionem non copulentur, ſub pœnis a Nobis ſtatutis, ac proinde ante matrimonii conſummationem, & contractum humili confeſſione criminum ſuorum ſordes abluant, & cæleſti Euchariſtiæ cibo mentes refrigerent, ne libidinis ſiti æſtuantes deficiant, curentque, ut hoc Sacramentum, quod ſancta res eſt, & ſancte tractandum, ſibi non perniciem, aut Dei iram, ſed gratiam, & ſalutem comparjat.

16 Quoties ob gravem aliquam cauſſam ante publicatas denunciationes matrimonium celebrandum ab Epiſcopo judicabitur, monemus conjuges, ut omnino ab uſu matrimonii, carnalique copula abſtineant, ne, ſi aliquod poſtea impedimentum ſubſit, matrimonium cum gravi ſcandalo dirimere oporteat.

Apoſtolica diſpenſatio in contrahendis matrimoniis Epiſcopo eſt oſtendenda.

17 Parochi populum diligenter inſtruant cum eis, qui diſpenſatione Apoſtolica in contrahendis matrimoniis indigent, non eſſe iccirco diſpenſatum, quod mandatum de diſpenſando obtinuerint, niſi prius ab Epiſcopo, vel ejus Vicario, quibus dirigitur, verificatis his, quæ in eo continentur, auctoritate Apoſtolica cum illis diſpenſetur; qua in re, quia aliquos errare comperimus, præſenti decreto proſpicere volumus.

18 Ubi ſponſalia nulla præceſſerunt, publicæ honeſtatis impedimentum ſublatum eſt; ubi vero valida fuerint, primum gradum non excedit.

Affinitas ex fornicatione ad primum, & ſecundum gradum extenditur.

Impedimentum vero affinitatis ex fornicatione contractæ ad primum, & ſecundum gradum tantum eſt reſtrictum.

19 Qui in gradibus a jure prohibitis contraxiſſe deprehenſi fuerint, a Parochis, & Archipresbyteris denuncientur ſtatim Epiſcopali Curiæ, & a cohabitatione ſeparentur, niſi aliter Epiſcopo viſum fuerit, & proceſsus conficiatur de perſonarum conjunctarum qualitatibus, ſi ſcienter, vel ignoranter, quave de cauſſa matrimonium contractum fuerit, ac deinde ad Sanctiſſimum tranſmittatur, ut Sanctitas ſua decernat, an cum eis diſpenſandum ſit, vel aliqua pœna infligenda.

20 Sponſalia mutuo partium conſenſu contracta, ex nulla cauſſa partes diſſolvant, etiam cum altera contrahendo, niſi præcedēte decreto Curiæ Epiſcopalis, quæ cauſſa illorum diſſolvendorum cognita, prout

Excommunicentur, qui poſt conſūmatū matrimonium ſeparantur.

prout juris fuerit, arbitrabitur. Qui contrafecerit, excommunicetur, vel alias arbitratu Epiſcopi puniatur. Quam pœnam ſubire etiam eos volumus, qui præſertim poſt matrimonium conſũmatum, & ratificatum ſe invicem ſeparare præſumpſerint, dicente Domino, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

21 Nemo ſecundum contrahat matrimonium, niſi primum per Epiſcopum nullum fuerit declaratum. Alioquin tam contrahentes, quam Parochus, & Notarius excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant. Conjuges vero ſtatim ſeparentur, & alias arbitratu Epiſcopi puniantur.

Ex diuturna conjugum abſentia, vel ex vulgi rumore, aut aliis mortis conjecturis, vir, vel uxor nullo modo aliud matrimonium contrahat, niſi mortis habita certa notitia, de qua in Curia Epiſcopali, juxta ſupradictum ordinem Sacræ Congregationis legitime doceat, & ab eadem Curia contrahendi licentiam obtineat; qui ſecus fecerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.

Impedientes matrimonia anathematis pœna plectuntur.

22 Matrimonii libertatem directe, vel indirecte, nemo cujuſcumque gradus, & conditionis, & dignitatis exiſtat, impedire audeat ſub anathematis pœna ipſo facto incurrenda, ut Sancta Tridentina Synodus ſtatuit.

23 Nullus Clericorum, vel Laicorum, quacumque is auctoritate fulgeat, in noſtra Provincia matrimoniales cauſas cognoſcere, vel definire præſumat ſine Epiſcoporum licentia, & mandato ſpeciali ſub quovis colore, & prætextu; qui ſecus fecerit, ſit excommunicatus, & alias arbitrio Epiſcopi puniatur.

24 Conficiant librum Parochi, in quo contrahentium nomina, diemque contracti matrimonii, teſtes, qui fuerunt præſentes, diem etiam cujuſcumque denunciationis factæ diligenter conſcribant, illiuſque exemplum quotannis Curiæ Epiſcopali omnino tradant, in ejus Archivo aſſervandum ſub pœna ducatorum decem locis piis applicandorum, his, qui contrafecerint. Ex dicto autem libro magiſtri actorum extrahere atteſtationes non poſſint, niſi caſu, quod Parochi petentibus illas tradere non valeant.

Parochi denunciationes, & matrimoniales benedictiones procraſtinantes ab Epiſcopo plectendi.

25 Si Parochus in matrimonio denunciationes, vel benedictionem ſine probabili cauſſa procraſtinaverit, cujus judicium deinde ſit Epiſcopi, ab eo plectetur.

Tridentina de matrimonio decreta materna lingua quater in anno evulganda.

26 Epiſcopi ea, quæ de matrimonio in Trid. Synodo in reformatione matrimonii, & his noſtris Conſtitutionibus decreta ſunt, communi lingua divulganda curent, & omnibus ſuæ Diœceſis Parochis eorum exempla diſtribuant, ut illi ternis quibuſque menſibus frequentiſſimo populo Eccleſiis recitent, niſi aliter Epiſcopo videbitur.

TITULUS XLVII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

1 *Extrema unctio ægroto integris ſenſibus miniſtrari debet.*
2 *Parochi conſolatio, & hortatio ad infirmos.*
3 *Adſtantes ad preces pro infirmo hortandi.*
4 *Parochus ad extremam unctionem accerſitus, negligens graviter ab Epiſcopo puniatur.*
5 *S. Malachiæ Epiſcopi charitas admirabilis erga mulierem, quæ ejus culpa ſine extrema unctione deceſſerat, & miraculum.*
6 *Parvulis rationis uſu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, & ultimo ſupplicio afficiendis, extrema unctio adminiſtrari non debet.*
7 *Qua reverentia, & ritu extremæ unctionis oleum geſtari debet?*
8 *Morbi vi, vel caſu repentino correpti ungendi ſunt, ſi rationis compotes, ſacram unctionem, vel petierint, vel petituri ex aliquo pietatis ſigno exiſtimentur.*
9 *Si inter ungendum æger expiret, Parochus ab unctione ceſſet; ſi de vita dubitetur ſub conditione ungat.*
10 *Si error in oleo fuerit, Parochus unctionem, & formam iteret.*
11 *Abſque legitima neceſſitate alius Sacerdos, quam Parochus, infirmos ne ungat.*
12 *Amentibus, & furioſis, ni pietatis ſigna in lucidis intervallis dederint, extrema unctio ne præbeatur. Impœnitentibus, notoriis peccatoribus, & ab Eccleſia reſciſſis, ni pœnitentiæ ſigna dederint, eſt deneganda.*
13 *In eadem infirmitate ſemel unctio præſtanda; ſi longior morbus fuerit, & pluries vitæ, vel mortis ſpes, aut periculum fuerit, iteranda.*
14 *Oleo ad id conſecrato Parochus utatur; quotannis illud a Cathedrali procuret; vetus in Sacrario comburatur.*
15 *Decenter in vaſe ſtanneo cum goſſypio, & velo ſerico ſervetur, a ceteris oleis ſegregatum in baptiſterii ciborio, vel feneſtrella prope altare, cum inſcriptione.*
16 *Unctio formæ verbis eodem tempore reſpondeat.*
17 *In cujuslibet membri unctione goſſypium, vel ſtuppa mutetur.*
18 *Renum unctio in mulieribus omittenda, in viris adhibenda, ſi per infirmitatem licet. Goſſypium, quo infirmus tergitur, in Sacrario comburatur.*

19 *Si*

19 *Si periculum ſit in mora, cum Euchariſtia vaſculum olei infirmorum deferri poteſt, & poſt Viatici ſumptionem inungi.*

20 *Infirmo inuncto, & animam agenti Parochus ſalutaribus officiis ne deſit.*

21 *Parochus legitime impeditus alium Sacerdotem ad pietatis officia erga ægrum ſubſtituere curet.*

22 *Adhibere etiam ad idem poteſt confratres SS. Sacramenti, vel Doctrinæ ad hoc pietatis genus inſtructos.*

23 *Poſt unctionis miniſtrationem, ægri corporalem curam domeſtici ne deſerant, Parochus moneat.*

24 *Epiſcopus in Vrbe, aut ubi reperitur, infirmos inviſat, Epiſcopalem benedictionem largiatur, & plenariam Indulgentiam infirmis impertiendi facultatem procuret.*

25 *Idem a Parochis, Sacerdotibus, & religioſis viris diligenter præſtari curet.*

26 *Parochus, in urbe præſertim, moribundis ſuggerat, ut pro benedictione paſtorali ad Epiſcopum mittant, & plenariam Indulgentiam, ſi facultatem habet, petant.*

1 EXtremæ Unctionis Sacramentum curet Parochus, ut ægroto, dum integris eſt ſenſibus, adhibeatur.

Ad quæ Parochus ante ſanctam unctionem infirmum inducere debet?

2 Item cum ad ungendum infirmum acceſſerit, diligenter eum conſoletur, & hortetur, ut bono animo ſit, & a curis, & deſideriis hujus vitæ ad cæleſtis beatitudinis cogitationem ita erigat, ut abjecto mortis metu, ſe a Deo in æternam requiem vocari gaudeat.

3 Omnes vero, qui adſunt, moneat, ut preces Chriſto Domino pro eo faciant.

In adminiſtratione hujus Parochi mora punienda.

4 Caveat autem Parochus, ne in adminiſtranda extrema unctione negligentiam, ullamque moræ culpam contrahat; alioquin, ſi ad illius adminiſtrationem acceſſitus ire neglexerit, tum rationem Deo reddet, tum graviter ab Epiſcopo pœna plectetur.

S. Malachiæ exemplum Parochis ad ſollicite hoc Sacramentum miniſtrandum proponitur.

5 Is porro, ut ad omnem hujus Sacramenti in tempore adminiſtrandi diligentiam, (præterquamquod præcipue cura ſua bene perpenſa, quæ ſanctæ ſollicitudinis plena eſt, inflammabitur) valde admodum excitetur, propoſito ſibi exemplo Sanctiſſimi Epiſcopi Malachiæ accendatur, prout in vita ejuſdem legitur, & de eo mentionem facit Sanctiſſimus Archiepiſcopus Borromæus in ſuo Provinciali Concilio Mediolanenſi quinto; qui Malachias tam vehementi animi dolore ex eo affectus eſt, quod culpa ſua mulier quædam Sacramenti hujus gratia fraudata deceſſerat, ut totam noctem orando, gemendo, lacrimando conſumpſerit, lacrimarumque vi, qua ſi maximo imbre, pro oleo ſancto, quod non miniſtraverat, mortuam perfuderit; mane autem exaudivit Dominus Sanctum ſuum, ita, ut illa e ſomno excitata, e lecto ſe erigens, Sacramentum hoc ab eo acceperit, & deinceps a morbo convaluerit.

6 Parochus Extremæ Unctionis Sacramentum, ſicuti his miniſtrare debet, auditis ſcilicet perioculoſe ægrotantibus, propeque moribundis, ita his aliis ne miniſtret, nempe parvulis rationis uſu carentibus, ad judicium ipſius Parochi; mulieribus in partu laborantibus, & iis, qui ultimo ſupplicio mox afficiendi ſunt.

7 Curabit Parochus, ut ſanctæ Unctionis oleum honorifice, debitaque reverentia geſtet, Cruce ſcilicet præcedente, & ſuperpelliceo, ſtolaque indutus, ſaltem cum Clerico, & lumine, illudque in ſerica burſa apte incluſum, cordula ſerica a collo pendens, pie, ac reverenter ferat.

Si infirmus ſenſum amittit, quid agendum ſtatuitur.

8 Si aliqua morbi vi, vel repentino caſu correptus infirmus ſenſum amiſerit, inungi tamen poterit, ſi modo dum rationis uſum haberet, vel ſacram hanc Unctionem petierit, vel ea pietatis ſigna dederit, ex quibus facile judicetur eum, ſi mentis adhuc eſſet compos, Sacramentum hoc petiturum.

9 Æger, ſi dum ſacro Oleo ungitur, extremum ſpiritum emiſerit, Parochus ungere deſiſtat. Si aliqua vero morbi vis repente illum oppreſſerit, ut dubitetur, vivus ne ſit, an mortuus, ea conditione inungendo utatur; *Si es vivus, per iſtam Sanctam Unctionem*, &c.

10 Parochus, ſi per errorem aliud oleum, quam quod infirmorum eſt, ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit, etiamſi Chriſmatis, aut Catechumenorum ſit, ut erratum emendet, Olei ſacri, quod proprium infirmorum eſt, unctionem eidem adhibeat; tumque Sacramenti formam iteret.

11 Ne alius Sacerdos, niſi Parochus, hoc Sacramentum miniſtret. Si porro is impeditus, aut alias in mora eſt, mortiſque periculum inſtat, tunc Sacerdos alius pro ſua charitate miniſtret.

Quibus hoc Sacramentum eſt negandum?

12 Amentibus, & furioſis Sacramentum hoc non præſtetur, niſi iis, qui dilucida habuerint intervalla, cumque pia aliqua ſignificatione oſtenderint Sacramenti hujus ſuſcipiendi deſiderium. Impœnitentibus vero nullo modo præſtetur, ſicut, & his, qui cum notorii peccatores eſſent, & ab Eccleſia præciſi, nullum pœnitentiæ ſignum emiſerint.

13 Non niſi ſemel in eadem infirmitate Sacra Unctio adhibeatur, niſi illa longius producta, pluries vitæ periculum, plurieſve ſalutis ſpes inſurgeret.

14 In conferendo vero hoc Sacramento Parochus, non alio prorſus oleo utatur, quam ad id conſecrato, quod eſt propria hujus Sacramenti materia. Singulis

gulis vero annis novum ab Eccleſia Cathedrali in die Cœnæ Domini procuretur, vetus vero in Sacrario comburatur.

15 Aſſervetur in vaſe argenteo, vel ſaltem ſtamneo apte fabrefacto, cum bombyce, & velo ſerico, illudque maneat omnino ſeorſum a ceteris oleis in Ciborio fontis baptiſmalis, vel prope Altare in feneſtrella cum ſua inſcriptione.

Oleum infirmorum ubi aſſervandum?

16 Dum autem verba illa pronunciat: *Per iſtam Sanctam Unctionem*, &c. eodem tempore, non ante, vel poſt, idem ipſe, non alius, oculos injungat; quod ipſum ſervet in aliis corporis partibus.

17 Eadem vero bombyce, ſtuppave ſingula loca non ungantur, ſed in qualibet membrorum ſpecie mutetur,

18 Renum autem unctio, quia ad hujus Sacramenti eſſentiam neceſſaria non eſt, in mulieribus omittendam duximus, prout etiam habetur in Rit. Rom. In Viris autem ita adhiberi poſſe, ſi per infirmitatem licuerit. Bombyx vero, qua infirmus tergitur, omnino in Sacrario comburatur.

Renum unctio non eſt ad eſſentiam Sacramenti neceſſaria.

19 Cum autem Parochus ad ægrum, qui a Parochiali Eccleſia longius abeſt, graviter, ac non ſine periculo mortis, febri, morbove laborantem, Sanctiſſimum Corpus Domini defert, ne ubi ad Parochiale domicilium ipſe redierit, mortem ille prius obeat, quam ad Extremæ Unctionis Sacramentum eidem miniſtrandum reverti poſſit: Vaſculum etiam illius Sacræ Unctionis ſecum ferat, illam ei poſtquam Corpus Domini præbuerit, miniſtraturus, ſi ita pro morbi ingraveſcentis ratione, mortiſque periculo faciendum cenſuerit.

Ad infirmum, ubi mora periculoſa eſt, Parochus cum SS. Euchariſtia ſimul Extremæ Unctionis Sacramentum deferat

20 Ubi hoc officium pie, accurateque præſtiterit, ſi æger adhuc vivit, aut animam agit, ne eidem præſens adeſſe, omniaque ſalutaria officia præſtare omittat.

21 Si adeſſe aliquando non poteſt, vel quia aliis graviter ægrotantibus Sacramenta miniſtrare neceſſe habeat, vel quia neceſſariis Parochialis curæ occupationibus aliis impeditur, tunc ea pietatis officia illi a Sacerdote, ſi quis alius eo loco eſt, ſollicite præſtari curet.

22 Ad quod etiam officium ſibi hoc ſubſidium, cum opus eſt, comparet, ut Confratres SS. Sacramenti, aut Doctrinæ Chriſtianæ homines aliquos Parochiali ſua diligentia ad conſolationis, & ſpei excitandæ officia, aliaque ejuſmodi inſtructos adhibeat.

Confratres, qui ad opera charitatis a Parocho ſubſtituendi ſunt

23 Hoc etiam Parochus domeſticos, qui ægroti curam habent, moneat, ut ne poſt Extremæ quidem Unctionis Sacramentum, quod ei ipſe miniſtraverit, corporis curam deſerant.

24 Epiſcopus pro ſua vigilanti cura in Urbe, aut alio loco, in quo ipſe ſit, cum ægros graviter laborantes, præſertim vitæ ſpiritualis amantes, pietatiſque laude inſignes, paterna charitate aliquando viſitare ſtudeat, tum Epiſcopalem benedictionem moribundis impertiat, immo, & facultatem obtineat a Sanctiſſimo Domino Noſtro indulgentiam plenariam moribundis elargiendi nomine Sanctitatis Suæ.

Epiſcopi paterna charitate infirmos viſitare & benedictionem impertiri hortantur.

25 Hoc officium quoque diligentius cum poteſt, ſæpe a Parochis, Sacerdotibus, Religioſis Viris, ut ægrotantibus, & moribundis item præſtetur, pie curet.

26 Parochus vero fidelibus prope morituris ſuggerat, ut ex hoc ſæculo antequam migrent, qui præſertim in Urbe ſunt, aut loco alio, in quo Epiſcopus ſit, ad illum certum hominem mittant, qui ei Epiſcopalem benedictionem petat, & plenariam ſuorum peccatorum indulgentiam, ſi eam a Sanctiſſimo Domino Noſtro obtinuerit.

TITULUS XLVIII.

De abuſu tollendo deferendi domum cereos in feſto Purificationis B. M. V.

SUMMARIUM.

1 *Candelarum in die Purificationis, & Palmarum benedictio Dominica ante Paſcha religioſe admodum perſolvi debet.*

2 *Alibi, quam in Eccleſia, ſtatuto in loco palmæ, vel candelæ ne benedicantur, ſolemnibuſque cæremoniis: Singulæ ſingulis diſtribuantur, ac in decretis iis diebus proceſſionibus circumferantur.*

3 *Palmæ, aut candelæ inter præſentes in Eccleſia diſtribuantur, exceptis tantum beneficii Patronis, ſi jus illas exigendi habent, & frequentantibus Eccleſiam, ſi eo die legitime impediti abſunt. Secus quocumque colore facientes, ſi Clerici ſint, ſuſpendantur a divinis per annum, ſi laici quicumque excommunicantur: Propriis Epiſcopis eas deferendi conſuetudo probatur, deferre etiam locorum dominis, Epiſcoporum arbitrio relinquitur.*

1 Quod pietatis, & Dei honoris cauſſa a Sancta Matre Eccleſia inſtitutum eſt, ut feſto die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis candelæ, & almæ, aut olivæ Dominico die, qui de Palmis dicitur, in Eccleſia ſolemni ritu benedicantur, eæque candelæ accenſæ ſtatis illo tempore proceſſionibus circumferantur, non ſine ſanctiſſima myſteriorum ſignificatione, id, ut inſtituti ratio poſtulat, religioſe admodum celebrari debet.

2 Quamobrem edicimus, ne alio loco,

co, niſi in Eccleſia, neque dum manibus Laicorum teneantur, ſed conſtituto loco poſitæ, ſolemnibus cęremoniis benedicantur, & ſingulæ ſingulis diſtributæ, tum palmæ, tum candelæ accenſæ manibus per eos, qui acceperint, geſtentur ex Eccleſiæ inſtituto, dum ſtatæ illis diebus proceſſiones, & ſacræ aliæ actiones habentur.

3 Utque præterea inducto multis in locis hujus Provinciæ uſui occurratur, quo eæ, vel candelæ, vel palmæ, olivæque ſacro ritu benedictæ non in Eccleſia a quibuſdam ſumantur, ſed ad eos domum deferantur, & quod gravius eſt, a Laicis quibuſdam, quaſi tributum quoddam ſibi a Parochis, vel ab aliis quibuſvis debitum, illæ exigantur, renovantes decretum bo. me. Cardinalis Jacobi Sabelli in Provinciali Synodo editum decernimus, ut ſalvo, ſi quod Patronus aliquis beneficii habet, illas exigendi jure, iis ſolum, qui in Eccleſia intererunt, & illis item tantum tradi liceat, qui iis ipſis diebus ad Eccleſiam convenire ſolent, ſed non potuerunt, vel quia ægroti, vel alia legitima cauſſa impediti; qui ſecus fecerit etiam ſub quovis prætextu, cauſſa, aut colore, ſi Clericus ſit, remaneat ſuſpenſus per annum; ſi vero laicus, & cujuſvis Eccleſiæ Magiſter, Procurator, ſeu adminiſtrator, aut quocumque alio nomine nuncupetur, excommunicatus remaneat arbitrio Epiſcopi, ut abuſus hic, tam in noſtra Civitate, & Diœceſi, quam in tota Provincia penitus tollatur, ne quæ pietatis, & honoris Dei cauſſa ab Eccleſia inſtituta ſunt, ad quæſtum, & tributum convertantur; laudabili tantum conſuetudine retenta, eas deferendi propriis Epiſcopis in ſignum ſubjectionis, & reverentiæ, quorum etiam arbitrio relinquatur eas utilibus locorum Dominis deferendi facultatem concedere.

Cardinalis Sabelli Conſtitutio

TITULUS XLIX.

De Officio Parochi.

SUMMARIUM.

1 *Parochi quomodo præficiendi.*
2 *Parochus nihil deſiderari relinquat, quod animarum gubernium poſtulare videtur.*
3 *Probæ ſit vitæ. Catechiſmum Rom. præ manibus habeat pro recta Sacramentorum adminiſtratione, & ſana pro concionibus doctrina. Inſtructiones ex præſcripto Provincialis Concilii ſciat, & obſervet.*
4 *Animarum ſtatum conficiat peculiari in libro.*
5 *Baptizatorum item, Confirmatorum, Matrimoniorum, & Defunctorum libros habeat, formula in Romano Rituali tradita conſcriptos.*
6 *Librum quoque confitentium, & communicantium; quorum librorum omnium exempla quotannis ad Epiſcopale Archivum tranſmittat ſub pœna ſuſpenſionis.*
7 *Alium habeat librum, in quem Epiſcopi, & Viſitatorum decreta referat. Tranſgreſſores ultra impoſitas pœnas, carcere, & gravius Epiſcopo arbitrio puniantur.*
8 *Dies feſtos fideliter populo denunciet; graviter, pie, ſine avaritiæ ſuſpicione eum moneat.*
9 *Parochi, & alii Epiſcopo inferiores, ad altare concionantes aperto capite ſtabunt.*
10 *Ut commodius id agant, depoſita caſula, ſuggeſtum conſcendere poſſunt, & concione peracta, eam reaſſumere.*
11 *E ſuggeſtu concionantes, operire caput, & ſedere licet; ſi vero Epiſcopus adſit, caput aperiant; niſi de ipſius licentia, ne ſedeant.*
12 *In Sacramentorum adminiſtratione inſcitiam vitet; ægrotos cordi habeat; inopes juvet verbis, obſequiis, eleemoſyna, vel de proprio, vel ſua opera conquiſita.*
13 *Abuſus, ſuperſtitiones, morum, ac fidei ſuborientes novitates tollat, & ut præſentius proſpiciatur, Epiſcopo deferat: negligentes graviſſime punientur.*
14 *Capitula animarum curam annexam habentia, virum idoneum Ordinariis præſentent. Si ſegnia fuerint, Ordinarii ipſi fructuum pinguem portionem probato aſſignent, & juxta Pii V. Conſt. proſpiciant.*
15 *Epiſcopi tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati beneficia curata, vel ſimplicia cum Curatis, ubi opportunum erit, unient: novaſque quoque Parœcias, ſi Parochianorum id exigat commodum, inſtituant.*
16 *Parochi noctu, diuque domi ſuæ habitent.*
17 *Si Eccleſia ædes non habeat, intra Parœciæ fores inhabitent, ſub pœna ducatorum 25. ultra amiſſionem fructuum pro abſentiæ rata.*
18 *Feſtis diebus omnino, & hora populo accommoda celebrent: infra hebdomadam ter ſaltem: feria 2. pro Defunctis offerant, eaq; impedita, alia hebdomadæ die.*
19 *Viduas, & puellas ad miſſam convenire curent; abuſus hac in re tollant, & ſi opus ſit, Epiſcopo nuncient.*
20 *Reverenter miſſæ intereſſe moneant: decreta de divino cultu ad unguem ſervari curent.*
21 *De indigentibus ſolliciti ſint, & opitulentur, alioſque ad idem invitent. Epiſcopum præcipue de his certiorent, ut paternam eiſdem curam præſtet.*
22 *Quoties indulgentias vulgare oportebit, populum inſtruant, ut eas lucretur: at*

ſine Epiſcopi ſcripta licentia, gratis danda, illas ne publicent.

23 *Palmas, & candelas ſuis diebus in Eccleſia intereſſentibus diſtribuant. Parochianos ad eccleſiam frequentandam diebus feſtis præcipue majoribus moneant. Famulos iis diebus miſſæ intereſſe curent.*

24 *Extra Paræciam abſque Epiſcopi licentia ne pernoctent, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto, aliiſque; diſceſſuri cum dimiſſorialibus Paræciam viſitent, neceſſitatibus proſpiciant, & alterum ſui loco, cum Epiſcopi facultate ſubſtituant pro abſentiæ tempore. Contrafacientes pœna 25. ducatorum plectentur, aliiſque arbitrariis.*

25 *Ad aliena ſervitia ne maneant; alterius negotia, vel vilia, ne exerceant,*

26 *Quos libros, quaſque inſtructiones habere debeant?*

27 *In pœnitentiæ Sacramento, aliiſque Concilii Provincialis ſtatuta ſervent. In privatis domibus, aut noctu confeſſiones (niſi infirmorum) ne excipiant; in iis ſemper ſint aſſidui.*

28 *Decretum de Medicis ſervari curent. Infirmos viſitent; prægnantes de confeſſione moneant; ſanos, eam ne ad poſtremos Quadrageſimæ dies prorogent: Paſchali tempore ſtatuta de Pœnitentibus, & communicantibus ſervari proſpiciãt: benedictionem puerperarum privatis in domibus ne perſolvant.*

29 *Segregatos mares a feminis dormire curent, ſi 14. & 12. excedant annum.*

30 *Dominicis, feſtiſque diebus de præcepto, vel conſuetudine ſolemnem Miſſam, & veſperarum officium in Paræcia perſolvant.*

31 *Quod illius diei officii ratio poſtulat, nulla cauſſa omittant.*

32 *In Miſſa Conventuali, vel Parochiali, dum Corpus Dominicum elevatur, campana pulſetur: in aliis miſſis campanulæ ſigno a Clerico indicetur.*

33 *Epiſcopi, regulares, qui annexam curam habent animarum, S. T. C. auctoritate compellant, ut ſtatutis diebus concionem habeant, fidei rudimenta edoceant, ac cetera parochialia munera exerceant.*

34 *Parochi morborum ſuperſtitioſam curationem ne permittant; ſi quæ fiant, Epiſcopo denuncient.*

35 *Sacra olea Laicis ne permittantur; alias Laici excommunicantur, beneficiarii ſuſpenſione, beneficiorum privatione, & exilio, non beneficiarii annali carcere, & exilio plectuntur.*

36 *Excommunicatos ab Eccleſia arceant: concubinarios publicos quoſcumque, publicoſque peccatores ad Epiſcopos deferant.*

37 *Manifeſtos uſurarios in Eccleſia ne ſepeliant, niſi reſtituerint læſis, vel iis abſentibus, Epiſcopo, aut Vicario, aut proprio Parocho; vel pignus, aut per publicum notarium de reſtitutione idoneam dederint cautionem. Secus facientes, ſunt excommunicati.*

38 *Altaria, Capellas, ſepulturas ſine Epiſcopi licentia in Eccleſia extrui ne ſinant. Indecora in eadem fieri ne patiantur.*

39 *Librum oblationum pro miſſis, accepti, & expenſi, decimarum, & oblationum habeant, & bonorum Inventarium, cujus exemplum in Epiſcopale Archivum mittatur, ſub pœna ſuſpenſionis.*

40 *Cum infirmis avide ſe ne gerant. In ſepulturis avaritiam vitent; pauperes gratis ſepeliant.*

41 *Legata ad pias cauſſas diligenter adimpleantur.*

42 *Antequam cadavera ſepeliant, interrogent, an legata ad pias cauſas in vita fecerint; eorumque notitiam ſtatim Epiſcopo deferant.*

43 *Abſque Epiſcopi approbatione ſcripta alios in Sacramentorum adminiſtratione ne ſubſtituant ſub pœna ſuſpenſionis contra eligentes, & electos.*

44 *Electi, & eligendi ad recipiendas, ſive per denunciationem, ſive per inſtantiam, ſive ex officio querelas ad eccleſiaſticum forum ſpectantes, dent Curiæ Epiſcopali notitiam, cum actorum tranſmiſſione, ſub pœna ſuſpenſionis infra ſex dies incurrendæ.*

45 *Parochi ſingulis feſtis diebus miſſam ſolemnem, & veſperarum officium, ut ſupra, in propria Parochia canant, pulſata prius campana.*

46 *Parochiani omnes, niſi alteri Eccleſiæ ſint addicti, eos ad id juvent.*

47 *Sic etiam Clerici ſub pœna decem ducatorum, carceris, aliarumque graviorum Epiſcopi arbitrio pro modo culpæ.*

48 *Miſſarum ſatisfactiones Epiſcopi, quomodo ſcient?*

49 *Liber in Sacriſtia ſit paratus, ubi miſſarum celebrationem, & quo titulo unusquiſque celebrans notet propria manu, & deputatus ab Epiſcopo ſubſcribat ſingulis diebus.*

50 *Hic liber tuto Sacriſtiæ loco ſervetur; & quotannis ad Epiſcopum per Eccleſiæ Rectorem, vel Deputatum afferatur, ſub pœna ſuſpenſionis, aliiſque Epiſcopi arbitrio.*

Parochus in cuſtodia gregis poſt Epiſcopum primum tenet locum.

1 PArochus, qui in Dominici gregis cuſtodia ſecundum poſt Epiſcopum vigilantiæ locum tenere debet, non temere, non præcipitanter conſtituendus eſt, ſed iis ſervatis, quæ a Sacro Concilio Tridentino decreta ſunt, quo ipſius tum probitas, tum doctrina inquiratur.

2 Præfectus jam animarum curæ, juxta Sacrorum Canonum inſtituta, in id

totus

totus incumbat, ut nihil in ſe ejus ſollicitudinis, ac laboris deſiderari permittat, quem hominum gubernatio poſtulare videtur.

3 Ante omnia autem curet Parochus, ut vitæ ſit irreprehenſibilis, neve ullam ſuis ſubditis offenſionem præbeat. Catechiſmum Romanum ſedulo præ manibus habeat, cujus ope tum Sacramentorum rite adminiſtrandorum rationem perſpectam habeat, tum ad conciones habendas ſana doctrina imbui poſſit, quam populo ſibi credito poſtea propinet. Omnes vero inſtructiones ex noſtri Concilii præſcripto conficiendas tum ſciant optime, tum etiam diligenter obſervent Parochi.

4 Illud vero munus, quod præcipuum, & curandis animabus plane neceſſarium eſſe conſtat, ut cunctorum ſubditorum exacta, ac diligens præſcriptio fiat a Parochis, quam primum obiri volumus.

Hic enim, quem vocant, ſtatus animarum uſque adeo cognitu neceſſarius eſt, ut eo prætermiſſo, nec Parochus, nec Epiſcopus munere ſuo rite fungi poſſint; ſcriptum eſt enim Prov. 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui*. Quapropter curabunt Parochi, ut omnium familiarum, ac perſonarum numerum, & qualitatem libro ad hoc peculiari deputato, quam diligentiſſime deſcribant.

Quatuor libri habendi.

5 Quilibet Parochus quatuor libros conficiat, Baptizatorum ſcilicet, Confirmatorum, Matrimoniorum, & Mortuorum, in quibus nomina ſingulorum deſcribantur, juxta formam Ritualis Romani.

6 Librum etiam habeat confitentium, & communicantium, quorum omnium librorum exemplum ſingulis annis ad Curiam Epiſcopalem tranſmittat, in illius Archivo conſervandum ſub pœna ſuſpenſionis.

7 Referat etiam in alium librum ea omnia, quæ ab Epiſcopo, vel ejus Viſitatoribus decernentur, ut ea diligentius exequatur, & alios exequi curet; ſi quis autem in ſingulis capitibus prædictis contrafecerit, ultra pœnam in unoquoque impoſitam, carcere etiam, & aliis gravioribus pœnis arbitrio Epiſcopi puniatur.

Dies feſti populo annunciandi.

8 Parochus, dum ſacrum facit, dies feſtos fideliter annunciet, populumque de his, quæ ad ipſius ſalutem pertinent, qua decet gravitate, ac pietate commoneat; futiles, & quæ riſum ſæpe movent, narrationes devitet; ita jura ſua tueatur, ut nullam cupiditatis, aut avaritiæ ſuſpicionem in auditoribus pariat.

9 Dum autem Parochi, & alii Epiſcopo inferiores in Altari hoc munus obibunt, tunc capite aperto ſtare debebunt ad ſacerdotalis libri præſcriptum.

Quomodo ad ſuggeſtum Parochi debent aſcēdere?

10 Quo autem facilius a frequenti populo audiantur, ſuggeſtum eos aſcendere opportunius erit, tuncque caſulam deponere, ſi maluerint, licebit, quam ſtatim, ſermone habito, ad Altare reverſi induant.

11 In ſuggeſtu concionem, aut ſermonem cum habeant, operto ſint capite, & ſedeant, aut ſtent, prout maluerint; præſente autem Epiſcopo, capite aperto ſedeant de ejus licentia.

12 Obſervet Parochus, ne in adminiſtrandis Sacramentis ullam negligentiam committat, erroremve ex inſcitia proficiſcentem; ægrotos maxime cordi habeat; inopes vero ita curet, ut non modo eorum calamitatem conſolatoriis verbis, & paſtoralibus obſequiis leniat, verum etiam ſubſidio, & eleemoſyna, vel de ſuo, ſi poteſt, vel ſua opera conquiſita ſublevet.

Parochi abuſus, & novitates morum ſumma vigilantia auferre curent.

13 Abuſus, pravas conſuetudines, ſuperſtitiones, morum, ac fidei (quod abſit) ſuborientes novitates vigilantia ſua tollere curet; de quibus omnibus, ut præſentius malo remedium afferatur, quam celerrime ad Epiſcopum referat; alioquin negligentiæ ſe pœnas graviſſimas daturum intelligat.

Capitula curam animarum habentia virum idoneum Epiſcopo citius præſentare debent, aliter juxta conſtitutionem Pii V. providendum.

14 Quoniam vero nonnullis Capitulis in univerſum, non certæ perſonæ animarum cura annexa eſt: iccirco, ut alias a Nobis ſtatutum eſt, ab illis vir idoneus Ordinariis præſentetur. Quod ſi in hoc ſegniter ſe Capitula geſſerint, Epiſcopi fructuum portionem, etiam pinguem alicui a ſe probato aſſignent, & juxta Conſtitutionem ſan. mem. Pii Quinti provideant.

Quæ facere poſſunt Epiſcopi, ut Apoſtolicæ Sedis Delegati?

15 Ad ſtatum Eccleſiarum ex dignitate conſervandum Sacrum Concilium Tridentinum magna cum ratione ſtatuit, ut Epiſcopi, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati poſſint, juxta formam juris, ſine obtinentium præjudicio facere uniones perpetuas quarumcumque Eccleſiarum Parochialium, & baptiſmalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum Curatis propter earum paupertatem, & in aliis caſibus a jure permiſſis. Itaque Epiſcopi, ubi opportunnm fuerit, ea facultate diligenter utantur.

Alexandri III. conſtitutio, & Triden. decretum.

Ubi vero ob locorum diſtantiam Parochiani ſine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, ac divina officia audienda accedere non poſſunt, novæ Parochiæ conſtituantur, juxta Alexandri Tertii ſanctionem, & Tridentini Concilii decretum.

16 Parochis, ut in officio contineantur, præcipimus, ut in ſuæ Eccleſiæ domo, noctu, & interdiu ſemper habitent, ut occurrentibus Populi neceſſitatibus proſpicere poſſint.

17 Quod

17 Quod ſi Eccleſiæ domum non habent, habitent ipſi ſaltem infra Parochiales fines; qui ſecus fecerint, vigintiquinque ducatorum pœna mulctentur, præter fructus, quos amittunt pro temporis abſentiæ rata ex Concilii Tridentini præſcripto.

Quibus diebus Parochi ad ſacrum faciendum ſint adſtricti?

18 Diebus omnibus feſtis in Eccleſia celebrent, horaque competenti, & Populo commoda, frequenterque etiam extra dies feſtos, ſaltem tribus diebus in hebdomada; ſecunda vero feria miſſæ ſacrum pro Defunctis ſemper faciant, & ſi is dies impeditus ſit, alio die in hebdomada.

Abuſus de non audiendo ſacro tollendus.

19 Curent omnino, ut Viduæ, & Puellæ ad miſſam audiendam conveniant, & ſi quis in hoc ſit abuſus, illum prorſus tollant, & ſi opus fuerit, Epiſcopo deferant.

20 Si qui adſint in miſſa abſque reverentia, illos moneant, ut reverenter, ſicut debent, tanto Sacrificio interſint, curentque ad unguem obſervari ea, quæ de divino cultu conſtituta ſunt.

Circa pauperum curam, quæ Parochus facere debet?

21 Studioſe vero Parochus ſollicitus ſit de pauperibus ſuæ Parochiæ, præſertim puellis nubilibus, viduis, orphanis, pupillis, ægrotis, ſenio confectis, aliiſque perſonis utraque miſericordia indigentibus, quibus, & ipſe opituletur, & alios hortatu ſuo ad id officium invitet. Præcipue de iis Epiſcopum certiorem faciat, ut qui communis eorum pater eſt, iiſdem paternam curam præſtet.

22 Parochus quotieſcunque indulgentias publicari oportet, populum diligenter inſtruat, quidnam agere debeat pro iis conſequendis. Illas vero ſine Epiſcopi in ſcriptis licentia publicare nullo modo audeat, quæ gratis detur.

23 Palmas, & Candelas ſuis diebus diſtribuat, illaſque nonniſi in Eccleſia, prout ſupra, ſancitum eſt. Parochianos moneat, ut parochiam diebus feſtis frequentent, præſertim vero majoribus; utq; famulis diebus prædictis a miſſarum auditione vacare non permittant.

Sine Epiſcopi licentia extra Parœciam Parochus pernoctare non poteſt.

24 Maneat aſſiduus in Parochia, neque unquam ſine Epiſcopi licentia extra pernoctet, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, & aliis pœnis arbitrio ipſius Epiſcopi; quoties autem cum licentia diſceſſurus erit, diligenter perquirat, ſi quis in Parochia ſit infirmus, ſi quæ parituræ, quæ Sacramentis indigeant, quibus illa miniſtret, antequam diſcedat, & nihilominus alteri curam prædictam, durante abſentiæ tempore, demandet, facultate habita ab Epiſcopo; qui contrafecerit in prædictorum aliquo, vigintiquinque ducatorum pœna, carcere etiam, & aliis arbitratu Epiſcopi puniatur.

25 Servet Parochus gradum ſuum apud omnes, & ad nullius uſpiam ſervitia maneat, neque aliena negotia gerat, neque vile aliquod exercitium faciat.

Libri a Parochis habendi.

26 Habeat, præter Catechiſmum Romanum, Rituum Eccleſiaſticorum librum, aliosque Parochiales, præſertim vero ad caſus conſcientiæ pertinentes, & ſacram Scripturam, & ſacroſanctum Concilium Tridentinum; ſciat Canones Pœnitentiales, libellumque Caſuum Reſervatorum, & Bullam in Cœna Domini apud ſe omnino habeat in Confeſſionali, & notam Caſuum Epiſcopo reſervatorum.

27 Quæ de Sacramento Pœnitentiæ miniſtrando ſuperius ſtatuta ſunt, & de aliis Sacramentis, ad unguem obſervet, caveatque ne in privatis domibus, aut noctu, præterquam infirmorum confeſſiones audiat, in quibus audiendis ſit omni tempore aſſiduus.

28 Decretum vero de Medicis omnino ſervari curet; infirmos etiam non vocatus viſitet, illoſque, ac mulieres gravidas de confeſſione moneat; ſanos vero, ne ad ultimos Quadrageſimæ dies confeſſiones prorogent. Paſchæ autem tempore diligenter proſpiciat, ut quæ de Pœnitentibus, & communicantibus ſtatuimus, prorſus obſerventur. Neque benedictionem, quæ puerperis impendi ſolet, in privatis domibus unquam impertiat, &c.

29 Curet, ut mares a feminis ſeparati dormiant ſupra duodecimum, & quartumdecimum annum.

30 Parochus in ſua quiſque Parochiali Eccleſia ſingulis Dominicis, & feſtis diebus, qui Eccleſiæ præcepto, vel conſuetudine coluntur, miſſam ſolemnem, & veſperarum officium peragat, idque ea ratione, ut ſi unum, pluresque habeat, quibus adjutoribus utatur, illos officii pſalmos, & preces, ut ritus eſt, canat; ſi minus quempiam adjutorem habet, voce alta, & clara ita recitet, ut ab iis, qui præſentes in Eccleſia adſunt, exaudiatur.

31 Id vero caveat, ne quidquam, vel minimum, quod ad ſtatam illius diei officii rationem pertineat, ulla cauſſa omittat.

32 In miſſa Conventuali, & Parochiali, cum Corpus Domini elevatur, ſignum ſono campanæ detur; in aliis vero miſſis id ita præſtetur, ut tunc parvulum tintinnabulum, a latere Altaris appenſum, aut a Sacriſtia allatum, a Clerico miniſtro certis diſtinctis ictibus pulſetur.

33 Tridentini Concilii auctoritate Epiſcopus regulares, ad quos animarum cura quovis jure pertinet, compellat, ut in Eccleſiis, & aliis diebus eodem Concilio præſcriptis ſacram concionem habeant, doctrinæ Chriſtianæ pueris rudimenta tradant, tum alia parochialia munia præſtent.

34 Di-

Incantantes morbos Epiſcopo denunciandi.

34 Diligenter proſpiciat, ne mulieres, præſertim obſtetrices circa infantium infirmitates ſuperſtitioſa aliqua dicant, aut faciant, neve lamias, aut ſtriges permittat, vel incantantes morbos hominum, aut animalium, neve divinationes, aut ſuperſtitiones aliquas herbarum, dierum Lunæ, aut panis benedicti, ſed ſi quas hujuſmodi repererit, ſtatim Epiſcopo denunciare curet,

Oleis ſacris abutentium pœna.

35 Neque olea ſacra Laicis ullo modo concedat, ne illis abutantur, alioquin Laici ipſo facto ſint excommunicati; Clerici vero Beneficiati ſuſpenſione beneficiorum, privatione, ac etiam exilio a Civitate, & Diœceſi mulctentur. Non beneficiati, carceris annalis, ac deinde eamdem exilii pœnam incurrant.

36 Excommunicatos ab Eccleſia arceat; publicos concubinarios cujuſcumque gradus, & dignitatis ſint, publicorum peccatorum nomina ad Epiſcopum deferat ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ.

Uſurarii, ante præceptam reſtitutionem non ſepeliendi.

37 Ne Parochi uſurarium manifeſtum, ut Conſtitutionibus Apoſtolicis ſancitum eſt, etiam ſi in teſtamento, aliave quadam ultima voluntate ipſe mandaverit ea reſtitui, quæcunque uſuræ nomine acceperit, in ſepulturam eccleſiaſticam tradant, niſi pro eorum facultatibus re ipſa illis ſatisfactum ſit, a quibus uſuras exegerit, aut ſi ii abſunt, Epiſcopo, Vicariove ejus, vel Parocho, intra cujus Parochiæ fines ille, dum vixerat habitaret, vel Notario publico de reſtitutione cautum ſit pignoribus, aut idonea ſponſione facta. Qui vero Parochus id generis hominum ſciens ſepelierit, is norit, ſe excommunicationis pœna affectum eſſe ex Clementis Quinti Conſtitutione in Concilio Viennenſi edita.

Contrafacientes Parochi ex Clementis V. conſtitutione excommunicantur.

38 Caveat omnino Parochus, ne in Eccleſia fabricari Altaria, vel Capellas erigi, vel ſepulturas fieri ſine Epiſcopi licentia permittat; jocos vero, deambulationes, riſus, vaniloquia, aut alia, quæ in Eccleſiis fuerint prohibita, nullo modo patiatur.

Libri oblatorum, redituum, & expenſarum habendi.

39 Habeat librum, in quo oblata pro miſſis dicendis deſcribat, ut curare poſſit illis ſatisfieri, teneatque librum etiam redituum, & expenſarum, decimarumque, & oblationum Eccleſiæ, & inventarium bonorum omnium ipſius, cujus copia detur Curiæ Epiſcopali, in Archivo aſſervanda ſub pœna ſuſpenſionis.

40 Caveat, ne avare ſuadeat infirmis aliquid relinquere Eccleſiæ, quod alias non eſſent relicturi. In ſepulturis avaritiam vitet, & pauperibus gratis, ut ſupra dictum eſt, illam concedat.

41 Quæ a Defuncto relicta ſunt pro miſſis, officiis, & luminibus diligenter fiant, & impleantur.

Antequam corpus ſepeliatur, notitia piorum legatorum habeatur.

42 Subditos ſæpe moneat pro legatis piis adimplendis, utque illa facilius exequutioni mandentur, iterum præcipimus Parochis omnibus, ut antequam corpus ſepulturæ tradatur, procurent notitiam piorum legatorum (ſi quæ defunctus fecit) habere, illaque ſtatim Curiæ Epiſcopali denuncient.

43 Caveant omnino Archipresbyteri, Parochi, & alii quicumque ad curam animarum deputati eligere, & deputare quovis prætextu, cauſſa, & colore Capellanos Œconomos ſubſtitutos, vel alios quovis modo ad exercenda, & ſubminiſtranda Sacramenta Eccleſiæ, niſi fuerint per Epiſcopos ſpecialiter, expreſſe, & de mandato in ſcriptis approbati, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto a divinis, aliiſque pœnis ipſorum arbitrio infligendis tam contra eligentes, quam electos.

Archipresbyteris, & Vicariis foraneis præcipitur, ut perturbantes immunitatem Eccleſiaſticam, Curiæ Epiſcopali denuncient.

44 Item ſtatuimus, & mandamus, prout alias ſtatutum fuit, quod omnes Archipresbyteri, Vicarii foranei, & alii quicumque electi, & forſan eligendi ad recipiendas querelas contra quoſcumque perturbantes immunitatem, & libertatem eccleſiaſticam, vel alias quovis modo pertinentes ad Curias eccleſiaſticas, & juriſdictionem, ſive per denunciam, ſive per querelam, aut ex officio teneantur ſub pœna ſuſpenſionis incurrendæ, infra terminum ſex dierum, dare notitiam Curiæ Epiſcopali cum tranſmiſſione actorum, ut unicuique juſtitiæ complementum miniſtrari poſſit.

45 Singulis diebus feſtis miſſam ſolemnem, & veſperarum officium, ut ſupra ſancitum eſt, canat Parochus in ſua Parochiali Eccleſia, datis prius, ut moris eſt, ſtata hora campanarum ſignis.

46 Quicumque autem Sacerdos de Parochia eum adjuvet ad illud officium præſtandum, niſi alterius Eccleſiæ miniſterio addictus ſit, aut ab Epiſcopo addicatur.

Clerici Parochiæ, cui ſunt adſcripti, inſervire debent.

47 Clerici vero omnes ſimul conveniant in Parochia, cui ſunt adſcripti, & rite omnia perſolvant pro opportunitate temporum. Si quis autem in quid prædictorum contrafecerit, decem aureis, carcere etiam, & aliis gravioribus pœnis pro modo culpæ arbitrio Epiſcopi puniatur.

48 Quo autem citius, atque exploratius Epiſcopus ſciat eorum nomina, qui ſacri faciendi cauſſa aliquid pie, vel legaverunt, vel dederunt voluntarie, & per illos, quorum intereſt, vere ſatisfactum eſſe, ac rurſus, ſi quid ea in re neglectum, aut omiſſum, prætermiſſumve eſt, id opportune, ut fiat, proſpicere, cavereque poſſit, hæc decernimus, ac ſtatuimus.

49 In unaquaque Eccleſia liber deinceps ſingulis annis, vel alio certo tempore renovandus perpetuo ſit, in quo, & anno,

no, & menſe, & die primum notato, unuſquiſque, ſive Parochus, ſive Capellanus, ſive alius Sacerdos, qui quovis obligationis nomine in ea Eccleſia miſsæ ſacriſicium fecerit, in ſingulos dies, ubi id perfecerit, manu ſua ſcribat, & nominatim breviter exponat, ſe illud præſtitiſse, aut Parochialis Eccleſiæ, aut Capellæ, legative pii, aut anniverſarii, aut funeralis officii nomine, cui præterea libro ſingulis diebus ſubſcribat is, quem in qualibet Eccleſia Epiſcopus ſtatuerit, qui item, ſi ipſe eſt, qui miſsæ ſacrificium eo quovis nomine fecerit, ipſe item manu ſua ſubſcribat, quoties eo nomine miſsam celebrarit.

50 Is liber tuto Sacriſtiæ loco aſſervetur, & ſingulis annis ad Epiſcopum afferatur a Rectore Eccleſiarum, vel ab eodem Epiſcopo deputato ſub pœna ſuſpenſionis, & aliis arbitrio Epiſcopi.

TITULUS L.

De Bonorum Eccleſiaſticorum locatione.

SUMMARIUM.

1 *Generale Inventarium bonorum eccleſiaſticorum, juriumque beneficialium conficiatur, ad quod Beneficiarii omnes compellantur pœnis Epiſcopi arbitrio; exempla infra quatuor menſes ad Epiſcopale Archivum intereſſe habentes tranſmittant ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto.*

2 *Eccleſiaſtici aliquid exigentes ex bonorum eccleſiaſticorum in emphyteuſim, vel aliter conceſſorum Notarium adhibeant, qui inſtrumento teſtetur, de ſumma ſoluta, & quo titulo ſolvatur.*

3 *Clerici hac in cautione negligentes dimidia parte fructuum unius anni priventur, aliiſque Epiſcopi arbitrio pœnis afficiantur.*

4 *Hujuſmodi confeſſionum, vel recognitionum inſtrumentorum exempla Clericus, ad quem ſpectat, infra menſem Epiſcopo exhibeat, in Epiſcopali Archivo ſervanda.*

5 *Decretum S. C. T. contra uſurpatores bonorum Eccleſiæ bis in anno publicetur; & Parochi ſervari curent ſub pœnis Epiſcopi arbitrio.*

6 *Fundi eccleſiaſtici, eorumque limites recognoſcantur, quæque meliorationes, vel deteriorationes in eis ſunt factæ.*

7 *Ultra triennium, aut anticipata ſolutione, locationes ne fiant, alioquin ſucceſſoribus non præjudicent: In factis ad longum tempus ex Apoſtolico aſſenſu diligentiſſime inveſtigetur, an talis alienatio in evidentem Eccleſiæ utilitatem cedat.*

8 *Prohibetur locari bona eccleſiaſtica conſanguineis uſque ad tertium gradum.*

9 *Caducitatum remiſſio, niſi prout juris, inhibetur.*

10 *Contractuum de bonis eccleſiaſticis nota infra menſem a die celebrationis Epiſcopali Curiæ tradatur. Contrafacientes, ſive Canonici, ſive Beneficiarii fructibus unius anni priventur.*

11 *Capitula, Beneficiarii, & rerum eccleſiaſticarum adminiſtratores quicumque incumbant, ut eccleſiaſtica bona contra canonicas ſanctiones alienata, vel deſtituta recuperentur, & ne deinceps fiat, ſtatuitur.*

12 *Eccleſiarum, Capitulorum, & Collegiorum bona mobilia, & immobilia, & jura, incorporata, & conjuncta nomine Eccleſiæ, Capituli, vel Collegii per Procuratores adminiſtrentur, non inter Canonicos, vel Beneficiarios dividantur; ſi diviſa extent, uniantur infra duos menſes ab harum publicatione, ſub pœna Epiſcopo arbitraria.*

13 *Rationes ſingulorum bonorum mobilium, jurium, actionum, annuorum cenſuum, ſeu redituum, nominumque debitorum ad eccleſias, monaſteria, vel beneficia ſpectantium diligenter exquirantur infra quatuor menſes, & per publicum Notarium inventaria conficiantur. Ad quod Epiſcopus duos de Capitulo adhibeat; Capitulum coram Epiſcopo, vel ejus Deputatis, ceteri coram dignis teſtibus id exequantur.*

14 *Inventariorum bina erunt exempla Notarii auctoritate munita, e quibus unum in epiſcopali Archivo, alterum in Archivo Metropolitano ſervetur, quoad Epiſcopos, & Cathedralium Capitula: Collegia alterum in proprio, alterum in epiſcopali Archivo, quam primum, ubi non extat, inſtituendo, ſervabunt. Sic etiam quæcumque eccleſiæ beneficia obtinentes: ſi quis epiſcopali Archivo inventarii exemplum quærat, gratis detur.*

15 *Archivum binis occludatur clavibus; in Cathedralibus altera ab Epiſcopo, altera a Capitulo; in Collegiatis altera a Præfecto, altera a Canonicis cuſtodiendis.*

16 *Epiſcopi viſitantes, inventaria ſecum deferant, & cum inventariis viſitandorum conferant: ne quid deſit diligenter inſpiciant: cum deerit, Eccleſiæ reſtitui, omniaque damna ſarciri ſtudeant*

17 *Inventariorum renovationem, ſi videbitur, mandent; & quotannis acceſſio, vel immutatio in inventarium referatur.*

18 *Negligentia, vel fraude in inventariis peccantes, ſi Capitula, vel Beneficiarii ſint, Epiſcopi arbitrio, ſi Epiſcopus in prima Provinc. Synodo utriuſque pœnas dabit.*

19 *Beneficiorum eccleſiaſticorum bona conſanguineis intra tertium gradum ne locentur, niſi evidens, & magna eccleſiæ utilitas Epiſcopi judicio, præter alia juris requiſita, aliter ſuadeat: Alias locatio nulla ſit, & locans ab Ordinario puniatur.*

20 *Provinciæ Epiſcopis committitur ex S.T.C. ut cum binis Deputatis recognoſcant ex officio quaſcumque locationes bonorum eccleſiaſticorum a 30. annis factas, ac ſi contra canonicas ſanctiones eas invenerint, nullas declarent.*

21 Ec-

21 *Eccleſiaſtica ſupellectilia ex quacumque neceſſitate nulli omnino in pignus dare liceat ſine Epiſcopi licentia, in caſibus a jure permiſſis. Qui ſecus faxint, excommunicantur, ad eorum recuperationem juris, & facti remediis compellendi.*

22 *Epiſcopi quotannis peritos viros eligant pro fundorum Capitularium reviſione, certa conſtituta mercede, & hujuſmodi Reviſorum ſcripta relatio cum Epiſcopis communicetur,*

23 *Fructiferarum arborum inciſio abſq; Epiſcopi licentia pœna ducatorum quinque pro qualibet prohibetur, præter damni refectionem.*

24 *Clericus, aut Sacerdos ſi ſcripta ad eccleſiæ rationes ſpectantia occultaverit, aut ſuppreſſerit, Agathenſis, & Aurelianenſis Concilii pœnis, Laici interdicti ab Eccleſiæ ingreſſu plectantur.*

25 *In profanos, aut in proprios uſus expendentes, vel convertentes bona, ſeu pecuniam, dicta vulgo*, la caſſa del pane, ſeu denaro della farina, o caſſa de' morti, *ſtatim excommunicentur, nec abſolvantur, niſi damna refecerint.*

26 *Decimas Eccleſiæ fraudantes, impedientes, & ad earum ſolutionem protervi, excommunicantur, nec abſolutionem obtineant, niſi ſatisfactione ſequuta.*

27 *Idem decernitur circa obligationes, Curatis præſtari ſolitas; Parochi, aut Beneficiarii, ſive connivendo, ſive concordando, præjudicium Eccleſiæ inferentes ſuſpenduntur, ſevere etiam Epiſcopi arbitrio puniendi.*

28 *Qui eccleſiaſtica prædia ad certum tempus, ea conditione conducunt, ut meliora reddant, & impenſæ ipſis reſarciantur, tales in prædiis faciant meliorationes, quæ ſingulis annis tertia parte pretii, quod locationis nomine ſolvere debent, compenſare poſſint. Hanc vero tertiam partem quotannis retineant, quouſque integre impenſas recuperent: non retinentes quotannis, jus repetendi ab Eccleſia, vel a Rectore, qui ſuccedet, amittant.*

Bonorum Eccleſiaſticorum inventaria, ut conficiantur, Epiſcopi prima cura erit.

1 Principio curet Epiſcopus inventarium generale confici omnium bonorum eccleſiaſticorum, jurium, beneficiorum cujuſvis generis ſuæ Diœceſis, compellatque omnes, & ſingulos quævis eccleſiaſtica beneficia obtinentes ad prædictum inventarium exacte, ac fideliter conficiendum, ſub pœnis arbitrio Epiſcopi imponendis, quæ omnia exempla ipſi, ad quos ſpectant, quatuor menſium ſpatio ad ſummum Epiſcopo tradant in Archivo aſſervanda, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ.

Eccleſiarum bona, quæ in emphyteuſim traduntur, ad memoriam ſemper reducenda.

2 Ut bonorum Eccleſiaſticorum, quæ vel in emphyteuſim, vel ad longum tempus alio quovis nomine tradita ſunt, memoria, quoad ejus fieri poteſt, conſervetur, Eccleſiaſticus quivis homo, cui aliquid in ſingulos annos eo quovis nomine ſolvitur, cum primum id exiget, Notarium adhibeat, qui inſtrumenti fide teſtatum faciat quidquid ab eo, qui ſolvere debet, ille acceperit, & cujus fundi, vel vineæ, vel prati, vel ædium, aliarumve rerum eccleſiaſticarum nomine exegerit; idque non niſi, quia ea eccleſiaſtica bona conductionis nomine nunc poſſidens, illum, tanquam directum illorum bonorum dominum, Notarii publici fide recognoverit, eadem diligenti, ut ſupra, deſcriptione prædiorum adhibita.

3 Quod ſi quis Clericus, cujus hoc intereſt, in hujus rei cautione adhibenda negligens erit, dimidia parte fructuum unius anni mulctetur, quos ex eo beneficio conſequetur, aliiſque pœnis Epiſcopi arbitratu.

4 Quæ autem hujus rei cauſa, vel confeſſiones, vel recognitiones inſtrumenti fide conficientur, earum exemplum ille Clericus, ad quem ſpectat, ſpatio menſis Epiſcopo tradat, in Archivo aſſervandum.

Contra uſurpatores Conc. Trident. decretum bis in anno publicandum.

5 Epiſcopus jubeat decretum Concilii Tridentini contra uſurpatores rerum eccleſiaſticarum, bis per annum in Eccleſiis publicari, ſcilicet, primis diebus Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ; idque curent omnes Parochi in cunctis Diœceſibus omnino obſervare, ſub pœnis arbitrio Epiſcopi infligendis.

6 Recognoſcantur ab iis, ad quos ſpectat, fundi eccleſiaſtici cum eorum limitibus, & ſi quæ in eis factæ fuerint meliorationes, vel deteriorationes.

Locationes ad longum tempus proſcribuntur.

7 Locationes ultra triennium cum quocumque ne fiant, neque etiam anticipata ſolutione, alioquin ſucceſſoribus non præjudicent; quas vero ad longum tempus factas a Sede Apoſtolica confirmari obtentum fuerit, cum ſumma cura proſpici mandamus, ut ante exequutionem litterarum Apoſtolicarum diligentiſſime inveſtigetur, an alienatio hujuſmodi vere in evidentem utilitatem Eccleſiæ, quam Summus Pontifex intendit, cadat.

8 Conſanguineis uſque ad tertium gradum, etiam per ſuppoſitas perſonas, bona Eccleſiæ locari omnino prohibemus.

9 Neque etiam caducitates remitti, niſi, prout de jure cautum fuerit.

Nota contractuum in Curia Epiſcopali tradenda.

10 Contractuum vero de bonis Eccleſiæ notam infra menſem a die celebrationis illorum, tam Capitula, quam omnes alii Curiæ Epiſcopali tradere omnino curent. Si contrafecerint, fructibus ipſius anni, quos ex eorum beneficiorum prædiis percipiunt, mulctentur, & aliis arbitratu Epiſcoporum.

11 Capitulis Eccleſiarum, Archipreſbyteris, & Beneficiatis omnibus, & quibuſvis Eccleſiarum Adminiſtratoribus,

ſive Clerici, ſive Laici ſint, præcipimus, quod omnino in eam curam incumbant, ut Eccleſiæ bona contra canonicas ſanctiones quoquo modo alienata, vel deſtituta recuperentur; idque ne deinceps audiat, neve quiſquam, quod in Chriſti patrimonio negligentior ſit, quam in ſuo, merito reprehendi poſſit, ſtatuimus.

Diviſio bonorum inter Canonicos eliminanda.

12 Inſuper etiam mandamus, quod omnia bona mobilia, & immobilia, & jura Eccleſiarum, Capitulorum, & Collegiorum adminiſtrentur ſimul incorporata, & conjuncta nomine Capitulorum, & Collegiorum, mediantibus Procuratoribus eorum, & nullo modo dividi inter ipſos Canonicos, & Beneficiatos poſſint, nec etiam per modicum temporis ſpatium, & quatenus de præſenti diviſa eſſent, & inter ipſos partita reperirentur, debeant iterum incorporari, & reuniri infra ſpatium duorum menſium poſt impreſſam, & publicatam copiam præſentium decretorum, ſub pœnis in contravenientes arbitrio Ordinariorum.

13 Ut Epiſcopi, & Capitula tam Cathedralium, quam Collegiatarum Eccleſiarum, Hoſpitalium etiam, ac quorumcumque piorum locorum adminiſtratores, ſeu gubernatores, & alii quicumque, qui beneficia eccleſiaſtica quæcumque cum cura, vel ſine cura, quocumque nomine nuncupentur, etiam commendata, nunc obtinent, ab hujus decreti editione, qui vero in in futurum quomodocumque obtinuerint, ab adeptæ poſſeſſionis die, quiſque intra ſpatium quatuor menſium omnium, & ſingulorum bonorum mobilium, jurium, actionum, annuorum cenſuum, ſeu redituum, nominumque debitorum, & aliorum quorumcumque ad eorum Eccleſias, vel eorum adminiſtrationi commiſſas, monaſteria, vel beneficia, eorumve menſas quocumque jure pertinentia, rationem diligentiſſime conquirendam, & eorum omnium inventarium, in quo locorum etiam fines, conditioneſque omnes ſigillatim deſcribantur, per publicum Notarium diligenter conficiendum curent, Epiſcopus quidem adhibitis duobus a Capitulo Cathedralis Eccleſiæ delectis.

Infra quatuor menſes inventaria a qualibet Eccleſia conſtruenda.

Capitulum coram Epiſcopo, aut aliis præfectis ab eo; alii vero coram fide dignis teſtibus.

14 Ex eo inventario exempla duo Notarii publici auctoritate ad certam eorum fidem munita conficiantur, quorum alterum Epiſcopi, & Capitula Eccleſiarum Cathedralium in Archivo, quod utriuſque commune ſit, aſſervent; alterum ad Metropolitanum mittant; Præfecti vero, & Capitula Eccleſiarum, quæ Collegiatæ ſunt, alterum exemplum in communi eorum Archivo retineant, alterum in Archivo Cathedralis Eccleſiæ aſſervandum tradant.

Archivi inſtitutio.

At vero in quibus Eccleſiis, vel Cathedralibus, vel Collegiatis Archivum ejuſmodi non ſit, ab Epiſcopo quamprimum inſtituatur, prout ſuo loco dictum eſt.

Singulorum beneficiorum libri duo conficiendi.

Ceteri autem ſinguli, qui beneficia quæcumque eccleſiaſtica quovis titulo obtinent, exemplis item duobus eodem modo confectis, unum in Eccleſia ſua diligenter cuſtodiant, alterum ad Cathedralem Eccleſiam perpetuo conſervandum mittant; unde ſi unus poſtulabit exemplum, ſumere eis liceat gratis.

15 Archiva ſingula duobus clavibus occludantur.

In Eccleſiis Cathedralibus earum unam Epiſcopus, alteram Capitulum cuſtodiat; in Collegiatis alteram Præfectus, alteram Capitulum ſervet.

In viſitatione Eccleſiarum inventaria ab Epiſcopo ſecum deferenda.

16 Præterea in viſitationibus ejuſmodi inventaria Epiſcopi ſecum adferant, & cum iis, quæ ſervant ii, qui viſitandi ſunt, ſigillatim conferant, perſpiciantque diligenter, ne quid eorum, quæ ibi ſcripta fuerint, deſit, quod Eccleſiæ, vel minimo detrimento eſſe poſſit; & ſi quæ forte deerunt, Eccleſiæ reſtitui, omniaque ejus damna ſarciri ſtudeant.

17 Ipſa quoque inventaria, ſi eis videbitur, renovari jubeant; inſuper quæcumque acceſſio, vel immutatio facta ſit, ea quot annis in inventaria referatur.

18 Qui in his, vel negligentia, vel contumacia, vel fraude peccaverint, ſi capitula, & alii beneficia eccleſiaſtica obtinentes, Epiſcopi arbitrio; ſi Epiſcopus, prima Provincialis utique Synodus pœnas dabit.

Bona Eccleſiaſtica conſanguineis locari non permittuntur.

19 Nemini beneficiorum eccleſiaſticorum bona propinquis ſuis intra tertium gradum in emphyteuſim, aut ad cujuſvis temporis ſpatium, etiam per ſuppoſitas perſonas locare liceat, niſi evidens, & magna Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi, præter alia juris requiſita, aliud poſtulare videatur; ſi aliter factum fuerit, nulla ſit locatio, & qui locarit, ab Ordinario puniatur.

Epiſcopi bonorum Eccleſiaſticorum locationes recognoſcere ex officio debent.

20 Ex auctoritate Sacri Concilii Tridentini negotium damus Epiſcopis Provinciæ noſtræ, ut ſinguli una cum Canonico a Capitulo, & altero de Clero ab ipſis deligendo recognoſcant, etiam ex officio, quaſcumque locationes bonorum eccleſiaſticorum ad longum tempus a triginta annis factas; & ſi eas in damnum Eccleſiæ, & contra canonicas ſanctiones contractas fuiſſe adjudicaverint, irritas, & nullas declarent.

Eccleſiarum mobilia ſine Epiſcopi licentia pignorari non permittitur.

21 Calices, Cruces, atque eccleſiaſtica ornamenta, neque amicis, neque conſanguineis, ſed nec Eccleſiarum Patronis, aut Benefactoribus pro quacumque neceſſitate, ullo modo ſine Epiſcopi licentia in caſibus a jure permiſſis, pignorare

rare præſumant. Qui ſecus fecerint, ſint excommunicati, ac nihilominus juris, & facti remediis opportunis ad bona ejuſmodi recuperanda compellantur.

22 Quia audivimus Canonicos aliquarum Eccleſiarum in fundorum reviſione, ne ſibi invicem noceant, negligenter agere, mandamus Epiſcopis, ut quotannis probos viros, & expertos arbitrio eorum pro reviſione hujuſmodi deputent, certa illis conſtituta mercede per Canonicos, & Capitulum ſine mora perſolvenda, ac relationem reviſorum hujuſmodi in ſcriptis habeant, atque cum Epiſcopis communicent.

Arborum inciſio pœnis prohibetur.

23 Arbores vero fructiferas incidi, ſub pœna ducatorum quinque pro qualibet arbore omnino prohibemus ſine Epiſcopi licentia; & qui eas incidere auſi fuerint, præter impoſitam pœnam, teneantur etiam, & compellantur ad reſarcienda damna Eccleſiæ illata.

Ex Agathenſi, & Aurelianenſi Concilio occultantes Eccleſiarum ſcripturas, pœnis puniuntur.

24 Si quis Clericus, aut Sacerdos ulla hujus generis ſcripta ad Eccleſiæ rationes pertinentia doloſe occultaverit, aut ſuppreſſerit, is Agathenſis, & Aurelianenſis Concilii pœna plectatur; laicus vero homo ab ingreſſu Eccleſiæ ſit interdictus.

25 Quicumque auſus fuerit bona, ſeu pecuniam vulgariter nuncupata *la caſſa del pane, ſeu danajo della farina, ò caſſa de' morti*, quæ ad ipſos uſus inſtituta ſunt, in profanum expendere, & convertere, aut in proprium uſum, ut fide dignorum relatione percepimus hactenus fuiſſe factum, is excommunicetur ſtatim, & nunquam abſolvatur, niſi etiam damna omnia loco pio, cui ea debentur, integre reſarciverit.

Decimas fraudantes excommunicantur.

26 Si quis decimas Eccleſiæ ſubtraxerit, fraudaverit, vel occupaverit, impediverit, atque ad ſolvendum illas quocumque prætextu, etiam bonorum feudalium protervus fuerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat, neque abſolvi ab Epiſcopo poſſit ante integram illarum ſolutionem, & ſatisfactionem.

27 Quod ipſum decernimus circa obligationes, quæ Curatis præſtari ſolent; Parochi vero, & Beneficiati ſi in prædicti decreti obſervatione, aut connivendo, aut alias in Eccleſiæ præjudicium concordando negligentes fuerint, ipſo facto ſint ſuſpenſi, ac ſevere etiam arbitrio Epiſcopi puniantur.

28 Uſu, & diuturna conſuetudine compertum eſt, quantum Eccleſiæ detrimenti, damnique ſæpe importet illa prædiorum Eccleſiaſticorum locatio, quæ ad certum tempus pactionibus iis iniri ſolet, ut meliora reddi liceat, ac interdum ea conditione, ut qui ſumptus facti ſunt, ne poſſint, niſi in ipſo extremæ locationis tempore recuperari, & qui item conduxerint, ejici, amoverive a poſſeſſione ne poſſint, niſi quidquid in illis melioribus reddendis pecuniæ erogarint, reſtituatur.

Quare Nos Eccleſiarum utilitati conſulentes, & huic rei, unde tantum detrimenti, tantumque incommodi ipſis Eccleſiis accidere ſæpe ſolet, quantum in Nobis eſt, occurrere volentes, ita ſtatuimus.

Ad validas locationes reddendas, quæ conditiones ſint neceſſariæ, ſtatuitur.

Quæcumque Eccleſiarum prædiorum locationes ad certum tempus in poſterum eo pacto fient, ut illa meliora reddi liceat, & quidquid in illis ſarciendis, reſtituendiſque erogatum ſit, id ei, qui conduxit, ſolvi oporteat, hæc inita locationum pactio ne jus tribuat faciendi impenſas in quovis ædificii genere utiles, niſi eas, quæ majorem ſummam non excedant, quam illa ſit, quam conductor retinendo ſingulis annis, quibus firma eſt locatio, tertiam partem ejus, quod locationis nomine ſolvere debet, recuperare poſſit. Eam autem tertiam partem quolibet anno retineat quoad quidquid erogarit, ipſe recuperet.

Si vero qui his conditionibus conduxerint tertiam ipſam partem quotannis non retinuerint, ne jus ſit ab Eccleſia, nec a Rectore, qui ſuccedet, partem, quam non retinuerint, repetendi, ſed eorum culpæ adſcribatur.

TITULUS LI.

De Blaſphemia.

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopi pœnis in Conſtitutionibus Leonis X. & Pii V. contentis contra blaſphemos animadvertant.*

2 *Confeſſarii gravem pro modo culpæ pœnitentiam blaſphemis imponant.*

3 *Blaſphemantem audiens aſperius objurget, ceſſante periculo: ejus nomen Eccleſiaſtico Judici denunciet intra triduum; ſi plures audierint, ſinguli tenentur, niſi omnium partes unus in ſe ſuſcepit.*

4 *Seculares Principes, & Magiſtratus, blaſphemiæ convictos ſevere puniant, ut meritum apud Deum, Indulgentias in Concilio Lateranenſi elargitas lucrentur; ſecus facientes, iiſdem pœnis, ac ſontes, ſubjacent.*

5 *Decem annorum Indulgentias Judicibus in Lateranenſi Concilio elargitas ſæpe vulgari curet Epiſcopus.*

6 *Sodalitates nominis Dei erigi in tota Provincia Epiſcopi curent, & Indulgentias a Pio Papa V. conceſſas a Parochis promulgari mandent.*

Blaſphemia hæreſi proxima eſt.

1 IN execrabili autem blaſphemiæ ſcelere, quod ad hæreſim, quæ ſumma blaſphemia eſt, proxime accedit, radicitus convellendo, non minorem curam, ſtudiumque ponere debet Epiſcopus, quippe quo juſta ira Dei contra nos accenditur,

ac incitatur. Quare Epiſcopus contra huiuſmodi deteſtabiles homines, qui tale crimen committunt, ex Sacrorum Canonum jure, tum præſertim ex ſanctionibus Leonis X. in Concilio Lateranenſi editis, & Pii V. Conſtitutione, quoad nefarium ſcelus non modo compeſcatur, ſed plane tollatur, ſeveriſſime animadvertat.

2 In foro autem conſcientiæ ei, qui blaſphemiæ reus fuerit, gravem pro modo culpæ pœnitentiam Confeſſor imponat.

Blaſphemantium nomina denuncianda.

3 Qui blaſphemantem audierit, ſi poſſit ſine periculo, aſperius objurget; omnino autem intra triduum ejus nomen ad Judicem Eccleſiaſticum deferat; ſi plures ſimul audierint, ſinguli idem faciant, niſi inter eos convenerit, ut unus pro omnibus eo fungatur officio.

Leonis X. indulgentiæ Judicibus pleƈtentibus, & denunciantibus Blaſphemos memoratur.

4 Principes autem, & Magiſtratus per Dei gloriam, quæ blaſphemia maxime violatur, obſecramus, ut talis ſceleris convictos juſtis, ſeveriſque pœnis afficiant, uberrimam piæ curæ a Deo mercedem expectantes, præter indulgentiam, quam Leo Decimus, & ipſis, & Judicibus, & deferentibus elargitus eſt; quod ſi ſecus fecerint, ſciant, iiſdem pœnis, quas de ſontibus ſumere neglexerunt, ex eodem Concilio ſe teneri.

5 Indulgentias decem annorum, quas Leo X. in eodem Lateranenſi Concilio tam Judicibus, quam deferentibus largitus eſt, ſæpe evulgari faciat Epiſcopus.

SS. nominis Dei ſodalitas erigenda.

6 Sodalitatem nominis Dei per eos, ad quos ex Pii V. conſtitutione pertinet, ubique locorum ſuæ Diœceſis Epiſcopus erigendam curet, atque indulgentias ab eodem Summo Pontifice ſodalitatibus ejus rei cauſſa conceſſas frequenter a Parochis omnibus promulgari jubeat, &c.

TITULUS LII.

De Maledicis, & Detractoribus.

SUMMARIUM.

1 *Maledicorum protervia.*

2 *Hortatio ad maledicta fugienda. Confeſſariorum præcipue Parochorum, & Concionatorum eſt, ut ſuos inſtruant de famæ reſtitutione, & blaſphemiæ fuga. Idem Epiſcopi in ſermonibus præſtent.*

3 *Falſa imponentes, vel etiam vera detegentes, unde proximi fama dehoneſtetur, ſive verbo, ſive ſcripto ad reſtitutionem tenentur, quæ contrariis verbis, ac ſcriptis, etiam, ſi opus ſit, publica retractatione fit: & ad damni, ſi quod inde emerſit, refectionem, quæ obligatio etiam ad hæredes tranſit.*

4 *Cautio a Confeſſariis in maledicorum abſolutione adhibenda.*

5 *Libellos famoſos conficientes, ſcribentes, affigentes, conſcribentes, aut litteras, vel ſupplices libellos ſub alieno, ſive fictitio nomine ſcribere facientes, detrahentes quomodocumque Superiori cujuſvis gradus, vel conditionis excommunicantur, reſervata Epiſcopis abſolutione.*

Detractorum multiplicitas exprimitur.

1 Communiſſima, & juſtiſſima omniũ bonorum querela eſt, & aures noſtras paſſim obtundit, maledicos, & detractores nimium excreviſſe, qui acuentes linguas ſuas, ſicut ſerpentis, & ſicut novacula acuta, facientes dolum, ſagittant in obſcuro rectos corde; ac dolendum ſane eſt eos timoris Domini oblitos nemini parcere, & vel in ipſum Sanctuarium Dei temerario auſu irrumpere, cum non modo probos quoſque, atque Eccleſiaſticos, & religioſos viros, ſed cunctos ipſos, & Chriſtos Domini, de quibus ſcriptum, ac vetitum eſt, ut ne tangantur quidem, Paſtores videlicet, & Epiſcopos animarum ſuarum iniquiſſime carpant, famam eorum violent, ac privatim, publiceque exiſtimationem denigrent falſis criminationibus, atque ementitis inventis.

Hortatio ad detractionem fugiendam.

2 Quæ omnia, cum ſeminarium quoddam ſint quamplurium zizaniorum in agro Domini, & in maximum vergant ſpirituale detrimentum, tum ipſorum detrahentium, tum reliquarum inſuper animarum, quibus, ut ajebat ad populum Sanctiſſimus Præſul Mediolanenſis Ambroſius, *neceſſaria eſt ſuorum bona fama Paſtorum*, ex animo hortamur in primis noſtræ Provinciæ fideles omnes, ut ab hoc nefario vitio abhorreant, ne quid habeant commune cum Diabolo, qui pater eſt mendacii, & iniquus fratrum accuſator; tum Confeſſarios, præſertim Parochos, & Concionatores monitos volumus ad ſe ſpectare, ut bene ſuos inſtruant, doceantque de famæ reſtitutione, ac fuga vitii tam longe diffuſi; quod & Epiſcopi ipſi in publicis ſermonibus ſæpe præſtare curabunt.

Reſtitutio damni per ablationem famæ illati ad hæredes tranſit.

3 Norint autem omnes Chriſti fideles noſtræ curæ commiſſi, ſi non ſolum falſum crimen imponentes, ſed etiam verum detegentes, ac revelantes, vel exaggerantes proximi famam dehoneſtaverint ſive verbo, ſive ſcripto, ac litteris, famoſiſve libellis, ſtrictiſſime ſe ex juſtitia teneri ad plenam, & cumulatam læſæ famæ reſtitutionem contrariis ſcriptis, ac verbis publicaque, ſi opus fuerit, retractatione, immo & damni cujuſcumque temporalis, ſi forte ex læſione famæ damnum etiam fortunarum alteri obvenerit; atque hanc poſtremam obligationem, cum non perſonæ tantum, ſed bonis quoque adhæreat, detractoris hæredes ipſos tangere, ad eoſque cum hæreditate tranſire.

Cautio confeſſariorum in abſolutione detractoribus impertienda.

4 Caveant proinde Confeſſarii, cum aliquis horum ad eos accedet, inconſulto, ac præcipitanter abſolutionem impendere; diſtricte eos examinent; dijudicent acute mali ſequuti gravitatem, ac dignitatem

tatem perſonæ detractæ perpendant; nihil prætermittant, quod ejus famæ integre ſarciendæ conſulere poſſit; nec facile acquieſcant verbis malitiæ, quibus uti ſolent ad excuſandas excuſationes in peccatis, quo minus reſtitutionis onus ſubeant; nec unquam bene diſpoſitum putent, vel ſanum, qui cum ſtatim poſſit, velit illam differre, vel moribundum, qui cum per ſe queat, velit poſt mortem per Confeſſarium adimplere.

5 Atque, ut tam execrabile facinus cenſurarum quoque fræno coerceatur, omnes, & ſingulos, qui libellos famoſos confecerint, vel ſcripſerint, vel affixerint, conſcribentes, vel ſcribere facientes litteras, ſeu ſupplices libellos ſub alieno nomine, ſive fictitio adverſus quoſcumque, inſuper detrahentes publice, vel privatim verbo, vel ſcripto famæ, & dignitati ſuperioris cujuſcumque gradus, & conditionis, ipſo facto excommunicamus, reſervata Epiſcopis abſolutione.

Detrahentes ſcripto, vel verbo Superioris famæ, excommunicantur.

TITULUS LIII.

De Excommunicatione.

SUMMARIUM.

1 *Excommunicatorum nomina, & cognomina ad valvas Cathedralis Eccleſiæ, & propriæ Parochiæ figi curet Epiſcopus.*

2 *Parochi Urbani, & Diœceſani, eorum nomina, & cognomina ſingulis Dominicis inter Miſſarum ſolemnia vulgent; donec per Epiſcopi ſignificationem conſtiterit de abſolutione.*

3 *Per tres menſes in excommunicatione permanentes Comprovincialibus Epiſcopis, & Diœceſi finitimis nuncientur; ſic etiam nuncietur, cum contigerit abſolutio. Per annum in excommunicatione obduratos, Parochus ad Epiſcopum deferat, ut contra eos juxta Sacros Canones agatur.*

4 *Excommunicati publicati ab Eccleſiis ejiciantur, nec iis præſentibus ſacra fient, niſi de legitima abſolutione conſtiterit. Contrafacientes, ultra juris pœnas, Epiſcopi arbitrio puniantur.*

5 *Excommunicati, licet non denunciati, mortaliter peccant, ſi actus excommunicatis prohibitos exerceant.*

6 *Cum excommunicatis denunciatis per tres vices publice, vel private loquentes ab Ordinariis ſunt abſolvendi.*

7 *Excommunicationes ad revelandum præcedente ſupplici libello ejus, cujus civiliter intereſt, concedantur.*

8 *Supplices hujuſmodi libellos conſcribendi norma.*

9 *Quibus de rebus, cui, & ubi excommunicationis litteræ non ſunt concedendæ?*

10 *Conceſſa monitoria, quibus diebus publicare non licet?*

11 *Excommunicationis ſententia in monitoriis ad revelandum, qua cautione ferenda?*

12 *Monitoria ad revelandum concedere, caſus ſibi reſervare, a reſervatis ab Epiſcopo abſolvere, cauſſas criminales cognoſcere ſub quolibet prætextu, aut privilegio a Sede Apoſtolica ſpecialiter non conceſſo, inhibetur Abbatibus, Commendatariis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & quocumque nomine nuncupentur, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, aliiſque Epiſcopi arbitrio.*

1 Quo diligentius ſtudeant, qui excommunicationis pœna affecti ſunt, in Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium reſtitui, ac ne alii eorumdem commercio, conſuetudineve per imprudentiam utantur, Nos veterum Canonum auctoritatem ſequuti id jubemus, ut Epiſcopus cum excommunicationis ſententiam contra aliquem tulerit, eumque excommunicatum palam denunciari juſſerit, ejus nomen, & cognomen, tum ad Cathedralis, & propriæ Parochialis Eccleſiæ valvas affigi, tum deſcriptum mitti curet.

2 Parochis, & Urbanis, & Diœceſanis, qui omnibus Dominicis diebus inter Miſſarum ſolemnia illum populo excommunicatum denuncient, neque hoc agere deſiſtant, quoad ipſis Epiſcopus ſignificarit, eumdem Matri Eccleſiæ reconciliatum eſſe.

3 Quod ſi tres menſes is excommunicationis vinculo irretitus permanſerit, illius nomen, & cognomen Epiſcopus, tum reliquis hujus Provinciæ Epiſcopis, tum illis præterea denunciet, ac ſignificet, quorum Diœceſes ibi finitimæ ſunt. Cum autem ille ipſe ad Matris Eccleſiæ gremium redierit, quibus antea illum excommunicatum Epiſcopus denunciaverat, iis abſolutum quamprimum ſignificet. Qui per annum in excommunicatione permanſerit, ad Epiſcopum Parochus eum deferat, ut contra illum agatur, quemadmodum, & Canonum jure, & Summorum Pontificum ſanctionibus ſancitum eſt.

Qui per tres menſes vinculo excommunicationis irretitus permanſerit, per Provinciam denunciandus.

4 Excommunicati vero hujuſmodi jam publicati ab Eccleſiis expellantur, nec iis præſentibus Sacerdotes celebrent, etiam ſub prætextu, quod fuerint abſoluti, niſi de abſolutione jam obtenta ab habente poteſtatem legitime doceant; qui ſecus fecerint, ultra pœnas a jure ſtatutas, Epiſcoporum arbitrio puniantur.

Excommunicati ab Eccleſia expellendi.

5 Sciantque excommunicati, quamvis publice denunciati non ſint, ſe mortaliter peccare, ſi in eos actus ſe ingerant, qui per excommunicatos expleri non poſſunt.

6 Si quis vero cum excommunicato publice denunciato alloquutus fuerit per tres vices, ſive publice, ſive private non abſolvatur, niſi ab Ordinariis.

7 Ex-

7 Excommunicationum, quæ certis monitionibus primum adhibitis ad finem revelationis, ut ajunt, pro deperditis, ſubtractiſve rebus fieri ſolent litteræ, ne cuiquam, niſi iis concedantur, qui ob eam cauſſam ſupplicationis libellum Epiſcopo obtulerint, eorumque ipſorum tantum rogatu, quorum civiliter intereſt.

Supplicationis in libellis, quæ exprimi debent?

8 Qui ſupplicationis libellus ejuſmodi ſit, quo, & res ipſa, de qua agitur, & ejus pretium item nominatim, ſpeciatimque exprimatur, niſi Eccleſiæ, Loci pii, Communitatis, Univerſitatis, Collegii, univerſaliſve ſucceſſoris res ſit, cujus certam notitiam illum, illamque non habere veriſimile eſt; tunc etiam ſupplicantis qualitate in libello expreſſa, rei, de qua quæritur, deſcriptio quædam generatim fieri poterit, modo, ne ſit incerta nimis, aut non veriſimilis, ſed ejuſmodi, quæ ſaltem oſtendat rem ipſam, ut ex Tridentini Concilii præſcripto, non vulgarem eſſe; id, quod Epiſcopi concedentis religioſæ conſcientiæ, judicioque pro ratione rei, & perſonæ relinquitur.

Quibus caſibus litteræ excommunicationis non ſunt concedendæ?

9 Porro ejuſmodi excommunicationum litteræ non concedantur, ut infra ſancitum eſt. Pro re criminoſa, quæve infamiæ notam inurat.

Pro re non occulta omnino.

Pro re, quæ ita tam diu amiſſa, aut ſubtracta eſt, ut illius memoriam amplius non haberi veriſimile ſit.

Neque rurſus cuiquam excommunicato, aut manifeſte, & notorie criminoſo.

Neque præterea in loco, ubi eas veriſimile ſit negligi, contemnive.

Quibus diebus excommunicationes non ſunt evulgandæ?

10 Cum vero pro ratione præſcripta aliquando conceduntur, ne tamen in ſanctiſſimis his diebus, in Nativitate ſcilicet Domini, Paſchate Reſurrectionis, Aſcenſion, Pentecoſte, in celebritate Sacri Corporis Domini, aliiſque anniverſariis ſolemnioribus diebus ullo modo promulgentur, niſi Epiſcopus aliter cenſuerit.

11 His vero litteris monitoriis aliquando datis, ne excommunicationis ſententiam Epiſcopus ferat, niſi de earum promulgatione, locis, & temporibus congruis facta, relationem acceperit, & iterum de re ipſa diligentius, accuratiuſque deliberarit, ac gravem præterea cauſſam cenſuerit, quamobrem illam ferat.

Cardinalis Sabelli conſtitutio innovatur.

12 Innovantes decretum bon. mem. Cardinalis de Sabellis in Provinciali Concilio *cap. de excommunicatione*, prohibemus omnibus, & quibuſcumque Abbatibus, ſeu Commendatariis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & quocumque alio nomine nuncupentur, ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ, ne in hac noſtra Provincia prætextu cujuſvis conſuetudinis, quæ corruptela, & abuſus appellanda potius eſt, neve quovis titulo, ſeu privilegio, niſi ſpecialiter a Sede Apoſtolica conceſſo contra formam Sacri Concilii Tridentini, a quo aperte oſtenditur a ſolis Epiſcopis gladium excommunicationis exercendum eſſe, excommunicationes illas, quæ monitionibus præmiſſis ad finem revelationis (ut ajunt) aut pro deperditis, aut ſubtractis rebus fieri ſolent, neve caſus ibi Epiſcoporum more reſervare audeant, nec eorum, aut ab Epiſcopo reſervatorum caſuum abſolutionem impertiri, nec cauſſas criminales contra ejuſdem Concilii Tridentini decretum quoquo modo cognoſcere, aut ſibi arrogare audeant. Quod ſi ſecus fecerint, ultra excommunicationem deſuper latam, Epiſcoporum etiam arbitrio ſevere puniantur.

TITULUS LIV.

De Judiciis, & Archivo.

SVMMARIVM.

1 *In civilibus ſemel citatus ad conteſtandam litem, poſſit captis pignoribus compelli, vel ad ulteriora procedi, ac ſi ſolemniter conteſtata fuiſſet.*

2 *Cauſſæ mercedum pro ſervitiis præſtitis, & cenſuum Eccleſiaſticorum e beneficiis provenientium, de plano, ſola facti veritate inſpecta, terminentur.*

3 *Cauſæ Epiſcopalis Menſæ quæcumque manu regia exequantur.*

4 *Gratiæ a S.C.T. conceſſæ circa alienationes, aliaſque contractus a Regularibus celebrandos gratis exequutioni demandentur, excepta mercede laboris ſcripturæ.*

5 *In citationibus in Provincia, ſeu locis Diœceſis longinquis ſemper apponatur monitio, quod ſi proceſſus opus fuerit, decernetur ad Curiæ, vel Cathedralis valvas.*

6 *In cauſſis violatæ Religionis Procurator, aut Advocatus ne conſtituatur, niſi ab Epiſcopo deputatus, qui cum reis loqui non poterit, niſi de Epiſcopi, aut Vicarii expreſſa licentia. Contrafacientes canonicis pœnis, & Epiſcopi arbitrio plectentur.*

7 *Juramentum ab hujuſmodi Procuratoribus, & Advocatis præſtandum.*

8 *Sancti Officii acta in arca ab aliis ſejuncta ſerventur ſub duplici clavi, una a Vicario, altera a Notario ſervanda; Arcam nulli, niſi coram Vicario aperire licet.*

9 *Carceratorum duo conficiantur libri, alter per Notarium, alter per Carcerarium aſſervandi, in quibus notetur dies carcerationis, cauſſa, liberatio, aut condemnatio, ſeu abſolutio, & an fidejuſſoribus, vel aliter fuerit relaxatus. Hi libri quotannis in Archivo reponantur.*

10 *Vicarius ſingulis Sabbatis carceratos viſitet, cauſſas celeriter expediat, pauperibus proſpiciat, eis Advocatum, & Procuratorem comparet; Notarius ab extrema laborantibus egeſtate nil exigat.*

11 *Pu-*

11 *Publice crimínoſi in Procuratores, aut Advocatos ne admittantur; injuſtas cauſſas ſcienter deferentes, verum negantes, calumnias aperte foventes Vicarius e ſuo auditorio excludat.*

12 *Supplicationes gratiæ, vel juſtitiæ ab Epiſcopo, vel Vicario ſignatæ, niſi infra decem dies a data, penes acta exhibeantur, nullæ ſint.*

13 *Pro carceratis, Medici tantum ab Epiſcopo deputati teſtimonium infirmitatis recipiatur.*

14 *Eccleſiaſticus Judex miſerabiles præſertim perſonas patienter audiat, eiſque prompte provideat, ubi juſtitia poſtulaverit.*

15 *Litium procraſtinatio per Epiſcopos tollatur.*

16 *Præſente Judice decreta a Notario extendantur. Caveat Epiſcopus, nequis, niſi expeditis litteris, in poſſeſſionem mittatur.*

17 *Si appellationes in Metropolitana Curia per ſex menſes proſequi negligatur, Judex ſuam exequatur ſententiam.*

18 *Inſtrumenta de rebus Eccleſiæ, aut ad Eccleſiaſticum forum pertinentibus, decretorum interpoſitionibus, beneficiorum reſignationibus, procurationibus ad renunciandum, ſponſalium diſſolutionibus, & ſimilibus a Notariis ſaltem in Archivo Epiſcopali, vel Epiſcopalibus Curiis deſcriptis tantum conficiantur, aut de expreſſa Epiſcopi licentia in inſtrumentis inſerenda: aliter nulla eis fides adhibeatur in eccleſiaſtico foro, aut quam Epiſcopus velit, ſi in Eccleſiarum, earumve Miniſtrorum utilitatem cedant.*

19 *Clerici, alios adhibentes Notarios, aut præſenti conſtitutioni fraudem facientes, 25. ducatorum pœna, & ſemeſtri carcere mulctentur.*

20 *Abbatiſſæ, aut Moniales, arbitrio Epiſcopi.*

21 *Notarii deſcripti nil ultra taxam ab Ordinario præſcriptam, vel præſcribendam pro hujuſmodi contractibus exigant; alioquin ex Archivo removeantur; quam etiam pœnam incurrant, niſi infra octo dies contractuum authenticam notam Epiſcopali Vicario tradant.*

22 *Pecuniariæ mulctæ in pios uſus erogentur, Epiſcopi arbitrio. Depoſitarius mulctarum conſtituatur, qui rationem reddat de acceptis, & expenſis.*

23 *Epiſcopalis Curiæ Notarii Archivum in Epiſcopio conſtituant, in quo inſtrumenta, cauſſarumque acta conſervent. Civilia a criminalibus ſint diviſa.*

24 *Liber ſit in eo collationum Eccleſiaſticorum beneficiorum, quæ annuatim fient.*

25 *Alter ordinationum cum titulo, ad quem Subdiaconi promoventur.*

26 *Tertius Bullarum.*

27 *Quartus Edictorum, mandatorum, promulgationum, piorumque legatorum.*

28 *Quintus, Inventariorum bonorum Eccleſiaſticorum.*

29 *Proceſſus abſque Vicarii permiſſu ne extrahantur; abſoluti reponantur in Archivo. Contrafaciens Notarius, Epiſcopi arbitrio puniatur.*

30 *Acta Capitularium Congregationum in codicem referantur, & in loco a Canonicis deputato, & in Epiſcopali Archivo ſerventur, a Capitulorum Secretariis ſubſcripta.*

31 *Capitula Collegiatarum, Confraternitates, & loca pia Archivum habeant, ubi acta capitularia, inſtrumenta, & ſcripturas reponant, aut in Epiſcopali Archivo Epiſcopi permiſſu arcam obſeratam ad id habeant.*

32 *Duabus clavibus Archivum obſeretur, altera ab Epiſcopalis Curiæ Notario, altera ab Epiſcopi deputato ſervandis. Se de vacante, altera erit penes Vicarium capitularem, aut ejus Deputatum, altera penes Archidiaconum.*

1 QUoniam audivimus, & experientia compertum eſt, diſpendioſam eſſe litis conteſtationem ob terminos in Curiis Epiſcopalibus pro ea ſervari ſolitos, ſtatuimus, ut deinceps quicumque ad conteſtandam litem in civilibus præſens, vel per Procuratorem ſemel citatus fuerit, ſine alia citatione poſſit, captis pignoribus, ad id compelli, vel ad ulteriora in cauſſa procedi, ac ſi illa ſolemniter conteſtata fuiſſet arbitrio Vicarii, ſeu alterius officialis. Conteſtatio litis diſpendioſa vitanda.

2 Cauſſas mercedum, præſertim vero ob ſervitia in miſſis celebrandis, divinis officiis, ac funeralibus præſtita, miſerabilium perſonarum, ac cenſuum Eccleſiarum ex cauſſa beneficiorum, volumus ſine ſtrepitu, & figura judicii de plano, ac ſummarie, ſola facti veritate inſpecta, quandocumque de illis conſtiterit audiri, & terminari.

3 Cauſſæ autem menſæ Epiſcopalis ſive pro cenſibus, ſive pro quocumque alio titulo ad eam pertinentes, manu regia, & ſola citatione exequantur. Manu regia cauſſæ Menſæ Epiſcopalis ſunt exequendæ.

4 Gratiæ, quæ in dies a Sac. Congregatione Sacri Concilii Tridentini emanant circa alienationes, conceſſiones, & permutationes bonorum ſtabilium regularium, ſeu alios contractus, qui per ipſos regulares celebrantur, gratis abſque eo quod minimum a Judicibus, & Miniſtris recipiatur, præter mercedem laboris ſcripturæ tantum, exequutioni mandentur, ſub pœna ſuſpenſionis a divinis eo ipſo incurrenda.

5 Ut litium dilationes reſecentur, ſtatuimus, ut quotieſcumque in Provincia noſtra, vel ad loca Diœceſis longinqua decernendæ erunt citationes, in eiſdem ſemper moneantur partes, ſive citandi, quod ſi opus fuerit, proceſſus decernetur ad valvas Curiæ, vel Eccleſiæ Cathedralis. Litium dilationes reſecandæ

6 In cauſſis violatæ Religionis, mandamus nullum admitti in Procuratorem, vel

In cauſſis S. Officii qui ad procurationes, & advocationes admitti debent?

vel Advocatum reorum, niſi eum, qui ad id ab Epiſcopo fuerit deputatus, qui reos alloqui nullo modo poſſit, niſi expreſſa Epiſcopi, vel Vicarii licentia intercedat. Qui contrafacere auſus fuerit pœnis a jure ſtatutis, & alias arbitratu Epiſcopi puniatur.

Ab admiſſis juramentū præſtandum.

7 Advocatus vero, & Procurator hujuſmodi ſolemne præſtet ad ſacra Dei Evangelia Sacramentum de ſervando ſecreto, & ſuadendis inquiſitis, ut veritatem fateantur, & non utendo cavilloſis, & doloſis exceptionibus, ut quæ ad fidem, & Religionem Chriſtianam pertinent, ſumma ſimplicitate, & veritate tractentur.

S. Officii acta quomodo ſervanda?

8 Violatæ religionis acta in Arca ab aliis actis ſejuncta aſſerventur, cujus duæ ſint claves, altera per Vicarium, altera per Notarium conſervanda, ſine cujus Vicarii præſentia acta hujuſmodi videri ab aliquo etiam Notario non poſſint.

9 Præcipimus, ut duo fiant libri Carceratorum, quorum unus aſſervetur per Notarium, alter vero per Carcerarium, in quibus annotetur dies, qua quis carceratur, ob quam cauſſam, & dies etiam, qua liberatur a carceribus, & an condemnatus, vel abſolutus, vel fidejuſſoribus relaxatus, aut quomodo; ſi negligentes fuerint, ſevere arbitrio Epiſcopi puniantur.

Libri vero prædicti quotannis reponantur in Archivo.

Epiſcoporum Vicarii ſingulis Sabbatis carceres viſitare adſtringuntur.

10 Vicarius Epiſcopi ſingulis Sabbatis carceratos omnes viſitet, diligenterque proſpiciat, ut illorum cauſſæ, quanta fieri poſſit, celeritate expediantur, neve pauperibus neceſſaria deſint, atque iiſdem de Advocato, & Procuratore provideat, qui illorum patrocinium ſuſcipiant, ac Notarius, ſi extrema laborent egeſtate, ab illis nihil prorſus accipiat.

Quos Advocatos Epiſcoporum Vicarii non debeat admittere?

11 Publice criminoſum quempiam in Procuratorem, vel Advocatum Vicarius non admittat, eoſque præterea, qui cauſſam injuſtam ſcienter defenderint, quive verum negaverint, quoſque calumnias fovere aperte viderit, ab auditorio ſuo, adituque interdicat.

12 Quicumque ſupplicationes ab Epiſcopis, ſeu Vicariis ſignatas obtinebunt, gratiam, vel juſtitiam obtinentes, niſi eas infra dies decem a data earum apud acta exhibuerint, volumus, & decernimus, ut ſupplicationibus hujuſmodi nullatenus poſſint ſe juvare, illæque ſint nullius roboris, vel momenti.

13 Statuimus nulla medicorum documenta infirmitatis pro carceratis recipi, niſi quæ a Medico Curiæ deputato fient.

Ad quid Eccleſiaſticus Judex incumbere tenetur?

14 In id præcipue Judex Eccleſiaſticus incumbat, ut miſerabilium perſonarum querimoniæ patienter audiantur, quorum etiam neceſſitatibus prompte, & alacriter provideat, ubi id ratio, ac juſtitiæ lex poſtulabit.

15 Omnis autem litium procraſtinatio ſtudio, ac diligentia Epiſcoporum tollatur.

16 Decreta Judicis, ipſo præſente, a Notariis extendantur; Epiſcopi vero caveant, ne ullus mittatur in poſſeſſionem, niſi litteris expeditis.

17 In cauſſis criminalibus, aliiſque ad Curiam Metropolitanam pertinentibus, ſi Rei appellantes interpoſitam appellationem intra ſex menſium ſpatium proſequi neglexerunt, Judex, a quo, ad præſcriptum San. me: Pii Papæ Quinti incipiens, *licet Juris*, ſuam exequatur ſententiam.

Bonorum Eccleſiaſticorum contractus a Notariis Curiæ Epiſcopalis conficiendi.

18 Ut Eccleſiaſticarum rerum, bonorumque contractus, qua decet, diligentia conficiantur, præter quod ſupra ſancitum eſt *Titulo de Immunitate Eccleſiaſtica*, ſtatuimus, ut nullus deinceps Notariorum de rebus Eccleſiæ, aut ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, aut decretorum interpoſitionibus, beneficiorum renunciationibus, ad renunciandum procurationibus, ſponſaliorum diſſolutionibus, ac ſimilibus Inſtrumenta conficere nullo modo poſſit, niſi ſaltem ſit in numero Notariorum Curiæ Archiepiſcopalis, ſeu Epiſcopalis deſcriptus, & ab Ordinario approbatus; alioquin in Eccleſiaſticis Judiciis nullam fidem faciant, niſi tamen ea confecta ſint de expreſſa in ſcriptis Epiſcopi licentia, in ipſo Inſtrumento inſerenda, aut in quantum arbitrio ipſius judicatum fuerit cadere in utilitatem Eccleſiarum, earumque Miniſtrorum.

19 Clerici vero, qui Eccleſiarum rerum, & bonorum, aliorumq; actuum prædictorum inſtrumenta, & contractus coram aliis notariis, quam in Archivis hujuſmodi Eccleſiaſticis deſcriptis celebrare, inire, aut ſe obligare, vel huic noſtræ conſtitutioni fraudem facere quoquo modo auſi fuerint, viginti quinque ducatorum, & carceris ſemeſtris pœna mulctentur.

20 Abbatiſſæ vero, aut Moniales graviſſime arbitratu Epiſcopi puniantur, ſi in eadem re deliquerint.

21 Notarii vero ſic deſcripti, & approbati, pro contractibus bonorum, aliorumque actuum Eccleſiaſticorum hujuſmodi, nihil ultra taxam ſolitam, & conſuetam, & ab Epiſcopis, quatenus opus ſit, ſtatuendam percipiant; alioquin ex Archivo removeantur; contractuum vero notam in authentica forma infra octo dies Vicario Epiſcopali tradere teneantur ſub eadem pœna.

22 In reliquis vero caſibus firma ſemper omnia remaneant a Nobis deſuper ſtatuta.

Si

Si quando pro delictorum ratione, & qualitate in delinquentes pecuniarias pœnas irrogari contigerit, eas in pios uſus arbitrio Epiſcopi erogandas omnino decernimus, Depoſitariumque ab Epiſcopo conſtitui debere, qui earum pœnarum pecunias accipiat, acceptarumque, & expenſarum rationem reddat.

Mulctarum depoſitarius ab Epiſcopo conſtituendus.

23 Notarii autem Epiſcopalis Curiæ Archivum primo quoque tempore conſtituant, ſi hactenus non fuerit conſtitutum in loco eis ab Epiſcopo intra Epiſcopale Palatium aſſignando, in quo omnia Inſtrumenta, actaque quarumcumque cauſſarum per ipſos confecta conſerventur, ita ut civilium cauſſarum acta ſeorſim a criminalibus aſſerventur.

Acta civilia a criminalibus ſeparata ſervanda.

24 Sit etiam in eo peculiaris, & diſtinctus liber collationum omnium, & inſtitutionum Eccleſiaſticorum beneficiorum, quæ ſingulis annis fient.

25 Alter vero item, in quo promotiones omnes ad ordines una cum titulo, ad quem Subdiaconi promoti fuerint.

Libri in Archivo retinendi.

26 Tertius, in quo Bullarum omnium ſit regiſtrum.

27 Quartus, in quo Edictorum, & mandatorum promulgationes, ac etiam legata pia nota ſint.

28 Quintus deinde inventarium bonorum Eccleſiaſticorum, & beneficiorum omnium Confraternitatum, item, & locorum piorum contineat.

29 Proceſſus vero, ſi quando neceſſario extrahendi erunt, id non niſi Vicarii permiſſu fiat, abſolutique in Archivo reponantur. Quod ſi Notarius huic Conſtitutioni fraudem fecerit, arbitrio Epiſcopi puniatur.

30 Acta omnia, quæ in cunctis Capitulis quotannis fient, diligenter in librum referantur, & non ſolum in loco deputato a Canonicis reponantur, ſed & in Archivis Epiſcopalibus conſerventur a ſecretariis Capitulorum firmata.

31 Capitula item omnium Collegiatarum Eccleſiarum, Confraternitates, & pia loca, ſi Archivum non habeant, quamprimum illud conficiant, & acta omnia quotannis reponantur in Archivis Epiſcopalibus. Quod ſi id minus poterint, in Archivo Epiſcopali, permiſſu Epiſcopi, Arcam obſeratam ponant, in qua eorum Inſtrumenta, ſcripturæque reponantur, & tuto ſerventur.

Capitula, Collegiatæ, & loca pia ſuum archivum habeant.

32 Utque deinceps diligentius omnia in Archivo cuſtodiantur, præcipimus, ut duabus clavibus illud obſeretur, quarum una penes Notarium Curiæ Epiſcopalis, altera penes eum, cui id muneris Epiſcopus tradet; Sede autem vacante alteram tenebit Vicarius Capitularis, ſeu ab eo deputatus, ut ſupra diximus, alteram Archidiaconus, prima Dignitas Cathedralis.

Conc. Prov. Benev.

TITULUS LV.

De Decimis.

SUMMARIUM.

1 Decimas ſubtrahentes, aut impedientes quomodocumque, & occupantes excommunicentur, ante plenam reſtitutionem non abſolvendi. Decreta Conc. Trid. contra bonorum Eccleſiaſticorum uſurpatores, & detentores, & decimas non ſolventes, bis in anno per Parochos publicentur. Confitentes a Parochis, & Concionatoribus admoneri de decimarum perſolvendarum debito curent Epiſcopi: Item anathemati ſubjici, decimas, aut bona Eccleſiaſtica detinentes; & ad reſtitutionem hortari.

2 Decimas ſolventes, triticum, aliaſque fruges ex areis, aut locis, in quibus ſervantur, ne amoveant, inconſulto Parocho ſub pœna Eccleſiaſtici interdicti.

3 Fraudes omnes laicorum in decimarũ ſolutione Epiſcopi detegant, & eradicent.

4 Taxa fori Metropolitani a Sac. Congr. confirmata, in Provincia ſervari mandatur, ſalvis ordinationibus Apoſtolicis, ſingulorumque Provincialium Epiſcoporum.

5 Decreta Jacobi Card. Sabelli, & Maximiliani de Palumbaria Archiepiſcoporum de integrarum decimarum ſolutione innovantur, ſub excommunicationis pœna, a qua, niſi ſatisfactione ſequuta, abſolvi non poſſit.

6 Procuratores quartam decimarum pro Eccleſia exigentes, Quartulani dicti, ſint, Clericus unus, alter laicus, Epiſcopi arbitrio; amboque in Epiſcopi manibus, vel ejus deputati jurent de fideliter exercendo, rationeque reddenda.

1 Decretum Concilii Tridentini contra eos, qui decimas ſubtrahunt, vel alias illarum ſolutionem impediunt, diligentiſſime obſervetur, & quicumque variis actibus decimas Eccleſiis, illarumque miniſtris obvenientes ſubtrahunt, & qui ab aliis ſolvendas temere occupant, & in rem ſuam convertunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſequuta, abſolvantur; quod, ut diligentius obſervetur, mandamus, ut ſingulis annis ſaltem bis decreta Sacri Concilii Tridentini contra bonorum Eccleſiaſticorum uſurpatores, & detentores, & decimas non ſolventes, ſtatutis diebus, cum frequentior erit Populus, Epiſcopi ab omnibus Parochis publicari faciant, atque in confeſſionibus de decimarum perſolvendarum debito confitentes ab ipſis Parochis admoneantur; quod ut Prædicatores faciant, Epiſcopi curabunt, moneantque præterea Populum, quod anathemati ſubjiciuntur, qui ſeu decimas, ſeu bona quæcumque, reſque Eccleſiarum detinent, eumque ad reſtitutionem hortentur.

2 Coloni autem, ceterique ſolventes decimas non amoveant tritica, aliaſque fruges ex agris, & areis, & locis, in quibus teruntur, aut conſervantur, inconſultis Parochis, & aliis, quibus decimæ debentur, ſub pœna Eccleſiaſtici interdicti.

Tritica, antequam decimæ ſolvantur, a ſuis locis ne amoveantur.

3 Quoniam vero creſcente in dies avaritiæ morbo, plurimi abuſus circa decimarum ſolutionem irrepſerunt; iccirco Epiſcopi fraudes, quibus Laici in hac Provincia Clericis imponere nituntur, caute, prudenterque dignoſcant, deprehenſaſque reprobandas, & omnino tollendas curabunt.

Non ſolum avaritiæ labes, ſed etiam illius ſuſpicio a Clericis eliminanda.

4 Ut a foris Eccleſiaſticis omnis avaritiæ ne dum labes, ſed & ſuſpicio arceatur, condigneque pro ſui operis, laboris, & officii ratione mercedes unicuique Judici, & Miniſtro tribuantur, utque cum capite membra cohæreant, optat ſacra Synodus, ut, ſalvis ordinationibus Apoſtolicis, univerſis, & ſingulis Epiſcopalibus Provinciæ Beneventanæ Tribunalibus definita taxa, & fori Metropolitani leges in eodem olim præſcriptæ a bo. me. Cardinali Arigonio, & nuper anno 1653. a Sac. Congregatione particulariter ſuper illarum reviſione a fel. rec. Innocentio Decimo deputata, ejuſdemque juſſu, & auctoritate renovatæ, & confirmatæ, diligenter ſerventur; Quapropter eaſdem in omnibus Epiſcopalibus hujus Provinciæ Cancellariis expoſitas, & affixas retineri mandavit, ut notæ, & cunctis evulgatæ ſint, & in calce præſentis Synodi imprimendas fore duxit, & in eos, qui illis non obtemperaverint, animadvertendum eſſe ab Epiſcopis.

5 Quare ejuſdem Concilii Tridentini auctoritate innixi, renovanteſque decreta bo. me. Cardinalis Sabelli, nec non bo. mem. Maximiliani de Palumbaria Prædeceſſorum noſtrorum, præcipimus omnibus, ut decimas ipſas Eccleſiis, illarumque Miniſtris, de jure, ſeu immemorabili conſuetudine debitas, non arbitrio, neque alia prius deductione facta, ſed integre ſub excommunicationis pœna perſolvant, a qua non niſi debita ſatiſfactione ſequuta, abſolutionis beneficium valeant obtinere.

6 Procuratores illos, qui quartulani appellantur, qui juxta aliquarum Eccleſiarum conſuetudinem quartam decimarum pro fabrica, aut aliis Eccleſiæ neceſſariis exigunt, ita in poſterum conſtituendos eſſe decernimus, ut eorum unus Clericus, alter vero Laicus, ſi ſic Epiſcopo videbitur, ſit, amboque in manibus ipſius Epiſcopi, vel ab eo deputati, jurent fideliter officium ſuum ſe obituros, & exactorum rationem reddituros.

TITULUS LVI.

De Reformatione Græcorum, eorumque erroribus tollendis.

SUMMARIUM.

1 Decreta Jacobi Card. Sabelli Archiepiſcopi circa Græcos, Albanenſes dictos, innovantur: hinc decernitur, ut Epiſcopi eos doceant, & a Parochis doceri curent Fidei Catholicæ veritatem, cenſuriſque, & aliis pœnis compellant ad rectam vivendi normam, & Catholicæ Eccleſiæ rituum obſervantiam, extirpatis hæreſibus, rejectiſque ſuperſtitionibus.

2 In reliquis citata ſerventur decreta: & ſi quid aliud emendandum, abolendumve Epiſcopi cognoverint, quam primum fieri curent.

1 QUoniam vero in nonnullis Provinciæ hujus Diœceſibus Græci quidam, vulgo Albanenſes appellati, commorantur, qui ſuis quibuſdam ſuperſtitioſis ritibus utuntur, renovantes decreta bon. mem. Cardinalis Sabelli ſtatuimus, ut Epiſcopi, quorum in Diœceſibus hujuſmodi homines verſantur, ipſos veritatem Fidei Catholicæ in omnibus doceant, & doceri a Parochis faciant, & cenſuris, aliiſque graviſſimis pœnis, prout eis videbitur, cuncta ad ſalutem neceſſaria, ad recteque vivendi normam, quemadmodum ſancta colit, & docet Eccleſia Romana, obſervari mandent, curentque, ut extirpatis hæreſibus, rejectiſque ſuperſtitionibus, & erroribus, verum Eccleſiæ Catholicæ ritum in omnibus obſervent.

Quæ ad purgandos Græcorum errores ab Epiſcopis facienda ?

2 In reliquis vero omnia ad unguem obſerventur, quæ in dicta Synodo ordinata ſunt, & ſi quid aliud ab eiſdem fieri Epiſcopi cognoverint, quod Chriſtianæ Religioni, ſanctæque doctrinæ repugnare videatur, illud emendari, aut omnino aboleri quamprimum curent; quod ſi neglexerint, graviſſimo deſerti gregis crimine obſtrictos ſe eſſe ſciant.

In reformatione Græcorum Synodus Card. Sabelli ſervanda.

TITULUS LVII.

De Cathedralibus.

SUMMARIUM:

1 Metropolita, aut alius Epiſcopus Synodi nomine deputandus Romano Pontifici referat Cathedralium nonnullarum Provinciæ indigentiam, modumque, quo provideri poſſe judicabitur, ſuggerat, ut pro ſua pietate, & Eccleſiarum neceſſitatibus conſulat.

1 DE nonnullis Cathedralibus Provinciæ hujus Eccleſiis, quarum ita tenues fructus ſunt, ut ipſorum Epiſcopi

Ad provincialium Eccleſiarũ tenuitatem fructuum augendã S. Synodus proſpicit.

ſcopi his vivere, & ſuſtentari nequeant, & de modo, quo eis aliquatenus provideri poſſe judicabitur, Metropolitanus, aut alius Epiſcopus ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum Synodi nomine deputandus referat, quem pro ſua pietate, & prudentia, & pro Epiſcoporum, & Eccleſiarum neceſſitatibus confidit Synodus, rationem initurum, qua ipſis provideri poſſit.

TITULUS LVIII.

De Uſuris.

SUMMARIUM.

1 *Vſuræ deteſtatio.*

2 *Ad uſurarios contractus quocumque modo, & titulo intervenientes excommunicantur, & ab officio ſuſpenduntur.*

3 *Confeſſarii nullo modo uſurarios abſolvant, niſi habita ab Epiſcopo facultate, & conſtito de reſtitutione in caſibus infra exprimendis, ſublata omnibus eos interpretandi facultate, ſub pœna ſuſpenſionis a confeſſionibus audiendis.*

4 *Vſurarium declaratur lucrum quodcumque ex mutuo proveniens. Item pactum quodcumque mutuatarii libertati contrarium, ſive implicitum, ſive explicitum.*

5 *Servitutes variæ, quibus impoſitis mutuatario, contractus uſurarius eſt.*

6 *Carius pretio rigoroſo vendere ratione dilatæ ſolutionis, aut juſto vilius emere, ratione ſolutionis anticipatæ, uſurarium eſt.*

7 *Privatio pecuniæ, aut obligatio non repetendi mutuum intra certum tempus, juſtus lucri titulus non eſt.*

8 *Neque mutuo datam pecuniam ad uſuram accepiſſe.*

9 *Conventionalis pœna, cum ſcilicet mutuum certo tempore non redditur, ſi moderata non eſt, & moræ culpabili mutuatarii proportionata, uſuraria declaratur.*

10 *Lucrum ceſſans, & damnum emergens juſtus eſt titulus aliquid exigendi in mutuo; quæ tamen conditiones intercedere debent?*

11 *Pro capitalis aſſecuratione eadem licent, & quibus conditionibus.*

12 *Mercatoribus lucri ceſſantis titulus non ſuffragatur, ut ſupra pretium rigoroſum exigere poſſint, eo quod merces dent pecunia non numerata.*

13 *Chirographa certa, & exigibilia pretio minori, quam continent, prætextu anticipatæ ſolutionis emere non licet.*

14 *Nec eodem prætextu dominorum quorumcumque, ſeu communitatum quæſtores, ſeu theſaurarii aliquid a creditoribus, ut eis ſatisfaciant, accipere poſſunt.*

15 *Si difficilem exactionem colorantes credita jam maturata minoris emunt, uſuræ, & multiplicis iniquitatis ſe reos efficiunt.*

Conc. Prov. Benev.

16 *Perſonarum acceptionem in creditorum ſatisfactione committere illicitum eſt, niſi cauſa aliqua concurrat.*

17 *Vſurarium quoque eſt aliquid accipere ob conceſſas inducias in debitorum ſolutione.*

18 *Contractus, in quibus vera mutuo datæ pecuniæ ſumma non exprimitur, ſed cum exceſſu, aut defectu fit, uſurarii ſunt.*

19 *Lucrum, etiam juſtum, initio mutui accipi non poteſt.*

20 *Quoties in mutuo juſtus lucrandi adeſt titulus, in inſtrumento exprimatur, alias contractus uſurarius habeatur. Cum in mutui inſtrumento verba, gratis, & amore apponuntur, vere eo modo mutuum detur; alias Notarii rogari ſe negent ſub pœna excommunicationis. Hujuſmodi uſuras quoquo modo juvantes tenentur ad reſtitutionem: Confeſſariis eos abſolvendi facultas inhibetur.*

21 *Vſuris vacare prætextu viduitatis, pupillaritatis, aut indigentiæ damnatur, interdicta Confeſſariis abſolvendi facultate.*

22 *Triplex contractus implicitus, ſive explicitus, nempe ſocietatis, aſſecurationis, & certi pro incerto, ut uſurarius damnatur, niſi vera ſocietas intercedat cum iis inita, qui certo ſciantur pecuniam expetitam quæſtuariæ arti impenſuri.*

23 *Contractus, quo recipiens ſummam aliquam, totam in pecunia ſolvat, cum dans partim in pecunia, partim in nominibus difficile exigibilibus dat, illicitus decernitur.*

24 *Si venditor periculo diminutionis non ſubjacet, rei augmentum ab emptore exigere non poteſt.*

25 *Contractus mohatra damnatur.*

26 *Res modico pretio oppignorari, aut vendi cum pacto redimendi intra certum tempus, quo elapſo, nec redemptæ, liberæ ſint emptoris, aut pignus accipientis, prohibetur.*

27 *Cambia ſimulata, ſeu ſicca inhibentur.*

28 *Colonis pecuniam dare hyemali tempore pro frumento tempore meſſis, & interim aliud pretium accipere nomine cambii, abſque juſto titulo lucri ceſſantis, & ſimilium, duplex eſt uſura.*

29 *Contractus ſocietatis varii, qui liciti ſint, quique illiciti.*

30 *Societates animalium quomodo ineundæ, ut licitæ ſint?*

31 *Si animalia certo pretio locata, abſque conducentis culpa deteriorentur, locantis eſt damnum; ſi, ſalva ſorte locentur, ultra conventam pecuniam, nihil exigi poteſt.*

1 QUoniam uſura ob frigeſcentem in dies charitatem exitialis quædam cœpit eſſe vorago, quæ tanto cum dedecore Chriſtiani nominis, non ſolum ſub- Uſura exitialis vorago.

ſtantias pauperum devorat, verum etiam innumeras Chriſtifidelium animas trahit in profundum, ut ob eam potiſſimum dici poſſit: *Infernus dilatavit os ſuum*, ac fruſtra videatur humana mortalitate indutus eſſe Redemptor noſter Chriſtus Dominus, qui in hunc mundum venturus inducitur, atque promittitur a Regio Propheta, ea maxime de cauſſa, ut *ex uſuris, & iniquitate* (hoc eſt, quæ iniquitas ipſa ſunt) *redimat animas ſervorum ſuorum*, nempe fidelium, deleto Judaiſmo, hoc eſt, Seminario uſurarum, fruſtra idem Dominus aperto nos præcepto obſtruxiſſet (ut Leo Decimus in Concilio Lateranenſi loquitur) ne ex dato mutuo quidquam ultra ſortem ſperare debeamus, *Mutuum*, apud Lucam Euangeliſtam inquiens, *date, nihil inde ſperantes*, fruſtra Scriptura ſancta, ſacrique Canones, ac Pontificiæ ſanctiones adverſus uſurarios clamare, minari ſupplicia, cenſuras indicere. Icciro Nos, ut concreditum nobis gregem a tanto damnationis periculo eruamus, atque e Provinciæ noſtræ finibus iniquitatem hanc, quæ Judaiſmum redolet, ac juri naturali, tum poſitivo, ſeu divino, ſeu humano adverſatur, procul emandemus, ne Nobis culpæ verti poſſit, quod habetur in Pſalmo, quod non defecerit de plateis ejus uſura, & dolus, pluribus in eam, ac diſtinctis, quæ ſequuntur, decretis animadvertere viſum fuit, quibus ſinguli ſeorſim, qui ex hac infecta radice rami germinant, amputentur, eo tamen conſilio, ut ſi quis in aliis, etiam ejuſdem generis vetitis contractibus deliquerit, pœnas a jure conſtitutas ſibi ſubeundas eſſe intelligat.

Judaiſmus uſurarum ſeminarium.

Juri naturali, poſitivo, divino, & humano uſura adverſatur.

2 Notarios, Proxenetas, Teſtes, lucrive participes, ac quoſcumque miniſtros, qui quocumque modo, conſilio, & opera hujuſmodi contractibus faverint, excommunicatione innodantes, & ab officio ſuſpendentes.

Confeſſarii ad abſolutionem uſurariis impertiendam ab Epiſcopo loci facultatem petere adſtringuntur.

3 Confeſſarios omnes diligentes eſſe præcipimus, ne illis abſolutionem ullo modo impertiant, niſi prius habita facultate ab Epiſcopo loci, & conſtito de debita reſtitutione omnium injuſte acceptorum, prout de jure, & in caſibus infra exprimendis, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto a divinis incurrenda, ſublata penitus ipſis Confeſſariis, etiam Regularibus facultate aliqua interpretandi, aliter quam a Nobis in his caſibus ſtatutum eſt, ac ſi nullam prorſus a Nobis, ceteriſque locorum Ordinariis confeſſiones audiendi licentiam adepti eſſent; ſi contrafecerint Regulares, a confeſſionibus audiendis in poſterum ſint ipſo facto ſuſpenſi.

4 Ac primo reprobamus, damnamuſque univerſim lucrum quodcumque immediate proveniens ex mutuo, ſive illud temporale ſit, ſive ſpirituale, ſive ad pecuniam pertineat, ſive ad honorem, aut quid ſimili pretio, ac pecunia æſtimabile, quandocumque ſupra ſortem, ſeu ſummam capitalem oriatur, ſeu intendatur ſolummodo ratione mutui, ut debitum ex juſtitia, etiam nullo præcedente pacto, immo etiam ſi accipiatur, ut donatum, modo detur, ut debitum. Atque adeo pactum quodlibet, ſeu gravamen, aut onus, quod addatur mutuo, libertati contrarium, præter id, quod ei proprium eſt, & intrinſecum, ut ſcilicet tantumdem ſuo tempore reſtituatur, quantum mutuo traditum eſt, uſurarium declaramus. Idque, ſive fiat expreſſe per pactum explicitum lucri de mutuo ſupra ſortem in ipſo contractu mutuationis, ſive implicitum tantum virtualiter in aliis contractibus, quibus tanquam pallio uſura tegi ſolet ex regulis emptionis, venditionis, locationis, cambii, & ſimilium, qui a contrahentibus prætenduntur. Quia etiam, quantumvis mentaliter tantum abſque ullo externo pacto lucrum hujuſmodi, vel minimum ex juſtitia intendatur, habeaturque ſolummodo animus accipiendi aliquid ex mutuo ultra ſortem, etiamſi exterius id pacto non exprimatur, uſura mentalis incurritur.

Lucra ex mutuo provenientia primo loco damnantur.

Uſura mentalis quæ ſit?

5 Quare conſequenter uſurarios declaramus contractus nonnullos, in quibus fortaſſe ita detur mutuum, ut mutuatarius ex debito civili teneatur poſtea mutuatori, vel alteri idem, vel diverſum quidpiam remutuare, aut aliquid vendere, aut ex ejus officina merces emere, aut ejus molendinum frequentare ad molendum; ſimiliter ſi obligetur mutuatarius mutuæ pecuniæ partem accipere in mercibus, quibus ille non indiget, quod eſt eum obligare ad emendum, & ſæpe revendendum cum detrimento pretii propter mutuum.

Contractus cum aliqua obligatione pretio æſtimabili ex mutuo, uſurarii declarantur.

Si frumentum, vel quid ſimile, quod hic accipitur mutuum, alibi reddere, ubi plus valet, vel quo majoribus cum ſumptibus, ſeu laboribus deportandum ſit.

Si frumentum, vel id genus alibi exceptum, vitiove alio infectum mutuo detur cum obligatione tantumdem integrum, ac ſine vitio reddendi, etiam ſi reſtitutio differatur in quodcumque tempus mutuatario commodum.

Si novum pro veteri reſtituere, præſertim, ſi certo tempore, vel mutuans ſciat, novum fore melioris conditionis, ac pretii; ſi non reſtituere mutuum ante finem anni cum gravi quandoque detrimento, vel periculo, ne in fine anni triticum vetus ſit corruptum, ac ſaltim generatim loquendo cum præjudicio propriæ libertatis, quæ pretio æſtimabilis.

6 Quemadmodum, & manifeſtæ uſuræ,

Quid carius vendere prætextu dilatæ ſolutionis, palliata uſura eſt.

ræ, quantumvis palliatæ, damnamus omnes, & ſingulos, qui carius aliquid vendiderint ultra pretium rigoroſum ſub prætextu dilatæ ſolutionis, aut vilius infra juſtum emerit, ſub prætextu anticipatæ. Cum tam venditio credito facta, quam anticipata ſolutio includant virtuale mutuum, adeoque uſuram, ſi quid ſupra ſortem exigatur, quandocumque ceſſet alius juſtus titulus lucri.

7 Hunc autem juſtum lucri titulum declaramus, non eſſe privationem pecuniæ, qua tamdiu caret mutuans gratia mutuatarii, neque obligationem non repetendi mutuum intra certum tempus, cum hæc omnia nihil ſint aliud, quam ipſiſſimum mutuum, ſine quibus illud conſiſtere nequit.

8 Excludimus etiam a juſto lucrandi titulo ex mutuo prætextum, quo aliqui utuntur, accepiſſe ſe etiam, ſcilicet ſub uſuris pecuniam, quam integram, vel ex parte alteri mutuam præbent, ac nemini licere decernimus uſuram exigere, ut ſe immunem reddat ab uſuris, quas æque ſoluturus eſſet, etiamſi alteri non mutuaſſet.

Conditio contumaciæ uſuraria, ſi moderata non eſt.

9 Nec non, & pœnam conventionalem apponi ſolitam in contumaciam, ſi ſtatuto tempore mutuum non reddatur, quotieſcumque ea moderata non ſit, nec proportionata moræ culpabili mutuatarii, abſque qua, ſi imponatur, vel apponatur in fraudem uſurarum, & animo uſurario, hoc eſt, non ut mutuatarius ſic quaſi conſtringatur, ne ſua culpa fallat, ſed ad finem lucrandi ex puro mutuo, uſurariam declaramus.

Lucrum ceſſans, damnumque emergens, quando non reddit contractum uſurarium?

10 Juſtos itaque titulos lucrandi aliquid ex mutuo ultra ſortem, declaramus eſſe lucrum ceſſans, vel damnum emergens, modo tam lucrum vere ceſſet, & damnum vere emergat ex tali mutuo, non autem alia de cauſſa, ac de iis moneatur mutuatarius, qui fortaſſe cum tali onere reſpuet mutuum, eaque deducantur in pactum, vel indeterminatum, & taxandum ab eventu in fine anni, vel determinatum, & abſolutum in certa, & juſta quantitate prudenter ab initio taxata, attentiſque omnibus circumſtantiis, ac deductis expenſis, habitaque ratione periculorum, atque eventuum, quibus ejuſmodi lucrum, & quandoque ſors ipſa, vel ejus pars adhuc eſſent obnoxia. Si tamen mutuatarius primum paciſcendi modum eligat, ad ſecundum neutiquam cogatur; præterea modo verus adſit animus negotiandi in mutuante, & in promptu, vel ſaltem in ſpe probabili merces, ex quibus moraliter certum obventurum ſit lucrum, neque id, quod pro lucro exigitur ſolvatur ſtatim, & initio, ſed in fine mutui. Quod ſi ſolutio lucri ceſſantis, vel damni emergentis in pactum deducta non fuit, nec terminus conſtitutus eſt mutuo, vel ſi conſtitutus, mutuatarius tamen in mora gravi, & culpabili non eſt, eo quod licet monitus de tali damno obventuro, vel lucro ceſſaturo, quod omnino tenetur præſtare Mutuator, mutuum ex impotentia non reddat, nihil pro ejuſmodi lucro ceſſante, vel damno emergente ſine uſura accipi poſſe decernimus.

11 Similia ſtatuimus de periculo, ſeu metu amittendæ ſortis, vel difficultatum, aut expenſarum, quæ erunt, vel metuantur in ſorte recuperanda, pro quo niſi deductum fuerit in pactum, nihil accipere liceat ultra ſortem, & multo minus, ſi pro aſſecuratione dicti periculi præſtetur pignus, aut fidejuſſor, vel mutuatarius ſit integræ fidei, & ſatis experientia notus.

12 Quod deinde attinet ad mutua virtualia, quibus uſuras palliare ſæpe contingit, cum experimento conſtet ex venditione credito facta nullum fere mercatoribus ceſſare lucrum, immo potius excreſcere, eo quod vendendo credito plures venditentur merces, quam ſi ſolutione præſenti venderent, quo lucro abunde iis compenſatur aliud, quod ſperare poterant ex venditione numerata pecunia, quam nec facile inveniunt, ideoque recurrunt ad alteram, præterquam; quod non ideo occaſionem amittant aliquas merces aliis emptoribus, ſi confluant, vendendi præſenti pecunia, ac denique plures merces uni vendant credito, quas longo tempore multis pretio præſenti vendidiſſent; Ideo nolumus ejuſmodi mercatoribus ſupra memoratum lucri ceſſantis titulum in præjudicium inopum ſuffragari, nec licere ſub eo prætextu aliquid ſupra pretium rigoroſum exigere.

13 Et quia rurſus accepimus credita, vel Chirographa in poſterum exigenda, quæ nec incerta ſint, nec periculoſa, aut litigioſa, vel difficilis exactionis, ſed certa, omniſque periculi, litiſve, ac difficultatis expertia emi aliquando a nonnullis minoris ſolito, ceſſante omni alio juſto titulo, ſub ſolo prætextu anticipatæ ſolutionis, quod nihil eſt aliud, quam pro virtuali mutuo minoris pecuniæ aliquid ultra ſortem accipere; Ideo hujuſmodi emptiones, alicujus tanquam uſuræ labe infectas, e Provincia noſtra prorſus expungimus.

Theſaurarii Principum quo pacto in uſuræ labem incidunt?

14 Miniſtros vero, ſeu Quæſtores, vel, ut vocant, Theſaurarios Principum, ſeu Dominorum quorumcumque, vel Communitatum, qui aliquid acceperint ab eorum Creditoribus, ut anticipatam faciant ſolutionem nulli difficultati obnoxiam; præter quam ei fortaſſe, cujus ipſi cauſſa ſunt, eo animo, ut de prætenſis difficultatibus quæſtum faciant, uſurarios declaramus.

15 Quod ſi agatur non de anticipata ſolu-

ſolutione, ſed de ea, quæ vel de præſenti, vel etiam de præterito jam tempore maturaverit, non ſolum uſuræ, ſed multiplicis iniquitatis, atque injuſtitiæ reos facimus, ſi malignam, & arduam, cujus ipſi cauſa ſint, exactionem prætendentes, minoris hujusmodi credita emere audeant.

16 Ac memores eos inſuper eſse volumus ſibi liberum non eſſe uni potius, quam alteri ſolvere creditorum, niſi forte quis præ aliis jus habeat, ſed teneri ſub gravi culpæ reatu pro rata omnibus ſolvere.

17 Quod ſi denique vice verſa iidem Quæſtores, ſeu Theſaurarii, ut ſupra, a debitoribus ſuorum Principum, vel Communitatum aliquid receperint ob conceſſam iis ad ſolvendum dilationem, ex qua nihil ſibi, vel lucri ceſſet, vel damni proveniat, pari pacto uſura commaculari ſe ſciant. Quæ omnia de quibuſcumque Creditoribus reſpectu ſuorum debitorum, & e contra intelligi volumus.

In contractibus duplici modo aliqui peccant.

18 Jam vero dupliciter peccari accipimus in celebrandis contractibus de mutuo, ut uſuræ tegantur, per exceſſum ſcilicet, & per defectum: aliqui enim minorem pecuniæ ſummam, cum mutuam præſtent majorem, in inſtrumento ſignificant præſtitam, ut ſi centum aureos ex. g. erogent, decem, aut viginti advertunt ſupra veram ſortem ſolvendos in fine mutui pro uſura. Alii contra, ſi centum dent mutuos, de nonaginta, aut octuaginta tantum mentionem fieri volunt in inſtrumento, reliquis jam initio mutui ſibi ſervatis, acceptiſque pro lucro totius centenariæ ſortis principalis: utrumque paciſcendi, ſeu potius fœnerandi modum, tanquam iniquiſſimum, & uſurarium ſevere damnamus, ceſſante alio juſto lucrandi titulo ex mutuo, ut ſupra.

19 Idem ſervandum, etiam ſi adſit ejuſmodi titulus, cum nequaquam fas ſit lucrum, etiam juſtum ab initio mutuationis accipere; neque enim in eo caſu verum erit dicere, quod lucrum ceſſet ex tota ſorte principali, ſi ejus parte mutuans nullo modo ſe privet.

Uſuræ palliatæ radix quomodo tollenda?

20 Atque ut radicitus omnis occaſio tollatur hujusmodi palliatorum contractuum, quibus uſurarii immunes ſe faciunt a vindicatione juſtitiæ, diſtricte præcipimus, ut quotieſcumque juſtus adſit titulus lucri ceſſantis, vel damni emergentis, ad acquirendum lucrum ex mutuo teneantur illud exprimere in inſtrumento; ſin minus non faciant lucrum ſuum, ac ſi nullus eſſet juſtus titulus, eumque contractum uſurarium declaramus; quo fit, ut anſa præcidatur omnibus palliatis uſuris, quique contractus de mutuo præferunt ſpecioſas illas Chriſtianæ charitatis particulas (gratis, & amore) vere tales futuri ſint, non autem mendacia iniquitatis, & opercula uſurarum. Notariis vero quibuſcumque expreſſe mandamus, ut quandocumque reſciverint, vel etiam probabiliter ſuſpicentur ex genio, ſeu fama mutuatoris contrahentis, hujuſmodi contractus non vere gratis, & amore, &c. ut aſseritur, ſed cum obligatione auctionis celebrari, nequaquam de iis rogari ſe ſinant ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, præter reſtitutionis debitum, quod ab iis ſubiri volumus, ac ſi apertis uſuris cooperarentur; eidemque obligationi, ac cenſuræ ipſo facto ſubjicimus reliquos quoſcumque, qui poſitive, & efficaciter ex parte uſurarii uſuris hujuſmodi cooperantur, juvando eos quovis modo, vel cogendo mutuatarios ad ſolutionem uſurarum, ut Judices, Dominos temporales, advocatos, proxenetas, famulos, aut ejus generis alios: Confeſsariis autem eos, ac multo magis mutuatores ipſos, ut ſupra, abſolvendi facultatem inhibemus, ac ſi nullam prorſus a Nobis, ceteriſque locorum Ordinariis confeſſiones audiendi licentiam adepti eſsent. Si contrafecerint, Regulares a confeſſionibus audiendis in poſterum ſint ipſo facto ſuſpenſi; ſæculares vero Confeſsarii inſuper a divinis etiam ſint ſuſpenſi.

Notarii uſurarios ad contractus intervenientes.

Juvantes, cooperantes ad uſuras, excommunicantur.

21 Præterea, ut omnis etiam excuſatio, ſive ignorantiæ prætextus uſurariis tollatur, præſertim Viduis, Pupillis, ac ſimilibus rei familiaris anguſtia laborantibus, quorum aliquos audivimus licitas ſibi facere uſuras ea ratione, quia furtum, inquiunt, ſibi neceſſitate, atque inopia preſſis licitum foret, non attendentes, vel potius non advertere curantes, quæ eorum eſt, vel inſcitia, vel malitia, quot, & quanta requirantur, ut licitum reddatur furtum, quæ, & quanta neceſſitas, eaque data, a quibus furari liceat, a quibus minime liceat, quodque nullo pacto liceat ab æque indigentibus, & multo minus ab indigentibus, quibus, experientia teſte, hujuſmodi perſonæ, quæ inopiam prætendunt, ac miſeriam vidualem, ſeu pupillarem, pecuniam ſuam tribuere ſolent ad uſuram, & quidem adeo ingentem, ut quemadmodum cum admiratione, & moleſtia animi accepimus, excreſcat non raro ad centum, & viginti in centum, ſolutis nimirum decem in centum per ſingulos menſes. Ut igitur talem, ac tantam iniquitatem Chriſtiano nomine indigniſſimam e Provincia noſtra longe arceamus, pupillares hujuſmodi, ſeu viduales, ac ſimilibus coloribus palliatas uſuras non ſemel, nec uno loco a jure damnatas, Nos quoq; majori, qua poſſumus, diſtrictione, ac ſeveritate damnamus, ac nemini licere decernimus ſub inopiæ prætextu uſuris operam dare, tanto cum detrimento proximi, etiam indigentis, interdicta

Popillares, & Viduales palliatæ uſuræ eliminantur.

terdicta Confeſsariis facultate ejus generis uſurarios non minus, quam reliquos abſolvendi, ut ſupra decretum eſt.

22 Illud vero præ omnibus ingenti Nos animi ſenſu commovit, ſerpere videlicet cœpiſſe, ac paulatim diſſeminatam eſse in vulgus opinionem quamdam, ſeu potius errorem, non ratione, non Doctorum auctoritate ſuffultum, licere nimirum generatim omnibus tuta conſcientia, & abſque ulla uſuræ labe pro mutuo dato duodecim in centum quotannis accipere, ſi contractui mutui ſolummodo addantur ſive explicite, ſive implicite, ac virtuali quodam animo tres alii contractus, qui cum mercatoribus aliis quæſtuariam artem exercentibus iniri ſolent, ut ex depoſita apud eos pecunia, abſque ullo ſortis periculo, certum aliquod lucrum habeatur, nempe ſocietatis, aſsecurationis, & venditionis lucri incerti majoris pro lucro certo minore, quorum primo mercator, tanquam ſocius accipiat pecuniam, ut adhibita ſua induſtria, ac legitimæ negotiationi impenſa, lucrum faciat pro communi deinde dividendum: Secundo vero idem ſocius periculum in ſeipſo ſuſcipiat ſortis principalis, uti præſtare poſset alter non ſocius. Tertio denique ipſe ſocius lucrum incertum majus aliquo certo minore redimat: tria circiter in centum pro eo ſecundo contractu, totidemque pro tertio ſibi accipiendo de lucri communis maſsa; quo fit, ut de eo communi lucro, quod ſperatur, ſed adhuc incertum eſt, quarta fere pars, hoc eſt ſex circiter in centum, ſed certa aſſignetur deponenti pecuniam.

Error per vulgus diſſeminatus circa uſuram

Verum cum hæc ipſa praxis mercatorum, qua iſti Uſurarii ſe muniunt, aperte ſit contra ipſoſmet, nam ut plurimum, nec mutuatarii, & aliquando nec ipſi, qui mutuant aliquid ſciunt, vel cogitant de illo modo contrahendi mercatorum, ac triplici eo contractu, ut ſaltem implicite illum intendere poſſint, & præterea non contenti quarta lucri ſperati parte, dimidium fere expetunt, & tanquam certam taxam, duodecim in centum volunt cum quibuſcumque contrahant, ac demum, quod caput, & radix uſuræ eſt, non agunt cum mercatoribus, qui pecuniam legitimæ negotiationi impendant, ſed promiſcue cum aliis, qui eam ad ſuæ familiæ ſuſtentationem, vel debitorum ſolutionem, & ad ſimilia vitæ, ac ſtatui opportuna ſubſidia petunt; iccirco Nos præſenti decreto ſtatuimus, ac declaramus nullo pacto licere ſub prætextu triplicis illius contractus additi contractui mutui aliquid, vel minimum accipere ultra ſortem, ne dum duodecim in centum ex mutuo dato, niſi vera ſocietas intercedat, cum iiſque inita, qui certo ſciantur pecuniam expetitam mercimonio, ac quæſtuariæ arti impenſuri, non autem in omnes alios uſus non quæſtuarios; quo caſu tanquam palliatæ uſuræ reos damnamus, & Confeſſariis eos (quantumvis eo prætextu munitos) abſolvendi facultatem inhibemus, ut ſupra.

23 Præterea nemini liceat cum altero ita contrahere, ut is totam pecuniæ ſummam ei, qui dederit, ſolvat, cum ille hujusmodi ſummam partim pecunia numerata dederit, partim nominibus, quæ difficile exigi poſſint, vel nominibus pluris, quam valent, æſtimatis.

24 Ne res vendatur aliqua dilata in tempus ſolutione, itaut pretium, quod interim rei accreverit, venditori ſolvatur, ſi is non ſubſit periculo diminutionis.

25 Ne cui præſentem pecuniam quærenti, pro pecunia merces aliqua detur carius vendita, dilata ſolutione, quæ merces ſtatim a venditore per ſe, vel per interpoſitam perſonam vilius reematur.

26 Ne res modico pretio pignori detur, vel vendatur, appoſito pacto redimendi intra certum tempus, quo elapſo, ſi redempta non ſit, libera ſit emptoris, vel ejus, qui pignori accepit.

27 Cambia vero quæcumque ficta, ſeu quæ ſicca dicuntur, omnino damnamus, juxta ea, quæ habentur in Conſtitutione Pii Quinti, quæ incipit, *In eam pro noſtro, &c.* ſi nimirum ita confingantur, ut contrahentes ad certas nundinas, ſeu ad alia loca cambia celebrare ſimulent, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem ſuas cambii tradunt, ſed hæ nequaquam mittuntur, verum tranſacto tempore, eodem, unde proceſſerant, inanes referantur; aut etiam nullis traditis litteris, pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, ubi fuerat contractus celebratus, eo quod inter dantes, & recipientes uſque a principio ita convenerit, vel certe talis intentio fuerit, neque quiſquam ſit, qui in nundinis, aut locis ſupradictis, ad quæ litteræ cambii finguntur directæ, hujuſmodi litteris receptis ſolutionem faciant.

Cambia ficta damnantur.

Quare quotieſcumque non veræ cambii litteræ tranſmittantur, aut non pro primis tantum nundinis, ut celebrabuntur, ſeu pro primis tantum terminis, juxta receptum locorum uſum, ſed pro ſecundis, & deinceps nundinis, ſeu terminis, aut præſtitutus ſolutionis terminus, lucro ex tacita, vel expreſſa conventione recepto, ſeu etiam tantummodo promiſſo differatur, aut pactum a principio, ſeu alias apponatur de certo, & determinato intereſſe, etiam in caſu non ſolutionis, aut eo pacto accipiantur, vel dentur pecuniæ, ut habeatur recurſus ad domum, vel reſpondentem dantis, aut accipientis, quod pactum vulgo vocatur, *la ricorſa*, impenſarum, vel alterius generis oneribus

bus

bus campſariis impoſitis; aut pretium exceſſivum ſit, nec ſe conformet pretio currenti in foro, ſeu platea, ut dicitur, Mercatorum, habita ratione inopiæ, vel copiæ pecuniarum,& campſariorum,ejuſmodi cambia injuſta, & uſuraria declaramus.

Quæ cambia injuſta, & uſuraria declarantur.

28 Si quis autem colonis pecuniam hiberno tempore præſtet, ut frumentum tempore meſſis accipiat, & interim pro toto eo interjecto tempore, quo coloni utuntur pecunia, aliud pretium nomine cambii accipiant, ſecluſo omni alio juſto titulo lucri ceſſantis, & ſimilium, ut ſupra,dupliciter uſurarium declaramus; primo quidem ratione cambii ficti ob defectum tranſmiſſionis pecuniæ per litteras, cum illa eodem loco ſolvatur,ubi recepta fuit; deinde ob duplex lucrum, quod recipitur ex eadem pecunia, nempe frumentum ex contractu emptionis, & venditionis, & ex contractu cambii pretium ſolvi ſolitum pro cambio ficto pecuniæ, ad quod neque ſi verum, & reale eſſet, poſſet cogi venditor ex vi primi contractus.

Contractus ſocietatis quando liciti ſunt?

29 In contractibus Societatis, in quibus, vel alter pecuniam,alter operas confert, vel uterque ſocius ſortem, ſive capitale, æqualiter, vel inæqualiter lucri diſtributio, non niſi per quotas partes conſtituatur ſecundum proportionem rerum contributarum. Neve qui præſtat operas, ultra eas, certam pecuniarum ſummam vel quid aliud præſtanti pecuniam perſolvat. Neque fiat pactio, ut ſors ſalva ſit, fructus vero communiter dividantur, niſi intercedat alius contractus aſſecurationis, pro quo aliquid aliud de communibus fructibus ſocio, ultra partem, ac ratam ipſius tribuendum eſt, habita ratione periculorum, quibus ſors ſubeſt; atque adeo fructus nequaquam æqualiter dividendi, ut ita compenſetur alteri tale gravamen.

Societas animalium quomodo permittatur?

30 In ſocietate animalium, quæ in æſtimata alicui dantur ad cuſtodiam, ſive ut operas præſtet, omnes caſus, etiam fortuiti ſemper ſint periculo ejus, qui dederit, niſi id alterius ſocii dolo, vel magna negligentia accidiſſe conſtiterit; nec liceat pactum addere, ut ſors ſit ſemper ſalva, etiam ex primis fœtibus, quandocumque non adjiciatur alius contractus aſſecurationis, compenſato eo gravamine aliqua parte fructuum, qui ſpectarent ad Dominum pecorum; itaut paſtor, ſeu ruſticus non nimis gravetur, ac ſi eſſet verus conductitius famulus,ſed tanta pars emolumentorum ei relinquatur, quanta ipſi merito, ac juſte debita eſt, attenta ejus cura, induſtria, expenſis, periculis, ac loci denique conſuetudine.

Neve quidpiam certum præter ſortem ex fructibus pecorum quotannis exigatur, niſi forte contractui ſocietatis alius contractus adjiciatur venditionis lucri incerti majoris in ſpe, accepto lucro certo minori, re ipſa minorem a ſocio fructuum portionem exigendo pro eo onere, quam alioquin ſecluſo tali pacto exigi poſſet.

Animalium locatio quibus conditionibus redditur licita?

31 In locationibus animalium, quæ fiunt certo pretio, ſi illa abſque dolo, aut negligentia culpabili ejus, qui conduxit, deteriora fiant,id ſemper damno ſit ejus, qui locarit. Si autem animalia dentur æſtimata ita, ut ſors danti ſalva ſit ultra conventam pecuniam, nihil omnino annuum percipi poſſit, & ſi loco pecuniæ vinum, frumentum, quidve aliud in ſingulos annos permittatur, illud ad pecuniæ, & juſti pretii rationem redigatur pro conſuetudine locorum.

TITULUS LIX.

Quæ generatim ad hæc decreta, & ad alia pertinent.

SUMMARIUM.

1 *Studeant Epiſcopi, ut unuſquiſque, prout ad ſe ſpectat, Synodalia decreta frequenter legat, & exequatur. Si quis interrogatus ignoret, puniatur. Decreta in Seminario quoque ſerventur.*

2 *Quæ ad Laicos pertinent, per certa anni tempora diſtributa, ſummatim vulgari idiomate Parochi evulgent.*

3 *Dignitatum, & Canonicorum pecuniariæ mulctæ, ubi certis locis non applicantur, Sacriſtiæ uſui, aut fabricæ Eccleſiarum, quarum ſunt Canonici, omnino, & irremiſſibiliter attribuantur. In delictis, quibus pœna non eſt appoſita, Epiſcopis ſint arbitrariæ.*

1 Quæcumque vel ad Cleri, vel ad populi confirmandos mores, ad Eccleſiaſticamq; omnem diſciplinam retinendam Provinciali, vel Diœceſanis Synodis a Nobis, aut a Reverendiſſimis Coepiſcopis noſtris ſancita ſunt, ut ex illis eo uberior, Deo juvante, fructus exiſtat, quo ſæpius, vel promulgatione, vel certæ lectionis ſtudio inculcata iis notoria fient, a quibus illa, & ſciri, & animo comprehendi, atque re ipſa præſtari oportet.

Synodalia decreta omnibus de Clero legenda.

Epiſcopus igitur, præter alia, quæ hoc hoc de genere alias decreta ſunt, Canonicis, & Parochis, & reliquis Clericis certum tempus ſtatuat, quo omnia, quæcumque iis Provincialibus,& Diœceſanis decretis de iis conſtituta ſunt, illis legantur; ita ut quæ decretorum partes ad Canonicalem diſciplinam pertinent, Canonici, & quæ eorum cauſſa conſtitutiones latæ ſunt, Parochi, & Clerici itidem, ut ii omnes, quæ ad univerſum Clerum ſpectant, lectione repetita animo comprehendentes, præſcriptas munerum ſuo-

ſuorum partes ſinguli ſtudioſius exequantur. Si quis autem eorum aliquando Epiſcopi juſſu interrogatus, ea per negligentiam, aliamve culpam ignorarit, pro ejus culpæ, & perſonæ ratione illum Epiſcopus corripiat, aut alias prꝛterea cum eodem agat. In Seminario quoque itidem ſerventur,ut eorum,vel inſtitutis,vel monitis, vel præceptis Clerici informentur.

Quę ad laicos ſpectant vulgari lingua à Parochis evulgentur.

2 Quæ vero decretorum partes ad Laicos attinent, illas ſummatim vulgari ſermone expreſſas, & certis anni temporibus diſtributas, prout uſuvenerit, a Parochis denunciari jubeat, quo ſæpius inculcata ſerventur diligenter.

3 Quibus in decretis mulctæ iis nominatim conſtitutæ ſunt, qui Dignitates, aut Canonicatus obtinent, nec certis locis attributę, uſui Sacriſtiæ, aut fabricæ illarum Eccleſiarum ab Epiſcopo attribuantur. Neque vero eos ad alium uſum converti, neque remitti poſſe ſtatuimus: iis demum delictis, quibus nullæ a Nobis pœnæ injunctæ ſunt, Epiſcoporum arbitrio adhibendas eſſe decernimus.

TIT. LX.
De Interpretatione Conſtitutionum Synodalium.

SUMMARIUM.

1 *Synodi interpretatio, & declaratio Metropolitæ reſervatur, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate.*

DECRETUM de fine Synodo imponendo.

Decretorū interpretatio Metropolitę reſervatur.

1 POſtremo, ſi quid obortum fuerit difficultatis in hujuſmodi decretis interpretandis, decernimus ex ſententia Synodi, eorum interpretationem, & declarationem uſque ad proxime futuram Synodum Metropolitano reſervatam eſſe: ſalva Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſuprema auctoritate, cui omnia a Nobis in Synodo acta, decretaq; ea, qua decet, obedientia, & reverentia, ſubjicimus interpretanda, corrigenda, & emendanda.

Decretum de fine Synodo imponendo.

COnfectis jam, Deo favente, abſolutiſque his,quæ hoc potiſſimum tempore, pro reſtitutione, & conſervatione Eccleſiaſticæ diſciplinæ in Provincia Beneventana ſtatuenda, & decernenda eſſe videbantur, Paſtoraliſque officii ſollicitudine revocante jam ad ſuas Eccleſias Epiſcopos, qui ad hanc Synodum evocati convenerunt, ipſam Synodum merito dimittendam eſſe exiſtimamus: *quare Reverendiſſimi Patres, placetne vobis, ut ad laudem Dei Omnipotentis ipſi Synodo finis imponatur?* Reſponderunt, *placet.*

Poſtmodum Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D.Metropolitanus, & Epiſcopi, qui Provinciali Synodo interfuerunt, ipſius Synodi decretis manu propria ſubſcripſerunt.

NOs Joannes Baptiſta, Archiepiſcopus, de conſilio, & aſſenſu Reverendiſſimorum Coepiſcoporum noſtrorum ſubſcripſimus.

Ego Joannes Lucas Civitatis Calvi, ex Inſula Corſicæ, Epiſcopus Guardiæ, conſentiens, ſubſcripſi.

Ego D.Urbanus Zambottus, Epiſc.Montis Marani, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Petrus Epiſcopus Teleſinus, conſentiens, ſubſcripſi.

Ego D. Donatus Paſchaſius, Epiſcopus Trivicanus, conſentiens, ſubſcripſi.

Ego Alexander Epiſcopus Ariani, conſentiens, ſubſcripſi.

Ego Carolus Manellius Averſanus, Epiſcopus Termulenſis, conſentiens, ſubſcripſi.

Ego Frater Cæleſtinus Brunus, Epiſc. Bojanenſis,conſentiens, ſubſcripſi.

Ego Laurentius,Epſc.Avellinenſis,& Frequentinenſis, conſentiens,ſubſcribo.

Ego Frater Dominicus, Epiſcopus Sanctæ Agathæ Gothorum, conſentiens, ſubſcribo.

Ego Antonius Piſanellus, Epiſcopus Vulturarienſis, & Montis Corbini, conſentiens, ſubſcribo.

Ego Vincentius Piſanus, pro Reverendiſſimo Epiſcopo Bovini, conſentiens, ſubſcribo.

Marcus Antonius Zollius Secretarius.

NOTÆ

Joannes Lucas de familia Moncalva Civitatis Calvi in Inſula Corſica.

D.Urbanus Zambottus Nobilis Beneventanus (licet Ughellus eum dicat Bononienſem) Canonicorum Regularium S.Salvatoris Generalis.

Petrus Epiſcopus Teleſinus de familia Marioni Nobili Eugubina.

Alexander de Rubea familia, Canonicus Neapolitanus.

Fr.Cæleſtinus Brunus Patria Venuſinus, Ordinis Eremitarum S.Auguſtini.

Laurentius Bononienſis de Nobili familia Pollicini, qui dum mirabili charitate commiſſo ſibi gregi,tempore peſtis ſpiritualia,& temporalia remedia miniſtraret,tactus,& ipſe eodem morbo expiravit.

Fr.Dominicus (quem Ughellus Dionyſium vocat) de familia Campanella, Ordinis Carmelitarum Procurator Generalis.

Antonius Piſanellus Nobilis Neapolitanus.

Bovinenſi Eccleſiæ præerat Joannes Antonius Galderiſius Nobilis Monopolitanus; qui ſenectute detentus Provinciali Synodo intereſſe non potuit.

Marcus Antonius Zollius Nobilis Bergomenſis, vivit adhuc vigilantiſſimus Pontifex Eccleſiæ Cremenſis in Gallia Ciſalpina ex Venetorum Sereniſſimo Dominio.

FINIS CONCILII XIII.

Fr. Vincentius Maria Urſinus, Romanus, Ord. Præd., S. R. E. Cardinalis, poſt Præſulatus Sipontinum, & Cæſenatenſem, electus Archiepiſcopus LXI. die XVIII. Martii MDCLXXXVI., primam Provincialem Synodum coegit anno Domini MDCXCIII. Sedit annos XXXVIII., & hoc denique anno MDCCXXIV. die 29. Maii ad Petri Cathedram evectus, aſſumpto nomine BENEDICTI XIII., non iccirco Beneventanam dimiſit Eccleſiam, ſed eam a ſe retineri profeſſus eſt.

CONCILIUM PROVINCIALE XIV.,

Habitum anno a Chriſto nato MDCXCIII. Diebus VI. XIII., & XVI. Aprilis a Fr. Vincentio Maria Card. Urſino Archiepiſcopo.

Impreſſum Beneventi in Typographia Archiepiſcopali eodem anno 1693.

E D I C T U M

Indictionis Provincialis Synodi Beneventanæ.

FR. VINCENTIUS MARIA Ordinis Prædicatorum, Miſeratione Divina Tit. S. Sixti S. R. E. Præsb. Card. Urſinus, S. Beneventanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus Metropolita.

INJUNCTUM Metropoliticę ſervitutis officium a Nobis poſtulat, ut, quæ æternus Pontifex ad providum Eccleſiæ ſuæ regimen Sanctiſſimis Patribus noſtris in Spiritu Sancto legitime congregatis inſpirare dignatus eſt, ad ejus laudem, & gloriam pro viribus exequi ſtudeamus. Cum itaque in Sac. Trid. Concilio Provincialem Synodum pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex Sacris Canonibus permiſſis, quolibet ſaltem triennio cogendam decretum fuerit: Nos aſſidue in ea cogitatione verſati ſumus, ut tanto oneri, humeris noſtris impoſito, ſatis quoad ejus fieri poſſet, ac quamprimum licuiſſet, faceremus, ut tantum Provinciæ noſtræ beneficium uſque ab anno 1656. a Prædeceſſoribus noſtris variis de cauſſis intermiſſum, tandem aliquando exhiberetur. Quocirca Metropolitanam Eccleſiam inſtaurare, & Archiepiſcopium noſtrum augere in ipſis ſuſcepti paſtoralis muneris liminibus curæ fuit; ſed placuit inſcrutabili Divinæ Majeſtatis conſilio inſtaurata, & erecta in ruinam, & pulverem redigere. Quod Nos a cogendæ Synodi ad eam convertit ſollicitudinem, ut diruta, & dejecta ab ipſis fundamentis reſtitueremus, prout, eo dante, qui mortificat, & vivificat, pauperem facit, & ditat, humiliat, & ſublevat, reſtituimus. Quapropter, ne tantum, & tam enixe impoſitum onus diutius protraheretur, Provincialem Synodum hoc anno 1693. ineunte, in Epiphaniæ feſto pro 11. Aprilis menſis die evulgandam juſſimus, & evulgatam decrevimus, prout univerſæ Provinciæ noſtræ innotuiſſe agnovimus. Deinde Reverendiſſimos, ac Sanctiſſimos Fratres noſtros Comprovinciales Epiſcopos per litteras ad unumquemque eorum datas, certiores fecimus de ea celebranda, eoſque auctoritate, qua fungimur, in Metropolitanam Eccleſiam noſtram ad diem 11. Aprilis, feſtum S. Leonis Papæ, convocavimus. Ut autem & reliquis omnibus, qui de jure, vel conſuetudine hujuſmodi Provinciali Synodo intereſſe tenentur, ejus celebratio plenius innoteſcat, neve eorum quis ignorantiæ excuſationem prætendere, vel ſe neglectum dicere poſſit, præſenti noſtro Edicto, univerſis, & ſingulis Abbatibus, Commendatariis, Capitulis Cathedralium, & cujuſcumque dignitatis, & gradus Clericis, quorum quacumque de cauſſa intererit, etiam exemptis, nulliuſque Diœceſis, intra tamen fines Provinciæ noſtræ poſitis, ſignificamus, indicimus, ac denunciamus Provincialis noſtri Concilii celebrationem ſub pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis a Sac. Canonibus adverſus non accedentes latis, atque decretis. Si qui vero (præter eos, ad quos ex officio intereſſe ſpectaverit) ſive ex reliquis Clericis, ſive ex laicis quibuſcumque pro juſtitia conſequenda, ſi forte quacumque de cauſſa ſeſe læſos exiſtimaverint, accedere ad Concilium, vel Procuratores mittere voluerint, id ſibi licitum eſſe ſciant. Quare his quoque, nec non Civitatum, & Caſtrorum quorumcumque potiſſimum Dominis, quocumque dignitatis, & gradus titulo fulgeant, ac Communitatibus, ceteriſque Provinciæ noſtræ, qui ſua quomodolibet intereſſe putaverint, præfati Concilii celebrationem, & inſuper plenariam Indulgentiam a SS. P. N. Innoc. Pont. Opt. Max. omnibus Chriſtifidelibus tum tem-

Coactionis Synodi rationes.

Dilationis Synodi prima cauſſa Eccleſiæ, & Archiepiſcopii reſtauratio: ſecunda a fundamentis illa terræ motu diruta, & conquaſſata in priſtinum reſtituenda.

Quibus Synodus indicitur?

Viſitantibus Metropolitanam indulgentiam Innocentius XII. conceſſit.

temporis noſtram Metropolitanam viſitantibus conceſſam ſignificamus. Hortamurque, ut donec indictus Synodi dies advenerit, aſſiduis interim precibus, aliiſque Chriſtianę pietatis officiis a Patre luminum, qui iis, qui poſtulant a ſe ſapientiam,dat omnibus affluenter, & non improperat eis, impetrent, ut eam mittat Nobis de ſede magnitudinis ſuæ aſſiſtricem, qua conſultationes noſtras, pioſque conatus dirigente, optatos tantorum laborum fructus ad commune Provinciæ bonum percipere valeamus; cujus rei gratia præſens Edictum in Cathedralium, aliarumque Eccleſiarum inſigniorum, etiam exemptarum, & nullius Diœceſis, ſi quæ ſint, Provinciæ noſtræ valvis affigendum, promulgandumque mandavimus; cujus affixio, & publicatio ita omnes, & ſingulos, qui in eo comprehenduntur, adſtringat, ac ſi nominatim illis intimaretur. In quorum fidem hoc ipſum Edictum conficiendum, per Nos, & Secretarium noſtrum ſubſcribendum, & noſtri ſigilli impreſſione muniendum decrevimus. Datum Beneventi ex noſtro Archiepiſcopio die 10. Januarii 1693.

Fr. Vinc. Maria Card. Archiep. Metrop.

Locus ✠ ſigilli.

J. Poderus Secretarius.

TITULORUM

Primæ Provincialis Synodi Beneventanæ Urſinæ

INDEX ALPHABETICUS

A

De Accuſationibus, inquiſitionibus, & denunciationibus. Tit. 44.
Ætate, qualitate, & ordine præficiendorum. Tit.6.
Arbitris. Tit.13.

B

Baptiſmo, & Confirmatione. Tit.36.

C

Celebratione Miſſarum, Sacramento Euchariſtiæ, & Divinis Officiis. Tit.35.
Cenſibus, & Exactionibus. Tit.33.
Clericis Peregrinis. Tit.8.
Clericis Conjugatis, & Diaconis Silvaticis. Tit.19.
Clericis non reſidentibus. Tit.20.
Cohabitatione Clericorum,& Mulierum. Tit.18.
Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris. Tit.34.
Conſtitutionibus. Tit.2.
Conſuetudine. Tit.4.
Cuſtodia Euchariſtiæ. Tit.37.

D

Decimis, & Oblationibus. Tit.29.
Depoſito. Tit.24.

E

Eccleſiis ædificandis, vel reparandis. Tit.40.

F

Feriis, & Feſtorum dierum obſervantia. Tit.14.
Fide inſtrumentorum. Tit.15.
Fidejuſſoribus. Tit.25.

G

Græcis ne in Schiſmaticorum errores incidant. Tit.48.

H

Hæreticis. Tit.47.
His, qui filios occiderunt. Tit.49.

I

Immunitate Eccleſiarum. Tit.41.
Infantibus, & languidis expoſitis. Tit.50.
Injuriis, & damno dato. Tit.52.
Jurejurando. Tit.16.
Jurepatronatus. Tit.32.

M

Magiſtris. Tit.46.
Majoritate, & obedientia. Tit.11.

N

Ne Clerici, vel Monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant. Tit.42.

O

Obſervatione jejuniorum. Tit.39.
Officio Sacriſtæ, & Cuſtodis, atque Punctatorum. Tit.9.
Officio, & Poteſtate Judicis Delegati. Tit.10.

P

Peculio Clericorum. Tit.26.
Pœnis. Tit.53.
Pœnitentiis, & Remiſſionibus. Tit.54.
Præbendis, & Dignitatibus, & Canonicis. Tit.21.

R

Rebus Eccleſiæ alienandis, vel non. Tit.23.
Regularibus. Tit.30.
Religioſis Domibus,ut Epiſcopo ſint ſubjectæ. Tit.31.
Reliquiis, & veneratione Sanctorum. Tit.38.
Reſcriptis. Tit.3.

S

Sacra Unctione. Tit.7.
Sententia excommunicationis. Tit.55.

Sepulturis. Tit.28.
Simonia. Tit.45.
Sponſalibus, & Matrimoniis. Tit.43.
Summa Trinitate, & Fide Catholica. Tit.1.
Syndico. Tit.12.

T

Temporibus Ordinationum. Tit.5.
Teſtamentis. Tit.27.

V

Vita, & honeſtate Clericorum. Tit.17.
Uſuris. Tit.51.
Ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur. Tit.22.

Decreta 1. de inchoanda Synodo. 2. de ratione vivendi in Synodo, & aliis in eadem ſervandis. 3. de Miniſtris Synodalibus. 4. de præjudicio non afferendo. 5. de non diſcedendo. 6. de Patrum vocatione. 7. de profeſſione Fidei; *& de ceteris hujuſmodi habentur in Actis, quæ in Archiepiſcopali Archivo ſervantur. Ordo autem ſingulorum dabitur brevi Methodo, quæ in calce hujus Synodi apponetur.*

CONSTITUTIONES SYNODI PROVINCIALIS BENEVENTANÆ.

FR. VINCENTIUS MARIA ORDINIS PRÆDICATORUM,

Miſeratione Divina Tituli S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis Urſinus, S. Beneventanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus Metropolita, de conſilio, & aſſenſu Reverendiſſimorum Dominorum Coepiſcoporum noſtrorum, qui ad Dei gloriam, & honorem in hanc Provincialem Synodum convenerunt, hæc ſtatuimus, & ſancimus.

TIT. I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

CAP. I.

Fidei profeſſio Diœceſanis Synodis, cum primum habendis, ab omnibus, qui in vim Trid. Conc. tenentur, juxta conſtitutionem Pii PP. IV. emittatur.

IN Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Sacroſanctam Catholicam Fidem ſolidum illud fundamentum, præter quod nemo aliud ponere poteſt, & ſuper quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum Sanctum in Domino, integram, inviolatamque in noſtra Provincia ab omnibus tenendam ſollicito ſtudio curantes, ut & iis, qui in ea firmi, & ſtabiles ſunt, confeſſio fiat ad ſalutem, omnes noſtræ Provinciæ Epiſcopi cuncta, quæ de Fidei profeſſione præſtanda Sacri Concilii Tridentini decreto (1) & Pii Papæ IV. Conſtitutione (2) ſtatuta ſunt, executioni diligenter demandent, & Diœceſanis Synodis, primo quoque tempore habendis, eamdem Fidei profeſſionem, juxta formam ab ipſomet Pio IV. præſcriptam, quam ante omnia Nos quoque cum Coepiſcopis noſtris præſtitimus, emittant, & ab aliis faciant emitti.

1. Seſs.24. de reform.cap.12.
2. Ann.1564. Cõſt. 88.

CAP. II.

Ludimagiſtri, ni Fidei profeſſionem præſtent, à docendi exercitio ſuſpendantur: contumaces anathemate cohibeantur.

CUm non minus Fidei, & vitæ, quam doctrinæ, & ſcientiæ laude Ludimagiſtri pollere debeant: nemo id muneris publice, vel private ſuſcipiat, niſi prius ab Epiſcopo examinatus, & probatus Fidei profeſſionem in ejus manibus præſtiterit. Si quis autem ſcholas exerceat, etiam ſi prima Grammaticæ rudimenta doceat, & Fidem profiteri renuerit, ab ſcholæ exercitio ſit ſuſpenſus; & ſi contumax fuerit, excommunicationis pœna coerceatur.

CAP. III.

Verbi Dei prædicatio, Epiſcoporum propria, eiſdem commendatur.

EPiſcopis, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, hæc Sancta Synodus in mentem revocat Apoſtolicum illud effatum: *non eſt æquum, nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis*; ex quo colligant primam, & maximam Paſto- Epiſcopi in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt.

rum

rum curam eſſe verbi Dei prædicationem, levi de cauſſa, aut quodam animi languore non prætermittendam. Hujus ſiquidem præcipui officii prætermiſſi ea ratio reddenda eſt, ut Apoſtolus tot, tantiſque pro Chriſto laboribus exantlatis exclamarit: *Væ mihi, ſi non evangelizavero*. Cujuſmodi reatu maxime adſtringuntur, qui ante Epiſcopatum Concionatores, iique illuſtres erant; illuſtriſſimi in Epiſcopatu ob dignitatem facti, obmutuerunt, ita ut de eis dici valeat: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?*

CAP. IV.

Epiſcopi in ſolemnioribus concionantes, ſeptem, ſi fieri poteſt, Diaconibus ſtipentur.

IN ſolemnioribus, in quibus Epiſcopi pontificaliter celebrant, & poſt decantatum Evangelium populis ſuis concionantur, ex Evariſti Papę conſtitutione, quæ incipit: (1) *Diaconi*: ſeptem ſint Diaconibus, ſi fieri poteſt, ſtipati; ut dicendorum gravitas, & dicentis majeſtas eniteant; quemadmodum in hac Metropolitana conſuetum deprehendimus. Diaconi vero ad id muneris exequendum præſto ſint; ad hoc enim ſeptem in unaquaque Civitate eſſe debere, Sanctorum Patrum ſanxit auctoritas.

1. C. Diaconi xi. diſt. 93.

In qualibet Civitate ſeptem Diaconi extare debent.

CAP. V.

Parochi Doctrinæ Chriſtianæ rudimenta edoceant, adhibito Card. Bellarmini libello. Methodus rem agentibus, pœna negligentibus proponitur.

EPiſcoporum exemplo animarum Rectores admoniti, ſuas plebes erudient ſingulis Dominicis, feſtiſque diebus, qui Eccleſiæ præcepto agi ſolent, in quibus populum quoque, & maxime pueros, Chriſtianæ Doctrinæ imbuent rudimentis, una, eademque docendi methodo ſervata, quam Cardin. Bellarminus edidit, & ſan. mem. Clemens Papa VIII. tenendam ſuis hortationibus exhibuit. Illis vero, qui oſcitanter agunt, Epiſcopi, ut ſerio incumbant, methodum a Sancta Synodo probatam, & in calce Conſtitutionum apponendam, ſervandam proponant; quos autem negligentes compererint, omnibus remediis opportunis, a Sacro Concilio Tridentino (2) ſignanter permiſſis, omnino compellant

2. Seſſ. 24. de reform. cap. 4.

CAP. VI.

Doctrinæ Chriſtianæ Confraternitatum inſtitutio, & aggregatio commendatur.

ET, ut rem tanti momenti facilius, & fructuoſius expediant, hortatur Sancta Synodus Epiſcopos omnes, ut in Civitatibus, & Oppidis Confraternitatem inſtituant, Archiconfraternitati Doctrinæ Chriſtianæ de Urbe aggregandam, tum, ut inde ſalubres Conſtitutiones a ſan. mem. Paulo Papa V. confirmatas, & fel. record. Innocentii Papæ XI. auctoritate rurſus publicatas accipiant, tum, ut indulgentiarum theſauro, ab eodem ejuſmodi Confratribus conceſſo die 7. Octobris 1607. (1) perfruantur.

1. Conſtitut. 35.

CAP. VII.

Sacræ Scripturæ lectio demandatur: ejus materies, tempus, & hora Epiſcopis remittitur.

ANimarum utilitati, & ſaluti Sancta Synodus proſpiciens mandat, Sacræ Scripturæ expoſitionem, & interpretationem, in Civitatibus præſertim populoſis, ad tenorem (2) Sacri Tridentini Concilii omnino habendam. Tempus vero, horam, & materiam exponendam Epiſcoporum remittit arbitrio.

2. Seſſ. 5. de ref. cap. 1.

CAP. VIII.

Iis, qui ſunt in quaſi poſſeſſione Concionatores Quadrageſimales præſentandi, dies SS. Epiphaniæ præſcribitur, ultra quem, expenſarum onere non præſentantibus relicto, jus ad Epiſcopum devolvitur.

UT Quadrageſimales Concionatores poſſint ab Epiſcopo ad optatum Animarum profectum probari, Univerſitatibus, ceteriſque exiſtentibus in quaſi poſſeſſione præſentandi Concionatores ob legitimum præſcriptum tempus, Epiſcopus præfigat terminum ad præſentandum per totum diem SS. Epiphaniæ, quo elapſo, & præſentatione non facta, jus nominandi pro illa vice ad ipſum Epiſcopum devolvatur, & Univerſitates, ceterique prædicti nihilominus teneantur expenſas ſubminiſtrare, juxta ſolitum.

TIT. II.

De Conſtitutionibus.

CAP. I.

Patrum decretis inſiſtendum.

IMprudentiæ in ſacris eloquiis arguuntur, qui prudentiæ ſuæ innixi, relictis Patrum decretis, ea agunt, quæ ſibi agenda videntur; quapropter, & Provincialium, & Diœceſanarum Synodorum frequentia, &, quod caput eſt, obſervantia commendantur.

CAP.

CAP. II.

Provinciale Concilium poſt ſex menſes in Synodo Diœceſana evulgandum: evulgatum poſt tres menſes univerſam arctat Provinciam. Quidquid dubitationis exoritur, ad Metropolitam deferendum.

PRovincialis itaque Concilii Conſtitutiones, & Decreta, quæ univerſam reſpective Provinciam arctant, & adſtringunt, Epiſcopi in ſuis Diœceſibus infra ſex menſes (1), a die completæ impreſſionis, omnino evulgent. Omnes vero, qui in noſtra Provincia degunt, hujuſmodi decreta, poſt tres menſes ab eorum, in Cathedralium valvis, affixione, ſub pœnis in eiſdem contentis, obſervare tenentur; & ſi quid dubitationis, aut ambiguitatis circa ea exoriri contigerit, ad Metropolitam interpretandum, explicandumque ex auctoritate hujus Sanctæ Synodi deferetur; quam explicationem, & interpretationem omnes ſequi tenebuntur, donec aliud Provinciale Concilium habeatur.

1. C.fin.diſt.18.

CAP. III.

Diœceſana Synodus ad Tridentini tenorem cogenda. Capituli conſilio, non conſenſu indiget. Simplicium beneficiatorum vox neque pro Iudicibus, & Examinatoribus requiritur. Cum de morum reformatione agitur, Clerici omnes accedere tenentur.

QUilibet Epiſcopus Diœceſanam Synodum, ad Sacri Tridentini Concilii (1) præſcriptum, cogat, ut omnes, ac ſinguli, qui de jure, vel conſuetudine tenentur, ad eamdem conveniant. Pro Diœceſanis vero Synodalibus Conſtitutionibus edendis, Capituli tantum conſilium, non conſenſus debet exquiri; ſimplices autem beneficiati nullam, neque pro confirmatione Judicum, & Examinatorum Synodalium, vocem habent; qui tamen una cum reliquis Clericis regulariter accedere debent, quoties, vel de reformatione morum, vel de re, ad Clerum pertinente, vel de notificandis decretis, in Provinciali Synodo factis, tractatur.

1. Seſſ.24. de ref. cap.2.

CAP. IV.

Synodus, pro rei majeſtate, methodice fiat: pro utilitate non vetera tantum, ſed & nova de Patrum theſauro proferantur.

QUi ſingulis annis, ut debent, & ut in noſtra Provincia conſueverunt, Diœceſanam Synodum celebrant, ſerio monentur, ne hujuſmodi actio, quæ inter primarias Pontificales functiones refulget, perperam agatur, neve ad ſolam alicujus antiquę Synodi confirmationem, & Cathedraticum exigendum, abſque ulla methodo, ulloque congregatorum profectu habeatur; ſed libri Pontificalis ordine ſervato, vel antiquæ Synodo aliquid de novo addatur, cum quæ paſtorali animadverſione indigeant, in dies emergant, vel, quæ frequentiora ſunt, ex ea legantur, & ab Epiſcopo explanentur.

CAP. V.

Capitula ſtatutis carentia, infra ſex menſes condita Epiſcopi judicio ſubmittant.

CApitula, quæ ſtatutis carent, ne, ut naves fluctuantes quovis vento circumferantur, infra ſex menſes ea condant (1), & ſuis Epiſcopis examinanda deferant, & probanda.

1 Ex gloſſ. in cap.1.de his, quæ fiunt a majori parte Capituli.

TIT. III.

De Reſcriptis.

CAP. UNIC.

Litterarum Apoſtolicarum abuſio tollitur, rectus uſus exequutoribus præſcribitur.

QUia nonnulli, diverſis modis, litteris Apoſtolicis abuti, in Provincia noſtra comperti ſunt, pernicioſis hujuſmodi abuſibus Sancta Synodus occurrens, præcipit, ut Apoſtolica Reſcripta, præſertim in forma, *ſignificavit*, ab Executoribus non alterentur: ſed iiſdem prorſus verbis promulganda tradantur, tum ſenſu ipſo, & ſermone religioſe ſervatis, tum capitibus in ipſis reſcriptis non expreſſis, minime admiſſis, dummodo non adſit clauſula: *latius arbitrio tuo, vel ſignificantis*: Si ſecus fecerint, cum lata excommunicatio pro non expreſſis nulla ſit, revelationes non recipiantur; quod ſi illitteratorum, & idiotarum captui conſulendum ſit, reſcripta eadem, ex Latina in Italicam, ſive maternam linguam, convertere procul dubio licebit.

TIT. IV.

De Conſuetudine.

CAP. I.

Conſuetudo Eccleſiis, Eccleſiaſticiſque perſonis, & bonis oneroſa corruptela cenſenda eſt.

CUm non tam conſuetudo, quam corruptela merito ſit cenſenda, quæ profecto ſacris eſt Canonibus inimica: hujuſmodi eſſe conſuetudinem omnem, non ſolum, quæ Eccleſiis eſt oneroſa, verum etiam, quæ Eccleſiaſticis perſonis, earumque juribus, bonis, & fructibus præjudicialis exiſtit, corruptelam nempe, ideoque nullam, & irritam omnibus liquido conſtat. (1)

1. Ex conſtit.170. Urbani VIII.

CAP.

C A P. II.

Cerei, & cineres benedicti præſentibus diſtribuantur: abſentibus, ſi ob tributum, & faſtum domum delatos velint, denegentur.

ILlud denique impietati, nedum corruptelæ proximum eſt, ut quæ ad Dei cultum inſtituta ſunt, nonnulli in tributum velint, & quæ humilitatis inſignia præſeferunt, in faſtum converterint. Ii ſunt, qui cereos in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, pro aſſocianda Proceſſione, Sacerdotis precibus delibuſos, cinereſque in capite jejunii benedictos, in Eccleſia non recipiunt, ſed domum delatos expoſcunt. Idcirco Rectores quicumque ab hujuſmodi delatione prorſus abſtinere, nec præfatos cereos, niſi iis, qui proceſſioni interfuerint, nec ſacros cineres, niſi iis, qui ad Altare humiles acceſſerint, tribuere admonentur.

T I T. V.

De temporibus Ordinationum.

C A P. I.

Statis temporibus, & publice in Eccleſia, præſentibus Canonicis, necnon ſaltem aliquando ſolemniter Sacræ Ordinationes habeantur.

IPſa rei dignitas expoſcit, ut ordines tum non alijs, quam ſtatutis a jure temporibus, & tunc publice in Eccleſia Cathedrali, vocatis, & præſentibus Canonicis, (1) tum ſolemniter ſaltem aliquando, & cum frequentior ordinandorum eſt numerus, conferantur.

1. Conc. Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 8.

C A P. II.

Pontifex omnibus pontificalibus indutus ſacros ordines conferat.

ADvertant Epiſcopi, omnia Pontificalia induere, cum ſacros ordines conferunt: magnis enim referta ſunt Sacramentis, ad hujuſmodi functionem pertinentibus.

C A P. III.

Super temporum interſtitiis, cauſſa cognita, diſpenſatur, præſertim a Diaconatu ad Presbyteratum. Quæ autem ſit utilitas, quæve neceſſitas oſtenduntur.

QUia vero ii promovendi ſunt, qui pie, & fideliter in miniſteriis anteactis ſe geſſerant, ad hoc dignoſcendum temporum interſtitia ſancita ſunt. Caveant igitur Epiſcopi, ne ſuper hujuſmodi interſtitiis diſpenſare audeant, niſi cauſſa, quæ eſt Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas, prius cognita, & diligenter perpenſa; præſertim ſi de interſtitiis a Diaconatu ad Presbyteratum agatur, ad quæ diſpenſanda neceſſitas ſimul, & utilitas Eccleſiæ requiruntur. (1) Utilitas eſt, quando Miniſtrorum exiguus numerus ad ſufficientiam augetur. Neceſſitas vero, quando non ſolum pauci habentur Miniſtri; ſed etiam quando idonei, & non idonei deficiunt.

1. Conc. Trid. ſeſſ. 3. de refor. c. 14.

C A P. IV.

Primam tonſuram cum minoribus, & minores ordines cum Subdiaconatu, eadem die conferre illicitum eſt.

ADvertant denique Epiſcopi, quod eadem die, nec primam tonſuram cum minoribus, nec minores ordines cum Subdiaconatu conferre licet. (2)

2. C. cum H. de eo, qui ordinem furtive ſuſcepit.

T I T. VI.

De ætate, qualitate, & ordine præficiendorum.

C A P. I.

Diſcretionis anno minores, prima tonſura non initiandi.

CUm prima tonſura initiandi, Fidei rudimenta edocti, legere, & ſcribere ſcire debeant, de quibus probabilis conjectura ſit, eos, ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe, in ea ætate ſint oportet, quam ejuſmodi poſtulat eruditio, & in qua ſtatus Clericalis obligationes, & dignitatem probe norint. Idcirco Sancta Synodus diſcretionis anno inferiores non initiandos hortatur, cum in ea ætate, nec celebranti quidem Sacerdoti valeant inſervire.

C A P. II.

Vocatione ad Clericalem ſtatum ſex menſium ſpatio explorata, alia requiſita ad præſcriptum ſerventur.

PRæterea eorum propoſitum, & vocatio per ſex menſes antecedentes exploranda ſunt, ut dignoſci poſſit, utrum in veritate ad fidelem Deo cultum præſtandum, an vero temporalis commodi cauſſa initiari deſiderent; quod vero ad alia pertinet pro tonſurandis requiſita, a decreto Sacræ Congregationis Cardinalium, negotiis juriſdictionalibus Regni Neapolis præpoſitorum, de ſpeciali ordine Gregorii Papæ XV. emanato, (1) ne latum quidem unguem, diſcedatur.

1. Romæ Kal. Julii 1623.

C A P. III.

Modus in Clericorum numero adhibendus.

QUamvis Miniſtrorum numerum augere ad Divini cultus pertineat in-

incrementum (2): ſunt tamen non pauci, qui Clericali militiæ dant nomen, prætextu quidem Deo inſerviendi; ſed re vera, ut ſeculare judicium declinent; (3) unde & crebra inter utrumque forum oriuntur diſſidia, & Eccleſiaſtica libertas in dies magis violatur. Quocirca Sancta Synodus Epiſcopos omnes enixe hortatur, ne numeroſum gregem, effrenata Clericorum multitudine ſibi parent; ſed eos dumtaxat promoveant, quos utiles, & neceſſarios ſuis Eccleſiis agnoſcunt, (4) & illud Hieronymi effatum præ oculis habeant: *Diaconos, paucitas honorabiles: Preſbyteros, turba contemptibiles facit*: (5)

2. Cap. ex parte de Conſtit.

3. Conc. Trid. ſeſs. 23. de refor. c. 4.

4 Concil. Chalcedonen. c. Cōc. Trid. ſeſs. 23. de refor. cap. 16.

5. Cap. legimus diſt. 23.

CAP. IV.

Filii unici, & ii, qui focularia ſuſtinent, extra Eccleſiæ neceſſitatem, & exploratam vocationem ne initientur.

NE vero Communitatibus in damnum privatorum, & præcipue pupillorum, miſerabiliumque perſonarum, in ſolutionibus, & oneribus univerſalibus ſubeundis, præjudicium inferatur, Sancta Synodus inhibet, ne filii unici, neve ii, quibus demptis, focularioram capita, ut vulgus appellat, extinguuntur, Clericali tonſura initientur, niſi forte evidens Eccleſiæ neceſſitas aliter ſuadeat; iis quoque exceptis, qui Divina moti vocatione, in Clericalem ſtatum propenſi dignoſcuntur.

CAP. V.

Ne patrimonia, ſive donationes, fictitia ſint, qua cantione admittenda: & qua pœna, ſi qua irrepſerit, fraus coercenda?

PAtrimonium, ad cujus titulum, quis petierit in ſacris ordinari, ſi fictitium ſit, omnino rejiciatur. Et ut fraudi aditus præcludatur, (1) tam bonorum patrimonialium, quam donationum inſtrumenta, inter Miſſarum ſolemnia tribus Dominicis, aut feſtis diebus, Populo denunciabuntur, (2) & Parochus edicet, ut dantes gloriam Deo, ſuper titulo denunciato, veritatem in Domino proferant, & revelent. Si nullum innotuerit impedimentum, Parochus teſtificationem ſuam conficiet, & obſignabit, clauſamque ad Epiſcopum mittet. Deinde tam, qui patrimonium aſſignat, quam is, cui aſſignatur, jurejurando affirment, bona, quæ aſſignantur, vere, & realiter in ordinandi dominium, & poſſeſſionem transferri. Quatenus vero, his non obſtantibus, ordinandus fraudem aliquam commiſerit, ab ordine ſuſcepto ſit ſuſpenſus, & ad ſuſcipiendos incapax reddatur.

1. Conc. Burdigal. de anno 1624. c. 6. de Ord. nu. 4.

2. Conc. Mediol. 5 p. 2. tit. de init. Ord. Sac. §. At vero.

CAP. VI.

Simulatæ, & doloſæ donationes in publicorum vectigalium fraudem ne edantur, anathemate cavetur.

MAndat inſuper Sancta Synodus Laicis, & omnibus aliis cujuſcumque gradus, & conditionis in noſtra Provincia exiſtant, excommunicationis pœna propoſita, ne ad ſimulatas, & doloſas donationes, pro publicis vectigalibus defraudandis, in favorem Eccleſiaſticorum deveniant: ſcriptum eſt enim: *reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.*

CAP. VII.

Epiſcopi, in ſcholaribus ad Clericatum initiandis Barones, ſi ſe ingerant, Canonum cenſura coerceant.

NUllus Epiſcoporum quemvis in Domini ſortem admittat auctoritate Baronum, (quibus Oziæ Regis pœnam proponimus) vel ſuggeſtione cujuſvis; ſed ipſe, qui ſpeculatoris munere fungitur, promovendi indolem, & qualitatem diligenter agnoſcat: quod, ſi Barones ſacris Thuribulis manus admovere deinceps tentaverint, cum Azaria Pontifice, reſiſtat, admonens primo verbis illis: *non eſt tui officii*: deinde cum in Eccleſiaſticam juriſdictionem, & libertatem peccaverint, Canonica via procedat, donec cum Ozia, plagam Domini ſentientes, confundantur. Quod Nos, tam uti Metropolita, quam ex Sacræ Congregationis Immunitatis Eccleſiaſticæ delegatione (cujus tenorem poſt has conſtitutiones apponemus) ſub pœnis arbitrio noſtro reſervatis, omnino ſervari mandamus.

CAP. VIII.

Gregoriani cantus, & Sacrorum Rituum peritia in promovendis ad Sacros ordines requiratur.

INter alia ad ſacros ordines requiſita, admonentur Epiſcopi, ut illud quoque adnumeratum velint, Eccleſiaſticis admodum neceſſarium, nempe ſacrorum rituum, & cantus Gregoriani peritiam, de qua examinentur, ut Parochialibus Eccleſiis, ſeu aliis, quibus eorum juſſu addicendi erunt, utilius inſerviant.

TIT. VII.

TIT. VII.

De Sacra Unctione.

CAP. I.

Ex culpabili negligentia Extremam Unctionem ad ægrotos, donec animam agant, differre, graviſſimo peccato Parochos involvit.

NOn eſt ſine animadverſione prætereundum, a Parochorum quampluribus extremæ Unctionis Sacramentum collaturis, ex culpabili negligentia illud differri, donec ægrotus, amiſſis ſenſibus, animam agere incipiat, quod (ut Catechiſmo Romano admonentur) graviſſimo peccato eos involvit; cum conſtet, ad hujus Sacramenti gratiam percipiendam, plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo integra mens, & ratio viget, fidemque, & religioſam voluntatem afferre poteſt, Sacro Oleo liniatur.

CAP. II.

Cum de mortis periculo timetur, ægroto, ſenſibus integris, extrema Unctio conferatur.

QUare Parochos omnes Sancta Synodus monet, ut quoties ægritudo ea eſt, ut apta ſit inducere mortem, & de periculo timetur, cum ægrotus ſenſibus eſt integris, & rationis uſu viget (1), cæleſtem hanc medicinam, cum ejus pietate, & religione maxime profuturam, adhibeant.

(1) D. Thom. in ſup. ad 3. p. q. 32. art. 2. Conc. Prov. Mediol. 1. p. . tit. quæ pertinent ad extr. unct. adminiſtr. & Conc. 3. p. 1. tit. eod.

TIT. VIII.

De Clericis Peregrinis.

CAP. I.

Inconſultis Epiſcopis, vel eorum Vicariis, Clerici peregrini, ſeſe Presbyteros aſſerentes, ad Divina perſolvenda non admittantur.

HOneſtati contrarium, & a Sanctorum Patrum inſtitutionibus alienum ſemper fuit, ut inconſultis Epiſcopis, vel eorum Vicariis, Clerici peregrini, qui ſe Presbyteros aſſerunt, ad divina peragenda admittantur. Ex qua facilitate factum eſt, quod non ordinati, infando ſacrilegio, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, & non raro Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare per Italiam comperti ſunt. Ut tantum ſcelus a noſtra Provincia procul omnino habeatur, encyclicas litteras Sacræ Congregationis S. Officii, datas die 26. Januarii 1692. Sancta Synodus poſt Conſtitutiones apponendas, mandat, & præcipit, ut ab omnibus, quorum intereſt, ad verbum ſerventur; ſub pœnis etiam corporalibus, Epiſcoporum arbitrio reſervatis.

Conc. Prov. Benev.

CAP. II.

Dimiſſoriæ Peregrinorum litteræ, ni recentes ſint, Ordinariorum, apud quos verſati ſunt, teſtimonio roborentur.

EXterorum autem dimiſſoriæ litteræ certæ, recentes, & legitimæ eſſe debent: quod ſi ipſi aliis locis commoratos ſe aſſerant, niſi illorum locorum, ad quos diverterunt, teſtimonium de moribus, & vita probatis exhibuerint, ad celebrandum non admittantur.

CAP. III.

Presbyteri exteri, dimiſſorialibus muniti, ultra duos menſes ad Divina peragenda non admittantur; niſi interim Ordinarii, apud quos fuerant, de vitæ, & morum probitate teſtentur.

QUia ſunt nonnulli Presbyteri exteri, qui, licet litteras habeant dimiſſoriales, e ſuis tamen locis, tanquam diſcoli ejecti ſunt, & non raro, mutato cœlo, animum non mutant, ad ſcandala evitanda, Sancta Synodus mandat, ne hujuſmodi Presbyteris, ultra duos menſes, niſi ab Ordinariis, ad quorum loca diverterint, proba eorum vita, moribuſque, diligenti ſcrutinio, perſpectis, celebrare permittatur.

TIT. IX.

De officio Sacriſtæ, & Cuſtodis, atque Punctatorum.

CAP. I.

Sacriſta, & Cuſtos quinam eſſe debeant?

SAcriſta, & Cuſtos, ubi hæc munera diſtincta ſunt, non ſolum Clerici eſſe debent, ſed & ii, qui meliores, & ſanctiores in eo ordine videantur, ut nulla negligentia, in ſancta Dei Eccleſia, deprehendatur; quique ſimul juncti, abſque invidia, & zelo, provide peragant, & perfecte.

CAP. II.

Sacriſtæ munera recenſentur.

SAcriſta igitur ſollicitus eſſe debet de omni Eccleſiæ ornamento. Ejus cura erit, ut Altaria ſint ſemper munda, & pro temporum ratione, exornata: utque ſacra ſupellex, ab omni immunditia immunis, in ſuo nitore perſeveret.

CAP. III.

Sacriſta librum, in quo miſſalium onerum ſatisfactiones ſatisfacientium manu adnotentur, paratum habeat. Huic uni tantum libro hac de re fides adhibeatur.

IDem Sacriſta curabit, ut in Sacriſtia liber quotidiano uſui paratus ſit, in

 quo

quo ſinguli Sacerdotes, qui in ea Eccleſia pro onerum ſatisfactione Sacrificium obtulerint, Miſſam a ſe tali die, & talis oneris ratione celebratam, propriæ manus ſcriptione teſtentur: prout Alexandri Papæ VII. decreto ſancitum eſt, in cujus exequutionem atteſtationes, etiam juratæ, de integra per annum oneris ſatisfactione, tanquam nullius roboris, & momenti rejiciantur.

Alexandri VII. Conſtit.

CAP. IV.

Cuſtodis officium, necnon Cimeliarchæ, & Theſaurarii munera referuntur.

CUſtos vero pallia, & linteamina Altaris, cunctaque Eccleſiæ utenſilia diligenter cuſtodiet, exceptis vaſis aureis, & argenteis, ac veſtibus pretioſis, quorum cuſtodia pertinet ad Sacriſtam, ſive Cimeliarcham, ſive Theſaurarium, aut quocumque alio nomine nuncupetur, juxta Eccleſiarum conſuetudinem. (1)

1 Cap. unico de officio Sacriſtæ.

CAP. V.

Punctatores quinam, & quot eſſe debeant; & quantum oneris ſubeant?

PUnctatorum officium hic addere non omnino abſonum eſt, quamvis rerum illos, hos perſonarum tangat cuſtodia. Hi quoque integritate præditi eſſe debent, eorumque alter a Capitulo, alter ab Epiſcopo deligendi ſunt, & uterque in manibus Epiſcopi, de fideli diligentia in ſuo munere præſtanda, jurejurando ſe adſtringent. Ut vero ſollicitudinis ſuæ partes impleant, ab Eccleſiis, dum Horæ Canonicæ, Officia, & Miſſæ recitantur, abeſſe non valebunt, niſi ex neceſſitate, & de licentia Epiſcopi, vel ejus, qui Choro præſidet, altero ſubrogato, qui abſentis vices ſubeat.

CAP. VI.

Quotidianæ diſtributiones ita dividantur, ut ſingulis horis, & Miſſæ Conventuali reſpondeant.

UT divinus cultus, & eccleſiaſtica munia, ad quorum incrementum beneficia ſunt conſtituta, nulla ex parte minuantur, tam in Cathedralibus, quam Collegiatis Eccleſiis diſtributiones quotidianæ ita ſint diſtributæ, ut ſingulis horis, & Miſſæ Conventuali reſpondeant, adeo ut nulla ſit hora canonica, cui pars diſtributionis non ſit aſſignata, quatenus, qui illam horam in choro non perſolvit, diſtributionem horæ illi reſpondentem non percipiat, quavis conſuetudine in contrarium non obſtante.

TIT. X.

De officio, & poteſtate Judicis Delegati.

CAP. I.

Clericorum cauſſæ, ſive ſpirituales, ſive criminales, ſi Laicis delegentur judicandæ, acta, ſententiæ, & decreta nulla ſint.

ÆGre admodum Sancta Synodus accepit, cum abuſum, & ſtatui Clericali indecorum, & ſacris inſtitutionibus contrarium in Provincia irrepſiſſe, ut ſint Epiſcopi, qui Clericorum cauſſas ſpirituales, & criminales Judicibus laicis, & quod deterius eſt, ipſis Baronibus delegare non verentur; cum vita Clericorum debeat eſſe ſecreta, ne ii, qui ejuſdem converſationis non ſunt, & oppido eis infeſti, de eorum confuſione lætentur. Cum autem, quod illicite introductum eſt, nulla debeat ſtabilitate ſubſiſtere, præcipit, ne deinceps cauſſæ ſpirituales, & criminales Clericorum a Laicis, etiam per poteſtatem delegatam, tractentur: (1) alias acta, & ſententiæ, ſive decreta eorum nulla, & irrita habeantur.

Abuſus clericali dignitati noxius tollendus.

1 Cap. decernimus de Judiciis.

CAP. II.

Epiſcopus ſimplici Sacerdoti ſacrarum veſtium benedictionem delegare non poteſt: Abbatibus, & Regularium Superioribus nonniſi in ſuis, & pro ſuis Eccleſiis hujuſmodi facultate uti licet.

ADvertant Epiſcopi ſe delegare non poſſe ſimplici Sacerdoti, ut veſtes ſacras, & alia, quamvis in eis unctio non adhibeatur, benedicat. Eccleſiarum quoque Rectores ſciant, quod Abbates, & alii Regularium Superiores facultate benedicendi ſacra ornamenta, niſi in ſuis, & pro ſuis Eccleſiis, uti non poſſunt.

CAP. III.

Judices Synodales fiant, vel per ſecreta, vel per aperta Synodi vota.

JUdices Synodales in qualibet Diœceſana Synodo deputentur, qui gravitate morum, integritate, & litteris polleant, in quorum deputatione Synodi conſenſus, qui tam per vota ſecreta, quam per aperta præſtari poterit, poſtulabitur.

TIT. XI.

De Majoritate, & obedientia.

CAP. I.

Epiſcopus pro ſua dignitate, quæ dignitatum omnium apex eſt, cum Laicis poteſtatibus ſe gerat.

REgum fulgor, & Principum diadema Epiſcopatui comparata, inferio-

riora ſunt, quam ſi plumbi metallum ad auri compares fulgorem, inquit Ambroſius; nam quanto Cælum terra pretioſius, quantumque anima corpori, ſpiritus carni, divina humanis præſtant, tantum Epiſcoporum Principatus omnia civilia Regna, & Poteſtates antecellit (1); Ideoque omnium dignitatum culmen jure merito appellatur. Quocirca Sacroſancti Concilii Tridentini Sanctiſſimi Patres, ſui ſtatus oblitos, & Pontificiam dignitatem non leviter dehoneſtantes edixerunt, qui cum Regum Miniſtris, Regulis, & Baronibus, in Eccleſia, & extra, indecenti quadam demiſſione, ſe gerunt, & veluti inferiores Miniſtri Altaris, nimis indigne, non ſolum loco cedunt, ſed etiam perſonaliter illis inſerviunt; quod, cum contra Sacros Canones omnes, Conciliaque generalia, atque Apoſtolicas Sanctiones habeatur, ne in Provincia noſtra id fiat, Sacra Rituum Congregatio ſuo decreto ſancivit, ut Nos non ſolum uti Metropolita, ſed uti Congregationis ejuſdem Delegatus, Suffraganeis noſtris, ut ab hujuſmodi in poſterum ſe abſtineant, præciperemus, quemadmodum præcipimus, & dictum decretum in calce apponendum ad unguem obſervari mandamus, ſub pœnis arbitrio noſtro reſervatis.

1 Cap. Solitæ de majorit. & obed.

CAP. II.

Epiſcopus conſuetudine vilium perſonarum non utatur, neque eorum domos, niſi pietate impellente, frequentet.

UT autem hæc omnia facilius executioni demandentur, Sancta Synodus nonnullos Epiſcopos, qui hac indigent admonitione, exhortatur, ut gradum ſuum, & ordinem præ oculis habentes, Dignitatis Epiſcopalis decorem, & gravitatem, quæ ſine peccato demitti non poſſunt, in omnibus ſervent, caveantque, ne nimia familiaritate cum ſubditis, & præcipue laicis, maxime autem vilis conditionis, utantur: quos tamen, ſive pro juſtitia, ſive pro gratia occurrentes, libentèr, & omni charitate audiant, immo nec eos (præſertim, qui è longinquo veniunt, & pauperes ſunt) diu expectare permittant. Ad privatas autem domos, eaſque vilium perſonarum, nonniſi cauſa pietatis, vel neceſſitatis, accedant.

CAP. III.

Per Civitatem, & Diœceſim incedens Clericalem habeat comitatum.

PEr Civitatem, & Diœceſim cum uno, vel altero Clericorum incedere culpabilem eſſe dejectionem advertant. Quod, & Magnus Gregorius Anthemio Subdiacono de Paſchaſio Neapolitano Epiſcopo ſcribens, redarguit in hæc verba (1): *Ita quotidie deſpectus cum uno, aut duobus Clericis dicitur ad mare deſcendere, ut & apud ſuos in fabula ſit, & extraneis ſic vilis, ac deſpiciabilis videatur, ut nihil habere Epiſcopalis, vel ingenii, vel reverentiæ videatur.*

1 Lib. 11. epiſt. 29 Indict. 6. edit. Lugdun.

CAP. IV.

Subditos, ut genuflexi benedictionem accipiant, Epiſcopi moneant.

CUm filius, recipiens benedictionem, debeat prius Patri facere obſequium. Epiſcopi populum ſuum opportune moneant, ut ſibi occurrentes genuflectant, benedictionem accepturi (1) proteſtantes, quod non genuflectentibus non benedicent, ut, qui elongatam a ſe viderint benedictionem, tandem aliquando morem gerant.

1 Cærem. Epiſcop. lib. 1. cap. 2. Conc. Ravennat. 3. de anno 1314. rubr. 6 de majorit., & obed.

CAP. V.

Humilitati modus, ne affectata videatur, neve in vilitatem degeneret, imponitur.

HUmilitatis Magiſter humilia etiam nobis officia propoſuit, cum lotis diſcipulorum pedibus inquit: *Quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Sunt autem quædam humilia, quæ Epiſcopo palam facere abſque neceſſitate non expedit, ut Eccleſiæ pavimentum verrere, candelas accendere, & ſimilia: ejus enim humilitas in animo eſſe debet, ut Pſalmographus innuit: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus.* Quod ſi clauſis januis ea velit Epiſcopus ad humilitatem exercendam perſolvere, non ſolum licebit, ſed etiam laude dignum, & in ædificationem reputabitur.

CAP. VI.

In Epiſcopi ſubſcriptione, Eccleſiæ ſuæ nomen, non familiæ cognomen effulgeat.

IMpoſito humilitati modo, ad ſupercilia demittenda S. Synodus convertitur, omnem faſtus invidiam ab Epiſcopis removendo, eoſdem monens, ne familiæ nobilitatem Epiſcopali præferant faſtigio, eam in ſubſcriptionibus oſtendando, quod ſacris eſt inſtitutionibus inimicum, quibus Eccleſiarum nomina, non familiarum cognomina ſubſcribere ex antiquo, & conſtanti Patrum noſtrorum more edocemur.

CAP. VII.

Epiſcopalis thronus in alto Eccleſiæ loco ſit; Tres fiant ad illum gradus.

CUm autem in tantæ dignitatis gratiam Patres ſanciverint, ut Epiſcopus in Eccleſia, in conſeſſu Presbyterorum ſublimior ſedeat, ſi qua Epiſcopalis Cathedra loco depreſſo eſt, eminentiori

ri loco ponatur, & ad eam per tres omnino gradus aſcendatur.

CAP. VIII.

Cathedra Pontificalis, non Sedes Cameralis adbibeatur.

CAveant Epiſcopi Cameralem Sedem pro Cathedra ſibi collocare: hoc namque in eos, qui talia agunt, magna indiget animadverſione, cum enim de Chriſto Domino ſcriptum ſit: *Ecce pluſquam Salomon hic:* Epiſcopis ejus Vicariis, ut cum Ambroſio (1) loquamur, ipſam Salomonis ſedem deſignavit, quæ rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc, atque inde tenentes ſedile, & duo Leones ſtabant juxta manus ſingulas. Nonne hæc eſt Epiſcopalis Cathedræ figura? hanc igitur omnes ſuis Cathedris exprimant, e quibus non raro ſedentes habeant concionem, ne pro Salomone, ejus ſtatuam in Throno ſitam, Populi admirentur.

1 Cap. Mulier debet 33. q. 5. Sedis Salomonis deſcriptio.

TIT. XII.

De Syndico.

CAP. UNIC.

Sede Epiſcopali vacante, a Capitulo deligatur Oeconomus, qui ſtabilium curam gerat, ne peſſum eant.

COnſiderans Sancta Synodus in tantam incidere jacturam Epiſcopia & bona ſtabilia, ad eorum menſam pertinentia, cum proprio remanent viduata Paſtore, ut ſæpius audierit, ipſas domus corruiſſe, nemine ſuppetias ferente; iccirco mandat omnibus Provinciæ Capitulis, ut, Sede vacante, ad formam Trident. Concii. (1) Œconomum unum prouidum, & diligentem decernant, qui, licet ei fructuum percipiendorum munus non incumbat, curam tamen ſtabilium, ne male pereant, gerat; & cum reparatione non in longum differenda opus fuerit, Reverendiſſimum Dominum Apoſtolicum Nuntium in hoc Regno, de ea faciant certiorem, ut ſua pietate, imminenti damno occurrendum demandet.

1 Seſs. 24. cap. 16.

Cum S. Synodus SS. P. N. Innoc. 12. Synodalibus litteris datis 16. April. anno 1693. ſupplicaverit, pro Epiſcopis noſtræ Provinciæ a ſpolio eximendis. SS. ex paterna benignitate omnes Regni Epiſcopos hoc onere levavit ad formam Conſtitutionis in appendicis calce apponendæ.

TIT. XIII.

De Arbitris.

CAP. I.

Ubi inter Epiſcopoſmet, ſive inter ipſos, & Metropolitam lis exoritur, arbitris ex utraque parte electis, dirimatur.

QUamvis Epiſcopos, Domini ſervos, litigare non oportet, tamen, ut humana fert conditio, cum inter eos quoque non raro lites exoriantur, Sancta Synodus, ad eas cito expediendas, ut apud arbitros, ex utraque parte eligendos, negotium audiatur, deſiderat (2); Idque ipſi Metropolitæ inſinuat, ut ſi quando lis inter eum, & Suffraganeum Epiſcopum oriri contigerit, electis ex utraque parte arbitris, dirimatur.

2 Ex cap. ſane de arbitris.

CAP. II.

Quando Epiſcopus allegatur ſuſpectus, quomodo ad arbitros recurrendum?

AD eoſdem Arbitros in vim Conſtitutionis Innocentii III., quæ incipit: *Cum ſpeciali* (3) in Concilio Generali Lateranenſi promulgatæ, recurrendum eſt, quando Epiſcopus allegatur ſuſpectus; cauſis tamen ſuſpicionis coram eodem Epiſcopo propoſitis, quorum Arbitrorum alter a parte, quæ recuſat, alter ab Epiſcopo deligatur: hi, ſi cauſſæ ſuſpicionis militent, & ſi cauſſæ prædictæ non probentur, aut illegitimæ fuerint judicatæ, tunc lis, ſeu cauſſa principalis, vel ad Epiſcopum remittetur, vel illam Epiſcopus alteri committet de conſenſu recuſatoris (1). Si vero per Arbitros fuerit judicatum, cauſſas ſuſpicionis, vel aliquam earum militare, cauſſa principalis ad Superiorem devolvitur. In caſu autem, quo Arbitri ſint diſcordes, ipſimet Arbitri tertium adhibeant, intra competentem terminum, ab Epiſcopo præfigendum. Quamvis denique recuſanti liceat Arbitrum alibi, quam in loco recuſati judicii; non ei tamen permiſſum eſt, in loco valde remoto, nempe ultra legalem dictam eligere.

3 Cap. cum ſpeciali de appellat.

1 Dict. cap. cum ſpeciali de appellat.

TIT. XIV.

De Feriis, & Feſtorum dierum obſervantia.

CAP. I.

In prima quaque Diœceſana Synodo feriæ judiciales indicantur, & earum tabella in Cancellaria Epiſcopali ſit expoſita.

CUm non raro contigerit acta in Epiſcopali Curia nulla judicata fuiſſe ob feriarum non obſervantiam, quibus uſque adeo ab hujuſmodi abſtinendum, ut (niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat) conſentientibus etiam partibus, nec proceſſus habitus, nec ſententia teneat; iccirco Sancta Synodus mandat, ut quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſana Synodo, primo quoque tempore habenda, ferias judiciales pro ſuo foro indicat, earumque tabella in Cancellaria perpetuo proſtet.

CAP. II.

Epiſcopis reſervare licet caſum, quo Domini ob avaritiam feſtis diebus opera ſubditis demandant. Si vero vi publica, vel privata id fiat, cogentes cenſuris cohibeantur.

AUaritiam, *Idolorum ſervitutem*, dixit Apoſtolus, & jure merito; ſunt namque non pauci Domini, qui dies, Majeſtati altiſſimæ deputatos, ſervilibus profanant operibus, idque avaritiæ intuitu: nam data opera eos expectant dies, ut commodius, & ſine mercede ſubditis operariis utantur. Quam impietatem S. Synodus deteſtans, omnibus Provinciæ mandat Epiſcopis, ut, ne quis ullo pacto ad violandum diem feſtum alios inducere præſumat, ultra alias pœnas a jure inflictas, hunc ſibi caſum poſſint reſervare. Quod ſi eo temeritatis quiſpiam feratur, ut vi publica, vel privata, ad feſtorum compellat inobſervantiam, tunc Epiſcopi ad cenſuras contra cogentes procedant.

CAP. III.

Pœnis feſta temerantibus imponendis, qui modus, & quæ cautio adhibenda?

POEnæ, pro tranſgreſſione feſtorum imponendæ, moderatæ ſint, & locis piis diſtribuantur, tertia earum parte exequutori reſervata. Caveant vero Epiſcopi, ne eas cuipiam locent; avaris namque feſtorum temeratoribus, dabitur anſa dicendi: *Medice cura te ipſum*.

CAP. IV.

Ordinationis Epiſcopalis dies quotannis celebrandus.

QUilibet Epiſcoporum natalitium ſuum, hoc eſt ordinationis diem, ſingulis annis ſolemniter in ſua celebret Eccleſia, tum quia perpetuo Eccleſiæ ritu id habetur, tum præterea, ne primigenius Epiſcopatus noſtri fervor langueſcat; atque, ut cum Auguſtino loquamur: *Quoties anniverſarius dies noſtræ ordinationis exoritur, tunc maxime honor hujus officii tanquam primo impoſitus attendatur*.

CAP. V.

Natali Regis die recurrente, pro ejus incolumitate preces habendæ.

PRo anniverſario quoque natali die Sereniſſimi Regis noſtri Catholici obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, in ſingulis Provinciæ Eccleſiis inſtituantur: *Hoc enim* (ſcripſit Apoſtolus Timotheo Epiſcopo) *bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo*: tanti enim Regis proſperitas, ob ejus eximiam in eccleſiaſticum ordinem pietatem, facit, ut quietam, & tranquillam vitam in Sancta Religione vivamus.

TIT. XV.

De Fide Inſtrumentorum.

CAP. I.

Archiva ab Epiſcopis inſtituantur. Capitula, vel armarium in Epiſcopali conſtituant.

ARchivum, in quo acta omnia Eccleſiarum recondantur, Epiſcopi quamprimum inſtituendum curent, & ſcripturas omnes, tam ad ipſos, quam ad rationes, & jura Eccleſiarum ſpectantes, quoad fieri poteſt, collectas, in eo ſervent. Capitula verò Cathedralium, aliarumque inſignium Collegiatarum, niſi proprii Archivi inſtituendi vires habeant, ne ſcripturæ diſperdantur, in Epiſcopali ſuum ſpeciale Armarium conſtituant.

CAP. II.

Epiſcopi intra ſex menſes inventaria bonorum Eccleſiaſticorum, nondum peracta, conficiant. Archivum Metropoliticum commendatur.

CUm Sanctæ Sedis decreto *in Beneventana* die 19. Maii 1597. noſtræ Provinciæ Epiſcopis demandatum fuerit, ut ante Provinciale Concilium omnium bonorum Eccleſiarum, & locorum piorum inventaria conficiant, idque ſuperioribus Provincialibus Synodis, ſub claræ memoriæ Archiepiſcopis Maximiliano de Palumbaria, anno 1599. & Joanne Baptiſta Foppa, anno 1656. inculcatum reperiatur, hæc Sancta Synodus mandat Epiſcopis omnibus, ut Sixtinæ quoque Conſtitutioni, quæ incipit: *Provida*; emanatæ anno 1587. die 9. Junii, morem gerentes, inventaria bonorum Eccleſiarum ſuarum, piorumque locorum, intra ſex menſes, ſi qui adhuc conficienda non curaverint, conficiant, in quibus annuos cenſus, ac reditus, bona mobilia, credita, ac immobilia, locorum finibus appoſitis, ac cetera hujuſmodi deſcribant. Inventariorum autem duo erunt exempla, publici Notarii manu roborata, quorum alterum penes ſe ii, quorum intereſt, retinebunt: alterum, in Epiſcopali reponendum Archivo, conſignabunt. Currentibus addet calcaria exemplum Metropolitæ noſtri Præſidis, quo inſtante, eadem Sancta Synodus tres delegit Commiſſarios, ſuos videlicet Coepiſcopos Carolum Felicem Matta S. Severi, Dominicum Morelli Lucerinum, & Fr. Joannem Bonilla, y Soria Ordinis Carmelitarum Arianen. ut quod in Archiepiſcopio idem Metropolita inſtituit Archivum, viſitarent,

rent, qui, viſitatione peracta, Sanctiſſimis Patribus retulerunt, eſſe illud prope admirabile, cum in eo præter vaſtæ Diœceſis, & ampliſſimæ Provinciæ ſcripturas, antea diſperſas, & ferme diſſipatas, non ſolum collegerit, ſed etiam, miro ordine, digeſſerit, & inter cetera inventarium omnium bonorum Eccleſiarum, locorumque piorum, Civitatis, & Diœceſis in 22. ingentia volumina, ſummo labore, & ſumptu diſtributum, Paſtoralem ejus ſollicitudinem mirifice commendet.

C A P. III.

Eorum, quæ in Archivo ſervanda ſunt, catalogus indicatur.

CUncta vero, quæ in Epiſcopali ſervanda ſunt Archivo, Sacra Congregatio Concilii, litteris datis die 18. Decembris 1626. ad Epiſcopum Comenſem enumeravit, eorumque catalogus in fine appoſitus dabitur.

C A P. IV.

Epiſcopi Inventarium authenticum omnium ſuæ Curiæ actorum penes ſe habeant. Si vero longi itineris, vel mortis caſus occurrerit, quid agendum ſit, præſcribitur. Pœnæ in actorum temeratores recenſentur.

UT autem Archivum perpetuo integrum cuſtodiatur, Sancta Synodus in memoriam revocat Conſtitutionem B. Pii PP. V., quæ incipit (1): *Muneris noſtri*: In qua nefarium facinus in pleriſque Epiſcopalibus Regni Siciliæ citra, & ultra Pharum, deteſtans, nempe, quod Cathedralibus Eccleſiæ Præſule viduatis, Vicarii a Capitulis conſtituti, gratia, timore, odio, vel ſordibus, quas volunt inquiſitiones, & teſtimonia rerum, & cauſſarum criminalium violant, ſubripiunt, & lacerant, ne delictorum cognitio, vel vindicta uſpiam conſequatur, præcipit Archiepiſcopis, & Epiſcopis dicti Regni, ut deinceps Inventarium authenticum omnium, & quarumcumque ſuæ Curiæ querelarum, accuſationum, inquiſitionum, denunciationum, teſtificationum, inſtrumentorum, proceſſuum, ceterorumque actorum, cauſſarum, & negotiorum criminalium, etiam mixtorum, quæ apud Curiæ ſuæ Notarium fuerint, quotannis in perpetuum conficiant: confectum, & dicti Notarii manu ſubſcriptum penes ſe cuſtodiant, donec ſuper iis fuerit judicatum. Et ſi eos de vita decedere interim contigerit, illud univerſum ſigillo ſuo obſignatum, fideli Sacerdoti, cui peccata confitentur, morte impendente, committant, qui ea ſequuta Prælato, ac domui, ſeu Conventui digniori Regularium illius Civitatis debeat reſignare, ut ab eis tute, & fideliter aſſervetur, donec futurus advenerit Præſul, cui illud itidem clauſum, & integrum tribuatur; quod ipſimet per ſe faciant, ſi quando neceſſe habuerint peregre proficiſci. Quicumque autem teſtimonia, proceſſus, ſcripturas, & inſtrumenta hujuſmodi violaverit, corruperit, ſubtraxerit, combuſſerit, ſuppreſſerit, ac juſſerit id fieri, ſeu auxilium, conſilium, vel favorem præſtiterit, omni ſit dignitate, officio, & beneficio privatus, & ad futura inhabilis eo ipſo. Idem quoque, & pariter Notarius, cui quid prædictorum defuerit, aut alias deliquerit in prædictis, tanquam falſi reus, declaretur, pœnaſque omnes ſubeat, quæ ſunt in hujuſmodi rerum falſarios per ſanctiones Canonicas, & Conſtitutiones legitimas irrogatæ.

1 Conſt. CXXI.

T I T. XVI.

De Jurejurando.

C A P. I.

Epiſcopi, Sanctis Evangeliis coram poſitis, teſtimonium perhibeant.

EPiſcopi honorem, & dignitatem maxime concernit, ut ſi quando ad teſtimonium flagitatur, id non jurejurando, ſed Sacroſanctis Evangeliis tantum coram poſitis fiat. (1)

1 Can. Teſtimonium 11. q. 1. auth. ſed judex cod. de Epiſcop. & Clericis.

C A P. II.

Si permittatur, ut Clericus in quibuſdam caſibus, coram ſeculari Judice, teſtimonium ferat, Juramentum in Epiſcopi tribunali, vel cui commiſerit, præſtabitur.

CLerici ad jurandum, & deponendum coram ſeculari Judice, tam in cauſſa criminali, quam civili cogi non poſſunt, niſi in quibuſdam caſibus a jure permiſſis: tunc vero, prævia Epiſcopi licentia, juramentum, in ejuſdem Epiſcopi Tribunali, vel cui commiſerit, præſtari debet; alias violatur libertas, & Eccleſiaſtica juriſdictio uſurpatur.

C A P. III.

Error eorum, qui pro reo defenſando, poſſe jurare, & deponere falſum cenſent, refellitur.

DEcipiuntur ii, qui ad Rei defenſam, poſſe jurare, & deponere falſum autumant: Quia cum falſitas, & mendacium ſint intrinſece mala, nulla bona circumſtantia poſſunt cohoneſtari, quod Parochi plebibus inſinuent, ut qui ſunt hac caligine merſi, veritatis radiis illuminentur.

CAP. IV.

Baptiſmi teſtimonium, niſi de libro deſumatur, de libro deſumptum dici non debet.

PArocho non licet de Baptiſmo alicujus fidem facere, dicendo, ſe de Baptizatorum libro deſcripſiſſe, quando librum, vel penes ſe non habeat, vel noverit deperditum eſſe.

TIT. XVII.

De Vita, & honeſtate Clericorum.

CAP. I.

Epiſcopi mores oſtenduntur.

Epiſcopi mundi lux.

EPiſcopi, quos Mundi lucem, æternus Pontifex appellavit, ut ceteris præluceant, perfectam illam ab Apoſtolo deſcriptam imaginem ſibi proponant: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem: non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum: non litigioſum: non cupidum, ſed domui ſuæ bene præpoſitum.* Studeant itaque, ut ab interiori obſervantia non ſit diſſimilis habitus: ſed in omni inceſſu, ſtatu, geſtu, vultuque modeſtiam, & gravitatem oſtendant.

CAP. II.

Epiſcopi habitus exterior deſcribitur.

IN uſu veſtium Cæremonialis Epiſcoporum præſcriptum (1), ſervetur. Lineam tunicam, quam *rochetum* appellant ex conſtitutione Innocentii III., quæ incipit: *Clerici officia*: (2) in Concilio generali promulgata, in Eccleſia, & in publico Epiſcopi habeant, niſi Monachi (3) fuerint, quos in ſua Diœceſi Mozzettam abſque Mantelletto ferre oportet. In itinere, etiamſi per Diœceſim, Mozzetta violacea ſuper nigra veſte non eſt deferenda, ſed nigra, ſi id tempus poſtulet, ſuper nigra veſte, & violacea ſuper veſte viatoria coloris ejuſdem.

1 Lib. 1. cap. 3.

2 Cap. Clerici offic. de vita, & honeſt. Cleric.

3 Dict. cap. 6. Pontifices autem.

CAP. III.

Epiſcopi, qui Oppidula pro dirutis incolunt Civitatibus, tanquam ſi in his degerent, ſe gerant.

SUnt Epiſcoporum nonnulli, qui dirutis eorum Civitatibus, in exiguis reſident Oppidulis, & in iſtis, eo habitu utuntur, qui in vicis adhiberi conſuevit, eam excuſationem paratam habentes, ſe in vicis, non in Civitatibus degere, quæ ſi admittenda eſſet, nunquam prorſus Epiſcopalem induerent decorem; ſed ſemper ſqualidi, quaſi Civitatum ruinas deflentes, viderentur. Idcirco Sancta Synodus mandat, ut Epiſcopi, qui in Oppidis, pro dirutis Civitatibus, reſident, tanquam ſi in ipſis eſſent Civitatibus, omnino ſe gerant.

Quinam Epiſcopi ſuarum Civitatũ ruinas flere dicũtur?

CAP. IV.

Epiſcopi lites pro viribus componant. Si potentior non acquieſcit, pauperiori Sportulas condonet.

PAtris nomen promeretur Epiſcopus, qui compoſitor potius, quam Judex videtur, & ideo caveat ne lites excitet; ſed excitatas componere (1) procuret: quod ſi litigantes adeo pervicaces ſint, ut acquieſcere noluerint, non deſinat ſaltẽ litigantibus pauperibus ſportulas condonare, præſertim, ſi altera partium, præpotens ſit; tenetur enim Epiſcopus, pauperes, & miſerabiles perſonas, atque ab aliis oppreſſas, protegere.

1 Conc. Carthag de anno 398. cap 26.

CAP. V.

Pauperum Patres pauperes filios in circuitu menſæ ſuæ aliquando videant.

REcordentur Epiſcopi, ut, cum Patres pauperum ſint, eoſdem aliquando, & præcipue in feſtis ſolemnioribus, ad ſuam ipſorum menſam admittant (2).

2 Gregor. Mag. in vita ipſius.

CAP. VI.

Clericorum corona, & tonſura deſcribitur.

CLerici inferiores, ſive in ſacris, ſive in minoribus ordinibus, vel prima tonſura ſint conſtituti, pro ratione ordinis coronam deferant, & tonſuram (3): corona raſura eſt in parte ſuperiori ad modum Sphæræ: Tonſura vero ex parte inferiori capillos tondet, uſque ad revelationem ſenſuum, nempe viſus, & auditus, ne ſcilicet oculos, vel aures impediant: Quamvis corona proprie fiat ex capillorum circulo, qui inter raſuram, & tonſuram reliqui ſunt, itaut non ſolum oculi, & aures; ſed & colli pars omnino pateant.

3 Gloſs. in Clem. II. hoc tit. verb. Et tonſuram C. prohibete diſt. 23. C. Clericus. & C. Clerici de vita & honeſt. Cleric. C. non liceat 2. diſt. 23.

CAP. VII.

Clericorum habitus præſcribitur.

HAbitu non ſordido, nec exquiſito, ſed honeſto (4), cum zona nigri coloris, imo habitu talari omnino in Eccleſia, dum Divina perſolvuntur, utantur. Subcollaria non ſint niſi nigri coloris, & veſti conſuta. Interiores veſtes, & tibialia rubeum, ac cæruleum, & viridem colorem excludant (1); itaut omnia Clericalis ſtatus gravitatem præſeferant.

4 Conc. Mediol. 1. par. 2. Tit. de Cleric. veſtitu.

1 Ex cap. Clerici 2. de vita, & honeſt. Clericorum.

CAP. VIII.

Clerici beneficiati, licet beneficia tenuia ſint, habitum, & tonſuram deferre debent.

NOverint beneficiati omnes, quod nulla tenuitatis beneficii habita ratio-

tione, in habitu, & tonſura decentibus incedere tenentur, prout in Melphicten. Sacra Congregatio Concilii decrevit.

„ Melphicten. Clericatus. Alias 13. Se-
„ ptembris 1675. In una Bituntina Sacra
„ Congregatio cenſuit Clericos poſſeſſo-
„ res beneficiorum tenuium, infra ſum-
„ mam ducatorum ſexaginta auri de
„ Camera, teneri habitum, & tonſuram
„ Clericalem deferre, juxta Conſtitutio-
„ nem Sixti V. la 92. Et quia Clerici Mel-
„ phictenſes adhuc opponunt, quod talis
„ Conſtitutio revocata fuit ab alia ejuſ-
„ dem Pontificis, incipiente: *Paſtora-*
„ *lis &c.* Anno 1589. licet illa non videa-
„ tur loqui de beneficiatis, ſed de his,
„ qui penſiones, fructus, predia, vel bo-
„ na Eccleſiaſtica ſibi reſervata, conceſ-
„ ſa percipiunt &c. Supplicat Epiſcopus
„ declarari: *An poſſeſſores dictorum benefi-*
„ *ciorum tenuium, ut ſupra, teneantur ha-*
„ *bitum, & tonſuram Clericalem deferre,*
„ *non obſtante dicta Conſtitutione, Paſtora-*
„ *lis &c.* Die 18. Septembris 1677. Sacra
„ Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E.
„ Cardinalium Concilii Tridentini In-
„ terpretum reſpondit: *Affirmative* F. Car-
„ dinalis Columna Præfectus. Stephanus
„ Archiepiſcopus Brancatius Epiſcopus
„ Viterbien. Secretarius. *Adeſt ſigillum Eminentiſsimi Cardinalis Columnæ Præfecti.*

Quapropter hujuſmodi beneficiati habitum, & tonſuram decentes omnino deferent, alias in pęnas Conſtitutionis Sixti V., quæ incipit: *Cum Sacroſanctam*: (1) anno 1589. editæ incurrent.

1 Conſti. XCII.

CAP. IX.

Sacrorum Rituum, & Conſcientiæ caſuum Congregatio per Provinciæ Civitates, & Vicarias inſtituenda demandatur.

NE filii hujus ſęculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua reperiantur, mandat Sancta Synodus, ut in qualibet Provinciæ Civitate, & foranea Vicaria, ſemel in hebdomada Sacrorum Rituum, & conſcientiæ caſuum Congregatio, juxta methodum ab eadem approbatam, in Appendice apponendam, habeatur.

CAP. X.

A quibus Clerici abſtinere debent?

NEmo ex præfatis Clericis larvatus incedat: in comœdiis recitare non audeat, niſi forte repræſentationes piæ fuerint, & tunc de expreſſa Epiſcopi licentia: Choreis non interſint (1), nec ipſas ducant præſertim cum mulieribus. Ab Alearum, & Taxillorum ludis (2), a deambulationibus cum cantilenis, & muſicis inſtrumentis noctuque, diuque abſtineant, ſub pœnis ſuorum Epiſcoporum arbitrio reſervatis.

1 Conc. Mediol. 1. tit. de armis, ludis ſpectaculis. & ejuſmodi Clericis vitandis.
2 C. Clerici 2. de vita, & hon. Cler.

CAP. XI.

Illicitæ venationes proſcribuntur.

ILlicitæ venationes (3), præſertim tormento bellico, quod ſclopum vocant, antiquis Patribus ignoto, tum Epiſcopis, tum Clericis inferioribus inhibentur: eiſdemque mandatur, ne canes, aut accipitrices ad venandum nutriant (4).

3 Sac. Trid. Conc. ſeſs. 24. de reform. cap. 12.

4 Can. 1. diſt. 34. C. 1. & 2. de Cler. venat. Conc. Mediol. 1. p. 1. tit. de armis, ludis, ſpectaculis &c. Concil. Aquileien. anno 1596. rub. XI. §. Dicit Canon.

CAP. XII.

Armorum delatio caute admodum concedenda.

EPiſcopi vero arma deferendi licentiam, niſi ob cauſſas a jure permiſſas, nulli Clericorum licite poſſunt impartiri.

CAP. XIII.

Unuſquiſque Parochus, Clericum habeat, qui ei Sacra miniſtranti, & in aliis hic expreſſis, deſerviat.

NOn poteſt Sancta Synodus non graviter dolere, audiens Parochorum quamplurimos in ſui muneris exercitio, præſertim in adminiſtrandis Sacramentis, non Clericos, ſed pueros pannoſos, & ſordidos, non ſine ſcandalo, adhibere, cum prope quotidie Clerici initientur, & nullus eorum ſit, qui divinorum ſervitio aſſiſtat. Quare hæc deteſtans Sancta Synodus Concilii Maticenſis (1) conſtitutionem, quæ incipit: *Ut quiſque*: in memoriam revocans, mandat, ut quilibet Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat talari veſte, & ſuperpelliceo decenter indutum, qui ei, ſacra miniſtranti, deſerviat, quique ſecum cantet, & lectionem legat, & qui poſſit Chriſtianæ Doctrinæ ſcholas tenere, & admonere ſuos Parochianos, ut filios ſuos ad Fidem diſcendam mittant ad Eccleſiam. Qui ſecus fecerint, ab Epiſcopis ſuis graviter puniantur, ut hujuſmodi abuſus omnino eliminentur.

1 Ita apud Decretale Gregorianum citatur in cap. 3. De vita, & honeſt. Cleric. etſi revera Conciliū ſit Namnetenſe.

CAP. XIV.

Cum celebratur, Clerus a Populo diviſus eſſe debet.

LAici denique, quando Sacra Myſteria celebrantur, ſtare, vel ſedere inter Clericos non præſumant, ut Concilij Moguntini Conſtitutione, quæ incipit: *Ut laici* (2) ſancitum: ſed pars illa, quæ cancellis ab Altari dividitur (& ubi non eſt diviſa, omnino diſcriminetur) tantum pſallentibus pateat Clericis, ut quamplurimis Sanctæ Sedis decretis, cujuſvis conditionis laicis hominibus, etiam in ſublimitate conſtitutis, inhibitum eſt, quam inhibitionem Sancta Synodus præcipit adamuſſim ſervandam.

2 De vita, & honeſt. Cleric.

TIT.

TIT. XVIII.

De Cohabitatione Clericorum, & Mulierum.

CAP. I.

Epiſcopii ſepta, etiam a Canone permiſſas, mulieres excludant.

QUamvis Epiſcopi hujus Provinciæ, benedicente Domino, in omnibus ſe ipſos præbent exempla bonorum operum, ut tamen in tanta religionis ſpecie perſeverent, Sancta Synodus eos hortatur, ut quemadmodum Regulares, qui ad perfectionem tendunt, clauſtris ab omni mulierum commercio alieni continentur, ita, quinimo & multo magis, Epiſcopi, qui in perfectionis ſtatu eſſe cenſentur, omnem mulieribus aditum in Epiſcopiis præcludere ſtudeant: itaut neque illas, quas canones concedunt, matrem, amitam, & ſororem admittant.

CAP. II.

Epiſcopus mulieres ne ſolus alloquatur.

EPiſcopi quoque mulieres nunquam ſoli alloquantur; ſed coram aliis, ut omnis nefanda ſuſpicio excludatur (1).

1 Ex C. in omnibus diſt. 81.

CAP. III.

Quæ Clericorum, & mulierum habitatio licita, quæ illicita?

NEmo ex Clericis inferioribus mulieres quaſcumque præter matrem, amitam, & ſororem (1), aliaſque uſque ad ſecundum conſanguinitatis, vel affinitatis gradum, ſecum habitare permittat, idque Epiſcopo annuente: debent enim non ſolum malum cavere, verum etiam omnem mali ſuſpicionem fugere, ne in cujuſquam offenſionem incurrant. Qui ſoli degunt, nullam domi mulierem cujuſcunque ætatis, & conditionis exiſtat, ſub famulatus prætextu (2) abſque expreſſa Epiſcopi licentia, & hac, non, niſi ea quinquaginta annos nata ſit, concedenda, prorſus detineant. Advertantque Epiſcopi, quod apud Cyprianum legitur: (3) *Cum Clerico femina nulla commaneat, non deſpecta, non vetula, ſive affinitate peculiariter ſuſcipienda ad domeſticum obſequium: quia magis illic cito delinquitur, ubi ſine ſuſpicione ſecurum poteſt eſſe delictum; maxime quia cupidini nulla deformitas, nulla deſpectio faſtidii, vel vilis extitit: ſed diabolus pingens pretioſum, efficit quidquid fædum, & horridum fuerit.*

1 C. volumus, & C. cum omnibus diſt. 81. Cum in juventute §. 1. de præſumpt.

2 C. a nobis de cohabit. Cleric., & mulier. C. quidam Clerici diſt. 81.

3 De ſingular. Cleric.

TIT. XIX.

De Clericis Conjugatis, & Diaconis Silvaticis.

CAP. I.

Clerici conjugati, niſi habitum, & tonſuram deferant, & Eccleſiæ inſerviant, cum laicis computentur.

GRæcanici ritus reſiduum in noſtra Provincia Clerici ſunt conjugati, non bigami, qui mixtumque genus, proleſque biformis dici poſſunt: nam ſi eorum veſtes aſpicias, dempto colore, laicales forma, ornatu, & inciſuris invenies: Tonſuram non deferunt, Eccleſiæ non deſerviunt: ſed in aliquibus interdum ſupplicationibus apparent ad deformandum potius, quam ad Clericalem cœtum complendum. Mandat itaque S. Synodus, ut Epiſcopi eos moneant, ut in habitu, & tonſura decenter incedant, ſi Canonis privilegio frui velint, nec non Eccleſiæ ab eiſdem Epiſcopis deputandæ inſerviant, ſi fori quoque privilegio gaudere deſiderant (1): aliàs renuentes inter laicos computari, omnino declarent.

1 C. vnico de Cleric. conjugat. in 6. Conc. Trid. ſeſſ. 23. de reformat. cap. 6.

CAP. II.

Clericus conjugatus, non bigamus, mortua uxore ad Clericorum miniſteria rediens, omnibus fruitur cælibum privilegiis.

SI quiſpiam ex præfatis Clericis conjugatis, non bigamus, mortua uxore, ad propria Clericorum miniſteria redit, omnia alia privilegia Clericis non conjugatis competentia recuperat: hæc enim ſuſpenſa, non extincta habebantur.

CAP. III.

Diaconi Silvatici quinam ſint, & quibus privilegiis gaudeant?

SUnt, & alii Eccleſiis inſervientes, quos à Græco miniſtrandi verbo *Diaconos*, eoſque Silvaticos vocant, nullo ordine præditi, ſed ſolo Eccleſiarum, & Epiſcoporum miniſterio addicti, circa quorum numerum, & privilegia Sancta Synodus ſeruandum commemorat decretum Sacræ Congregationis de mandato ſan. me. Gregorii Papæ XV. emanatum 15. Kal. Junii 1623. ſcilicet, quod in Cathedralibus, ſeu ſuperioribus Eccleſiis ad ſummum quatuor, in Collegiatis, vel Parochialibus duo, in aliis vero Eccleſiis, in quibus divina celebrantur, ſi Epiſcopo videbitur, unus, & quod non ſint criminoſi, aut malæ conditionis, & famæ, aſſumi poſſunt. Dicti vero Diaconi Silvatici non gaudent privilegio Canonis, ſed fori, in criminalibus omnino, in civilibus quoad corporis diſtrictionem tantum; ab

ab oneribus denique perſonalibus immunitate fruuntur.

TIT. XX.

De Clericis non reſidentibus.

CAP. I.

Epiſcopos in non reſidendo contumaces Metropolita Summo Pontifici denunciet. Decreta Sacri Tridentini Concilii referuntur.

AGnoſcens hæc Sancta Synodus, quanto detrimento ſit ovibus Paſtoris abſentia, quanto Paſtori ovium ſibi creditarum neglectus, ſuo Metropolitæ vigilantiam circa Suffraganeorum ſuorum reſidentiam in Domino commendat, cupiens, ut vigore Sacri Tridentini Concilii, ſi qui non reſidentes contumaces fuerint, Sanctiſſimo Romano Pontifici denunciet; tenor autem decreti, quod ſupradictum Sacrum Concilium ſub Paulo III. edidit, eſt, qui ſequitur (1).

1 Seſs.6.de refor. cap.1.

„ Omnibus Patriarchalibus, Primatia-
„ libus, Metropolitanis, & Cathedrali-
„ bus Eccleſiis quibuſcumque quovis no-
„ mine, ac titulo præfectos monet, ac
„ monitos eſſe vult, ut attendentes ſibi,
„ & univerſo gregi, in quo Spiritus San-
„ ctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei,
„ quam acquiſivit ſanguine ſuo, vigilent,
„ ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus
„ laborent, ac miniſterium ſuum im-
„ pleant: implere autem illud ſe nequa-
„ quam poſſe ſciant, ſi greges ſibi com-
„ miſſos, mercenariorum more, deſerant,
„ atque ovium ſuarum, quarum ſanguis
„ de eorum eſt manibus a ſupremo Judi-
„ ce requirendus, cuſtodiæ minime in-
„ cumbant; cum certiſſimum ſit, non
„ admitti Paſtoris excuſationem, ſi lupus
„ oves comedit, & Paſtor neſcit. Ac ni-
„ hilominus, quia nonnulli (quod vehe-
„ menter dolendum eſt) hoc tempore
„ reperiuntur, qui propriæ etiam ſalutis
„ immemores, terrenaque cæleſtibus, ac
„ divinis humana præferentes, in diver-
„ ſis curis vagantur, aut in negotiorum
„ temporalium ſollicitudine, ovili dereli-
„ cto, atque ovium ſibi commiſſarum cu-
„ ra neglecta, ſe detinent occupatos, pla-
„ cuit Sacroſanctæ Synodo, antiquos Ca-
„ nones, qui temporum, atque hominum
„ injuria pene in deſuetudinem abierunt,
„ adverſus non reſidentes promulgatos
„ innovare, quemadmodum virtute præ-
„ ſentis decreti innovat, ac ulterius pro
„ firmiori eorumdem reſidentia, & refor-
„ mandis in Eccleſia moribus in hunc, qui
„ ſequitur, modum ſtatuere, atque ſan-
„ cire. Si quis a Patriarchali, Primatiali,
„ Metropolitana, ſeu Cathedrali Eccle-
„ ſia ſibi quocumque titulo, cauſſa, nomi-
„ ne, ſeu jure commiſſa, quacumque ille
„ dignitate, gradu, & præeminentia
„ præfulgeat, legitimo impedimento, ſeu
„ juſtis, & rationabilibus cauſſis ceſſanti-
„ bus, ſex menſibus continuis extra ſuam
„ Diœceſim morando abfuerit: quartæ
„ partis fructuum unius anni, fabricæ
„ Eccleſiæ, & pauperibus loci, per Supe-
„ riorem Eccleſiaſticum applicandorum
„ pœnam ipſo jure incurrat. Quod ſi per
„ alios ſex menſes in hujuſmodi abſentia
„ perſeveraverit, aliam quartam partem
„ fructuum, ſimiliter applicandam, eo
„ ipſo amittat. Creſcente vero contuma-
„ cia, ut ſeveriori Sacrorum Canonum
„ cenſuræ ſubiiciatur, Metropolitanus
„ Suffraganeos Epiſcopos abſentes, Me-
„ tropolitanum vero abſentem Suffraga-
„ neus Epiſcopus antiquior reſidens, ſub
„ pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ, eo
„ ipſo incurrenda, infra tres menſes per
„ litteras, ſeu Nuncium, Romano Ponti-
„ fici denunciare teneatur, qui in ipſos ab-
„ ſentes, prout cujuſque major, aut mi-
„ nor contumacia exegerit, ſuæ ſupremæ
„ Sedis auctoritate animadvertere, & Ec-
„ cleſiis ipſis de Paſtoribus utilioribus
„ providere poterit, ſicut in Domino no-
„ verit ſalubriter expedire.

Extat & alterum ejuſdem Sacri Concilii decretum ſub Pio IV. editum tenoris ſubſequentis (1).

2 Seſs.23. de ref. cap.1.

„ Cum præcepto divino mandatum ſit
„ omnibus, quibus animarum cura com-
„ miſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his
„ Sacrificium offerre, verbique divini
„ prædicatione, Sacramentorum admi-
„ niſtratione, ac bonorum omnium ope-
„ rum exemplo paſcere, pauperum, alia-
„ rumque miſerabilium perſonarum cu-
„ ram paternam gerere, & in cetera mu-
„ nia paſtoralia incumbere, quæ omnia
„ nequaquam ab iis præſtari, & impleri
„ poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant,
„ neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum
„ more deſerunt; Sacroſancta Synodus
„ eos admonet, & hortatur, ut divino-
„ rum præceptorum memores, factique
„ forma gregis, in judicio, & veritate
„ paſcant, & regant. Ne vero ea, quæ de
„ reſidentia ſancte, & utiliter jam ante
„ ſub fel. rec. Paulo III. ſancita fuerunt, in
„ ſenſus a Sacroſanctæ Synodi mente alie-
„ nos trahantur, ac ſi vigore illius decre-
„ ti, quinque menſibus continuis abeſſe li-
„ ceat: illis inhęrendo, declarat Sacro-
„ ſancta Synodus omnes Patriarchalibus,
„ Primatialibus, Metropolitanis, ac Ca-
„ thedralibus Eccleſiis quibuſcumque,
„ quocumque nomine, & titulo præfe-
„ ctos, etiamſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
„ Cardinales ſint, obligari ad perſonalem
„ in ſua Eccleſia, vel Diœceſi reſiden-
„ tiam, ubi injuncto ſibi officio defungi
„ teneantur, neque abeſſe poſſe, niſi ex
cauſ-

„ cauſſis, & modis infraſcriptis. Nam
„ cum Chriſtiana charitas, urgens neceſ-
„ ſitas, debita obedientia, ac evidens Ec-
„ cleſiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos
„ nonnunquam abeſſe poſtulent, & exi-
„ gant; decernit eadem Sacroſancta Syn-
„ odus has legitimæ abſentiæ cauſſas a
„ Beatiſſimo Romano Pontifice, aut a
„ Metropolitano, vel eo abſente, Suffra-
„ ganeo Epiſcopo antiquiori reſidente,
„ qui idem Metropolitani abſentiam pro-
„ bare debebit, in ſcriptis eſſe approban-
„ das, niſi cum abſentia inciderit pro-
„ pter aliquod munus, & Reipublicæ of-
„ ficium Epiſcopatui adjunctum; cujus,
„ quoniam cauſſæ ſunt notoriæ, & inter-
„ dum repentinæ, ne eas quidem ſignifi-
„ cari Metropolitano neceſſe erit; ad eum-
„ dem tamen cum Concilio Provinciali
„ ſpectabit judicare de licentiis a ſe, vel
„ a Suffraganeo datis, & videre, ne quis
„ eo jure abutatur, & ut pœnis canonicis
„ errantes puniantur. Interea memine-
„ rint diſceſſuri, ita ovibus ſuis providen-
„ dum, ut quantum fieri poterit, ex ipſo-
„ rum abſentia nullum damnum acci-
„ piant. Quoniam autem, qui aliquantiſ-
„ per tantum abſunt, ex veterum Cano-
„ num ſententia, non videntur abeſſe, quia
„ ſtatim reverſuri ſunt, Sacroſancta Syn-
„ odus vult illud abſentiæ ſpatium ſin-
„ gulis annis, ſive continuum, ſive in-
„ terruptum extra prædictas cauſſas, nul-
„ lo pacto debere duos, aut ad ſummum
„ tres menſes excedere, & haberi ratio-
„ nem, ut id æqua ex cauſſa fiat, & abſque
„ ullo gregis detrimento; quod, an ita
„ ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit,
„ quam ſperat religioſam, & timoratam
„ fore, cum Deo corda pateant, cujus
„ opus non fraudolenter agere ſuo peri-
„ culo tenentur. Eoſdem interim admo-
„ net, & in Domino hortatur, ne per il-
„ lius temporis ſpatium Dominici Ad-
„ ventus, Quadrageſimæ, Nativitatis,
„ Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes
„ item, & Corporis Chriſti diebus, qui-
„ bus refici maxime, & in Domino gau-
„ dere Paſtoris præſentia oves debeant,
„ ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali ullo pa-
„ cto abſint, niſi Epiſcopalia munia in
„ ſua Diœceſi eos alio vocent.
„ Si quis autem (quod utinam nunquam
„ eveniat) contra hujus decreti diſpoſi-
„ tionem abfuerit, ſtatuit Sacroſancta
„ Synodus, præter alias pœnas adverſus
„ non reſidentes, ſub Paulo III. impoſi-
„ tas, & innovatas, ac mortalis peccati
„ reatum, quem incurrit, eum pro rata
„ temporis abſentiæ, fructus ſuos non fa-
„ cere, nec tuta conſcientia, alia etiam
„ declaratione non ſequuta, illos ſibi de-
„ tinere poſſe; ſed teneri, aut ipſo ceſ-
„ ſante, per Superiorem Eccleſiaſticum,
„ illos fabricæ Eccleſiarum, aut paupe-
„ ribus loci erogare, prohibita quacum-
„ que conventione, vel compoſitione,
„ quæ pro fructibus male perceptis appel-
„ latur; ex qua etiam prædicti fructus
„ in totum, aut pro parte ei remitteren-
„ tur, non obſtantibus quibuſcumque
„ privilegiis cuicumque Collegio, aut fa-
„ bricæ conceſſis.
„ Eamdem omnino, etiam quoad cul-
„ pam, amiſſionem fructuum, & pœnas
„ de Curatis inferioribus, & aliis quibuſ-
„ cumque, qui beneficium aliquod Ec-
„ cleſiaſticum, curam animarum habens,
„ obtinent, Sacroſancta Synodus decla-
„ rat, & decernit: ita tamen, ut quan-
„ documque eos, cauſſa prius per Epiſco-
„ pum cognita, & probata, abeſſe conti-
„ gerit, Vicarium idoneum ab ipſo Or-
„ dinario approbandum, cum debita
„ mercedis aſſignatione relinquant. Di-
„ ſcedendi autem licentiam in ſcriptis,
„ gratiſque concedendam, ultra bimeſtre
„ tempus, niſi ex gravi cauſſa, non obti-
„ neant. Quod ſi per edictum citati,
„ etiam non perſonaliter, contumaces
„ fuerint, liberum eſſe vult Ordinariis
„ per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſeque-
„ ſtrationem, & ſubtractionem fructuum,
„ aliaque juris remedia, etiam uſque ad
„ privationem compellere; nec exequutio-
„ nem hanc, quolibet privilegio, licentia,
„ familiaritate, exemptione, etiam ra-
„ tione cujuſcumque beneficii, pactione,
„ ſtatuto, etiam juramento, vel quacum-
„ que auctoritate confirmato, conſuetu-
„ dine etiam immemorabili, quæ potius
„ corruptela cenſenda eſt, ſive appella-
„ tione, aut inhibitione, etiam in Roma-
„ na Curia, vel vigore Eugenianæ Con-
„ ſtitutionis ſuſpendi poſſe. Poſtremo,
„ tam decretum illud ſub Paulo III. quam
„ hoc ipſum in Conciliis Provincialibus,
„ & Epiſcopalibus publicari Sancta Syno-
„ dus præcipit; cupit enim, quæ adeo ex
„ Paſtorum munere, animarumque ſalu-
„ te ſunt, frequenter omnium auribus,
„ mentibuſque infigi, ut in poſterum,
„ Deo adjuvante, nulla temporum inju-
„ ria, aut hominum oblivione, aut deſue-
„ tudine aboleantur.

CAP. II.

Ordinarii ſubditos, reſidentiæ obnoxios, ad reſidendum compellant, nec ulli, niſi ex cauſſis a jure permiſſis, ſuper reſidentia diſpenſent.

INferiores vero, beneficia eccleſiaſti-
ca, perſonalem reſidentiam de jure,
vel conſuetudine exigentia, habentes,
opportunis juris remediis reſidere cogan-
tur ab Ordinariis (1), qui facultatem diſ-
penſandi in reſidentia, niſi ex cauſſis a
jure permiſſis, vel expreſſis, non habent (2)

1 Conc. Trid. ſeſſ. 6. de reform. cap. 2.
2 Ibidem.

CAP. III.

Quotidianas diſtributiones in abſentia lucrandi nulla conſuetudo admittenda.

IRrita, & nulla eſt conſuetudo, etiam immemorabilis, quotidianas diſtributiones in abſentia, ſeu vacantia, vt dicunt, percipiendi (3) quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, juxta Bonifacii VIII. decr., quod incipit: *Conſuetudinem*, a Sac. Trident. Concil. in uſum revocatum.

3 Ex cap. unico de Cleric. non reſidentibus in 6. & Conc. Trid. ſeſs. 24 de refor. cap. 12.

CAP. IV.

Ceſſationes ultra tres menſes, niſi in fundatione, vel a Sede Apoſtolica permiſſæ fuerint, irritæ ſunt, & nullæ.

CEſſationes, quas vacantias vocant, in quibuſdam Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis introductas, quarum gratia, ultra tres menſes a jure permiſſos (ſalvis earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt) certis quibuſdam temporibus Capitulares a Chori ſervitio ceſſant, niſi in fundatione ipſius Eccleſiæ, vel alias a Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter conceſſæ fuerint, Sancta Synodus irritas, nullaſque declarat, ut Apoſtolicis Conſtitutionibus, Sacriſque Canonibus inimicas.

CAP. V.

Capitulum abſque licentia Epiſcopi, abſentię facultatem ultra tempus, Capitularium negotiorum prætextu, impertiri non poteſt. Hujuſmodi abſentes quibus pœnis afficiantur?

AD evitandas Capitularium conniventias, quibus aliqui eorum a Choro, & Civitate abſunt, & ſimulato Capituli negotio fructus, ac diſtributiones quotidianas recipiunt, declarat Sancta Synodus, non poſſe Capitulum, abſque licentia Epiſcopi, negotiorum Capitularium prætextu, Capitularibus, vel aliis Chori ſervitio addictis, facultatem abſentiæ vltra tempus a Concilio permiſſum impartiri. Sic vero abſcedentes, non ſolum diſtributiones quotidianas non lucrari: ſed etiam fructibus, niſi reſederint, eſſe privandos (1).

1 Trid. ſeſs. 24. de refor. can. 12.

TIT. XXI.

De Præbendis, Dignitatibus, & Canonicis.

CAP. I.

Diſtributiones Ordinum in Cathedralibus habendæ, & quomodo: Capituli conſilium exquirendum, non ſequendum.

IN omnibus Eccleſiis Cathedralibus, ut Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordo in Canonicis refulgeat, ordinum nempe Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum diſtinctio habeatur (1); ita tamen, ut, ſi conſtet omnes eſſe Presbyteros, celebrante Pontifice, fiat præfata diſtinctio per paramenta; ſi vero tantum aſſertive habeatur, Epiſcopus cum conſilio Capituli deſignet, ac diſtribuat, prout ipſe viderit expedire, quibus, & quot Canonicatibus debeat in poſterum eſſe annexus ordo Presbyteralis, Diaconalis, & Subdiaconalis; dummodo tamen non ſolum dimidia pars, ſed ex tribus ſaltem duæ ſint Presbyterales, licet præſupponatur adeſſe conſuetudinem, omnes Canonicatus eſſe Presbyterales. Epiſcopus vero in tali deſignatione, ac diſtributione tenetur quidem exquirere conſilium Capituli, non autem ſequi.

1 Trident. ſeſs. 24. cap. 12.

CAP. II.

In ſolemnibus Capitularibus Miſſis Canonici ſibimetipſis aſſiſtere tenentur.

CAnonici quoque, ſive ſint omnes ordinis Presbyteralis, ſive ordinibus diſtincti, tenentur in Miſſis ſolemnibus, quę ab ipſis ex obligatione capitulari cantantur, ſibimetipſis aſſiſtere; ubi eſt diſtinctio ordinum, id præſtabunt Diaconi, & Subdiaconi; ubi vero nulla diſtinctio, gradatim in miniſterio Diaconi, & Subdiaconi ſibimetipſis aſſiſtent, antiqua conſuetudine in contrarium non obſtante.

CAP. III.

Quænam aſſiſtentia a Canonicis Epiſcopo præſtanda?

DUorum Canonicorum aſſiſtentia ſemper convenit Epiſcopo, cum divinis officiis ſub Throno cappa indutus aſſiſtit; ſi vero Præbendæ fuerint diſtinctæ, hi duo ex numero Diaconorum aſſumentur. Presbyter autem aſſiſtens, ubi nulla eſt Præbendarum diſtinctio, debet eſſe dignior de Capitulo; quod ſi Prębendæ diſtinctæ habebuntur, Epiſcopo ſolemniter celebranti aſſiſtere debet pro Presbytero dignior de Capitulo, quocumque nomine nuncupetur, dummodo ſit in Sacerdotio conſtitutus; demptis diebus, qui in Cæremoniali exprimuntur. Epiſcopo vero non celebranti, ſed divinis tantum præſenti, pro Presbytero aſſiſtente inſervire debet dignior Canonicus poſt Dignitatem.

CAP. IV.

Aſſiſtentes Epiſcopo, dignioribus ſupervenientibus, loco cedant.

NOverint vero Dignitates, & Canonici, quod qui aſſiſtunt Epiſcopo, ſupervenienti Dignitati, ſive Canonico digniori locum cedere debent.

CAP. V.

CAP. V.

Canonici, quo ordine thurificandi?

Tam dignitates, quam Canonici a latere Chori digniore ſedentes, prius thurificandi ſunt, quam Dignitates, & Canonici, qui ſedent a latere Chori minus digno.

CAP. VI.

Canonici per ſe divinis inſiſtant officiis: quatenus ſeſe invicem ſubſtituant, quo pacto id licite faciendum?

Canonici omnes, Divina officia per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire (1): permittere tamen debent Epiſcopi, ut Canonici in functionibus, tum ipſius Eccleſiæ, tum Chori, ad quas tenentur, ſeſe invicem ſubſtituant, dummodo ſubſtituens a Civitate, vel a Suburbiis non abſit; & ſubſtitutus eodem tempore ejuſdem Eccleſiæ ſervitio non ſit obſtrictus. Præcavendum nihilominus eſt, ne Canonici hujuſmodi facultate abutentes, frequentius ſubſtituant; quod ejuſdem Epiſcopi erit arbitrium.

1 Trid. ſeſſ. 24. de ref. cap. 12.

CAP. VII.

Capitulares, & Choro adſcripti cantum addiſcant Gregorianum; alias diſtributionum ſubtractione mulctentur.

Epiſcopalis intereſt ſollicitudinis, ut Capitulares, & qui Choro ſunt adſcripti, cum præfixione competentis termini cantum addiſcant Gregorianum; & in contumaces, pœna amiſſionis diſtributionum quotidianarum animadvertatur.

CAP. VIII.

Quo caſu, & quo ordine Capitularibus e Choro ad Miſſam celebrandam exire licet?

Capitulares nonniſi canonicis horis, & Miſſa conventuali expletis, nec etiam ad Miſſas celebrandas, exeant a Choro; quod ſi populi commoditas id poſtulet, tunc unus dumtaxat poſt alium, major nempe minorem præcedens, exibit: dummodo ab eo, quem Epiſcopus ad hoc deputarit, evocentur.

CAP. IX.

Quibus in locis Epiſcopo pontificaliter celebranti Canonici aſſiſtere tenentur; et quid, ſi privatim celebret?

Epiſcopo pontificaliter celebranti, ſive alia pontificalia in Civitate, licet extra Cathedralem Eccleſiam, exercenti, non autem in Diœceſi, Canonici tenentur aſſiſtere; Et quamvis in Eccleſia Collegiata, & Parochiali, ſive in Epiſcopii Cappella, quæ inſtar eſt Parochialis, pontificaliter celebret, non Canonici Collegiatæ, ſed aliquot Dignitates, & Canonici Cathedralis aſſiſtentiam exhibebunt; licet vero Epiſcopus ipſe pontificalia extra Cathedralem exercens ſimplices Presbyteros velit adhibere, noverit tamen a Sacra Rituum Congregatione id declaratum eſſe inconveniens. Si vero Miſſam private celebret, etiam in Cathedrali, Canonici non tenentur aſſiſtere, niſi obſtet conſuetudo, quæ omnino eſt obſervanda.

CAP. X.

Stata dies, & hora cujuslibet hebdomadæ pro Capitulis congregandis a Canonicis deſignetur: Pœna contrafacientibus proponitur.

Mandat Sancta Synodus, ut pro Capitulis congregandis ſtata dies, & hora cujuslibet hebdomadæ a Canonicis deſignetur ad hoc, ut Epiſcopi, niſi fuerint impediti, cum debita excuſatione, ad illud accedere valeant; ſi vero contrarium præſumptum fuerit, nihil audeant pertractare, aut Capitulum vocare, exceptis caſibus neceſſitatis, ſub pœna nullitatis actus, & contrafacientes Epiſcopi arbitrio coercebuntur.

TIT. XXII.

Vt Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione conferantur.

CAP. I.

Patroni Eccleſiaſticorum beneficiorum a præſentatis, & electis quidquam etiam, ſponte datum, non accipiant: fructus locationis nomine non percipiant: titulo reſervationis tertiæ, aut quartæ partis beneficia non gravent: penſiones non imponant. Contrafacientes cenſuris irretiti juſpatronatus amittant.

Nihil eſt, quod in ſanctas leges impudentius irrumpat, quam radix omnium malorum, cupiditas; ideoque cum decreto (1) Provincialis noſtræ Synodi ſub Cardinali Archiepiſcopo Sabello celebratæ anno 1567. juxta antiquos Canones, & Sacri Tridentini Concilii (2) ſanctionem ſtatutum fuerit, ne præſentatores, & electores quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum ab electis, præſentatis, atque nominatis quidquam, etiam a ſponte dantibus, accipiant, neque fructus dictorum beneficiorum, locationis nomine, percipiant: his non obſtantibus ſunt adhuc, qui in jura tam notiſſima enormiter peccant; quod Sancta Synodus deteſtans, mandat, ut tum præfata omnino ſerventur, tum ne patroni beneficiorum, titulo reſervationis tertiæ, aut quartæ partis fructuum, gravent beneficia, neve penſiones ſub prætextu ſo-

1 Tit. de benefic. colliation.

2 Seſſ. 25. de ref. cap. 7.

ſoliti, neque titulo paupertatis, imponant contra præſcriptum Conſtitutionis Toletani Concilii (1), quæ incipit: *Quicumque fidelium*, perperam ab hujuſmodi prætenſis patronis intellectæ: ea enim innuitur, ut patrono ad inopiam redacto, ab Eccleſia, ut aliis pauperibus licet, largius ſubveniatur, dummodo patronus in ſummam devenerit egeſtatem, & Eccleſiæ ſuperſit, quod eroget; non ut ipſi patroni, paupertatis prætextu, Eccleſiis penſionem imponant, aut quid ex earum reditibus ſibi reſervent. Qui ſecus facere deinceps auſi fuerint, excommunicationis, & interdicti pœnis ad Trid. Conc. formam ſubjaceant, & dicto jurepatronatus, ipſo jure privati exiſtant.

1 XVI. q. 7.

CAP. II.

Parochiales Eccleſiæ nullis penſionibus, aut reſervationibus gravandæ.

SAnctiſſimi Romani Pontificis Innocentii XII. providentia, parochiales Eccleſias multis oneribus obnoxias, reditibus augendas potius, quam reſervationibus gravandas, ex alta Eccleſiæ univerſalis ſpecula proſpiciens, evulgato Edicto die undecima Novembris 1692. mandat, & præcipit, ut nullis deinceps penſionibus, aut reſervationibus afficiantur. Quod Edictum, ut omnibus innoteſcat, & ab omnibus, ut par eſt, obſervetur, in Appendice exhibebitur.

TIT. XXIII.

De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.

CAP. UN.

Extravagantis, Ambitioſæ, obſervantia præcipitur.

CUm impium ſit, ut, qui res ſuas Eccleſiæ non attulit, damnum inferat, Sancta Synodus mandat, ut in bonorum Eccleſiæ alienatione inter cetera, Conſtitutionem Pauli II., quæ incipit: *Ambitioſæ* (1), omnes Epiſcopi ſervent, ni velint ad condemnationem ſuam facere, pœnas, & cenſuras in ea contentas incurrendo.

1 De reb. Eccl. non alienan. in extravag.

TIT. XXIV.

De Depoſito.

CAP. I.

Locorum piorum Depoſitarius, idoneus, & ſi fieri poteſt, Eccleſiaſticus ſit.

OFficium Depoſitarii cujuſvis Eccleſiæ, locorumve piorum a perſona tantum fida, atque facultatibus idonea, &, ſi fieri poteſt, Eccleſiaſtica, non autem ab inope exerceatur; deprædari ſiquidem deſiderat, qui theſaurum credit indigenti.

CAP. II.

Clericus laico jure depoſitarius, Eccleſiaſtico Judici ſiſtitur.

CLericus, qui coram Judice laico depoſitum recepit, coram Judice Eccleſiaſtico, non autem coram Judice laico ad illud reddendum cogetur.

CAP. III.

Clericus Communitatis Depoſitarius, non Exactor exiſtat.

QUod Eccleſiaſticus pecuniæ publicæ, ſive Communitatis Depoſitarius ſit, aliquando tolerandum eſt; cavendum vero, ne Exactoris officium pro dicta Communitate idem exerceat.

CAP. IV.

In carcerem detruſi annotata mobilia penes tutam perſonam deponantur.

QUando Epiſcopus alicujus carcere detenti mobilia facit annotare, non ea apud ſe retineat, ſed apud fidam, & tutam, eamque Eccleſiaſticam perſonam deponere debet.

CAP. V.

Locorum piorum depoſita apud Sacram Ædem cuſtodiantur.

CUm in Civitatibus, nedum Oppidis hujus Provinciæ ea publica telonia, quos vulgus bancos appellat, nulla extent; Sancta Synodus mandat, ut depoſita dotalium eleemoſynarum Monialium apud Ædem ſacram ſerventur; quod & de aliis piorum locorum depoſitis faciendum decernit.

TIT. XXV.

De Fidejuſſoribus.

CAP. UNIC.

Clericus abſque Epiſcopi permiſſu, ſe fidejuſſorem in judicio non obſtringat.

NUllus Clericus in quavis pecuniæ ſumma intercedat, & ſe fidejuſſorem in judicio obliget, niſi ex cauſſa a jure permiſſa, ab Epiſcopo ſuo prius cognita (1); qui ſecus fecerit, pœnas, arbitrio ejuſdem reſervatas, incurrat.

1 C. Te quidem XI. q. 1. c. Clericus de fidejuſſ. Conc. Mediol. 1. q. 2. tit. de negot. ſecular. a Clericis fugien.

TIT.

TIT. XXVI.

De Peculio Clericorum.

CAP. I.

Clericus peculium ſuum, quaſi caſtrenſe, immune habet. Si vivit in communi, gaudet pro virili.

PEculia adventitia Clericorum, ſive intuitu, & ratione Clericalis ordinis, ſive alio modo acquiſita, licet ſub poteſtate Patris, quia tamen a Patre non ſunt, quaſi caſtrenſia declarantur (a); ita ut privilegiis, Eccleſiaſticorum bonis conceſſis, fruantur. Si vero Clericus vivat in communi cum Patre, vel aliis propinquis, tunc gaudeat pro virili.

a Cap. quia nos de teſtam. auth. Presbyt. Cod. de Epiſcop. & Cler.

CAP. II.

Ad tollendas fraudes, quanam ſit Clerici cum laicis in communi viventis portio, per Epiſcopos declaretur.

POrtio Clericorum, in communi cum laicis propinquis viventium, declaretur per Epiſcopos ad evitandas fraudes in præjudicium Communitatum, ut laicorum bona collectari poſſint. Debemus enim hanc ſollicitudinem Sereniſſimi Regis noſtri pietati incomparabili, ex qua innumera in Clericalis ordinis viros beneficiorum fluenta decurrunt.

TIT. XXVII.

De Teſtamentis.

CAP. I.

In Teſtamentis, quæ dicuntur ad aures, quæ cautio adhibenda?

NE piæ diſpoſitiones, præcipue in teſtamentis, quæ fieri ſolent ad aures, ex defectu Parochorum eluſoriæ reddantur, monentur Parochi, aliique Confeſſarii, ut ultimas diſpoſitiones ad pias cauſſas, duobus ſaltem teſtibus, ubi commode fieri poteſt, adhibitis excipiant (1), & quatenus teſtator omnino ad aures teſtari voluerit, idem teſtator coram dictis teſtibus declaret, ſe velle quædam ad pias cauſſas, ſicut Confeſſario ſuo mandavit, erogari; cujus diſpoſitionis documentum, in Epiſcopali Archivo aſſervandum illico deferatur.

1 Ex Can. cum eſſes, & cap. relatum 1. de teſtam.

CAP. II.

Teſtamenta ad pias cauſſas, qua ratione per Epiſcopos conficienda? confecta referantur in codicem.

QUia in Provincia noſtra laudabilis viget conſuetudo, ut pro decedentibus inteſtatis teſtamenta ad pias cauſſas per Epiſcopos fiant, de bonis hæreditariis aliquid diſponendo pro animarum eorumdem refrigerio, etiam ſi relinquant hæredes, eamdem conſuetudinem a Sancta Sede pluries confirmatam, ſignanter in Beneventana 19. Aprilis 1641. inviolabiliter ſervandam mandamus. Circa modum, præ oculis habeantur litteræ Sacræ Congregationis, Epiſcoporum negotiis præpoſitæ, datæ die 19. Auguſti 1678: Et ut rei memoria perpetuo extet, inſtrumenta hujuſmodi teſtamentorum in codicem ad hoc deſtinatum, & in Epiſcopali Archivo aſſervandum, referantur.

TIT. XXVIII.

De Sepulturis.

CAP. I.

Sepulcra ne intra Chorum, etiam pro Clericis, fiant.

SAncta Synodus majorum Patrum inſtituta conſiderans, ſtatuendum cenſuit, ne intra Chorum, etiam pro Clericis, ſepulcra deinceps conſtituantur (a).

a Conc. Provinc. Mediol. 4. par. 1. tit. de ſepulcris.

CAP. II.

Extra Chorum Pontifices, & Clerus ſua habeant ſepulcra.

EXtra Chorum vero quævis Cathedralis duo ſepulcra habere debet, alterum Pontificum proprium, alterum Cleri.

CAP. III.

Sepulcra ab Altaris ſuppedaneo diſtent: Altaribus ſubjecta, Altaria interdicto ſubjiciunt.

SI qua ſunt ſepulcra ſub ſcabellis, ſeu bradellis Altarium, ſi vacua ſint, obſtruantur; alias interdicantur Altaria (1), donec cadavera in alium deferantur locum; ſi vero ſepulcrum non longe diſtet, ut os ejus ab Altaris ſcabello palmis quatuor cum dimidio procul abſit, permittendum eſt.

1 Conc. Provinci Mediol. 4. part. 1. tit. de ſepulcris.

CAP. IV.

Sepulcrorum ſitus, & forma deſcribuntur.

DEcens ſepulcrorum ſitus eſt ab utroque Eccleſiæ latere, ex quibus ſingula ſingulis reſpondeant, & ſolo Eccleſiæ nullo modo emineant. Opere fiant concamerato, & ne ullum fœtorem emittant, duplici lapide, inferiore rudi, ſuperiore expolito, obſerentur (a).

a Ibidem.

CAP. V.

Eccleſiæ pavimentum pro defunctis ſepeliendis non effodiatur.

PRo tumulandis cadaveribus, Eccleſiæ pavimentum non effodiatur; ſed defun-

functorum corpora in tumbis profundis infra terram ad tenorem Constitutionis Pii PP. V., quæ incipit: *Cum primum Apoſtolatus*, (3) collocentur.

3 Conſt. V.

CAP. VI.

Niſi concedat Epiſcopus, novum non conſtituatur ſepulcrum.

AD novum conſtruendum in Eccleſiis Nobis ſubjectis, ſepulcrum, nulli locus detur, ſine Epiſcopi conceſſu ſcriptis expreſſo (4).

4 Conc. Provinc. Mediol. 4. par. 1. tit. de ſepulcr.

CAP. VII.

Nulla inſcriptio, inconſulto Epiſcopo, tumulis apponatur.

EPitaphia ab Epiſcopo probentur (5) antequam incidantur; nonnulla enim leguntur, quæ impietatem præſeferunt, prorſus abolenda.

5 Ibidem.

CAP. VIII.

Feminei plangores ſuper defunctorum corpora ab Eccleſia eliminentur.

NE inter Chriſtianos ſint, qui ſimiles illis fiant, qui ſpem non habent Epiſcopi abuſum gentilitatis, quod feminę in funere ſuorum liberorum, Parentum, & maritorum capillos evellant omni diligentia, ac Paſtorali ſollicitudine impediant; Parochiſque præcipiant, ne clamores, & ejulatus ſuper defunctorum corpora, in Eccleſia, ullo modo, permittant.

CAP. IX.

In Exterorum, & Civium funeribus eadem ratione agendum.

PRo Funeralibus, ceteris paribus, non poteſt plus exigi ab exteris, quam a Civibus. Miſerabiles vero perſonæ, ſive exteræ, ſive cives, gratis ſepeliantur.

CAP. X.

In Exequiis perſolvendis ſtati ritus ſerventur.

INvigilent Epiſcopi, ne Parochi in exequiis perſolvendis, cæremoniis ad placitum introductis, utantur: ſed Rituale Romanum ſub Paulo V. editum adamuſſim ſervent. Nec Thus, non ſine myſterio præceptum, adhibere prætermittant, neque cadaver abſque cereis ſaltem quatuor efferatur.

CAP. XI.

Cœmeteriorum uſus reſtituatur: Cœmeterii neceſſitas in Metropolitana oſtenditur.

UT antiquum Eccleſiæ morem, multis locis intermiſſum, mortuos in Cęmeteriis ſepeliendi, reſtituendum curent, (1) Epiſcopos omnes Sancta Synodus monet, cui portentum Chriſtianis viſceribus omnino deteſtandum viſum eſt, in hac præſertim Civitate ob Cęmeterii defectum, cum Eccleſiarum ſepulcra evacuantur, oſſa, & non raro carnes cum veſtium laciniis in profluentem dejici, & veluti olim poſita fuerunt morticinia Servorum Dei eſcæ volatilibus Cæli, nunc quoque piſcibus fluminum ponuntur. Quo circa Metropolitam Sancta Synodus enixe hortatur, ut quemadmodum antequam terra moveret, in eadem ſua Civitate nobile erexerat Cęmeterium, terræmotu deinde concuſſum, & dejectum, ita idipſum nunc maxime, cum ſepulcra exigua, & pauca admodum reliqua ſint, Populi ſumptu, reficiendum curet, tum ne impietati, nedum inhumanitati de cetero ſit locus, tum ut Suffraganei ejus Epiſcopi, omnis paſtoralis ſolicitudinis abſolutum imitentur exemplar.

1 Conc. Provinc. Mediol. 1. tit. de ſepulturis.

Populi ſumptu cęmeterium conſtruendum.

CAP. XII.

Mutua Epiſcoporum in extremis obſequia inſtituuntur. Pœnæ non advocantibus, vocatiſque accedere negligentibus ſtatuuntur.

NE Pontifici, viam univerſæ carnis ingreſſuro, ea deſint pietatis officia, quæ ſibi quiſque impenſa deſiderat, Sancta Synodus Sanctorum Patrum revocans inſtituta, decernit, ut Epiſcopo morti proximo, tres primi de Capitulo præſentes vicinum Epiſcopum, prout in ſequenti tabella, invitent (1), qui ſtatim veniat, quique ſi vivum Epiſcopum deprehenderit, qua par eſt, charitate conſoletur, & pro opportunitate SS. Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis conferat Sacramenta, eaque omnia præſtet, quæ ad animæ ſalutem eo tempore requiruntur. Mortuum vero, una cum ſæculari, & regulari Clero ſolemni ritu ad ſepulcrum proſequatur: quod ſi primi tres de Capitulo hanc piam erga Paſtorem ſuum neglexerint ſollicitudinem, ſuſpenſionis pęnam ad Metropolitę arbitrium ſe noverint incurſuros. Quoties vero hujuſmodi caſus occurrerit ordo infraſcriptus, ab hac Sancta Synodo probatus, tenendus erit.

1 Conc. Provinc. Mediol. 1. part. 1. tit. de funere Epiſcopi.

Archiepiſcopus Metropolita, Reverendiſſimis DD. Epiſcopis Sanctagathen. & Arianenſi: e converſo Reverendiſſimi DD. Epiſcopi Sanctagathen. & Arianenſis Metropolitæ.

Reverendiſs. D. Epiſcopus Monſmaranenſis, Reverendiſſimis DD. Epiſcopis Abellinen. & Trivicano; & e converſo.

Reverendiſſimus D. Epiſcopus Trojanus exemptus, Reverendiſs. DD. Epiſcopis Bibinenſi, & Lucerino: & e converſo.

Re-

Reverendiſſimus D. Epiſcopus Alliphanus, Reverendiſſimis DD. Epiſcopis Teleſino, & Sanctagathenſi: & e converſo.

Reverendiſſimus D. Epiſcopus S. Severi, Reverendiſſimis DD. Epiſcopis Trojano, & Lucerino: & e converſo.

Reverendiſſimus D. Epiſcopus Aſculanus, Reverendiſſimis DD. Epiſcopis Bibinenſi, & Trojano: & e converſo.

Reverendiſſimus D. Epiſcopus Bovianenſis, Rmis DD. Epiſcopis Larinenſi, Termulano, & Guardien. & e converſo.

Reverendiſſimus D. Epiſcopus Vulturarienſis, Reverendiſſimis DD. Epiſcopis Arianenſi, & Lucerino: & e converſo.

Rmus D. Epiſcopus Triventinus, Rmo D. Epiſcopo Guardien. & e converſo.

Epiſcoporum fraterna charitas quę egit.

Hunc ordinem Patres ſua ſponte digeſſerunt, ut aliquo, vel defuncto, vel legitime impedito, alius ſit, qui tantum pietatis opus exerceat; & ne quando, ut humana fert conditio, poſthabeatur, ipſimet præſentes pœna ſuſpenſionis a Pontificalibus per annum ſeſe obſtrinxerunt, ſi vocati etiam per Epiſtolam, niſi legitimo præpediti fuerint impedimento, accedere neglexerint; quoad ſucceſſores vero exhortantur eos, ne in poſterum veſtigia hujuſmodi premere dedignentur.

CAP. XIII.

Defuncti Epiſcopi ſepultura ultra 40. horas ne differatur.

CAveant vero Capitulares, ne hujuſmodi Comprovincialis expectationis cauſſa, corpus Antiſtitis ultra quadraginta horas maneat inſepultum.

CAP. XIV.

Epiſcopi cadaver quomodo condiendum, antequam condatur?

1 Lib. 2. cap. 38.

POſtquam Epiſcopus ſpiritum Creatori reddiderit, Canonici, qui aderunt, Cæremoniale Epiſcoporum (1) ſervandum adamuſſim curent. Cubicularii vero, & familiares ipſius Epiſcopi defuncti, corpus ejus aqua calida cum vino, & herbis odoriferis lavabunt, & mundabunt. Cadaver deinde aperietur, & inteſtina ejus ſtatim ſepelientur in Eccleſia. Apertum cadaver, vel aromatibus condietur, vel, aliis opportunis remediis adhibitis, agetur, ut ſine fœtore uſque ad præſtitutum tempus ſepulturæ ſervari poſſit.

CAP. XV.

Metropolita, & alii Comprovinciales de Suffraganei morte certiorentur, ut juſta eidem fiant: ſinguli pro eodem ſepties Sacrum perſolvent.

CUm primum Comprovincialis Epiſcopus obierit, eoſdem tres primos de Capitulo obſecramus, & obteſtamur in Domino, ut Archiepiſcopum Metropolitam de Epiſcopi morte omnino faciant certiorem, quam & aliis Comprovincialibus Epiſcopis ſignificabunt: Archiepiſcopus vero, & Epiſcopi in ſuis Eccleſiis, prima die non impedita, officium, & Miſſam cum abſolutione, prout in Pontificali, ſolemni ritu, pro ejus anima celebrandum, curabunt: convocato univerſo cujuſcumque Eccleſiæ Clero, &, ut idem fiat in Monaſteriis Regularium ejuſdem Civitatis, & Diœceſis, maxime hortamur. Singuli denique Comprovinciales Epiſcopi ſepties pro defuncti fratris anima, ut a peccatis ſolvatur, ſacris operabuntur.

CAP. XVI.

Pro defuncto Epiſcopo, die obitus recurrente; pro omnibus Epiſcopis defunctis poſtridie commemorationis omnium Fidelium Defunctorum ſacra ſolemniter facienda in Cathedralibus indicantur.

ANniverſarium pro prædefuncto Epiſcopo in Cathedrali Eccleſia quotannis fiat. Poſtridie vero ejus diei non impedito, quo omnium Fidelium Defunctorum commemoratio, ex antiquo Eccleſiæ inſtituto, celebratur, divinum officium, ſaltem Miſſæ cum abſolutione, in Eccleſiis Cathedralibus noſtrę Provinciæ pro Epiſcopis omnibus defunctis, ab Epiſcopis, eorumque Capitulis ritu ſolemni perſolvatur.

CAP. XVII.

Pro defunctis Canonicis, & Capitularibus anniverſaria celebranda ſtatuuntur.

DIe proxime ſequenti alterum anniverſarium pro Canonicis, & aliis de Capitulo defunctis a ſingulis Capitulis & Collegiis, ſub pœnis, arbitrio Epiſcopi, infligendis peragatur.

CAP. XVIII.

Eccleſiaſticorum ſingulorum funera, quo ritu peragenda?

IN ſepeliendis Eccleſiaſticorum cadaveribus Ritnale Romanum adamuſſim ſervetur. Inferiorum ordinum Clerici ſuperpelliceo ſupra veſtem talarem ornari debent. Subdiaconi amictu, alba, cingulo, manipulo, & tunicella violacea. Diaconi amictu, alba, cingulo, manipulo, ſtola ſuper humerum ſiniſtrum, quæ ſub axilla dextera annectatur, & dalmatica violacea. Sacerdos amictu, alba, cingulo, manipulo, ſtola, & caſula, ſeu planeta violacea. Singuli prædicti cum tonſura, & birretis ſuis. Epiſcopus vero ca-

ligis, & ſandaliis, amictu, alba, cingulo, ſtola, manipulo, Cruce pectorali, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta coloris violacei, annulo, & Mitra ſimplici, & ſi fuerit Archiepiſcopus, pallio cum ſpinulis, & ſuper pectus ejus Crux aliqua, quam manibus teneat. Qui omnes cum eiſdem ornamentis ſepeliri debent; alias omnia, & quæcumque indumenta ſuſpenſa eo ipſo erunt, ad tenorem Conſtitutionis Concilii Arvernenſis, quæ incipit (1) *Ne opertorio*: in qua ratio ſuſpenſionis adducitur, *quia nempe Sacro velamine uſibus ſuis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur*. Calix ergo in Sacerdotum defunctorum manibus, & alia ſacra juxta illos non apponantur; ſed præſcriptus ab Eccleſia ritus exequutioni demandetur.

1 De anno 535. can. 7.

TIT. XXIX.

De Decimis, & Oblationibus,

CAP. I.

Decimæ ſaltem prædiales de jure divino debentur, non agriculturæ ſumptibus, non ſeminibus deductis. Renuentes cenſuris compellantur.

AGnoſcens Sancta Synodus, Auguſtino docente, majores noſtros ideo copiis omnibus abundaſſe, quia decimas Deo dabant, & Cęſari cenſum reddebant, modo autem nolentibus partiri cum Deo decimas, totum tolli; hoc namque tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus: Ut ipſis conſulat populis, mandat, quatenus decimæ, cum de jure divino ſaltem prædiales debeantur (1), juxta conſuetudinem locorum integræ, & abſque ulla fraude perſolvantur, neque ſumptus, qui in agricultura fiunt, neque ſemina deducantur (2): renuentes vero, adhibito cenſurarum remedio, ad cor revertantur.

1 C. cum non ſit C. Tua 2. de Decimis.

2 d. C. Tua 2. de Decimis C. non eſt eod. tit. Conc. Mediol. 1. part. 2. tit. Quę pertinent ad honor. & Jurium Eccleſiaſticorum conſervat.

CAP. II.

Omnimodæ a decimis exemptionis nulla conſuetudo, abſque Apoſtolico privilegio, Laicis ſuffragatur.

NUlla conſuetudine etiam immemorabili induci poteſt, ut Laici a decimarum ſolutione ex toto ſint exempti, niſi Apoſtolicum exhibeatur privilegium.

CAP. III.

Decimæ ubi ſunt arbitrariæ, arbitrium non effrænatum, ſed rationabile eſſe debet.

UBi decimæ dicuntur arbitrarię, arbitrium non debet eſſe effrænatum, ſed rationabile. Quod ſi, avaritia ſuadente, rationis terminos præteriri interdum dignoſcatur, Epiſcopis incumbet effrænatum arbitrium, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachio ſæculari, compeſcere.

CAP. IV.

In piis oblationibus, ni Eccleſiaſtica id permittat auctoritas, Laici ſe ſe non ingerant.

IN oblationibus, quę locis piis fiunt, cum ſint res ſpirituales, laici nullo pacto ſe ſe ingerant, contraria conſuetudine non obſtante (1): Quæ tamen tolerari poſſet, ſi ab auctoritatem habente deputarentur, quatenus dictas oblationes, ejus nomine reciperent, & cuſtodirent, atque Epiſcopis de eiſdem redderent rationem.

1 C. quia Sacerdotes, Can. hanc cōſuetudinē X. q. 1.

TIT. XXX.

De Regularibus.

CAP. I.

Presbyteri exteri, ab Epiſcopis non admiſſi, a Regularibus ad divina peragenda non recipiantur.

NOn ignorans Sancta Synodus Eccleſiaſticæ diſciplinæ recte, pieque inſtituendæ, Regularium acceſſionem maxime conducere, ideoque Epiſcopos in pleriſque, uti Sanctæ Sedis delegatos cum eis agere; eiſdem Regularibus mandat, ne Sacerdotes exteros, niſi ab Epiſcopis, viſis litteris commendatitiis, ſive teſtimonialibus, fuerint admiſſi, in ſuis ipſorum Eccleſiis celebrare permittant.

CAP. II.

Sæcularis poteſtatis ingreſſus, campanarum ſonitu, neque annuente Epiſcopo, excipi poteſt.

CAveant Regulares, caveant Parochi, vel alii, ad quos ſpectat, ne in ingreſſu Baronis, ſive alterius cujuſvis poteſtatis, ſæcularisve Magiſtratus, cujuſcumque Eccleſiæ campanas faciant pulſare. Epiſcopi vero hujuſmodi campanarum ſonitum permittere non poſſe advertant, cum hoc ſit a Sancta Sede indiſtincte prohibitum.

CAP. III.

Baldacchinum erigere in Regularium Eccleſiis ſuæ Diœceſis, quando Epiſcopus poteſt?

EA eſt Epiſcopi in ſua Diœceſi præeminentia, ut in Eccleſiis Regularium, licet exemptorum, baldacchinum erigere poſſit, quando ibi functionem aliquam, etiam cum ſola cappa perſoluturus eſt.

CAP.

CAP. IV.

Regularibus mendicantibus exteris quomodo liceat quæſtuare?

REgulares ex Mendicantium Ordinibus, ut quæſtuare poſſint, Ordinarii licentia non indigent; ſed in loco, in quo Conventum non habent, vel ſi habeant, de illius familia non ſunt, nec pro illo Conventu quæſtuant, loci Ordinario ſuorum Superiorum licentiam exhibere tenentur.

CAP. V.

Monialium dotes, non niſi in pecunia numerata excipiantur.

MOnialium, ſive Novitiarum dotes, ante habitus ſuſceptionem, omnino in pecunia numerata, non autem in cenſibus, vel ſtabilibus deponi debent, nec Epiſcopi ſuper his, Sancta Sede inconſulta, diſpenſent.

CAP. VI.

Pro Novitia ante profeſſionem, ultra victum, & veſtitum, nil exquiratur.

EX Sac. Trid. Conc. decreto pro Novitia ante profeſſionem, præter id, quod victui, & veſtimento neceſſarium eſt, Monaſterio nihil detur ulterius; qui contravenire præſumpſerit, Conſtitutione Innocentii III., quæ incipit: *Quoniam Simoniaca labes*: (2) Conc. Lateranen. promulgata, deterrebitur.

2 De Simonia.

CAP. VII.

Quid Monialibus circa eſculenta aliis paranda inhibetur?

CIbum aliis parare, aut eſculenta vendere, cibis tamen parvi momenti pro infirmis, ac parentibus, & conſanguineis dumtaxat exceptis, Monialibus omnibus inhibemus.

CAP. VIII.

Numerus Monialium Monaſterii proventibus reſpondeat.

BOnifacii VIII. Conſtitutione, quæ incipit: *Periculoſo*, a Sac. Trident. Concil. innovata (1) ſtatutum eſt, ut Sanctimonialium Monaſteriorum facultatibus, & expenſis diligenter inſpectis, tot de cetero recipiantur in ſorores, quot poterunt de ipſorum Monaſteriorum bonis, ſive proventibus, abſque penuria, ſuſtentari: Quocirca Sancta Synodus mandat, ut quilibet Epiſcopus, ſtatum Œconomicum Monialium ſuarum formandum curet; quo inſpecto, numerum non minorem, quam duodecim, qui non præjudicet ante receptis, præfigat.

1 Cap. Periculoſo §. Sane de ſtatu Regul. in 6. ſeſs. 25. cap. 5. de Regularib. cap. auctor. de inſtit. cap. quoniam de vita, & honeſt. Cler. Concil. Aquilejen. de anno 1596. Rub. XIX. de Monialibus.

CAP. IX.

Communis vita inter Moniales inducenda ſuadetur.

PRæfixo Monialium numero (qui in poſterum conſervetur) ſufficientibus propriis (2) Monaſteriorum reditibus reſpondente; Sancta Synodus Epiſcopos hortatur, ut communi vitæ inducendæ pro viribus incumbant, ne tanta Dei benedictio, quæ in primitiva Eccleſia Chriſtianis omnibus erat communis, deinde in Monaſteriis reſidua, ab his quoque deploretur extorris.

2 Trid. ſeſs. 25. cap. 3. de regular.

TIT. XXXI.

De Religioſis Domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ.

CAP. I.

Confraternitates ante annum 1604. erectæ nullæ ſunt; ideoque rurſus erigendæ, & aggregandæ.

SAncta Apoſtolica Sedes, quæ ſingulis Epiſcopis jura ſua inviolata conſervat, ut deprehendit quamplurimas Confraternitates abſque Epiſcoporum conſenſu erectas, anno 1604. omnes omnino Societates abolevit Conſtitutione ſa. me. Clementis PP. VIII., quæ incipit: *Quæcumque a Sede Apoſtolica* (1); præcipiens, ut ab integro omnes erigerentur, ſervatis omnino, quæ in eadem ſtatuit Conſtitutione, quam Sancta Synodus omnibus Provinciæ Epiſcopis attente legendam, & ſervandam demandat: ex qua advertent omnes, quaſcumque Confraternitates ante præfatum annum 1604. inſtitutas, nullas eſſe, nulliſque privilegiis, gratiis, & indulgentiis frui; ideoque illas rurſus erigendas, & Almæ Urbis Confraternitatibus aggregandas curabunt: ne, quod ſæpiſſime in noſtra Provincia hac de cauſa accidit, Indulgentias falſas in imperitum vulgus diſſeminent.

1 Conſt. CXV.

CAP. II.

Confraternitates SS. Sacramenti ſtatim, atque ordinaria auctoritate erectæ ſunt, aggregatæ intelliguntur Archiconfraternitati SS. Corporis Chriſti de Urbe.

QUoad Confraternitates vero Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ſi rurſus inſtituendæ, & erigendæ ſunt, abſque ulla alia aggregatione ſtatim, atque Ordinaria auctoritate erectæ fuerint, gaudent omnibus gratiis, & ingulgentiis, quibus Archiconfraternitas SS. Corporis Chriſti in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam de Urbe ex conceſſione Pauli PP. V. gaudere ſolet, & conſuevit, prout ex Brevi ſa. m. Innocentii PP. XI. ſub datum Romæ die 1. Octob. 1678.

CAP. III.

Circa Confraternitates antiquas in Regularium Monaſteriis confirmandas, nec non circa locorum diſtantiam, quæ ſit Epiſcopi auctoritas, oſtenditur.

CONfraternitates illæ, quæ in Regularium Monaſteriis antiquæ confirmantur, ſi in eiſdem Monaſteriis familia duodecim Regularium non extet, Ordinarii etiam conſenſu confirmandæ ſunt. Circa vero locorum diſtantiam, ejuſdem Ordinarii aſſenſus omnino requiritur, prout latius in decreto Sacræ Congregationis Indulgentiarum dato die 20. Octobris 1607., quod integum in Appendice referetur.

CAP. IV.

Laicorum Confraternitates, aut nullæ ſunt, aut Ordinariorum moderationi ſubjectæ. Ne inconſulto Epiſcopo quidquam de earum bonis diſponatur, anathemate cavetur. Oblationes, & eleemoſynæ arbitrio Epiſcopi erogandæ.

OMnes autem Laicorum Confraternitates, quæ Ordinariorum decretis, moderationi, & correctioni non ſubjacent, nullius ſunt roboris, ut ex eadem ſan. mem. Clementis VIII. Conſtitutione liquide conſtat. Quo circa Sancta Synodus dictarum Confraternitatum Adminiſtratoribus mandat, ne, ſub pœna excommunicationis, animalia Confraternitatum vendant, neve bonorum earumdem cenſus, aut inveſtituras abſque expreſſa Ordinarii licentia faciant (1); oblationes vero, & eleemoſynas pro reparatione, & ornatu Eccleſiæ, vel ad alios pios uſus arbitrio Epiſcopi erogandas, eadem Clementina conſtitutio præcipit; *ut omnes*, inquiens, *intelligant cæleſtes Eccleſiæ theſauros, non quæſtus, aut alicujus lucri cauſſa, ſed pietatis, & charitatis excitandæ gratia, ex Apoſtolicæ Sedis benignitate, Chriſtifidelibus aperiri.*

1. Ex Can. Sic quidam C. decretum. C. quæcumque. C. noverint X. q. 1.

CAP. V.

Ex bonis Piorum locorum comeſſationes, & bravia fieri vetantur.

COmeſſationes (2), & bravia vulgo *Pallii*, quæ ex fructibus Eccleſiæ, locorumque piorum in Sanctorum feſtivitatibus, a Confratribus præſertim, fieri ſolent, omnino tollenda Sancta Synodus decernit.

2 Ex Concil. Provinc. Mediol. 1. p. 3. tit. de piorum locorum adminiſtrat. Conc. Prov. Benev. Saball. eodem tit.

CAP. VI.

Adminiſtratores piorum locorum a Laicis electi, ab Epiſcopis probati confirmentur, cui de bene adminiſtrando juramentum præſtabunt.

PIorum locorum Adminiſtratores, ſi forte a Laicis, vel Laicorum Communitatibus nominentur, adminiſtrare non audeant, niſi prius ab Epiſcopo confirmentur, & in ejus Curia de bene, & fideliter adminiſtrando præſtent juramentum: dummodo ipſis piis locis debitores, vel decocti, vel nimio ære alieno gravati non ſint.

CAP. VII.

Quid circa piorum locorum contractus ſervandum ſit, præſcribitur.

DE locorum piorum pecuniis nulli ineantur contractus, niſi prævio Epiſcopi ſpeciali reſcripto (1).

1 Ad c. videntes §. Ipſæ vero res, & c. Epiſc. XII. q. 1 c. placuit XII. q. 2. c. in vendition. ubi gloſſ. 17. q. 2.

CAP. VIII.

De adminiſtratione peracta rationes Epiſcopo reddantur, niſi pia loca ſub immediata Regis protectione exiſtant.

DAti, & accepti rationes a locorum piorum Adminiſtratoribus Epiſcopo quotannis reddantur, exceptis iis, quæ in limine fundationis, & non aliter *ſub immediata Regis protectione ſunt* (2); nemini ſiquidem dubitare fas eſt, quin pia loca, ſub pientiſſimo noſtro Rege exiſtentia, pie inſtituta, & recte adminiſtrata habeantur.

2 Trid. ſeſſ. 22. de refor. cap. 8.

CAP. IX.

Epiſcopus locorum piorum Curator in ædificationem, non in deſtructionem.

ADvertant Epiſcopi, quod ipſorum eſt, bonorum Eccleſiarum, locorumque piorum curam gerere, non autem ea diſſipare, vel ſibi propria facere (1).

1 Ex cap. Epiſc. X. q. 1.

CAP. X.

In publicis Eccleſiæ operibus alieno ſumptu peragendis, præeminentialia Epiſcopi ſerventur.

QUidquid Epiſcopi in Eccleſiis alieno ſumptu faciendum curant, neque ſuæ familiæ inſignibus, neque inſcriptionibus, ex quibus colligi poſſit, quod proprio Epiſcoporum ſumptu factum ſit, afficiant, exceptis iis, quæ præminentialia indicant.

CAP. XI.

Hoſpitalium domorum cura Epiſcopis demandatur.

CUm Epiſcopum, Apoſtolo docente, oporteat eſſe Hoſpitalem, ſi Epiſcopium ad hoc non habeatur ſufficiens, publicorum ſaltem (1) Hoſpitalium paterna cura geratur: quod ſi Hoſpitalia prædicta ob redituum defectum, peregrinis ſuſcipiendis apta non ſint, curent Epiſcopi, ut ab aliis piorum locorum, & Confraternitatum adminiſtratoribus, eleemoſynæ titulo, ex iis præſertim, quæ per Vica-

1 Ex Conc. Matiſconen. de anno 585. Can. XI.

carii Generalis ſchedulas (vulgo *Bolletti-ni* appellatas) pauperibus peregrinis tribui conſuevit, aliquid præſtetur.

CAP. XII.

Manſionum pro utroque ſexu diſtinctio præſcribitur.

UT pietatis loca pie inhabitentur, quævis Hoſpitalia, licet exigua, in duas manſiuncula dividantur, altera maribus, altera feminis deſtinata (2); ſi vero locus amplior ſit, pro Clericis, & Religioſis quoque cubiculum deputetur.

2 Conc. Provinc. Mediol. 1. part. 3. tit. de pior. locor. adminiſtrat.

CAP. XIII.

Ne Hoſpitales domus in cauponas vertantur, cuſtodi indicitur.

UT autem omne periculum, ac mali ſuſpicio penitus amoveatur, Hoſpitalis cuſtos invigilet, ne in ea domo ludis, vel aliis diſſolutionibus vacetur; & omnino mares cum feminis, licet ſe conjugio copulatos dicant, minime cohabitent (3).

3 Ibidem.

CAP. XIV.

Piorum locorum bona uſurpantes anathemate cohibentur.

UT pia loca ſuis non deſtituantur obſequiis, Sancta Synodus mandat omnibus, & ſingulis, cujuſcumque conditionis, & dignitatis viris, ne Eccleſiarum, Eccleſiaſticorum, piorumque locorum, quocumque nomine cenſeantur, juriſdictiones, bona, cenſus, ac jura, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obventiones, quæ in Miniſtrorum, & pauperum neceſſitates converti debent per ſe, vel per alios, auctoritate publica, ſive privata, ſeu quacunque arte, aut quocumque quæſito colore in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare præſumant, ſeu impedire, ne ab aliis, ad quos jure pertinent, percipiantur; quod ſi ſecus fecerint, anathemati tamdiu ſubjaceant, donec Eccleſiis, Eccleſiaſticis, piiſque locis integre reſtituerint, & deinde juxta Sacroſancti Tridentini Concilii (1) decretum a Romano Pontifice abſolutionem obtinere meruerint.

1 Seſſ. 22. de refor. cap. 11.

CAP. XV.

Pro reditibus non exactis, Exactores ab Epiſcopo deligantur.

EPiſcoporum denique vigilantiæ Sancta Synodus injungit, ut piorum locorum cenſus, alioſve reditus non exactos, ne proprietas quoque depereat, exigendos curent; quod, ut accuratius fiat, delectis aſſignato ſtipendio exactoribus, Adminiſtratorum negligentiam ſuppleant.

TIT. XXXII.

De Jurepatronatus.

CAP. I.

Patroni ſi infra congruum datum tempus, cappellas ſuas, prout res poſtulat, non reparent, jus amittant.

EXperientia magiſtra didicimus Cappellas, quæ de jurepatronatus exiſtunt, reliquis minus decenter haberi; quo circa, ubi illæ indigent reparatione, Epiſcopus præcipiat Patronis, ut infra congruum terminum, ſub pœna amiſſionis juris, eas reparent; alias, termino elapſo, ſervatis ſervandis eaſdem, vel aliis concedat, vel diruat.

CAP. II.

In Patronos, Cappellis abutentes, animadvertatur.

CAppellarum claves a Patronis teneri Epiſcopus non permittat; & cum illis, qui hujuſmodi Eccleſias in promptuaria vertunt, ſeverius agat.

TIT. XXXIII.

De Cenſibus, & Exactionibus.

CAP. UNICO.

Cathedraticum ab omnibus Eccleſiis, & Beneficiatis Epiſcopis ſubjectis, non ultra duos ſolidos exigatur.

QUia omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita eſſe debet, iccirco ad ſubjectionis, & honoris argumentum, ſine quibus nulla poteſtas conſiſtere valet, tributa præſtantur. Hujus rei gratia II. Bracharenſis Concilii Conſtitutione (1), quæ incipit: *Placuit*, & altera Honorii Papæ III., quæ incipit: *Conquerente* (2) ſancitum eſt, ut in Pontificalis Cathedræ obedientiam, ſubjectionem, & reverentiam, Synodatici, & Cathedratici nomine, Epiſcopi duos ſolidos e ſingulis Eccleſiis, & Beneficiatis ſibi ſubjectis, ſingulis exigant annis, ut Sac. Congreg. Epiſcopor., & Regular. in *Maſſalubrenſi* (3), & nuperrime in *Beneventana* litteris, quæ in Appendice tranſcriptæ dabuntur, decernit: quoniam vero Sancta Synodus non præmium, ſed honorem Epiſcopis debitum conſiderat, ne vltra duos ſolidos excedant, ſed, qua decet moderatione, mandat eſſe contentos.

1 C. placuit X. q. 3.

2 Cap. Conquerente de offic. Iudic. ordinar.

3 26. April. 1619

TIT.

TIT. XXXIV.

De Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris.

CAP. I.

Eccleſiæ Cathedrales, Conventuales, Parochiales, cum primum licuerit, conſecrentur.

OPtat Sancta Synodus, ut ad majus divini cultus incrementum, Eccleſiæ omnes Cathedrales, Conventuales, & Parochiales, quæ perfectis parietibus ſunt conſtructæ, per Diœceſanos Epiſcopos, ad quos ſpectat, infra biennium, vel, cum primum licuerit, conſecrentur (4); nam ſi Salomonis Templum, in quo animalium mortuorum hoſtiæ dumtaxat offerebantur, tanta ſolemnitate dicatum fuit, quanto magis Eccleſiæ noſtræ, in quibus Cæleſtis Hoſtia, viva, & vera, ipſe ſcilicet Unigenitus Dei Filius in Altari offertur pro nobis, ſtatis ab Eccleſia ſolemniis conſecrentur, oportet?

4 Concil. Londin. anno 1237. ſub Greg. IX. cap. 1. Conc. Prov. Mediol. 4. tit. de Eccl. & Altar. conſecr.

CAP. II.

Amoto Altari, vel lapide continente ſigillum, Altare ab integro conſecretur.

ALexander III. Pontifex Maximus Conſtitutione, quæ incipit: *Ad hæc* (1) ſtatuit, quod ſi Altare motum fuerit (nempe quod fixum erat in Eccleſia conſecrata) aut lapis ille ſolummodo ſuperpoſitus, qui ſigillum continet, confractus, aut diminutus fuerit, debeat denuo conſecrari. Quam Conſtitutionem S. Synodus evulgatam voluit, cum deprehenderit in multis Provinciæ Eccleſiis minime obſervatam: itaut Altarium, præſertim portatilium, ſigilla ad voluntatem nonnullorum rudium Presbyterorum amoverentur, & rurſus vel cera ipſa oblinirentur, & quamplurima, mobili ſigillo obducta, ſine reliquiis reperta ſint.

1 C. ad hæc de conſecr. Eccleſ. vel Altar.

TIT. XXXV.

De celebratione Miſſarum, & Sacramento Euchariſtiæ, & Divinis officiis.

CAP. I.

Epiſcopis curæ ſit, ut Presbyteri Sacroſancti Miſſæ Sacrificii cæremonias probe calleant.

UT quanto maximo fieri poteſt Religionis cultu, tremendum myſterium, quo vivifica illa hoſtia, qua Deo Patri reconciliati ſumus, quotidie immolatur, a Sacerdotibus tractetur, curent Epiſcopi, ut cæremoniæ, & rubricæ in Miſſali traditæ, omni diligentia obſerventur; utque errores etiam leviſſimi abſint, Sancta Synodus omnes, & ſingulos Provinciæ Presbyteros hortatur, ut librum a Coepiſcopo noſtro Pompejo Sarnellio Vigilien. ſub titulo *Commentariorum*, ſemel, & iterum typis evulgatum, & ab eadem Synodo probatum, præ manibus, & oculis habeant.

CAP. II.

Sanctiſſima Euchariſtia incompoſite accedentibus, ſi moniti non ſe religioſe componant, minime tradatur.

PArochi populum ſæpius admoneant, quanta animi religione, ac pietate, & humili etiam corporis habitu, tam divinum Sacramentum debeant adire: & ſi hujuſmodi admonitionibus non profecerint, Sanctiſſimam Euchariſtiam viris illis, qui comis adhuc alligatis, ut in vilioribus ſervitiis conſueverunt, & mulieribus, quæ aperto non ſolum capite, ſed & pectore, ac mammis, ut in theatris aſſolet, irreverenter accedunt, minime præbeant.

CAP. III.

Presbyter, niſi nominatim ab Epiſcopo facultatem habeat, in privato Oratorio non celebret.

EAdem Sancta Synodus mandat Sacerdotibus quibuſcumque, ne in quocumque privato Oratorio, in quo ex privilegio Apoſtolico celebrari poteſt, Sacris operentur, niſi prius nominatim facultatem ibidem celebrandi ab Epiſcopo obtinuerint.

CAP. IV.

Qui perpetua Miſſarum onera, inconſulto Epiſcopo, ſuſcipiunt, interdicti pœnam eo ipſo incurrant.

PErpetua Miſſarum onera ad præſcriptum Decreti a ſan. mem. Urbano PP. VIII. approbati die 20. Junii 1625. ne recipiantur abſque licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii Generalis; alioquin tranſgreſſores ab Eccleſiæ ingreſſu eo ipſo ſe noverint interdictos.

CAP. V.

Epiſcopo pontificaliter Sacris operante, vel ſolenniter Celebranti aſſiſtente, nemo ante pontificalem benedictionem in eadem Eccleſia privatim celebret.

DUm in Cathedrali, vel alia Eccleſia Miſſa Pontificalis agitur, vel Pontifice aſſiſtente, ab alio ſolemniter celebratur, aliæ Miſſæ privatæ, ante Pontificalem benedictionem, in eadem Eccleſia nullo pacto permittantur (1).

1 Ex C. & hoc attendendũ de conſecr. diſt. 1. Conc. Provinc. Mediol. 4. p. 2. tit. quæ pen-

tinent. ad S. Miſſ. Sacrif.

CAP. VI.

Dum Miſſa Conventualis, vel Parochialis agitur, alii Sacerdotes Miſſam privatim non faciant.

QUando Miſſa Conventualis, vel Parochialis ſolemniter celebratur, Sacerdotes a Miſſis privatis ſe abſtineant, ne Populi conventus, (unde Miſſa Conventualis dicitur,) contra Patrum inſtituta diſſolvatur, neve a concione diſtractus, verbi Dei pabulo deſtituatur.

CAP. VII.

Epiſcopus alterum Epiſcopum advenientem fraterne ſuſcipiat, & ad verbum faciendum, & oblationem conſecrandam invitet.

AD mutuam inter Fratres Coepiſcopos charitatem fovendam, Concilii Carthaginienſis IV. Conſtitutionem, quæ incipit: *Epiſcopi* (2), Sancta Synodus proponit: Epiſcopi nempe ſi ad Eccleſiam alterius Epiſcopi venerint, in gradu ſuo ſuſcipiantur, & tam ad verbum faciendum, quam ad oblationem conſecrandam invitentur, prout in noſtra Metropolitana religioſiſſime ſervatur.

2 74. 1.

CAP. VIII.

Provinciales Eccleſiæ eumdem in pſallendo modum, quem Metropolitana ſervat, tenere debet.

QUod Bracharenſi (3), Gerundenſi (4), & Toletano (5), Conciliis ſancte ſtatutum eſt, ut *Metropolitanæ Sedis auctoritate uniuſcujuſque Provinciæ Cives, Rectoreſque Eccleſiarum, unum, eumdemque in pſallendo teneant modum, quem a Metropolitana Sede cognoverint inſtitutum: ut inde unuſquiſque ſumat regulas magiſterii, unde honoris conſecrationem accepit: ut juxta maiorum Decreta Sedes, quæ uniuſcujuſque Sacerdotalis Dignitatis eſt Mater, Eccleſiaſticæ Dignitatis, vel rationis ſit Magiſtra*: Idipſum Sancta Synodus innovans, infraſcripta, quæ in Sancta Metropolitana Eccleſia religioſiſſime ſervantur, ab omnibus Provinciæ noſtræ Cathedralibus, ſive Collegiatis Eccleſiis circa pſalmodiam tenenda demandat.

3 C. placuit diſt. 22.
4 C. Inſtitutio de conſec. diſt. 2.
5 C. de iis, qui diſt. 12.

CAP. IX.

Hora cantandi Miſſam pro vario Divini officii ritu præſcriptæ ſerventur.

HOrę in rubricis præſcriptę pro Miſſa Conventuali, & ſolemni omnino, & uniformiter cuſtodiantur (1): in feſtis ſcilicet duplicibus, in Dominicis, & infra octavas, dicta in Choro hora tertia: In feſtis ſimplicibus, & feriis per annum, dicta ſexta: In Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, etiam infra octavam Pentecoſtes, & vigiliis, quæ jejunantur, quamvis dies ſint ſolemnes, Miſſa de tempore debet cantari poſt nonam; Miſſa autem Defunctorum dici debet poſt primam diei.

1 Rubr. general. Miſſ. tit. 15.

CAP. X.

Si plures Miſſæ cantari debent, varia horarum ratio teneatur.

QUando duæ, vel tres Miſſæ cantandæ occurrunt in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, omnino perſolvi debent cum cantu (2) ſervato ordine prædicto, ſcilicet ſi cantandæ ſunt duæ Miſſæ, una de feſto, altera de feria, illa cantari debet poſt tertiam, iſta poſt nonam.

2 C. cum creaturæ de c, lebr. Miſſar.

CAP. XI.

Ægroto Euchariſtiam ſuſcipere non valente, Parochus, qui eam detulit, abſque alia cæremonia revertatur.

PRaxis illa oſtendendi Euchariſtiæ Sacramentum infirmis communicare non valentibus, aboleatur: ideoque ſi Parochus ad infirmum accedens, impedimentum compererit, ob quod Sacrum Viaticum præbere non valeat, abſque alia cæremonia ad Eccleſiam cum Sacramento revertatur.

CAP. XII.

Iis, qui nunquam rationis uſum habuerunt, Euchariſtia deneganda: iis vero, qui ad tempus caruerunt, ſi antea devotionem oſtenderunt, dempto quovis periculo, poteſt exhiberi.

NOverint Parochi, quod aliqui dicuntur non habere uſum rationis dupliciter. Uno modo, quia habent debilem uſum rationis: & quia tales poſſunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non eſt eis hoc Sacramentum denegandum (1). Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter uſum rationis. Aut igitur nunquam habuerunt uſum rationis, ſed ſic a nativitate permanſerunt, & talibus non eſt hoc Sacramentum exhibendum: quia in eis nullo modo præceſſit hujus Sacramenti devotio. Aut non ſemper caruerunt uſu rationis; & tunc ſi prius, quando erant compotes ſuæ mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, niſi forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis.

1 S. Thomas 3. p. quæſt. 80. art. 9. in corp.

CAP. XIII.

Ubi Chori diſciplina eſt remiſſa, in prima quaque Synodo reſtituatur.

UT Divina officia, quantum Deus dederit, ſtudioſe pariter, & devote

ce-

celebrentur, quilibet Epiſcopus circa diſciplinam Chori in multis noſtræ Provinciæ Cathedralibus, nedum Collegiatis, labefactatam, regulas præſcribat; eaſque ſervandas quam diligentiſſime curet, & in Diœceſana Synodo, quam primo quoque tempore celebrabunt, evulget.

C A P. XIV.

Tabella horaria pro horis Canonicis in Choro perſolvendis proponitur.

CUm omnia tempus habeant, illud præcipue ſtatum eſſe convenit, quod Regi ſeculorum immortali, ab iis, qui habitant in Domo Domini, in hymnis, pſalmis, & canticis impendi debet. Epiſcopi igitur tabellam horariam a Sacra Epiſcoporum Congregatione pro Eccleſia Aretina probatam, & in Appendice apponendam, quæque in Sacriſtia perpetuo proſtet, ſervandam curent.

T I T. XXXVI.

De Baptiſmo, & Confirmatione.

C A P. I.

Baptiſmus ſive per infuſionem, ſive per immerſionem, juxta Baptiſterii formam adminiſtretur.

QUemadmodum Sacrum Baptiſma, Eccleſiæ tam Militantis, quam triumphantis janua, inter alia novæ legis Sacramenta a Chriſto Domino inſtituta, primum tenet locum, ita ad illud rite, recteque adminiſtrandum, ſumma diligentia adhibenda eſt. Cumque aut per infuſionem aquæ, aut per immerſionem, qui modi magis ſunt in uſu, exhibeatur, Sancta Synodus baptizandi modum a Baptiſterii forma admonet deſumendum.

C A P. II.

Baptiſterii forma, in quo per infuſionem baptizatur, oſtenditur.

UNa Baptiſterii forma hæc eſt (1): in media Cappella, ad cujus pavimentum deſcendatur tribus ſaltem gradibus, ut aliquam ſepulcri ſimilitudinem exhibeat, vas Baptiſterii, iu quod aqua defluat, ſitum erit, cujus latitudo vacua per mediam rectam lineam ſit cubitis tribus, altitudo duobus, & in medio foramen habeat ſub columella (de qua mox dicemus) ex quo aqua derivetur in ciſternam parvulam, quæ erit effoſſa loco ſubterraneo ſub eodem vaſe, in quam aqua ex infantis, qui baptizatur, capite dilapſa confluat. Super vaſis prædicti foramine columella marmorea conſurget, in cujus ſumma parte, vas ipſum baptiſmale, inferiore vaſe contractius (in quo per totum annum baptiſmalis aqua ſervabitur) apte, decenterque collocatum erit, ab inferioris labro altius unciis circiter ſexdecim.

1 Acta Eccleſ. Mediol. Inſtruct. fabric. Eccleſ. lib. 1. cap. 19. de Baptiſterio. 6. Situs Baptiſterii.

C A P. III.

Modus per infuſionem baptizandi deſcribitur.

SI hæc fuerit forma Baptiſterii, ex eo per infuſionem baptiſmus fiet, baptizandi ſiquidem caput ſuper inferiore vaſe inclinabitur, & ſuper eo aqua ex altiore vaſe ſumpta cum argenteo cochleari infundetur, quæ per foramen inferioris vaſis in ſubjectam defluat ciſternam.

C A P. IV.

Solus Epiſcopus ſedens, extra fontem baptiſmalem, baptizat.

CAveant vero per infuſionem baptizantes, ne extra prædictum vas id muneris expleant, niſi baptizans ſit Epiſcopus (1), qui tunc ſedens aquam baptizandi capiti infundit.

1 Ritual. Rom. in prop. rubr.

C A P. V.

Baptiſterii forma, in quo per immerſionem baptizatur, deſcribitur.

ALtera Baptiſterii forma eſt (2): in medio Cappellæ, pavimento ad deſcripti normam effoſſo, vas conſurget altitudine, ab ima ad ſummam partem ducta, cubitorum duorum, latitudine per vacuum extenſa tricubitali, foramine ab ima parte, quæ ad orientem verſus ſtatuetur, triunciali; unde cum aqua baptiſmalis renovatur, vetus in ciſternam defluat, quæ in plano, quod circum Baptiſterii vas eſt, a parte Orientali pro Sacrario ſuffodietur.

2 Ibidem 6. Atque hæc quidem.

C A P. VI.

Modus baptizandi per immerſionem oſtenditur.

HÆc altera Baptiſterii forma, quam noſtrum in hac exhibet Metropolitana, Baptiſmum per immerſionem requirit, quæ ſit ita, ut trina ablutione caput baptizandi immergatur in modum Crucis, in uno, & eodem tempore, quo verba proferuntur, ut Romanum admonet Rituale.

C A P. VII.

Parochi, dempto neceſſitatis caſu, non in aulis, cubiculis, aut privatis Oratoriis, ſed in Eccleſia baptizent.

LIcet, urgente neceſſitate, ubique baptizare nihil impediat, tamen baptizandi locus eſt Eccleſia, in qua ſit fons baptiſmalis (1). Caveant itaque Parochi, alii-

1 Clem. unica de Baptiſmo. Concil. Prov. Mediol. 1.

p. 2. tit. quę pertinent ad Baptiſmi adminiſtr.

aliique hujus Sacramenti Miniſtri, ne, ultra caſum abſolutæ neceſſitatis, in aulis, cubiculis, aut privatis Oratoriis baptizent.

CAP. VIII.

Ultra tertium diem Baptiſmus non differatur. Duabus hebdomadibus ante ſabbatum Paſchæ, & Pentecoſtes (niſi vitæ periculum adſit) ad ſanctos præfatos dies protrahatur.

BAptiſmus ultra (2) tertium diem non protrahatur, exceptis duabus hebdomadibus (niſi tamen baptizandis vitæ periculum immineat), altera ante ſabbatum Paſchæ, altera ante ſabbatum Pentecoſtes, in quibus, ex antiquiſſimo Eccleſiæ ritu (3), ſolemni cæremonia hoc Sacramentum adminiſtrari maxime convenit; tum quia illis diebus baptiſmalis fontis aqua conſecratur, tum præterea quia Eccleſiæ orationes in Miſſæ ſacrificio pro recens baptizatis per octavas perſolvuntur.

2 Concil. Provinc. Avenion. de anno 1594. tit. 12. de Sacram. Baptiſmi.

3 Rit. Roman. de Sacram. Baptiſmi rite adminiſtr. tit. de temp. & loco.

CAP. IX.

In utroque ſabbato Paſchæ, & Pentecoſtes fons baptiſmalis ſacretur. Epiſcopis utraque benedictio, & ſolemnis baptiſmi collatio commendatur.

BIs itaque in anno prædictis diebus fons baptiſmalis omnino conſecretur, & Epiſcopos omnes Sancta Synodus hortatur, ne hujuſmodi benedictionem, & ſucceſſive baptiſmalis Sacramenti miniſtrationem (4) prætermittant, ab Eccleſia Romana, Eccleſiarum omnium Magiſtra, ſumentes exemplum, in cujus Lateranenſi Baſilica, Romano Pontifice impedito, ab Eminentiſſimo Urbis Generali Vicario Sanctum Baptiſma quotannis ſolemniter miniſtratur.

4 Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 27.

CAP. X.

Confirmandorum inſtructio ante Sacramenti collationem habenda.

QUoniam, qui Baptiſmi gratia in novam vitam gignuntur, Confirmationis deinde Sacramento viri evadunt, evacuatis, quæ erant parvuli, Paſtorum opus eſt, fideles de hujus Sacramenti natura, vi, dignitate ita admonere, ut intelligant non ſolum negligendum non eſſe, ſed ſumma cum pietate, & Religione ſuſcipiendum, ne ipſorum culpa, fruſtra in eos divinum hoc beneficium conferatur.

CAP. XI.

Jejunos Confirmationis Sacramentum ſuſcipere decet.

LAudabilem illam antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem, ut nonniſi jejuni Confirmationis Sacramentum ſuſcipiant (1) Sancta Synodus tenendam hortatur.

1 C. ut jejuni, ex Concil. Aurelian. c. 3. C. ut Epiſcopi de conſec. diſt. 5.

CAP. XII.

Pueri ante ſeptennium, & Chriſtianæ Doctrinæ rudimentis non imbuti, ad Confirmationis Sacramentum non admittendi.

CUm Confirmationis Sacramentum non ad ſalutis neceſſitatem, ſed, ut ejus virtute parati inveniamur, cum pro fide Chriſti pugnare oportet, inſtitutum ſit (2), ad hoc pugnæ genus pueros rationis uſu adhuc carentes nemo aptos eſſe exiſtimabit: idcirco pueri ante ſeptimum ætatis annum (3), & antequam Fidei rudimenta didicerint, non admittantur.

2 Cat. Roman. p. 2. cap. 3. de Sacram. confirm. §. 7.

3 Conc. Prov. Mediol. 1. p. 2. tit. quæ pertinent ad Sacram. Confirm. adminiſtrat.

CAP. XIII.

Parochi ante Confirmationis Sacramenti collationem, confirmandos, & eorum Patrinos, de Chriſtiana Doctrina interrogent. Schedulam, ut hic expreſſam, confectam tradant.

UT autem experientia cognoſcatur, an & ipſi, qui confirmandi ſunt, & Patrini eorum, qui ut plurimum rudes reperiuntur, præfata Fidei rudimenta recte norint, Parocho in primis memoriter reddent, a quo ſinguli accipient ſuſcipiendæ Confirmationis ſchedulam, in qua nomina, & cognomina confirmandi, ejuſque Parentum, & Parœciæ, nec non & Patrini, ſeu Matrinæ deſcribentur, cum teſtimonio, quod conſtet de requiſitis: quam ſchedulam, ubi acceperint, alium Patrinum, quam in ea notatum, nemo ſibi quiſquam eligat: ſi autem eum mutare contigerit, alteram ſchedulam ſibi conficiendam ſtatim curet, in qua is adnotetur.

CAP. XIV.

Patrinus quinam eſſe debeat, & quot tenere confirmandos poſſit?

PAtrinus in Confirmatione non ſit idem, atque ille, qui de ſacro fonte levavit, caſu neceſſitatis excepto (1); extra quem pariter ne unus ultra duos tenere permittatur.

1 C. in Catechiſmo de conſecrat. diſt. 4.

CAP. XV.

Adulti confirmandi a peccatis ſint expiati.

ADulta jam ætate confirmandi, ut hujus Sacramenti gratiam, & dona conſequantur, non ſolum Fidem, & pietatem afferant, ſed pœnitentiæ Sacramento a peccatis expientur, vel ſaltem actum contritionis eliciant.

CAP. XVI.

Librorum Parochialium recta ratio præſcribitur. Eorum exempla quotannis mitti, & in Epiſcopali Archivo ſervari præcipitur.

QUilibet Parochus libros Baptizatorum, & Confirmatorum, ac tres alios libros Parochiales, juxta formam Romani Ritualis, conficiat; formulas namque illas ad placitum, & inepte inventas, Sancta Synodus deteſtatur: mandatque, ut Parochi iidem præfatorum librorum omnium exempla, ſingulis annis ad Curiam Epiſcopalem, in illius Archivo ſervanda, tranſmittant (2); ſi ſecus fecerint, arbitraria pœna plectantur.

2 Concil. Provinc. Mediol. par. 2. tit. quæ pertinent ad Baptiſmi adminiſtr.

TIT. XXXVII.

De Cuſtodia Euchariſtiæ.

CAP. I.

Sanctiſſima Euchariſtia fideli cuſtodia, clavibus adhibitis, ſervetur.

SAnctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, quo ipſe ſanctitatis auctor, & fons continetur, non ſolum ſancte, & religioſe a Fidelibus tractari, ſed fideli cuſtodia, clavibus adhibitis, conſervari debet.

CAP. II.

Pixis quænam eſſe debeat, oſtenditur.

PIxis, in qua ſacra myſteria reconduntur, argentea ſit, & intus auro delinita.

CAP. III.

Tabernaculi qualitas deſcribitur. Veſtis interior ſerica ſit, & alba.

TAbernaculum, in quo aſſervatur, decens ſit, & honorificum, ſcilicet ex ligno ſaltem deaurato, cum veſte ſerica interiore alba (1) in poſterum ſaltem, non alterius coloris, bene firmum, & ex omni parte clauſum. In baſe ejus vacua, nedum in eo, nihil ulterius cuſtodiatur, etiamſi eſſent Sacrorum Oleorum vaſa, vel Sanctorum Reliquiæ.

2 Acta Mediolan. Eccl. Inſtruct. fabr. Eccl. lib. 1. cap. 13. de Tabernaculo SS. Euchariſtiæ §. Panno ſerico, & albi, ſi Romani.

CAP. IV.

Lampas jugiter ardeat, ſumptibus Confraternitatis.

ANte ipſum continuo una ſaltem lampas accenſa colluceat, & in Parochialibus, Confraternitatum SS. Corporis Chriſti expenſis, oleum ſubminiſtretur.

CAP. V.

Renovatio particularum, fragmentorumque diſcuſſio præcipitur.

QUolibet Dominico die SS. Euchariſtia renovetur, & ne fragmenta remaneant, Particulæ conſecrandæ, cribro ad hoc ſervato, mundentur.

CAP. VI.

In Cathedralibus propria ſit pro Tabernaculo Cappella.

TAbernaculum SS. Sacramenti in Cathedralibus non debet in ara maxima collocari, pontificalium functionum gratia, quæ renibus ad Altare verſis perſolvuntur.

CAP. VII.

Euchariſtia neque a Secularibus, neque a Regularibus, inconſulto Epiſcopo, publice exponatur. Ut privatim liceat, oſtenditur.

MAndatur, tam Secularibus, quam Regularibus, ne SS. Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum exponant niſi ex cauſſa publica, ab Ordinario omnino probanda. Quod ſi ex cauſſa privata fecerint, tunc e Tabernaculo SS. Euchariſtia non extrahetur; ſed velata remanebit, itaut ipſa Hoſtia videri non poſſit.

TIT. XXXVIII.

De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.

CAP. I.

Quæ antiquitus venerationi habitæ ſunt Reliquiæ, nova non indigent probatione.

ANtiquæ Sanctorum Reliquiæ, licet earum documenta ſcriptis conſignata non extent, habeantur in illa veneratione, qua hucuſque fuerunt.

CAP. II.

Imagines ſacræ ſerio penicillo exprimantur.

SAcræ Imagines nil turpe, nil profanum, nihilque, quod riſum moveat, aut intuentium oculos offendat, repræſentent (1).

1 Conc. Prov. Mediol. p. 1. 1. tit. quæ ſervanda ſunt in ſacr. imagin.

CAP. III.

Imagines non benedictæ Altaribus non apponantur.

HUjuſmodi Imagines Altaribus, & Cappellis non apponantur, niſi prius ab Epiſcopo, vel de ejus facultate, ſtato ritu, benedicantur.

CAP. IV.

Putres Imagines igni abſumantur. Cineres vergant in Sacrarium.

IMagines, vetuſtate corruptæ, ſi reparari non poſſint, comburantur, & cineres in Sacrarium projiciantur (1).

1 Ex Can. ligna & C. Altaris de conſecrat. diſt. 1.

TIT.

TIT. XXXIX.

De Obſervatione jejuniorum.

CAP. I.

Quadrageſimale jejunium quotannis pro obſervantia indicatur: Infirmis vero gratis conſulatur.

SIcut bonarum mentium eſt ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur, ita qui malæ mentis ſunt, bibunt iniquitatem, velut aquam. Quocirca, ut conſulatur utriſque, Epiſcopi quolibet anno in ſuis Diœceſibus, tempore Sacroſanctæ Quadrageſimæ, edictum edant pro obſervatione jejunii, & interim Vicariis etiam foraneis, & his abſentibus, Archipresbyteris tribuant facultatem, ut de conſilio Medicorum licentiam veſcendi cibis vetitis indigentibus valeant impertiri, quatenus debilibus, & infirmis propter hoc periculum non emergat. Licentia vero omnibus omnino gratis concedatur.

CAP. II.

Muſica inſtrumenta quadrageſimali tempore, maxime in majori Hebdomada, inhibentur.

OFficiorum cum muſicis inſtrumentis celebratio in Quadrageſima, & præſertim in majori Hebdomada, non permittatur.

TIT. XL.

De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.

CAP. I.

Nemo Eccleſiam erigat, vel Altare, inconſulto Epiſcopo, & abſque dote: hanc ſi Epiſcopus neglexerit, ipſe manutentioni ſuccumbat

AUrelianenſis Concilii conſtitutione, quæ incipit; *Nemo Eccleſiam* (1), ſancte ſtatutum eſt, ut nullus novam ædificet Eccleſiam, antequam Epiſcopus Civitatis veniat, & ibidem Crucem figat, publice atrium deſignet, & ante præfiniat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad cuſtodiam, & ad ſtipendia Cuſtodum ſufficiant. Idipſum, & in Altaribus erigendis ſervandum, S. Synodus mandat, cum ob dotis defectum, multa, etiam in Cathedralibus, videantur Altaria, adeo omni neceſſario ornatu deſtituta, ut Eccleſiam deforment: ſi quis autem Epiſcoporum neglexerit, ipſe de proprio hujuſmodi Altaris manutentioni ſuccumbat (2).

1 Cap. Nemo Eccleſia de conſec. diſt. 1.

2 Can. cum ſicut. juncta gloſs. de conſecr. Eccl. auth de Eccl. tit. §. Si quis autem col. 9.

CAP. II.

Eccleſiis, Altaribuſque rite ſtatuendis, methodus ſervanda præſcribitur.

UT in Eccleſiis, Altaribuſve conſtruendis certa methodus habeatur, inſtructiones a Coepiſcopo noſtro F. Marcello de Cavaleriis Ordinis Prædicator. Gravinen. ad inſtar inſtructionum Eccleſiæ Mediolanen. Italico ſermone exaratas, typiſque datas, Sancta Synodus probat, omnibuſque ſervandas proponit.

CAP. III.

Cathedralis Eccleſiæ notabilis inſtauratio, ſi Epiſcopus, & Canonici congruam vix habeant, Univerſitati, de more Provinciæ, incumbit; huic Confraternitates ſuppetias venient.

SI Cathedralis Eccleſiæ notabilis, ſive neceſſaria inſtauratio agenda ſit, & Epiſcopus congruam alimentariam, nedum conciliarem, non habeat; Canonicorum quoque Præbendæ eorum vix reſpondeant ſuſtentationi; Sancta Synodus reparationem in noſtra Provincia de more ad Univerſitates ſpectare, ad quarum levamen Confraternitates etiam, dempta obligationum ſatisfactione, contribuere teneri, declarat.

CAP. IV.

In Eccleſiis reſtituendis, & in extructis nihil reædificetur, vel innovetur, inconſulto Epiſcopo.

ECcleſiæ magna ex parte reſtituendæ, inconſulto Epiſcopo, non reſtituantur, nihilque, eodem inſcio, in jam extructis, & multo magis in Cathedralibus, deſtruatur, reædificetur, vel innovetur (1).

1 C. quicumq; 16. q. 1. C. lator. 16. q. 5. C. quidam 18. q. 2.

CAP. V.

Qui tenentur ad Eccleſias reparandas, compellantur.

QUæ dirutæ ſunt Eccleſiæ, per eos, qui de jure, vel conſuetudine compelli poſſunt, Epiſcopo ſatagente, reparentur (2).

2 Conc. Trident. ſeſs. 7. de reform. cap. 8. & ſeſs. 21. de refor. cap. 7.

CAP. VI.

Decenti Altarium collocationi conſulitur.

ALtaria, quæ alicui Eccleſiæ columnæ, aut pilæ inhærent, ſive organo, vel Concionatoris ſuggeſtui ſubiiciuntur; aut e regione Principis Aræ ſita ſunt, vel amoveantur omnino, vel in decentiorem locum reducantur (3).

3 Conc. Provinc. Mediol. 4. par. 1. tit. de Cappel., & Altaribus.

CAP. VII.

Profana ſervitutes, niſi in fundatione, vel ab immemorabili conceſſæ fuerint, cenſuris etiam adhibitis, removeantur.

ABſint ab Eccleſiis omnes profanæ ſervitutes; & proinde ſi in aliqua Eccleſia adſint portæ, vel feneſtræ, quæ a domibus Laicorum in eas promineant, curet Epiſcopus, ut omnino claudantur, & contra non parentes, ſervatis ſervandis, cenſuris eccleſiaſticis procedat (1). Si vero eadem in fundatione, vel ex immemorabili conſuetudine conceſſa fuerint, Epiſcopi conniventia non deſideretur.

1 Concil. Provinc. Mediol. 3. tit. quæ pertinent ad ornatum, & cultum Eccleſ. §. Sin autem,

CAP. VIII.

Laicis perſonis uſus baldacchini, & aſſiſtentia in presbyterio, necnon oſculum Evangelii inhibetur: ideoque haſtæ, gradus, ſuppedanea, & alia quæcumque baldacchini ſigna removenda demandantur, ſub pœna interdicti Eccleſiarum tam Sæcularium, quam Regularium, & cenſurarum contra inobedientes: ſub eiſdem cenſuris ſcamnorum, & quorumcumque ſedilium, laicorum in Presbyterio aſſiſtentiam præſeferentium, remotio præcipitur.

QUod Sanctæ Sedis decreto generaliter ſancitum eſt, ut ſæcularibus perſonis uſus baldacchini, & aſſiſtentia in Presbyterio, nec non oſculum Evangelii minime permittantur, facta Epiſcopis poteſtate, ut in caſu tranſgreſſionis, etiam contra Regulares ad pœnam interdicti procedant, adamuſſim in univerſa noſtra Provincia ſervandum mandamus; hanc enim nobis ſollicitudinem de ordine Sanctiſſimi Sacra Rituum Congregatio injunxit, datis literis die 18. Junii 1689. Illud quoque animadvertendum tradimus, quod ad effectum, ut memoria pereat ſimilis abuſus, haſtas, gradus, ſuppedanea, & alia quæcumque ſigna baldacchini ab Eccleſiis ſuarum Diœceſum, tam Sæcularium, quam Regularium, removere faciant; & quoad Eccleſias Regularium procedant ad interdicta, & contra inobedientes ad cenſuras, auctoritate Sacræ Rituum Congregationis. Denique, ut ſæcularium perſonarum cujuſcumque conditionis aſſiſtentia e Presbyterio prorſus deleatur, earum ſcamna, & quæcumque hujuſmodi ſedilia inde omnino removenda, & non obtemperantes cenſuris compellendos, edicimus.

CAP. IX.

Abuſus ſclopi in Eccleſiam deferendi, detinendique cenſuris compeſcatur.

NE quis in Eccleſiam cum bellicis tormentis, quos ſclopos vocant, ingredi, neve in ea manere præſumat (1), cenſurarum pœna propoſita: nam & nos, qui legitimi imperii armis circumdamur, (ſunt verba Theodoſii junioris) quoſque ſine armatis, & ſtipatoribus eſſe non convenit, Dei Templum ingreſſuri foris arma relinquimus (2).

1 Conc. Prov. Mediol. 1. p. 2. tit. de Eccl. & earũ cultu.

2 In act. Concil. Epheſ.

CAP. X.

Parlamenta, aliaque negotia ab Eccleſia, ejuſque Cœmeterio arceantur.

NUllus in Eccleſia, & ejus Cœmeterio parlamenta convocare, & aliis negotiis dare operam audeat (3): ne ubi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendantur peccata committi.

3 C. decet de immun. Ecc. in 6.

TIT. XLI.

De Immunitate Eccleſiarum.

CAP. I.

Ne quis auctoritate publica, vel privata Eccleſiaſticis perſonis, ſuiſque præſertim Paſtoribus, factis, aut verbis convicietur, neque communia deneget obſequia, anathemate cavetur.

REgalis fulgor præclariſſimus, quo Regis noſtri faſtigium ceteris prælucet, ille ſane eſt, per quem Eccleſiaſtica immunitas defenditur, & augetur; ſunt tamen Dynaſtæ nonnulli ita degeneres, ut quaſi noctuæ, a tanto ſplendore extorres, in animarum ſuarum Epiſcopos, tanquam in Medicum, multa febre phrenetici inſanientes, ſuis ſubditis, ne illis quidquam vendant, aut emant aliquid ab eiſdem, aut alia obſequia exhibere præſumant, aliquando interdicant: ſub quibus deterioris conditionis Sacerdotium factum videtur, quam ſub Pharaone fuerit (1), qui, licet legis divinæ notitiam non habebat, omnibus aliis ſervitute ſubactis, Sacerdotibus in libertate relictis alimoniam de publico adminiſtravit. Et quod deterius eſt, pernicioſiſſimum hoc Dynaſtarum exemplum in privatas etiam perſonas ſurrepit. Quam impietatem Sancta Synodus deteſtans, mandat omnibus, & ſingulis Laicis cujuſcumque conditionis ſint, etiam privatæ, ne perſonas eccleſiaſticas, præſertim in ſummo Sacerdotio conſtitutas, conviciis, aut quibuſvis factis, aut verbis contumelioſis afficiant, neve comeſtibilium, aliarumque rerum neceſſariarum venditionem, aut equorum conductum, neque communia obſequia denegare audeant, quoties Eccleſiaſtici juſtum præſtant ſalarium, quod pro dictis obſequiis ab aliis perſolvi ſolet, alias Eccleſiaſticis cenſuris ſe noverint ſubiiciendos.

1 Cap. non minus de Immun. Eccl.

CAP. II.

CAP. II.

Beneficia in Oratoriis privatis non erigantur: erecta ad Eccleſias transferantur.

CUm privata Oratoria in domibus erecta, Eccleſiæ nullo pacto ſint, neque Eccleſiaſtica gaudeant immunitate, Sancta Synodus mandat, ut beneficia, in eiſdem perperam erecta, ad Eccleſias transferantur: & nulla deinceps in hujuſmodi privatis Oratoriis Eccleſiaſtici beneficii inſtitutio permittatur.

TIT. XLII.

Ne Clerici, vel Monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant.

CAP. I.

Clerici mercaturis, & illicitis negotiationibus ſe implicantes juris remediis coerceantur.

COntra doctrinam Apoſtoli dicentis: *Nemo militans Deo, implicet ſe negotiis ſecularibus*, turpiter illi veniunt, qui Clericali militiæ dato nomine, ad mercaturas, & negotiationes illicitas ſe convertunt, ſtatus ſui penitus obliti: hujuſmodi negotiatores Clerici, pœnis ſacris Canonibus (1), & Apoſtolicis Conſtitutionibus contentis, omnino coerceantur.

1 Ex C. Sacerdotibus ne Clerici, vel Monachi, C. cōſequens diſt. 88 cap. fin. de vita, & honeſt. Cleric.

CAP. II.

Clerici laicalibus non ſe ingerant juriſdictionibus: non vectigalium conductores fiant: pro Laicis dominis agentes, ſeu viceſgerentes, factores, vel negotiorum geſtores ne ſint; Pœna transgreſſores deterreat.

ECcleſiaſticis quoque omnibus Sancta Synodus mandat, ne laicalibus ſe implicent juriſdictionibus (1), neve publicorum vectigalium conductores fiant; nam quanto dignior Matthæus e telonio ad Sacerdotium converſus, tanto indignior Clericus ad telonium reverſus reputatur. Ne ſub Clericatus prætextu non contenti franchitiis a jure conceſſis, quibus Regia pietate, ac religione, pacifice fruuntur, vectigalia eadem, Reipublicæ nervos, defraudent. Pro Laicis, & Dominis temporalibus Agentes, ſeu Viceſgerentes, Factores, vel negotiorum geſtores ne ſint (2), neve eis inſerviant, in iis præſertim muneribus, quæ ſine Clericalis ordinis dedecore nequeunt exerceri (3). Qui ſecus fecerint, condignis pœnis, arbitrio Epiſcopi, obnoxii reddantur.

1 C. Sed nec ne Clerici, vel Monachi.

2 d. C. Sed nec ex C. Sacerdot. eodē tit. ne Clerici, vel Monachi.

3 Conc. Provinc. Mediol. 1. part. 2. tit. de negot. Secularib. &c.

TIT. XLIII.

De Sponſalibus, & Matrimoniis.

CAP. I.

Converſationes inter Sponſos de futuro, propoſita pœna, inhibeantur.

CUm vix bono peragantur exitu, quę malo ſunt inchoata principio, magna animadverſione compeſcendi ſunt illi, qui contractis pene ſponſalibus de futuro, non ſecus inter ſe rem habent, atque matrimonio eſſent adjuncti, & ita puellæ prius meretrices, quam uxores evadunt. Quapropter Sancta Synodus ad hoc grave ſcelus eliminandum, commercia, & converſationem inter ſponſos de futuro, antequam matrimonium per verba de præſenti contrahant, interdicit, mandatque, ut Epiſcopi, pœna per eos ſtatuenda, & locis piis applicanda, transgreſſores pro qualibet vice cohibeant.

CAP. II.

Sponſorum conſenſus ante denunciationes, explorandus, ut violentiæ ſuſpicio deleatur. Ceterum Sancti Officii inſtructiones ſerventur.

UT omnis violentiæ ſuſpicio in matrimoniis tollatur, Sancta Synodus Parochis injungit, ut antequam ad denunciationes deveniant, ſponſorum conſenſum explorent: In reliquis vero Sancti Officii inſtructiones omnino ſerventur.

CAP. III.

Sine cauſſa, ab Epiſcopo probanda, Matrimonium domi ne celebretur. Hujuſmodi facultas nonniſi ea die confeſſis, & ſacra Communione refectis concedatur.

ET ſi matrimonium domi celebratum coram Parocho, & Teſtibus, in facie Eccleſiæ contractum dicatur; decentius tamen eſt, ut in propria Eccleſia celebretur: Idcirco Sancta Synodus mandat, ne domi hujuſmodi celebratio permittatur, niſi cauſſa legitima exiſtente, examinanda, & approbanda ab Epiſcopo, qui abſque cauſſa prædicta, & *niſi illa die confeſſi fuerint, ac Sacra Communione refecti* (1), ut id domi fiat, concedere non debet; nam quanta maxima fieri poteſt, reverentia Sacramentis exhibeatur, oportet.

1 Ex Rit. Rom. de Sacram Matrim. in rubric. verſic. admoneantur.

TIT.

TIT. XLIV.

De accuſationibus, inquiſitionibus, & denunciationibus.

CAP. I.

Libelli famoſi rejiciantur. Contra non infamatum ſuper veritate criminum inquiri non debet, etiam ſi libellus famoſus contra eum oblatus fuerit in ſecreto.

SI detrahentem ſecreto proximo ſuo perſequi debemus, Propheta Rege docente, quanto magis iniquis eorum ſcriptis nullam præſtare fidem tenemur? Idcirco Sancta Synodus mandat, ut libelli infamationis abſque ulla ſubſcriptione, vel fictis nominibus ſubſcripti, prorſus rejiciantur; nec ad petitionem eorum, qui libellum prædictum porrigunt in occulto, procedatur ad inquiſitionem ſuper contentis ibidem criminibus faciendam, niſi fama, ſeu clamores delicti adverſus eum, contra quem porrectus eſt libellus, præceſſerint (1).

1 Cap. inquiſit. §. Tertiæ dubitationis de accuſatione.

CAP. II.

Caſus, quo Actuarii, & Notarii teſtium dicta non integre, ſed pro parte ad Fiſci favorem recipiunt, Epiſcopis adnexa cenſura reſervandus.

EPiſcopi pauperum Patres, & defenſores Actuarios, & Notarios illos, qui, corrupta conſcientia, teſtium ab ipſis examinatorum dicta non integre deſcribunt, ſed tantum pro parte, quæ in fiſci favorem facit: ex qua malitia, & mutilatione, infinita propemodum damna pauperibus irrogantur, & in magnum inquiſitorum, fortaſſe innocentium, præjudicium vergunt, cenſuris Eccleſiaſticis compeſcant, & hunc ſibi caſum reſervent, quem pientiſſimus quoque Rex noſter ſibi, ſuoque Proregi plectendum reſervavit (2).

2 Pragm. 6. de Actuar., & Scribis.

TIT. XLV.

De Simonia.

CAP. UNIC.

Pii IV. & V. ſuper confidentia ſimoniaca ſanctiones ſaltem ſemel in anno evulgentur.

INnotuit Sanctæ Synodo nonnullos in hac Provincia ignoranter ſimoniæ labe fœdari; quocirca tanto malo obviam ire peroptans, mandat animarum Provinciæ Rectoribus, ut Pii IV. (3) & V. (4) Summorum Pontificum ſuper confidentia ſimoniaca ſanctiones emanatas ſaltem ſemel in anno publicare non prætermittant.

3 Conſtit. 86.
4 Conſt. LXXXV.

TIT. XLVI.

De Magiſtris.

CAP. I.

Seminariorum inſtitutio commendatur.

CUm proverbium ſit (1): Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea, neceſſe eſt, ut adoleſcentium ætas a teneris annis viam mandatorum Dei ingrediatur, ut uſque in ſenectam, & ſenium eamdem, dilatato corde, percurrat. Cujus rei gratia Sacroſancti Trid. Conc. decreto (2) ſancitum eſt, ut ſingulæ Cathedrales, & Metropolitanæ, pro modo facultatum, & Diœceſis amplitudine, Collegia puerorum inſtituant, quæ Dei miniſtrorum perpetua ſint Seminaria. Pro qua inſtitutione nihil aptius, nihil uberius in noſtra Provincia decerni poteſt, quam quod ſub cl. mem. Cardinali Archiepiſcopo Jacobo Sabello, Prædeceſſorum noſtrorum Sancta Synodus ſanxit, anno 1567., decreto, quod ſubnectimus, & innovandum cenſemus.

1 Prov. c. 22. verſic. 6.
2 Seſſ. 23. de refor. cap. 18.

CAP. II.

Decretum Provincialis Concilii de anno 1567. tranſcribitur, quo ratio Seminarii inſtituendi exhibetur. Bonorum Eccleſiaſticorum taxatio conficienda proponitur.

„ UT vero, quæ pro inſtitutione Semi-
„ narii Clericorum a S. Trid. Syno-
„ do ſtatuta ſunt, exequantur, ne hoc
„ tam pium, ſanctum, & huic Provin-
„ ciæ maxime neceſſarium opus omitta-
„ tur, aut aliquo pacto differatur, de-
„ cernimus, ut ubi id Seminarium jam
„ inſtitutum non eſt, Epiſcopi ſtatim a
„ fine hujus Provincialis Synodi inſti-
„ tuendum curent, præſcripta forma a
„ dicto Trid. Conc. Ita tamen, ut ex fru-
„ ctibus cujuſcumque menſæ Epiſcopalis,
„ & Capituli, aliarumque Eccleſiarum
„ Collegiatarum, & quorumcumque be-
„ neficiorum Eccleſiaſticorum cum cu-
„ ra, & ſine cura, Abbatiarum, Priora-
„ tuum, & quocumque alio nomine nun-
„ cupentur, etiam Regularium, & exem-
„ ptorum, etiam ſi nullius Diœceſis fue-
„ rint (Mendicantium Eccleſiis, & præ-
„ ceptoriis Militum Sancti Joannis Hie-
„ roſolymitani, & aliis Collegiis, in qui-
„ bus Seminaria diſcentium, vel docen-
„ tium ad commune Eccleſiæ bonum
„ promovendum actu habentur, dum-
„ taxat exceptis) & ex quibuſcumque
„ aliis Eccleſiaſticis reditibus, quocum-
„ que ii nomine, vel cauſſa percipiantur,
„ etiam ſi penſiones quantumlibet exem-
„ ptæ fuerint, quinque pro centenario an-
„ nis ſingulis exigantur, quam ſummam
„ imminui, & augeri poſſe decernimus
„ ab

„ab Epiſcopis, communicato conſilio „cum iis, qui ad id munus delecti fuerint, „prout accepti, & expenſi Seminarii ra- „tio poſtulabit.

CAP. III.

Taxatio, vel in totum, vel in partem remittenda, ad ratam beneficiorum ſimplicium, quæ Seminario erecto uniri contigerit.

„HAnc autem exactionem inchoan- „dam, & faciendam ſtatuimus, pro „anno jam elapſo 1566. in illis Eccleſiis, „in quibus Epiſcopi ex decreto Concil. „Trid. id Seminarium jam inſtituendum „denunciaverunt: in aliis vero pro præ- „ſenti anno, & ita deinceps unoquoque „anno proſequendam, donec Seminario „aliquot beneficia ſimplicia, prout ea „vacare contigerit ex auctoritate, & præ- „ſcripto Concil. attributa, & unita fue- „rint: quæ, ſi ſummam, exigi manda- „tam, confecerint, omnino exactio re- „mittatur: ſin minus, pro rata fructuum „beneficiorum illi attributorum remit- „tatur.

CAP. IV.

Ubi Seminarium erigi non poteſt, taxatio tamen fiat, ad cujus rationem Clerici in Seminarium Metropolitanum, ſive aliud in Provincia inſtitutum, mittantur. Datur quoque ratio Seminarii inſtituendi, ubi tenues ſunt reditus. Alumnorum, quæ ætas, & qualitas: convictorum, quæ ratio habenda, præſcribuntur.

„UBi vero id Seminarium commode „inſtitui non poteſt propter tenui- „tatem redituum tam Cathedralis Ec- „cleſiæ, quam aliorum beneficiorum „Civitatis, & Diœceſis, quæ illi con- „tribuere debent, Seminario Beneven- „tano, aut in aliqua Suffraganeorum „commodiori, & viciniori Eccleſia in- „ſtituto, aut inſtituendo contribuant: „& pro rata pecuniarum, quæ a dictis Ec- „cleſiis exigentur, aliquot ipſarum Cle- „rici in dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ, „aut alterius (ut dictum eſt) Seminario „alantur, & inſtruantur. Si vero Epiſco- „pis videbitur in ſuis Eccleſiis, quocum- „que modo poterunt, hujuſmodi Semina- „ria inſtituere potius, quam Seminario Be- „neventano, aut in aliis vicinioribus Ec- „cleſiis inſtituendis, contribuere; eo, „quo meliori, & commodiori fieri mo- „do poterit, inſtituantur. Quod ſi hu- „juſmodi Seminariorum facultates non „ſuppetent, in eis inſtituendorum victui, „veſtituique, & libris emendis, & Ma- „giſtrorum ſalariis perſolvendis; Epiſco- „pi, deductis ex fructibus, reditibuſque „Seminariorum neceſſariis ſumptibus li- „brorum comparandorum, & ſalario- „rum perſolvendorum, quod reliquum „erit, Clericis in Seminario recipiendis „pro rata elargiri faciant, quod eorum „vitæ aliqua ex parte ſubſtentandæ, & „ſtudiis proſequendis auxilio eſſe poſſit; „ita tamen, ut ſervitiis, etiam Cathe- „dralis, aut aliarum Eccleſiarum, prout „Epiſcopis videbitur, inhæreant. Præci- „pua vero Epiſcoporum cura ſit, ut in „ætate duodecim ſaltem annorum con- „ſtituti, & qui legere, & ſcribere ſciant, „juxta præſcriptum Concilii in Semina- „rio recipiantur. Alii vero etiam ſi ſuo „ſumptu recipi velint, ſi primis elemen- „tis imbuendi ſint, rejiciantur, ut a Ma- „giſtris, qui ab Univerſitatibus condu- „centur, edoceantur.

CAP. V.

Adulti Sacris initiandi, ſi ſpes adſit profectus, & pauperes Presbyteri in Seminarium admittantur, hi, ut ſuo muneri ſatisfaciant, illi, ut Parochialibus præfici poſſint.

„QUoniam vero in hac Provincia „pauci reperiuntur idonei Presby- „teri, quibus animarum cura recte com- „mitti poſſit; ne Eccleſiæ diu idoneis „Rectoribus deſtituantur, quod eveniret „ſi expectandum eſſet, ut pueri ſolum- „modo hujus rei cauſſa in Seminario in- „ſtituerentur, hortamur Epiſcopos, ut „homines etiam adulti, quos ſperandum „ſit in litteris etiam profecturos, ut bre- „vi ad ſacros etiam Presbyteratus ordi- „nes promoveri poſſint; atque pauperes „Presbyteri, qui abſque beneficio jam „promoti exiſtunt, in Seminario ab ipſis „recipiantur, & ibi edoceantur, ut Sa- „cerdotali ordini, quem jam ſuſcepe- „runt, ſatisfacere, & Parochialibus Ec- „cleſiis præfici poſſint.

CAP. VI.

Seminarii Metropolitani fundatio, conſummatio, concinnatio, necnon domus ab integro poſt terræmotum nobilis erectio, recenſentur.

HActenus decretum præfati Cardinalis Archiepiſcopi Sabelli, qui exemplum omnibus præbens, Seminarium in Metropolitana fundavit eodem anno 1567. quod deinde Maximilianus Archiepiſcopus de Palumbaria conſummavit anno 1591. & Jo. Baptiſta Foppa Archiep. concinnavit anno 1653. ſed terræmotu anno 1688. integra Seminarii domo collapſa, modernus Archiepiſcopus hujus Sanctæ Synodi Præſes, ne Metropolitana tanto beneficio deſtitueretur, ſumma providentia a s. m. Alexandro PP. VIII. die 28. Februarii 1690. obtinuit, ut quatuor millia aureorum, quæ fel. rec. Innocentius PP. XI. Diœceſanis ob domorum rui-

ruinas pauperibus per Archiepiſcopum diſtribuenda deſtinaverat, cum exigua ſingulos, præ multitudine, ſumma inutiliter tangeret, omnia in Seminarium reſtituendum ad perpetuum hujus Civitatis, & Diœceſis auxilium impenderentur. Quamobrem eodem Metropolita inſtante, Sancta Synodus tres delegit Commiſſarios, ſuos ſcilicet Coepiſcopos Joannem Baptiſtam de Bellis Theleſinum, Franciſcum Antonium Punzi Aſculanum, Pompejum Sarnellium Vigilienſem, qui Seminarium in Metropolitana reſtitutum viſitarent; qua viſitatione peracta, SS. Patribus retulerunt, Seminarium ipſum non ſolum reſtitutum, ſed impenſis præfatam quatuor millium aureorum ſummam longe exuperantibus in ampliorem, & nobiliorem formam evectum hoc anno 1693. adeo ut de eo affirmarint, majorem eſſe gloriam domus iſtius noviſſimæ, pluſquam primæ.

Epiſcopi Seminarii Viſitatores.

C A P. VII.

Nonnullis commendatis Epiſcopis, qui Seminariis ſtudium ſuum navarunt, reliquis id muneris, pro eorum conſcientia injungitur: quod Confraternitatum quoque ſubſidio uti poſſint.

TAntum laudati Cardinalis Archiepiſcopi Sabelli exemplum, non omnes tunc imitati fuere, ſive morte præventi, ſive redituum tenuitate deterriti: Temporibus tamen noſtris ſuſcitavit Deus Oniæ filio conſimiles, qui vel ædificarunt, vel ſuffulſerunt tantæ pietatis domum, nempe Coepiſcopi, & Fratres noſtri Carolus Felix Matta S. Severi, ac Joſeph de Laxara Alliphanus, quorum alter anno 1680. alter anno 1692. ab integro erexerunt: Joſeph Catalanus Larinen. anno 1687. reſtituit, Franciſcus Antonius Jannonus Bovianen. anno 1686. inſtituit. Quare Sancta Synodus mandat, ut ad tenorem relati Synodalis decreti, ii, quibus in ſua Diœceſi Seminarium erigere poſſibile eſt, ſuper quo eorum onerat conſcientiam, inſtituant, & ut ad formam Tridentini Confraternitates quoque ad contributionem inducant. Sacræ Congregationis Epiſcoporum decretum extat in Sypontina die x. Novembris 1679. quod eos rem facili negotio expediendam admonebit.

C A P. VIII.

In Cathedralibus, in quibus nec Seminarium inſtitui, nec Alumni ad inſtitutum mitti poſſunt, ſit Grammaticæ Magiſter, Eccleſiæ, vel Univerſitatis ſtipendio conductus, ſive competenti beneficio proviſus.

ILli vero, qui tanta, tum Cathedralis Eccleſiæ, tum aliorum beneficiorum Civitatis, & Diœceſis, nec non, & Confraternitatum redituum tenuitate laborant, ut nec Seminarium inſtituere, nec in alio Provinciæ Seminario Clericos alere poſſint, in unaquaque Cathedrali Grammaticæ Magiſtros, Eccleſiæ, vel Univerſitatum, ubi mos eſt, ſtipendio, conducant, qui gratis Clericos doceant, aut eis de aliquo competenti beneficio provideatur.

C A P. IX.

Clerici, ſtudiorum cauſſa dimiſſi, non privatos, ſed publicos in Collegiis, & Academiis audiant Philoſophiæ Magiſtros, & niſi ea de re authenticum Epiſcopo deferant teſtimonium, a docendi officio, a ſuſcipiendis ordinibus, & ab Eccleſiaſticis gradibus arceantur.

ADoleſcentium ætatem a primis annis ſana doctrina imbutam velle, eſt per totum vitæ curſum eoſdem pietati, & religioni addicere. Quapropter cupiens S. Synodus Provinciam ab omni errorum labe ſartam tectam cuſtodire, diſtricte præcipit, ne Clerici Neapolim, ſeu alio ſtudiorum cauſſa, ſive miſſi, ſive mittendi, privatos Philoſophiæ Magiſtros audiant; ſed eam, vel a Regularibus in Collegiis, vel in publicis Academiis addiſcant, unde authenticum teſtimonium ſuis deferant Epiſcopis; alias nec docere in ſua patria, neve ad Superiores ordines, & Eccleſiaſticos gradus aſſumi permittantur.

T I T. XLVII.

De Hæreticis.

C A P. I.

Omnes, & ſinguli Provinciæ Parochi quotannis Dominica prima Adventus, & prima Quadrageſimæ Edictum Sancti Officii promulgent.

OMnem hæreſim extollentem ſe adverſus Sacroſanctam Orthodoxam, & Catholicam Fidem, Sancta Synodus deteſtans, & anathematizans, cum deprehenderit aliquos ob malitiam, nonnullos ob inobedientiam, complures ob ignorantiam, illi obligationi non ſatisfacere, qua delicta ad Sanctum Officium ſpectantia denunciare tenentur; ne quis alios, cum poſſit, ab errore non revocans, ſeipſum errare demonſtret; mandat omnibus, & ſingulis Provinciæ Parochis, ut quotannis Dominica prima Adventus, & prima Quadrageſimæ Edictum Sancti Officii in Appendice inſerendum evulgent, ut, cognitis pœnis, quibus negligentes ſe ipſos adſtringunt, eidem edicto pareant, ne communicare operibus aliorum malignis videantur.

CAP. II.

CAP. II.

Epiſcopi attendant, ne nova dogmata alicubi ſuarum Diœceſum radices figant; ſed unuſquiſque oves ſuas in doctrina ſana contineat.

QUę Paſtoralis ſollicitudo cum primis requiritur hac noſtra tempeſtate, qua Diaboli invidia ſubintraverunt quidam homines, ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus, quorum quidam Michael de Molinos cum aliis perditæ ſalutis ſequacibus, gregem inter Dominicum zizania falſorum dogmatum, fidei puritati, & bonis moribus adverſantium, ſuperſeminavit? Quæ intuitus ex Apoſtolicæ Sedis ſpecula s. mem. Innocentius Papa XI. ſua Conſtitutione ſub die 12. Decembris 1687. reprobans, tanquam hæreticalia damnavit. Alii ſegregant ſemetipſos animales, ſpiritum non habentes; unde, & neſciunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperant juſtitiæ, nec judicant honorem animarum ſanctarum. Ad quos errores eliminandos Sancta Synodus Epiſcopos, pro debita cura ovium, a Chriſto Domino illis commiſſarum, etiam, atque etiam hortatur, quatenus depoſitum cuſtodientes, devitent profanas vocum novitates, & appoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes (1) circa fidem exciderunt; omnemque diligentiam adhibeant, ne falſa hujuſmodi dogmata alicubi radices figant, & amplectentes eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, potentes ſint exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.

1 Tim. 6. n. 20.

TIT. XLVIII.

De Græcis.

Ne in Schiſmaticorum errores incidant.

CAP. I.

Parochi Græci baptizatorum infantium frontes ne conſignent. Eorum notetur euchologium. Sic conſignati ab Epiſcopo Latino confirmentur, ſub conditione, ne forte ab Epiſcopo Græco baptizati fuerint. Chriſma nonniſi ab Epiſcopo accipere compellantur.

CUm in nonnullis Provinciæ noſtræ Diœceſibus Græci, alii ſimul græcanico ritu viventes, alii inter Latinos, alii Latini inter Græcos mixti commorentur, ad eos in officio continendos Sancta Synodus Conſtitutionem, ſive inſtructionem Clementis Papæ VIII., quæ incipit (1): *Sanctiſſimus*, ſervandam exhibens, mandat, ne Parochi Græci baptizatos infantes Chriſmate in fronte conſignent: Ideo Epiſcopi eorum Euchologium, ſive Rituale viſitantes advertant eos, ut in ordine Baptiſmi prætermittant, quæ ſequuntur poſt illa verba, μέτα τὴν ἐυχὴν *poſt orationem &c.* uſque ibi, εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου: *poſtea facit Sacerdos figuram circuli*. Inter quæ verba forma hujus conſignationis habetur. Si qui vero infantes, ſeu alii baptizati a Presbyteris Græcis de facto Chriſmate in fronte conſignati fuerint, ab Epiſcopis Latinis confirmentur ſub conditione, præſertim, cum veriſimiliter dubitari poteſt, quod ab Epiſcopis Græcis fuerint baptizati. Chriſma vero, quod niſi ab Epiſcopo (etiam juxta eorum ritum) benedici non poteſt, ab Epiſcopo Latino cogantur accipere.

1 Conſt. XXXIV.

Conc. Prov. Benev.

CAP. II.

Euchariſtia quindenis ſaltem diebus renovetur; nullo pacto ſervetur in annum. Abuſus ſacrarum ſpecierum eliminentur. Parochi Græci in fermentato non miniſtrent, Latini a Latinis ſuſcipiant.

SAnctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum toto anno pro infirmis minime deinceps aſſervetur, ſed ſingulis octo diebus, aut ſaltem quindecim renovetur. Caveantque ne fundant, vel miſceant ſacro oleo, ac iterum coquant, vel alias exſiccent ſpecies Sacramenti SS. Euchariſtiæ feria v. in Cœna Domini, ut deinde illud aſſervetur. Parochi vero Græci nullo tempore SS. Euchariſtiam in fermentato confectam Latinis Parochianis miniſtrare præſumant; ſed hi Latinum Œconomum, ab Epiſcopo approbatum, convocent, ut Paſchali præcepto ſatisfacere valeant.

CAP. III.

Presbyteri Græci ſuper communem veſtem albam prius, deinde ſtolam, & phelonium adhibeant.

SAcerdotes ſuper communem veſtem, ut alicubi fit, ſtolam, & phelonium non adhibeant, niſi prius tunicam, quam ςιχαριὸν Sticharion vocant, induerint; Hæc deberet eſſe candida, ut S. Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha expreſſit, inquiens, *Ac primum tunica, quæ alba eſt, Divinitatis ſplendorem indicat, & Sacerdotis ſplendidam converſationem*; licèt variorum colorum albam in uſum deduxerint.

CAP. IV.

Abſolutionis forma in Generali Concilio Florentino tradita, utantur. In caſu neceſſitatis tantum Presbyteri Græci Catholici Latinos abſolvere poſſunt.

ILla abſolutionis forma, quæ in Generali Concilio Florentino præſcripta

eſt,

eſt, utantur, & poſtea ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam, pro forma hujuſmodi abſolutionis, dicere tantum conſueverunt. In caſu tamen ſolius neceſſitatis Presbyteri Græci Catholici poſſint Latinos abſolvere.

CAP. V.

Græci Epiſcopo Latino ſubjecti, niſi ab eo ad ordines ſuſcipiendos dimiſſi fuerint, in pœnas, & cenſuras, ut Latini ſubditi, incurrunt.

GRæci ſine litteris dimiſſorialibus Epiſcopi Latini, cui ſubſunt, ad Sacros Ordines promoti, ſuſpenſi ſunt: & ſi ſuſpenſi in ſuis ordinibus miniſtraverint, irregulares fiunt, quemadmodum & Latini; pro qua irregularitate, diſpenſandi facultatem à S. Sede obtinere oportebit.

CAP. VI.

Presbyteri Græci Latino, & Latini Græco ritu celebrantes, a Divinis perpetuo ſuſpenduntur.

GRæci Sacerdotes Latino more non celebrent, neque Latini Græco ritu ſacra peragant Myſteria, ſub pœna perpetuæ ſuſpenſionis à Divinis (1).

1 Pius V. conſt. XII.

CAP. VII.

Decretum Sac. Conc. Trid. de reform. Matrimonii, Græca vulgari lingua Græcis publicetur. Cæremoniæ non approbatæ in matrimonio contrahendo inhibeantur.

LOcorum Ordinariis curæ ſit, ut decretum Sac. Gener. Concilii Trid. *de Reformat. Matrimonii* (2) vertatur in linguam Græcam vulgarem, & in locis, & Parochiis Græcorum, & Albanenſium publicetur. Eiſdemque injungatur, ne in celebratione hujus Sacramenti cæremonias varias, & ab Eccleſia non approbatas, & (quod deterius eſt) ſuperſtitiones adhibeant.

1 Seſſ. 24. per tot. uſque ad c. 10.

CAP. VIII.

Simplicem fornicationem, peccatum eſſe mortale, Græci edoceantur.

PArochi Græci doceant ſimplicem fornicationem, nempe ſoluti cum ſoluta, peccatum eſſe mortale, ait enim Apoſtolus: *Nolite errare, neque fornicarii Regnum Dei poſſidebunt* (1).

1. Cor. 6. n. 9.

CAP. IX.

Conjugati Latini conjugum Græcorum ritum non ſequantur, ſed conjugati Græci, ſi fieri poteſt, conjugum Latinorum ritum amplectantur, alias quiſque in ſuo ritu, catholico tamen, permaneat. Proles patris ritum ſequatur, ni prævaleat mater Latina, ad hoc tamen cogendi non ſunt.

MAritus Latinus uxoris Græcæ ritum non ſequatur; Latina uxor non ſequatur ritum mariti Græci. Græca vero uxor ſequatur ritum mariti Latini, ſi fieri poteſt, alias quiſque conjugum in ſuo ritu, Catholico tamen, manere permittatur: Proles autem patris ritum ſequatur, niſi prævaluerit mater Latina, quæ cum in educatione puerorum videatur prævalere, deberent filii ſervare ritum Latinum, licet cogendi non ſint.

CAP. X.

Græci, inter Latinos, dies feſtos Latinorum ſervent. Uſus carnium die Sabbati in eorum locis permittitur. In Quadrageſima eo die teneantur tantum ad abſtinentiam, excepto Sabbato Sancto. Cum triduanum indicitur jejunium, dies Sabbati pro Græcis in alium diem commutetur.

GRæci inter Latinos degentes dies feſtos de præcepto ejuſdem Latinæ Eccleſiæ ſervare tenentur. Tolerandus vero uſus carnium die Sabbati, ubi ſine ſcandalo fieri poteſt, in locis tamen ipſorum, & inter eos tantum, cum ipſi qualibet hebdomada, & feria IV., & feria VI. jejunent. Tolerandum quoque eſt, ut ad jejunium eodem die Sabbati in Quadrageſima, excepto uno Sabbato Sancto, ex antiqua traditione non teneantur, ſed dumtaxat ad abſtinentiam. In jejuniis quoque biduanis, vel triduanis, vel alias a Diœceſanis, vel in Jubilæis a Summo Romano Pontifice indictis, dies Sabbati in eis comprehenſus, vel præſcriptus in alium diem pro plebibus Græcis ab ipſis Diœceſanis, auctoritate Apoſtolica iam conceſſa, permittitur commutari.

CAP. XI.

Status Animarum alter Latinorum, alter Græcorum fiat, ne cuivis eorum de ritu in ritum cum ſcandalo tranſire contingat: quod ſi Latino evenerit, ad Latinum ritum redire cenſuris compellatur.

NE tandem ob rituum promiſcuitatem Latini de facili ad Græcorum ritum tranſeant, & Græci in Latinum, & de Latino deinde ad Græcum revertantur, unde plurima ſcandala oriri ſolent: Epiſcopi ſtatum animarum diſtinctiſſime formandum præcipiant, alterum Græcorum, alterum Latinorum, & hujus in Cancellaria Epiſcopali duplicatum ſervent; & ſi quando Latinum in Græcorum ritum abire, aut Græcum, Latinum factum, in Græcanicum ritum redire compererint, Eccleſiaſticis cenſuris ad Latinum ritum redire, compellant.

TIT.

TIT. XLIX.

De his, qui filios occiderunt.

CAP. UNIC.

Parentes, ſive Nutrices infantem infra annum ſecum in lectulo non teneant.

PEremptores potius, quam Parentes dicendi ſunt illi, qui infantes ſecum in lecto, nulla tenellæ ætatis habita ratione, tenentes, dum ſtertunt, incaute opprimunt, & ſomno ſepulti, vix natos ſepulcris addicunt (1). Ad hoc periculum avertendum Sancta Synodus mandat Parentibus, ſive Nutricibus, ne infantem infra annum ſecum in lectulo teneant; ſed in cunabulis, aliiſve locis adeo aptatis, ut cum infantis ſecuritate, Mater, vel Nutrix, ſive lac præſtans, ſive alia neceſſaria exhibens, commode agat.

1 Ad text. in C. quæſitum de pœnit. & remiſſion.

TIT. L.

De Infantibus, & languidis expoſitis.

CAP. UNIC.

Infantem expoſitum, cujus Parentes ignorantur ii, ad quos ſpectat, ſuſcipiant, & hujuſmodi alere conſuetis tradant.

SI ob relegatum pietatis officium, infans aliquis expoſitus, cujus Parentes ignorantur, occurrat, monentur omnes, ad quos ſpectat, ut, qua par eſt, charitate, eum ſuſcipiant, & vel in expoſitorum domum, ſi qua exiſtat, vel ad locorum Magiſtratus, qui pro ſua pietate abjectos alere conſueverunt, deferre non prætermittant.

TIT. LI.

De Uſuris.

CAP. UNIC.

Confeſſarii tractatibus de uſuris, & reſtitutione ſtudeant, ut pœnitentibus recte conſulentes, eoſdem a tanto crimine deterreant.

QUaliter Uſurarii utriuſque teſtamenti pagina condemnentur, nequaquam attendunt Confeſſarii illi, qui pernicioſa indulgentia eos abſolvunt, & ad Sacramenta admittunt, licet eoſdem videant in hujuſmodi perſiſtere pravitate. Quapropter Sancta Synodus Confeſſarios in Domino exhortatur, ut Uſurarios in confeſſionibus diligenter examinent, eorumque conſcientiis recte conſulant. Quod ut maturius exequantur, tractatus de uſuris, & reſtitutione probe calleant, ut pœnitentes a tanto crimine valeant cohibere.

Conc. Prov. Benev.

TIT. LII.

De Injuriis, & damno dato.

CAP. I.

Super damnis datis juris conductores, ſi cum pecudum, jumentorumque poſſeſſoribus conveniant, ut certa ſoluta pecunia, per annum ob quævis illata damna a pœna ſint immunes, tamdiu ſacramentalis abſolutionis beneficio priventur, quamdiu damnum, illorum cauſſa illatum, refecerint. Confeſſarii vero hujuſmodi non abſolvant, alias damni rei, per annum a confeſſionibus audiendis ſint ſuſpenſi.

DIvino jure decretum accipimus: (1) *ſi laſerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit jumentum ſuum, ut depaſcatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro ſuo, vel in vinea, pro damni æſtimatione reſtituet.* Idcirco divino, nedum humano juri rebelles ſunt, qui jus ſuper damnis datis in depopulationem agrorum conducentes, quatenus, & conducti pretium, & lucrum faciant cum iis, qui animalia cujuſcumque generis habent, conveniunt, ut, certa ſoluta pecunia, per annum ob quævis damna, quæ eorum animalia cujuſvis, ſive Eccleſiaſticæ, ſive laicalis perſonæ, agris, vineis, aliiſque bonis dederint, ab omni pœna ſint immunes; cujus impiæ conventionis cauſſa contingit, ut neque Eccleſiaſtici, quod contra immunitatem, neque Laici, quod contra juſtitiam eſt, a ſuſceptis damnis releventur. Has itaque iniquas conventiones (2) Sancta Synodus deteſtans, mandat, ut ſi qui deinceps, in tantum malum inciderint, quoniam qui cauſſam damni dat, damnum dediſſe videtur, tamdiu Sacramentalis abſolutionis beneficio priventur, quamdiu damnum, eorum cauſſa illatum refecerint. Si quis vero Confeſſarius neglexerit, ipſum Epiſcopi ad damnum reficiendum compellant, (3) & per annum ab audiendis confeſſionibus reddant abſtentum.

1 Exod. c. 22. n. 5.

2 C. ſi laſerit. de injur. & damno dato.

3 Can. peſſimam. 23. q. 8.

CAP. II.

Eccleſiaſticorum, Eccleſiarumque animalia ſi damnum dederint, ad damnum tantum, non ad ſtatuti pœnam tenentur. Si eorum culpa id evenerit, ab Epiſcopis plectendi.

SI animalia ad Eccleſiaſticorum patrimonium, Eccleſiarumve bona ſpectantia, damnum dederint, Eccleſiaſtici ad emendationem, & ſatisfactionem damni, non autem ad pœnam ſtatuti laicalis tenentur. Si vero eorum culpa datum ſit damnum, a proprio Epiſcopo, pro culpæ ratione, plectentur.

TIT. LIII.

De Pœnis.

CAP. I.

Pœnæ pecuniariæ non paſſim imponantur. Exactæ piis locis applicentur. Deligatur Depoſitarius, qui applicandas fideliter ſervet, nihil, niſi de Ordinarii mandato, impendat, & in fine anni coram Epiſcopo, & duobus de Capitulo reddat rationem.

Cum ſobrie admodum, & non ſine magna circumſpectione excommunicationis gladius ſit exercendus, ne perniciem potius pariat, quam ſalutem; ideoque ad continendos in officio, quos oportet, mulctis potius pecuniariis ſit procedendum: nihilominus Sancta Synodus Epiſcopos omnes hortatur, ne in mulctis imponendis multi ſint, & quatenus pecuniarias pœnas pro qualitate delicti, & delinquentium exigere velint, eas ad Trident. præſcriptum (1), piis applicent locis, nec ullo modo mulctarum pecunia ab Ordinario conſervetur; ſed mulctarum Depoſitarius eligatur, qui, & de fidelitate ſervanda cautionem exhibeat, & nihil niſi mandato, Ordinarii ſubſcriptione vallato, expendere audeat: & in fine anni coram Epiſcopo, & duobus Capitularibus, ſeu Canonicis, quorum Canonicorum alter ab Epiſcopo, alter a Capitulo deligentur, dati, & accepti reddet rationem.

1 Seſſ. 25. de reſor. cap. 3.

CAP. II.

Mulctas piis locis patriæ delinquentis applicari decet.

Convenit quoque, ut multæ applicentur piis locis patriæ delinquentis, ne quidquam de radice cupiditatis, & avaritiæ prodire videatur.

CAP. III.

Si cauſſa gravis non ſit, compoſitiones admitti poſſunt; terminato tamen proceſſu, & defenſionibus reo datis: alias compoſitiones nullæ ſint, & proceſſus nondum concluſus habeatur.

Compoſitiones cum magna circumſpectione admittantur, nempe ſi cauſſa valde gravis non ſit, & tunc, terminato proceſſu, & defenſionibus reo datis; alias factæ compoſitiones nullæ ſint, & proceſſus inſopitus, ut ajunt, habeatur.

TIT. LIV.

De Pœnitentiis, & Remiſſionibus.

CAP. I.

Propoſitiones à Sancta Sede Apoſtolica damnatæ ſub Alexandro PP. VII., & Innocentio PP. XI. in quibuſcumque Provinciæ Diœceſibus evulgentur.

Ut Paſtores oves ſibi creditas per rectas ſemitas ducant, & a noxiis paſcuis, quæ a pravis doctrinis erumpunt, avertere ſatagant; mandat Sancta Synodus, ut propoſitiones a S. Sede Apoſtolica damnatas in ſuis Diœceſibus evulgent. Alexander ſiquidem Papa VII. die 24. Septembris 1665., & die 18. Martii 1666. propoſitiones quinque, & quadraginta damnavit: Innocentius quoque Papa XI. die 1. Martii 1679. quinque, & ſexaginta, ſimiliter damnatas publicavit. Alexander denique PP. VIII. primo decretum edidit tenoris, qui ſequitur.

CAP. II.

Decretum Alexandri PP. VIII. quo extenſio Juris Regaliæ, & declaratio Eccleſiaſticæ poteſtatis cum quatuor in ea contentis propoſitionibus, nullæ, & irritæ declarantur.

„ ALEXANDER PAPA VIII.
„ AD PERPETUAM REI MEMORIAM.
„ Inter multiplices paſtoralis officii no-
„ ſtri curas, quibus jugiter premimur, in
„ illam peculiari ſtudio incumbimus, ut
„ Apoſtolicæ Sedis, ac univerſalis Eccle-
„ ſiæ, nec non etiam ſingularum Eccle-
„ ſiarum, locorumque piorum, ac per-
„ ſonarum Eccleſiaſticarum jura ubique
„ ſartatecta, ac illibata tueri, & conſer-
„ vare, eaque adverſus quæcumque, per
„ quæ illis aliquid detrimenti inferri poſ-
„ ſet, tradita nobis Divinitus poteſtate
„ vindicare ſatagamus, ſicut omnibus ma-
„ ture, ac debite penſatis, juſtitiæ, ac
„ rationi conſentaneum eſſe in Domino
„ arbitramur. Cum itaque ex quo pri-
„ mum humilitatem noſtram inſcrutabili
„ Divinæ ſuæ Providentiæ arcano in ſu-
„ prema Militantis Eccleſiæ ſpecula col-
„ locavit Altiſſimus, præ ceteris, quæ
„ Pontificiæ noſtræ ſollicitudini ſeſe ob-
„ tulere, negotiis, illa in primis gra-
„ viſſima, ac Nobis, qui chariſſimum in
„ Chriſto filium noſtrum Ludovicum
„ Francorum Regem chriſtianiſſimum,
„ ac florentiſſimum illius Regnum in vi-
„ ſceribus gerimus charitatis, permole-
„ ſta, & plane acerba acciderint, quæ
„ ſive adverſus dicti Regni Eccleſiarum
„ jura, ſive adverſus Romani Pontificis,
„ & Eccleſiæ univerſæ auctoritatem, non-
„ nulli Venerab. Fratres Archiepiſcopi,
„ Epiſcopi, & alii ejuſdem Regni Eccle-
ſia-

,, ſiaſtici Viri in Comitiis Cleri Gallicani
,, Pariſiis anno 1682. congregati, tum
,, præſtito inibi per eos extenſioni illius
,, juris, quod vocant Regaliæ, ad omnes
,, dicti Regni Eccleſias aſſenſu, tum edi-
,, ta ſubinde de poteſtate Eccleſiaſtica
,, quatuor Propoſitiones continente de-
,, claratione, peregerunt, quæque ipſa
,, Comitia ſubſecuta fuerunt mandata, ar-
,, reſta, confirmationes, declarationes,
,, epiſtolæ, edicta, & decreta quæcum-
,, que a quibuſvis perſonis, ſive Eccleſia-
,, cis, ſive Laicis, quavis auctoritate, &
,, poteſtate fungentibus, edita, ſeu pu-
,, blicata, nec non quæ alias demum non-
,, nullis ab hinc annis in Regno præfato
,, eidem Sedi Apoſtolicæ, Romanæque
,, Eccleſiæ, ſeu quibuſcumque aliis Ec-
,, cleſiis, Monaſteriis, & locis piis, illo-
,, rumque reſpective perſonis, rebus, bo-
,, nis, & juribus, ſeu alias juriſdictioni,
,, vel immunitati, aut libertati Eccleſia-
,, ſticæ quomodolibet præjudicialia quo-
,, vis modo peracta, ac geſta fuerunt.
,, Hæc Nos, qui jurium Eccleſiaſticorum
,, aſſertores in terris a Domino conſtitu-
,, ti ſumus, dies, noctesque in amaritu-
,, dine Animæ noſtræ cogitantes, manus
,, noſtras cum lacrimis, & ſuſpiriis leva-
,, vimus ad Dominum, eumque toto cor-
,, dis affectu rogavimus, ut Nobis poten-
,, ti gratiæ ſuæ auxilio adeſſet, quo ardua
,, hac in re commiſſi Nobis Apoſtolici
,, muneris partes ſalubriter exequi vale-
,, remus; eaque conſideratione adducti,
,, ac ne ſupremo Judici rationem villica-
,, tionis noſtræ reddituri negligentiæ in
,, credita Nobis adminiſtratione arguere-
,, mur (quantum Divina Bonitas dedit)
,, nihil hucuſque prætermiſimus, quo
,, præjudicialia præfata ab iiſmet, qui ea
,, peregerant, ex animo retractarentur.
,, Verum, quo efficaciùs, ac uberius Se-
,, dis præfatæ, Eccleſiæ Univerſæ, Juriſ-
,, dictioniſque, & Immunitatis, ac liber-
,, tatis Eccleſiaſticæ, Eccleſiarumque,
,, Monaſteriorum, & locorum piorum
,, hujuſmodi, illorumque Perſonarum
,, præfatarum indemnitati perpetuis fu-
,, turis temporibus conſultum ſit, au-
,, ditis quamplurium ex Venerabilibus
,, Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Ec-
,, cleſiæ Cardinalibus, & nonnullorum
,, in Sacra Theologia Magiſtrorum, ac
,, etiam in Decretis Doctorum ad exa-
,, men negotii hujuſmodi a Nobis ſpecia-
,, liter delectorum, qui illud mature diſ-
,, cuſſerunt, remque totam Nobis expo-
,, ſuerunt, ſententiis, quantum Nobis ex
,, alto conceditur, providere volentes,
,, ac fel. rec. Innocentii Papæ XI. Præde-
,, ceſſoris noſtri, qui occaſione reſcriben-
,, di ad litteras, quibus Archiepiſcopi,
,, Epiſcopi, & alii Eccleſiaſtici Viri ſu-
,, pradicti de rebus ab ipſis geſtis certio-
,, rem eum reddiderant, per quaſdam
,, ſuas in ſimili forma Brevis die xi. Apri-
,, lis 1682. expeditas literas improbavit,
,, reſcidit, & caſſavit, quæ in dictis Co-
,, mitiis acta fuerant in negotio Regaliæ,
,, cum omnibus inde ſecutis, & quæ ſub-
,, inde attentari contigiſſet, eaque per-
,, petuo irrita, & inania declaravit, ve-
,, ſtigijs inhærentes; nec non in dictis
,, Comitiis anni 1682. tam circa exten-
,, ſionem juris Regaliæ, quam circa de-
,, clarationem de poteſtate Eccleſiaſtica
,, hujuſmodi actorum, ac etiam omnium,
,, & ſingulorum mandatorum, Arreſto-
,, rum, Confirmationum, Declaratio-
,, num, Epiſtolarum, Edictorum, De-
,, cretorum quavis auctoritate, ſive Ec-
,, cleſiaſtica, ſive etiam laicali editorum,
,, ſeu publicatorum, necnon aliorum
,, quomodolibet præjudicialium præfato-
,, rum in Regno ſupradicto quandocum-
,, que, & a quibuſvis, ac ex quacumque
,, cauſſa, & quovis modo factorum, &
,, geſtorum, ac inde ſecutorum quorum-
,, cumque, etiam ſpecificam, & indivi-
,, duam mentionem, & expreſſorum de
,, neceſſitate requirentium tenores, &
,, datas etiam veriores præſentibus pro
,, plene, & ſufficienter expreſſis, ac de
,, verbo ad verbum inſertis, & exactiſſi-
,, me ſpecificatis habentes: Motu pro-
,, prio, ac ex certa ſcientia, & matura
,, deliberatione noſtris, deque Apoſtoli-
,, cæ poteſtatis plenitudine, omnia, &
,, ſingula, quæ tam quoad extenſionem
,, juris Regaliæ, quam quoad declaratio-
,, nem de poteſtate Eccleſiaſtica, ac qua-
,, tuor in ea contentas propoſitiones in
,, ſupradictis Comitiis Cleri Gallicani an-
,, no 1682. habitis acta, & geſta fuerunt,
,, cum omnibus, & ſingulis mandatis, ar-
,, reſtis, confirmationibus, declarationi-
,, bus, epiſtolis, edictis, & decretis a
,, quibuſvis perſonis, ſive Eccleſiaſticis,
,, ſive Laicis quomodolibet qualificatis,
,, quavis auctoritate, & poteſtate, etiam
,, individuam expreſſionem requirente,
,, fungentibus, editis, ſeu publicatis, nec
,, non reliqua omnia quotcumque, &
,, qualiacumque eidem Sedi Apoſtolicæ,
,, Romanæque Eccleſiæ, vel juriſdictioni,
,, immunitati, vel libertati Eccleſiaſti-
,, cæ, ſeu alias Eccleſiis, Monaſteriis, &
,, locis piis præfatis, illorumque reſpe-
,, ctive perſonis, rebus, bonis, privile-
,, giis, prærogativis, & juribus quibuſ-
,, cumque quomodolibet præjudicialia
,, in dicto Regno peracta, & geſta, cum
,, omnibus, & ſingulis quandocumque,
,, & quomodocumque inde ſecutis, &
,, quocumque tempore ſecuturis, ipſo ju-
,, re nulla, irrita, invalida, inania, viri-
,, buſque, & effectu penitus, & omnino
,, vacua ab ipſo initio fuiſſe, & eſſe, ac
,, perpetuo fore, neminemque ad illo-

rum,

,, rum, ſeu cujuslibet eorum, etiam ſi
,, juramento vallata ſint, obſervantiam
,, teneri, neque ex illis cuiquam aliquod
,, jus, vel actionem, aut titulum, etiam
,, coloratum, vel poſſidendi, aut præſcri-
,, bendi cauſſam,, etiam ſi longiſſimi, &
,, immemorabilis temporis poſſeſſio, etiã
,, citra ullam interpellationem, vel in-
,, terruptionem ſubſecuta ſit, vel ſubſe-
,, quatur, acquiſitum fuiſſe, nec eſſe,
,, minuſque ullo tempore acquiri,& com-
,, petere poſſe, neque illa ullum ſtatum
,, facere, vel feciſſe, ſed perinde ac ſi
,, nunquam emanaſſent, vel facta fuiſ-
,, ſent, pro non extantibus, & non factis
,, perpetuo haberi debere tenore præſen-
,, tium declaramus, & decernimus. Et
,, nihilominus ad abundantiorem caute-
,, lam, & quatenus opus ſit, acta, & ge-
,, ſta præfata, aliaque præmiſſa omnia,
,, motu, ſcientia, deliberatione, & po-
,, teſtatis plenitudine paribus improba-
,, mus, caſſamus, irritamus, & annulla-
,, mus, viribuſque, & effectu penitus, &
,, omnino vacuamus, & contra illa, de-
,, que eorum nullitate coram Deo prote-
,, ſtamur. Decernentes eaſdem præſen-
,, tes litteras, & in eis contenta quæcum-
,, que, etiam ex eo quod quicumque in
,, præmiſſis intereſſe habentes,etiam ſpe-
,, cifica, & individua mentione digni, il-
,, lis non conſenſerint, nec ad ea vocati,
,, citati, & auditi, neque cauſſæ, propter
,, quas eædem præſentes emanarint, ſuf-
,, ficienter adductæ, verificatæ, aut ullo
,, modo juſtificatæ fuerint, aut ex alia
,, quacumque cauſſa, colore, prætextu,
,, & capite, etiam in corpore juris clau-
,, ſo, nullo unquam tempore de ſubre-
,, ptionis, vel obreptionis, aut nullitatis,
,, vel invaliditatis vitio, ſeu intentionis
,, noſtræ, aut intereſſe habentium, vel
,, habere prætendentium conſenſus, alio-
,, ve quocumque, etiam quantumlibet
,, magno, ac incogitato, inexcogitabili-
,, que defectu, aut ex alio quovis capite
,, a jure, vel facto, aut ſtatuto, conſue-
,, tudine, vel privilegio reſultante nota-
,, ri, impugnari, invalidari, retractari,
,, in controverſiam vocari, ſeu ad termi-
,, nos juris reduci ullatenus poſſe; ſed
,, ipſas præſentes litteras ſemper, & per-
,, petuo firmas, validas, & efficaces exi-
,, ſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & in-
,, tegros effectus ſortiri, & obtinere, ac
,, ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpe-
,, ctat, & pro tempore quandocumque
,, ſpectabit, inviolabiliter obſervari. Sic-
,, que, & non aliter in præmiſſis omni-
,, bus, & ſingulis per quoſcumque Judi-
,, ces Ordinarios, & Delegatos, etiam
,, Cauſſarum Palatii Apoſtolici Audito-
,, res, ac ejuſdem S. Romanæ Eccleſiæ
,, Cardinales, etiam de Latere Legatos,
,, & Sedis Apoſtolicæ præfatæ Nuncios,
,, alioſve quoslibet quacumque præemi-
,, nentia, & poteſtate fungentes, & fun-
,, cturos, ſublata eis, & eorum cuilibet
,, quavis aliter judicandi, & interpretan-
,, di facultate, & auctoritate, judicari,
,, & definiri debere, ac irritum, & ina-
,, ne, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis
,, auctoritate ſcienter, vel ignoranter
,, contigerit attentari. Non obſtantibus
,, præmiſſis, ac Apoſtolicis, & in Uni-
,, verſalibus, Provincialibuſque, & Syn-
,, odalibus Conciliis editis generalibus,
,, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Or-
,, dinationibus, & quatenus opus ſit, no-
,, ſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula
,, de Jure quæſito non tollendo, legibus
,, quoque, etiam Imperialibus, & Muni-
,, cipalibus, nec non quibuſvis, etiam
,, Juramento, confirmatione Apoſtolica,
,, vel quavis firmitate alia roboratis ſta-
,, tutis, & conſuetudinibus, etiam im-
,, memorabilibus; privilegiis quoque, in-
,, dultis, conceſſionibus, & litteris Apo-
,, ſtolicis quibuſcumque locis, & perſo-
,, nis, etiam Regali, & alia quavis ſive
,, Eccleſiaſtica, ſive mundana dignitate
,, fulgentibus,& alias quomodolibet qua-
,, lificatis, ac ſpecialem expreſſionem
,, requirentibus, ſub quibuſcumque ver-
,, borum tenoribus, & formis, ac cum
,, quibuſvis etiam derogatoriarum dero-
,, gatoriis, aliiſque efficacioribus, effica-
,, ciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritan-
,, tibuſque, & aliis decretis, etiam mo-
,, tu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine
,, ſimilibus, ac conſiſtorialiter, & alias
,, quomodolibet in contrarium præmiſ-
,, ſorum conceſſis, editis, factis, & plu-
,, ries iteratis, & quantiſcumque vicibus
,, approbatis, confirmatis, & innovatis.
,, Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi
,, pro illorum ſufficienti derogatione de
,, illis, eorumque totis tenoribus ſpecia-
,, lis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac
,, de verbo ad verbum, non autem per
,, clauſulas generales idem importantes,
,, mentio, ſeu quævis alia expreſſio ha-
,, benda, aut aliqua alia exquiſita forma
,, ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſ-
,, modi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil
,, penitus omiſſo, & forma in illis tradi-
,, ta obſervata, exprimerentur, & inſe-
,, rerentur, præſentibus pro plene, & ſuf-
,, ficienter expreſſis, & inſertis habentes,
,, illis alias in ſuo robore permanſuris,
,, ad præmiſſorum effectum hac vice
,, dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe de-
,, rogamus, ac derogatum eſſe volumus,
,, ceteriſque contrariis quibuſcumque.
,, Volumus autem, ut earumdem præ-
,, ſentium litterarum tranſumptis, ſeu
,, exemplis, etiam impreſſis, manu alicu-
,, jus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigil-
,, lo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate
,, conſtitutę munitis, eadem prorſus fi-

des

„ des ubique locorum, & gentium in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 4. Auguſti MDCXC. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

I.F.Cardinalis Albanus.

In nomine Domini Amen. Præſenti publico Inſtrumento cunctis ubique pateat evidenter, & ſit notum, quod anno a nativitate Domini Noſtri JeſuChriſti Milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo primo, Indictione decimaquarta, die vero trigeſima Januarii, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Alexandri Divina Providentia Papæ Octavi, anno ſecundo. Coram eodem Sanctiſſimo D. N. præſentibus, beneque audientibus, & intelligentibus Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S.R.E. Cardinalibus Chiſio, de Alteriis, Carpineo, Columna, Nerlio, Caſanate, Mareſcotto, Capiſucco, de Lauræa, Panciatico, Aſtallio, & Albano, ad id ſpecialiter juſſu Sanctitatis ſuæ convocatis, & congregatis, in Noſtrorum infraſcriptorum ejuſdem Sanctitatis Suæ, & S. Sedis Apoſtolicæ Protonotariorum de numero Participantium, Teſtiumque infraſcriptorum præſentia, Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Cardinalis Albanus Brevium Secretorum Sanctitatis Suæ Secretarius alta, & intelligibili voce, per extenſum, ac de verbo ad verbum, prout jacet, legit, & publicavit mandante eodem SS. D. N. ſupradictum Breve. Poſt cujus lecturam idem SS. D. N. dixit, & declaravit, ſe uſque, & ſub die quarta Auguſti proxime præteriti ſubſignaſſe minutam originalem dicti Brevis, ejuſque publicationem hodierna die, ut ſupra, fieri mandavit. Super quibus omnibus, & ſingulis incontinenti ab eodem Eminentiſſimo Domino Cardinali Albano nomine Sanctitatis Suæ Nobis fuit injunctum, ut unum, ſeu plura publicum, ſeu publica conficeremus, atque traderemus Inſtrumentum, & Inſtrumenta, prout opus fuerit, & requiſiti erimus; non ſolum præmiſſo, ſed & omni alio meliori modo. Actum Romæ in Palatio Apoſtolico Quirinali in Cubiculo Sanctitatis Suæ, præſentibus ibidem Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis DD. Petro Dragho Bartolo Patriarcha Alexandrino Præfecto Cubiculi ejuſdem Sanctitatis Suæ, & Marcello de Aſte utriuſque Signaturæ Reſcrendario ipſius SS. D.N. Auditore Teſtibus ad præmiſſa omnia, & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.

Ego Camillus Celleſius Protonotarius Apoſtolicus de numero Participantium de præmiſſis rogatus præſens Inſtrumentum ſubſcripſi, & publicavi. In fidem &c.

Ego Proſper Coſtagutus Protonotarius Apoſtolicus de numero Participantium de præmiſſis præſens Inſtrumentum ſubſcripſi, & publicavi. In fidem &c.

CAP. III.

Aliæ propoſitiones ab Alexandro PP. VIII. damnatæ enunciantur.

Deinde idem Alexander PP. VIII. die 24. Auguſti 1690. duas propoſitiones, & die 7. Decembris 1690. unam ſupra triginta damnavit, quas omnes, veluti obvias, hìc inſerere ſuperſedimus.

CAP. IV.

Caſus S. Sedi, & Ordinariis reſervati, non niſi de eorumdem reſpective licentia a Confeſſariis tam ſæcularibus, quam Regularibus abſolvi poſſunt, ſub pœnis in Apoſtolicis decretis expreſſis.

Nullus Confeſſariorum, ſive ſæcularis, ſive Regularis exiſtat, a cenſuris, & caſibus Sanctæ Sedi, & Ordinariis reſervatis, abſque licentia dictæ Sanctæ Sedis, & Ordinariorum reſpective, excepto mortis articulo, abſolvere præſumat, ſub pœnis in Decreto Sacræ Congregationis de ſpeciali mandato Clementis Papæ VIII. emanato, ac confirmato a Paulo V. contra hujuſmodi præſumentes inflictis.

CAP. V.

Mulierum confeſſiones qua cautione audiendæ?

Mulierum confeſſiones (caſu neceſſitatis excepto) ſolum in Eccleſiis, & in ſedibus confeſſionalibus, ac per earumdem ſedium feneſtellas, ferreis cratibus occluſas; quibus nulla ex dictis ſedibus carebit, audiantur; idque ante ortum, & poſt occaſum Solis ne fiat.

CAP. VI.

Pœnitentes, an Eccleſiarum debitores ſint, interrogentur, & ſi fuerint, ad ſatisfactionem exhortentur.

Pœnitentium conſcientiis conſultum erit, ſi interrogentur, an Eccleſiis ſint debitores; nam ſi tales fuerint, ne cum ſalutis diſpendio ſatisfactionis compendium differant, commonebuntur.

CAP. VII.

Medici ægrotos in lecto jacentes, tertio die non viſitent, niſi confeſſos. Epiſcopi Pianam evulgent Conſtitutionem, ut negligentes expreſſis pœnis deterreantur.

Innocentius Papa III. Conſtitutione, quæ incipit. *Cum infirmitas*: (1) Lateranen. Concilio promulgata, & B. Pii Papæ V. Conſtitutione, quæ incipit; (2) *Supra gregem Dominicum* innovata, & ab Innocentio Papa XI. datis litteris encyclicis pro exequutione commendata ſtatu-

(1) De pœnitent. & remiſſ.

(2) Conſt. III.

tutum eſt, & Medicis ſtricte præceptum, ut cum ipſi ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, eoſdem ante omnia moneant, ut idoneo Confeſſori omnia peccata ſua, juxta ritum S. R. E. confiteantur, neque tertio die ulterius eos viſitent, niſi confeſſos; alias Medici ultra pœnam interdicti ab Innocentio III. inflictam, perpetuo ſint infames, & gradu medicinæ omnino priventur, & a Collegio, & Univerſitate Medicorum ejiciantur, ac pœna etiam pecuniaria, arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint, mulctentur. Hanc Paſtoralem ſollicitudinem Epiſcopis omnibus S. Synodus commendat, mandans, ut enunciatam Pianam Conſtitutionem evulgent, quatenus, & Medici ſuo muneri ſatisfaciant, & in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a Medicis ſuadetur, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum non incidant, unde facilius mortis periculum incurrunt.

CAP. VIII.

In Altaribus privilegiatis, tam in perpetuum, quam ad ſeptennium per celebrationem Miſſarum de feſto currenti ſatisfit injunctis obligationibus, & indulgentiis, fidelium defunctorum animabus conceſſis: eadem privilegiata Altaria anno Jubilei non ceſſant.

Cum indulgentiarum uſus Chriſtiano Populo maxime ſit ſalutaris, circa eaſdem recte conſequendas, nonnulla advertantur, oportet. Noverint itaque decretum illud, indultum Altaris privilegiati non ſuffragari, niſi in eo Miſſæ de requiem celebrentur, licet hoc forte in indulto non exprimatur, declaratum fuiſſe ab Alexandro Papa VII. ſcilicet per celebrationem Miſſarum de feſto currenti ſatisfieri injunctis obligationibus, & indulgentiis per hujuſmodi Privilegia Apoſtolica conceſſa animabus Fidelium defunctorum, quam declarationem ſa. me. Clemens Papa IX. pro privilegiatis Altaribus tam in perpetuum, quam ad ſeptennium extendit. Eadem vero Altaria privilegiata per ſuſpenſionem generalem, anno Jubilęi fieri conſuetam, non ſuſpendi; ſuſpenſio enim illa eſt pro vivis.

CAP. IX.

Clauſula illa: Volumus autem &c. Indulgentiarum brevibus apponi ſolita, Sacræ Congregat. Indulgentiarum decreto explicatur.

Ut clauſulæ illius, quæ hodie Brevibus Indulgentiarum apponi ſolet: *Volumus autem, ut ſi alias Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus, aliqua alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullæ ſint*, vis, & ſententia intelligatur, Sacrarum Indulgentiarum Congregatio (1) declaravit; ea minime contineri Altaria privilegiata pro defunctis, neque Indulgentias, aut certo perſonarum generi conceſſas, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo; aut certum pium opus in ipſa Eccleſia peragentibus, ut Litanias, aliaſve hujuſmodi preces recitantibus, ac iis, qui Chriſtiana Doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti expoſitioni, cum oratione quadraginta horarum interſunt, neque Stationum Urbis, & ſeptem Altarium Indulgentias inſtar ſeptem Altarium Baſilicæ Vaticanæ conceſſas, neque demum quæ pro unica vice conceduntur. Ceterum ſi alia indulgentia, ſive plenaria, ſive non plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Chriſtifidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus Altare, ſeu Cappellam viſitantibus, eodem anni die, vel diverſo, conceſſa fuerit, de qua non fiat in litteris Apoſtolicis mentio, has litteras ob adjectam clauſulam eſſe prorſus irritas, & nullas.

1 In una Cameracen. die 23. Iunii 1676. approb. a Sanctiſſimo die 18. Martii 1677.

CAP. X.

Archiepiſcopus per ſuam Provinciam generales Indulgentias, Concilii ſtatutum non excedentes, concedere poteſt. Ideo Metropolita Cardinalis Archiepiſcopus centum Indulgentiæ dies concedit omnibus Chriſtifidelibus, qui ſingulis Sabbatis uſque ad aliud Provinciale Concilium Lauretanas Litanias in Provinciæ Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus recitabunt, orantes pro ſalutari Provincialis Concilii executione.

Honorii III. Conſtitutione, quæ incipit: *Noſtro* (1), certificatum fuit ab Archiepiſcopo per ſuam Provinciam generales remiſſionis litteras poſſe concedi; ita tamen, ut generalis Concilii (1) ſtatutum non excedat. Quare Metropolita (2) hujus Sanctæ Synodi Præſes dat, & concedit centum dies de vera Indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, vere pœnitentibus, qui Lauretanas Litanias in Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus ejuſdem Provinciæ ſingulis Sabbatis, uſque ad aliud Provinciale Concilium celebrabunt, ut Deus Optimus Maximus, B. Maria ſemper Virgine Dei Genitrice intercedente, quatenus Provincialis hujus Synodi decreta, ſalutari executione, ex qua ſuſcepti laboris, operiſque confecti fructus pendet, demandentur, benigniſſime concedat.

1 Cap. penult. de pœnit. & remiſs.

1 Cap. cum ex eo eod. tit.

2 Cer. Epiſc. lib. 1. cap. 25. §. Reliquū etc.

NO-

NOTA.

Licet in cap. Cum ex eo de Pœnit. & Remiſ. *decernatur, ut cum ab Epiſcopis dedicatur Baſilica, non extendatur indulgentia ultra annum, ac deinde in anniverſario, & pro quibuslibet aliis caſibus quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat: tamen Stephano Archiepiſcopo XXVII. Patriarchæ Conſtantinopolitano indultum eſt a Clemente PP. VI. an. 1347. ut quoties ſolemniter celebraverit tam in Civitate, & Diœceſi, quam in Provincia centum indulgentiæ dies valeat relaxare, prout ex indulto tenoris, qui ſequitur.*

CLEMENS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.
Venerabili Fratri Stephano Archiepiſcopo Beneventano
ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EXimiæ tuæ devotionis ſinceritas exigit, ut illa tibi liberaliter concedamus, per quæ tuarum Civitatis, & Diœceſis, ac Provinciæ Beneventanæ incolis in ſpiritualibus largitione munerum te reddere valeas gratioſum. Hinc eſt, quod tuis ſupplicationibus inclinati, ut quotieſcumque in tua Benevent., vel aliis tuarum Civitatis, & Diœceſis, ac Provinciæ prædictarum Eccleſiis ſacra Miſſarum myſteria te contigerit ſolemniter celebrare, poſſis auctoritate Apoſtolica, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis ibidem præſentibus centum dies de injunctis eis pœnitentiis relaxare, fraternitati tuæ tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo, &c. noſtræ conceſſionis infringere, &c. Datum Avinion. V. Kal. Novembris Anno VI.

Loco ✠ ſigilli.

TIT. LV.

De ſententia Excommunicationis.

CAP. I.

Excommunicationis ſententia ab uno ex Comprovincialibus canonice lata, ab aliis in Provincia ſervetur.

AD perverſorum malitiam coercendam ſacris Canonibus inſtitutum, ut excommunicationis ſententiam, quam unus Epiſcopus duxerit in ſubditos ſuos canonice promulgandam, alii quoque Epiſcopi ſervent, & a ſuis ſubditis faciant inviolabiliter obſervari (1). Hanc uſque a primitiva Eccleſia traditam diſciplinam, in Provincia quoque noſtra religioſiſſime tenendam S. Synodus mandat, ut in ea, & concordia fratrum non deſideretur, & perverſi, ſicut Ethnici, & Publicani a cunctis rejecti, tandem aliquando reſipiſcant.

1. Can. Si quis xi. q. 3. Can. cum Can ſervetur. Ibidem cap. ad reprimendum de offic. Judicis ordinar. Pontific. Rom de ord. excommunicandi rubr. Quo facto, verſ. deinde epiſtola.

CAP. II.

Communicantes cum excommunicatis publice denunciatis, vel publicis Clericorum percuſſoribus, ſi moniti non deſiſtant, opportunis juris remediis coerceantur.

SAnctorum Apoſtolorum regula eſt, ne fideles cum excommunicatis communicent, ne cum eis communem excommunicationis contrahant pœnam (2). Quem Eccleſiaſticæ nervum diſciplinæ Sancta Synodus in noſtra Provincia contemni magis, quam formidari conſiderans, mandat Ordinariis, quod ſi comperẽrint, ſubditos, extra caſus a jure permiſſos, cum excommunicatis publice denunciatis, vel publicis Clericorum percuſſoribus communicare, illos, ut a tali communione abſtineant, canonice moneant. Qui ſi hujuſmodi monitionibus non obtemperaverint, juxta terminos conſtitutionis Innocentii IV. (3) quæ incipit: *Statuimus*, Lugdunen. Concilio promulgatæ, opportunis remediis compeſcantur.

2. Can. ſicut Apoſt. 11. q. 3.

3. Cap. ſtatuimus de ſentent. excommunic. in 6.

CAP. III.

Citandi ad dicendam cauſſam, quare, &c. ſi deliteſcant, vel Curſores perſequantur, vel acceſſum reddant difficilem, ita ut perſonaliter citari nequeant, ſufficit, ut citentur bis, vel domi, vel in Eccleſiæ valvis per edictum.

QUia nonnulli poſt patratum ſcelus, cujus cauſſa excommunicationis ſententia coercendi eſſent, deliteſcunt, vel Eccleſiaſticæ Curiæ curſores perſequuntur, ita ut illos perſonaliter citare difficillimum reddatur, ſtatuit S. Synodus, juxta laudabiles aliarum Regni noſtri Curiarum conſtitutiones, ut qui citari perſonaliter nequeunt, ſufficiat, ut citentur bis, vel domi, vel in Eccleſiæ valvis per Edictum (1), quatenus vel excommunicari, vel excommunicati declarari valide poſſint.

1 Clem. 1. de judiciis. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 3.

Submiſſio omnium Sanctæ Apoſtolicæ Sedi.

OMnia, & ſingula in hac Sacra Synodo ſtatuta, decreta, atque acta, qua decet, obedientia, & reverentia, auctoritati, correctioni, & judicio S. R. E. omnium Eccleſiarum Matris, & Magiſtræ, ſemper emendanda, ac corrigenda ſubjicimus.

Ego Fr. Vincentius Maria Ordinis Prædicatorum Cardinalis Archiepiſcopus Metropolita de conſenſu, & aſſenſu

Reverendiſſimorum DD. Coepiſcoporum meorum definiens ſubſcripſi.

Ego Fr. Cœleſtinus Labonia Ord. Eremit. Diſcalc. S. Auguſtini Epiſcopus Montis-Marani conſentiens ſubſcripſi.

Ego Antonius de Sangro Cleric. Regul, Epiſcopus Trojanus eligens, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Joſeph de Lezara Cleric. Regul. Minorum Epiſcopus Alliphanus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Carolus Felix de Matta Epiſcopus S. Severi, Civitaten. & Dragonien. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Joannes Baptiſta Epiſcopus Theleſinus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Angelus Ceraſo Epiſcopus Bovinen. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Antonius Punzi Epiſcopus Aſculanus, & Herdonien. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Antonius Giannonus Epiſcopus Bujanen. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Joſeph Catalani Epiſcopus Larinen. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Dominicus Morellus Epiſcopus Lucerinus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Fr. Joannes Epiſcopus Arianenſis ex Ordine Carmelitarum conſentiens ſubſcripſi.

Ego Michael Epiſcopus Thermulanus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Fabritius Epiſcopus Guardien. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Pompejus Epiſcopus Vigilien. ad votum deciſivum a Sac. Conc. admiſſus, & etiam vice Metropolitani Capituli Abbatis Oppidi S. Lupi nullius conſentiens ſubſcripſi.

Ego D. Tiberius Majorinus Abbas Generalis Congreg. Montis Virginis Ord. S. Benedicti, & Ordinarius Juriſdict. ejuſdem Sac. Montis nullius Provinciæ Beneventanæ eligens, conſentiens ſubſcripſi.

Ego D. Donatus Antonius Clavelli Vic. Gen. & Ordin. Terræ Alberonæ pro Sac. Relig. Hieroſol. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Jacobus Antonius de Antonellis Primicerius Cathedralis Eccleſiæ S. Agathæ Gothorum Procurator ſpecialis Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Jacobi Circi Epiſcopi S. Agathæ Gothorum, *ejus nomine interſui, & ſubſcripſi, & omnia, & ſingula in hac S. Synodo acta, decreta, edita, & promulgata, ejus, & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.*

Ego Horatius Memolus Canonicus Cathedr. Arianen. Procurator ſpecialis Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Lucæ Tisbiæ Cler. Reg. Minorum Epiſcopi Trivicani, *ejus nomine interſui, & ſubſcripſi, & omnia, & ſingula in hac S. Synodo acta, decreta, edita, & promulgata, ejus, & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.*

Ego Antonius Mariella Archipresbyter, & prima Dignitas Eccleſiæ S. Bartholomæi in Galdo, Procurator ſpecialis Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Dominici Surrentini Epiſcopi Vulturarien. & Montis-Corbini, *ejus nomine interſui, & ſubſcripſi, & omnia, & ſingula in hac S. Synodo acta, decreta, edita, & promulgata, ejus, & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.*

Ego Marcus Canonico Presbyter Terræ Montisfortis Procurator ſpecialis Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Franciſci Scanegata Epiſcopi Abellinenſis, & Frequentini, *ejus nomine interſui, & ſubſcripſi, & omnia, & ſingula in hac S. Synodo acta, decreta, edita, & promulgata, ejus, & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.*

In quorum fidem
Ego Jacobus Foderus Proton. Apoſtolicus
S. Synodi Secretarius ſubſcripſi.



In Dei nomine. Amen.

P*Reſenti hoc publico inſtrumento cunctis ubique pateat evidenter, & notum ſit, qualiter in prima ſeſſione habita in Eccleſia Metropolitana die Sabbati undecima currentis menſis Aprilis milleſimo ſexconteſimo nonageſimo tertio de mane poſt Miſſam Pontificalem decantatam ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo in Chriſto Patre, & Domino D. Fr. Vincentio Maria Ordinis Prædicatorum miſeratione Divina Tit. Sancti Sixti S.R.E. Presbytero Cardinali Urſino, S. Beneventanæ Eccleſiæ Archiepiſcopo Metropolita, & ceteras preces in libro Pontificalis Romani præſcriptas, ſermonemque habitum in ambone ab eodem Eminentiſſimo Metropolita, fuerunt publicata per Secretarium M. R. P. Jacobum Foderum Protonotarium Apoſtolicum ex altero ambone prima decreta uſque ad illud*: De ratione vivendi in Synodo *incluſive*: *In ſecunda vero ſeſſione celebrata die Lunæ decima tertia ejuſdem menſis Aprilis 1693. pariter de mane poſt ſacrum pontificaliter ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino P. Fr. Cæleſtino de Labonia Ordinis Eremit. S. Auguſtini Epiſcopo Montis-Marani perſolutum, aliaſque preces in eodem libro Pontif. Romani deſcriptas, ac ſermonem habitum in ambone ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Carolo Felice de Matta S. Severi Epiſcopo, per præfatum D. Secretarium promulgatæ fuerunt S. Synodi Provincialis conſtitutiones uſque ad Tit.* 22. Ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur, *etiam incluſive; In tertia vero ſeſſione habita die Jovis decimaſexta ejuſdem menſis Aprilis 1693. itidem de mane, perſolutis Miſſa Pontificali, de more celebrata ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino P. Fr. Joanne Bonilla, y Soria Ordinis Carmelitarum Epiſcopo Arianen., ceteriſque precibus ſtatis in ſupradicto libro Pontif. Romani, habitoque pariter ſermone in ſolito ambone ab Illuſtriſſ. & Reverendiſſimo D. Joſepho Catalano Epiſcopo Larinen. proſecutus eſt idem Dominus Secretarius promulgationem omnium reliquarum Synodalium conſtitutionum ſubſequentium uſque ad Tit. LV.* De ſententia excommunicationis, & *decretum* Submiſſionis Sanctæ Apoſtolicæ Sedi *pariter incluſive*, & *in eadem tertia ſeſſione continuata eadem die decimaſexta ejuſdem menſis Aprilis 1693. poſt Veſperas latum fuit decretum* de ſubſcribendo; & *demum ſupradictæ omnes, & ſingulæ conſtitutiones in præſenti Sancta Synodo Provinciali contentæ, celebratæ, promulgatæ, lectæ, latæ, & geſtæ, ac in noſtrum præſentia ſubſcriptæ in cornu Evangelii Aræ maximæ fuere a præfato Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Archiepiſcopo Metropolita, omnibuſque Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Patribus Coepiſcopis, ceteriſque Prælatis Ordinariis aſſiſtentibus in S. Metropolitana Eccleſia coram Metropolitano Capitulo, Collegiis, atque Cleris Urbano, & Foraneo, & deinde a Procuratoribus quatuor Dominorum Epiſcoporum abſentium. Clauſa eſt ſeſſio oratione gratulatoria, habita ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſ. Domino Pompejo Sarnellio Epiſcopo Vigilien. ſuper quibus omnibus, & ſingulis petitum fuit a nobis Notariis publicis infraſcriptis, ut unum, vel plura publicum, ſeu publica conficere, atque tradere deberemus Inſtrumentum, & Inſtrumenta, prout opus fuerit, & requiſiti erimus.*

Actum, ut ſupra, in Civitatis Beneventanæ Eccleſia Metropolitana prædicta hac præſenti die decimaſexta menſis Aprilis milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio, Indictione prima, præſentibus, audientibus, intelligentibus, & inſpicientibus Ven. Presbyteris Januario Colle, Dominico Traſente, Dominico de Auguſtino, ac Joanne Baptiſta Pauella Beneventanis teſtibus ad hæc ſpecialiter vocatis, habitis, atque rogatis.

Unde nos in præmiſſorum fidē de prædictis omnibus rogati, & requiſiti hic ſubſcripſimus, & conſuetis ſignis ſignavimus.

Ita eſt. Paduanus Sanctorius Inſignis Collegii Sancti Spiritus Canonicus publicus Apoſtolica auctoritate Notarius.

Locus ✠ ſigni.

Ita eſt. Martius Lizza Sac. Baſilicæ Divi Bartholomæi Apoſtoli Canonicus, publicus Apoſtolica auctoritate Notarius.

Locus ✠ ſigni.

Ita eſt. Joſeph de Pompejo Beneventanus publicus Apoſtolica auctoritate Not.

Locus ✠ ſigni.

CATALOGUS THEOLOGORUM

Pro cauſſis, & materiis Synodalibus deſtinatorum.

Adm. Rev. Patres.

Pater D. Julius Lucenti Abbas Ord. Ciſterc. Sac. Theol. Prof.
D. Carolus Corradus S.T.D. Prot. Apoſt. Can. Lucerinus.
P. Nicolaus Squillante Cong. Oratorii.
P. Fr. Jo: Michael de Cavaleriis Ordinis Prædic. S. T. M. Viſit. Gen.
P. Fr. Elzearius ab Ariano Provincialis Prov. S. Angeli Ord. Min. Reform. S. Franciſci de Obſervantia.
P. Fr. Anſelmus Sabbatinus S.T.M. Prov. Ord. Min. Conv. S. Franciſci.
P. Fr. Albertus Annubba S. T. M. Provinc. Ord. Carm.
P. Fr. Chryſoſtomus Movizzus S. T. Lector Jubilatus Ord. Minimorum S. Franciſci de Paula, Theol. Illuſtriſſ. Epiſc. Trojani.
P. Michael Angelus Rogerius Soc. Jeſu.

CATALOGUS DECRETALISTARUM

Pro cauſſis, & materiis Synodalibus deſtinatorum.

M. R. D. Joannes Sabbatus Cecerus U.J.D. Prot. Apoſt. Vic. Gen.
Perill. & Adm. Rev. D. Joannes de Nicaſtro U. J. D. Prot. Apoſt. S. Metrop. Eccleſiæ Primicerius primus, Emin. Archiep. Auditor.
M. R. D. Thomas Antonius Cepolla U.J.D. Prot. Apoſt. Abbas Colleg. Eccl. Oppidi Paduli Fiſci Patronus.
Adm. Rev. D. Dominicus Brencola J.U.D. Prot. Apoſt. Archidiaconus, & Vic. Gen. Larinen.
M.R.D. Tiberius Proſperus J.U.D. Prot. Apoſt. Vic. Gen. Alliphan.
M. R. D. Joſeph Imperatrix J.U.D. Prot. Apoſt. Vic. Gen. Thelein.
Adm. Rev. D. Joannes Probus J. U. D. Archidiac. Trojanus.
M. R. D. Vincentius Intonti J.U.D. Primicerius Arianeñ.
M.R.D. Michael Angelus Carrara J.U.D. Cantor, & Vic. Gen. Aſculanus.
Rev. D. Joſeph Morellus J. U. D. Canonicus Lucerinus.
Rev. D. Franciſcus Ciardi J.U.D. Abbas S. Petri Eccleſiæ Collegiatæ Arianen.
Rev. D. Hieronymus Calvaneſius J.U.D. Primicerius Eccleſiæ Colleg. Fogiæ Trojanæ Diœceſis.
Cl. D. Nicolaus Intonti U.J.D. Arianen.
D. Franciſcus Comes Schinoſi U. J. D. Coadvocatus Fiſc. Patritius Benevent. ac Conſult. in cauſſis S. Officii.

APPENDICE

AL CONCILIO PROVINCIALE

Della S. Chieſa Metropolitana di Benevento.

Dell' Anno 1693.

I.

EDITTO SINODALE

Per facilitare il metodo di ben inſegnare la Dottrina Criſtiana in eſecuzione del Concilio Provinciale.

Citato nel Tit. I. Cap. V.

FR. VINCENZO MARIA dell' Ordine de' Predicatori, per Divina Miſericordia del Titolo di S. Siſto della S. R. C. Prete Cardinale Orſini, della S. Chieſa di Benevento Arciveſcovo Metropolita.

Introduzione. NOn baſta dare il latte, quando il modo di porgerlo ſia così diſadatto, che non ne riceva il lattante il deſiderato nutrimento. Tal difetto habbiamo ſcoverto con molto noſtro rammarico nell' inſtruzione, che ſi fà della Dottrina Criſtiana a fanciulli; imperocche, ſe bene i noſtri Parrochi della noſtra Provincia non mancano ſoſtanzialmente di ſomminiſtrare il latte della Criſtiana pietà, coll'ammaeſtrargli nella medeſima Dottrina, però alcuni lo fanno con modo così confuſo, ed inetto, che ſono cagione a' figliuoli, che o non l'apprendano bene, o almeno indigeſtamente, e con difficoltà. Onde per ovviare a queſto diſordine di non poco momento, habbiamo ſtimato neceſſario di preſcrivere in queſto noſtro Editto il metodo facile, e chiaro, col quale dovraſſi in avvenire nella medeſima noſtra Provincia inſegnare la Dottrina Criſtiana.

1 Ne' giorni di feſta ſtabiliti dal noſtro Concilio il dopo pranzo, oltre al ſolito ſegno della campana della Chieſa, ſubito ſi manderà uno, o due figliuoli de' più diligenti, e divoti, ſecondo la grandezza della Parrocchia (ed in loro mancanza il Cherico Parrochiano) che col campanello vadano per le ſtrade dicendo: *Padri, e Madri mandate i voſtri figliuoli alla Dottrina Criſtiana, altrimenti ne renderete ſtretto conto a Dio.* *Si manderà uno, o due figliuoli co'l campanello per la Parrocchia.*

2 Si eleggeranno due perſone adulte delle più zelanti, e caritative, col titolo di *Peſcatori*, che tenendo le bacchette in mano, vadano con piacevolezza ragunando i Parrocchiani alla Dottrina, a' quali concediamo 20. *giorni d'Indulgenza* nella conſueta forma della Chieſa ogni qualvolta faranno queſta opera di pietà, eſortando a queſto eſercizio così tanto le perſone più nobili, e coſpicue de' luoghi, acciocche più facilmente s'inducano gli altri ad intervenirvi. Ed in mancanza de' Laici ſuppliranno i Cherici, e Preti della Parrocchia, e ſarà uffizio di queſti ſteſſi il fare, che i figliuoli nel tempo dell'eſercizio ſtiano colla dovuta modeſtia, e ſenza ſtrepito in Chieſa. *Peſcatori, che raguneranno i Parrocchiani alla Dottrina, ed Indulgenza, che ſi concede a chi farà queſto uffizio.*

3 Si divideranno più claſſi ſecondo il numero, e capacità de' Parrocchiani, che ſono obbligati ad intervenire alla Dottrina, facendo, che per ogni Claſſe ſiano otto, o dieci al più, diſtribuiti in modo di circolo, & ad ogni claſſe preſederà col titolo di *Maeſtro* un Sacerdote, o un Cherico, o altra perſona delle più intendenti, e più pratiche nella Dottrina Criſtiana; adoperandoſi de' figliuoli medeſimi; deputando per *Maeſtro* quello della Claſſe Quarta alla Claſſe Terza, quello della Terza alla Seconda, e così delle altre. *I figliuoli ſi divideranno in Claſſi, ed in che maniera?*

4 Si procuri, che ſiano le Claſſi almeno quattro per gli figliuoli, e quattro per le figliuole: nella I. delle quali ſi aſſegneranno per iſcolari i principianti, e s'inſegnerà la Dottrina piccola del Bellarmino *Quante debbano eſſere le Claſſi, e chi per claſcheduna di eſſe debba aſſegnarſi?*

dal

dal §. *Sete voi Criſtiano?* ſino alla dichiarazione del *Credo*. Nella II. Claſſe dalla dichiarazione del *Credo*, fino alli *Comandamenti di Dio*. Nella III. dalli *Comandamenti di Dio* fino alle *Virtù Teologali*, *e Cardinali*. Nella IV. dalle *Virtù Teologali*, *e Cardinali* ſino al fine. Eſſendovi poi moltiplicità di Parrocchiani da inſtruirſi, ſi moltiplicheranno le Claſſi, ſuddividendole ſecondo il biſogno.

Ogni Claſſe dovrà havere affiſſo il ſuo cartellone su'l luogo aſſegnato.

5 Si faranno tanti cartelloni, quante ſono le Claſſi, ne' quali ſcriveraſſi con lettere majuſcole, Classe Prima, Classe Seconda, Classe Terza, &c. e diſtribuiti proporzionalmente i luoghi, ſi affiggeranno ſopra i medeſimi cartelloni, acciocche ogn' uno ſappia la ſua Claſſe. Ed inoltre in un libretto ſi noteranno tutti quelli, che ſi ſtimeranno atti per la tale, e tale Claſſe. Nè ſi faranno paſſare da una Claſſe all' altra ſuperiore, ſe non quelli, che col parere de' Maeſtri ſi ſaranno beniſſimo impratichiti delle coſe, che s'inſegnano nella Claſſe inferiore.

Libretto per notare gli atti per ciaſcheduna Claſſe. Non ſi dovrà paſſare da una Claſſe ad un'altra ſuperiore, ſe non da i già inſtruiti.

6 Gli Arcipreti, Parrochi, Rettori, o Vicarj Curati riſpettivamente dovranno aſſiſtere, diriggere, e regolare tutte queſte diſpoſizioni. Ed acciocche rieſcano co'l dovuto ordine, decoro, e con frutto, dovranno con gran vigilanza eſſere tutti in tutto, e tutti in ciaſcheduna delle ſuddette Claſſi; e procureranno havere chi loro coadjuvi; ed avviſeranno i loro Veſcovi, ſe i Cherici, o i Preti ſaranno negligenti: e ſe taceranno, la colpa ſi roveſcierà a loro danno.

Aſſiſtenza degli Arcipreti, e Parrochi.

Debito loro di avviſare i mancanti. Età di quelli, che dovranno intervenire alla Dottrina.

7 Gli obbligati ad intervenire alla Dottrina Criſtiana ſaranno i maſchi dalli ſette anni ſino alli quattordici, e le femmine dalli ſette ſino alli dodici; e ſe i Parrochi ſaranno indulgenti, la colpa ſi roveſcierà a loro proprio delitto.

Gli adulti non iſtrutti nella Dottrina debbono anche intervenire. Loro pena, ſe no'l faranno.

8 Quando vi foſſero però huomini adulti, che non ſapeſſero bene le coſe neceſſarie della Dottrina Criſtiana, intendiamo ſotto pena dell' *interdetto dall'ingreſſo della Chieſa*, che reſtino aſtretti ad intervenirvi, ed i Rettori Curati gli collocheranno in quella Claſſe, nella quale parerà loro, che ſia neceſſario. Se però vi fuſſero femmine adulte, ſi dovranno inſtruire da altre donne pratiche in un luogo appartato in Chieſa. Anzi eſortiamo tutti, tanto huomini, quanto femmine ad intervenire alla Chieſa nel tempo di queſto eſercizio; con avvertenza però, che le donne adulte ſi facciano ſtare in un luogo diſtinto della Chieſa, ſeparate totalmente dagli huomini, concedendo 20. *giorni d'Indulgenza* a quelli, che interverranno, e 40. a quelli, che inſegneranno.

Le donne adulte da chi debbano eſſere inſegnate?

Indulgenza a chi interviene, ed a chi inſegna.

Quanto tempo durerà l'eſercizio?

9 L'eſercizio dell' inſegnare dovrà durare mezza hora, e perciò ciaſcheduno Parroco dovrà provvederſi di un' horologio da polvere per ſuo regolamento; e terminata, che ſarà la mezza hora d'inſtruzione, ſi porranno i figliuoli di ciaſcuna Claſse non più in circolo, ma una parte in faccia all' altra, e ſi farà per un' altra mezza hora la diſputa, la quale conſiſterà in fare, che un figliuolo interroghi l'altro, e fallando ſia corretto da' compagni più pratici della medeſima Claſse.

Diſputa da farſi, ed in che conſiſta?

In che modo debba farſi la Dottrina, ed in che maniera dovrà inſegnarſi a tutti?

10 Finita poi, che ſarà eziandio la diſputa, ſi farà la Dottrina Criſtiana giuſta il ſolito, cantandoſi da due per *fare* poſatamente, riſpondendo tutti i Parrocchiani, che ſono inſieme in Chieſa.

1 Il Credo.)
2 L'Orazione Domenicale.)
3 La Salutazione Angelica.)
4 I Precetti del Decalogo.) *in volgare.*
5 I Precetti della Chieſa.)
6 I ſette Sagramenti.)
7 L'Atto di Contrizione.)

11 Per ultimo ſi reciteranno le Litanie della Beata Vergine coll' orazione poſta in fine della Dottrina del Bellarmino, ſiccome ſi dovranno recitare le ſolite orazioni preſcritte dal medeſimo, eziandio avanti di cominciare gli eſercizj.

Come ſi terminerà tutto l'eſercizio.

Pubblicazione di queſto Editto, e pene a' traſgreſſori.

12 Ed acciocche queſto noſtro Editto ſia noto a tutti, ordiniamo a' Parrochi, e Curati della noſtra Provincia, che lo pubblichino tra la Meſſa parrocchiale ne' primi trè dì feſtivi dopo la ricevuta di queſto, e di più due volte l'anno nella prima Domenica del meſe di Gennajo, e nella Domenica *in Albis*, e per ogni volta, che i Parrochi ne traſgrediranno l'oſſervanza, o in tutto, o in parte, ſaranno corretti, e puniti ad arbitrio de' loro Veſcovi; ed altresì gli altri Cherici, che deſtinati da' Parrochi ricuſeranno, o ſaranno mancanti nel far l'uffizio da Maeſtro. Ed il preſente affiſſo ne' luoghi ſoliti vaglia, come ſe a tutti, ed a ciaſcheduno foſſe ſtato perſonalmente intimato, e notificato. Dato in Benevento nella noſtra Chieſa Metropolitana nella prima Seſſione Sinodale a gli xi. Aprile 1693.

Fr. Vinc. Maria Card. Arciv. Metrop.

G. Fodero Segretario del Sinodo.

II.

Lettera della Sagra Congregazione dell'Immunità.

Con cui ſi commette all'Eminentiſs. Arciveſcovo di Benevento, che non ſolo come Metropolita, ma anche come Delegato della Sagra Congregazione invigili, che i Baroni della Provincia non s'intromettano nel doverſi i ſudditi chericare.

Citata nel Tit. VI. cap. 7.

Foris. All'Eminentiſs. e Reverendiſs. Sig. mio oſservandiſs. Il Sig. Cardinal Orſini Arciveſc. di Benevento.

Intus. Eminentiſs. e Reverendiſsimo Sig. mio oſservandiſs.

E' pervenuto alla notizia di queſta Sagra Congregazione dell' Immunità Eccleſiaſtica, come molti Baroni di coteſta Provincia di Benevento ſi ſono avvanzati a proibire a' loro vaſsalli l'iniziarſi di prima tonſura, ſe prima non ottengono da eſſi un' eſpreſſa licenza, con darla poi a chi, e quando loro piace; e ſe tal volta alcuno de' vaſsalli paſsa ad ordinarſi ſenza pigliarne la preteſa licenza, non laſciano li medeſimi Baroni di gaſtigare, e perſeguitare li parenti degli ordinati; ma perche queſte procediture de' Baroni ſono contrarie alla libertà, e giuriſdizione Eccleſiaſtica, che viene violata direttamente tanto con la proibizione ſuddetta, quanto con la preteſa licenza; ed indirettamente con la perſecuzione, che ſi fa de' parenti. Per tanto queſti Eminentiſſimi miei Signori della medeſima Congregazione, conoſcendo il zelo ſingolare dell' E. V. ſono ſtati di ſentimento di commettere, come fanno, alla medeſima, acciocche non ſolo con l'autorità Metropolitana, ma ancora con quella della ſteſsa Sagra Congregazione, che ſe le comunica colla preſente, ſi compiaccia ordinare a' Veſcovi ſuoi ſuffraganei il dover' invigilare ad ovviare queſti pregiudizj nelle loro Dioceſi; e quando, ciò non oſtante, non ſi deſiſta da' ſuddetti procedimenti, debbano i Veſcovi valerſi delle vie Canoniche, per conſervare illeſa la libertà, e giuriſdizione Eccleſiaſtica. Mentre io con partecipare a V. E. queſti ſentimenti dell' EE. loro, le bacio humilmente le mani. Roma 2. Ottobre 1691. Di V. E. Humiliſs. ed affezionatiſs. Serv. G. Cardinal di Carpegna. *Gratis etiam quoad ſcripturam*, N. Grimaldi Secretario. Sig. Cardinale Arciveſcovo di Benevento.

III.

Lettera circolare della Sag. Congregazione del S. Officio.

Che non ſi laſci celebrare niun' eſtero, che ſi aſſeriſce Prete Secolare, o Regolare, ſenza la licenza della Corte Veſcovile, riconoſciute prima le lettere teſtimoniali degli Ordinarj, o de' Superiori.

Citata nel Tit. VIII. cap. 1.

Foris. All' Eminentiſs. e Reverendiſsimo Sig. mio oſſervandiſs. Il Sig. Card. Orſini Arciveſc. di Benevento.

Intus. Eminentiſs. e Reverendiſs. Sig. mio oſſervandiſs.

SE bene altre volte ſotto li 20. Febbrajo 1649. da queſta Sagra Congregazione del S. Ufficio, volendoſi al poſſibile ovviare al delitto di coloro, che vanno per Italia celebrando Meſſe, e tal' hora confeſſando, ancorche non ſiano promoſſi al Sacerdozio, fu con lettera ſimile di ordine del Papa ingiunto a tutti gli Ordinarii l'invigilarvi con opportuni ordini a i loro Vicarj Generali, e Foranei; nondimeno, perche ciò non oſtante, hora ſpeſſo per la traſcuraggine, come ſi è riconoſciuto, de' medeſimi Vicarj, e particolarmente de' Foranei delle Terre, e Caſtelli fuor di mano, e penurioſi di Sacerdoti, agevolmente ſi va commettendo sì enorme ſagrilegio, non uſando eſſi le dovute diligenze di farſi moſtrare, & eſaminare le dimiſſorie di coloro, che pretendono di celebrare, che tal' hora non le hanno, o ſe pure le hanno, ſon falſe; quindi è, che di nuovo, ad oggetto di ovviare a queſto delitto, la medeſima Sag. Congregazione ha ſtimato eſpediente di ſignificarlo, come fa, con queſta mia lettera a V. Em. affinche ſi degni dar' ordini preciſi al ſuo Vicario Generale, ed a' Foranei, che a' Preti, e Regolari foreſtieri non concedano licenza di celebrare, ſe prima non preſenteranno le lettere teſtimoniali del Sacerdozio de' proprj Ordinarj, e Superiori; e quelle ſiano tali, che non habbiano minima ombra di ſoſpetto di eſſere falſe, con imporre a' medeſimi Vicarj, in caſo di negligenza, o traſgreſſioni, pene particolari, anche corporali, ſopra di che la Sagr. Congreg. attende da V. E. l'avviſo dell' eſecuzione, e ricevuta della preſente, e bacio a V. E. humiliſſimamente le mani. Roma 26. Gennajo 1692. Di V. E. Humiliſsimo, e divotiſs. Serv. A. Card. Cybo. Benevento. Sig. Cardinale Arciveſcovo.

Let-

IV.

Lettera della Sag. Congregazione de' Riti.

Con cui ſi commette all'Arciveſcovo di Benevento, che invigili, e proceda anche come Delegato Appoſtolico per lo mantenimento dell' honore, e riverenza dovuta a' Veſcovi della ſua Provincia.

Citata nel Tit. XI. cap. 1.

Foris. Eminentiſs. & Reverendiſs. Domino Obſervandiſs. D. Cardinali Urſino Archiepiſcopo Beneventano.

Intus. Eminentiſs. & Reverendiſs. Dñe Obſervandiſs.

INnotuit Sacrorum Rituum Congregationi, quod nonnulli Epiſcopi ſuffraganei ipſius Beneventanæ Metropolis ſui ſtatus obliti, & contra Sacrorum Canonum, Apoſtolicarum Sanctionum, & Concilii præcipue Tridentini præcepta in ſeſſione XXV. cap. XVII. de Reform. tam indecenti ſubmiſſione cum Baronibus, & Regiis Miniſtris ſe gerant, ut in ſubſcriptionibus, & reliqua forma litterarum, in mutuis viſitationibus, omnique alio commercio habeant ſe, tanquam inferiores, & tam extra, quam intra Eccleſias cedant illis locum digniorem; Hæc, & alia his ſimilia cum Sacroſancto Concilio Tridentino Sac. Congregat. deteſtans, & probe noſcens Eccleſiaſticum zelum, quo flagrat Em. Veſtra, ex præcepto etiam SS. D. N. Innocentii XII. committit eidem, ut auctoritate non ſolum Metropolitica, ſed etiam Delegata ab hac Sancta Sede, præcipiat Suffraganeis ſuis, quod ab hujuſmodi in poſterum omnino ſe abſtineant. Mandet eiſdem, ut tam in Eccleſia, quam foris ſuum gradum, & ordinem præ oculis habentes, ubique Patres, Paſtores, & Magiſtros ſe eſſe meminerint, & omnia, quæ in Canonicis Sanctionibus, & in Sacrorum Rituum Congregationis Decretis ad Dignitatis Epiſcopalis decorem, & gravitatem pertinentia continentur, adamuſſim ſervent, & ſi opus fuerit, tam Barones, quam omnes alios Laicos, ut Epiſcopos paterno honore, ac debita reverentia proſequantur, ſerio admoneant. Ita exequi dignetur Em. Veſtra, cui manus humillime exoſculor. Romæ 29. Septembris 1691. Em. V. Reverendiſs. Humillimus, ac addictiſs. Servus A. Cardinalis Cybo. J. Vallemanus Sac. Rit. Congregat. Secretarius. Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Dño Cardinali Archiepiſcopo Beneventano.

V.

Catalogo delle ſcritture, che ſi devono conſervare nell' Archivio della Corte Veſcovile.

Citato nel Tit. XV. cap. 3.

Delle Scritture in ordine alle perſone Eccleſiaſtiche.

1 TUtte le Scritture, o atti intorno a' canonizazioni di perſone così Eccleſiaſtiche, come ſecolari. §. I.

Concilium Provinciale Beneventanum, poſt humillima pedum oſcula, æternam Sanctitati Veſtræ precatur ſalutem. Poſtquam de his, quæ ad ovium Nobis commiſſarum regimen ſpirituale pertinent, Paſtorali ſollicitudine actum pro viribus fuit, Sanctitati Veſtræ humiliter exponere decrevimus pro omnium noſtrum in generali conſolatione, ea, quæ in animarum noſtrarum inevitabile, & lacrimabile damnum cedere nedum experimur, ſed etiam magna animi noſtri ægritudine dolemus. Ea eſt Commiſſariorum R. Nuntiaturæ in morte Epiſcopi petulantia, ut vix infirmitas aggravetur, cum ad ſpolium taliter ſe indiſcrete accingunt, quod nec remedia corporali ſaluti neceſſaria applicari decenter ſinant, nec ea, quæ ad animæ procurationem pro religioſa morte agere debet Prælatus, Chriſtiana libertate exerceri permittant; in tantum, ut Epiſcopo morienti non Confeſſarius, qui adjuvet, ſed Commiſſarius, qui expoliet, non ſine populorum ſcandalo, aſſiſtere videatur: & hoc tam parvo Rev. Cameræ Apoſtolicæ proventu, ut omnia pretioſa, ſi quæ ſint, ſibi reſervari, & non in profectum ejuſdem Cameræ cedere quotidiana experientia compertum ſit. Qua de cauſſa ipſi Oratores ad hoc tam pernicioſum animarum ſuarum damnum evitandum ad Sanctitatis Veſtræ paternam clementiam recurrere decreverunt, ut dignetur eoſdem humiles Oratores ad dicti ſpolii compoſitionem admittere eo modo, & forma, quibus Capitula Cathedralium hujus Regni reperiuntur admiſſa, habita ratione redituum uniuſcujuſque Eccleſiæ ſupplicantium; quæ compoſitio cum certa deinde extiterit, omni fraude, & dolo carebit, & in evidentem R. Cameræ Apoſtolicæ utilitatem redundabit, ipſique Oratores, præcluſo ſcandalo prædicto ſic pernicioſo, Chriſtiana, & religioſa morte requieſcent, & dum vivunt, pro gratiarum actione inceſſanter Deum Optimum Maximum pro Sanctitatis Veſtræ incolumitate deprecabuntur.

Datum Beneventi die xvi. menſis Aprilis anno 1693.

Humiliſſimi, obſequentiſſimi, ac devotiſſimi filii, ac ſervi veſtri Archiepiſcopus, Epiſcopi, & alii Prælati inferiores ordinarii in Concilio Beneventano canonice congregati.

Fr. Vincen. Maria Card. Archiepisc. Præses, &c.

De mandato Sacri Concilii Provincialis Samnitium Provinciæ.

Jacobus Foderus Presb. a Secret. *Julianus Bovicellus Lector a Secretis.*

XX.

Conſtitutio Sanctiſſimi Domini Innocentii PP. XII. ſuper exemptione Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum inferiorum Regni Neapolis a ſpoliis & fructibus inconſumptis, & incommixtis ſuarum Eccleſiarum ad Cameram Apoſtolicam hactenus ſpectantibus, & deinceps in beneficium Eccleſiarum applicandis, & erogandis.

INNO-

INNOCENTIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

INſcrutabili æternæ Sapientiæ arcano univerſi Orbis Eccleſiis, meritis licet imparibus, præſidentes, vigilis more Paſtoris, in omnes agri Dominici partes mentis noſtræ oculos circumferimus, ut quidquid earumdem Eccleſiarum, illarumque Antiſtitum ſtatui, decori, commodis, tranquillitati, & neceſſitati convenire cenſemus, ad majorem Dei gloriam, ſollicitis, & beneficis ſtudiis promoveamus, prout rerum, locorum, & temporum circumſtantiis attente penſatis in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Hinc dum ad Regni Neapolis Metropolitanas, & alias Cathedrales Eccleſias, ut plurimum inopes, & exiguas, utpote inter ſe valde propinquas, & ad magnum numerum centum triginta quinque, comprehenſis invicem unitis, aſcendentes, quot in pluribus, ac etiam majoribus Regnis, & Dominiis non exiſtunt, convertimus noſtræ conſiderationis intuitum, non ſine gravi animi mœrore perpendimus, pleraſque earum Archiepiſcopales, & Epiſcopales, necnon aliquorum Præſulum inferiorum, ſeu Dignitatum quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, ſeu Ordinariorum jura habentium menſas, ob Diœceſum anguſtias, incolarum, & agricolarum deficientiam terræmotuum frequentiam, aliaſque temporum injurias dignitatis ſplendori neceſſariis, ſeu congruis carere reditibus, iſtoſque reſpectu aliquarum Menſarum hujuſmodi vix ad annuam ſummam ſcutorum ducentorum, vel aliam paulo majorem aſcendere; Et propterea præfatas Metropolitanas, & alias Cathedrales, ceteraſque dictorum Prælatorum inferiorum Eccleſias illa, quam Dei Domus expoſceret, majeſtate, & eleganti ſtructura, necnon decenti ſupellectile ſacra, neceſſariiſque reparationibus indigere, Miniſtrorum quoque Eccleſiaſticorum ſufficientiam, & idoneitatem ob hujuſmodi vel inopiam, vel non opulentiam deſiderari, piaque opera inibi in dies decreſcere, & alicubi defeciſſe. Unde etiam aures benignius, & attentius porreximus querimoniis nuper ad Nos pro parte Ven. Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ejuſdem Regni delatis de Spoliorum Subcollectoribus, quibus, tametſi per opportunas Sedis Apoſtolicæ, ejuſque Officialium proviſiones ſatis mandatum fuiſſe noſcatur, ut viventibus Præſulibus hujuſmodi a bonorum ex reditibus ſuarum Eccleſiarum, & multo magis aliunde per eos acquiſitorum ſequeſtratione, poſſeſſione, & occupatione prorſus abſtinerent; nihilominus aliqui ex iiſdem Subcollectoribus, ſuis facultatibus abutentes, nec pœnas, quibus in tranſgreſſores, ut par eſt, juſtitia mediante, animadverti non fuit prætermiſſum, reformidantes, quinimo ubi magis commiſeranda fuiſset inopia, vel anguſtia, moleſtias, & rigorem lucri gratia multiplicantes, ſub ſequeſtrationis, aſſecurationis, vel alio prætextu hujuſmodi, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Prælatos inferiores ægritudine preſſos, & in extremis etiam laborantes, commodo, uſu, & poſſeſſione bonorum præfatorum, vel aliquorum ex illis privare, ſeu aliter ipſos, ipſiſque inſervientes perturbare præſumpſerunt.

Cupientes propterea ejuſmodi malis opportunum adhibere remedium, ac decori, commodis, & indigentiis reſpective Eccleſiarum, & Antiſtitum hujuſmodi, iſtorumque in extremis, & ſic de ſumma rerum agentium, tremendumque Dei judicium mox ſubiturorum, quantum fieri poteſt, quieti, & tranquillitati in hac parte conſulere; Motu proprio, ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ab omni, & quocumque jure, quod ad Cameram noſtram Apoſtolicam ex antiquiſſima conſuetudine, & Conſtitutionibus Apoſtolicis hactenus ſpectaſſe dignoſcitur, percipiendi, exigendi, habendi, & aſſequendi omnes, ſingulas, & quaſcumque pecunias, res, effectus, jura, ſemoventia, & bona, etiam ſtabilia, cujuſcumque pretii, valoris, ſpeciei, qualitatis, & quantitatis exiſtant, per memoratos Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Prælatos inferiores dicti Regni, etiam ex Ordinibus Regularibus aſſumptos, ex reditibus, fructibus, & proventibus ſuarum Eccleſiarum quomodocumque vere, & proprie acquiſita, Spolia nuncupata, necnon fructus naturales a ſolo ſeparatos, & civiles tempore mortis perceptos, ſeu exactos ex reditibus præfatarum Eccleſiarum etiam inconſumptos, & incommixtos, non tamen pendentes, ſeu inexactos, ſpecialis dono gratiæ, perpetuis futuris temporibus dictos Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Prælatos inferiores Regni præfati omnino eximimus, & liberamus, ac exemptos, & liberatos eſſe, fore, & cenſeri volumus, & mandamus; Ad effectum tamen, & non alias, aliter, nec alio modo, ut præmiſſa omnia, & ſingula ad præfatas Metropolitanas, aliaſque Cathedrales, & reliquas, quibus memorati Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ſeu Prælati præſederint, illiſque non indigentibus, ad Parochiales Eccleſias eorum regimini commiſſas ſpectare, ac ad earumdem favorem, & in beneficium, ſeu utilitatem cedere, applicari, converti, ſeu erogari debeant. Præfatis tamen Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Præ-

& Prælatis, ut congruos uſus, applicationes, & erogationes præmiſſorum in beneficium, & utilitatem hujuſmodi Eccleſiarum, in quos, ſeu quas eadem præmiſſa applicanda, eroganda, ſeu expendenda eſſe cenſuerint, deſignare valeant, permittimus, indulgemus, & opportunam facultatem deſuper concedimus, & impartimur, ac ſuper præmiſſis omnibus etiam conſcientiam præfatorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum oneramus.

Quod ſi Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati prædicti ad hujuſmodi deſignationem, ſeu diſpoſitionem devenire noluerint, vel nequiverint, adhuc præmiſſa omnia, & ſingula ad dictas Eccleſias, ut præfertur, ſimiliter ſpectare, & ad favorem, ſeu in beneficium, uſum, & utilitatem earumdem Eccleſiarum, prudenti Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum hujuſmodi ſucceſſorum arbitrio, cum ſuorum Capitulorum ſcientia, & conſilio convertenda, & applicanda, & eroganda eſſe, & fore, omnino volumus, & mandamus.

Ad hæc Capitulis, & Canonicis dictarum Eccleſiarum, & aliis quibuſcumque inhibemus, ne viventes etiam ægrotantes, & in extremis conſtitutos Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Prælatos præfatos commodo, uſu, & poſſeſſione omnium præmiſſorum, vel aliquorum ex illis ſub ſequeſtrationis, aſſecurationis, vel alio prætextu privare, ſeu illos, illiſque inſervientes quoquo modo perturbare, ſeu moleſtare præſumant, ſed dumtaxat, poſtquam iidem Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati fuerint viam univerſæ carnis ingreſſi, memoratis Capitulis, eorumque Vicariis Capitularibus reſpective præmiſſorum inventarium rite, & fideliter conſcribendi, illaque interim aſſecurandi, Archiepiſcopis vero, Epiſcopis, & Prælatis præfatis ſucceſſoribus ſuper præmiſſis, prout de jure inquirendi, procedendi, judicandi, & exequendi, ac cum ſcientia, & conſilio ſuorum reſpective Capitulorum, ut præfertur, convertendi, applicandi, & erogandi, omnem, & quamcumque facultatem, juriſdictionem, & auctoritatem neceſſariam, & opportunam reſpective concedimus, & impartimur.

Propterea litteras Apoſtolicas fel. record. Pauli III. Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, tertio nonas Januarii, & Pii IV. die vigeſima Maii milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, ſi quæ ſunt, ſuper præmiſſis editas, etiam ſpeciali, & individua nota dignas, necnon omnes, & quaſcumque facultates, juriſdictiones, & auctoritates tam in genere, quam in ſpecie, dilecto filio moderno, ac pro tempore exiſtentibus in dicto Regno Sedis præfatæ Nunciis, & Collectoribus generalibus, illorum Subcollectoribus conceſſas in omnibus, & ſingulis, quæ præmiſſis adverſantur, moderamur, reformamus, & ad limites, ac formam præſentium reducimus, & pro moderatis, reformatis, & reductis haberi volumus, & decernimus, illis alias in ſuo robore permanſuris; ſicque & non aliter facultates, juriſdictiones, & auctoritates hujuſmodi in poſterum quomodocumque concedendas, obſervari, attendi, & exequi volumus, & mandamus; diſtrictius etiam inhibentes omnibus, & ſingulis nunc, & pro tempore in dicto Regno exiſtentibus Subcollectoribus, ſeu aliis Officialibus, & Miniſtris, ne ſub indignationis noſtræ, privationis officiorum, aliiſque gravibus arbitrariis pœnis audeant quoquo modo, ſeu in aliqua parte præſentibus contravenire.

Per præſentes tamen non intendimus recol. mem. Romanorum Pontificum pariter Prædeceſſorum noſtrorum Pii V. ſuper rebus ſacris, vaſibus, ornamentis, & paramentis Eccleſiaſticis, ad Eccleſias, quibus defuncti præſederant, ſpectantibus, tertio Kal. Septembris anno ejuſdem Incarnationis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Julii III. die 26. Junii anno Incarnationis præfatæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo cum illius declarationibus, Sixti V. die 1. Januarii anni milleſimi quingenteſimi octogeſimi noni, & Urbani VIII. die 5. Aprilis anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi octavi ſuper fructibus Eccleſiarum tempore mortis Archiepiſcoporum, ſeu Epiſcoporum, vel aliorum pendentibus, vel inexactis, necnon præfatorum Pii IV. die 25. Aprilis anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi primi, & Sixti V. Kal. Februarii anno prædictæ Incarnationis milleſimo quingenteſimo nonageſimo, ſuper dictarum Eccleſiarum fructibus pro tempore, quo illarum Sedes vacaverint, aliaſque, ſi quæ ſint, ſuper his editas litteras Apoſtolicas, harum omnium, & ſingularum tenores circa præmiſſa pro expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, in aliquo immutare, infringere, ſeu revocare, ſed eadem in ſuo robore, & ſtatu quoad hæc ſalvas, illæſas, & illibatas adhuc permanere declaramus, volumus, atque ſancimus.

Decernentes eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod omnes, & ſinguli ſupradicti, ac alii quicumque in præmiſſis quomodolibet jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, ſeu alias ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni exiſtant,

iiſdem

iiſdem præmiſſis non conſenſerint, nec ad ea vocati, ſeu auditi fuerint, tametſi ſuorum indultorum, vel privilegiorum vigore conſentire, ſeu vocari, & audiri ſemel, vel pluries quoquo modo debuiſſent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, ullo unquam tempore de ſurreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, alioque quolibet etiam quantumvis magno, ac formali, & ſubſtantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus poſſe, ſed eaſdem præſentes litteras ſemper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari. Sicque & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, S. R. E. Camerarium, & Cardinales etiam de Latere Legatos, necnon Cameræ præfatæ Theſaurarium Generalem, & Præſidentes Clericos, præfatumque in digno Regno Nuncium, & Collectorem, alioſque quoſcumque qualibet auctoritate, præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, & quatenus opus ſit de jure quæſito non tollendo, aliiſque noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, & piæ mem. Symmaci, Pauli II., Pauli IV., aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, & alienatis recuperandis, ac præfati Pii IV. de gratiis qualecumque intereſſe dictæ Cameræ concernentibus intra certum inibi expreſſum tempus exhibendis, & regiſtrandis, itaut eaſdem præſentes litteras ibidem exhiberi, & regiſtrari nunquam neceſſe ſit, aliiſque quibuſcumque Apoſtolicis, & in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Eccleſiarum præfatarum, ac Nunciaturæ Neapolis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, decretis, uſibus, ſtilis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, ac litteris Apoſtolicis ſub quibuſvis tenoribus, & formis, cum quibuſcumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, & irritantibus, aliiſque decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac etiam pluries confirmatis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & inſererentur, iiſdem præſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum harum ſerie ſpecialiter, expreſſe, pleniſſime, & ampliſſime derogamus, & derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum exemptionis, liberationis, voluntatum, mandatorum, permiſſionis, indulti, conceſſionum, onerationis, moderationis, reformationis, reductionis, decreti, inhibitionis, declarationis, ſanctionis, & derogationis infringere, ſeu ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio, tertio Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno tertio.

B. Card. Prodatarius. I. F. Card. Albanus.

Viſa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno

Anno a Nativitate Domini Noſtri Jesu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quarto, Indictione ſecunda, die vero ultima Januarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Innocentii Divina Providentia Papæ XII. Anno tertio, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Eccleſiæ Sancti Joannis Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Marcum Aurelium Pelicciam ejuſdem Sanctiſs. Domini Noſtri Papæ Curſorem.

Thomas Orlandus Curſ. Magiſter.

XXI.

Donarii Exemplar INNOCENTIO XII. DICATI PRO ADEMPTIS SPOLIIS.

Neapolitani Regni
Sublimia Templorum tecta æternum quatiat Alleluja.
Ne deinceps nuda ſint, paſtorum ſpoliis ditavit
INNOCENTIUS XII. PONT. OPT. MAX.
Inſtante Provinciali Beneventano Concilio
Celebrato
Menſe Aprili Anno MDCXCIII.
Divino certe conſilio factum!
Pſeudo Clemens VII. bis adinventis ſpoliis
Urbanum VI. Neapolitanum Pont. Maximum
Spoliare niſus eſt.
Innocentius XII. Neapolitanus, ſpoliorum abolitione
Concivis memoriam, & nationalium Eccleſiarum inopiam
Decore veſtivit.
Tanto Hierarchæ beneficentiſſimo
Hoc in marmore
Novum trophæi genus
Non ex ademptis, ſed ex remiſſis ſpoliis
Fr. Vincemtius Maria Ordinis Prædicatorum
Cardinalis Urſinus Metropolita,
Ac ceteri duodeviginti
Samnitium Provinciæ Pontifices
Erexerunt.
Anno ab Orbe Redempto MDCXCIV.

XXII.

CATALOGO DE' PADRI
Del Concilio Provinciale Beneventano dell'Anno MDCXCIII.

Chiama a Concilio i Padri il Primo (1) *Orſino*,
Seguita *Labonia* (2) Monte-marano,
Sangro (3) eliggente Veſcovo Trojano
Siede d'Aliſe a *Lazara* (4) vicino.

Matta (5) di San Severo ha'l Teleſino
Seco *de' Belli* (6) e *Punzi* (7) l'Aſcolano,
Il *Cerasi* (8) Bovin, *Giannon* (9) Bojano
Laſciaro, e *Catalano* (10) il ſuo Larino.

Morelli (11) Lucerin, l'Arianenſe
Bonilla (12), e appreſſo il Termulan (13) *Pitiro*,
E l'ultimo fu *Cianci* (14) Guardienſe.

Di Vulturara, e di Trivico il giro,
D'Avvellin, Triventino, ed *Agatenſe*.
Gravina, *Minervin*, *Biſeglia* empiro.
Majorini (15) ſeguiro
Di San Guglielmo il General divoto,
S. Lupo (16) ed *Alberon* (17) ch'ebbero il voto.

XXIII.

TAXA

FORI METROPOLITANI BENEVENTANI,

Et Curiarum Epiſcopalium ejuſdem Provinciæ,

Ad formam taxarum ejuſdem Curiæ Metropolitanæ, editarum per clar. mem. Cardinalem Arigonium Archiepiſcopum anno Domini 1610. & ſel. rec. Joannem Baptiſtam Foppam, pariter Archiepiſcopum, prævia reviſione, ac examine facto a particulari Congregatione, deputata de ordine Sanctiſſimi, confirmatarum, & approbatarum a Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium ſub die 13. Martii 1653.

Plenius tamen, & per ordinem digeſta

Ab Eminentiſſimo, & Reverendiſs. in Chriſto Patre, & Domino, Domino

FR. VINCENTIO MARIA ORDINIS PRÆDICATORUM
Miſeratione Divina Tituli S. Sixti S. R. E. Presbytero Cardinali Urſino Archiepiſcopo Metropolita.

De mandato Concilii Provincialis, & ab eodem confirmata, mediante decreto Conciliari, lato in 3. ſeſſ. ſub die 16. Aprilis 1593.

PRO CIVILIBUS.

CAP. I.

Particulæ contentæ in taxa Arigonia *ſunt notatæ in margine ſub verbo* Arig. *& particulæ contentæ in taxa* Foppa, *ſunt pariter notatæ in margine verbo* Fop. *reliquæ vero appoſitæ ſunt ex decreto Concilii Provincialis.*

Arig. PRo qualibet præſentata libelli, ſcripturæ, vel articulorum. *Cancellario* grana 10.

Arig. Pro ſimplici citatione in ſcriptis civili, ſeu mandato ad comparendum, ſeu intimetur parti. *Vicario* gr. 5. *Canc.* gr. 5.

Arig. Pro citatione cum inſerta forma petitionis. *Vic.* gr. 10. *Canc.* gr. 10.

Arig. Pro qualibet inſtantia, ſeu reproductione citationis. *Canc.* gr. 2.

Arig. Pro qualibet replicatione. *Cancel.* gr. 1.

Arig. Pro electione domicilii ad finem citandi. *Canc.* gr. 10.

Fop. Pro copia primæ, vel alterius petitionis, vel cujuslibet ſcripturæ privatæ. *Canc.* gr. 10.

Pro mandato juſtificato cum clauſula juſtitiæ. *Vic.* gr. 10. *Canc.* gr. 10.

Pro qualibet contumacia in cauſſa civili. *Canc.* gr. 5.

Pro intimatione cauſſæ auctori laudato cum inſertione. *Vic.* gr. 20. *Canc.* gr. 20.

Pro primo decreto, quod intimetur parti ad dicendum contra petita, & conſtituendum Procuratorem. *Vic.* gr. 10. *Canc.* gr. 10.

Arig. Pro cōſtitutione Procuratoris penes acta, vel ſubſtitutione. *Canc.* g. 19.

Fop. Pro præſentatione mandati procuræ, etiam ſi ſit in pergameno. *Vic.* gr. 5. *Canc.* gr. 5.

Pro conſtitutione Procuratoris facta per minorem, cum auctoritate Vicarii Generalis. *Vic.* gr. 10. *Canc.* g. 10.

Pro juramento calumniæ. *Canc.* gr. 5.

Arig. Pro cautione expēſarum. *Canc.* g. 10.

Arig. Pro quolibet decreto interlocutorio ante litis conteſtationem. *Vic.* g. 10. *Canc.* gr. 10.

Arig. Pro qualibet litis conteſtatione. *Vic.* gr. 5. *Canc.* g. 5.

Arig. Pro termino probatorio. *Vic.* gr. 10. *Canc.* gr. 10.

Arig. Pro prorogatione termini. *Vic.* g. 5. *Canc.* gr. 5.

Pro decreto admiſſionis articulorum. *Vic.* gr. 10. *Canc.* g. 10.

Arig. Pro qualibet reſponſione, ſeu depoſitione principalis ſuper articulis, ſeu poſitionibus gr. duo pro quolibet articulo, dummodo non excedant gr. decem. *Canc.* g. 10.

Pro decreto electionis Examinatoris. *Vic.* gr. 10. *Canc.* g. 10.

Idem ſervetur in electione, vel confirmatione Interpretum.

Pro citatione ad teſtes. *Vic.* g. 5. *Cāc.* g. 5.

Arig. Pro examine cujusvis teſtis. *Canc.* gr. 10.

Quod ſi articuli ſint pluſquam decem uſq; ad viginti. *Canc.* gr. 20.

Si vero articuli excedant hunc numerum, pars ſe concordet cum Cancellario coram Vicario Generali.

Si teſtes ſint examinandi coram Vicario ad inſtantiam partis, ſervetur idem, quod de Cancellario: ſcilicet uſque ad decem articulos, grana decem, & usque ad viginti, caroleni duo pro Vicario, ultra Cancellarium.

Si pars adverſa præſentet interrogatoria, & petat ſuper illa examinari teſtes, pars illa præſentans ſolvet Cancellario granum unum pro quolibet inter-

interrogatorio, & totidem Vicario, ſi fiet examen coram ipſo.

Pro commiſſione examinandi teſtes in cauſſa civili extra Curiam. *Vic.* gr. 10. *Canc.* gr. 10.

Si vero committatur extra Civitatem. *Vic.* gr. 20. *Canc.* gr. 20.

Arig. Pro accommodatione proceſſus ad finem percunctandi uſq; ad fol. quinquaginta. *Canc.* gr. 20.

Arig. A fol. 50. uſque ad 100. *Canc.* gr. 50.

Arig. A centum ultra non excedat carolenos decem, quod ſervetur, licet pluries accommodetur.

Pro decreto publicationis. *Vic.* gr. 10. *Canc.* gr. 10.

Pro decreto termini in cauſſa repulſæ, ſervetur, prout de termino probatorio.

Pro examine in cauſſa repulſæ, ſervetur idem, prout dictum eſt de examine teſtium.

Arig. Pro decreto concluſionis. *Vicar.* gr. 10. *Canc.* gr. 10.

Pro citatione ad dicendum. *Vic.* gr. 5. *Canc.* gr. 5.

Pro citatione ad ſenteutiam. *Vic.* gr. 5. *Canc.* gr. 5.

Arig. Pro ſententia diffinitiva, aut interlocutoria, vim diffinitivæ habente, uſque ad ducatos vigintiquinque, caroleni quinque. *Vic.* gr. 30. *Canc.* gr. 20.

Arig. Et a duc. 25. uſque ad duc. 50. Judici ducatum unum, Actuariis caroleni quinque. *Vic.* ducatum unum. *Canc.* gr. 50.

Arig. Et a duc. 50. uſque ad ſummam duc. 500. ſolvantur Judici caroleni 25. Actuariis vero caroleni duodecim cum dimidio. *Vicar.* duc. 2. gr. 50. *Canc.* duc. 1. gr. 25.

Arig. Pro ſententia diffinitiva, quæ excedit ſummam duc. 500. & non excedit ſummam duc. 1000. ſolvantur Judici duc. 5. Actuariis vero duc. 2. gr. 50. *Vic.* duc. 5. *Canc.* duc. 2. gr. 50.

Arig. Et quando excedit ſummam duc. 1000. & non excedit ſummam duc. 1500. ſolvantur Judici duc. 10. Actuariis duc. 5. *Vic.* duc. 10. *Canc.* duc. 5.

Arig. Et quando excedit ſummam duc. 1500. & non excedit ſummam duc. 2000. ſolvantur Judici duc. 15. Actuariis vero duc. 7. gr. 50. *Vic.* duc. 15. *Canc.* duc. 7. gr. 50.

Arig. Et quando excedit ſummam duc. 2000. & non excedit ſummam duc. 2500. ſolvantur Judici duc. 20. Actuariis 10. *Vic.* duc. 20. *Canc.* duc. 10.

Arig. Et quando excedit ſummam duc. 2590. ſolvantur Judici duc. 25. Actuariis duc. 12. gr. 50. *Vic.* duc. 25. *Canc.* duc. 12. gr. 50.

Pro lecta, lata cujuſcumque decreti, vel ſententiæ. *Canc.* gr. 10.

Pro proviſione cum inſerta forma ſententiæ ad finem intimandi. *Vic.* g. 20. *Canc.* gr. 20.

Pro decreto, quod capiatur ſummaria informatio, ſolvatur, prout dictum eſt de decreto interlocutorio.

Pro facultate ad dicendum, ſive demonitione ad ſententiam, ſervetur prout dictum eſt ſupra de citatione ad ſententiam.

Arig. Pro decreto admiſſionis appellationis. *Vic.* gr. 10. *Canc.* gr. 10.

Pro Apoſtolis dantur Vicario, ſi cum allegatione jurium, arbitrio Archiepiſcopi inſpecto labore, & Caucellario. *Canc.* gr. 20.

Fop. Pro litteris executorialibus uſque ad duc. ſex. *Vic.* gr. 10. *Canc.* gr. 10.

A ducatis ſex uſque ad 15. *Vic.* gr. 30. *Canc.* gr. 10.

A duc. 15. uſque ad 25. *Vic.* gr. 30. *Canc.* gr. 20.

A duc. 25. uſque ad 50. vel majorem ſummam. *Vic.* gr. 35. *Canc.* gr. 30.

Pro decreto, ut cogatur, captis pignoribus. *Vic.* gr. 10. *Canc.* gr. 10.

Pro mandato ad reluendum. *Canc.* gr. 10.

Pro decreto de vendendo, ſervetur, ſicut dictum eſt de quolibet interlocutorio.

Pro relatione cujuſcumque bandimenti. *Canc.* gr. 5.

Pro actu ſubhaſtationis, ultra acceſſum Cancellarii, ad rationem, ut infra. *Canc.* gr. 10.

Quando ſubhaſtatio petitur cum præſentia Vicarii, ſolvitur ejus acceſſus, ut infra.

Pro decreto taxationis expenſarum. *Vic.* gr. 10. *Canc.* gr. 10.

Arig. Pro decreto immiſſionis in poſſeſſionem vigore exemptionis ſub haſta ſervetur, prout de interlocutorio.

Arig. Pro copia ſententiæ diffinitivæ. *Canc.* gr. 50.

Arig: Pro copia inſtrumenti appellationis. *Canc.* gr. 30.

Arig. Pro copia proceſſuum, tam civilium, quam criminalium gr. 25. pro ſingulis ſex chartis: & quælibet charta contineat verſus 20. & quilibet verſus quinque dictiones; & hæ ſolvuntur Cancellario tantum.

Pro decreto clauſuræ proceſſus, ſicut de interlocutorio.

Pro litteris commiſſionalibus, quando alicui cauſſa committitur infra ſummam duc. 10. *Vic.* gr. 10. *Canc.* g. 10.

Quod ſi commiſſio excedat duc. 10. uſq; ad quamcumque ſummam. *Vic.* gr. 20. *Canc.* g. 20.

Pro litteris monitorialibus, & inhibitorialibus, vigore appellationis, incluſo decreto, & præſentatis ſcripturarum,

rarum, dummodo ſcripturæ non excedant numerum quatuor, licet ſit conceſſa abſolutio cum reincidentia, non tamen incluſo ſigillo. *Vic.*gr.40. *Canc.*g.30.

Idem ſervetur in compulſorialibus.

Idem ſervetur in citatorialibus, quæ expediuntur juxta ſtilum Curiæ.

Idem ſervetur pro monitorio generali, ſeu conſervatoriali; quando tamen expeditur non capta informatione.

Arig. Pro qualibet apertura proceſſus. *Vic.*gr.10. *Canc.*g.10.

Fop. Pro mandato ſequeſtrationis. *Vic.* gr.10. *Canc.*g.10.

Fop. Pro decreto ſuper reſtitutione pignorum ſubhaſtatorum, & conſignatorum, quando executio non fuit rite, ſeu recte facta, uſque ad ſummam duc.25. *Vic.* gr.10.*Canc.*g.10.

Fop. Uſque ad duc. 50. *Vic.* duc. 1. *Canc.* gr.50.

Fop. A duc. 50. uſque ad quamcumque ſummam. *Vic.* duc. 2. gr.50. *Canc.* duc.1. g.25.

Si vero reſtitutio pignorum fiat de conſenſu partium, ſolvatur decretum interlocutorium, & etiam mandatum, quod ſit Depoſitario, pro quo mandato ſolvantur. *Vic.* gr.10. *Canc.* gr.10.

Fop. Pro ſtipulatione obligationis penes acta. *Canc.* gr.10.

Fop. Pro caſſatura ejuſdem obligationis. *Canc.* gr.10.

Pro perquiſitione obligationis, ſeu alterius ſcripturæ factæ ultra annum caroleni duo Archiviſtæ. *Arch.*gr.20.

Pro imploratione brachii. *Vic.* gr. 20. *Canc.*gr.10.

Pro qualibet citatione per edictum ad inſtantiam partis, incluſo decreto. *Vic.*gr.20.*Canc.*gr.20.

Arig. Pro decreto præambuli, vigore *l. fin. cod. de edicto Divi Adriani tollendo*, ſi non adſit contradictor, non incluſis aliis actis in eadem cauſſa factis. *Vic.* gr.50.*Canc.*g.50.

Arig. Si vero adſit contradictor, ſolvitur prout in ſententia diffinitiva.

Pro decreto, quod fiat inventarium bonorum defuncti. *Vic.*gr.10.*Canc.* gr.10.

Pro rogitu inventarii ſolvitur juxta laborem Cancellarii, computatis acceſſibus ejuſdem, a Vicario generali taxandis.

Et ſi petitur aſſiſtentia Vicarii Generalis, ſolvitur acceſſus ad rationem, ut infra.

Arig. Pro fide legalitatis Notarii, ſeu Cancellarii, vel cujuslibet alterius ſcripturæ, non incluſo ſigilli. *Vic.* gr.10.*Canc.*gr.5.

Arig. Pro acceſſu ad locum differentiæ intra Civitatem. *Vic.*g.50.*Canc.*g.25.

Conc. Prov. Benev.

Arig. Pro acceſſu ſupradicto extra Civitatem, vel territorium arbitrio Archiepiſcopi, & prout cum partibus ſe concordaverint, dummodo non excedant. *Vic.*duc.1.*Canc.*gr.50.

Vicario quando accedit per Diœceſim ad inſtantiam partis pro qualibet die aureos duos. *Vic.*duc.2. *Sac. Cong. apud Nicol. verbo taxa.*

Arig. Actuario, quando accedit per loca Diœceſis ad inſtantiam partis, cauſſa examinandi teſtes, pro qualibet die caroleni octo, & expenſæ. *Canc.* gr.80.

Arig. Quando vero accedit ad loca Provinciæ, & expenſæ. *Canc.*duc.1.

Pro dieta Commiſſarii, qui non ſit officialis Curiæ, quando deſtinatur contra debitores, caroleni decem pro qualibet die, quæ contineat 20. milliaria, & illos exiget a debitoribus pro rata, ſi omnes ſint ſolvendo; alias exiget a ſolvendis, qui poſtea recuperabunt ratam ab aliis, nec Commiſſarius ipſe prætendet aliquid aliud pro expenſis.

Fop. Pro litteris ſubdelegationis cujusvis cauſſæ, cum inſertione reſcripti. *Vic.* gr.20.*Canc.*g.30.

Fop. In omnibus actis ex delegatione Apoſtolica ſolvitur duplum.

Pro cauſſis oretenus, vide in rubrica *de Vicariis foraneis*.

PRO CRIMINALIBUS.

C A P. II.

Pro citatione ad informandum. *Vic.* gr.10. *Canc.*g.10.

Pro decreto prorogationis termini ad comparendum. *Vic.*gr.32.*Canc.*g.10.

Pro decreto, quando allegatur, & admittitur abſentia, vel infirmitas. *Vic.*gr.30.*Canc.*g.10.

Pro litteris commiſſionalibus, quando expeditur Commiſſarius ad capiendam informationem. *Vic.*g.20.*Canc.* gr.30.

Fop. Quod ſi commiſſio fiat Vicario foraneo: nihil.

Pro inſtrumento viſitationis corporis delicti. *Canc.*gr.50.

Pro citatione ad teſtes. *Vic.*gr.10.*Canc.* gr. 10.

Arig. Pro quolibet teſte examinato pro Fiſco cum interventu Vicarii gr. 20. & ſolvuntur, quando reus petit copiam repertorum. *Vic.* gr.10. *Canc.* gr. 10.

Fop. Pro quolibet conſtituto. *Canc.*gr.10.

Pro quolibet decreto interlocutorio, antequam detur terminus defenſionum. *Vic.*gr.20.*Canc.*gr.10.

Fop. Pro mandato de capiendo: nihil.

Pro decreto termini defenſionum

Vicar. gr. 10. *Canc.* gr. 10.

Pro declaratione, quæ ſit penes acta, legitimationis proceſſus offenſivi, declarando habere teſtes pro repetitis *Vic.* g. 10. *Canc.* g. 20.

Pro copia repertorum ſervetur, prout in civilibus pro Cancellario.

Fop. Pro copia capitulorum, vel querelæ, vel confeſſionis *Canc.* gr. 15.

Arig. Pro decreto, quod reus excarceretur ob infirmitatem, & habilitetur ad meliores carceres *Vic.* gr. 20. *Canc.* gr. 30.

Pro decreto, quod excarceretur cum cautione de ſe præſentando toties quoties *Vic.* gr. 30. *Canc.* gr. 10.

Pro decreto, quod habilitetur per Palatium, vel per Civitatem. *Vic.* gr. 20. *Canc.* gr. 10.

Pro obligatione penes acta, quæ fit a reo de tenendo domum, Civitatem, vel Palatiũ pro carcere. *Canc.* gr. 30.

Pro decreto, quod liberetur in forma cum cautione de ſe præſentando novis ſupervenientibus inditiis. *Vic.* gr. 60. *Canc.* gr. 50.

In captura fidejuſſionum Cancellarius pro periculo, quod in ſe ſuſcipit in recipienda fidejuſſione, non excedat ducatos duos pro centenario.

Arig. Pro ſententiis abſolutoriis in cauſſis criminalibus, in quibus veniret imponenda ſolum pœna pecuniaria, ſolvantur Judici caroleni decem, Actuariis quinq. *Vic.* duc. 1. *Canc.* gr. 50.

Arig. In cauſſis vero gravioribus, in quibus veniret imponenda pœna corporis afflictiva, ſolvantur. Judici carol. 25. Actuar. 12. cum dimidio. *Vic.* duc. 2. gr. 50. *Canc.* d. 1. g. 25.

Arig. In cauſſis vero graviſſimis Judici duc. 5. Actuariis duc. 2. gr. 50. *Vic.* duc. 5. *Canc.* d. 2. g. 50.

Pro qualibet contumacia *Canc.* gr. 5.

Pro decreto contumaciali *Vic.* gr. 30. *Canc.* gr. 10.

Pro litteris executorialibus expeditis in contumaciam ob condemnationem pœnæ comminatæ in citatione ad informandum *Vic.* gr. 60. *Canc.* g. 50.

Pro cedulonibus cenſurarum *Vic.* g. 20. *Canc.* g. 20.

Arig. Pro decreto abſolutionis a cenſuris, dummodo non adſit aliquod delictum, propter quod alia pœna venit imponenda *Vic.* gr. 20. *Canc.* g. 30.

Pro abſolutione a cenſuris cum reincidentia, vel ad cautelam *Canc.* gr. 20.

Pro remiſſione, aut exculpatione facta in Curia cum interventu Vicarii *Vic.* gr. 20. *Canc.* gr. 20.

Fop. Pro decreto admiſſionis ad compoſitionem: nihil.

Pro decreto executionis gratiæ factæ ab Archiepiſc. *Vic.* g. 40. *Canc.* g. 40.

Commiſſario, qui alias non eſſet officialis Curiæ, quando mittitur per Diœceſim ad capiendam informationem, pro qualibet dieta caroleni quinque, & eidem ſuppeditentur equus, & cibaria a Fiſco, repetendi ab inquiſito, prout juris.

In qualibet die examinet Commiſſarius ad minus tres teſtes.

Cancellario ſolvantur dietæ, prout dictum eſt de civilibus.

Quando Commiſſarius mittitur ad inſtantiam Fiſci, ſolvantur dietæ ſuper bonis inquiſiti, ſi repertus ſit culpabilis; ſi ſecus a Fiſco.

A Capitulis vero, nec domum, nec lectum, nec quidquam recipiat.

Si vero Commiſſarius mittatur ad inſtantiam partis querelantis, iſta tenebitur facere depoſitum pro dietis; & ſi inquiſitus repertus fuerit innocens, ſolvet pars querelans de proprio.

Pro ceteris vero decretis, præſentatis ſcripturarum, copiis, & aliis proviſionibus, ſolvantur, prout dictum eſt de cauſſis civilibus.

Fop. Pro acceſſu Judicis, vel Actuarii ad petendum remitti, vel relaxari aliquem carceratum: nihil.

Fop. In cauſſis pauperum, & miſerabilium perſonarum: nihil.

Fop. Pro acceſſu Chirurgi ad inſtantiam Fiſci pro illum viſitando, num poſſit torqueri: nihil.

PRO BENEFICIALIBUS.

CAP. III.

Pro actu, & decreto præſentationis factæ, & admiſſæ, ſi & in quantum, cum ordinatione, quod expediatur citatio per Edictum *Vic.* g. 30. *Canc.* gr. 10.

Pro citatione per Edictum contra intereſſe prætendentes, vel habentes aliquid contra *Vic.* gr. 20. *Canc.* g. 20.

Arig. Pro productione proceſſuum in cauſſa juriſpatronatus ſolvantur grana decem pro quolibet folio.

Innocentiana Pro ſententia in cauſſa præſentationis, quando decernitur præſentatum eſſe inſtituendum, exiſtente Promotore fiſcali in judicio pro libertate, duos ſcutos aureos, vel æquivalentem ſummam in moneta Regni.

Innoc. Si vero lis ſit inter Patronos, vel præſentatos ſuper jure præſentandi, reputabitur tanquam cauſſa civilis; & obſerventur, quæ dicta ſunt de ſententia in rubrica de civilibus; verum non excedat *Vic.* duc. 5. *Canc.* duc. 2. g. 50.

Si vero cauſſa ſupradicta ſit gravior, taxa-

taxabitur arbitrio Archiepiſcopi, vel Epiſcoporum, cum reputetur tanquam cauſsa civilis.

Innoc. Pro decreto, aliiſque expeditionibus, quando beneficium eſt conferendum auctoritate Apoſtolica in forma dignum, non excedat Cancellarius pro ſuo labore ſcutum unū aureum, vel ſummam æquivalentem in moneta Regni.

Quod ſi adſit contradictor, cauſsa reputetur veluti civilis.

Arig. Pro captura poſseſſionis alicujus Dignitatis, vel Canonicatus intus Civitatem ſolvatur acceſsus Vicarii, & Cancellarii, prout dictum eſt de civilibus, & ultra acceſsum ſolvatur Cancellario inſtrumentum poſseſſionis.

Arig. Pro ſubſcriptione bullarum, ob abſentiam Archiepiſcopi *Vic.* nihil.

Pro fidei profeſſione facta *Canc.* gr. 10.

Pro litteris approbationis concurrentium ad Parochiales, quæ tranſmittuntur ad Romanam Curiam *Canc.* gr. 15.

Arig. Pro qualibet ſententia diffinitiva in cauſſis jurispatronatus, in quibus conſtito de fundatione, & dote, & aliis requiſitis, venit ferenda ſententia canonizatoria jurispatronatus, ſolvantur *Vic.* duc. 5. *Canc.* duc. 2. gr. 50.

Arig. Pro bulla œconomatus cum regiſtratione *Vic.* g. 35. *Canc.* g. 40.

Fop. Pro copia actus reſignationis beneficii in manibus Ordinarii *Canc.* g. 10.

Fop. Pro declaratione ſubreptionis litterarum Apoſtolicarum in caſibus a jure permiſſis *Vic.* g. 20. *Canc.* g. 20.

Fop. Pro litteris, ſeu bulla unionis perpetuæ alicujus beneficii cum alia Eccleſia: nihil.

Verum ſi Notarius non habeat ſalarium ex publico, detur ei aliquid pro ſuis laboribus, itaut non excedat unum aureum, & dummodo ex hac pecunia nihil prorſus percipiat Epiſcopus, vel Vicarius.

DE EXTRAORDINARIIS.

CAP. IV.

De Matrimonialibus.

§. I. *Innoc.* IN contrahendis matrimoniis pro juſtificatione ſtatus liberi, vel quod non adſit canonicum impedimentum, ſolum Cancellarius poſſit exigere mercedem proportionatam pro ſuo labore, tam quando recipiuntur teſtes deponentes non adeſse impedimentum inter Cives, quam quoties neceſse eſt etiam conſtare de morte alterius conjugis, ſive etiam quomodolibet pro ſtatu libero exterorum, dummodo merces in unoquoque ſupradictorum caſuum, non excedat julios decem monetæ Romanæ, vel æquivalentem valorem in moneta Regni *Canc.* duc. 1.

Servetur tamen conſuetudo circa gallinas dandas Epiſcopis in ſignum lætitiæ.

Innoc. Non tamen cōprehenduntur cauſſæ contentioſæ ſuper validitate matrimonii, vel ſeparatione thori; nam iſtæ reputantur tanquam cauſsæ judiciales.

Fop. Pro licentia, quod fiant publicationes matrimonii: nihil.

Fop. Pro litteris ſuperviventiæ alicujus capta informatione *Canc.* duc. 1.

Pro executione litterarum Apoſtolicarum ſuper diſpenſatione in gradibus prohibitis, ſolvantur *Cancellario* pro examine teſtium, & decreto julii decem monetæ Romanæ, vel æquivalens ſumma in moneta Regni; cum declaratione, quod non intelligantur incluſi labores, quos acciderit fieri alio titulo non tangente officium Cancellarii, & dummodo de iis Epiſcopi, vel Vicarii nihil participent.

Fop. Pro fide paupertatis computatis omnibus *Vic.* g. 50. *Canc.* g. 50.

De Ordinum collatione.

§. II. PRo mandato publicandi in Eccleſia eos, qui ad minores, vel majores Ordines promoveri volunt: nihil.

Innoc. Pro actis, & juſtificatione veritatis, & ſufficentia patrimonii, vel beneficiis, ad cujus titulum quis debet promoveri, ſolvantur labores Cancellarii, & non excedant ſcutum unum auri, vel ſolvatur æquivalens valor in moneta Regni.

In requiſitis, quæ debet promovendus ad Ordines deducere in Curia, ſalvi ſint labores cujuſque, ad quos reſpective ſpectat, tam in exemplandis ſcripturis, quam dandis aliis atteſtationibus, & aliis hujuſmodi laboribus, dummodo nihil participet Cancellarius, vel Vicarius.

Innoc. Pro ſcriptura bullæ cujuſvis Ordinis *Canc.* gr. 15.

Arig. Pro litteris commendatitiis, & dimiſsorialibus ad finem celebrandi extra Diœceſim *Vic.* g. 10. *Canc.* g. 20.

Pro licentia celebrandi primam Miſſam: nihil.

Pro licentia celebrandi Miſsam, quæ datur exteris: nihil.

Pro litteris recipiendi Ordines ab alienis Epiſcopis, ſervetur, prout dictum eſt, quando neceſse eſt probare patrimonium, vel beneficium.

Fop. Pro reaſſumptione habitus clericalis, incluſo proceſſu, & decreto *Vic.* duc. 3. *Canc.* 2.

De Cenſuris.

§. III.

Innoc. Pro quolibet monitorio ad finem revelandi, unum julium monetæ Romanæ, vel æquivalens ſumma in moneta Regni *Canc.* g. 10.

Pro decreto fulminationis cenſurarum, incluſa commiſſione, quæ datur Parocho loci, ut ad illam procedat *Vic.* g. 20. *Canc.* g. 20.

Solvitur etiam ſigillum, ut dicetur in ejus rubrica.

Arig. Pro proceſſu fulminatorio auctoritate Apoſtolica *Canc.* g. 80.

Pro decreto, quod concedatur copia revelationum *Vic.* g. 10. *Canc.* g. 10.

Arig. Pro copia revelationum pro quolibet teſte *Canc.* gr. 5.

Fop. Pro aggravatione excommunicationis, etiam cum invocatione brachii ſæcularis: nihil.

Arig. Pro ſcriptura cujuslibet interdicti *Canc.* g. 10.

De alienatione bonorum Eccleſiæ.

§. IV.

Nicol. verbo taxa.

Pro decreto alienationis vigore *cap. Terrulas*, comprehenſis omnibus actis, unus aureus, qui cum copia decreti authentica facit in totum *Vic.* duc 1. *Canc.* gr. 70.

In cauſſis vero, quando annuus reditus eſt carolenorum decem, & infra *Vic.* gr. 20. *Canc.* gr. 50.

Si vero proceditur auctoritate commiſſaria, ſervetur, prout dictum eſt in ſuperioribus de cauſſis commiſſariis.

Fop. Pro Regularibus in cauſſis commiſſariis alienationum, ut ſupra: nihil.

De Confraternitatibus, & aliis locis piis.

§. V.

Pro diplomate erectionis Confraternitatis in pergameno, cum regiſtro. *Canc.* duc. 1. g. 50.

Pro litteris Archiepiſcopi, vel Vicarii, quæ mittuntur ad almam Urbem pro obtinenda aliqua aggregatione Confraternitatum: nihil.

Fop. Pro juramento de fideliter adminiſtrando, & reddendis rationibus. *Canc.* gr. 10.

Pro decreto, quod liceat implicare pecuniam Capellæ in emptionem ſtabilium, vel annuorum introituum. *Vic.* gr. 20. *Canc.* gr. 20.

Pro decreto, quod liceat vendere animalia minus utilia in Nundinis, vel alio tempore, incluſa commiſſione, quæ datur Vicario foraneo, vel Archipresbytero loci, ut aſſiſtat in recognitione animalium vendendorum, vulgo *lo ſcarto*. *Vic.* gr. 20. *Canc.* gr. 20.

Quod ſi licentia detur pro uno, vel altero animali, & ſumma ſit tenuis, non excedens ducatos ſex. *Vic.* gr. 10 *Canc.* gr. 10.

Pro diſpungendis rationibus Adminiſtratorum Capellarum, aliorumque locorum piorum, & Confraternitatum.

In hac Civitate, & Archidiœceſi ſervetur edictum Eminentiſſimi Metropolitani, latum ſub die 23. Decembris 1691.

Pro Diœceſibus vero Provinciæ ſervetur ſolita taxa, dummodo correſpondeat operi, & labori, & Ratiocinator non ſit familiaris, vel domeſticus Epiſcopi.

De Monialibus.

§. VI.

Innoc. Servetur in hac materia in omnibus Taxa Innocentiana; & contententur illis comeſtibilibus, quæ ſint proportionata uſui, & conſumptioni propriæ intra tres dies.

Sac. Cong. Epiſc. Saler. 17. Ap. 1682.

De Viſitatione.

§. VII.

Procurat iones in ſanctis Viſitationibus recipiantur moderate; ſalvæ tamen ſint conventiones firmatæ cum Capitulis, & aliis Eccleſiis, & Capellis, de dandis victualibus in pecunia.

Pro Archidiœceſi ſervetur bulla Pauli PP. III. anno 1538. 10. Kal. Sept. quod Procuratio ſolvatur in pecunia numerata juxta ſolitum.

Pro copia decretorum Viſitationis, ſi Notarius non habeat aliud ſalarium, ſolvatur granum unum pro quolibet decreto.

Arig. Advertendum tamen eſt, quod pro viſitatione Eccleſiarum Parochialium non exigat Notarius ultra carolenos quinque. *Not.* gr. 50.

Arig. Et pro viſitatione aliarum Eccleſiarum minorum. *Not.* gr. 30.

Pro copia Actorum Viſitationis ſolvantur a viſitatis grana quinque pro quolibet folio duarum paginarum, quando ſimiliter Notarius non habet aliam proviſionem; & hoc pro labore ſcripturæ tantum, nec Notarius recipiat præſentatas bullarum.

Gavant. de viſit. Epiſcop. §. 2. annot. circa. 17.

Pro prorogatione termini in adimplendis decretis ſanctæ Viſitationis: nihil.

DIVERSORUM.

CAP. V.

Arig. Pro abſolutione a juramento ad effectum agendi, quilibet ſolvat carolenos quinque. *Vic.* gr. 20. *Canc.* gr. 30.

Et ſi fuerint plures, non excedant carolenos quindecim.

Fop. Pro litteris patentalibus Vicarii foranei. *Canc.* duc. 3.

Pro licentia examinandi Clericos in teſtes coram Judice laico in civilibus tantum. *Vic.* gr. 10. *Canc.* gr. 10.

Idem

Idem ſervetur pro licentia, quæ datur Clericis, qui volunt cauſſam propriam criminalem, ſed citra pœnam ſanguinis, exponere coram Judice laico. *Vic.* gr.10. *Canc.* gr. 10.

Pro licentia, quæ datur Clericis agendi coram Judice laico cauſſam civilem propriam, vel ſuorum conſanguineorum in primo, vel ſecundo gradu, vel pauperum, vel Eccleſiæ ad menſem, gratis.

Si vero velit adire Curiam laicalem pro cauſſa extraneorum, tunc pro ſingulis quatuor menſibus. *Vic.* gr. 10. *Canc.* gr.20.

Pro licentia, quæ datur Capitulis, & aliis Eccleſiis acceptandi onera miſſarum gratis; & ſolum ſolvitur labor pro copia, dummodo non excedat. *Canc.* gr.10.

Pro approbatione ad audiendas confeſſiones: nihil.

Pro licentia adminiſtrandi Sacramenta: nihil.

Pro licentia inſerviendi beneficiis: nihil.

Pro licentia ſepeliendi defunctos in Eccleſia: nihil.

Pro licentia colligendi eleemoſynas: nihil.

Pro litteris patentalibus alicujus Eremitæ: nihil.

Pro teſtamento vulgo dicto *dell'anima*, a duc.50. ſupra. *Canc.* duc.1.

A duc.50. & infra. *Canc.* gr.50.

Pro ſcriptura diplomatis impoſitionis primarii lapidis conſecrationis Eccleſiæ, vel Altaris in pergameno, incluſis omnibus, pro labore Notarii aureus unus, vel æquivalens ſumma in moneta Regni; dummodo Notarius non habeat aliud ſalarium: qui aureus in moneta Regni valutatur. *Canc.* duc.1. gr.60.

Pro litteris patentalibus Curſoris. *Canc.* duc. 1. gr.20.

Pro litteris patentalibus Diaconi ſilvatici. *Canc.* gr.50.

Fop. Pro ſalvo conductu, ſeu *non gravetur* ex quavis juſta cauſſa: nihil.

Fop. Pro pace facienda in actis ante tres dies in caſibus permiſſis. *Canc.* gr.10.

Fop. Pro atteſtatione ſtili Curiæ. *Canc.* gr. 20.

Pro quacumque diſpenſatione auctoritate ordinaria, quæ conceditur, etiam cauſſa cognita: nihil.

Fop. Pro cautione eorum, qui admittuntur in Seminario: nihil.

Pro atteſtatione admittendorum in Seminario: nihil.

Pro licentia diſcedendi a Diœceſi ad tempus. *Canc.* gr.11.

Fop. Pro licentia tranſportandi cadaver ab uno loco ad alium. *Vic.* gr.10. *Canc.* gr.20.

Fop. Pro præſentatione fidei infirmitatis, vel alterius legitimi impedimenti illius, qui non poteſt intereſſe Synodo Diœceſanæ, ſive Provinciali. *Canc.* gr.20.

JURA PRO SIGILLO.

CAP. VI.

Arig. Pro qualibet bulla beneficii vacantis per mortem, reſignationem, vel quovis alio modo. *Canc.* duc.1. gr.40.

Arig. Pro qualibet citatione per edictum in cauſſa juriſpatronatus. *Canc.* gr.20.

Pro gratia facta ab Archiepiſcopo, pro arbitrio juxta qualitatem cauſſæ.

Pro qualibet citatione per edictum in cauſſis civilibus, vel criminalibus. *Canc.* gr. 20.

Pro licentia examinandi teſtes coram Judice laico, in civilibus tantum. *Canc.* gr.10.

Pro licentia, quæ datur Clericis volentibus adire Curiam laicalem pro quacumque cauſſa civili, tam propria, quam Eccleſiæ, tam conſanguineorum, quam pauperum *Canc.* gr.10.

Pro licentia exponendi querelam criminalem citra pœnam ſanguinis. *Canc.* gr.10.

Pro litteris ſuperviventiæ alicujus. *Canc.* gr.10.

Pro bulla Oeconomatus. *Canc.* gr.50.

Pro abſolutione a juramento, etiamſi ſint plures. *Canc.* gr.20.

Pro litteris dimiſſorialibus, quæ conceduntur Presbyteris ad alienas Diœceſes tranſituris: nihil.

Pro litteris recipiendi ordines ab aliis Epiſcopis: nihil.

Pro licentia audiendi confeſſiones: nihil.

Pro licentia adminiſtrandi Sacramenta: nihil.

Pro licentia deſerviendi beneficiis curatis: nihil.

Pro licentia erigendi Capellas: nihil.

Pro licentia colligendi eleemoſynas: nihil.

Pro licentia ſepeliendi cadavera in Eccleſia: nihil.

Pro mandato publicandi initiandos ad minores ordines, ſive majores: nihil.

Pro diſpenſationibus ad duo beneficia: nihil.

Pro litteris approbationis concurrentium ad Parochiales: nihil.

Arig. Pro quolibet mandato cum clauſula juſtitiæ extra Civitatem. *Canc.* gr. 10.

Arig. Pro litteris citatorialibus. *Canc.* gr. 10.

Arig. Pro litteris inhibitorialibus, & compulſorialibus. *Canc.* gr.20.

Pro litteris monitorialibus generalibus. *Canc.* gr.10.

Arig.

Arig. Pro litteris executorialibus a decem ducatis infra. *Canc.* gr.10.

Arig. Et a decem ducatis uſque ad quinquaginta. *Canc.* gr.40.

Arig. Et a duc.50. uſque ad quamlibet ſummam. *Canc.* gr.50.

Pro litteris commiſſionalibus in Diœceſi. *Canc.* gr.10.

Arig. Pro qualibet proviſione in Diœceſi *Canc.* gr.10.

Quando apponitur in imploratione brachii ſæcularis. *Canc.* gr.30.

Quando apponitur in cedulonibus ad inſtantiam partis. *Canc.* gr.10.

Pro litteris patentalibus Vicarii foranei. *Canc.* gr.20.

Arig. Pro litteris commendatitiis, & dimiſſorialibus. *Canc.* gr.10.

Pro quolibet monitorio ad finem revelandi. *Canc.* gr.20.

Pro quolibet proceſſu fulminatorio auctoritate Apoſtolica. *Canc.* gr.20.

DE PROCURATORE, & ADVOCATO FISCALI.

CAP. VII.

Arig. HAbeat Procurator fiſcalis pro compoſitionibus in poſterum faciendis ducatos quinque pro quolibet centenario, quæ quantitas detrahatur compoſitione perſolvenda ab ipſo delinquente, non autem ab extra, prout hactenus ſervatum fuit; nec dictus Procurator, ultra dictam mercedem, poſſit petere aliquod viaticum, ſeu emolumentum.

Quando vero Procurator fiſcalis accedit ad oppida noſtræ Diœceſis cauſſa capiendi informationem contra deliquentes, ſi inquiſitus abſolvatur, dictus Procurator nihil poſſit petere pro ſuo viatico.

Cum vero accedit Advocatus Fiſcalis, ſerventur quæ dicta ſunt de Vicario Generali.

DE VICARIIS FORANEIS.

CAP. VIII.

IN omnibus actis, quæ fiunt coram ipſis ex delegatione Curiæ Archiepiſcopalis, nihil ultra exigant a partibus, niſi emolumenta juxta hanc taxam Tribunalis: Pro labore autem ipſius Vicarii, & Cancellarii detrahant ex ipſis emolumentis ſic perceptis quartam partem inter eos æqualiter dividendam.

Quando tamen opus erit voto Conſultoris, ex ipſis actis, quibus accedit opera Conſultoris, detrahant tertiam partem emolumentorum inter ipſum Vicarium, Conſultorem, & Cancellarium æqualiter dividendam.

Reliqua vero emolumenta, una cum actis ad Curiam Archiepiſcopalem tranſmittant cum nota diſtincta: utq; ex omni parte conſulatur indemnitati litigantium, notent Cancellarii locorum in calce cujuſque expeditionis quantum pro illa ſolutum eſt.

In cauſſis, quæ fiunt oretenus, tam coram Vicario Generali, quam coram Vicariis foraneis, ſervetur, ut infra.

Pro mandato, ſeu *cartella* de ſolvendo, a carolenis viginti uſque ad 30. *Canc.* gr.3.

A carolenis decem uſque ad 20. *Canc.* gr. 2.

A decem, & infra. *Canc.* gr.1.

Pro termino dilationis prætoriæ ad ſolvendum. *Canc.* gr.1.

PRO PŒNA INSTRUMENTALI.

CAP. IX.

Arig. PRo incuſatione inſtrumentorum nulla exigatur pœna, prout per prius exigebatur.

Animadvertendum tamen eſt, quod *Sacra Rota* damnavit ſtilum Curiarum Eccleſiaſticarum, ſive etiam Conſtitutiones Synodales approbantes ritum liquidandi inſtrumenta ſecundum formam ritus M. C. V. nihilominus licitum cuilibet Epiſcopo in ſua Diœceſi propriam conſtitutionem facere, & in ea apponere pœnam pecuniariam ob perjurium debitoris in non ſolvendo juxta juramento promiſſa, & modum in executione paratiſſima ejuſdem inſtrumenti indicere.

DE MERCEDE BARONCELLI, *& aliorum in executionibus perſonalibus.*

CAP. X.

Arig. PRo omni captura perſonali facta in Civitate, vel extra uſque ad pontes pro cauſſis civilibus. *Baron.* gr.10.

Et in diebus Nundinarum. *Bar.* gr.30.

Ultra pontes tam pro Territorio, quam extra pro una dieta pro ſe, & uno executore, ſeu ſoldato. *Bar.* gr.50.

Et ſi Baroncellus non accedit de perſona, habeant executores, qui ibunt gr. 20. per quemlibet pro ſingula dieta, & *Baron.* nihil.

Pro qualibet captura perſonali in cauſſa criminali intus Civitatem, & extra uſque ad pontes. *Baron.* gr.10.

Ultra pontes per totum Territorium, cauſſa criminali intus Civitatem, & extra uſque ad pontes. *Bar.* gr.10.

Ultra pontes per totum Territorium, & extra pro una dieta pro ſe, & uno milite. *Bar.* gr.50.

DE

DE MERCEDE
pro executoribus realibus.

CAP. XI.

Arig. PRo qualibet executione reali tam in Civitate, quam in ejus Territorio grana tria pro qualibet ducato, & extra Territorium, & in reliquo Diœceſis gr. quinque pro quolibet ducato, dummodo non excedat in totum ſummam duc. quatuor, tam in Civitate, quam in Diœceſi pro qualibet ſumma, in qua non comprehendatur taxa carolenorum quinque pro dieta, ut ſupra.

Arig. Facta executione reali non poſſit prætendi merces pro executione perſonali.

Arig. Merces executionis realis non poſſit prætendi, ſi fiat, & ſit de re minima.

Si executio realis non ſit facta pro toto credito, ſeu pro majori parte, ſolvatur pro rata.

Si vero facta ſit pro re minima, nihil poſſit prætendi, ut ſupra.

Quando executor incedit per Provinpiam pro cauſſis civilibus, & criminalibus, dentur eidem caroleni octo pro qualibet dieta, & caroleni duo pro qualibet ſerviente, ſeu famiglio, & etiam expenſæ victus.

Arig. Quando accedit per Diœceſim, & locus diſtat ultra dietam, etiam dentur caroleni octo pro qualibet dieta, incluſo etiam equo: & inſuper habeat mercedem pro executione reali, quam fecerit modo, quo ſupra expreſſum eſt.

Quoties citatur aliquis, & ſponte compareat, licet poſtea carceretur a Judice, vel habilitetur per Palatium, vel alibi, Baroncello nihil detur.

Pro qualibet aſſociatione, ad effectum capiendi poſſeſſionem, vel pro ſequeſtro, aut diſſequeſtro, tam in Civitate, quam in Territorio, & Diœceſi, dentur Baroncello caroleni quinque, non obſtante, quod actus, qui expletur, importat quamcumque ſummam.

DE CUSTODE CARCERUM.

CAP. XII.

Arig. PRo quolibet carcerato tam pro cauſſa civili, quam criminali ad inſtantiam partis, vel Curiæ, ſolvantur Cuſtodi carcerum pro prima die gr. quinque. *Cuſt.* gr. 5.

A prima die uſque ad dies 15. ſolvantur gr. tria pro quolibet die. *Cuſt.* gr. 3.

Et ſi ultra dies 15. uſque ad quodcumque tempus ſolvantur in totum Cuſtodi carcerum carol. quinque. *Cuſt.* gr. 50.

Et ſi occurrat ponere compedes, vel manices ferreos de ordine Officialium, habeat carolenos 2. Et ſi caſus erit, ut apponat, & auferat, non ſolvantur, niſi pro prima vice. *Cuſt. car*, gr. 20.

Pro qualibet empara, ſive arreſto. *Cuſt. car.* gr. 10.

Quando Vaſsalli menſæ Archiepiſcopalis carcerabuntur, ſolvant pro medietate mercedes ſupra taxatas; caveant ab extorſionibus quocumque modo.

PRO MANDATARIIS, SEU JURATIS.

CAP. XIII.

Arig. PRo qualibet citatione verbali in Civitate, & extra uſque ad pontes medietas unius grani vulgariter *un torneſe*. *Jur.* gr. dimid.

Et a pontibus per territorium. *Jur.* g. 5.

Pro quolibet mandato, citatione, vel intimatione facta in ſcriptis intra Civitatem. *Jur.* gr. 1.

Extra Civitatem uſque ad pontes. *Jur.* gr. 2.

Quando ibit per Diœceſim ad citandum aliquem ad inſtantiam partis, ſolvantur caroleni tres quolibet die. *Jur.* gr. 30.

In caſu ſupradicto ultra dietam carolenorum trium nihil aliud ſolvatur pro citatione, quam fecerit ea die in loco, ubi moratur, ultra ſupradictos carolenos tres.

Pro exequutione, quam faciunt intus Civitatem pro cauſsa civili uſque ad carolenos triginta, ſolvatur illis merces pro medietate.

DE ADVOCATIS, ET PROCURATORIBUS.

CAP. XIV.

Arig. ADvocati, & Procuratores ſub quovis prætextu non poſſint petere pro eorum patrocinio quantitatem aliquam ad rationem pro centenario, cum id ſapiat pactum de quota litis, & Canonis Conſtitutionibus adverſetur, ſed ſint contenti de eo, quod partes illis antea ſolverint; dummodo non ingratitudinis vitium incurrant, quid minimum ſolvendo, ſed habita ratione cauſsæ, & litigantium, arbitrabitur bonus Judex.

Die 14. Menſis Aprilis 1693.

Retroſcripta Taxa recognita, & approbata fuit per Nos infraſcriptos Commiſſarios ad hoc ſpecialiter a S. Synodo Provinciali Deputatos, mediante Decreto in Congregatione ſecreta lato ſub die nona currentis Menſis, & in fidem, &c.

FR. VINC. MARIA CARD. ARCHIEP. METROP.
Jo: Baptiſta Epiſcopus Theleſinus Commiſsarius.
Franciſcus Antonius Epiſcopus Aſculanus Commiſsarius.
Dominicus Epiſcopus Lucerinus Commiſsarius.
Fabritius Epiſcopus Guardieñ Commiſsarius.

Quoniam ſupradicta taxa fuit mediante Decreto Sac. Concil. Provincialis, lato in hac tertia Seſſione, approbata, mandatumque illam publicari, & obſervari debere, hinc cognoſcentes, quod querulæ ſubditorum voces quandoque per Archidiœceſis, Diœceſumque loca ſpargantur, & ad Nos perveniunt, per quas conqueruntur maximas ſummas in emolumentis Fori Eccleſiaſtici ſe in ſuis cauſſis expendiſſe; & tamen nota ſportularii Curiæ id non eſſe verum demonſtrat; facileque eſt negotium, ut pecunia litigantium per alienas manus tranſiens, diminutionem patiatur; mandamus propterea, ut præſens Taxa Typis detur; illiusque copiæ non ſolum affixæ ſemper maneant in Cancellaria fori Metropolitani, & Epiſcopalium noſtræ Provinciæ, ac ſerventur in ipſarum Curiarum Archivis, ſed conſignentur Capitulis Cathedralium, ut inviolabiliter obſerventur, & ſciat unusquisque quantitatem expenſarum neceſſariam in expeditione negotiorum, & inſuper præcipimus, ut Advocati, Procuratores, aliique negotiorum geſtores fideliter pro unoquoque negotio ab ipſis expedito mittant ſuis Clientulis notulas expenſarum erogatarum, & propriarum functionum, prout etiam ſervant Curiales Almæ Urbis; quod ſi eas non reſpondentes ſportulario Curiæ invenerimus, ſciant, ſibi poſtulandi munus fore interdicendum, aliasque pœnas pro modo culpæ ſe daturos pro arbitrio Noſtro, & Reverendiſſimorum Coepiſcoporum in ſuis Diœceſibus, & ita, &c. omni, &c. Datum hac die 16. Aprilis 1693. in tertia Seſſione Conciliari.

FR. VINC. MARIA CARD. ARCHIEP. METROP.

J. Foder. Secr. Synodi.

XXIV.

METHODUS
TOTIUS ACTIONIS

Quæ præceſſit, comitata, & ſubſequuta eſt Concilium Provinciale, celebratum diebus 11. 13. & 16. menſis Aprilis 1693. in S. Metropolitana Eccleſia Beneventana, Eminentiſs. & Reverendiſs. in Chriſto Patris, ac Domini D. Fr. VINCENTII MARIÆ Ord. Prædic. miſer. Div. Tit. S. Sixti S. R. E. Presbyteri Cardinalis URSINI Archiepiſcopi Metropolitæ juſſu edita.

CAPUT I.

De iis, quæ celebrationem Concilii antecedunt.

§. I. *De publicatione, & indictione Concilii.*

1 Concilii Provincialis publicatio in die Epiphaniæ inter cetera Feſta tam in Metropolitana, quam in Cathedralibus Provinciæ, & aliis Eccleſiis ſubjectis.
2 Litteræ Indictionis ad XVIII. Patres Comprovinciales cum Edicto, & litteris credentialibus ad eoſdem.
3 Delatio dictarum litterarum per deputatos, eorumque inſtructiones.
4 Litteræ invitatoriæ ad Cathedralium Capitula per Curſores Concilii deferendæ, eorumque inſtructiones.
5 Notificatio per Edictum omnibus, qui de jure, vel conſuetudine accedere tenentur.
6 Publica documenta Metropolitæ tráſmitti debent de hujuſmodi litteris, & notificationibus acceptis.
7 Per duos, vel ſaltem unum menſem ante diem Concilii affixio ſchedulæ manu Cancellarii ſubſcriptæ, ac diei ejuſdem indictivæ ad valvas Eccleſiæ Metropolitanæ.
8 Edicta per Civitatem, & Diœceſim, quibus & Concilii tempus ſignificatur, & publicæ inſtituuntur ſupplicationes, ac preces.

9 Item

9 Item collecta de Spiritu Sancto quotidie in Miſſa; & ejuſdem Miſſa ſolemnis in omnibus v. Feriis uſque ad Concilii conſummationem.
10 Præmonitio Cleri, & aliorum, qui intereſſe debent per Præfectos Eccleſiaſticæ diſciplinæ.
11 Tribus proximis Dominicis ante Concilium in Metropolitana per Concionatorem, & in Parochialibus per Parochos populus excitetur, ut pieoret, & Sacramenta frequentet.
12 Congregatio privata *præparationis* Concilii per Metropolitam, ut infra §. ſeq.
13 Proceſſio Conciliaris ſolemnis indicatur univerſo Clero Sæculari, & Regulari.
14 Feſtivus campanarum ſonus præcipitur omnibus Eccleſiis Civitatis ſub veſpera ante celebrationem Concilii, & in ipſa die uſque ad ingreſſum Metropolitæ, & Patrum ad Eccleſiam.
15 Pridie tandem diei Concilii præ foribus Aulæ conciliaris Archiepiſcopii, & Eccleſiæ Metropolitanæ duæ affiguntur tabellæ, quarum
Una publicas indicit Congregationes.
Altera celebrationem Concilii in craſtinum notificat.

§. II. *De Congregatione præparationis Concilii habenda per Metropolitam.*

1 Metropolita cum aliis, quos voluerit, ad aulam Congregationum.
2 Item Cæremoniarius, & Notarii.
3 Oratio *Adſumus* per Metropolitam ſtantem, genufleƈtentibus omnibus.
4 Deputantur 1. ſequentes Concilii Officiales, & Miniſtri.
1 *Judices excuſationum.*
2 *Judices querelarum, & controverſiarum.*
3 *Promotores Concilii.*
4 *Magiſter cæremoniarum cum ſociis.*
5 *Secretarii duo.*
6 *Notarii duo.*
7 *Oſtiarii.*
8 *Curſores, & Nuncii Concilii.*
5 Exhibentur 2. & conſiderantur Methodus præſens, Tabellæ, & diſpoſitio Congregationum Conciliarium, & conſeſſus.
6 Eliguntur 3. duo ex Canonicis Subdiaconis pro aſſociatione Patrum advenientium ad publicas Cógregationes.
7 Familiæ tandem, & Hoſpitia ſingulorum Patrum diſtincte, & nominatim deſcribuntur cum eorum Præfectis.

§. III. *De ordine, quo recipi debent Patres Comprovinciales ad Concilium accedentes.*

1 Proximus Comprovincialis Patris adventus per nuncium ſignificetur.
2 Vicarius Generalis cum uno ex Protonotariis de familia Metropolitæ obviam eat per duo, vel tria milliaria.
3 Ad aliquem Conventum extra mœnia eum ducat.
4 Comprovincialis Pater ibidem ſe componit, & induit, ſcilic. mantello cum manicis pendentibus ſupra breviorem veſtem, & mozzetta.
5 Eodem comitatu procedit ad Metropolitanam Eccleſiam, populo interim per viam occurrenti benedicens, ex conceſſione Metropolitæ.
6 Capitulum, & Clerus dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ ei ad valvas occurrunt.
7 Quatuor vero Canonici cum Clericis hæc agunt, quando in choro divinæ perſolvuntur preces.
8 Comprovincialis aſpergit ſe, & circumſtantes.
9 Accedit ad Altare SS. Sacramenti, & deinde ad Altare majus, præcedentibus Clericis, & Canonicis ſubſequentibus.
10 Interim pulſantur campanæ, & etiam organa, niſi divina celebrentur.
11 Abſolutis orationibus ſuper genuflexorio ibidem parato cum tapete, & pulvinaribus, ab iiſdem comitatur uſque ad aulam Sancti Barbati, ut ad Metropolitam accedat.
12 In aditu aulæ majoris Archiepiſcopii, & ſupradictæ S. Barbati per Metropolitæ familiares ad Archiepiſcopium ducitur.
13 In fine aulæ majoris humaniter excipitur a Metropolita, & ad interiores ædes ducitur.
14 Ad ſuum tandem hoſpitium comitatur.

§. IV. *De Congregatione, quæ privatim a Patribus haberi debet.*

1 Metropolita cum mozzetta ad aulam ſolitæ Congregationis.
2 Item Patres cum rocchettis, & mozzettis eodem accedunt.
3 Oratio, *Adſumus*, per Metropolitam, qua finita omnes ſedent.
4 Primo diſtribuuntur materiæ a Patribus diſcutiendæ, ſingulas ſingulis aſſignando cum ſuis Theologis, & Canoniſtis.
5 Secundo proponitur ordo ſervandus in principio Concilii, progreſſu, & fine.
6 Cæremoniarius exhibet præſentem Methodum, & alias tabellas.
7 His a Patribus approbatis, omnes genufleƈtunt.
8 Gratiarum actio in fine per Metropolitam.
9 Omnium diſceſſus.

§. V.

De prima Congregatione publica a Patribus habenda ante Concilii ſeſſionem, hora promeridiana.

1 Publicarum Congregationum diſpoſitio conſeſſus.

2 Acceſsus Metropolitæ, & Patrum hoc ordine.

1 *Familiarium, & domeſticorum Patrum, & Metropolitæ comitatus.*

2 *Procuratores Capitulorum Cathedralium Provinciæ cum eorum inſignibus.*

3 *Procuratores Patrum legitime abſentium, habitus Eccleſiaſticos, & chorales gerentes.*

4 *Promotores, Secretarii, & Notarii.*

5 *Mazzerius.*

6 *Cruciferarius cum Cruce.*

7 *Metropolita cum mozzetta, & ſtola rubea.*

8 *Canonici Diaconi cum habitu canonicali, Metropolitā hinc inde comitantes.*

9 *Patres ordine ſuarum promotionum, cum rocchetto, & mozzetta, & Caudatario, uſque ad diſſolutionem Concilii.*

10 *Duo Canonici Subdiaconi dictos Patres comitantes, & excipientes, quando ſigillatim veniunt.*

3 Omnes in conſeſsu ſedebunt ordine, quo infra.

1 *Procuratores Capitulorum Cathedralium.*

2 *Procuratores Patrum in ſedilibus contra ſolium Metropolitæ; his vero primum occupantibus locum.*

3 *Promotores juxta parietem ſolii, in ſiniſtra parte.*

4 *Secretarii inter parietem dexterum ſolii, & Patrum ſedilia, ſervato competenti receſſu.*

5 *Notarii contra dictos Secretarios.*

6 *Cruciferarius cum Cruce in medio Areæ.*

7 *Metropolita cum ſuis Diaconis in propria Sede Pontificali.*

8 *Patres in ſedibus cameralibus hinc inde rectam lineam facientibus.*

9 *Duo Canonici Subdiaconi juxta parietem ſolii in dextera parte.*

4 Oratio, *Adſumus*, per Metropolitam, Patribus ſtantibus, ceteris genuflectentibus.

5 Concio ad Patres *januis clauſis*.

6 Promotores cum Cæremoniario ad Metropolitam, & Patres.

7 Exhibent inſtrumentum ſuæ deputationis.

8 Item inſtant *pro incboatione Concilii*, & ſua petunt loca.

9 Notarii, & unus ex Secretariis ad Metropolitam, & Patres pro votorum rogatione.

10 Iterum ad Metropolitam pro relatione.

11 Lectio decreti de *Initio Concilii*, & fores aperiuntur.

12 Secretarius ſtatim de mandato Metropolitæ alta voce dicit *RR. DD. Si quis veſtrum, qui ad hanc Sanctam Synodum aliquid referre velit, datur ei libera facultas dicendi.*

Eadem dicuntur vulgari idiomate per Notarium.

13 Mora aliqua adhibita vocantur omnes diſtincte, & ordinatim pro audientia hoc ordine.

14 Procuratores Epiſcoporum his verbis: *Accedant Procuratores Reverendiſſimorum Epiſcoporum abſentium, qui volunt audiri.*

15 Per primum Diaconum introducuntur hac formula adhibita: *Eminentiſſime, & Reverendiſſime Pater, & Domine, Adſunt Procuratores Reverendiſſimorum Epiſcoporum N. N. &c. abſentium, qui habent, quod ad hanc Sanctam Synodum referant.*

16 Singuli accedunt ad Metropolitam, & exhibent ſuæ procurationis inſtrumenta.

17 Procuratores Capitulorum deinde vocabuntur his verbis: *Accedant Procuratores Capitulorum, qui volunt audiri.*

18 Per eumdem Diaconum introducuntur dicendo: *Eminentiſſime, & Reverendiſſime Pater, & Domine, Adſunt Procuratores Capitulorum N. N. &c. qui volunt audiri.*

19 Singuli accedunt, & ſua procuratoria exhibent.

20 Vocantur Canonici ſic: *Accedant Canonici, qui volunt audiri*; & ſi qui adſunt, præſentantur, & audiuntur.

21 Vocantur Parochi iiſdem verbis, mutatis mutandis.

22 Vocantur Clerici, ut ſupra.

23 Vocantur Laici his verbis: *Accedant Laici, & alii quicumque volunt audiri.*

24 His expeditis juſſu Metropolitæ omnes excluduntur, qui admitti non debent, per Secretarium dicentem: *RR. DD. exeant omnes præter Procuratores Reverendiſſimorum Epiſcoporum, & Capitulorum.*

25 Januæ iterum clauduntur.

26 Promotores cum Cæremoniario ad Metropolitam.

27 Proteſtatio eorumdem, ut non admittantur Procuratores, niſi ex benignitate, & gratia; & quin prius conſtet de ſufficienti mandato.

28 Iidem ad propria loca.

29 Interim Notarii cum Secretario ad Metropolitam, & Patres pro votorum rogatione.

30 *Votum*, ſi placeat, *ut admittantur, & recognoſcantur mandata per Judices deputatos.*

31 Ad Metropolitam pro relatione.

32 Interrogatio Metropolitæ Patribus facienda, *An ſciant abeſſe aliquem, qui*

voti

voti deciſivi jus, vel privilegium habeat?
33 Reſponſio Patrum.
34 Secretarius de mandato Metropolitæ legit inſtantias, & decreta primæ ſeſſionis una cum catalogo Miniſtrorum Concilii.
35 Rogantur vota Patrum his verbis: *Reverendiſſimi Patres, decreta, & alia modo lecta placent ne vobis?*
36 Secretarius cum Notariis ad Patres pro reſponſione.
37 Metropolitano refertur.
38 Secretarius de mandato ejuſdem dicit: *Decreta modo lecta placuerunt Patribus* (ſi fuerunt approbata); *de eorum ergo aſſenſu illa ſtatuimus, ut lecta ſunt.*
39 Gratiarum actio in fine per Metropolitam.
40 Januæ aperiuntur.
41 Omnes ordine, quo venerant, diſcedunt.

§. VI. *De aliis publicis Congregationibus ſubſequentibus ad Patrum arbitrium.*

1 Acceſſus, vocatio, & admiſſio, ut ſupra §. antecedenti.
2 Relatio cauſſarum, ſi adſint. Diſcuſſio earum, & vota Patrum.
3 Decreta Metropolitæ de conſenſu Patrum, & publicatio eorum per Secretarium.
4 Lectio inſtantiarum, & Decretorum ſecundæ, vel tertiæ ſeſſionis reſpective per Secretarium modo, quo ſupra §. antecedenti.

CAPUT II.

De prima Seſſione Concilii Provincialis.

§. I. *De ſolemni, ac generali proceſſione uſque ad Miſſam Pontificalem.*

1 Summo mane Patres ad Eccleſiam pro Miſſis celebrandis.
2 Communio familiarium eorumdem inter ipſas.
3 Campanarum ſonus feſtivus Metropolitanæ, & aliarum Eccleſiarum Civitatis.
4 Laicorum Confraternitates, Regulares Civitatis, univerſus Clerus Sæcularis in Metropolitanam.
5 Interim in Secretario recitantur horæ diurnæ cum Miſſa poſt tertiam ſine cantu per Manſionarios.
6 Patres ad Metropolitam.
7 Canonici item cum toto Clero.
8 Metropolita cum Patribus, & Canonicis, ut ſupra, ad Cappellam ſui Archiepiſcopii.
9 Poſt ſolitam aſperſionem, & orationem, ad faldiſtorium cum Diaconis aſſiſtentibus.
10 Omnes ſedent tectis capitibus.
11 Canonici ad aulam proximiorem pro paramentis, & Diaconus, & Subdiaconus pro Miſſa mox celebranda accipiunt paramenta miſſalia, manipulis exceptis.
12 Alii omnes parandi in ædibus deputatis.
13 Interim diſtribuuntur paramenta pro Metropolita, & Patribus.
14 Proceſſioni principium datur per Confraternitates ordine, quo infra num. 21.
15 Metropolita, recedentibus Diaconis aſſiſtentibus, qui eunt ad capienda ſua paramenta convenientia, per manus Diaconi, & Subdiaconi jam paratorum, accipit ſuperpelliceum, amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, ſtolam, & pluviale rubeum, pectorale, mitram pretioſam, & paſtorale.
16 Patres ſimiliter per ſuos Cappellanos, amictus ſupra rocchettum, pluvialia, & mitras auriphrygiatas.
17 Abbates pariter eadem paramenta cum mitris, quæ tamen erunt lineæ.
18 His tandem paratis, Diaconi aſſiſtentes de more, (recedentibus Diacono, & Subdiacono de Miſſa) ad Metropolitam.
19 Miniſtratur incenſum, accedente Archidiacono, qui ſtatim recedit: & ultimus Canonicus pro præintonatione.
20 *Veni creator Spiritus*, per eumdem ſtantem ante medium Altaris *ſine mitra*, & genuflectentem ad reliquos primos verſiculos 3. omnibus interim, detectis capitibus, genuflectentibus.
21 Proceſſio conciliaris ad Eccleſiam S. Mariæ Pacis, hoc ordine.
1 *Duo Mazzerii.*
2 *Confraternitates Laicorum, ſingulæ cum earum Labaris, Crucibus, Cappellanis, Clericis, & Mazzeriis, Pſalterium B.M.V. clara voce recitantes.*
3 *Regulares omnes Civitatis ſub eorum Crucibus, ſinguli preces juxta tabellam decantantes, & quatuor eorumdem directores Clerici.*
4 *Crux Capituli Metropolitani per Subdiaconū paratum ſine candelabris.*
5 *Clerici Seminarii cum eorum directore, & tabellis precum.*
6 *Clerici omnes Diœceſis juxta eorum gradum, & ordines cum duobus directoribus, & tabellis precum.*
7 *Clerici omnes Civitatis eo modo, quo numero antecedenti.*
8 *Subdiaconi, & Diaconi Diœceſis.*
9 *Subdiaconi, & Diaconi Civitatis cum eorum directore, & tabellis precum.*
10 *Presbyteri omnes Diœceſis cum quatuor directoribus, & tabellis, preces inter ſe per claſſes diſtributi, decantantes.*
11 *Presbyteri Civitatis.*
12 *Oeconomi Eccleſiarum Parochialium* Diœ-

Diœceſis cum ſtolis rubeis, & eorum directores cum tabellis.
13 *Rectores Eccleſiarum Parochialium Diœceſis modo, quo ſupra, numero antecedenti.*
14 Subſequi deberent Archipresbyteri Diœceſis; quia vero parantur, incedunt poſt Crucem, ut infra.
15 *Manſionarii Eccleſiæ Metropolitanæ cum eorum tabellis.*
16 *Notarii Concilii.*
17 *Secretarii ejuſdem.*
18 *Mazzerius Metropolitæ cum duobus Scutiferis.*
19 *Thuriferarius cum thuribulo.*
20 *Crux Archiepiſcopalis per Cruciferum paratum inter Ceroferarios.*
21 *Archipresbyteri Provinciæ, ſi adſint, induti, ut infra.*
22 *Archipresbyteri Diœceſis cum pluvialibus, directoribus, & tabellis, per varias claſſes decantantes.*
23 *Quinque Collegia Diœceſis cum tunicellis, dalmaticis, planetis, & pluvialibus reſpective cum eorum directoribus, & tabellis.*
24 *Duo Collegia Civitatis cum paramentis, ut ſupra.*
25 *Promotores Synodales cum pluvialibus.*
26 *Procuratores Capitulorum Cathedralium cum pluvialibus, directoribus, & tabellis.*
27 *Procuratores Abbatum cum pluvialibus.*
28 *Procuratores Patrum Comprovincialium abſentium, ordine ſuorum principalium cum pluvialibus.*
29 *Aabates Diœceſis uſum mitræ habentes, cum pluvialibus, & mitris lineis albis, directoribus, & tabellis.*
30 *Abbates Regulares parati, ut ſupra.*
31 *Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ parati, ordine eorum cum directoribus manſionariis, & tabellis.*
32 *Patres parati juxta eorum ordinationem cum duobus Cappellanis, Caudatario, & directoribus cum tabellis.*
33 *Miniſter paratus cum paſtorali.*
34 *Metropolita paratus, ut ſupra, inter Diaconos aſſiſtentes paratos.*
35 *Miniſtri ejuſdem parati.*
36 *Vicarius Generalis.*
37 *Protonotarii, & alii Prælati, ſi adſint.*
38 *Reliqui de populo Pſalterium Beatæ Mariæ Virginis decantantes cum eorum directoribus.*

22 In Eccleſia S. Mariæ Pacis cantantur Antiphonæ, & ℣℣. ut in tabella per Cantores, & orationes per Metropolitam, Archidiacono librum ſuſtinente.
23 Patres, & Canonici tantum ſtabunt poſt eum in varios ſemicirculos diſtributi.
24 Reſumendi deinde Pſalmi, & iiſdem proceditur ad Eccleſiam Metropolitanam.
25 In Metropolitanam ingreſſis, Confraternitates hinc inde ſe diſponunt cum eorum labaris, & Crucibus.
26 Eorum prorſus modo Regulares.
27 Clerici Diœceſis, & Civitatis ſua petunt loca in Conciliari ſeſſione ſecundum eorum ordinem præſcriptum a Cæremoniario.
28 Subdiaconus relicta Cruce ad credentiam, Archipresbyteri Provinciæ, & Diœceſis, Collegia omnia, & Procuratores Cathedralium, Abbatum, & Epiſcoporum ad Sacriſtias pro dimiſſione paramentorum, & deinde in propriis locis in conſeſſu.
29 Cruciferarius Metropolitæ, Promotores, Abbates Sæculares, & Regulares, Canonici, Patres, & Metropolita cum ſuis Miniſtris paratis ad presbyterium, & Chorum reſpective, & in propriis locis ſedent.
30 Dimiſſio Regularium, & Confraternitatum, *ſi placet*, petita venia.

De Miſſa Pontificali de Spiritu Sancto per Metropolitam celebranda. §. II.

1 Sedentibus omnibus, Subdiaconus Miſſæ cum Acolythis, & Scutifero ad credentiam pro ſandaliis, ac deinde cum debitis reverentiis ad Metropolitam.
2 Archidiaconus cum Miniſtris de libris, & bugia ad eumdem.
3 Metropolita accipit ſandalia de more; Miniſtris tantum ſtantibus.
4 Subdiaconus cum aliis ad credentiam, & deinde prope Altare.
5 Abſolutis conſuetis Pſalmis Metropolita ſurgens legit ℣℣. & orationes.
6 Interim diſtribuuntur paramenta miſſalia pontificalia.
7 Metropolita lavat manus; interim Epiſcopi ſedent *cum mitris*, ceteri vero ſtant, vel genuflectunt pro eorum gradu, & dignitate.
8 Archidiaconus accedit inter Canonicos.
9 Diaconus, & Subdiaconus, & Miniſtri cum paramentis ad Metropolitam, non recedẽtibus Diaconis aſſiſtentibus.
10 Stantibus omnibus, præter Patres, deponit pluviale, &c. & accipit paramenta pro Miſſa cum pallio.
11 Archidiaconus redit, recedentibus Diacono, & Subdiacono, qui manipulos capiunt in propriis locis.
12 Miniſtratio incenſi, omnibus interim ſedentibus.
13 Metropolita procedit ad Altare pro Miſſa celebranda.
14 *Cum mitra* ſalutat Patres, qui eidem *cum mitris* correſpondent, & poſtea eas deponunt.

15 Con-

15 Confeſſio fit per Patres inter ſe de more; & eadem fit ab omnibus ſtantibus, vel genuflexis, ut ſupra.
16 Incenſato Altari, Metropolita accipit mitram, & idem Patres faciunt; & poſt ſalutationem ſedent.
17 Dum deponit *mitram* apud ſedem pro Introitu Miſſæ, ipſi pariter deponunt.
18 *Kyrie*, &c. & *Gloria* recitantur ab omnibus juxta regulas chorales; ſic etiam ſuo tempore *Credo*, *Sanctus*, & *Agnus Dei*.
19 Capellani Patrum ſedent ad pedes eorum, vel poſt ipſos, juxta capacitatem loci.
20 Unica dicitur oratio.
21 Diaconis, & Subdiaconis pro ſuis muneribus tranſeuntibus Patres non aſſurgunt; Abbates vero ſtantes cum mitris, ceteri detectis capitibus, & ſtantes eos ſalutant.
22 Epiſtola cantatur de more cum oſculo manus in fine.
23 Ad ℣. *Veni Sancte Spiritus* poſt Epiſtolam Metropolita in propria ſede, Patres, & Abbates in locis ſuis cum mitris genuflectunt; reliqui detecto capite.
24 Evangelium in ambone, ſtantibus omnibus detecto capite quouſque Metropolita recitaverit Symbolum; & ad ℣. *Incarnatus*, &c. omnes genuflectunt unico genu.
25 Dum cantatur in Choro dictus ℣. Metropolita, Patres, & Abbates *cum mitris*, Canonici Metropolitanæ, & Cathedralium ſine biretis profunde ſe inclinant, Collegia, & alii omnes detectis capitibus aſſurgunt, & genuflectunt utroque genu.
26 Poſt offertorium, & manuum lotionem Metropolita ad Altare eo modo, quo dictum eſt ſupra num. 14. deinde Patres, depoſitis mitris, ſtant, vel genuflectunt reſpective uſque ad finem miſſæ.
27 Incenſato Altari, & Metropolita, omnes incenſantur, ut ſequitur.

Per Diaconum.

1 *Patres omnes* triplici ductu.
2 *Archidiaconus cum Diaconis aſſiſtentibus* duplici.
3 *Canonici omnes parati*.
4 *Abbates mitrati*.
5 *Vicarius Generalis*, & *alii Protonotarii*.

Per unum ex Cæremoniariis.

6 *Diaconus Evangelii*.
7 *Procuratores Patrum abſentium, Abbatum, & Capitulorum*.
8 *Promotores*.
9 *Manſionarii* unico ductu.
10 *Collegia Urbana*, & *Foranea* unico.
11 *Reliqui* ſine mora.

28 Ad *Agnus Dei*, &c. Metropolita dat pacis oſculum Archidiacono, & aliis aſſiſtentibus, & Miniſtris ſacris.
29 Archidiaconus defert pacem omnibus, qui primum obtinent locum in incenſatione juxta regulas chorales.
30 Cæremoniarius vero omnibus ſecundi ordinis, ut ſupra a num. 7. uſque ad finem, ſi fieri poteſt.
31 Communio generalis Cleri, communicandis tantum genuflexis.
32 Non datur in fine *benedictio*, nec publicantur *indulgentiæ*.
33 Metropolita apud Altare deponit pallium, & apud Sedem planetam per Diaconum, & Subdiaconum, &c. & accipit pluviale cum mitra per Diaconos aſſiſtentes, ſedentibus interim Patribus tantum cum mitris.
34 Deponit ſandalia, & non lavat manus, accedentibus ſolitis Miniſtris.
35 Diaconi, & Subdiaconus inter Canonicos, & cum manipulis, quando ſunt miniſtraturi.

§. III.

De primo acceſſu ad conſeſſum, ac primæ Conciliaris ſeſſionis celebratione.

1 Proceditur ad conſeſſum Synodalem ordine ſequenti.

1 *Notarii Concilii cum uno ex cæremoniarum Magiſtris*.
2 *Secretarii*.
3 *Mazzerius*.
4 *Cruciferarius Metropolitæ cum Cruce ſine candelabris, cui dictus Metropolita, & Patres ſtantes cum mitris ſe inclinant*.
5 *Promotores*.
6 *Abbates, mitras manibus geſtantes*.
7 *Canonici Metropolitanæ omnes parati*.
8 *Patres* cum mitris, *facta prius Altari, & Metropolitæ reverentia, incipiendo a junioribus*.
9 *Metropolita inter Diaconos aſſiſtentes*.
10 *Vicarius Generalis, & alii Protonotarii, ſi qui ſunt*.

2 Omnes petunt ſua loca, Metropolita excepto, qui ſedet in faldiſtorio in plano Eccleſiæ, ſedentibus omnibus.
3 Diaconus a dextris, *Orate*, & omnes, etiam Metropolita, Epiſcopi, & Abbates, *cum mitris*, orant genuflexi.
4 Ultimus Canonicus Subdiaconus ad Metropolitam pro præintonatione Antiphonæ ſequentis.
5 Antiphona, *Exaudi*, genibus flexis, *ſine mitra*.
6 Pſalmus, *Salvum me fac*, ut in tabella alternatim per Clerum urbanum, & foraneum; & interim omnes ſedent tectis capitibus.
7 Dum repetitur antiphona in fine, omnes detecto capite ſurgunt.
8 Orationes, *Adſumus*, &c, *Omnipotens*, &c. miniſtrante Archidiacono.
9 Metropolita, & Epiſcopi ſedent, & mitras

mitras accipiunt; Abbates pariter ſuas, & genuflectunt; aliis etiam genuflectentibus.

10 Litaniæ a Cantoribus poſt Metropolitanum verſus cornu Epiſtolæ genuflexis.

11 *Benedictio* Concilii per Metropolitam tantum ſtantem.

12 Abſolutis Litaniis omnes ſurgunt, ac detectis capitibus manent.

13 *Oremus*, ſine *flectamus genua*, quia tempus Paſchale, & Oratio, *Da quæſumus, &c*, per Metropolitam.

14 Metropolita cum Patribus ſedens accipit *mitram*; deinde ſurgens, ac mutuis habitis ſalutationibus cum iiſdem, ut alias, ſedet in plano Altaris.

15 Diaconus Evangelii ad eumdem pro oſculo manus, deinde ante Altare pro *Munda cor meum, &c.*

16 Archidiaconus cum thuriferario, & miniſtratur incenſum; & Archidiaconus non recedit.

17 Item Diaconus cum Subdiacono, Ceroferariis, & Thuriferario pro benedictione; ſtantibus tantum Miniſtris cum aſſiſtentibus.

18 Evangelium in ambone cum oſculo, & thure in fine ad Metropolitam: recedente deinde Archidiacono.

19 Interim Diaconus, & Subdiaconus depoſitis manipulis inter Canonicos accedunt.

20 Ultimus Canonicus, ut ſupra, pro præintonatione ſequenti.

21 *Veni Creator Spiritus*; omnibus genuflectentibus, & ſtantibus, ut ſupra §. 1. num. 20.

22 *Extra omnes*, per Oſtiarios, & omnes ſedent tectis capitibus.

23 Portæ Eccleſiæ clauduntur.

24 Concio Metropolitæ ad Patres in proprio ambone cum ſeptem Diaconibus paratis.

25 Secretarius cum Cæremoniario ad Metropolitam.

26 Idem cum Decreto ad ambonem.

27 Decretum de *inchoanda Synodo* per Secretarium ſtantem ſine bireto, & ſtatim recedentem.

28 Alter Secretarius cum Notariis ad Patres, & ſigillatim ipſorum votum exquirunt.

29 Dicto ab omnibus *Placet*, ſi ipſis videbitur; Secretarius cum Notariis pro votorum relatione ad Metropolitam.

30 Metropolita clara voce dicit: *Decretum placuit omnibus Patribus. Itaque decernimus primæ Provincialis noſtræ Synodi initium fieri, & jam factum eſſe.*

31 Secretarius cum Notariis ad propria loca.

32 Primus Secretarius cum Cæremoniario pro aliis decretis ad Metropolitam, & iterum accedit ad ambonem.

33 Stans nudo capite, legit introductionem, reliqua ſedens, & cooperto capite.

1 *De ratione vivendi in Synodo, &c.*

2 *De Miniſtris Synodalibus.*

3 *De præjudicio non afferendo.*

4 *De non diſcedendo.*

34 Deinde bireto dimiſſo, & ſtans, immediate ſubjungit: *Reverendiſſimi Patres, Placent ne vobis hæc decreta?* & petit locum ſuum.

35 Alter Secretarius, & Notarii ad ſingulos Patres pro exquirendo conſenſu.

36 Dicto ab omnibus *Placet*, ſi ita videbitur, iidem ad Metropolitam pro relatione, deinde ad propria loca.

37 Metropolita clara voce dicit: *Decreta placuerunt; ideo agendæ ſunt Deo gratiæ.*

38 Patres reſpondebunt, *Deo gratias.*

39 Promotores, & primus Secretarius cum Cæremoniario ad Metropolitam.

40 Inſtant 1. *pro vocatione Patrum*, & aliorum, qui huic Concilio intereſſe debent.

41 Metropolita, *Ita decernimus, & mandamus.*

42 Secretarius ad ambonem, Promotores ad propria loca.

43 Decretum de *Vocatione Patrum*, & aliorum, ut ſupra.

44 Secretarius recedit.

45 *Vocatio* per Notarios Concilii.

46 Promotores cum Cæremoniario ad Metropolitam.

47 Inſtant 2. *contra abſentes.*

48 Metropolita, *Admittimus, & committimus.*

49 Idem Promotores cum Secretario.

50 Inſtant 3. *pro Indictione ſecundæ ſeſſionis.*

51 Metropolita, *Habeatur Reverendiſſimorum Patrum ſententia.*

52 Secretarius ad ambonem, Promotores ad propria loca.

53 Indicit ſecundam ſeſſionem, & Patres rogat ſtans ſine bireto.

54 Alter Secretarius cum Notariis ad Patres pro exquirendo conſenſu.

55 Dicto per omnes *Placet*: Iidem ad Metropolitam pro relatione, deinde ad propria loca.

56 Primus Secretarius ad Metropolitam pro decreto, deinde ad ambonem.

57 Decretum *Indictionis ſeſſionis*, & recedit.

58 Promotores, & Notarii ante Metropolitam, & Patres.

59 Inſtant 4. pro *Rogitu actorum.*

60 Primus ex Notariis dicit *Conficiam*, & publicat inſtrumentum.

61 Aperitio Eccleſiæ.

62 Diaconus dicit *Orate*; genuflectunt omnes, & *Oratio mentalis.*

63 Metropolita, Patres, & Abbates genuflectunt *cum mitris.*

64 Benedictio ſolemnis in fine: ſtantibus Patri-

Patribus, Abbatibus *ſine mitris*, Canonicis, & Protonotariis; reliqui genuflectunt.

65 Pulſantur organa.

66 Omnes parati, ut venerant, recedunt.

67 Metropolita deponit ſacras veſtes in ſua ſede, & cappam reaſſumit.

68 Patres, & Canonici idem faciunt in propriis locis.

69 Omnes diſcedunt comitantes Metropolitam.

70 Clerus totus modeſte recedit e conſeſſu, & ad Sacriſtias deputatas accedit pro Eccleſiaſticarum veſtium dimiſſione.

CAPUT III.

De ſecunda Seſſione Concilii Provincialis.

§. I. *De acceſſu ad Eccleſiam Metropolitanam uſque ad Miſſam incluſive.*

1 Feſtivus ſonus campanarum in Metropolitana.

2 Horæ minores diurnæ cum miſſa poſt tertiam ſine cantu per Manſionarios.

3 Patres miſſas perſolvunt; & deinde ad Metropolitam.

4 Univerſus Clerus in Metropolitana.

5 Tres Canonici miniſtraturi Epiſcopo Comprovinciali celebranti miſſam ſolemnem pro Presbytero, Diacono, & Subdiacono ad Sacriſtiam interiorem pro paramentis cum ſuis miniſtris.

6 Epiſcopus celebrans comitatur a quatuor Canonicis, & Clericis ad dictum locum, & accipit paramenta de more.

7 Canonici, & Clerus Metropolitanæ Eccleſiæ ad Archiepiſcopum; ceteri ad congreſſum Synodalem.

8 Metropolita cum cappa comitatus a Patribus cum rocchettis, & mozzettis, & Canonicis, ut alias ad Secretarium.

9 Patres ad dexteram Metropolitæ ſtabunt, vel ſedebunt, & Canonici e regione.

10 Metropolita ad propriam ſedem, & accipit paramenta, ut infra. Amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, ſtolam, & pluviale rubei coloris, pectorale, & mitram pretioſam cum paſtorali.

11 Proceſſionali ritu procedit ad Capellam SS. Sacramenti, deinde ad Altare majus.

12 Interim Epiſcopus celebrans, miniſtrato incenſo, accedit ad Altare majus cum Miniſtris, præcedentibus Thuriferario, & Ceroferariis, & ſedet in faldiſtorio ibidem parato.

13 Ad Metropolitam, & ceteros Patres ingredientes in presbyterium tantum aſſurgens cum mitra eos ſalutat; Canonicos vero ſedens.

14 Depoſita deinde *mitra*, accedit ad ſiniſtram Metropolitæ aſſurgentis ab oratione, & cum eo facit ſolitam confeſſionem; Patres idem in ſuis locis.

15 Aſcendit ad Altare, & Metropolita ad ſedem, ubi miniſtrat incenſum.

16 Thurificato Altari de more Epiſcopus cum mitra ſtans in cornu Epiſtolæ incenſatur triplici ductu, deinde Metropolita.

17 Ad faldiſtorium progrediens, proſequitur miſſam de more uſque ad offertorium incluſive.

18 Subdiaconus poſt Epiſtolam, & Diaconus ante Evangelium oſculatur manus Metropolitæ, a quo recipit benedictionem ad Evangelium; & in fine oſculatur librum, & incenſatur.

19 Epiſcopus, lotis manibus poſt offertorium, cum mitra, factis debitis reverentiis, procedit ad Altare, ubi proſequitur miſſam. Incenſatio, ut in ſuperiori ſeſſione.

20 Oſculum pacis dat Presbytero aſſiſtenti Metropolitæ, deinde ſuo (qui pacem defert Patribus, & Choro). Diacono, & Subdiacono.

21 Interim diſtribuuntur paramenta pro Patribus, Canonicis, & Abbatibus; Promotores, & Miniſtri cum Crucifero parantur in Sacriſtia.

22 Diaconus, & Subdiaconus cantaturi Evangelium, ut infra, pariter in Sacriſtia.

23 In fine miſſæ non datur *benedictio*, nec publicantur *Indulgentiæ*.

24 Epiſcopus celebrans cum debitis reverentiis redit in Secretarium, ubi deponit paramenta miſſalia, & accipiens pluviale, ſuo tempore accedit inter Patres ad ſeſſionem.

25 Patres omnes per Cappellanos parantur in propriis locis; ſic etiam Canonici, & Abbates.

26 Duo Canonici Diaconi parati ad Metropolitam, recedentibus primis pro paramentis.

27 Promotores, Miniſtri, & Cruciferarius jam parati in presbyterium, & Chorum reſpective.

28 Duo primi Diaconi iterum ad Metropolitam, & alii inter Canonicos.

29 Proceditur ad conſeſſum, ut in prima ſeſſione, & ſedent.

§. II. *De ipſa ſecunda ſeſſione uſque ad finem.*

1 Orate, per Diaconum aſſiſtentem.

2 Omnes genuflectunt, etiam Metropolita, in plano Eccleſiæ, Patres, & Abbates *cum mitris*.

3 Ultimus Canonicus Subdiaconus ad Metropolitam, ut in prima ſeſſione.

4 Antiphona, *Propitius*, per Metropolitam genuflexum ſine *mitra*.

5 Pa-

5 Patres, & Abbates ſuas etiam deponunt.

6 Pſalm. *Deus venerunt gentes, &c.* per Cantores, omnibus ſurgentibus, & ſedentibus cooperto capite.

7 Repetita Antiphona ſurgunt omnes, & Metropolita ſtans ſine *mitra*, ſicut & alii, verſus Altare dicit, miniſtrante Archidiacono, *Oremus. Noſtrorum tibi, &c. Oremus. Mentibus noſtris, &c. Oremus*, ſine Flectamus genua, *Deus qui nos, &c.*

8 Metropolita in plano Altaris, ut in ſeſſione prima.

9 Proceditur ad Evangelium de more.

10 Ultimus Subdiaconus ad Metropolitam pro præintonatione, ut ſequitur, omnibus interea genuflectentibus.

11 *Veni Creator Spiritus, &c.*

12 *Extra omnes* per Oſtiarios, & omnes ſedent tectis capitibus.

13 Portæ Eccleſiæ clauduntur.

14 Concio de ambone Archiepiſcopi per unum ex Patribus.

15 Promotores cum Secretario, & Cæremoniario ad Metropolitam.

16 Inſtant 5. pro *Fidei profeſſione.*

17 Metropolita, *Ita decernimus, & mandamus.*

18 Secretarius ad ambonem, Promotores ad propria loca.

19 Decretum de *Fidei profeſſione* a Patribus facienda.

20 Secretarius iterum ad locum ſuum.

21 Interim Metropolita depoſita mitra, & genuflexus verſus Altare clara voce, & tactis Evangeliis profeſſionem Fidei emittit; omnibus, detectis capitibus, ſtantibus.

22 Metropolita deinde ſedet, accepta mitra, & librum Evangeliorum tenens; omnes Patres hac prima vice ad Fidei profeſſionem accedunt.

23 Depoſitis mitris eum ſalutant, & genuflexi profeſſionem emittunt, uno legente, audientibus aliis.

24 In fine ſinguli tangunt, & deoſculantur Evangelia, breviſſimam formulam recitantes, & ad ſua redeunt loca.

25 Promotores cum Secretario, & Cæremoniario ad Metropolitam.

26 Inſtant. 6. pro *Lectione Decretorum.*

27 Metropolita, *Ita decernimus, & mandamus.*

28 Secretarius acceptis reverenter decretis ad ambonem; Promotores ad propria loca.

29 *Lectio Decretorum* in totum, vel in partem, juxta temporis opportunitatem.

30 Proponuntur Patribus per hæc verba: *Eminentiſſime, & Reverendiſſime Pater, & Domine, Reverendiſſimi Patres placentne hæc omnia vobis?* & recedit.

31 Alter Secretarius cum Notariis ad Metropolitam, & Patres pro exquirendo eorum conſenſu.

32 Dicto per omnes *Placet*, ſi ita videbitur, iidem ad Metropolitam pro votorum relatione, & ſua petunt loca.

33 Metropolita clara voce dicit hæc, vel alia opportuna verba, *Decreta placuerunt omnibus; ideo agenda ſunt Deo gratiæ.*

34 *Patres* reſpondebunt, *Deo gratias.*

35 Promotores cum Secretario, & Cæremoniario ad Metropolitam.

36 Inſtant 7. *pro Indictione 3. Seſſionis.*

37 Metropolita *Habeatur Reverendiſſimorum Patrum ſententia.*

38 Secretarius ad ambonem; Promotores ad propria loca.

39 Indicit tertiam ſeſſionem, & Patres rogat ſine bireto.

40 Alter Secretarius cum Notariis ad Patres pro exquirendo conſenſu.

41 Dicto per omnes *Placet*, iidem ad Metropolitam pro relatione, deinde ad propria loca.

42 Primus Secretarius ad Metropolitam pro Decreto, deinde ad ambonem.

43 Decretum *Indictionis futuræ ſeſſionis*, & recedit.

44 Promotores cum Notariis ante Metropolitam, & Patres.

45 Inſtant 8. pro *Rogitu actorum.*

46 Primus ex Notariis dicit *Conficiam*, & publicat inſtrumentum.

47 Aperitio Eccleſiæ.

48 Diaconus dicit, *Orate*, & omnibus orantibus, ut in præcedenti ſeſſione, fit *Oratio mentalis.*

49 Benedictio ſolemnis in fine.

50 Omnes parati, ut venerant, recedunt.

51 Metropolita deponit ſacras veſtes in ſua ſede, & accipit cappam.

52 Patres, Canonici, & Abbates idem faciunt in ſuis locis.

53 Omnes diſcedunt comitantes Metropolitam.

54 Clerus totus modeſte recedit a conſeſſu pro depoſitione veſtium choralium.

CAPUT IV.

De Tertia, & ultima Seſſione in duabus Seſſionibus continuatis diſtributa.

De iis omnibus, quæ facienda ſunt de mane.

§. I.

1 Serventur omnia ſupra expoſita c. 3. §. 1. per totum.

2 *Orate* per Diaconum aſſiſtentem, & omnes genuflectunt, ut in aliis ſeſſionibus.

3 Ultimus Canonicus Subdiaconus ad Metropolitam.

4 Ant. *Exaudi nos Domine, &c.* per Metro-

tropolitam genuflexum in plano Eccleſiæ *ſine mitra*.
5 Patres, & Abbates ſuas etiam deponunt.
6 Pſal. *Salvum me fac Deus &c.* per Cantores, omnibus ſurgentibus, & ſedentibus tecto capite.
7 Repetita Antiphona, ſurgunt omnes, & Metropolita ſtans *ſine mitra*, ſicut & alii, verſus Altare dicit, miniſtrante Archidiacono, *Oremus*, *Ad te Domine &c. Oremus, Omnipotens &c. Oremus* ſine flectamus genua, *Deus, qui populis tuis &c.*
8 Metropolita in plano Altaris ſedet, ut in præcedentibus ſeſſionibus.
9 Proceditur ad Evangelium de more.
10 Ultimus Subdiaconus ad Metropolitam pro præintonatione, ut ſequitur.
11 *Veni Creator Spiritus &c.*
12 *Extra omnes* per Oſtiarios, & omnes ſedent tectis capitibus.
13 Portæ Eccleſiæ clauduntur.
14 Concio de ambone Archiepiſcopi per unum ex Patribus.
15 Promotores cum Secretario, & Ceremoniario ad Metropolitam.
16 Inſtant 9. pro *continuatione lectionis decretorum*.
17 Metropolita, *ita decernimus, & mandamus*.
18 Secretarius, acceptis reverenter decretis; ad ambonem, Promotores ad propria loca.
19 *Lectio* Decretorum.
20 Proponuntur Patribus per hæc verba, *Eminentiſſime, & Reverendiſſime Pater, & Domine, Reverendiſſimi Patres placent ne hæc omnia Vobis?* & recedit.
21 Alter Secretarius cum Notariis ad Metropolitam, & Patres pro exquirendo conſenſu.
22 Dicto per omnes *Placet*, ſi ita videbitur, iidem ad Metropolitam pro relatione, & deinde in propriis locis.
23 Metropolita clara voce dicit hæc, vel alia opportuna verba. *Decreta placuerunt omnibus; ideo agendæ ſunt Deo gratiæ*.
24 *Patres* reſpondebunt, *Deo gratias*.
25 Promotores cum Secretario, & Ceremoniario ad Metropolitam.
26 Inſtant 10. pro *delectu teſtium Synodalium*.
27 Metropolita, *Ita decernimus, & eligimus*.
28 Secretarius ad ambonem; Promotores ad propria loca.
29 Decretum *promulgationis Teſtium Synodalium*.
30 *Nominatio, & vocatio* eorumdem, vel ejus loco.
31 *Oſtenſio ſchedulæ ſigillo obſignatæ cum eorum nominibus*.
32 Item Secretarius dicit: *Teſtes Synodales, qui modo nominati ſunt, ſi qui adſunt, ordine ad Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Metropolitam accedant, juraturi ſe ſincere expleturos muneris ſui partes*, & recedit.
33 Interim Archidiaconus, & Ceroferarii cum Sanctis Reliquiis ad Metropolitam, qui cum Patribus, Abbatibus retenta mitra, & aliis de Clero, detecto capite, ſtantibus debitam eis præbent reverentiam; deinde ſedens eas accipit, ſedentibus omnibus.
34 Acceſſus teſtium ad eumdem, qui genuflexi jurant juxta formulam expoſitam.
35 Eo modo, quo venerant, reportantur Reliquiæ.
36 *Omittuntur omnia in quinque ſignatis numeris adnotata, ſi nominatio fiat per oſtenſionem Schedulæ*.
37 Secretarius deinde ad ambonem pro ſequenti decreto.
38 Decretum de *Jurejurando præſtando ab abſentibus*.
39 Promotores cum Secretario, & Ceremoniario ad Metropolitam.
40 Inſtant 11. *pro continuatione Seſſionis eodem die poſt Veſperas*.
41 Metropolita, *habeatur ſententia Reverendiſſimorum Patrum*.
42 Secretarius ad ambonem; Promotores ad propria loca.
43 Idem ſtans ſine bireto dicit; *Reverendiſſimi Patres, cum omnia, quæ in hac ſeſſione rite peragenda ſunt, præ temporis brevitate hodie mane abſolvi non poſſint, placet ne Vobis hanc ipſam ſeſſionem continuari hodie poſt Veſperas?*
44 Patres reſpondebunt, *Placet*, ſi ipſis videbitur.
45 Secretarius ad Metropolitam pro decreto, deinde redit ad ambonem.
46 Decretum *continuationis ſeſſionis*.
47 Secretarius recedit.
48 Promotores cum Ceremoniario ad Metropolitam.
49 Inſtant 12. *contra abſentes*.
50 Metropolita, *admittimus, committimus, & jubemus*.
51 Item Promotores, & Notarii.
52 Inſtant 13. pro *Rogitu actorum*.
53 Unus ex Notariis dicit, *Conficiam*, & publicat inſtrumentum.
54 Secretarius de mandato Metropolitæ ad ambonem.
55 Decretum *de diſceſſu*, & recedit.
56 Organa pulſantur.
57 Metropolita manu benedicit Clerum.
58 Ad propriam ſedem deponit paramenta cum aliis Patribus, & Canonicis &c.
59 Cum ſolo Clero Metropolitano, & Patribus redit ad Archiepiſcopium.
60 Ceteri modeſte recedunt.

§.II.

De iis omnibus, quæ facienda ſunt a prandio pro continuatione tertiæ Seſſionis.

1 Hora competenti a prandio poſt ſonum feſtivum campanarum in Metropolitana.

2 Tres Canonici, qui Miſſæ inſervierunt, ad Sacriſtiam pro pluvialibus; deinde, præcedentibus Acolythis, procedunt ad Altare, & in propriis locis ſedent.

3 Canonici, & Clerici omnes Metropolitanæ ad Archiepiſcopium; reliqui in conſeſſu Synodali.

4 Interim unus ex PP. in faldiſtorio apud Altare, & paramenta pro Veſperis deſumit.

5 Metropolita ſolito comitatu cum Catribus, & Canonicis ad Eccleſiam cum cappa, & poſt ſolitas orationes ad Sedem.

6 Cantantur Veſperæ alternatim a Clero urbano, & foraneo.

7 Antiphonæ ante Pſalmos, præter primam, intonantur a Canonicis de more.

8 Capitulum dicitur per unum ex Cantoribus.

9 Dum cantatur Antiphona ad *Magnificat*, Epiſcopus ſedens miniſtrat incenſum.

10 Ad *Magnificat* procedit cum debitis reverentiis ad Altare, quod thurificat.

11 In cornu Epiſtolæ; accepta mitra, thurificatur per ſuum Presbyterum aſſiſtentem, & denuo ad faldiſtorium, ubi ſtat ſine mitra.

12 Metropolita per Presbyterum aſſiſtentem thurificatur; deinde per Canonicum Subdiaconum; Patres Canonici, & alii per Cęremoniarium.

13 Interim diſtribuuntur paramenta pro Metropolita, Patribus, Canonicis, & Abbatibus.

14 Promotores, Miniſtri, & Cruciferarius ad Sacriſtiam pro paramentis; deinde redeunt.

15 Abſolutis Veſperis non datur *Benedictio*, & Epiſcopus recedit in Secretarium.

16 Metropolita, Patres, Canonici, & Abbates parantur, ut alias pro ſeſſione.

17 Procedunt omnes ad conſeſſum.

18 *Orate* per Diaconum aſſiſtentem, omnibus genuflectentibus.

19 Metropolita ſtans in plano Eccleſiæ ſine mitra dicit, miniſtrante Archidiacono, *Adſumus &c.*

20 Sedet in plano Altaris.

21 *Extra omnes* per Oſtiarios.

22 Promotores cum Secretario, & Cęremoniario ad Metropolitam.

23 Inſtant 14. pro *ſubſcriptione Concilii*.

24 Metropolita, *monemus, præcipimus, & fieri mandamus*.

25 Secretarius ad ambonem cum Decretis; Promotores ad propria loca.

26 Decretum *de ſubſcribendo*, & Secretarius recedit.

27 Notarii prope Altare majus a parte Evangelii.

28 Metropolita, & alii Patres ſucceſſive ad Altare, & ſuper eo in cornu Evangelii Decreta ſubſcribunt, & ad propria loca redeunt.

29 Promotores cum Secretario, & Cęremoniario ad Metropolitam.

30 Inſtant 15. *pro indictione futuri Concilii.*

31 Metropolita, *Ita decernimus, & mandamus.*

32 Secretarius accepto decreto ad ambonem, Promotores ad propria loca.

33 *Indictio* Concilii Provincialis futuri.

34 Promotores cum Secretario, & Cęremoniario ad Metropolitam.

35 Inſtant 16. pro fine *Concilio imponendo*.

36 Metropolita, *Ita decernimus, & mandamus, ſi ita Reverendiſſimis Patribus placeat.*

37 Secretarius ad ambonem; Promotores ad propria loca.

38 Rogatio Patrum his verbis: *Eminentiſſime, & Reverendiſſime Pater, & Domine, & Reverendiſſimi Patres placet ne Vobis ad Dei Omnipotentis laudem hujus Provincialis Synodi finem iam fieri*, & recedit.

39 Alter Secretarius cum Notariis ad Metropolitam, & Patres pro exquirendo conſenſu.

40 Dicto ab omnibus *Placet*, ſi ipſis videbitur, iidem ad Metropolitam pro relatione.

41 Metropolita clara voce dicit: *Placuit omnibus Patribus; itaque decernimus huic Provinciali Synodo noſtræ finem fieri, & jam factum eſſe.*

42 Primus Secretarius cum Cęremoniario, accepto decreto a Metropolita, ad ambonem.

43 Publicat decretum *de fine Synodo imponendo*, & recedit.

44 Promotores, & Notarii ad Metropolitam, & Patres.

45 Inſtant ultimo *pro rogitu actorum*.

46 Unus ex Notariis dicit, *Conficiam*, & publicat inſtrumentum: & redeunt ad propria loca.

47 Affigitur edictum *contra contumaces*.

48 Oratio gratulatoria ad Patres.

49 Aperitio Eccleſiæ.

50 Qui ſunt parandi, ut in prima Proceſſione, parentur in Sacriſtiis aſſignatis.

51 Proceſſio, ut in prima ſeſſ.c.2. §.1.

52 Subdiaconus ad Metropolitam pro præintonatione, ut ſequitur.

53 Hym-

53 Hymnus *Te Deum*, quem Clerus item per Claſſes diſtributus cantabit.

54 Pergit Proceſſio ad Eccleſiam S. Mariæ Gratiarum: Ibi cantatur Antiph., & Verſic., ut in Tabella per Cantores, & Oratio per Metropolitam, Archidiacono librum ſuſtinente.

55 Patres, & Canonici tantum ſtabunt poſt eum in varios ſemicirculos diſtributi.

56 In regreſſu cantantur Pſalmi, ut in Tabella.

57 In Metropolitanam ingreſſi in ſuis Sacriſtiis relinquunt paramenta, qui acceperunt, ut in nu. 50. & redeunt ad propria loca.

58 Omnibus in ſuis locis compoſitis, ac ſtantibus, & Patribus ſine mitris, Metropolita verſus Altare, miniſtrante Archidiacono, dicit orationem *Nulla eſt Domine*.

59 Diaconus dicit, *Orate, & Oratio mentalis*.

60 Finita oratione mentali, *Acclamationes* in ambone per unum ex Patribus, qui omnes ſtabunt cum mitris facie verſa ad Synodum.

61 Expletis acclamationibus, omnes Patres ordine eorum ad Metropolitam pro *oſculo pacis*, ſtantes cum mitris.

62 *Benedictio* ſolemnis in fine.

63 Archidiaconus publicat Indulgentias plenarias conceſſas a Sanctiſſimo Domino Papa Innocentio XII.

64 *Recedamus in pace* per primum Diaconum aſſiſtentem.

65 Et omnes *In nomine Chriſti. Amen*.

66 Metropolita cum Patribus, Canonicis, & aliis deponit ſacras veſtes.

67 A toto conſeſſu comitatur ad Archiepiſcopium.

CAP. V.

De Miſſa pro Defunctis Pontificibus hujus Provinciæ.

DIe 15. Aprilis Metropolita cantavit Miſſam de *Requiem* pro omnibus Pontificibus Provinciæ defunctis, & quatuor ex Patribus cum eodem Metropolita fecerunt abſolutionem, prout in Pontificali Romano.

FINIS CONCILII PROVINCIALIS XIV.

Idem Archiepiſcopus alteram Provincialem Synodum coegit anno Domini MDCXCVIII.

CONCILIUM PROVINCIALE XV.,

Habitum anno à Chriſto nato MDCXCVIII. Diebus X. XIV., & XIX. menſis Maii a Fr. Vincentio Maria Card. Urſino Archiepiſcopo.

EPISTOLA SYNODICA AD SS. D. PP. INNOCENTIUM XII.

Cujus auctoritati hoc Concilium ſubmittitur.

SANCTISSIME PATER.

SUPERNA benedictionis fluenta, quibus Sanctitas Veſtra ſuperiorem noſtram Provincialem Synodum anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi tertii paterno irrigavit affectu, perenni ferme decurſu in ſecundam quoque derivata conſpexi: Hanc ſiquidem, cum Sacris Canonibus, Tridentini Concilii decretis, & conſtanti hujus Metropolis conſuetudini pro viribus inhærens, tum præcipue benigniſſimis Sanctitatis Veſtræ litteris, datis die decimaſexta Januarii ſequentis anni 1694. quibus Provincialium Synodorum aliis Metropolitis celebrationem noſtræ humillimę Provincię exemplo inſinuare non dedignabatur, ne ſegnior apparerem, vehementer excitatus, nuperrime coegi: & omnes ejuſdem Provinciæ Patres, quatuor exceptis, canonico impedimento præpeditis, una cum inferioribus Prælatis, hilari, promptoque animo convenere, quorum cœtu legitime congregato, ſecundam Provincialem Synodum diebus decima, decimaquarta, & decimanona Maii, unanimi omnium aſſenſu, & conſenſu, celebravimus. Multiplici Decretorum editioni temperatum eſt, paucis dumtaxat pro novis emergentibus emanatis; omni contentione, & ſtudio in illud cumprimis incumbentes, ut tum ad faciliorem ſuperioris Synodi obſervantiam via planior ſterneretur, tum, ut Œcumenici Chalcedonenſis Concilii Patres monuere, ne multæ, quæ correctione opus habent, Eccleſiaſticæ res negligerentur, & controverſiæ, quæ in dies, ut humana fert conditio, exoriuntur, componerentur. Quæcumque tamen pro noſtro imbecilli modulo conſtituta ſunt, Ego, & Fratres mei, quanta maxima poſſumus reverentia, humilitate, & obedientia, ad Sanctitatem Veſtram, ejus judicio, & cenſuræ emendanda ſubiicientes, mittimus. Deo interim vota perſolvimus, ut Sanctitatem Veſtram, cujus ſalute magna ex parte Orbis Terrarum tranquillitas continetur, diutiſſime ſervet incolumem, ad cujus Apoſtolicum Thronum provoluti, Paternam benedictionem, tantorum bonorum feraciſſimam, Nobis, gregibus noſtris, & univerſæ noſtræ Provinciæ precamur. Datum Beneventi die XIX. menſis Maii MCDLXXXXVIII.

Humillimi, Obſequentiſſimi, ac Devotiſſimi Filii, & Servi veſtri, Archiepiſcopus, Epiſcopi, & alii Prælati inferiores Ordinarii in Concilio Beneventano canonice congregati.

Fr. Vincentius Maria Cardinalis Archiep. Præſes.

De mandato Sacri Concilii Provincialis Samnitium Provinciæ.

Franciſcus Antonius Canonicus Finy a Secretis.

Julianus Bovicellus Presbyter a Secretis.

BREVE SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI CLEMENTIS PAPÆ XI.

Quo ſecundum hoc Provinciale Concilium, menſe Maio anno 1698. celebratum, & ab Eminentiſſimo D. Cardinali Urſino Archiepiſcopo Metropolita nuper Sanctitati Suæ humiliter ſubmiſſum, benigniſſime commendatur.

Foris. Venerabili Fratri noſtro Vincentio Mariæ Epiſcopo Tuſculano S.R.E. Cardinali Urſino nuncupato.

Intus vero. CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

E*Ximiæ illius, ac vere Paſtoralis vigilantiæ, qua pręter egregias animi dotes, te, Dei munere, præditum eſſe iampridem novimus, novum, ac præclarum ſpecimen deſumpſimus ex zelo, quo incumbis, ut Provincialis iſta Synodus congruis, ſtatiſque temporibus cogatur, in qua videlicet tum tuo ipſius, tum communi convenientium Antiſtitum ſtudio, quæ ad Divini Cultus incrementum, Anima-*

marumque ſalutem pertinent, provide ſtatuantur. Compertum itaque tibi eſſe volumus, Pontificiam noſtram erga te benevolentiam hoc etiam nomine cumulari, quam tibi luculentis documentis explicare, ubi ſuppetent occaſiones, non omittemus. Cupimus autem, ut perſpecta ſit Epiſcopis, ceteriſque Prælatis, qui tecum allaboraverunt in noviſſima Synodo, cujus acta ad nos deferri curaſti, præcipua charitas, qua eos omnes, & ſingulos, hac præſertim de cauſſa, proſequimur, quibus propterea, tibique in primis, Venerabilis Frater Noſter, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XIX. Januarii MDCCI. Pontificatus Noſtri anno primo.

Ulyſſes Joſ. Archiep. Theodoſien.

TITULORUM
Secundæ Provincialis Synodi
Urſinæ.

INDEX ALPHABETICUS.

C

Celebratione Miſſarum, & Divinis Officiis Tit.VII.
Conſtitutionibus Tit.I.

E

Electione Tit.II:
Eremitis Tit.III.

R

Regularibus Tit. V.
Religioſis Domibus, ut Epiſcopis ſint ſubjectæ Tit.VI.
Reliquiis, & veneratione Sanctorum Tit.VIII.

S

Sepulturis Tit.IV.

Edictum Indictionis ſecundi hujus Concilii, & *Decreta* 1. de inchoanda Synodo. 2. de ratione vivendi in Synodo, & aliis in eadem ſervandis. 3. de Miniſtris Synodalibus. 4. de præjudicio non afferendo. 5. de non diſcedendo. 6. de Patrum vocatione. 7. de profeſſione Fidei, *& de ceteris hujuſmodi habentur in Actis, quæ in Archiepiſcopali Archivo ſervantur. Methodus* autem totius actionis, quæ præceſſit, comitata, & ſubſequuta eſt Concilium ipſum Provinciale, & *Edictum* publicationis Actorum ſunt eadem, mutatis mutandis, quæ in primo Concilio, jam impreſſo, leguntur.

CONSTITUTIONES
SECUNDÆ SYNODI
PROVINCIALIS URSINÆ.
FR. VINCENTIUS MARIA
ORDINIS PRÆDICATORUM,

Miſeratione Divina Tituli S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis Urſinus, S. Beneventanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus Metropolita, de conſilio, & aſſenſu Reverendiſſimorum Dominorum Coepiſcoporum noſtrorum, qui ad Dei gloriam, & honorem in hanc ſecundam Provincialem Synodum convenerunt, hæc ſtatuimus, & ſancimus.

TIT. I.

De Conſtitutionibus.

CAP. I.

Superioris Provincialis Concilii obſervantia injungitur.

IN nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hæc Sancta Synodus probe cognoſcens, omnium legum potiſſimam eſſe earumdem legum obſervantiam, Epiſcopos omnes cum primis obteſtatur, ut quæ in ſuperiore Provinciali Concilio ſtatuta ſunt, & ipſi impenſius exequantur, & Subditis ſuis ſedulo commendent, omneque ſtudium, & diligentiam adhibeant, ut illis omnibus ſint obſequentes: fruſtra enim terræ ſemen illud commiſſum eſt, quod fructum ſuum non affert in tempore ſuo.

CAP. II.

Piana Conſtitutionis contra Epiſcopalis Archivi, ſede vacante, violatores obſervantia inculcatur.

EJuſmodi eſt, quod non ſine acerbiſſimo doloris ſenſu S. Synodus accepit, nullam videlicet Conſtitutionis B. Pii V. (1) quæ incipit: *Muneris noſtri*, quamque ſuperiore Concilio Tit.XV. *De fide Inſtrumentorum* Cap. IV. ſerio inculcavit, ratio- 1 CXXI.

tionem habitam fuiſſe, ſed in hoc quinquennii interſtitio non defuiſſe, qui, Cathedrali ſuo viduata Paſtore, in Epiſcopale Archivum, conniventibus, qui cuſtodire tenebantur, manus injeciſſe; & ne delictorum cognitio, vel vindicta uſpiam conſequatur, proceſſus ſurripuiſſe, & occultaſſe: proinde omnibus mandat Epiſcopis, ut contra hujuſmodi violatores, eorumque fautores, & Notarium inquirant, & pœnis in præfata Conſtitutione inflictis pro exemplo coerceant, ut nefarium hoc facinus e noſtra Provincia omnimodis eliminetur.

C A P. III.

De Provincialis Concilii publicatione, obſervantia, & interpretationis reſervatione, ad ſuperius Concilium remiſſive.

INfra ſex menſes a die completæ impreſſionis, Provincialis Concilii decreta ab Epiſcopis in ſuis Diœceſibus evulganda: infra tres menſes ab evulgatione ſervanda: ambiguitates ad Metropolitæ interpretationem ſunt deferendæ, prout in ſuperiore Concilio Tit. eodem, Capitulo II. latius, & plenius continetur.

C A P. IV.

Capitularia Metropolitani Capituli pro forma Statutorum aliis Capitulis proponuntur.

QUod in eodem ſuperiore Provinciali Concilio decretum fuit, ut Capitula, quæ Statutis carebant, ea conderent, & ſuis Epiſcopis examinanda, & probanda deferrent, cum nonnulla Capitula normam in eiſdem condendis deſiderantia, nondum exequutioni demandarint, Capitularia noſtri Metropolitani Capituli, a Nobis in vim præfati Concilii edita, & in hoc ſecundo a Patribus probata, & confirmata, illis S. Synodus proponit, ut, aptatis aptandis, ſua eiſdem conforment, ne de cetero ullus excuſationi ſit locus.

T I T. II.

De Electione.

C A P. I.

Ambitioſi a moleſtis fautoribus ſibi comparandis avertuntur.

NIhil eſt, quod Eccleſiæ Dei magis officiat, quam quod Beneficiorum Collatores ſua libertate, ob importunas, & moleſtas preces, quæ deinde in gravamina deſinunt, non utuntur: cui morbo Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunenſi, neceſſariam volens adhibere medelam, Conſtitutione, quæ incipit: *Sciant cuncti*, ſancivit, quatenus, qui perſonas Eccleſiaſticas, ad quas ſpectat electio, pro eo, quod rogatæ eum, pro quo rogabantur, eligere noluerint, vel Conſanguineos earum perſequendo gravare præſumpſerint, ſe ipſo facto excommunicationis ſententia noverint innodatos. Quia vero nemo cum ſuæ animæ jactura in tantam importunitatem dilaberetur, niſi, qui ambitioſa cupiditate inducti, moleſtos illos rogatores, poſtmodum gravatores, provocarent, Sancta Synodus, volens his incommodis, ac præjudiciis occurrere, nec non taliter ſibi viam ad extorquenda potius, quam obtinenda beneficia parantes, tanquam indignos coercere, eadem cenſura deterrere decrevit.

C A P. II.

Teſtimonia de idoneitate, aut inſtitutiones, nonniſi examine probatis fiant.

NUlli pro Canonicatu, aliove beneficio, etiam ſimplici, obtinendo atteſtationes de idoneitate fiant, nullusque præſentatus inſtituatur, niſi ab Epiſcopo per examen, ſi alias idoneus non judicetur, approbari meruerit.

T I T. III.

De Eremitis.

C A P. I.

Eremitarum vitæ, & honeſtati conſulitur. S. Mennas, & B. Joannes in Samnio ſolitarii proponuntur.

AD floridum Eccleſię ſtatum pertinet, ut & ſolitudo, quam Eremitæ incolunt, in noſtra Provincia efflorescat: prout olim eximiis S. Mennæ, B. Gregorii Papæ laudibus celebris, necnon B. Joannis de Tufaria uirtutibus lætata eſt. Quapropter S. Synodus ſequentia circa eorumdem vitam, & honeſtatem præcipit obſervanda.

C A P. II.

Solitariam vitam eligentium propoſitum exploretur.

QUicumque Deo inſerviendi, vel agendæ pœnitentiæ ſtudio Eremiticam vitam elegerunt, Epiſcopo ſe præſentent, a quo eorum propoſitum, priuſquam habitum induant, diſcutiatur.

C A P. III.

Qui habitus Eremitæ conveniat?

HAbitus quoad formam, a Regularium veſtium forma diſcernatur, & Caputium præſertim nullo pacto illorum caputiis aſſimiletur.

CAP. IV.

Ab Epiſcopo habitus imponatur, & Oratorium aſſignetur, idque patentibus litteris conſtet.

EPiſcopus ipſe, ſive alius de ejus mandato, habitum imponat, & Oratorium, ſive Eccleſiam aſſignet, deque hujuſmodi impoſitione, & aſſignatione patentales litteræ expediantur.

CAP. V.

Collectarum eleemoſynarum ratio reddenda.

NE ſolitarii, quorum converſatio in Cælis eſt, ad terrena lucra convertantur, de eleemoſynis, quas præſertim Eccleſiarum intuitu colligunt, Epiſcopis, aut Vicariis quolibet anno rationem reddere teneantur.

CAP. VI.

Plures, quam duo in uno Oratorio non ſint.

QUę Provincialibus Conciliis ſub Prædeceſſoribus noſtris Fr. Hugone de Bruxeo Ordinis noſtri, & Hugone II. Guidardio ſancita ſunt, hæc Sancta Synodus repetens, mandat, ne in quolibet Oratorio duorum numerus excedatur.

CAP. VII.

Oratoriorum diſtantia præſcribitur.

LOca ipſorum per unum ſaltem milliare inter ſe diſtent, alias pro uno loco habeantur.

CAP. VIII.

Ter in anno Epiſcopis, & remotiores Vicariis foraneis ſe præſentent.

QUarto quoque menſe Epiſcopis, aut eorum Vicariis ſe præſentent, de ſuis actibus rationem reddituri: quod ſi longius a Civitatibus diſtent, id coram Vicariis foraneis præſtabunt, qui Curiam faciant certiorem.

CAP. IX.

Fidei rudimentis imbuantur.

SIngulis ſaltem Dominicis diebus ad proprias Parochias accedant, ut Chriſtiana Doctrina erudiantur.

CAP. X.

Sacramentorum frequentia commendatur.

IN eiſdem Parochiis pęnitentię, & Euchariſtiæ Sacramenta frequentent, ſaltem ſemel in menſe.

CAP. XI.

Hoſpitem ultra unum diem non admittant.

NUllum hoſpitem, niſi per unum diem, admittant abſque Epiſcopi, ſive ejus Vicarii facultatę.

CAP. XII.

Feminarum conſortium inhibetur.

CUm Eremitis femina nulla convivat, ne uxor quidem. Uxorati, Conjugalibus obnoxii oneribus, ad propria remittantur.

CAP. XIII.

Inſtabilitas coercetur.

NUlli Eremitarum liceat, poſtquam in uno loco habitare cęperit, alio ſe transferre, niſi Epiſcopi, aut ejus Vicarii facultate intercedente.

CAP. XIV.

Voluntarius diſceſſus, & regreſſus ejectione multatur.

SI e Diœceſi, abſque prædicta facultate, quovis prætextu diſceſſerint, non amplius in eamdem admittantur.

CAP. XV.

Pœna in contumaces ſtatuitur.

COntravenientes, vel habitus privatione, vel carcere, vel ejectione pro contumaciæ modo plectantur.

CAP. XVI.

Acephali, & vagi rejiciuntur.

QUi vero ſua ſponte habitum ſuſcepere, & ad ſui libitum accedunt, & recedunt, ac ut locuſtæ ſine Rege vagantur, ſi poſt præſentium publicationem moniti, præmiſſis ſubjacere noluerint, tanquam meri laici rejiciantur, ne immunitatis prætextu in criminum immanitatem, ut non raro accidit, dilabantur.

CAP. XVII.

Parochis, & Vicariis ſolitariorum cura demandatur.

PArochi, & Vicarii foranei hujuſmodi ſolitudinis ſollicitudinem habeant, & contumacium nomina deferant ad Epiſcopos, qui eoſdem ſtatis pœnis coerceant.

CAP. XVIII.

Hæc omnia vulgari idiomate traducantur, ut ſerventur.

STatuta hæc in maternam linguam traducantur, & ſic traducta in quoli-

libet proſtent Eremitorio pro omnimoda eorumdem obſervantia.

TIT. IV.

De Sepulturis.

CAP. UNIC.

Extrema inter Comprovinciales obſequia pro iis, qui nuper defunctis ſucceſſere, innovantur.

EA eſt humanæ ratio mortalitatis, ut quinque ex Patribus noſtræ Provinciæ, quorum quatuor ſuperiori Concilio, nempe *Antonius de Sangro Clericus Regularis Epiſcopus Trojanus eligens*, *Joannes Baptiſta de Bellis Epiſcopus Theleſinus*, *Fr. Joannes Bonilla, y Soria Ordinis Carmel. Epiſcopus Arianen.*, *Fabritius Cianci Epiſcopus Guardien. præſentes*, *& Lucas Tisbia Clericus Regularis minor Epiſcopus Trivicanus*, tunc ægrotans, per ſpecialem Procuratorem interfuerunt, ſuaque doctrina, & religione ſacrum cœtum exornarunt, e vivis diſceſſerint, quorum memoria in benedictione eſt; iccirco hanc noſtræ, quotidie morientis vitæ conditionem Sancta Synodus conſiderans, quæ in præfato Concil. *Tit. eodem Cap. XII.* de mutuo Epiſcoporum in extremis obſequio inſtituta ſunt, utpote pietati maxime conſentanea, pro Epiſcopis, qui enunciatis ſucceſſerunt, innovavit, firmavitque, prout præſenti Conſtitutione, ſub pœna ibidem expreſſa, innovat, & confirmat.

TIT. V.

De Regularibus.

CAP. UNIC.

Præter ſcientiam vitæ, integritas in Confeſſariis, etiam Regularibus requirenda.

IRrefragabili Sac. Trid. Concil. decreto ſancitum eſt, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium audire, nec ad id idoneum deputari, niſi ab Epiſcopo per examen, ſi illi videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus eſſe judicetur, approbationem obtineat. Cum autem, præter ſcientiam, præcipua miniſtri Sacramenti pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, aut morum honeſtas, de hac quoque Epiſcopus ab alio Epiſcopo, in cujus Diœceſi, quis antea confeſſiones audierit, certior fieri poterit: quod ſi commode fieri nequeat, & admiſſus, & probatus in ea inciderit, per quæ rationabili Epiſcopi judicio videatur a confeſſionibus ſuſpendendus, poteſt Epiſcopus Regulares, a ſe ipſo probatos, ſuſpendere, aut repellere a confeſſionibus audiendis, prout in Conſtit. ſan. mem. Clementis Papæ X., quæ incipit: *Superna*, plenius continetur.

TIT. VI.

De Religioſis Domibus, ut Epiſcopis ſint ſubjectæ.

CAP. I.

Sanctiones pro recta locorum piorum moderatione indicantur.

CVm Superiore Provinciali Concilio (1), quæ ad ſalubre Confraternitatum, piorumq; locorum regimen ſpectant, Epiſcopis, & oſtenſa, & injuncta ſint: omnia ſiquidem, & Sacri Tridentini Concilii decretis, & Conſtitutione ſan. mem. Clementis Papæ VIII., quæ incipit: *Quæcumque*, pleniſſime continentur; Paſtorali ſollicitudini nihil, niſi, ut ea exequutioni demandentur, reliquum eſt. 1 Eod. tit. cap. 1.

CAP. II.

De recta Adminiſtratorum electione.

NOvi Confraternitatum Admiuiſtratores, nonniſi ipſorum Confratrum, quorum nomina in libro, ad hoc deſtinato, deſcripta fuerint, & qui ſpiritualia earumdem Confraternitatum exercitia frequentaverint, legitimis votis eligantur; ſecus facta electio irrita habeatur.

CAP. III.

Adminiſtratores, expleto munere, novis Adminiſtratoribus ſatisfaciant.

LOcorum piorum Œconomi adminiſtratione expleta, & a conſuetis Ratiocinatoribus, ab Epiſcopo datis, ſignificati, novis Œconomis, quod debent, juxta ſignificatorias latas, omnino ſolvant; quod ſi contumaces fuerint, ſervatis ſervandis, coerceantur.

CAP. IV.

Licitatio fructuum, ad pia loca ſpectantium, quomodo facienda?

QVoniam vero in nonnullis Provinciæ locis in vendendis bonorum ad pia loca ſpectantium fructibus, fraudes non raro exoriuntur, ut ſcilicet dum lana, coria, & alia hujuſmodi in ipſis locis licitationi exponuntur, inter vendentes, & ementes colluſiones fiunt: ad has evitandas, acta in Diœceſi coram Vicario foraneo, & in Civitate coram Vicario generali, ſive de ejus mandato conficiantur.

TIT.

TIT. VII.

De Celebratione Miſſarum, & Divinis Officiis.

CAP. I.

Sacro novendio, Natale Chriſti præcedenti, pro Rege noſtro preces addantur.

SEreniſſimus Rex noſter Carolus, hoc nomine quidem, ſed ſingulari in glorioſam Dei Genitricem religione nulli ſecundus, devota conſiderationis indagine perſcrutatus de illa dictum, *per me Reges regnant*, eidem ſe commendatum in omnibus Regnorum ſuorum Eccleſiis peroptans, datis per Civitates litteris, pios ſui Catholici pectoris hac de re ſenſus aperuit. Tantam itaque illius pietatem proſequendo, placuit Sanctę Synodo, ut ſingulis annis in novendiali ſacro, Jeſu Chriſti Domini noſtri nativitatem præcedente, quod in omnibus Provinciæ Eccleſiis fieri conſuevit, pro felicibus præfati Regis, ejuſque regiminis progreſſibus, præcipuæ ad Deum preces in ejus Sanctiſſimæ Genitricis honorem ſedula devotione fundantur, & ſacris operantes Collectam pro Rege in Miſſa decantent: hec deſint Epiſcopi, ſive eorum vice Concionatores, qui morum reformationem in populo promoveant, ut oratio tanto ſit efficacior, quanto de puriore corde promanarit, & veniens Dominus paratam ſibi in omnibus comperiat manſionem.

TIT. VIII.

De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.

CAP. I.

Sanctarum Reliquiarum cultui in Prædeceſſorum Provincialibus Conciliis pleniſſime conſultum; ſed defuit executio.

IN Provincialibus Conciliis ſub Hugone II. Guidardio, Cardinali Sabellio, Maximiliano de Palumbaria, & Joanne Baptiſta Foppa Archiepiſcopis prædeceſſoribus noſtris, ea circa Sanctarum Reliquiarum, quæ Spiritus Sancti Templum, & viva Chriſti membra, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, extitere, decentem conſervationem, piumque cultum ſancita, ut, ſi executioni demandata fuiſſent, nihil reliquum eſſet deſiderandum; ſed tanta eſt, vel temporum injuria, vel incuria hominum, ut multa Provinciæ loca, variis de cauſſis inviſentes, non exiguam tanta in re negligentiam deprehenderimus.

CAP. II.

Circa SS. Reliquias, decenter habendas, Metropolitæ in ſua Civitate, & Diœceſi refertur exemplum.

QUapropter hanc denuo provinciam Sancta Synodus aſſumens, excitata præſertim Metropolitæ exemplo, qui Reliquias omnes, quibus Metropolitana Civitas, ſive in Sæcularibus, ſive Regularibus Eccleſiis mirifice ditatur, poſtquam terræmotus ipſe cum illis omnino innocens fuit, prius recognitas, diligentiſſime pariter, atque elegantiſſime reaptavit, quaſdam in antiquis, quamplurimas in novis capſulis, thecis, arculis, oſtenſoriis, vaſculis componens, & ſic compoſitas ſuo ſigillo munivit, ſolemnique habita ſupplicatione ad ſuas quaſque Eccleſias, honorificentiſſime collocavit; & ut generalis hujus reaptationis, & compoſitionis perennis eſſet memoria, & fideles quoque ſingula SS. pignora, quibus proteguntur, intelligant, generalem Catalogum tum Reliquiarum, tum Eccleſiarum, quæ illis gaudent, ordine digeſſit, & in ſua duodecima Synodo de ann. 1697. legendum exhibuit; quod pariter in Diœceſi univerſa circa SS. Reliquias perſolvit, quarum Catalogum in decimatertia Diœceſana Synodo, Deo dante, evulgabit, ſequentia circa prædicta ſancivit.

CAP. III.

Extra capſam Reliquiæ non oſtendantur, ſed ipſæ capſæ, diligenter aptatæ, ſigillis muniantur.

EAdem Sancta Synodus, Conſtitutioni Innocentii Papæ III. in Concilio generali, quæ incipit: *Cum ex eo* (1), firmiter inhærens, mandat, ut quilibet Epiſcopus, quas habet in ſua Civitate, & Diœceſi SS. Reliquias, prius recognitas, in ſuis deinde capſulis, & vaſculis, vel antiquis, vel ab integro, ſi opus ſit, conſtruendis, diligenter aptet, & ſic aptatas ſuo muniat ſigillo, itaut extra capſas nullatenus poſſint oſtendi, nec ulli deinceps liceat eas immediate deoſculari. 1 Eod. tit.

CAP. IV.

Datur aptationis inſtructio.

IN aptandis autem Reliquiis ea cautio adhibeatur, ut cineres ab oſſibus ſecernantur; vaſa item vitrea cum operculis, ſi bene in ſuis capſulis firmentur, ad eaſdem Reliquias mundiſſime ſervandas optima ſunt.

CAP. V.

Locus quomodo honeſtandus?

LOcus, in quo ipſæ capſulæ, & thecæ ſervantur, ſit admodum decens, & con-

conſpicuus, & ſi in pariete extent, tabulis ſerico, vel linteo, vulgo *ſangallo*, ornatis, interius veſtiatur, ne humiditate laboret, & ſenſim ſordeſcat.

CAP. VI.

Idem locus quo pacto muniendus, & a quibus claves cuſtodiendæ?

IN quo loco ſacræ aſſervantur Reliquiæ, nihil ultra apponatur, ideoque armarium ipſum, vel crate ferrea, vel ligneo oſtiolo claudatur, duabus diverſis clavibus adhibitis, quarum altera ab Epiſcopo, ſi in Cathedrali ſit, altera a Theſaurario, ſi hæc Dignitas extet, ſin minus a prima Dignitate ſervetur. Tertiam, vel plures, etiam laicis, ſi conſuetudo id ferat, Epiſcopus permittat. In Diœceſi vero penes Eccleſiæ Rectorem, & alterum Presbyterum, quem Epiſcopus elegerit, dictæ claves ſint.

CAP. VII.

Lampas ardens non deſit.

ANte armarium ſic aptatum, lampas, quantum fieri poteſt, continuo ardeat, ſed longe a pariete, ne illum proxima ſuffumigatione denigret.

CAP. VIII.

Reliquiarum inventaria præſcribuntur.

UNaquæque Eccleſia ſuarum Reliquiarum habeat Inventarium, in quo, quæcumque extant documenta, illarum certitudinem probantia, tranſcribantur, ipſorumque Inventariorum duplicata ad Epiſcopale Archivum mittantur, ubi in unum collecta, librum conficiant, totius Diœceſis Reliquiarum notitiam amplectentem: Tabella inſuper eorum Sanctorum nomina, feſtoſque dies, quorum Reliquiæ venerationi habentur, contineat, & in uno quoque Sacello publicæ lectioni exponatur.

CAP. IX.

Quando, & quo ritu publicæ venerationi Reliquiæ exponendæ.

PUblicæ venerationi non paſſim, ſed in eorum feſtis, quorum ſunt Reliquiæ, & in ſolemnioribus diebus exponantur; idque a Presbytero ſuperpelliceo, & ſtola induto, accenſis duobus ſaltem luminibus, & prævio campanarum feſtivo ſonitu, necnon antiphonæ, & orationis cantu, thuriſeratione quoque adhibita, perſolvatur.

CAP. X.

Quæſtus proſcribitur: Quæ Reliquiæ ad infirmos deferri valeant, declaratur.

NUllius quæſtus gratia expoſitio fiat, neque ad infirmos, niſi cauſſa ab Epiſcopo cognita, Reliquiæ deferantur: quæ ſi ejuſmodi fuerint, ut hîc biretum S. Philippi Nerii, & Luceriæ galerus B. Auguſtini Epiſcopi, ſi qua utrobique conſuevit, veneratione id fiat, permiſſum habeatur.

CAP. XI.

Sacras Reliquias laici non tangant.

LAici meminerint Reges olim, & Principes, cilicio indutos, & cum timore quodam, ac tremore ad Sacra Martyrum limina procubuiſſe, ut hinc colligant, Sanctorum Reliquias ab eis attrectari non debere, nec tangi; quod a ſacrilegio ſejunctum eſſe vix poſſe, Gregorius Magnus aſſeruit.

CAP. XII.

Novas Reliquias, inconſulto Epiſcopo, evulgantes, ſive ab eo obſignatas reſignantes, aut de Eccleſia ad Eccleſiam ad libitum transferentes, anathemate deterrentur.

NEmo, etiamſi Regularis, aut quantumvis exemptus exiſtat, novas Reliquias, niſi prius ab Epiſcopo recognitas, ſuoque ſigillo munitas, evulgare, aut populo venerandas exhibere, neve ab eodem Epiſcopo obſignatas ſolvere, & reſignare, ſive uni Eccleſiæ aſſignatas ad aliam pro libito traducere præſumat: quod ſi attentarit, anathemate ferietur.

SUBMISSIO OMNIUM
Sanctæ Apoſtolicæ Sedi.

OMnia, & ſingula in hac Sancta Synodo ſtatuta, decreta, atque acta, qua decet obedientia, & reverentia, auctoritati, & correctioni S. R. Eccleſiæ omnium Eccleſiarum Matris, & Magiſtræ ſemper emendanda, & corrigenda ſubjicimus.

Ego Fr. Vincentius Maria Ordinis Prædicatorum Cardinalis Archiepiſcopus Metropolita de conſenſu, & aſſenſu Reverendiſſimorum DD. Coepiſcoporum meorum definiens ſubſcripſi.

Ego Frater Cæleſtinus Labonia Ordinis Eremit. Diſcalceator. S. Auguſtini Epiſcopus Montis-Marani conſentiens ſubſcripſi.

Ego Joſeph Cleric. Reg. Min. Epiſcopus Alliphanus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Epiſcopus Abellinenſis, Frequentinen., Aquæputridæ, ſeu Mi-

Mirabellæ, & Quintodecimi conſentiens ſubſcripſi.

Ego Angelus Epiſcopus Bovinen. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Antonius Epiſcop. Aſculanus, & Nerdonien. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Antonius Epiſcopus Bujanenſis, & Supinen. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Joſeph Epiſcopus Larinen. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Dominicus Epiſcopus Lucerinus, Florentinus, & Turtibulenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Michael Epiſc. Thermulanus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Pompejus Epiſcopus Vigilien. ad votum deciſivum a Sac. Conc. admiſſus, & etiam vice Metropolitani Capituli Abbatis Oppidi S.Lupi, nullius, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Epiſcop. Trivicanus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Blaſius Epiſcopus Theleſinus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Æmilius Jacobus S.Trojanæ Eccleſiæ Epiſcopus eligens ſubſcripſi conſentiens.

Ego Hiacynthus Cler. Reg. Epiſcopus Arianen. conſentiens ſubſcripſi.

Ego D. Vitus Antonius Paſtorale Abbas Generalis Congregationis Montis Virginis Ordinis S. Benedicti, & Ordinarius Juriſdictionis ejuſdem Sac. Montis, nullius, Provinciæ Beneventanæ, eligens, conſentiens ſubſcripſi.

Ego D. Auguſtinus Fantetta Vicarius Generalis, & Ordinarius Terræ Alberonæ pro Sac. Religione Hieroſolymitana conſentiens ſubſcripſi.

Ego *Jacobus Antonius de Antonellis, Primicerius Cathedralis Eccleſiæ S. Agathæ Gothorum, Procurator ſpecialis Illuſtriſs. & Reverendiſs.* D. Jacobi Circi Epiſcopi S Agathæ Gothorum, *ejus nomine interfui, & ſubſcripſi; & omnia, & ſingula in hac S. Synodo acta, decreta, edita, & promulgata, ejus, & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.*


Ego *Antonius America, Archipresbyter Terræ Mottæ Montis Corvini, ac Protonotarius Apoſtolicus, Procurator ſpecialis Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi* Domini Dominici Sorrentini Epiſcopi Vulturarienſis, & Montis-Corvini, *ejus nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia, & ſingula in hac S.Synodo acta, decreta, edita, & promulgata ejus, & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.*

Ego *Nicolaus Scorſa, Presbyter Oppidi Turris Majoris, Procurator ſpecialis Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi* Domini Caroli Felicis Matta Epiſcopi S Severi, Civitaten., & Dragonarien. *ejus nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia, & ſingula in hac S.Synodo acta, decreta, edita, & promulgata, ejus, & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.*

Ego *Jacobus Antonius Florentinus, Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Guardiæ Alferiæ, Procurator ſpecialis Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi* Domini Philippi de Corduba Epiſcopi Guardienſis, *ejus nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia, & ſingula in hac S. Synodo acta, decreta, edita, & promulgata, ejus, & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.*

Iu quorum fidem

Ego Franciſcus Antonius Canonicus Finy Protonotarius Apoſtolicus, Secretarius ſubſcripſi.



IN DEI NOMINE. AMEN.

PRæſenti hoc publico Inſtrumento cunctis ubique pateat evidenter, & notum ſit, qualiter in prima ſeſſione Sac. Conc. Provincialis ſecundi, habita in Eccleſia Metropolitana die Sabbati decima currentis Maii 1698. de mane, poſt Miſſam Pontificalem decantatam ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo in Chriſto Patre, & Domino D.Fr.Vincentio Maria Ordinis Prædic. Miſeratione Divina, Tit. S. Sixti, S. R. E. Presbytero Cardinali Urſino, S.Beneventanę Eccleſię Archiepiſcopo Metropolita, & ceteras preces in Pontiſ. Roman. præſcriptas, ſermonemque habitum in Ambone per eumdem, fuerunt publicata per Illuſtr. & Adm. Rev. Dominum Franciſcum Antonium Finy ejuſdem Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicum Prot. Apoſt. Sac. Conc. ſupradicti Secretarium, ex altero Ambone prima decreta, videlicet: De inchoanda Synòdo: De ratione vivendi in Synodo: De Miniſtris Synodalibus: De præjudicio non afferendo: De non diſcedendo: De vocatione Patrum. *In ſecunda vero ſeſſione, celebrata die Mercurii decima quarta ejuſdem menſis Maii 1698. pariter de mane, poſt Sacrum pontificaliter ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Joſepho Lazara Cler. Reg.Min. Epiſcopo Alliphano perſolutum, aliaſque preces in eod. Pontiſ.Rom. deſcriptas, ac ſermonem habitum in Ambone ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Æmilio Jacobo Cavalieri Epiſc. Trojanen., per præfatum Dominum Secretarium fuit publicatum decretum:* De lectione decretorum, & Conſtitutionum, *quod incipit:* Bullas multas Pontificias &c. *ut videre eſt ex actis ejuſdem: & ſucceſſive publicatæ, & promulgatæ fuerunt ejuſdem Sac. Concilii Provincialis Conſtitutiones, uſque ad Tit.VI.* De Religioſis Domibus, ut Epiſcopis ſint ſubjectæ, *incluſive. In tertia vero ſeſſione, habita die Lunæ decimanona ejuſdem menſis Maii 1698. itidem de mane, perſolutis Miſſa Pontificali de more celebrata ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Hiacyntho deCalce Guevara Epiſcopo Arianen., ceteriſque precibus ſtatis in antecedenti Pontificali Rom., habitoque pariter ſermone in ſolito Ambone ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Pompejo Sarnellio Epiſcopo Vigilien. ad votum deciſivum admiſſo, & vice Metropolitani Capituli Abbatis Oppidi S. Lupi, nullius, idem deputatus Secretarius proſecutus eſt promulgationem omnium reliquarum prædictarum Conſtitutionum ſubſequentium uſque ad Tit. VIII.* De Reliquiis, & veneratione Sanctorum, *& decretum ſubmiſſionis Sanctæ Apoſtolicæ Sedis pariter incluſive: & in eadem tertia ſeſſione continuata eadem die decima nona ſupradicti menſis Maii currentis 1698. poſt Veſperas latum fuit decretum* De ſubſcribendo, *& demum omnes, & ſingulæ Conſtitutiones prædictæ, in præſenti Sac. Provinc. Conc. contentæ, celebratę, & promulgatæ, lectæ, latæ, & geſtæ, ac in noſtrum præſentia ſubſcriptæ in cornu Evangelii Arę maximę fuere a prędicto Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Archiepiſcopo Metropolita, omnibuſque Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis PP. Coepiſcopis, ceteriſque Prælatis Ordinariis aſſiſtentibus in memorata S. Metropolitana Eccleſia coram Reverendiſſimo Metropolitano Capitulo, Collegiis, atque Cleris Urbano, & Foraneo, & deinde a Procuratoribus quatuor Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum Epiſcoporum abſentium. Clauſa eſt ſeſſio oratione gratulatoria, habita ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Fr. Cæleſtino Labonia Ordinis Erem. Diſcalc. S.Auguſtini Epiſcopo Montis-Marani.*

Super quibus omnibus, & ſingulis petitum fuit a nobis Notariis publicis infraſcriptis, ut unum, vel plura publicum, ſeu publica conficere, atque tradere deberemus Inſtrumentum, vel Inſtrumenta, prout opus fuerit, & requiſiti erimus.

Actum Beneventi in memorata Eccleſia Metropolitana hac præſenti die decima nona menſis Maii milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo octavo Inditione ſexta, præſentibus, audientibus, intelligentibus, & inſpicientibus Venerabilibus Presbyteris Dominico Traſente, & Bartholomæo Berlingieri, ac Clerico Dominico de Auria, & Ignatio Bertucci Beneventanis, teſtibus ad hæc ſpecialiter vocatis, habitis, atque rogatis.

Unde nos in præmiſſorum fidem de prædictis omnibus rogati, & requiſiti hic ſubſcripſimus, & conſuetis ſignis ſignavimus.

Ita eſt. Paduanus Sanctorius Inſignis Collegii Sancti Spiritus Beneventi Canonicus, publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, & Curię Archiepiſcopalis Cancellarius.

Loco ✠ ſigni.

Ita eſt. Martius Lizza Sac. Baſilicæ Divi Bartholomæi Apoſtoli Canonicus, publicus Apoſtolica auctoritate, & præſentis Sac. Provincialis Concilii Notarius de prædictis rogatus ſignavi.

Loco ✠ ſigni.

Ita eſt. Clericus Dominicus Pontanella publicus Apoſtolica auctoritate, & præſentis Sac. Conc. Notarius rogatus, & requiſitus ſignavi.

Loco ✠ ſigni.

CATALOGUS

Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum Epiſcoporum, qui, præter Suffraganeos, Concilio huic Provinciali, honoris cauſſa, interfuerunt, ſacraſque functiones honeſtarunt.

Timotheus Agnellini Archiepiſcopus Mardinenſis in Meſopotamia.
Franciſcus Vignola Epiſcopus Minerbinenſis.
Nicolaus Antonius Thura Epiſcopus Sarnenſis.
Alphonſus Pacelli Epiſcopus Muranus.
Joannes Franciſcus de Laurentiis Epiſcopus Venuſinus.
Fr. Marcellus de Cavaleriis Ord. Prædicatorum Epiſcopus Grauinenſis.
Fr. Vincentius de Magiſtris Ord. Prædicatorum Epiſcopus Caſſanenſis.
D. Carolus Cutillus Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis-Virginis Epiſcopus Minorenſis.
Joſephus Schinoſi Epiſcopus Caſertanus.

Cathalogus Theologorum

Pro cauſſis, & materiis Synodalibus deſtinatorum.

Adm. Rev. Patres.
Joannes Jordanus U. J. & Sac. Theol. Doctor Prot. Apoſtolic. Canonicus Abellinen.
Michael Ramamondi S.Th.Doctor, Prot. Apoſtolic. Presbyter Luccrinus, Theologus Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi Trojani.
P. Nicolaus Squillante Presbyter Congregationis Oratorii Sac.Th. Profeſſ.
Laurentius Pirone Sac. Theol. Doctor, Presbyter Oppidi Boneæ hujus Diœceſis.
P. Jo: Baptiſta Mongiò Sac. Theol. Prof. Ord. S. Benedicti Congregationis Cæleſtinorum Prior.
P. Fr. Jo: Baptiſta Spada Urſinus Sac.Th. Magiſter, Exprovinc. Ord. Prædic.
P. Fr. Gregorius Maria Smeriglio Sacræ Th. Magiſter, Vicarius Generalis Congregationis Sanitatis Ord. Præd.
P. Fr. Joannes Michael de Cavaleriis Sacræ Theol. Magiſter Ord. Prædic. Viſitator Generalis.
P. Fr. Petrus Antonius Caballus Sac. Th. Magiſter, Ordin. Prædic. Sancti Officii Vicarius.
P. Fr. Sebaſtianus Jaſcone Ord. Minor. S. Franciſci de Obſervantia, S. Theol. Lector jubilatus, & Exminiſter Provincialis.
P. Fr. Anſelmus Sabbatinus S. Th. Magiſter, Exprovincialis Ord. Min. Convent. S. Franciſci.
P. Fr. Albertus Annubba Sac. Th. Magiſter, & Doctor, Exprovincialis, Ordin. Carmelitarum Prior.
P. Dominicus Viva S.Th. Prof. Soc. Jeſu.
P. Michael Angelus Rugerius S.Th. Prof. Soc. Jeſu.
P. Fr. Hieronymus à S. Nicolao, Exdiffinitor Ord. Carmelitarum Diſcalceatorum, Sac. Th. Magiſter.

Cathalogus Decretalitistarum

Pro cauſſis, & materiis Synodalibus deſtinatorum.

M. R. D. Thomas Antonius Cæpolla U. J. D., Prot. Apoſtolicus, Vicarius Generalis, Abbas Collegiatæ Eccleſiæ Oppidi Paduli.
Perilluſtris, & Adm. Rev. Dominus Joannes de Nicaſtro U. J. D., Prot. Apoſtolicus, S. Metropolitanæ Eccleſiæ Archipresbyter, Eminentiſſimi Archiepiſcopi Auditor.
M. R. D. Dominicus Ammirato U. J. D. Prot. Apoſtolicus, Vicarius Generalis Montis Marani.
M. R. D. Dominicus la Ratta U. J., & Sacræ Theol. Doctor, Prot. Apoſtolicus, Vicarius Generalis Thermulanus.
M. R. D. Ludovicus Foſchino U. J. D. Prot. Apoſtolic., Archipresbyter Theleſinus.
M. R. D. Petrus Giamei U. J. D., Archidiaconus Theleſinus.
M. R. D. Michael Roſſi U. J. D., Primicerius Alliphanus.
M. R. D. Franciſcus Morelli U. J. D., Canonicus Luccrinus.
M. R. D. Stephanus Damiano U. J. D. Canonicus Trojanus.
M. R. D. Vitus Antonius Scenga U. J., ac Sac. Th. D., Archipresbyter Sancti Thomæ Civitatis Foggiæ, Diœceſis Trojanæ.
Clericus Carolus de Aureliis U. J. D. Protonotarius Apoſtolicus Arianenſis.
Perilluſtris Dominus U. J. D. Franciſcus Advocatus Schinoſi.
Perilluſtris Dominus U. J. D. Joſeph Advocatus Urſolupus.

APPENDICE
AL XV. CONCILIO PROVINCIALE
Della Santa Chieſa Metropolitana di Benevento.
DELL' ANNO MDCXCVIII.

I.
EDITTO SINODALE

Per lo regolamento della celebrazione delle Feſte, oſſervanza della diſciplina Corale, ed altre funzioni Eccleſiaſtiche, e della Dottrina Criſtiana nelle Chieſe della Prouincia.

FR. VINCENZO MARIA DELL'ORDINE DE' PREDICATORI

Per Divina miſericordia del Tit. di S. Siſto della S.R.C. Prete Cardinale Orſini, della S. Chieſa di Benevento Arciveſcovo Metropolita.

Eſſendo ſtato preſentato nel noſtro ſecondo Concilio Provinciale un memoriale, che conteneva varii abuſi, e diſordini intorno alla celebrazione delle Feſte, diſciplina Corale, canto Gregoriano, funzioni della ſettimana Santa, proceſſioni, ed altri inconvenienti, che praticanſi in alcune Chieſe della noſtra Provincia: ed inſieme le deteſtande traſcurataggini di molti Parrochi circa all'inſegnamento della Dottrina Criſtiana, raccomandazione dell'anima agl'Infermi, ed eſequie a Defunti, le quali coſe tutte ben conſiderate dal medeſimo Sinodo, concordemente ſi è determinato, che da Noi ſi pubblichino, come facciamo in vigore del preſente Editto Sinodale, gl'infraſcritti Ordini.

CAP. I.

Delle Feſte nelle Chieſe Parrocchiali, Confraternite, ed altre Cappelle.

Perche non piace al Signore, che le feſte iſtituite in ſuo honore, ſi ſolennizino co'traſtulli, e vanità mondane, al cui fine dichiaroſſi per bocca d'Iſaia: *Feſtivitates veſtras odivit anima mea, facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens*: e ne minaccia caſtighi per mezzo di Amos, dicendo loro: *Convertam feſtivitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum*: perciò ſi ordina dal Sagro Concilio eſpreſſamente.

1. Che le limoſine, o le rendite delle Chieſe, Confraternite, o Cappelle non ſi ſpendano, quando ſi celebra in eſſe qualche feſta, in far ſontuoſi conviti, in diſpenſar figure di taffettà, o in altra vana oſtentazione.

2. Che non s'impieghino in comprarne polvere per conſumarla in fumoſa apparenza di fuochi artificiali, o in tuoni ſtrepitoſi di mortaletti.

3. Che nè meno ſi ſpendano per correrne, o lottar palii, doue ſovente naſce qualche ſcandalo; mentre il Popolo per aſſiſtere alla lotta, o al corſo del palio, laſcia vuota la Chieſa: e da Miniſtri del Santuario traſcuranſi le funzioni preſcritte dalla Chieſa, o in eſſe non oſſervanſi i riti convenienti, con isbrigar il tutto alla rinfuſa.

4. Che, per celebrar (come dice l'Appoſtolo) *in Domino* le ſante feſte, ſi procurino da Parrochi, o da altri, a chi ſpetta, per ciaſcuna Chieſa, nelle ſolennità di maggior divozione del popolo, le indulgenze plenarie, che ſogliono concederſi *ad ſeptennium* dalla S. Sede, trè alle Cattedrali, due alle Collegiate, o Parrocchiali, ed alle altre inferiori una ſola all'anno.

5. Che, ottenuto il breve delle ſuddette indulgenze ſi pubblichino le medeſime con previa licenza degli Ordinarii de'luoghi, nel giorno feſtivo antecedente alla feſta da celebrarſi, e nella ſera precedente alla ſteſſa feſta ſi mandi, per maggior notizia del popolo, un Cherico ſonando il campanello per le ſtrade della Terra.

6. Che ſi procuri un numero ſufficiente di Confeſſori, acciocche il popolo habbia l'opportuna comodità di confeſſarſi, ed indi divotamente comunicarſi: ſopra di che dovrà cooperare la caritatiua induſtria del Parroco, o di altro ſovraintendente delle ſteſſe feſte.

7. Che nella Meſſa, che ſi canterà, ſi oſſervino eſattamente i riti preſcritti dal Ceremoniale, e dalle rubriche generali del Meſſale: E quando nelle medeſime Chieſe non ſi recita tutto intero l'uffizio divino, ſi proibiſce di cantar qualche hora canonica ſolamente, permettendoſi bensì di cantare il veſpro nella maniera, che coſtumano i Padri dell'Oratorio di S. Filippo Neri, che nelle feſte cantano i ſoli veſpri colla meſſa.

8. Che nelle feſtività ſuddette non manchi per ogni conto l'aſſiſtenza del Maeſtro delle Cerimonie, il quale in ogni Terra dovrà eſſere deſtinato dal Veſcovo col ſuo congruo ſtipendio (ſe ſia poſſibile); o almeno, che nelle accennate funzioni egli habbia il doppio della porzione

zione ſolita à darſi agli altri Miniſtri, che in eſſe ſerviranno.

9. Che nelle Chieſe, ò Cappelle, dove ſono canonicamente erette Confraternite, i Confrati vadano nel dì della feſta, che ivi ſi celebrerà, veſtiti co' ſacchi à ricevere divotamente la ſagra Communione.

10. Che, per quanto ſi potrà, procuriſi, che in detto giorno della feſta ſi paſca il popolo col cibo della divina parola: il che dovrà farſi dal Parroco onninamente nelle feſte della ſua Chieſa Parrocchiale, quando non abbia invitato altro Predicatore.

CAP. II.

Della Diſciplina Corale.

1. CHe il Prefetto del Coro, ed il Maeſtro delle Cerimonie di ciaſcuna Chieſa ſi ricordino bene di oſſervare, e far oſſervare tutto ciò, che fù ordinato nell'antecedente Concilio Provinciale al Tit. XXI. *De Præbendis, Dignitatibus, & Canonicis.*

2. Che, mentre in Coro recitanſi i Divini Officii, non ſi odano ivi le Confeſſioni Sagramentali, nè meno degli Eccleſiaſtici, ſotto qualſivoglia preteſto.

3. Che ciaſcuno ſeda nel ſuo ſtallo: ſi genufletta, quando dee genufletterſi: ſeda, quando dee ſedere: e ſtia in piedi, quando dee ſtarvi, in maniera, che ivi le azioni vadano uniformi.

4. Che in Coro non ſi ciarli, nè ſi rida, ma con tutta compoſizione, e modeſtia, anche degli occhi, ſi raccordi ogn'uno di *ſapienter pſallere,* come dice il Sagro Salmiſta.

CAP. III.

Del Canto Gregoriano.

1. CHe i Veſcovi ſi raccordino di far oſſervare il cap. 7. del ſopracitato Concilio Provinciale al ſuddetto Tit. XXI. in cui fù ordinato, che à Canonici, ed a tutti gli altri aſcritti al ſervigio del Coro, ſi preſcriveſſe un termine competente ad iſtruirſi del canto Gregoriano.

2. Che i contumaci ſi multino da medeſimi Veſcovi colla ſottrazione delle diſtribuzioni cotidiane.

3. Che, creſcendo la contumacia di eſſi, procedano contro di loro con pene maggiori, perche una volta ſi apprenda la neceſſaria ſcienza del ſuddetto canto, per lo quale ſono ſtati aſcritti al Coro: non dovendoſi ſopportare, che con iſtrapazzo di eſſo, e ſcandalo degli uditori, ſi habbia a diſervire il Signore, e godere ſenza incomodo alcuno dell'entrate eccleſiaſtiche.

